


23.337

DIVI
AMBROSII
 MEDIO LANENSIS
 EPISCOPI
 OPERVM
 TOMVS QVARTVS.




PARISII,
 M. D. LXXXVI.
 CVM PRIVILEGIO REGIS.



BRITISH MUSEUM
 LIBRARY
 No. 100
 Date
 Author
 Title

23.334

DIVI
 AMBROSII
 MEDIOLANENSIS
 EPISCOPI
 OPERVM
 TOMVS QVARTVS.




PARISIIS,

M. D. LXXXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





S V M M A R I V M L I B R I P R I M I,
D E V O C A T I O N E O M N I V M
G E N T I V M.

DE propositione quaestionum, quæ inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratia Dei vertuntur, intentione quoque authoris, ac tractandorum ordine, iuxta quem primitus de voluntatis humanæ motibus & gradibus disputandum est. De redargutione præterea quorundam non sanè inter voluntatem & gratiam Dei discernentium. Cap. I.

Quòd omni humana voluntati naturaliter qualiscunque insit voluntas. Et de distinctione voluntatis in naturalem, animalem, & spiritualem. Quòd etiam diuina prouidentia, quamuis electum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxerit. Cap. II.

De pulchra ac subtili huius quaestionis tractatione, utrum cum bonæ voluntatis homo esse incipit, eadem quæ in ipso erat, corrigatur voluntas: an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quemadmodum etiam cum in diuinis scripturis salus generaliter omnibus hominibus promittitur, pro parte hominũ omnes homines nominentur. Cap. III.

De solutione calumniosa obiectionis, qua quidam dicunt authorem per superius dicta contradicere Apostolo defnienti, quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et quòd profunditas diuinorum mysteriorum atque iudiciorum à nobis non sit perquirenda. Cap. IIII.

Cur anterioribus seculis dimissæ sint omnes gentes ingredi vias suas, uno tantum Israële excepto, & ad cognitionem veritatis electo. Et quare Deus uni homini det gratiam, alteri autem denegat. Cap. V.

Qualis sit natura humana sine gratia. Cap. VI.

Cur saluator omnium hominum non omnibus dederit hunc sensum, ut cognoscerent verum Deum. Cur etiã quidam paruuli salui fiant renati, alij pereant non renati. Cap. VII.

Fides unde nascatur, & unde acquiratur. Cap. VIII.

Quòd à Domino Deo omnia virtutum dona dirigantur et disponantur. Et quòd omnia in manu eius sint. Quòdque Deus sit author omnis boni. Cap. IX.



DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE VOCATIONE


OMNIUM GENTIUM. LIBER I.

De propositione questionum quæ inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei vertuntur, intentione quoque authoris, ac tractandorum ordine, iuxta quem primitus de voluntatis humanæ motibus & gradibus disputandum est. De redargutione præterea quorundam non sanè inter voluntatem & gratiam Dei discernentium.

rexit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxerit. CAP. II.

SED iam auxiliante Christo quod tractando cõcepimus, inchoemus. Omni animæ humanæ, quantum intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiscunque inest voluntas, qua aut appetitur quod placet, aut declinatur quod displicet. Huius voluntatis, quantum ad naturalem pertinet motum ex vitio primæ præuaricationis infirmum, genera sunt duo, secundum quæ voluntas hominis aut sensualis, aut animalis est. Sed cum adest gratia Dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritualis, & per hunc excellentiorem motum omnes affectus vndeunque nascetes supernæ rationis lege diiudicet. Sensualis igitur voluntas, quæ & carnalè possumus dicere, non erigitur supra eum motum qui de corporis sensibus nascitur, qualis est in animis paruulorum, qui licet nullo iudicio rationis vtantur, ostendunt tamen aliquid se velle, aliquid nolle; cum viuendo, audiendo, odorando, gustando, tangendo, & ea quibus delectantur, amant; & ea quibus offenduntur, oderunt. Quid autem est amare, nisi velle? aut quid est odire, nisi nolle? Habet ergo etiam ipsi voluntatem suam, quæ etsi prouidendi & consulendi impos atque ignara sit, in his tamen amat agere quæ carnis sensibus blandiuntur, donec vigor rationalis ingenij per maturiora ministeria corporis excitetur, & ad famulantiu sibi membrorum usum non alieno motu, sed sua lege moueatur. Ab hoc ergo sensuali appetitu, in quo remanet illi quos etiam in annis maioribus excordes videmus & fatuos, ad animalè surgitur voluntatè: quæ priusquam spiritu Dei agatur, etiam si supra sensualem motum sese attollere potest, tamen sine sui amoris participatione in terrenis occiduisque versatur. In hac humana etiam ingenia, si corporeæ voluptati non turpiter seruiant, & cupiditates suas iustitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cum presentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis premiũ non habent: quia rectas actiones & bona studia sua non ad eius laudem atque honorem referunt a quo acceperunt, ut in ipsa animali discretionè sublimius saperent, & excellentius ceteris enitescerent. Cum enim quidam non solum ad instituta vtilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem intenderint, & inuilibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerint, non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illi sibi esse huius facultatis authorè, sed dicen-

CAPIT I.



NTER defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum vertitur quæstio. Quæritur enim vtrum velit Deus omnes homines saluos fieri. Et quia negari hoc non potest: cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumque hoc

secundum voluntates hominum fieri videatur, gratia videtur excludi: quæ si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum. Vnde iterum quæritur cur hoc donum sine quo nemo saluus est, ab eo qui omnes saluari vult, non omnibus conferatur. Atque ita contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dum non discernitur quid manifestum, quid sit occultum. De hac igitur compugnata opinionum, qua mensura & temperantia sentiendum sit, quantum Dominus adiuuerit, annitar inquirere, exercens atque discutiens modulum facultatis meæ in iis quæ cordi meo sobriè (quantum arbitror) inhaerunt: ut si in eas regulas processerit stylus, quæ nihil offensionis, nihil habeant prauitatis, non solum nobis, sed & aliis vtile sit ad aliquem nos limitè peruenisse, quæ non debeamus excedere. Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus & gradibus disputandum est. Inter quæ & gratiam Dei quorundam non sana discretio est, existimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium, nec aduertentium eadem regula sibi posse obici quod gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducere volunt esse, sed comitem. Si enim tollitur voluntas, vbi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, vbi ipsa est bonorum causa meritorum?

Quod omni humanæ voluntati naturaliter qualiscunque inest voluntas. Et de distinctione voluntatis in naturalem, animalem & spiritualem. Quod etiam diuina prouidentia quamuis electum sibi populum specialibus ad pietatem di-

1. Tim. 2.

Rem. 1.

Ibidem.

Ibidem.

Psalm. 77.

Leuit. 19.

Hester 10.

Act. 14.

res se esse sapiētes, hoc est non in Deo, sed in semet-
 ipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis
 studiis atque rationibus propinquassent, euanuerūt
 in cogitationibus suis. Et quod illumināte Dei gra-
 tia inuenerant, obcæcante superbia perdidērunt, re-
 lapsi à superna luce ad tenebras suas: hoc est ab in-
 commutabili atque aeterno bono ad mutabilē cor-
 ruptibilēque naturā. Cū ergo tales in amorē sui
 recidunt, & ita sibi met placent, vt totum quod in se
 laudabile iudicant, non ad dona Dei referant, sed si-
 bi vindicent, & studio propriæ voluntatis adscri-
 bant, procul ab illa spiritali exulant voluntate, & ni-
 hil in se habent quo ad vitam prouehantur aeternā,
 incipiētes in semetipsis etiam illa tēporalia Dei do-
 na corrumpere, & à bono eorum vsū in consuetudi-
 nem innumerabilū transire vitiōrū. Quamuis enim
 scriptum sit, quod cū dispertiret excelsus gentes,
 quemadmodū disperfit filios Adā, statuit terminos
 gentium secundū numerū angelorum Dei, & facta
 est portio Domini, populus eius Iacob, funiculus
 hæreditatis eius Israël: & scriptum sit Dominum di-
 cere ad Israël: Eritis mihi sancti, quia ego sanctus
 sum, Dominus Deus vester, qui segregavi vos ab
 omnibus gentibus esse mihi. Et quamuis scriptū sit
 in libro Hester, dicēte Mardocheo: Gratias tibi Do-
 mine, quoniam fecisti noua signa & prodigia, qua-
 lia non sunt facta in gentibus, diuidēs omne seculū
 in fortes duas, elegisti vnā tibi populi tui, relinquēs
 aliam gētibus. Et Paulus & Barnabas dicant: Et nos
 mortales fumus, similes vobis homines, annuncian-
 tes vobis conuerti ad Deum viuū, qui fecit cælum
 & terram, & omnia quæ in eis sunt, qui in
 præteritis generationibus dimisit omnes gentes in-
 gredi vias suas. Quamuis ergo hæc & multa similia,
 veritatis scriptura pronunciet, secundū ipsam tamē
 credimus & piissimè confitemur quod nunquā vni-
 uersitati hominum diuinæ prouidentia cura defue-
 rit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad
 pietatem direxerit institutis, nulli tamē nationi ho-
 minum bonitatis suæ dona subtraxit, vt propheticas
 voces & præcepta legalia cōuincerentur in elemen-
 torum obsequiis ac testimoniis accepisse. Vnde &
 inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi Dei dona fe-
 cerunt: & quæ creata erant ad vtendū, venerati sunt
 ad colendum. In quam impietatem etiam illa gens
 quam sibi ab omnibus gentibus Dominus segrega-
 uit, tota transisset, nisi misericordiæ suæ propositum
 sustentandis electorum lapsibus prætendisset. Nam
 plenæ sunt paginæ veteris testamenti de Israëliticæ
 defectiois relatu, vt apertè appareat diuinæ semper
 fuisse gratiæ quod non omnis ille populus discessit à
 Domino. Ita humana natura in primi hominis præ-
 uaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præ-
 cepta & auxilia Dei, semper in deteriorē est procli-
 uior voluntatem, cui committi non est aliud quàm
 dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabi-
 lis, imperita, infirma ad efficiendū, facilis ad auden-
 dum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida,
 curis anxia, suspitionibus inquieta, gloriæ quàm vir-
 tutum audior, famæ quàm conscientia diligentior,
 & per omnē sui experiētiā inferior fruendo iis quæ
 concupiuerit, quàm carendo, nihil in suis habet vi-
 ribus, nisi periculi facilitatem: quoniā voluntas mu-

tabilis quæ non ab incōmutabili voluntate regitur,
 tantò citius propinquat iniquitati, quantò acrius in-
 tenditur actioni. Quamuis ergo homini ea placent
 quæ Deo displicent, voluntas eius animalis est: quia
 etiam si in bonis moribus agat, malè adhuc viuūt si
 non in Dei gloriam viuūt. Hoc est enim proprium &
 præcipuum piorum, vt in Domino gloriantur, nec
 se nisi in Deo diligant. Bene enim se amant, qui in se
 opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis,
 quod ipse fecit: & hoc odit, quod ipse non fecit. Si
 ergo opus Dei amamus in nobis, bonam voluntatē
 rectè amamus in nobis: quæ vtique si opus Dei non
 esset, amanda non esset. Quis autem homo, nisi ma-
 læ voluntatis fuerit, bonā in se non amat voluntatē,
 quæ superni agricolæ prima plantatio est? Dicente
 enim veritate: Omnis plantatio quam non plātauit
 pater meus cœlestis eradicabitur: quicquid non est
 eradicandum, manifestum est à patre esse plantatū.
 Bona autem voluntas, omnium virtutū germen est
 primum, quæ innixa origini suæ, in illa aeterna & in-
 cōmutabili voluntate requiescet, vt verè sit spirita-
 lis: quoniam qui adhæret Deo, vnus spiritus est, dum
 per communionem illuminantis & illuminati, iusti-
 ficantis & iustificati, regentis & subditi, omnis actio
 ad vnum refertur: Et quod ad vnum refertur, vtrius-
 que est: quia nec à Deo alienari potest, quod dedit,
 nec ab homine quod accepit.

*De pulchra ac subtili huius questionis tractatione, vtrum
 cum bonæ voluntatis homo esse incipit, eadem quæ in ipso
 erat, corrigatur voluntas: an alia ei quam non habebat, &
 quæ priori repugnet, detur. Quemadmodum etiam cum in
 diuinis scripturis salus generaliter omnibus hominibus pro-
 mittitur, pro parte hominum omnes homines nominentur.*

CAPVT III.

Hic tractandum videtur vtrum cū bonæ vo-
 luntatis esse homo incipit, eadem quæ in ipso
 erat, corrigatur voluntas: an alia ei quam non habe-
 bat, & quæ priori repugnet, detur. Quod vt euiden-
 tius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes
 homines in primo homine sine vitio conditi sumus,
 & omnes naturæ nostræ incolumitatem eiusdem
 hominis præuaricatione perdidimus. Inde tracta
 mortalitas, inde multiplex corporis animique cor-
 ruptio, inde ignorātia & difficultas, curæ inutiles, il-
 licitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, a-
 mor noxius, iniusta gaudia, pœnitenda consilia, &
 non minor miseriarum multitudo quàm criminum.
 His ergo atque aliis malis in naturam humanam ir-
 ruentibus, fide perdita, spe relicta, intelligentia ob-
 cæcata, voluntate captiua, nemo in se vnde repara-
 retur inuenit: quia etsi fuit qui naturali intellectu
 conatus sit vitiis reluctari, huius tantum temporis
 vitam steriliter ornauit, ad veras autem virtutes æ-
 ternamque beatitudinem non profecit. Sine cul-
 tu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur esse,
 peccatum est, nec placere vllus Deo sine Deo po-
 test. Qui verò Deo non placet, cui nisi sibi & dia-
 bolo placet: A quo cū homo spoliaretur: non vo-
 luntate, sed voluntatis sanitate priuatus est: quia
 nec detrudi ab innocentia statu posset, nisi vo-
 luntate

Psalm. 77.

Math. 15.

1. Ioan. 3.

1. Cor. 6.

Hierem. 31.
Hebr. 8.

Esaiæ 42.

luntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, quali-
 tate facta est mala. Et ille animi motus qui nunquā
 potest sine aliquo esse amore, hoc est sine aliqua vo-
 luntate, non perdidit appetitum, sed mutauit affe-
 ctum, id recipiens desiderio, quod debuit refutare
 iudicio. Cū igitur homo ad pietatē redit, (de quo
 idè dictū est: Spiritus vadens, & non rediens: quia
 nisi illum Deus cōuerteret, non rediret) non fit no-
 uum figmentum, nouaque creatura, non alia in eo
 creatur substantia, sed eadē quæ fuerat labefactata,
 reparatur. Nec aliud ab eo aufertur nisi vitiū, quod
 natura non habuit. Fuit enim in Adam natura sine
 vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala mul-
 ta contraxit, & in posteros magis magisque multi-
 plicanda transfudit. Quæ vt vincantur, atque in ni-
 hilum deducantur, non efficit nisi gratia Saluatoris,
 qui opus suum opere suo reparat. Sicut enim dicit
 Ioānes Apostolus: In hoc apparuit filius Dei, vt sol-
 uat opera diaboli. Et sicut rumpit vincula captiui, sic
 vestit nuditatem spoliati, sic sanat vulnera fauciat,
 vt quod in ipso agit, etiam per ipsum geratur. Cui
 vtiq; contra hostē suū non expedit sine protectore
 configere. Cum illo enim habet certamen, à quo
 aliquando superatus est. Non ergo fidat de viribus
 suis, quæ etiam cū essent integræ, non steterunt:
 sed per illum quærat victoriam, qui solus non est vi-
 ctus, & omnibus vicit. Et si quærit, nō dubitat quæ-
 rendi affectum ab illo se accepisse quem quærit. Nec
 quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbi-
 trium non habere, quod ne tunc quidem perdidit
 quando diabolo voluntate se dedit, à quo iudicium
 voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod er-
 go non interfectum est per vulnerantem, non tolli-
 tur per medentem. Vulnus sanatur, non natura re-
 mouetur. Sed quod in natura periit, non restituitur
 nisi ab authore naturæ. Dicit Dominus: Et disponā
 domui Israël, & domui Iudæ testamentum nouum,
 non secundum testamentum quod disposui patri-
 bus eorum in die qua apprehendi manum eorum,
 vt educerem illos de terra Ægypti, quia ipsi non
 perseuerauerunt in testamento meo, & ego eos ne-
 glexi, dicit Dominus: Quia hoc est testamentum
 quod disposui domui Israël post dies illos, dicit Do-
 minus: Dabo leges meas in sensu ipsorum, & in cor-
 de ipsorum scribam eas, & ero illis in Deum, & ipsi
 erunt mihi in populum. Et non docebit vnusquisq;
 proximū suum, & vnusquisque fratrem suū, dicens:
 Cognosce Dominū, quia omnes cognoscent me à
 pusillo eorū vsque ad magnū, quia propitiusero ini-
 quitatibus eorū, & peccatorum eorum memor non
 ero. Et dabo illis viam alteram, & cor aliud, vt me
 timeant omnes dies in bonum ipsis, & filiis eorum
 post eos, & constituam illis testamentū aeternum,
 quod non auertam post eos, & timorem meū dabo
 in cor eorū ne discedant à me, & visitabo eos vt bo-
 nos eos faciam. Per Esaiā quoque de gratia sua Do-
 minus, qua ex omnibus hominibus nouā creaturā
 facit, eadē prænunciat, dicens: Ecce faciā noua quæ
 nunc orientur, & cognosceatis ea, & faciā in deserto
 viam, & in sicca terra flumina. Benedicēt me bestia
 agri, Sirenæ & filia Struthionum, quod dederim in
 deserto aquam, & flumina in sicca terra ad potandū
 genus meum electum, populum meum quem mihi

Acquisiui, vt enarrent virtutes meas. Et iterum: Per
 me ipsum iuro, nisi exibat de ore meo iustitia, & ver-
 ba mea non auertentur, quia mihi flectetur omne
 genu, & cōfitebitur omnis lingua Deo. Si ergo im-
 possibile est ista non fieri, quia nec incerta præscien-
 tia Dei est, nec mutabile cōsiliū, nec inefficax vo-
 luntas, nec falsa promissio: omnes isti de quibus hæc
 prædicta sunt, sine cuiusquam exceptionē saluantur:
 Dat enim leges suas in sensum ipsorum, easque in
 cordibus eorum digito suo scribit, vt agnitionē Dei
 non doctrinæ humanæ opere, sed magisterio sum-
 mi eruditoris accipiant: quia neque qui plantat, ne-
 que qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat
 Deus. Omnes hi à pusillo vsque ad magnum cogno-
 scunt Deum, quia vt venirent ad Christum, à patre
 audierūt atq; didicerūt: omnes eduoti ab errore di-
 riguntur in viam vitæ, omnibus corde mutato recta
 sapere & recta velle donatur, omnibus timor quo in
 mandatis Dei erudiātur, inseritur. Fit in deserto via,
 & terra arida fluminibus irrigatur, vt qui prius ad
 confitendum Deum os non aperiebāt, & velut muta-
 ta atque irrationabilia animalia in feritatem trāsie-
 rant bestiarum, diuinorum eloquiorum fontibus
 mundati benedicant & laudent Deum, enarrantes
 virtutes & mirabilia misericordiæ eius qui elegit
 eos, & in filios adoptauit, ac noui testamenti fecit
 hæredes. Si autem (vt Apostolus loquitur) hominis
 confirmatum testamentum nemo spernit aut super-
 ordinat, quomodo fieri potest vt ex vlla parte diui-
 na promissio resoluatur? Manet prorsus & quotidie
 impletur quod Abrahæ Dominus sine conditione
 promisit, sine lege donauit: quia etsi quidam quibus
 hæc prædicata sunt, non crediderunt: incredulitas
 eorum fidem Dei non euacuauit. Est enim Deus ve-
 rax, omnis autem homo mēdax. Et illi quidem qui
 audito euangelio credere noluerunt, inexcusabilio-
 res facti sunt, quàm si nullum præconium veritatis
 audissent. Sed certū est eos apud præsciētiam Dei,
 Abrahæ filios non fuisse, nec in illorum sorte nu-
 meratos, de quibus dictum est: Benedicentur in se-
 mine tuo omnes tribus terre. Credituros enim pro-
 misit qui dixit: Et non docebit vnusquisque prox-
 mum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens:
 Cognosce Dominum, quia omnes cognoscent me
 à pusillo eorum vsque ad magnum. Reconciliandos
 promisit qui dixit: Propitius ero iniquitatibus eo-
 rum, & peccatorum eorum memor non ero. Obe-
 dituros promisit qui dixit: Dabo illis viam alteram,
 & cor aliud, vt timeant me omnes dies. Perseuera-
 turos promisit qui dixit: Timorem meum dabo in
 cor eorum, ne discedant à me: & visitabo eos, vt
 bonos eos faciam. Postremo omnes sine cuius-
 quam exceptione * promisit qui dixit: Per me
 ipsum iuro, nisi exibat de ore meo iustitia, & ver-
 ba mea nō auertentur, quia mihi flectetur omne ge-
 nu, & cōfitebitur omnis lingua Deo. Hic si dica-
 mus non fieri quod deus iurauit esse faciendū: falsi-
 tatem deo (quod absit) & mendacium adscribimus
 veritati. Si autem (vt pictas fidē que persuadent) dei
 verba nō excidunt, & fit omnino quod statuit, quo-
 modo nobis veracis promissionis firmitas appare-
 bit, cū multa adhuc hominū milia demoniis seruiāt,
 & idolis genu flectāt, nisi huiusmodi denūciationes

Esaiæ 45.

1. Cor. 3.

Hebr. 9.

Roman. 3.

Genes. 26.

Hier. 31.

Hebr. 8.

Ibidem.

Esaiæ 45.

* sibi obsequi-
turos, fortas-
sis, vide Ro-
man. 14.

Philip. 2.

Math. 24.

2. Cor. 5.

Coloss. 1.

Hebr. 1.

Psalms. 2.

Iohan. 12.

Esai. 40.

Esai. 66.

Ioch. 2.

Psalms. 144.

Iohan. 3.

Philip. 2.

Psalms. 13.

1. Cor. 1.

Dei secundum illam incommutabilem scientiā editas nouerimus, in qua apud illū iam vniuersitas humana discreta est, & siue de bonis siue de malis loquatur, ita vnius partis meminit, quasi neminē hominum prætermittat? Nā cum dicit Apostolus: Vetera trāserunt, ecce facta sunt omnia noua: nunquid non omnes homines videtur dixisse renouatos? Aut cum dicit: Quia in ipso cōplacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipsum reconciliari omnia in ipso: nunquid non ita loquitur quasi neminem velit exortē huius reconciliationis intelligi? Aut cum ait: Nouissimis istis diebus locutus est nobis in filio, quem constituit heredem vniuersorum: nunquid aliud sonat forma sententiæ, quàm omnes homines in Christi hæreditate à parte esse transcriptos, secundum prophetiā Dauid dicentis: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuā terminos terræ? Dicēte enim Domino: Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me: nōne vniuersorum videtur promissa conuersio? Aut cum de ecclesia prophetatur & dicitur: Omnis vallis replebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erūt praua in directa, & aspera in vias planas: nūquid vltus hominum videtur omissus, qui non significatus sit Christo esse subdendus? Quid cum dicitur: Et veniet omnis caro in conspectu meo vt adorent in Hierusalem, dicit Dominus: Aut illud: Et erit in diebus illis, Effundam de spiritu meo super omnē carnem: Aut illud: Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: Nunquid non ita pronunciatum est, quasi ab hoc Dei munere nemo discretus sit? Habet ergo populus Dei plenitudinem suā, & quamuis magna pars hominū, saluantis gratiā aut repellat aut negligat, in electis tamen & præscitis, atque ab omnium generalitate discretis, specialis quædā censetur vniuersitas, vt de toto mūdo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur assumpti: sicut etiā cū de impiis sermo est ita locutionē suā diuinus stylus ordinat, vt ea quæ de quadā parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur: veluti est illud quod ait Ioānes Baptista: Qui de cælo venit, super omnes est: quod vidit & audiuit, testificatur, & testimoniū eius nemo accipit. Aut illud Apostoli: Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Aut illud quod psalmus Dauidicus canit: Dominus de cælo prospexit super filios hominū, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonū, nō est vsque ad vnū. His igitur & aliis documentis, quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, nō dubiè demonstratur interdū & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mūdi totum mundum, & pro parte hominū omnes homines nominari, quorum tamen discretionem plerumque scriptura citō aperit, vt sensus legentis ab vniuersitatis appellatione ad partem quæ intelligēda est transferatur: sicut est illud Apostoli dicētis: Prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis verò vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Nunquid ipsis Christus virtus quibus scandalum, aut ipsis sapientia quibus stultitia? Sed quoniam

quidam ex eisdem iustificabuntur fide, quidam autem sua impietate obdurabuntur: vnum credentiū & non credentium genus sub vocatorum appellatione discreuit, vt quos à fide significabat alienos, eos quamuis audissent euangelium, ostenderet vocationis extraneos. Hac regula per Esaiam promittit sermo diuinus, dicens: Educam cæcos in viam quam non nouerunt, & semitas quas nesciunt calcabunt: & faciā illis tenebras illucescere, & praua in directum. Hæc verba faciā, & non derelinquam eos. Sed quod sequitur, Ipsi autē cōuersi sunt retrò: ad partem quandā generis ipsorum referendum est, non ad eos de quibus ait: Non derelinquā eos. Iterum dicit Dominus ad Iacob: Noli metuerere, quia tecum sum. Ab Oriente adducam semē tuum, & ab Occasu colligā te. Dicam A quiloni, adduc: & Africo, noli vetare, adduc filios meos de terra longinqua, & filias meas à summo terræ: omnes in quibus vocatum est nomen meum. In gloriam enim meam parauit illum, & finxi & feci illum. Quod autem sequitur: Et produxi plebem cæcā, & oculi eorū sunt cæci, & surdas aures habent: non potest eis vlla ratione cōgruere, quos in gloriā suam parasse se dicit. In iis quippe omnibus verbis quæ de vno hominū genere dicuntur, aliis personis priora, aliis posteriora conueniunt. Apud Apostolum quoque quod in parte populi agitur, sub totius populi nuncupatione narratur, & in reliquis plenitudo censetur. Cum enim de Iudæorum obcæcatione differeret, & quosdam ex ipsis gratia saluos fieri demonstraret, Dico ergo, inquit, nunquid repulit Deus populum suum? Absit. Nā & ego Israëlita sum ex semine Abrahamæ tribu Benjamin: non repulit Deus plebem suā quā præsciuit. Plebs ergo præscita, plebs non repulsa, ij sunt qui in Christo iustificati sunt. Et quod de omni Israële dici videtur, in iis tantum quos sibi gratiæ electio reliquos fecit, ostenditur, sicut sequētia apostolici sermonis enarrāt. Adiungit enim & dicit: An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quem admodū interpellat Deum aduersus Israël? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus; & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorū, qui non curuauerunt genu Baal. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionē gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Non ergo omnis Israël reprobatus, nec omnis electus est, sed partem cæcitas voluntaria auertit, partem sibi illuminatio gratuita referuauit, & tamen ita de eis sermo habetur, vt & in iis qui pereunt, & in iis qui salui sunt, nulla totius generis videatur facta discretio. Nam cum legitur: Secundum euangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem dilecti propter patres: ita locutio sonat, tanquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apostolus ipse deterisit dicendo: Quia cæcitas ex parte in Israël contigit: vt vnum genus in duas species intelligeremus esse diuisum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israëlem, non semper ad vniuersitatem, sed plerumque ad partem esse referendū. Inter has autem formulas locutionum, etiam illā in scripturis

Esai. 42.

Esai. 43.

Roman. 11.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

1. Petr. 2.

1. Tim. 2.

pturis dictionem debemus aduertere, qua id quod ad diuersorum tēporum homines pertinet, ita promittitur, quasi de vna eiusdē ætatis generatione dicatur, sicut est quod sanctus Petrus Apostolus scribens sui & futuri temporis gentibus ait: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, qui aliquādo non populus, nunc autē populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Nunquid cum prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanebāt, quos omnes Deus in præteritis generationibus dimiserat ingredi vias suas, & iidem ipsi qui prius traditi fuerant voluntatibus suis, nunc de tenebris in lumen admirabile vocabantur? Nonne illi iam defecerant, iā in hoc mundo non erant, nec ab errore ad veritatem reditus olim mortuis suppetebat? Et tamen quod post multa secula gratia in posteris impiorum sit, loquendi cōsuetudo perstrinxit, vt ipsi videantur nūc eligi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autē hæc non ad eosdem homines, sed ad eiusdem gentis homines: & vocatio quæ illuxit prope mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem. Ita modo quodam & ipsi & non ipsi sunt, de quibus & quibus ista dicuntur, dum in aliquo speciali à generalibus non diuiduntur, in aliquo verò à cōmunibus separantur.

De solutione calumnie obiectionis qua quidam dicunt auctorem per superius dicta contradicere Apostolo desinienti quod Deus velit omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et quod profunditas diuinorum mysteriorum atque iudiciorum à nobis non sit perquirēda.

CAP. IIII.

SED cum legerint hæc vel audierint qui amant Scalumiosa certamina, dicent nos per huiusmodi disputationes Apostolo contradicere desinienti, quod Deus omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quam particulam verborum Apostoli ita nos integrè plenèque suscipimus, vt nihil ei de præcedentibus siue subiectis quæ ad ipsam pertinent subtrahamus: quoniam vt cætera diuinorū eloquiorū testimonia sequestremus, hic locus sufficit ad euacuandum quod calumniōse obiciunt, & ad defendendum quod impiè diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum Paulus Apostolus ait: Obsecro igitur primò omnium, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarū actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonū est & acceptum corā salutari nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionē veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. De hac ergo doctrinæ apostolicæ regula qua ecclesia vniuersalis imbuitur, ne in diuersum intellectū nostro euagemur arbitrio, quid in ipsa vniuersalis ecclesia sentiat requiramus: quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obedientia concordat in studio. Præcepit itaque Apostolus, imò per Apostolum Dominus

qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro iis qui in sublimitate sunt. Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi sit in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo vbique ecclesia Deo non solum pro sanctis & in Christo iā regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudæis quorum cæcitati lumē Euangeliij non resulget, pro hæreticis & schismaticis qui ab vnitatis fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi vt relictis erroribus suis conuertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantie tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt malæ consuetudinis pondere oppressi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas euincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, vt quātum amanda est veritas, tantum diligent falsitatem: misericors & iustus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari: vt cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse quod vt præstaret oratus est: & gratias agentes pro iis qui salui facti sunt, speremus etiam eos qui nondum illuminati sunt, eodē diuinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, vt in regnū Dei priusquam de hac vita exeant transferantur. Quod si aliquos, sicut videmus accidere, saluantis gratia præterierit, & pro eis oratio ecclesiæ recepta nō fuerit: ad occulta diuinæ iustitiæ iudicia referendum, & agnoscendum est secreti huius profunditatem nobis in hac vita patere non posse. Ex parte enim sci-

1. Cor. 13.

Roman. 11.

Esai. 59.

F

biles vię eius. Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen.

Cur anterioribus seculis dimissa sint omnes gentes ingredi vias suas, vno tantum Israele excepto, & ad cognitionem veritatis electo. Et quare Deus vni homini det gratiam, alteri autem denegat. CAP. V.

Premissa enim docentis assertio locū dabat multitudine quęstioni, vt variatę per tot populos ac tempora gratię Dei causā quęreretur: cur scilicet anterioribus seculis dimissę essent omnes gentes ingredi vias suas, vno tātū Israele, qui diuinis eloquiis erudiretur, excepto, & ad cognitionem veritatis electo, cuius infidelitas locum tandem saluandis gentibus fecerit: tanquam si vnus populus in fide sui generis permaneret, misericordia Dei cęteris se nationibus prestare non posset. Cur denique ipsi quorum diminutio salus gentibus est, ab obcęcatione sua non liberentur priusquām ingrediatur gentium plenitudo: quasi illuminari cum omnibus nequeāt, qui omnes facta omnium gentium adoptione saluandi sunt. Aut quomodo omnis Israel sublata obcęcatione saluandus sit, cuius innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens, ad tempora saluandis promissa non peruenit. Vel quomodo ipsarum gentium, quarū prius non est facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo, cum tanta promiscuę ætatis & cōditionis hominum milia in omnibus nationibus quę sunt sub cęlo, sine Christi iustificatione moriantur. Sed horum mysteriorum iudiciorūq; causas pius & doctus magister maluit ad altitudinē diuitiarum sapientię Dei scientięquę suspendere, quām iustissimę veritatis & misericordissimę bonitatis subtrahere ab humana cognitione secretum temeraria inquisitione discutere, nihil omittens de iis quę non oportet ignorari, nihil contrectans de iis quę non licet sciri. Multa enim sunt in dispensatione operum diuinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus, vt cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione subducta, vt in eadem re & de inscrutabilibus pręsumptio cōprimatur, & de manifestis falsitas refutetur. Neque enim si nescio cur ille Gręcus creetur, hic barbarus, iste in diuitiis, ille in egestate nascatur, hunc valida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debiliū mēbrorum exilitas contracta deformet, iste à catholicis editus in veritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies cum ipso lacte matris hauriat virus erroris, si denique mille alias differentias in habitu corporum, in qualitibus animorum, in cōditione temporum, in more regionum diiudicare non possum: ideo quod omnium horum Deus sit conditor atque ordinator, ignoro. Qui vtique singulorum hominum ita & corpora creauit & spiritus, vt præter illam securam ex vniuscuiusque studio voluntariā diuersitatem, ipsa conditionis exordia dissimillima numerositate variaret. Turbarent autem nos & in diuersum distraherent multę vani-

Rem. 11.

loquiorum opiniones, qui de incognoscibilibus deuenire in inconuenientia pręsumperunt, & has originales inæqualitates fati, quę nulla sunt, & syderibus deputarunt, nisi certissima notitia teneremus Deum creatorem de elementis naturalibus prout vult vas vnumquodque formare, & vnam naturam animarum, vnam naturam corporum placitis sibi temperare mensuris. Quę vtique opera Dei humanę intelligentię cognoscibilia essent si innotescere debuissent, & manifestaretur cur ita quidque fieret, nisi quod ita fieret, scire sufficeret. Dicit Dominus ad Moysen: Quis dedit os homini, & quis fecit mutum & non audientem, videntem & cęcum? Nonne ego Dominus Deus? Et per Esaia: Nonne ego fecundum & sterile feci? dicit Dominus. In libro Ecclesiastico legitur: Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Et Job dicit: Abundant tabernacula prędonū, & audacter prouocant Deū, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Et idem de omniū rerum humanarū profectu & defectu disputans, omnesque mutationes ad iudicia Dei referens. Apud ipsum est, inquit, sapientię & fortitudo, ipse habet consiliū & intelligētiā. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si inluserit hominem, nullus est qui aperiat: si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si emiserit eas, subuertent terrā. Apud ipsum est fortitudo & sapientiā, ipse nouit & decipiente, & eum qui decipitur: adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Baltheum regum dissoluit, & pręcingit fune renes eorum: ducit sacerdotes ingloriosos, & optimates supplantat, cōmutans labium veracium, & doctrinam fenum auferēs, effundens despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuans: qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbra mortis: qui multiplicat gentes, & perdet eas, & subuersas in integrum restituet. Qui immutat cor principum terrę, & decipit eos, vt frustra incedant per inuiū: palpabunt quasi in tenebris, & nō in luce, & errare eos faciet quasi ebrios. Et iterum idem dicens voluntatem Dei irritam esse non posse: Ipse enim, inquit, solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius, & anima eius, quodcunque voluerit, hoc fiet. Liberatur pars hominū parte pereūte. Et si hoc voluntatum meritis velimus adscribere, vt malos neglexisse gratia, bonos autem elegisse videatur: resistet nobis innumerabilium causa populorum, quibus per tot secula nulla cęlestis doctrinę annuntiatio coruscavit, nec meliores fuisse eorum posteros possumus dicere, de quibus scriptū est: Gentium populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & sedētib; in tenebris & vmbra mortis lux orta est illis. Et ad quos Apostolus Petrus dicit: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in tam admirabile lumen suum, qui quondā non populus, nunc autem populus Dei, quorū aliquando non est miserus, nunc autem miseretur. Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere maiores: par enim impietas & patres accusabat & filios, eadēque ignorantię cęcitas omnes simul in eosdem mergebat errores. Sed cur illorum non miserus & horum miserus sit Deus: quę

Exod. 3.

Ecclef. 11.

Job 12.

Ibidem.

Job 23.

Esaia 9.

1. Petr. 2.

quę scientia comprehendere, quę potest inuestigare sapientiā: Latet discretionis ista ratio, sed non latet ipsa discretio. Non intelligimus iudicantem, sed videmus operantem. Quid calumniantur iustitię occultę, qui gratias debemus misericordię manifestę? Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum est nescire quod regitur. Respice autem & ad vniuersalem multitudinem paruulorum, in quibus excepto quo in damnationem nascitur gens humana delicto, nec præterita possunt merita nec futura censerī. Omnes enim de quibus nunc loquimur, ante vllum intelligentię vsū, ante liberum voluntatis arbitrium, alij ad æternam beatitudinem regenerati, alij ad perpetuam miseriam transeunt non renati. Si originale culpam fateris, omnis numerus in reatu est: si moralem innocentiam quęris, omnis summa sine vitio est. Non inuenit quod discernat humana iustitia, sed habet quod eligat inenarrabilis gratia dei. In abscondito est consiliū, sed non latet donū: opus exerit pietas, causam obscurat potestas. Sed tam indubitabile est quod non videtur, quām quod videtur: quia authori manifesti operis negari confessio etiā incognitę non potest equitatis. Quod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitę fine renouantur, & sine vlllo suffragio bonorum operum in regni cęlestis consortium transferuntur: quo intellectu diuinum iudicium comprehendes, nisi vt indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera: & sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quę possint gratię arcerē donum, ita nulla posse tam præclara opera existere, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur? Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi, nec misericordię Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio quę fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, sed merces esset operantis. Vnde autem posset probari quod ad euacuandum originale peccatum nulla idonea esset industria, nisi & impij & facinorosi per lauacrū Christi assumerentur in regnum, agnoscerentque qui in sua iustitia gloriantur, quām nihil dignum agere possint adoptione filiorum Dei si ad regenerationis non peruenirent sacramentum: cum eadem qua scēlestissimi peccatores conditione teneātur, pares futuri in sanctificatione, si affuerit regeneratio, simul perituri si cessauerit ablutio? Si ergo etiā ex nequissimis in ipso vitę exitu gratia inuenit quos adoptet, cum tamen multi etiam qui minus nocentes videntur, doni huius alieni sint: quis hoc aut sine dispensatione Dei fieri, aut sine profunda dicat æquitate decerni? Quod vtique non ideo iniquum est, quia occultū est: sed ideo æquum est, quia iudicium Dei esse non dubium est. Quod enim ab illius pendet arbitrio: qua sententia iudicari debeat, priusquam iudicetur incertum est. Cum autem res ad finem suum venerit, nemini liberum est de exitu conqueri, quia certissimum est nihil aliter Deum facere debuisse quām fecerit. Qui multimodę vocationis varietatē ad vnam gratiam pertinentem, etiam illa regula euangelicę comparisonis adstruxit, qua ostendit patrefamilias diuerso tempore conducentem o-

perarios vineę sub pactione denarij, quo vitę æternę significatur æqualitas, vbi sine dubio hora vndecima intromissi in vineam totius diei operariis exæquati, istorum de quibus nunc loquimur, præferunt sortem, quos ad commendandam gratię excellentiam in defectu diei & conclusione vitę diuina indulgentia numerauit, non labori precium soluens, sed diuitias bonitatis suę in eos quos sine operibus eligit, effundens: vt etiam ij qui in multo labore sudarunt, nec amplius quām nouissimi acceperunt, intelligant donum se gratię, non operum accepisse mercedem. Vnde si & nos aduersum patrefamilias murmuremus, eo quod nouissimē vocari totius diei operariis coęquentur, nec amplius multa opera quām pene nulla mereantur: dicitur nobis quod vni eorum responsum est: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi de re mea facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Certē huic calumniatori iniusta videbatur hæc largitas, & quid cruditionis retulit? quid rationis accepit? Non est ei dispensationis huius reuelata iustitia, nec ad inspectionem secreti latentis admissus est: sed vt à discutiendis Dei iudiciis abstineret, opposita est ei bonitas miserantis, & volentis potestas, quasi illi & ab Apostolo diceretur: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic? Omnibus ergo hominibus cuiuslibet generis, cuiuslibet conditionis & ætatis causa percipiendę gratię voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est, ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere sine meritis. Quę si possent bona esse sine gratia, non diceretur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cęlorum: & Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Sed diceretur: Nisi quis fuerit iustus & bonus, beatus in æternum esse non poterit. Nec opus esset per aquam & spiritum renasci, si per mandatū sufficeret erudiri. Et euacuaretur fides, quę credit per baptismum omnia peccata dimitti, si gratia non malis & impiis, sed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaque verę vitę veręque iustitię in regenerationis est posita sacramento, vt vbi homo renascitur, ibi etiam ipsarum virtutum veritas oriatur. Et incipiūt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanę laudis poterant peruenire mercedem. Sive enim Iudęus legis scientia tumens, siue Gręcus studio sapientię naturalis inflatus, priusquam iustificetur per fidem Christi, conclusus est sub peccato: & si in sua infelicitate perstiterit, ira Dei manet super eum, illa scilicet in Adę præuacatione contracta, de qua Apostolus loquitur, dicens: Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundū principem potestatis æris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentię, in quibus & nos aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostrę, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij irę, sicut & cęteri. Et iterum: Qui eratis illi

Math. 20.

Rem. 9.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Ioan. 3.

Ephes. 2.

Ephes. 5.
Colos. 1.

Ad Tit. 3.

tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israëli, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in mundo. Et iterum: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Et iterum: Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris, & potestate tenebrarum, & transfudit in regnum filij dilectionis suæ. Et iterum: Eramus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, audientes inuicem. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Qualis sit natura humana sine gratia. CAP. VI.

Iuda 1.

Lucæ 1.

Ioan. 11.

Math. 23.

Ioan. 3.

ET vt breuissime pateat qualis sit natura humana sine gratia, dicat Iudas Apostolus quid agat vel ignorantia imperitorum, vel doctrina sapientium. Hi autem, inquit, quæcunque quidem ignorant, blasphemant: quæcunque autem naturaliter vt muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Dicat etiam sub verbis Zachariæ euangelista Lucas, ante illuminationem gratiæ in qua humanum genus nocte versetur, & de quibus ignorantia tenebris Dei populus eruatur: Et tu, inquit, puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis populo eius in remissionem peccatorum ipsorum, propter viscera misericordiæ Domini, in quibus visitauit nos oriens ex alto, lucere iis qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Hæc autem viscera misericordiæ Dominus non ad vnius tantum populi redemptionem, sed omnium nationum impendit salutem, dicente euangelista: Quia Iesus moriturus erat pro gente, non tantum pro gēte, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum. Hoc enim agit illa vox Domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe resonantem, omnes homines & inuitat, & conuenit. Nam cum dixisset: Confitebor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: Ita pater, quoniam sic beneplacitum est ante te, addidit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo: & nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et deinde adiecit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue est. Ioannes verò baptista in euangelio Ioannis prophético spiritu protestatur, dicens: Qui de cœlo venit, super omnes est: quod vidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui accepit testimonium eius, signauit, quoniam Deus verax est. Igitur quantum attinet ad humani generis cæci-

gatem longa ignorantia & superbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum creator mundi, & mundus cum non cognouit. Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui super omnes est, quod vidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Sed quia non frustra Deus Dei filius venit in mundum, & dedit semetipsum pro omnibus, mortuusque est non tantum pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum, & vniuersis dicit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & seruato sibi incognoscibili electionis arbitrio, dat sui patrisque notitiam quibus eam voluerit reuelare: omnes filij lucis, filij promissionis, filij Abraham, filij Dei, genus electum, regale sacerdotium, veri Israëlitæ, præcogniti & præordinati in regnum Dei, qui eos vocauit non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus: testimonium eius qui de cœlo venit accipiunt, significantes quia Deus verax est, id est, expressè significantes in sui saluatione quoniam Deus verax est, implens & perficiens quod promisit Abraham omnium gentium patri: qui pollicente Deo quod hæres futurus esset mundi, non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens quoniam quod promisit, potens est & facere. Quis autè tam alienus est à fide Abraham, quis tam degener ab vniuersarum gentium patre, qui promissionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promisit, dicat impleri? Ille quidem crit mendax, Deus autem est verax. Et omnis qui accipit testimonium eius, hoc signat, hoc indicat, quod per lucem illuminantem factus est vidēs, factus est obediens, factus est intelligens, sicut Ioannes euangelista testatur dicens: Scimus quia mundus totus in maligno positus est, & scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius.

Cur saluator omnium hominum non omnibus dedit hunc sensum, vt cognoscerent verum Deum. Cur etiam quidam paruuli salui fiant renati, alij pereant non renati.

CAP. VII.

SI verò quæritur cur saluator omnium hominum non omnibus dedit hunc sensum, vt cognoscerent verum Deum, & essent, id est, permanerent in vero filio eius: quamuis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam, de quo plenius in sequentibus differemus: tamen ita fortè hoc velatum sit, sicut illud absconditum est, cur antea omnibus gentibus prætermisissis, vnum populum sibi quem ad veritatis cognitionem erudiret exceperit: de quo iudicio Dei si non est conquerendum: multò minus de hoc quod cum electione omnium gentium geritur, murmurandum est. Quæ enim Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inueniamur ingrati. Non autem ignoramus esse quosdam tam inconsideratè præsumptionis, & tam superbiæ arrogantia, vt quod præcipuus magister gentium non ab hominibus neque per hominem sed diuinitus eruditus, supra mensuram scientiæ suæ longè & altè

altè remotum esse confessus est, audeant falsi nominis temerare doctrina, & nihil illic occultum, nihil velint esse secretum, vbi apostolus non quid sentiendum esset aperuit, sed quid non scrutandum esset, ostendit. Nullis etenim (quod supra iam diximus) studiis, nullis ingenijs indagare concessum est quo iudicio quòve consilio Deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter iustus, semper præcius, semper omnipotens, ideo omnia in incredulitate concluderit, vt omnium miseretur, & tamen illis seculis quibus vnum Israëlem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare distulerit, & nunc eundem Israëlem, donec vniuersitas gentium introeat, obcæcatum esse patitur, pereuntem in tot milibus nascentium atque morientium, & saluandū in eis quos mundi finis inuenerit. Quo mysterio toto scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum sit, quid fiat, quidue faciendum sit: sed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione subtractum est. Isti autem qui nescire aliquid erubescunt, & per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretionem qua Deus alios eligit, aliosque non eligit, (multi enim sunt vocati, pauci autè electi) ad merita humanæ referunt voluntatis, docentes scilicet neminem gratis, sed ex retributione saluari, quia naturaliter omnibus sit insitum, vt si velint, possint veritatis esse particeps, eisque affluere gratiã à quibus fuerit expetita. Quæ definitio, vt interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam ostentare ratiunculam qui libero vtuntur arbitrio. De paruulis verò quibus sine vlllo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus causa communis est, nihil potest expositionis afferri qua doceatur cur isti salui fiant renati, illi pereant non renati, sub illius prouidentia & omnipotentia in cuius manu est anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis, & cui dicitur: Breues dies hominis sunt, numerus dierum eius apud te est. Nō autem puto istos voluntatum patronos, simplicitate illorum tam impudenter vsuros, vt aut fortuito ista dicant accidere, aut non renatos asserant non perire. Apertè enim aut cum paganis conuincerentur sentire de fato, aut cum Pelagianis transfusum in posteros Adæ negare peccatum. Fato autem non baptizari paruulos nec Pelagiani potuerunt dicere, sed quia eos liberos à peccato ausi sunt profiteri, meruere damnari. Cùm autem de discretionem omnium hominum quæstio ventiletur, & ab omnibus hominibus paruuli nequeant separari, simulque de totius ætatis hominibus veritas dixerit: Filius hominis venit quærere & saluare quod perierat. Frustra profunditatem inscrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire qui causam electionis in eorum constituunt meritis qui eliguntur. Et cùm multa de maiorum voluntate ac iudicio inepta & falsa protulerint, in paruulorum tamen discretionem deficiunt, nec possunt de eius quæstionis ratione reddita gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expeditur. Multiformitas autem & magnitudo diuinæ gratiæ probat istos contra veritatem etiam quod de maiorum voluntatibus loquuntur, astruere, eorumque persuasione di-

uinorum eloquiorum testimonia repugnare. Quæ si omnia sermoni nostro velimus annectere, modus non erit differendo. Quæ tamen si se recordationi offerunt, non omittentur, vt quantum satis est, manifestetur omne hominis bonum meritum ab initio fide vsque ad perseverantiæ consummationem donum atque opus esse diuinum.

Fides unde nascatur, & unde acquiratur. CAP. VIII.

Igitur fides quæ bonæ voluntatis & iustæ actionis est genitrix, quo ipsa fonte nascatur, apostolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens: Primum quidè gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annūciatur in vniuerso mūdo. Ad Ephesios quoque scribens: Propterea, inquit, & ego audita fide vestra quæ est in Domino Iesu, & dilectione in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciēs in orationibus meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis. De fide etiam Colossensium similiter gratias agens: Gratias agimus, inquit, Deo & patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cœlis. Et vt alia bona ab eodem bonorum authore percipiant, quid pro eis oret enarrans: Ideo, inquit, & nos ex qua die audiuius, non cessamus pro vobis orantes & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia & intellectu spiritali, vt ambuletis dignè Deo placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia Dei, in virtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni patientia & longanimitate cum gaudio. Item ad Thessalonicenses, qui spiritu fidei dilectionisque scruebant: Gratias agimus, inquit, Deo semper pro omnibus vobis, memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ & laboris & charitatis & sustententiæ spei Domini nostri Iesu Christi ante Deum & patrem nostrum. Et infra, Ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditu Dei, accepistis non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei qui operatur in vobis qui credidistis. Potuitne plenius aut euidentiùs demonstrari Dei esse donum credentium fidem, quam vt ideo agerentur gratiæ Deo, quoniam ij quibus verbum Dei per homines prædicabatur, non quasi de hominum sermone dubitarunt, sed tanquam Deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipsis est operatus vt crederent? In secunda quoque ad eosdem Thessalonicenses epistola de fide in Christo proficientium ita Apostolus loquitur: Gratias agere debemus Deo semper pro vobis fratres, ita vt dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrum in inuicem, ita vt & nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesijs Dei pro patientia vestra &

fide in omnibus persecutionibus vestris & tribulationibus quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Petrus quoque apostolus ex Deo haberi fidem prædicans, ita scribit: Scientes quod nõ corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana conuersatione vestra paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu, præcogniti quidem ante constitutionem mûdi, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos qui per ipsum fideles estis in Deum, qui suscitauit eum a mortuis, & gloriam ei dedit, vt fides vestra & spes esset in Domino. Item idem in secunda epistola de fidei perceptione sic loquitur: Simon Petrus seruus & apostolus Iesu Christi, iis qui coæqualem nobis adepti sunt fidem per iustitiam Domini & saluatoris Iesu Christi. Vnde autem habeatur spiritus fidei, Ioannes apostolus manifestissimè docet dicens: Omnis spiritus qui cõfiteretur Iesum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus. Item dicit ab eo recipi euangelium, in quo est spiritus veritatis. Nos, inquit, ex Deo sumus, qui nouit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non nos audit. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, & spiritum erroris. Item in actibus apostolorum Petrus apostolus fidem esse per Dominum Iesum pronuncians: Hunc inquit, quem videtis & nostis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum est dedit integram sanitatem, istam in conspectu omnium vestrum. De fide quoque Lydia, cuius inter alias mulieres quæ euangelium pariter audiebant, Dominus cor aperuit, ita in eadem narratur historia. Die autem sabbatorum egressi sumus extra portam iuxta flumen, vbi videbatur esse oratio, & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant: & quædam mulier Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit, cuius Dominus cor aperuit vt intenderet iis quæ dicebantur à Paulo. Non autem ex humana sapientia esse fidem, sed ex inspiratione diuina, ipsius veritatis voce firmatur. Dicente enim Domino ad discipulos suos: Vos autem quem me esse dicitis? respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Paulus verò apostolus hanc ipsam fidem secundum mensuram dari pro arbitrio largientisita prædicat: Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatē, sicut vniciquem diuisit Deus mensuram fidei. Item idem vnitate reætæ fidei, & consensionem in honorem Dei à Deo esse commendans: Deus autem, inquit, patientiæ & consolationis det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, vt vnanimis vno ore honorificetis Deum & patrem Domini nostri Iesu Christi. Et infra: Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis spe in virtute Spiritus sancti. Quo testimonio non solum fides, sed etiam gaudium & pax, & abundantia spei docentur nisi in virtute sancti Spiritus non haberi.

i. Pet. i.

2. Pet. i.

Ioan. 4.

Act. 3.

ibidem 16.

Matth. 16.

Rom. 12.

Rom. 15.

Ad Ephesios verò scribens Apostolus de diuitiis gratiæ pro malis bona retribuētis, & de fide quæ non ex nobis, ex Dei dono habetur, hæc loquitur: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam suam charitatem qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia salui facti sumus, & correfuscitauit & confidere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Proprium ergo hoc habet noua creatura per gratiam, vt qui figmentum Dei sunt, qui natiuitate cœlesti conduntur in Christo, non ocio torpeant, nec desidia resoluantur, sed de virtute in virtutem proficiant, per viam bonorum operum ambulando, hoc est enim fingi, hoc de veteri creatura nouam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœlestis hominis reformari, quod totum siue palam per cooperatores gratiæ, siue occultè per subministrationem spiritus, ille inchoat, ille auget & perficit, cuius agricultura, cuius ædificatio, & cuius figmentum sumus.

Quod à Domino Deo omnia virtutum dona dirigantur & disponantur. Et quòd omnia in manu eius sint. Quòdque Deus sit author omnis boni. CAP. IX.

A Bundè, quantum arbitror, his testimoniis (quæ uis & alia documenta aggregari potuerint) demonstratum est, fidem qua iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui, sed ad hoc donari, vt principium possit esse meritorum: vt cum ipsa data fuerit, non petita, ipsius iam petitionibus bona cætera consequantur. Vnde itaque quædam de plurimis assumenda sunt testimonia, quæ in diuersitate donorum ostendant gratiæ largitatem. Ex Deo utique esse, vt homo viam Dei eligat, & vt surgat, à lapsu, psalmus Dauidicus canit, dicens: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Item idem quod duce Deo veniatur ad Deum: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Item quod in Domino sit hominis fortitudo, & Dei voluntas præueniat liberandū. Fortitudinē, inquit, meam ad te custodiā, quia Deus susceptor meus, Deus meus, volūtas eius præueniet me. In prouerbis quoque legitur de sapientia & intellectu: Quoniā Dominus dat sapiētiam, & à facie eius scientia & intellectus. Item in eodem libro de dispensationibus sapientiæ Dei, sine qua nullæ rectæ sunt actiones, ita dicitur: Meum consilium & mea tutela: ego prudentia, mea autem virtus. Per me reges regnant, & tyranni per me obtinent terram. Item alibi, quòd nemo possit rectè incedere nisi Domino dirigente: A Domino corriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelligit vias suas? Item alibi: Omnis vir videtur sibi iustus, dirigit autem corda Dominus. Et infra: Præparatur voluntas à Domino. Item ibidem de cogitatione

Eccles. 2.

Ephes. 2.

Eccles. 8.

sapient. 7.

ibidem 8.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

Eccles. 1.

Esai. 33.

Psalm. 36.

Psalm. 40.

Psalm. 38.

Psalm. 11.

Psalm. 38.

Psalm. 38.

Psalm. 38.

Psalm. 38.

Psalm. 38.

Psalm. 38.

Psalm. 38.

tionem atque consilio: Multæ cogitationes in corde viri, cõsiliū autem Domini obtinet. In libro verò Ecclesiastæ dicitur quod & habere necessaria, & eis bene vti, donum sit Dei. Nõ est, inquit, bonum homini nisi quod manducat & bibit, & ostendit animæ suæ bonum in labore suo. Et quidem hæc vidi ego, quia à manu Dei est. Quoniam quis manducabit aut pascet absque illo? Item in eodem libro legitur quod corda & opera iustorum in manu sint Dei, & tantum in studiis suis proficiant, quantum ille donauerit. Quantumcunque laborauerit homo vt quærat, non inueniet: & quodcunque dixerit sapiēs vt sciat, non poterit inuenire: quia vniuersum hoc dedit in cor meum, & cor meum vniuersum hoc vidit, quia & iusti, & sapientes & operationes eorum in manu Dei: In libro autem sapientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: Quoniam ipse & sapientiæ dux est, & sapientium emendator: in manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientiæ & operum scientia & disciplinæ. De continentia quoque quod ex Dei habeatur munere, eadem scriptura sic loquitur: Vt sciu quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ scire, cuius esset hoc donum. Cui sententiæ Pauli apostoli doctrina concordat in prima ad Corinthios hæc scribentis: Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed vnusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. Dominus verò in euangelio secundum Matthæum hæc de continentia dono insinuasse narratur. Dicentibus nanque discipulis suis: Si ita est causa viri cum vxore, non expedit nubere: dicit illis Iesus: Nõ omnes capiunt verbum istud: sed quibus datum est à patre meo. De timore Dei & sapientiæ ita in Ecclesiastico legitur: Corona sapientiæ timor Domini: vtraque autem dona sunt Dei. Item de eodem: Timor Domini super omnia se superposuit: beatus cui donatum est habere timorem Domini. Esaias quoque de diuitiis spiritalibus, quarum author est Dominus, ita loquitur: In thesauris salus nostra aduenit: sapientia, & pietas, & disciplina à Domino, hi sunt thesauri iustitiæ. Item de altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius bonitas nullius merito præuenitur, hæc dicit: Qui mensus est manu aqua, & cœlum palmo, & vniuersam terram pugillo, qui statuit montes in libra, & rupes in statera. Quis cognouit sensum Domini, aut quis eius fuit consiliarius, qui instruat eum, aut quem consuluit, & instruxit eum, vel quis ostendit ei iudicium, aut viam prudentiæ quis ostendit ei, vel quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Vnde & in libro Iob secundum eundem sensum leguntur Domini verba, dicentis: Quis ante dedit mihi, vt retribuam illi? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Hieremias verò quod à Deo sit homini recta sapientia, sic profatur: Scio Domine quia non est in homine via eius, nec viri est vt dirigat iter suum. Item quod ad Deum conuersio cordis ex Deo sit, per ipsum Dominum protestatur & dicit: Restituam illos in terram istam, & reedificabo & non destruaam, & plantabo eos, & non euellam, & dabo illis cor vt sciant me, quia ego sum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum, quia conuertentur ad me ex toto corde suo.

Item idem prædicans quod vt Deus cognoscatur, ex Deo fit: Et sciēt, inquit, quia ego Dominus Deus illorum: & dabo illis cor cognoscendi me, & aures audiendi. Quod autem omne verbum bonum & omne opus sanctum sumministratio sit Spiritus sancti, sine quo nihil rectè agatur, in prima ad Corinthios Paulus apostolus docet, dicens: Ideo notū vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere Dominū Iesum nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministratorum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum: datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitarum in vno spiritu, alij prophetatio, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Tantum verò vnumquemque habere gratiæ, quantum Dominus donauerit, idem Apostolus ad Ephesios ait: Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnes est, & super omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: propter quod dicit: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Item idem in secunda ad Corinthios dicit, quod ne ad cogitandum quidem quod spirituale est, idonei simus nisi per gratiam Dei. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis quasi ex nobismetipsis, sed iusticia nobis ex Deo est, qui & idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Et iterum in eadem epistola docens bonorum operum effectum & sufficientiam à Dei gratia ministrari: Potens est autem, inquit, Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus per omnia sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Qui autem ministrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & auget incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem. Ad Ephesios verò scribēs Apostolus docet quòd omnia bona quibus placeatur Deo, dona sint Dei, & quod ab ipso peti oporteat, vt ea non habentibus tribuat. Huius rei, inquit, gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & firmati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum, super eminentem scientiæ charitatem Christi, vt inpleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

Ephes. 3.

2. Cor. 9.

2. Cor. 9.

Psalm. 111.

Ephes. 3.

qui potens est omnia facere superabundantius quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia, & in Christo Iesu, in omnia secula seculorum, amen. Omnis autem boni Deum esse authorem, cuius dona nec incerta sint nec mutabilia, sed ex aeterna voluntate venientia, Iacobus apostolus ita loquitur: Nolite errare fratres mei dilecti. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius. Cui & Zacharias propheta concinit, dicens: Saluabit Dominus in die illo sicut oves populum suum, quoniam lapides voluntur super terram ipsius: quia si quid bonum, ipsius est: & si quid optimum, ab ipso est. In euangelio vero secundum Matthaeum, quod scientiae & intellectus dona, sint Dei, quae quibus voluerit largiatur, ita dicitur: Tunc accedentes discipuli eius dixerunt: Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipse respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni caelorum, illis autem non est datum. Ioannes quoque euangelista pronunciat neminem aliquid boni habere nisi quod desursum acceperit, dicens: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo. In eiusdem vero euangelio doctrina est ipsius veritatis quod nemo veniat ad filium, nisi attractus a patre, quia venturum Deus & intelligentem & obedientem facit. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Scriptum est enim in prophetis: Et erunt omnes dociles Dei. Omnis qui audiuit a patre, & didicit, venit ad me. Et infra: Propter hoc dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a patre meo. In fide autem & in operibus bonis proficere ac perseuerare vsque in finem, muneris, atque auxilij esse diuini, sanctarum scripturarum confirmat autoritas. Etenim scribens Paulus apostolus Philippensibus ait: Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Huius autem testimonij virtutem quidam volens ad sui sensus prauitatem conuertere, ita quod dictum est, qui coepit in vobis, volebat intelligi, quasi dictum esse, qui coepit ex vobis: ut & initium & consummatio operis non ad Deum, sed ad hominem referretur, qui & incipere & perficere voluisset. Sed hanc insanissimam superbiam in eadem epistola excellentissimus gratiae praedicator elidit dicens: In nullo terreamini ab aduersariis, quae est illis causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc a Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini. Et iterum: Cum metu, inquit, & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Item in prima ad Thessalonicenses docet ex Deo esse principium & profectum consummationemque virtutum dicens: Ipse autem Deus, & pater noster, & Dominus Iesus dirigat viam nostram ad vos: vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in vos, ad confirmanda corda vestra sine quere-

Iacob. 1.

Zach. 9.

Matth. 13.

Ioan. 6.

Philipp. 1.

Philipp. 2.

1. Thess. 3.

la in sanctitate vitae ante Deum & patrem nostrum, in aduentu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Ad Corinthios quoque scribens, & omnium virtutum proficientem perseverantiam Dei donum esse commendans: Gratias, inquit, ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quae data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & sapientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini Iesu Christi, qui & confirmabit vos vsque in finem sine crimine, in diem aduentus Domini nostri Iesu Christi. Item ad Romanos de charitate Christi, quae eos quos diligit, inseparabilis facit, id est, vsque in finem perseverantes: (nam quid est aliud perseverare, quam tentatione non vinci?) Quis nos, inquit, separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius, sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Item, ad Corinthios, de victoria quam perficit Christus: Stimulus, inquit, mortis, peccatum est: virtus autem peccati, lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum. Item, ad Thessalonicenses, de perseverantia quam Deus tribuit: Ipse autem, ait, Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui vocavit vos, qui etiam faciet. Item ad Thessalonicenses, quod omnia bona nostra siue in operando, siue in loquendo, & in eis perseverantia, dona sint Dei, ita praedicat dicens: Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem aeternam, & spem bonam in gratia, exhortetur & corda vestra, & confirmet in omni opere & sermone bono. De caetero fratres orate pro nobis, ut sermo Domini currat, & clarificetur, sicut & apud vos, & ut liberemur ab importunis hominibus & malis. Non enim omnium est fides. Fidelis autem Deus est, qui & confirmabit nos, & custodiet a malo. Petrus quoque apostolus unde esse virtutem perseverantiae doceat, audiamus: Deus autem inquit, omnis gratiae, qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passus, ipse perficiet, confirmabit solidabitque, cui est virtus & potestas in secula seculorum. Ioannes vero apostolus quod victoria sanctorum opus Dei sit habitantis in sanctis: ita loquitur: Vos ex Deo estis filioli, & vicistis mundum: quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo. Item idem: Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra. In euangelio autem secundum Lucam, Deum dare ut in fide perseveretur, ita promittitur: Dixit autem Iesus Petro: Simon, ecce satanas postulauit, ut vos cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua: & tu conuersus, confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem. In euangelio quoque Ioannis, de ouibus Christi quae de manu ipsius a nullo rapiuntur, haec legimus dicere veritatem: Sed vos non creditis,

1. Cor. 1.

Ioan. 6.

Roman. 8.

1. Cor. 4.

1. Cor. 15.

1. Thess. 5.

2. Thess. 1.

Ibidem.

1. Pet. 5.

1. Ioan. 4.

Ibidem.

Luca 11.

Ioan. 10.

credit, quia non estis de ouibus meis. Oves meae vocem meam audiunt, & ego noui illas, & sequuntur me, & vitam aeternam do illis, & non peribunt in aeternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Item in eodem euangelio, de iis quos pater dat filio, qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit, haec ipsius Domini ore dicuntur: Omne quod dat mihi pater, venit ad me, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Multa sunt alia in canonicarum serie scripturarum, quae vitandae prolixitatis studio praeterimus: quoniam quae assumpsimus, nec pauca sunt, nec obscura, nec leuia: quibus plenissime declaratur omnia quae ad promerendam vitam aeternam pertinent, sine gratia Dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici, & contra omnem electionem de libero arbitrio gloriantem, illam inuictissime reniti sententiam dicentis Apostoli: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Igitur profunditas illius quaestionis quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non soluitur: quia licet insit homini bonum nolle, tamen nisi do-

natum non habet bonum velle, & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit, quod haec eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala, in omnibus misera, non in omnibus iustificatur, & a perentibus quadam sui parte discernitur ab eo qui venit quaerere & saluare quod perierat, humano sensu prorsus non potest indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur resistens gratiae Dei, nunquid probabuntur eam, quibus est collata, meruisse: aut illa virtus gratiae quae sibi quos voluit subdidit, conuertere eos qui inconuertibiles permansere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales ij qui in sua duritia sunt relictii. Sed illis tribuit gratia stupenda quod voluit, istis retribuit veritas iusta quod debuit, ut iudicium Dei magis inscrutabile sit in electione gratiae, quam in retributione iustitiae. Veruntamen ne illa pars fidei qua pie credimus Deum velle ut omnes homines veritatis cognitione saluentur, per hoc quod de effectibus gratiae euidenter ostenditur, infirmata videatur, annitendum est auxiliante Christo ut nobis stabilitas huius definitionis appareat. Sed quia necessariae inquisitionis negocium non leuem operam sibi poscit impendi, securam disputationem ab exordio alterius voluminis inchoemus.

Luca 19.

FINIS LIBRI PRIMI.

Capitula libri secundi de Vocatione omnium gentium.

- Quod tria sint quibus in quaestione superius disputata inhereri debeat, quodque Deus iustus sit ordinator, & quemadmodum secundum ea quae praedicatoribus a Domino iussa sunt, nullarum nationum facta sit discretio, nemoque sit exceptus, sed ad omnes homines missum sit euangelium, & gratia salutaris Dei omnibus hominibus apparuerit. Et de mysterio eius quod dictum fuit apostolis: In Viam gentium ne abieritis, &c. ac de occultis Dei iudiciis in hominum vocatione. Cap. I.*
- Quod ad ipsam cognitionem veritatis & perceptionem salutis non quisquam suis meritis, sed ope & opera diuinae gratiae perueniat. Cap. II.*
- De consideratione differentiarum quibus diuinae gratiae opera & dona variata sunt. Cap. III.*
- Quod auersio a Deo non sit diuinae constitutionis, sed propriae voluntatis. Cap. IIII.*
- Quod etiam ante aduentum Christi nationes quae alienatae a conuersatione Israel spem non habebant, ob hoc non sint excusabiles. Et quomodo propter persecutiones bonorum Christus populum suum auxerit. Cap. V.*
- Quod Christus pro omnibus impiis & peccatoribus mortuus fuerit. Cap. VI.*
- Quomodo mysterium vocationis gentium prophetis fuerit cognitum & apostolis. Cap. VII.*
- Quare tanta multitudo non regeneratorum infantium a perpetua alienetur salute. Cap. VIII.*
- Quomodo gratia tanquam famulam & receptricem donorum suorum praeparet voluntatem. Cap. IX.*
- De recapitulatione in hoc secundo libro definitorum, & operis conclusionem, quemadmodum videlicet Deus omnes homines velit saluos fieri. Cap. X.*

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM. LIBER II.

*Quòd tria sint quibus in questione superius disputata inhæ-
reri debeat, quòdque Deus iustus sit ordinator: & quemad-
modum secundum ea quæ prædicatoribus à Domino iussa
sunt, nullarum nationum facta sit discretio, nemòque sit
exceptus, sed ad omnes homines missum sit euangelium,
& gratia salutaris Dei omnibus hominibus apparuerit. Et
de mysterio eius quod dictum fuit apostolis: In viam gen-
tium ne abieritis &c. ac de occultis Dei iudiciis in homi-
num vocatione.*

CAP. I.

REMOTIS abdicatisque omnibus con-
certationibus quas intemperantium di-
sputationum gignit animositas, tria esse
perspicuum est, quibus in hac quæstio-
ne de qua secundum volumen incipi-
mus, debeat inhæri. Vnum, quod profitendum est
Deum velle omnes homines saluos fieri, & in agni-
tionem veritatis venire. Alterum, quod dubitandum
non est, ad ipsam cognitionem veritatis, & percep-
tionem salutis, non suis quenquam meritis, sed
ope atque opere diuinæ gratiæ peruenire. Tertium,
quod confitendum est, altitudinem iudiciorum Dei,
humanæ intelligentiæ penetrabilem esse non posse:
& cur non omnes saluet, qui omnes vult saluos fieri,
nò oportere disquiri: quoniam si quod cognosci nò
potest, non quærat inter primam ac secundam
definitionem; non remanebit causa certaminis, sed
secura ac tranquilla fide vtrumque prædicabitur,
vtrumque credetur. Deus quippe apud quem nò est
iniquitas, & cuius vniuersæ viæ misericordia & veri-
tas, omnium hominum bonus conditor, iustus est
ordinator, neminem indebitè damnans, neminem
debitè liberans, nostra plectens cum punit noxios:
sua tribuens cum facit iustos, vt obstruatur os loquē-
tium iniqua, & iustificetur Deus in sermonibus suis,
& vincat cum iudicatur. Nec damnati iusta queri-
monia, nec iustificati verax est arrogantia, si vel ille
dicat nò meruisse se pœnam, vel iste asserat meruisse
se gratiam. Sicut autem ea quæ ad manifestationem
gratiæ ex diuinis proferuntur eloquiis, nulla possunt
ratione, differendi arte violari, vt perspicuè conso-
nantésque in tanta numerositate sententiæ ad ali-
quod prauæ interpretationis trahantur incertum:
ita etiam quod de saluatione omnium hominum in
eodem scripturarum corpore reperitur, nulla con-
traria argumentatione temerandum est, vt quanto
hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tanto fide
laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo est cõ-
fessionis, cui ad sequendam veritatem autoritas
sufficit etiam latente ratione. Proinde vigilanter cõ-
fideremus, prædicatoribus euangelij quid à Domi-
no iubeatur. Secundum Matthæum quippe sic ait:
Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra.
Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes
eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, do-
centes eos seruare omnia quæcunque mandauì vobis.
Et ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque
ad consummationem seculi. Secundum Marcum

Gverò eisdem apostolis ita dicitur: Ite in orbem vni-
uersum, prædicate euangeliũ vniuersæ creaturæ: &
qui crediderit, & baptizatus fuerit, ipse saluus fiet:
qui verò non crediderit, damnabitur. Nunquid hac
præceptione vllarum nationum vllorũve homi-
num facta discretio est? Neminem merito excepit,
neminem separauit genere, neminem conditione
distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est eu-
angelium crucis Christi: & ne prædicantium mi-
nisteria humana tantum viderentur opere peragen-
da: Ecce ego, inquit, vobiscum sum omnibus diebus
vsque ad consummationem seculi. Id est cum sicut
oues introieritis in medium luporum, nolite de ve-
stra infirmitate trepidare, sed de mea potestate con-
fidite, qui vos vsque ad consummationem seculi in
hoc opere non derelinquam, non ad hoc vt nihil
patiamini, sed quod multo maius est, præstiturus
vt nulla sæuientium crudelitate superemini. In mea
enim potestate prædicabitis, & per me fiet, vt inter
contradicentes, inter furentes, Abrahæ filij de lapi-
dibus suscitentur. Ego insinuabo quod docui, ego
faciam quod promisi. Tradent enim vos in conci-
liis, in synagogis suis flagellabunt vos, & ante reges
& præfides stabitis propter me in testimonium illis
& gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogi-
tare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos
estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui lo-
quitur in vobis. Tradet enim frater fratrem in mor-
tem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, &
morte eos afficient. Et eritis odio omnibus homi-
nibus propter nomen meum. Qui autem perseuera-
uerit vsque in finem, hic saluus erit. Apparuit ergo
(vt Apostolus ait) gratia salutaris Dei omnibus ho-
minibus, & tamen ministri gratiæ odio erant omni-
nibus hominibus: & cum alij essent qui oderant, alij
qui odiis persequentium premebantur: neutra tamen
pars nuncupatione omnium hominum priua-
batur, habente quidem salutis suæ damnum rebel-
lium portione, sed obtinente plenitudinis censum
fidelium dignitate. Dicit enim Ioannes apostolus:
Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud
patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propicia-
tio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tan-
tum, sed etiam pro totius mundi. Magni autem
& inenarrabilis sacramenti mysterium est, quod
prædicatoribus quibus dictum est: Ite in orbem vni-
uersum, & prædicate euangelium vniuersæ crea-
turæ: iisdem prius dictum fuerat: In viam gentium
ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne in-
troieritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt do-
mus Israël. Quamuis enim ad omnium hominum
vocationem euangelium dirigeretur, omnesque do-
minus saluos fieri, & in agnitionem veritatis vellet
venire, non tamen sibi dispensationum suarum ab-
stulerat potestatem, vt aliter quàm occulto iustõ-
que iudicio statuerat, consilij sui ordo decurreret.
Vnde locum non habent contumacium murmura
querelarum, quia quod Deus fieri voluit, constat
non

Act. 16.

non aliter fieri debuisse quàm voluit. Posteriore ve-
rò tẽpore cum iam dominus Iesus in dei patris glo-
ria confederet, & prædicatores verbi suscepto ne-
gocio deseruissent, volentes apostoli Euangelizare
verbum in Asia, vetiti sunt ab spiritu sancto, & di-
sponentes ire in Bithyniam, prohibiti sunt ab spiri-
tu Iesu, non vtique negata illis populis gratia, sed
quantum apparuit retardata. Nam postea etiã apud
iplos fides Christiana conualuit. Quæ autem fuerit
differendæ vocationis causa, non claret, & tamen
rei gestæ docemur exemplo quòd inter generalia
vel promissa, vel opera, vel præcepta, quædam deus
à communibus excepta causis occultiore nouit or-
dinare ratione, credo vt interpositis quibusdam
obumbrationibus ea quæ secretius micant, mirabi-
lius innotescant, negligentior fiat acies de facilitate
cernendi, & quodammodo dormitet assuetis, si non
excitetur insolitis. Has autem incognoscibiles illu-
minationum dilationes, inter quas vtique multi in
infidelitate deficiunt, non solum in populis remo-
rioribus impiorum, sed etiam in ciuitatibus fidelium
per plurimas domos ac familias nouimus fieri, dum
Christianæ fidei etiam qui Christiani futuri sunt ad-
uersantur. Multi enim quod oderunt, amabunt: quod
non recipiunt, prædicabunt. Et quis inter hæc que-
rulis aut curiosis notum faciet, cur adhuc sol iustitiæ
cordibus etiam nunc radios suos veritas reuelanda
contineat? Cur corrigendi tam diu finantur errare,
& quod senibus in fine præstandum est, per tam lon-
gam non tribuatur ætatem? Cur filiis iam in Chri-
stum credentibus necdum credant parentes? Et
rursum à religiosis parentibus soboles praua discor-
det? Cum tamen deo, qui initiorum fidei incremen-
tisque largitor est, secundum ipsius præceptum quo-
tidie pro omnibus supplicetur, vt & si exaudit, nota
sit gratia miserationis: & si non exaudit, intelligatur
iudicium veritatis. Sed ne in præteritis quidem se-
culis hæc eadem gratia, quæ post domini nostri Iesu
Christi resurrectionem vbique diffusa est, & de qua
scriptum est, Illuxerunt coruscationes tuæ orbi ter-
ræ: defuit mundo. Quamuis enim speciali cura at-
que indulgentia dei populum Israeliticum constet
electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi,
hoc est secundum propriam permissæ sint viuere
voluntatem, non ita se tamen æterna creatoris bo-
nitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cogno-
scendum se atque metuendum nullis significationi-
bus admoneret. Cœlum quippe ac terra & mare,
omnisque creatura quæ videri atque intelligi po-
test, ad hanc præcipuè disposita est humani generis
vilitatem, vt natura rationalis de contemplatione
tot specierum, de experimentis tot bonorum, de
perceptione tot munerum, ad cultum & dilectio-
nem sui imbueretur authoris, implente omnia spiri-
tu Dei, in quo viuimus, mouemur, & sumus: quoniã
& si longè est à peccatoribus salus, præsentia tamen
salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est. Igitur sicut
dicit Propheta: Misericordia domini plena est terra,
quæ nullis vnquam seculis, nullis generationibus
defuit, eamque prouidentiam qua vniuersitatem
rerum administrat & continet, regendis alendisque
naturis semper impendit, dispositum habens ex in-

A commutabilis æternitate consilij, quibus quidque
temporibus distribueret, & multiformis gratiæ suæ
inscrutabiles inuestigabilesque mensuras, per quæ
dona ac sacramenta variaret. Sicut enim ista gratiæ
largitas quæ in omnes gentes nouissimè effluxit,
non euacuat eam quæ super vnum Israel sub lege
rorauit, nec præsentis diuitiæ fidem præteritæ ab-
rogant parcitati: ita nec de illa cura dei, quæ patriar-
charum filiis propriè præfidebat, coniciendum est
gubernacula diuinæ misericordiæ ceteris homini-
bus fuisse subtracta, qui quidem in comparatione
electorum videntur abiecti, sed nunquam sunt ma-
nifestis occultisque beneficiis abdicati. Legimus
enim in Actibus apostolorum Paulum & Barnabam
apostolos Lycaoniis dicere: Viri, quid hæc facitis?
Et nos mortales sumus, similes vobis homines, an-
nunciâtes vobis ab his vanis cõuerti ad deum viuũ,
qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in
eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit
omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine
testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœ-
lo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo
& læritia corda vestra. Quod est autem hoc testimo-
niũ quod semper domino deseruuit, & nunquam
de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa to-
tius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarra-
bilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio,
per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis ta-
bulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, ac vo-
luminibus temporum, communis & publica diuinæ
institutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo, cun-
ctaque cœlestia, mare & terra, omniãque, quæ in eis
sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu
protestabuntur gloriam dei, & prædicatione perpe-
tua maiestatem sui loquebantur authoris. Et tamen
maximus numerus hominum qui vias voluntatis
suæ ambulare permissus est, non intellexit, nec secu-
tus hanc legem est, & odor vitæ qui spirabat ad vitã,
factus est ei odor mortis ad mortem, vt etiam in illis
visibilibus testimoniis discerneretur quòd litera occi-
deret, spiritus autem viuificaret.

*Quòd ad ipsam cognitionem veritatis, & perceptionem salu-
tis non quisquam suis meritis, sed ope & opera diuinæ gra-
tiæ perueniat.* Caput II.

Quod ergo in Israel per constitutionem legis &
prophetica cloquia gerebatur, hoc in vniuersis
nationibus, totius creature testimonia & bonitatis
dei miracula semper egerunt. Sed cum in illo popu-
lo cui vtraque eruditio præfuit, nemo nisi gratia iu-
stificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat eos qui
de quibuscunque nationibus quibuslibet tempo-
ribus deo placere potuerunt, spiritu gratiæ dei fuisse
discretos? Quæ etsi parciore antea atque occultior
fuit, nullis tamen seculis se negauit, virtute vnica, quã-
titate diuersa, consilio incommutabili, opere multi-
formi. Nam & in iis diebus quibus totum mundum
ineffabilium donorũ flumina rigant, nò idem mo-
dus omnibus, nec eadem mensura confertur. Quã-
uis enim per ministros verbi & gratiæ dei eadẽ cun-
ctis veritas prædicetur, eadẽ cohortatio adhibeatur,

1. Tim. 2.

Roman. 2

Proverb. 62.
Psal. 50.

Mat. 28.

Marc. 16.

Matth. 28.

Matth. 3.

Matth. 10.

Titim. 2.

1. Ioan. 2.

Marc. 16.

Matth. 10.

1. Tim. 2.

Malach. 4.

Psal. 76.

Actu. 17.

Psa. 118.

Psal. 32.

Act. 14.

2. Cor. 2.

Ibid.

Dei tamen agricultura est, Dei ædificatio, cuius virtus inuisibiliter agit, vt incremento proficiat quod ædificatur aut colitur: sicut attestatur Paul^o apostolus, dicēs: Quid igitur est Apollo? quid verò Paulus? Ministri eius cui credidistis, & vnicique sicut Dominus dedit. Ego plātaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neq; qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremētū dat, Deus. Qui plantat autem, & qui rigat, vnū sunt. Vnusquisque autē propriam mercedem accipiet secundū suū laborem. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. Agricultura ergo huius atque ædificationis intantū quisque adiutor & operarius ac minister est, in quantum vnicique Dominus dedit. Et ij qui ministrorū labore excoluntur, ad eum proficiunt modum ad quem illos incrementi author euexerit. In agro enim Domini non vniformis nec vna plantatio est. Et quāuis in vnum decorem totius tēpli structura cōueniat, non idem tamē locus est, nec idem vsus omniū lapidum: sicut & in vno corpore non omnia mēbra eūdem actum habent, dicēte Apostolo: Nunc autem posuit Deus membra, & vnumquodque eorum sicut voluit. Hęc verò membra vnde apta, vnde vtilia, vnde sint pulchra, idem doctor exponit, dicens: Ideo notū vobis facio quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu: & nemo potest dicere Dominū Iesum nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarū sunt: idem autē spiritus: & diuisiones ministratorū sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicique autē datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritū, alij fides in eodē spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij discretio spirituum, alij generalium linguarum, alij interpretatio sermonum: hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Hęc magistro gētium tāta luce, tanta euidencia prædicante, qua ratione, qua causa dubitādum est, an omnium nobis virtutum germen ex Deo sit, vel quis nisi insipientissimus de differentia diuinorum munerum conqueratur, aut imparibus ascribendū meritis arbitretur, quod non æqualiter de superna liberalitate confertur? Si enim hæc distributio secundum præcedentium operum merita proueniret, non ipsorum donorum catalogū tali conclusione Apostolus terminaret, vt diceret: Hęc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vbi vtique si meritorum causas voluisset intelligi, diceret: Diuidens singulis prout merentur: sicut plantatoribus aut rigatoribus præmium deuotionis spondit, dicens: Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Datur ergo vnicique sine merito vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem vnde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse etiam euangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, vbi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscēs vocauit seruos suos, & tradidit illis substantiam suam: & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicique secundum propriā virtutem, id est,

secundum propriam & naturalem possibilitatem, non autem secundum propriū meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatē, aliud habere charitatem: & aliud est capacē esse continentia, iustitia, sapientia, aliud verò esse continentē, iustum, atque sapientem. Nō itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est, quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est: reparatū autem & sanatum esse, de gratia est. Denique isti quibus secundum modulū capacitatis suę, quem in eis distributor substantiæ præuidebat, dispar creditus est numerus talentorum: nō meriti remunerationē, sed operis acceperunt materiam. In qua duorum seruatorum vigilantissima industria non solum gloriosis laudibus honestatur, sed etiā in æterna Domini sui gaudia intrare præcipitur. Tertij verò pigrum ociū, & desidiōsa nequitia sic punitur, vt & vituperationis dedecoretur opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidē, qui non exercuerat charitatē. Vnde & in subsequēti sermone quo apertissimē declaratur futuri forma iudicij, sedēte filio hominis in sede maiestatis suę, antequam facta congregatione omniū gentium alij ducuntur ad dexteram, alij ad sinistram constituendi: laudatis dextris de operibus charitatis, nihil aliud sinistris obiicitur quā misericordiæ beneuolentiæque neglectus. Acceperant ergo etiam isti fidem, sed non sectati fuerant dilectionem: nec de non seruato, sed de non aucto munere damnabuntur. Quamuis enim omnia bona, dona sint Dei, à Deo tamen quædam etiam non petita tribuuntur, vt per ipsa quæ accepta sunt, ea quæ nondum sunt donata, quærantur. Semen quippe quod iacitur in terram, non ob hoc feritur, vt ipsum solum maneat, sed vt fructum afferendo, multiplex atque numerosum sit. Cui quidem profectus ab illo est qui dat incrementum: sed terra viuens, & de gratiā iam imbre fecunda, habet quod ipsa expectetur ad id quod accepit, augendum.

De consideratione differentiarum quibus diuinæ gratiæ opera & dona variata sunt.

C A P. I I I.

His rectē (vt arbitror) quātum Dominus tribuit pertractatis, ad id vnde digressa est disputatio, reuertamur: ad considerationem scilicet differentiarum quibus diuinæ gratiæ opera ac dona variata sunt. Altitudo quippe diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ, sic semper misericordiam suam & iudicium temperauit, vt secretissima æterni consilij voluntate noluerit in omnibus super omnes generationes aut super omnes homines, æquales donorum suorum esse mensuras. Siquidem, aliter eos iuuerit, quos ad cognoscendum se, cœli & terræ testimoniis conueniebat: aliter illos quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis, & angelorum cooperationibus consulebat. Et multò magis aliter misericordiam suam vniuersis hominibus declarauerit, quando filius Dei factus est filius hominis, vt inueniretur ab eis, qui eum non querebant, & appa-

apparet iis qui illum non interrogabant, & non in vno tantum populo Israëlita stirpis excelleret, sed in omni gente quę est sub cœlo, multiplicatū Abrahæ semen oriretur, in quam hæredum successionem non filij carnis, sed filij promissionis intrarent. Et quanta in præteritis seculis super cæteras nationes, tāta nunc esset in gente Iudæa parcitas gratiæ, cum tamē introducta plenitudine gentiū, etiam ipsorum ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quæ itaque causæ sint harum sub eadem gratia dissimilitudinū, quæve rationes, sanctis scripturis nō loquentibus quis loquetur? Et cū in eis scientia Pauli apostoli à disputatione transeat ad stuporem: cuius erit tanta præsumptio, qui hæc differendo existimet aperienda potius quā silentio miranda? Patienter igitur & æquanimiter ignoretur tam remotū ab humana cogitatione secretum: nec tamen quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam referatorum est prætereundus introitus: Manifestauerunt enim diuinorū eloquiorum multę authoritates, & continua omnium seculorum experimēta docuerunt, iustam Dei misericordiam, misericordemque iustitiam nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuantisque eorum mentibus defuisse. Semper etenim pluit super bonos & malos, semper solem suum oriri fecit super iustos & iniustos, semper vitales auras præbuit, semper diei & noctis vicissitudines ministravit, vbertatem agris, multiplicationem feminibus, fecunditatem generandis hominibus semper impendit. Et si quando aliquid horum minuit, benignis correptionibus auersionem desidiāque malē vtentium castigauit, vt miserationes eius quærenterent in aduersis, cuius iustitiam non timuerant in secundis. Denique si ad ipsa mundi exordia recurramus, inueniemus omnium sanctorum qui diluuiū præcesserunt, Dei spiritum fuisse rectorem, propter quod & filij Dei nominati sunt: quoniam sicut ait Apostolus: Quicumque spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Et cū iidem neglecta obseruantia patrū, illicitis se reproborum connubiis miscuissent, atque ob nephariam societatem digni exterminio iudicarentur, Dominus ait: Nō permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt. Vnde apparet quod iste populus cuius generationes discreto ordine cum annorum numero digeruntur, spiritalis antea fuit, ea vtique voluntate cui Spiritus sanctus præsidebat, sic impendens moderaminis sui regimē, vt declinandi ad vitia nō adimeret potestatem, qua potestate hic populus si non vteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, essetque ille de quo dictum est: Felix qui potuit transgredi, & nō est transgressus. Quamdiu ergo apud Deum mansit, ea voluntate mansit, quam Deus inspirauit & rexit. Præparatur enim (sicut scriptum est) voluntas à Domino. Sed huius præparationis non vnus semper prouectus, nec vna mensura est: quoniam multis modis & innumerabilibus differentiis gratiæ opera & dona variantur, inque ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus, & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarū atque lignorum quæ terra producit, non vna species, nec vnum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui feminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur,

plenum autem decorem non statim vt eduntur accipiunt, sed certis & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedentia, sibi incrementa perueniant: ita & semina charismatum, plantæque virtutum non in omni agro cordis humani totum hoc pariter quod sunt futura nascūtur, nec facillè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & misericors Deus mirabiles istos suæ operationis effectus, & quibusdam mentibus non expectata profectuum mora, totum simul quicquid collaturus est, inuehit. In Abrahæ lumbis Leui sanctificatur, & simul cum eo domus Aaron & sacerdotalis ordo benedicuntur. In Isaac de repromissione concepto, & contra spem steriliū senum nato, omnium gentium vocatio, & tota Christi forma præconditur. Iacob nullo merito suffragante dilectus, priusquam nascatur eligitur. Hieremiæ dicitur: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificauit te. Ioannes intra Elizabeth matris viscera Spiritu sancto repletus exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior sit, prius sentit initia gratiæ quā naturæ. Sed cū & alia similium documentorum exempla non desint, quæ breuitatis studio præterimus: multò tamen crebrior, multòque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quicquid superna largitas donat, accrescit, vt conferendorum munerū causæ de iis quæ sunt collata, pariatur. Quidam accepta fide diffidentia non carent, quam vtique inesse sibi nouerat qui dicebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meā. Quam nec illi abesse penitus à suis animis sentiebant qui dixerunt: Domine auge nobis fidem. Quidam quod credunt, non intelligunt, & multorum diu in suæ simplicitatis modulo derinentur. Multi verò citò intellectus lumen accipiunt. Ipsa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem, aut similem facultatem. Et plurimi cū & fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentia charitatis: & iis quæ fide & intellectu vident, nequeunt inherere: quoniam perseverari in eo nō potest, quod non toto corde diligitur. Donū quoque ipsius charitatis nō semper eiusmodi est: vt quicquid ad plenitudinē ipsius pertinet, simul à percipiēte sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari. Et sæpe dilectio Dei ex mūdi dilectione marcescit, nisi ad eum feruorē Spiritu sancto inflāmantem profecerit, qui nullo extingui frigore, nullo possit tepore laquere. Cū itaque in hoc inenarrabili dono Dei omniū summa donorum, & quædam sit cunctarum vita virtutum: ad hoc cætera conferuntur, vt habeat animæ fidelis intentio, per quæ ad perfectam charitatem possit eniti. Quæ quoniam non solum ex Deo, sed etiam Deus est, stabiles & perseverantes atque insuperabiles facit quos flumine suæ voluptatis impleuerit. Qui autem istarum aquarum dulcedinem nesciunt, & adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de vitæ fonte gustauerunt, inebriari tamē aureo Babylonis calice delectantur: suo profusus decipiuntur arbitrio, sua voluntate labuntur: & si in hac desidia perseverant, ipsi se iis quæ accipere, dispoliant. Facillè enim quælibet bona sine chari-

tate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse.

Quod auersio à Deo non sit diuinæ constitutionis, sed propriæ voluntatis.

CAP. IIIII.

Hæc autem summam breuiterque perstricta Had id valent, vt certissimè nouerimus nulli fidelium à Deo non discedentem relinqui, neque cuiusquam ruinam ex diuina esse constitutione dispositam, sed multis qui iam iudicio rationis vtuntur, i- deo liberum esse discedere, vt non discessisse sit præmiu: & vt quod non potest, nisi cooperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputeretur, quorū id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis actionibus sola esse potest, in bonis autem sola esse non potest. Quamuis enim secundum naturam sit homini vt bonæ sit voluntatis, vitium tamen quod per malam voluntatem irruit in naturam, non naturæ superatur virtute, sed gratiæ. Regebatur ergo primus ille populus Dei, spiritu Dei, & à maledicti ac prædamnati populi societate ac moribus per eruditionem sancti Spiritus abstinebat, custodiens discretionem sui à permixtione carnalium, quorum mala tam diu sustinuit patientia Dei, quādiu boni per id quod eos non imitabantur, placere potuerūt. Vbi verò etiam boni malorum imitatione corrupti sunt, & per volūtatis defectum in eandem nequitiam conspirauit vniuersitas: quos (excepta Noë domo) vna impietas prophanauit, sententia vna deleuit. Bonitas autem Dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate nõ stetit, & ab initio sui veneno diabolici liuoris intumuit. Principè enim gētis impiæ sancti fratris meritis inuidentem, cædemque eius parricidiali corde meditantem, dignatur Dominus paterno mitigare cōsilio, dicens ad Cain: Vt quid tristis factus es? vt quid cōcidit vultus tuus? Nonne si rectè offeras, rectè autè non diuidas, peccasti? Quiesce. Ad te enim erit conuersio eius, & tu dominaberis eius. Depone, inquit, ortam de inuidiæ æmulatione tristitiam, & flammam odij crudelis extingue. Nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læsit, despexi munera tua meo iudicio, nõ illius voto. Opus enim bonum negligenter egisti: recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio. Sciēs cui offerres, scire debueras quid L voueres. Non digne inter me & te diuifisti, quoniā tibi electiora seruasti. Tuus ergo hic error est, tuūque peccatum. quiesce, & noli in infontem fratrem moueri, ad te potius tua culpa reuocetur. noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum lume dominatū. Pœnitendo enim nec in maius facinus progredieris, & ab eo in quo te doles displicuisse, mūdaberis. Cū ergo talia ad Cain loqueretur Deus: nunquid ambiguum est voluisse cum, & quantum ad medendi modū sufficiebat, egisse, vt Cain ab illo impietatis furore respiceret? Sed malitia pertinax M inde facta est inexcusabilior, vnde debuit esse correctior. Et vtique præsciebat Deus ad quem finem infanientis esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia diuina non poterat, necessitate peccādi vrgebatur facinus volūtatis: à cuius vtique intētione atque effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo cum magna laude

patientiæ suæ, vt temporalis furor impij fieret perpetuus honor iusti. Posteris verò istius fratricidæ, quamuis in progenitoris sui moribus viuerent, nūquam se diuinam bonitatem negasse quis non facile aduertat, si consideret quantum eis prodesse potuerit tam longa patientia Dei, tam diues bonorum tēporalium copia, & multiplicatæ fecunditatis tam numerosa propagatio: quæ beneficia licet obduratis nihil remedij & emendationis attulerint, probāt tamen auersionem eorum non diuinæ fuisse constitutionis, sed propriæ voluntatis. In conseruatione H autem Noë filiorūque eius & nuruū, in quibus Genes. 7. omnium gentium seminarium disponebatur, quanta diuinæ gratiæ opera reuelata sint, sancta scriptura manifestat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, vniuersi generis animalium quantum reparationis aderat receptrice, cōgregatura ad se omne hominū genus ecclesia figuratur. Dum per lignum & aquam redemptio crucis Christi, & ablutio regenerationis aperitur. Dum in iis qui ex illa mūdi vastatione saluati sunt, omnium gentium plenitudo benedicitur: Dum donum fecunditatis iteratur, & solo esu suffocatorum & sanguinis interdicto, libertas edendi quod placuerit, augetur, salutisque securitas in testimonio versicoloris arcus, hoc est in signo multiformis gratiæ consecratur. Quæ vtique mysteria atque sacramenta non vnius tantum familiæ paucissimos tunc homines, sed in ipsis omnes eorum posteros imbuebant, vt quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret scientiæ filiorum. Iam verò procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundum elationis suæ altitudinem cœlo cuperet molem immodicæ instructionis inferere, quā mirabilis erga cohibendam hāc insolentiam fuit diuinæ censura iustitiæ? Quæ vnam Genes. 11. illorum populorum loquelam notis sibi inuicem significationibus consonantem, septuaginta & duarum linguarum varietate confudit, vt & inter diffonas voces operantium pereunte concordia, insana molitionis machina solueretur, & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio. In isto autem opere prouidentia Dei præordinabantur miracula gratiæ Christianæ, quæ omnem hanc dispersionem in illius ædificationis erat vocatura compagem, in qua omne genu flectitur Deo, & omnis lingua confitetur, quoniam Iesus in gloria Dei patris est. Hāc latitudinem gratiæ in plenitudine dispositorum temporū reuelandæ, facta ad Abraham promissio Dei signis iam luculentioribus indicabat, quando duplex eius successio, filij scilicet carnis, & filij promissionis, multitudini arenarū comparabatur & siderū, & vir senex per annosam vxoris sterilitatem ab spe iam prolis alienus, credebat laudabili fide per germen vnius filij patrem futurum esse se mundi, prospiciens illum in femine suo, imò conspiciens, qui dixit: Abraham diē meum vidit, & gauisus est. Qua fide Abraham cū Iustificaretur, nondum mandatum circumcisionis acceperat, sed cū esset in præputio naturali, reputata est fides eius ad iustitiam, & eadem fides signaculum circumcisionis acceperat in eo corporis membro, per quod semen procreationis peruenturum erat

Genes. 6.

Ibidem 4.

Genes. 7.

Genes. 12.

Rem. 5.

Genes. 11.

Philip. 2.

Gen. 16. 21.

Ioan. 8.

erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine Dei filius Deus verbum caro fieret, ac de Abrahæ filia Maria virgine nasceretur, assumptis omnibus in huius natiuitatis consortium, qui in Christo per Spiritum sanctum regenerati, quod Abraham credidit, credidissent.

Quod etiam ante aduentum Christi nationes quæ alienatæ à conuersatione Israel, spem non habebant, ob hoc non sint excusabiles. Et quomodo propter persecutiones bonorum Christus populum suum auxerit.

CAP. V.

Hæc autem fides entequā veniret, hoc semen de quo Abrahæ dictum est: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: intra vnius stirpis populum continebatur, vigente apud veros Israëlitas spe redemptionis nostræ, quoniam etsi fuerūt ex alienigenis quos temporibus legis veritas illustrare dignata sit, tam pauci fuerunt, vt vix cognoscantur an fuerint. Neque ob hoc excusabiles sint nationes, quæ alienatæ à conuersatione Israël spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo sub ignorantia tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc vniuersum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim semper est vniuersis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus iudicauit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium: vt non dubiè, sed euidenter appareat, quod nisi vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia, nunc quoque vniuersum genus humanum similis obcæcaret impietas. An fortè (vt plerique garriunt) meliora, quā veterum ingenia nostris seculis orta sunt, & aptiores diuinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam si ita esset, ad bonitatem id referendum esset authoris, qui vocandis ad vitam æternam populis, ea quæ non reniterentur, corda finxisset. Sed nihil prorsus nouatum est in generatione carnali, nec generosior auis minorū orta successio est, cū potius in hominibus illius temporis quo mundi redemptor aduenit, quātò erat propago tardior, tantò sit iniquitas inuenta robustior. Probauit hoc Iudaici furoris impietas: & quā apta euāgelio Christi fuerit illa generatio, non solum populi, sed etiam Scribarum, & principum, ac sacerdotum corda docuerunt: quibus parum fuit in agnum Dei tollentem peccatum mundi: contra testificationem legis, contra oracula Prophetarum, cōtra diuinarum experimenta virtutum, seditionibus, contumeliis, sputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, & ad postremū crucis atrocitate sæuisse, nisi etiam testes resurrectionis eius eadem persequerentur insania: quam Apostoli quando à pontificibus flagellati sunt: ostēderunt in psalmo Dauidico prophetatam, dicentes: Domine, tu es qui fecisti cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: astiterūt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctū

A filium tuum Iesum, quem vnixisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium decreuerunt fieri. Igitur ad manifestandam gratiam Dei, quæ ex æterno eius incommutabilique consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora quasi incapacia declinata sunt tempora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione seque di peristeret facere quæ manus Dei & cōsiliū decreuerunt fieri, vt mirabilior esset gratia & potentia Dei quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum, qui non per sapientiam huius mundi peruenit ad lumen sapientiæ Dei, sed per illius donum de quo testatur Ioannes Apostolus, dicens: Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Cui testimonio Apostolus Paulus consonat, dicens: Gratias agentes patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris, & de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū filij dilectionis suæ. Et iterum idem: Erasmus enim, inquit, aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cū autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Potuitne plenius, luculentius, verius explicari quæ merita hominum Christus inuenit, & quos sibi mores subiecerit, quæ ad se corda conuerterit, quando venit mederi non sanis, sed malè habentibus, & vocare non iustos, sed peccatores: quoniam gentium populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & sedentibus in tenebris & umbra mortis, lux orta est illis. Fremebant gentes, irascebantur populi, sæuebant reges, & potestates contradicebant, superstitiones & totius mundi re- E luctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat, & per vincula ac supplicia mortisque sanctorū roborabatur fides, vincebat veritas, perque vniuersum mundum dominici agri segetis multiplicabatur vbertas. Tanta enim desuper præbebatur constantia fidei, fiducia spei, fortitudo tolerantia, vt ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo opprimentibus posset extingui: cū & qui cruciabantur, vehementius inardescerent: & qui sæuebant, eandem quam persequebantur, flammam sæpe conciperent, qua beatus Apostolus Paulus ignitus fidenter, feruentèrque dicebat: Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiā istam, per quem & accessum habemus fide in gratiā istam, in qua flamus, sed & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio

1. Ioan. 5.

Colos. 1.

ad Tit. 1.

Math. 9.

Esaiæ 9.

Roman. 5.

verò spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et iterum: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hæc charitas diffusa per Spiritum sanctum fecit ut mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumque post eos principum glorioso innumerabilium martyrum sine confudit, donante Christo imitatoribus suis de persecutionibus regum, æternarum stemmata coronarum.

Quod Christus pro omnibus impiis et peccatoribus mortuus fuerit.

CAP. VI. I

NVlla igitur ratio dubitandi est Iesum Christum Dominum nostrum pro impiis & peccatoribus mortuum, à quorum numero liber inuētus est. Nonne est pro omnibus mortuus Christus? Sed prorsus pro omnibus mortuus est Christus. Nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem, quæ per Christi sanguinem facta est, nõ aut peccator aut impius fuit, dicente Apostolo: Si enim Christus cum adhuc infirmi essemus, iuxta tēpus pro impiis mortuus est: vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori: commendat autem suam charitatē Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multò magis iustificati sanguine ipsius salu erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati salu erimus in vita ipsius. Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait: Charitas enim Christi vrget nos iudicātes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, vt & qui viuunt, iam non sibi viuāt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. De seipso verò quid pronunciet, audiamus: Fidelis, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Siue ergo circumcisio, siue preputium, peccato vniuersaliter concludebatur, vniuersæque omnes reatus obstrinxerat, & inter magis miris que impios nemo erat qui posset absque Christi redemptione saluari: quæ redemptio vniuerso sese intulit mundo, & omnibus hominibus indifferēter innotuit: quando quidem in die quinquagesimo ab illo Pascha in quo se hostiam Deo verus agnus obtulerat, cum Apostoli & qui cum eis vnanimis erāt, repleti Spiritu sancto linguis omnium gentium lo-

querentur, conueniebat excita miraculo diuersi generis hominum multitudo, vt euangelium Christi in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem (sicut scriptum est) Parthi & Medi, Ælamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Prosclyti, Cretes & Arabes, audientes eorum linguis prædicari magnalia Dei: quorum testificatio etiam in eas gentes quæ remotiores sunt, longè lateque procurreret. Ad cuius rei effectum credimus providentia Dei Romani regni latitudinem præparatam, vt nationes vocandæ ad vnitatem corporis Christi, prius iure vnus consociarentur impietatis: quamuis gratia Christiana non contenta sit eisdem limites habere quos Roma, multòque iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per apostolici sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis quam folio potestatis. Quod si fortè, quemadmodum quasdam gentes, quod non volunt, in consortium filiorum Dei nouimus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes quibus nondum gratia saluatoris illuxit: non ambigimus etiam circa illas occulto iudicio Dei tempus vocationis esse dispositum, quo euangelium quod nondum viderunt, audiant atque suscipiant. Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur: quamuis tam acerbo natura humana vulnere faucia sit, vt ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea plenè valeat erudire, nisi obubrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili iudicio Deus iustus & bonus non ita præteritis seculis quemadmodum in nouissimis diebus effudit. Vnde & beatus Apostolus Paulus scribens Colossensibus ait: Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in nobis.

Quomodo mysterium vocationis gentium Prophetis fuerit cognitum & Apostolis.

CAPVT VII.

NVnquid hoc mysterium etiam Prophetis incognitum fuit? & illi per quos Spiritus sanctus loquebatur, ea quorum ab ipsis fiebant denunciationes, nesciebant? Non ita planè intelligendum puto, sed ipsis gentibus absconditum fuisse mysterium, quod Dominus quando voluit, & quibus voluit reuelauit. Nam de vocatione gentium quæ non erant populus Dei, & quibus prius non misertus est, nunc autem miseretur, in Deuteronomio ita dicitur: Et vidit Dominus, & zelauit, & iratus est propter iram filiorum suorum & filiarum, & dixit: Auertam faciē meam ab eis, & ostendam quid erit in nouissimo, quia generatio peruersa est filiis, in quibus non est fides in illis. Ipsi in zelum compulerunt me in hoc quod non est Deus, irritauerunt me in idolis suis. Et ego

ego in zelum incitabo eos in eis qui non erat gens, super gente insipiente irritabo eos. Et Dauid hæc de adoraturis Deum omnibus gentibus præcinit: Omnes gentes quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Et iterum idem: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et iterum: Benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Esaias quoque similia annunciat, dicens: Quoniam erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini, & domus Dei in cacumine montium, & exaltabitur super colles, & venient ad eum omnes gētes. Et iterum idem: Et faciet, inquit, Dominus sabaoth omnibus gentibus, in monte isto bibent in iucunditate vinum, vngentur vnguento in monte isto, tradet hæc omnia gentibus, hoc enim consilium super omnes gentes. Et iterum idem: Et reuelabit Dominus brachium suum sanctum in conspectu omnium gentium, & videbunt omnes gentes terræ salutem quæ à Domino est. Et iterum: Ecce aduenæ ad te per me accedent, & ad te fugient. Et infra: Gentes quæ te non cognouerunt, inuocabunt te: & populi qui te nesciunt, ad te confugient. Osce quoque paria prophetat, dicens: Et erit in loco in quo dictum est eis: Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij Dei viui, & congregabuntur filij Iudæ, & filij Israël in idipsum. Et iterum: Miserebor non dilectæ, & dicā non populo meo: populus meus es tu, & ipse dicit: Deus meus es tu. Sub Apostolis verò cum ij qui in Christum ex circumcisione crediderāt, eos qui gentiles erant, dicebanturque preputium, iustificationum gratiæ arbitrarentur participes esse non posse: docet beatus Apostolus Petrus quàm indiscretus apud Deum vterque sit populus, si in vnitatem fidei ambo conuenerint. Cum autem inquit, cœpissē loqui, decidit Spiritus sanctus super eos, sicut & in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus sicut & nobis qui credidimus in Dominum Iesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Deū? His auditis, tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit. Iacobus quoque Apostolus de hac vocatione gentium dicit: Viri fratres audite me: Simō narrauit quemadmodū primum Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo, & huic cōcordāt verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & reedificabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & diruta eius ædificabo, & erigam illud, vt requirant ceteri hominū Dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc: notum à seculo est Domino opus suum. Simeon quoque ille cui respōsum erat à Spiritu sancto non cum visurū mortem priusquam videret Christum Domini, de salute omnium gētium quæ in Christo reuelabatur, hæc dixit: Nūc dimitte seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuū, Quod paraisti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. His & aliis testimoniis scripturarum non

dubiè demonstratur istam ditissimam, potentissimam, benignissimam gratiam qua in nouissimo mundi tempore omnes gentes in regnum Christi vocantur, prioribus seculis in occulto Dei absconditā fuisse consilio. Et cur hac manifestatione qua nunc vniuersis nationibus innotescit, antea reuelata non fuerit, nullam posse scientiam comprehendere, nullam intelligentiam penetrare: cum tamē illud quod de bonitate Dei piissimè creditur, quia omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non oporteat nisi perpetuum æternūque sentiri, secundum eas mensuras quibus Deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus: vt & qui exortes gratiæ fuerint, de sua nequitia redarguantur: & qui eius lumine enituerint, non in suo merito, sed in Domino glorientur. In hoc sanè angusto quidem, sed tamen recto intelligentiæ tramite non parum difficultatis opponit cōsideratio paruulorum, qui nullo iudicio rationis vtuntur, quo authoris sui beneficia sentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere, nec videntur de neglectu opitulantis gratiæ iuste argui, in illa ignorantia naturaliter constituti, quam dubium non est nullam recipere scientiam, nullam sentire doctrinam.

Quare tanta multitudo non re-generatorum infantium à perpetua alienetur salute.

CAP. VIII.

VNde cum omnes homines velit Deus saluos fieri, quid est quod alienatur à salute perpetua tanta infantium multitudo, totque in his ætatibus hominum milia extra vitam relinquuntur æternam: quasi ad hoc tantum conditi sint ab eo, qui neminē odians creauit, vt quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, insolubilis culpæ vincula sine reatu propriæ actionis inciderent? quid hoc profundius, quid mirabilius esse potest? Neque credi fas est eos qui regenerationis non adepti sunt sacramentum, ad vllum beatorum pertinere consortium. Et magis stupendum, magisque sit mirum, quod vbi actio non offendit, vbi arbitrium non resistit, vbi eadem miseria, similis imbecillitas, causa communis est, non vnum esse de tanta parilitate iudicem: & quales reprobatur abdicatio, tales adoptat electio. Veruntamen de hac altitudine discretionis Dei nõ conturbabitur cor nostrum si firma & stabili fide omne iudicium Dei iustum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit esse secretum, vt vbi inuestigari non potest quare ita iudicet, sufficiat scire quis iudicet. Quanquam non ita incognoscibilis ista sit quæstio, vt nihil sit quod de ea eruditionis possimus acquirere, si ad contemplandū id quod videri potest, trāquillus sobrij cordis adhibeatur intuitus. Cū enim consideramus inter paganos, Iudæos, inter hereticos, inter ipsos catholicos Christianos quā multiplex pereat numerus paruulorum, quos quantū ad proprias pertinet voluntates, neque bonum aliquid, neque malum constat e-gisse: discimus super eos illam manere sententiam, quam humanum genus præuaricatione primi parētis excepit, cuius sententiæ rigor dum etiam circa tales non resoluitur, quàm magnum illud peccatum

Ibidem 8.

Psal. 45.

Acto. 2.

Psal. 85.

Psal. 71.

Esai. 28.

1. Tim. 2.

Osce 1.

Rom. 5.

2. Cor. 5.

1. Tim. 1.

Colos. 1.

Act. 11.

Act. 1.

Act. 15.

Amos 9.

Luca 2.

Deut. 31.

1. Tim. 2.

fuerit demonstratur. Nemo autem putaretur non innocens nasci, nisi etiam talibus esset noxium non renasci. De immaturitate verò mortis non est ratio conquerendi, cum semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas obnoxium sibi omnē vitæ nostræ fecerit diem. Effet enim, quoniam secundum aliquem modum immortalis dici homo posset, si esset tempus intra quod mori omnino non posset. Sed nunquam corruptio ita incorruptionis est particeps, ut non semper obnoxium sit defectioni quod debetur occasui. Vitæ huius principium, mortis exordium est, nec prius incipit augeri ætas nostra quam minui. Cui si quid adiicitur spatij temporalis non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. Quod ergo ab initij sui die mortale est: quilibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec unquam ei vicinior est posse viuere, quam posse deficere. Quamuis autem ex vna causa omnium hominum sit orta mortalitas, non in vnam tamen, sed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura distrahitur. Et siue morbis, siue debilitatibus, siue vulneribus, non solum anni aut menses vel dies ætatis humanæ, sed & omnes horæ omniæque momenta subiecta sunt. Nec est aliquod mortis genus aut vllus obeundi modus qui non intra vniuersitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim graue iugum super filios Adæ à die exitus de vtre matris eorum, in diem sepulturæ in matrem omnium. Sed huius asperissimi iugi pondera non ita in Adæ filios irruerunt, ut diuina iustitia nihil eis suæ dimensionis adhiberet, quæ defectionum legibus ita defectura subiecit, ut ab eis moderationum suarum non auerteret potestatem. Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem omnes omnibus subiacerent, sed ut generali necessitate variata, causas sibi dominus indulgentiæ correptionisque seruaret, essetque in vno omnium debito quod & misericors remitteret, & iustus exigeret. Cum igitur iusta & omnipotens prouidentia dei incessabiliter vniuersa diiudicet, & nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, nisi eo ortu atque decessu, quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamque decernit, sicut scriptum est in libro Iob: Quis ignorat quod omnia hæc manus domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis? Et iterum: Breues dies hominis sunt, & numerus dierum eius apud te est. Quis audeat causas operum & conciliorum eius inquirere? Inscrutabile enim est, valdeque secretum cur tantis differentiis conditio humana variata sit. Illum ab infantia vsque in senectutem longæua carpit infirmitas, nec inter perseverantes dolores statuta deficit tempus ætatis. Illum integris valentem viribus annosissimus vigor vegetat. Huic in pueritia finis est, illi in adolescentia. Huic ultra iuuentutem non licet progredi: illi impossibile est vsque ad loquendi rudimenta grandescere. Quas vitæ metas multiformiter inæquales minus acerbas experiretur caduca mortalitas, si presentis tantum seculi detrimenta pateretur, & non in æternas miseras caderent, qui hinc sine lauacro regenerationis exissent. Sed cum inscrutabilis sit causa tantum donorum quæ gratia tribuit, quam miseriarum quas natura promeruit: ipsa nos intelligentiæ difficultas

Ecc. 40.

Iob 12.
Iob 14.

ad nostrum remittit authorem. Et cum quærimus quomodo omnes homines saluos fieri velit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ sint capaces, non irreligiosè arbitror credi, neque incouenienter intelligi quod isti paucorum dierum homines ad illam pertinent gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus, qua vti que si bene eorum vterentur parentes, etiam ipsi per eisdem iuuarerunt. Omnium namque exordia paruulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantia, sub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec vlllo modo eis nisi per alios consuli potest, & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel prauo agitur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt. Et cum ipsi nec presentis vitæ desiderium habuerunt, nec futuræ: quam ipsorum factum est nasci, tantum ipsorum efficitur non renasci: Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio specialis exeritur, ita etiam circa innumeros paruulos eadē manifestatur electio, quæ quidem nec illis qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed iis qui renati sunt, præ parentibus affuit: ita ut multis sæpe quos suorum impietas deseruit, alienorum cura seruerit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat prouidenda per proximos. In quo opere gratiæ quis nisi arrogantissimus atque vanissimus de diuina iustitia conqueratur, quod non omnibus paruulis similis prouidentia consulat, omniæque pericula quæ moriturorum regenerationem prohibere possunt, aut potestate submoueat, aut miseratione præueniat? Quod vti que erga omnes ita fieret, si ita fieri omnino deberet. Non autem latet quantum cordibus fidelium desideria gigneretur, si in baptizandis paruulis nihil de cuiusquam negligentia, nihil de ipsorum esset mortalitate metuendum: quandoquidem ut tales baptismo fraudarentur, nullo modo posset accidere. Hac verò tam inamissibili felicitate infantium vehementissimè opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam dei secundum merita hominum dari audeat contra fidem catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentia hoc tota æquitate deberi, ut neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perstringeret: nec impiè à quodam de paruulorum baptismo dictum fuisset. Habet gratia quod adoptet, non habet vnda quod diluat. Sed hoc detestabiliter prædicatum omnes discipuli veritatis intelligunt: & inde manifestum est eos qui salui fiunt, non merito, sed gratia liberari, quia sine baptismo mortuos perisse non dubium est. Qui vti que nisi grauissimi peccati essent participes, non periret. Nunc autem occulta quidem dei discretionem, sed iusta sic ostenditur & quid conferat gratia, & quid preuaricatrix mereatur natura: ut nec contra donum eleuetur superbia, nec contra periculum cesset industria. Siue igitur nouissima contemplentur secula, seu prima, seu media, rationabiliter & piè creditur omnes homines saluos fieri deum velle, semperque voluisse: & hoc non aliunde monstratur, quam deus beneficiis, eaque prouidentia dei, quam vniuersis genera-

Prouerb. 9.

1. Tim. 2.

Eccles. 25.

generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt huiusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quærendum verum Deum possent homines adiuuari: quibus donis authorem suum per omnia secula protestantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est. Quæ licet copiosius nunc quam antè præstetur, causas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, & intra secretum potētissimæ voluntatis occuluit: quæ si omnibus vniiformiter affluerent, non laterent. Et quàm nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset existeret, ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit & hanc multis tribuere, & illam à nemine submouere, ut ex vtraque appareat non negatum vniuersitati, quod collatum est portioni: sed in aliis præualuisse gratiam, in aliis resluisse naturam. Hanc quippe abundantiore gratiam ita credimus, atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam, quo quicquid in saluandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur, cum etiam ipsis paruulis per alienæ voluntatis subueniatur obsequium.

Quomodo gratia tanquam famulam & receptoricem donorum suorum præparet voluntatem.

CAP. IX.

Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidii, ut diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod superno femine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos siue manifestos omnibus adhibetur: & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, siue profectus fidelium, siue vsque in finem perseverantium cogitemus genus, nulla species cuiusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono diuinæ gratiæ, vel sine consensu nostre voluntatis habeatur. Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quæ vocat, primam sibi receptoricem & famulam donorum suorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est. Hunc autem consensum non solum cohortatio prædicantium, & incitamenta doctrinæ, sed & metus gignit, propter quod scriptum est: Principium sapientiæ timor Domini. Qui quantilibet terroribus inferatur, non aliud agit, quam ut quem fecerit timentem, faciat & volentem, nec solum volentem, sed etiam sapientem. Vnde & illud scriptum est: Beatus cui donatum est habere timorē Dei. Quid enim tam beatificum quam hic timor,

qui genitor eruditiorque sapientiæ est? In cuius vti que deuotione deuota est & voluntas, quæ authore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cum ergo hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus auferitur, sed illa potius quæ mentem premebat caligo discutitur, ut voluntas deprauata prius atque captiua recta efficiatur & libera. Vnde sicut animus nihil virtutis capit nisi radium veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat, confert: nisi oculos in eo aperuerit voluntatis. Quæ in plerisque (sicut superius disputatum est) ab ipso initio sui ardentissima citis & magnis ditatur augmentis: in plerisque autem tardè cunctanterque proficiens, vix ad ea incrementa prouehitur, quæ idoneam ad perseverandum habeant firmitatem. Dicit quidem Dominus: Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum. Sed hoc idè dictum est, ut illam fidem sine qua nemo ad Christum venit, ex patris haberi munere nouerimus, secundum illud quod Apostolo dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent. Non enim esset vnde traherentur, si sequaces fide & voluntate non essent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt, neque accedunt qui dissentiant, sed recedunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur: dilecti enim sunt, & dilexerunt: quæ sita sunt, & quæ fieri: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt: qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem quæ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset à fide. Neminem concupiscentia vinceret, neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimium procliuisque descensio est, nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, qua Apostolis dicitur: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Vbi si de vigilando tantum, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cum addidit: Et orate, satis docuit superni futurum muneris, ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Tale est & illud quod ait: Simon, Simon, ecce Satanas expostulauit ut vos cerneret velut triticum, ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos, & roga, ne intretis in tentationem. Si ergo defectura erat fides tanti Apostoli nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ posset in tentatione nutare, & non ita iam perseverantiæ fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius. Siquidem tam grauis cum perturbatio etiam post ista concusserit, ut in Caiphæ domo vnus ancillæ interrogatione pauesfactus, vsque ad trinam negationem Christi, cui moriturum se sponderat, constantia deficiente perductus sit. Qui ergo tunc cõturbatum cor Apostoli, non humanis, sed diuinis conuenit oculis, & ad largos pœnitundinis fletus potenti incitauit aspe-

Ioan. 6.

Matth. 16.

Matth. 26.

Lucæ 22.

Matth. 26.

ctu, potuit hanc firmitatem animi precipuo conferre discipulo, vt sicut ipsum Dominum nihil ab explenda passionis proposito deterrebat, ita nec beatum Petrum vlla tunc formido superaret. Sed hæc stabilitas, illius tantummodò propria fuit, qui solus verè poterat dicere: Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumere eam. In cæteris verò hominibus, donec caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, & donec spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi firmitudo nõ potest reperiri: quoniam non huius, sed alterius vite est verè perfecta & secura fœlicitas. In præsentis autem agonis incerto, vbi tota vita tentatio est, & ab insidiantia superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet virtutem perseverandi vsque in finem diuina protectio, à nullis tamè aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, vt in omnibus studiis eorum atque conatibus semper inter se velle & nolle decertet. Quam compugnantiam idem beatissimus Petrus etiã in ipsa palmarum omnium consummatione perfecit. Siquidem hoc ipse Dominus protestetur & dicat: Amen, amen dico tibi, quãdo iuuenis eras, præcingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autè senueris, extendes manus tuas, & alius te præcinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum. Quis ergo ambigat, quis ignoret hæc fortissimã petram quæ ab illa principali petra cõmunionem & virtutis sumpsit & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia donaretur? Veruntamè ita inuitabilis erat oblectatio trepidationis, vt vir martyrij audissimus, adepturus quidem denunciari victoriam passionis, sed non sine tétatione formidinis. Merito igitur non solum ab incipientibus, verum etiam à prouectissimis sanctis vniformiter Domino supplicatur, & dicitur: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Vniuersis enim qui in fide & dilectione permanet, ab ipso donatur ne in tentatione superentur: vt qui gloriatur, in Domino gloriatur: ipsamque gloriam iisdem quibus eam impertit, adscribit: vt quamuis auxilio Dei steterint, tamen quia in se habebant vnde caderent, ipsorum sit meritum quod steterunt. Igitur sicut qui crediderunt, iuuantur vt in fide maneat: sic & qui nondum crediderunt, iuuantur vt credant. Et quæ admodum illi in sua habent potestate vt exeant: ita & isti in sua habent potestate ne veniant. Fitque manifestum quòd diuersis atq; innumeris modis omnes homines vult Deus saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui nõ veniunt, sua pertinacia reluctantur. Quãuis autem multi amantes tenebras suas, splendorem non recipiant veritatis, & multi qui illuminati fuerant, tenebescant: verbum tamen Dei manet in æternum, & de promissionis veritate nihil excidit. Intra quotidie præcisa & promissa gentium plenitudo, & in Abrahamæ femine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim pater filio dedit, filius non amittit, neque quisquam potest de manu eius eripere quod accepit. Firmum fundamentum Dei stat, & mansuri in æternum templi ædifica-

1. Ion. 10.

Galat. 5.

Matth. 26.

1. Ion. 21.

Matth. 6.

1. Cor. 1.

1. Tim. 2.

1. Ps. 40.

tio non vacillat, prætèta super omnes veritate & misericordia Dei: à quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in iis quos promissit, efficitur. Ipse enim operatur omnia in omnibus. Sed omnia proculdubio iusta & bona. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Qui sicut præsciuit ante secula quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus vsa donis, vel specialibus adiuta præfidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vite ingressura esset latitudinè erroris & mortis: ita semper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per seruitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: vt nullo excidete de plenitudine promissorum, qui nec prouectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus quos eligit ex omnibus. Vniuersitati quippe hominum, quod abundè probauimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper & consulit, vt neque vlli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari, cum & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & istos Dei gratia perducat ad gloriam.

De recapitulatione in hoc secundo libro definitorum & operis conclusione, quem admodum videlicet Deus omnes homines velit saluos fieri. CAP. X.

Quod itaque in principio secundi huius voluminis insinuauimus, hoc nunc iterum commedamus, vt cum de gratiæ profunditate & altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis & veracissimis definitionibus sumus innixi. Quarum vna proficitur æternum & proprium diuinæ esse bonitatis, vt omnes homines saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Alia simul prædicat omnem hominem qui saluus fit, qui que in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio iuari & regi, vt que in fide quæ per dilectionem operatur permaneat, custodiri. Tertia verò temperanter & sobriè protestatur non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, & multas diuinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas: vt cum in temporibus, in nationibus, in familiis, in paruulis, in nondum natis & genitis quedam aut variè aut insigniter gesta noscuntur, non ambigimus ea ex illis esse quæ iustus & misericors Deus in hoc trãsituro seculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiendum est, vt quoniã salui facti sumus, cui preparauit Deus, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, sicut constanter credimus videndum quod nondum videmus: ita patienter expectemus intelligendum quod nondum intelligimus. Si ergo cesset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conualescat: his rectè (vt arbitror) pertractatis, nullius superest causa certaminis, neque vltra necesse est nos interminabilibus quæstionibus occupari. Elaboratum est enim quantum Dominus adiuuit, vt non solum in nouissimis diebus, sed etiam in cõstis retrò seculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, prouidentia quidem pari, & bonitate generali, sed multitudo opere, diuersaq; mētura: quoniam siue occultè siue manifestè, ipse est

Psalm. 4.

1. Tim. 4.

1. Tim. 1.

Galat. 3.

1. Cor. 3.

(vt

(vt Apostolus ait) saluator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ breuitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totã hanc de qua egimus controuersiam dirimit. Dicendo enim, qui est saluator omnium hominum, confirmat bonitatem Dei super vniuersos homines esse generalem. Adiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inspirata, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis prouehatur: quod vtique nulla iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi Dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogãtia discutiendum, sed cū tremore laudandum est: siquidem in ipsis quoque fidelium populis (quod iam superius ostensum est) non eadem omnibus nec paria conferantur, & ante vlla humanorum pondera meritorum, dissimillima diuinorum mensura sit munerum. Si enim de parentum carnalium iudiciis conqueri non audemus, cum aliquos filios suos ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu, in dominis quoque erga famulos libera est dispositio, nec iustè à quoquam reprehenditur qui de vnus conditionis familia quosdam sibi quos benignius honestaret, & quos liberius erudiret, elegit: nunquid de summi patris & veri Domini beneuolentissima æquitate causandum est, quod in magna domo eius innumeris differentiis vniuersa variat? Cumque nemo aliquid boni habeat quod non ille donauerit, non omnes tamen iisdem virtutibus micant, aut eadè charismatum dote ditantur. Nec possumus hæc diuersitatem graduum causis aptare meritorum, cum totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius opibus sumitur quicquid in singulis probabile reperitur. Sicut ergo de iis quæ intra ecclesiã multiformiter Spiritus sanctus operatur, impium est vllam querelam corde concipere: ita etiam de illa prouidentia quæ infidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est: quoniam & iustus & bonus arbiter nec voluntatis iniquæ est, nec discretionis incertæ, vt sub immensa omnipotentis Dei misericordia atque iustitia, putemus quòd quisquam peccat qui perire non debeat. Nulla pars mundi ab euangelio vacat Christi, & licet illa generalis vocatio non quiescat, tamen etiam ista specialis iam vniuersis est facta communis. Ex omni gēte, ex omni conditione adoptantur quotidie milia senum, milia iuuenum, milia paruulorum, & effectibus gratiæ Christianæ etiam ipsa quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quam multos enim qui in tranquillitate pacis, sacramentum baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis confugere instantis periculi metus impulit, & lentis tepidisque animis quod diu cohortatio quæta nõ suasisit, minax subitò terror extorsit. Quidam ecclesiæ filij ab hostibus capti domino suos Christi euangelio manciparunt: & quibus conditione bellica seruiebant, eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alij Barbari dum Romanis auxiliantur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, & ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt. Ita nihil obfistere diuinæ gratiæ potest, quominus id quod voluerit, impleatur, dum etiam discordiæ ad vnitatem

trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, vt ecclesia vnde metuit periculum, inde sumat augmentum. Ad quoslibet igitur rerum humanarum exitus se nostra conuertat inspectio, nulla secula, nulla negotia, nullos generationum ortus atque decessus ab æternis & inscrutabilibus iudiciis Dei vacare reperiet. Omnes varietatum compugnantia, & vniuersæ dissimilium prouectuum causa, quas inuestigare & discernere nõ valemus, in illa æterna scientia simul notæ, simulque diuisæ sunt. Et nihil ibi inordinatum est etiam de necdum existentium qualitibus actionum: quoniam non est in Deo accidens motus, aut noua voluntas, aut temporale cõsiliium, nec cogitatio eius cum rerum mutabiliu inæqualitate variatur, sed cuncta pariter tempora & temporalia sempiterno ac stabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia iam retribuit, qui quæ sunt futura, iã fecit. Hinc illud est beati Pauli Apostoli scribentis ad Ephesios: Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum Dominum nostrum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ: & cætera quæ sub eiusdem sensus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno semper Dei mansisse consilio, omnesque adoptionis filios, non solum in eo tempore quo iam existentes vocati sunt, sed etiã priusquam mundus conderetur, electos. In qua electione quicquid hominum in Christo præcognitum nõ est, nulla eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cuiuslibet temporis vocatione venturi sunt, in ista quæ secula cuncta præcessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus infidelium in hac sorte numeratus, ita nullus piorum ab hac sorte discretus est. De plenitudine quippe membrorum corporis Christi, præscientia Dei, quæ falli non potest, nihil perdit, & nullo detrimento minui potest summa præcognita, atque in Christo ante secula æterna præelecta, sicut ad Timotheum scribens Apostolus, dicit: Collabora euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna. Contra hanc inuictæ veritatis splendidissimam lucem solèt quidam non sobriè dicere, superfluo ad acquirenda bonorum operum merita laborari, frustra etiã orationibus quibus Deus exorandus speratur, insisti, si ex incommutabili proposito eius Christianæ gratiæ subsistit electio: nec aliter quicquam procedere potest quam omnipotentis voluntate dispositum est. Sed qui se ingeniose hoc arbitrantur opponere, non intelligunt scientiam Dei, quæ & præterita & præsentia & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conspectu eius ad stare ea quæ gerenda sunt, quam illa quæ aut geruntur, aut gesta sunt. Quod cum verissimum sit, non indiget mora cernendi & discernendi illa virtus quæ perpetuo veròque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda simul aspiciat: & quicquid in vniuersitate rerum per secula præfinita

1. Ephes. 1.

2. Tim. 6.

C

euoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totū in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipſius ſummo illo perfectōque iudicio mundi huius finis accipiet. Hæc autem æterna & ſemper trāquilla cognitio nulla nos vrget neceſſitate peccandi: nec inde manat iniquitas, vnde iuſtitia: quia cū bonus Deus omnia bona fecerit, & mali nulla ſit omnino natura, à liberis voluntatibus, quas vtiq̄ bonū fuit liberis fieri, ſpontanea eſt orta trāſgreſſio, & natura mutabilis, cuius incolumitas ab incommutabili pēdebat eſſentia, à ſummo ſe bono dum proprio peruerſe delectatur abruptit, cui nunc ruinae medetur gratia Dei. Et propterea Ieſus Chriſtus venit in hūc mundum, vt ſoluat opera diaboli, quę vtiq̄ ſic ſoluuntur, vt in deſtructione eorū, etiam ab iis quibus ſuccurritur, laboretur, quoniā & hoc à ſaluante donatur. Ideo beatus Apoſtolus: Non ſolū, autem, inquit, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autē probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem nō confundit, quia charitas Dei diſfuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Itēque idem ad Ephēſios: Gratia, inquit, ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donū eſt, non ex operibus, ne quis gloriētur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto in operibus bonis, quę præparauit Deus vt in illis ambulemus. Deus ergo iis quos elegit ſine meritis, dat vnde orientur & meritis. Et fruſtrā dicitur quod ratio operandi non ſit in electis, cū etiam ad hoc operētur vt electi ſint. Virtutum quippe munera ocioſa eſſe non poſſunt, quoniam ſicut veritas ait: Omni habēti dabitur, non habēti autem etiam quod habet auferetur ab eo. Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiſcentiis non repugnet: nec ideō cuiquā tribuitur ſapientia & intellectus, vt non die ac nocte in Domini lege meditetur. Quid agit donum dilectionis, ſi beneuolentię ſolicitudo non vigilat? Quis fructus eſt patientiæ, ſi nō habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Chriſto piē viuere oſtēditur, qui nulla perſecutione pulſatur? Vel pax quę eſt à Deo, & cū Deo, nunquid bene quieta eſt ſi non diſcordat à mundo? Aut amor Dei poterit ſine diaboli inimicitii obtineri? Nemine prorfus Dei gratia intentabilem facit, neque ob hoc cœleſtium armorū

Roman. 5

Ephes. 2.

Matth. 25.

FINIS.

Capitula libri primi de Fide.

- Expoſitio fidei noſtræ.
- De vno Deo.
- Expoſitio dogmatis Arriani.
- Non eſſe diſſimilem patri filium Dei.
- De ſempiterno Dei filio.
- Non eſſe creaturam Dei filium.
- Quod facturam vel creaturam Dei filium dicant Arriani.
- Definitio patrum de fide.

- Cap. I.
- Cap. II.
- Cap. III.
- Cap. IIII.
- Cap. V.
- Cap. VI.
- Cap. VII.
- Cap. VIII.

Ambroſio

Ambroſio religioſo Sacerdoti omnipotentis Dei Gratianus
Augustus.

CVPIO valdē quem recordor abſentem, vt cū quo mente ſum, cū eo etiam corpore ſim præſenti. Feſtina igitur ad me religioſe Dei ſacerdos, vt doceas doctriam veram credentem, non quo cōtētionē ſtudeā, aut velim Deum verbis magis quā mente cōplecti, ſed vt magis aperto peſtori reuelatio diuinitatis inſidat. Docebit enim me ille quē nō nego, quem fateor Deum ac Dominum eſſe meum, non ei obiiciens quam in me video creaturam, quia

A Chriſto nihil me addere poſſe confiteor: velle tamē vt etiam patri me commendem filium prædicando. Non ego in Deo verebor inuidiam, non me talem laudatorem putabo, qui diuinitatem verbis augeā. Ego infirmus & fragilis quantum poſſum prædico, non quantum eſt ipſa diuinitas. Rogo te vt mihi de ipſum tractatum quē dederas, augendo illic de Spiritu ſancto fidelem diſputationem, ſcripturis atque argumentis Deum eſſe conuince. Diuinitas te feruet per multos annos, parens, & cultor Dei æterni, quem colimus Ieſum Chriſtum.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS, DE FIDE AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER I.

PROLOGVS.

3. Reg. 10.
2. Paral. 2.

REGINA Aſtri venit audire ſapientiam Salomonis, vt in libro Regnorum legimus. Hirā quoque rex ad Salomonem miſit vt cognosceret eum. Tu quoque ſancte Imperator Gratiane, veteris imitator hitorie, fidem meam audire voluiſti. Sed non ego Salomon cuius mireris ſapientiam, neque tu vnius gentis, ſed totius orbis Augustus, fidem libello exprimi cenſuiſti: non vt diſceres, ſed vt probares. Quid enim diſcas Imperator Auguſte, cū ab ipſis cunabulis pio fuiſti ſemper affectu? Priuſquā te, inquit, formarē in utero matris tuę, noui te: & priuſquā exires de vulua, ſanctificauit te. Sanctificatio ergo non traditur, ſed inſunditur: & ideō diuina dona cuſtodi. Quod enim nemo te docuit, vtiq̄ Deus author inſudit. Petis à me fidei libellum, ſancte Imperator, profecturus ad prælium. Noſti enim fide magis Imperatoris quā virtute militum quæri ſolere victoriam. Nam & Abraham trecentos decem & octo duxit ad bellū, & ex innumeris trophæa hoſtibus reportauit, ſignōque Dominicę crucis & nominis, quinque regum victriçiumque turmarum ſubacto robore & ultus eſt proximum, & filium meruit & triumphum. Ieſus quoque filius Naue, hoſtes quos totius exercitus manu valida ſuperare non poterat, ſeptem tubarū ſacerdotaliū ſono vicit, vbi ducem militiæ cœleſtis agnouit. Ergo & tu vincere paras qui Chriſtū adoras, vincere paras qui fidē vindicas, cuius à me libellum petiſti. Mallem quidem cohortandi ad fidem ſubire officium, quā de fide diſceptandi. In altero enim religioſa conſeſſio eſt, in altero incauta præſumptio. Sed quoniam neque tu cohortatione indiges, neque ego excuſandi liber, vbi pietatis officium eſt, audax negotium verecunda occaſione ſuſcipiā, vt de fide pauca diſceptem, de testimoniis plura contexam. De conciliis id potiſſimum ſequar, quod trecenti decem et octo ſacerdotes, tanquam Abrahę electi iudicio, conſona fidei virtute victores, velut trophæum toto orbe ſubactis perſidis extulerunt: vt mihi videatur hoc eſſe diuinum, quod eodem numero in conciliis fidei habemus oraculum, quo in hitoria pietatis exemplum.

Eſa. 1.

Genes. 14.

Iofue 6.

1. Cor. 10.

Pſalm. 144

1. Tim. 2.

Expoſitio fidei noſtræ.

CAP. I. C meatur à cunctis. Si ergo vnus Deus, vnum nomē, vna poteſtas, vna eſt trinitas. Denique ipſe dicit: Ite, baptizate gentes in nomine patris, & filij & Spiritus ſancti. In nomine vtiq̄, nō in nominibus. Ipſe etiā dicit: Ego & pater vnum ſumus. Vnum dixit, ne fiat diſcretio poteſtatis. Sumus addidit, vt patrē filiūque cognoscas, quo perfectus pater perfectum filiū genuiſſe credatur, & pater & filius vnum ſint, non confuſione, ſed vnitare naturæ.

Matth. 28.

Ioan. 10.

De Deo vno.

CAP. II.

Deut. 6.

Exod. 15.
Eſaia 42.

D VNUM ergo Deum, non duos aut tres deos dicimus, vt impia Arrianorum herēſis dū criminatur incurrit. Tres enim deos dicit, qui diuinitatē ſeparat trinitatis, cū Dominus dicēdo: Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti, vnus eſſe trinitatem poteſtatis oſtenderit. Nos patrem & filium & Spiritum ſanctum conſitemur, ita

Matth. 28.

C ij

Matth. 12.

Matth. 7.

Psal. 68.

Ioan. 8.

Acto. 4.

1. Cor. 6.

vt in trinitate perfecta & plenitudo sit diuinitatis, & vnitas potestatis. Omne regnum in se diuisum facile destruetur. Dominus hoc dicit. Nō ergo diuisum est regnum trinitatis. Si diuisum non est, vnum est: quod autem vnum nō est, diuisum est. Tale ergo regnum esse cupiūt trinitatis, quod diuisione sui facile destruetur. Imo quia nō potest destrui, constat nō esse diuisum. Non enim diuiditur vnitas nec scinditur, & ideo nec corruptela subditur nec atati. Non quicūque, inquit, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Non ergo perfunctoria fides debet esse, Imperator Auguste. Scriptū est enim: Zelus domus tuæ comedit me. Itaque fidei spiritu & mēte deuota Iesum Dominū inuocemus, Deum esse credamus, vt in nomine eius quicquid à patre petimus impetremus. Pater enim se per filium vult rogari. Filius vult rogari patrē. Concordat pietatis gratia, nec virtutis facta discordant. Quæcunq; enim pater facit, eadem & filius facit similiter. Et similiter facit, & eadē facit filius: sed vult rogari patrē in eo quod ipse facturus est, vt non impossibilitatis iudicium, sed vnitatem potestatis agnoscas. Iure igitur adorandus atque venerandus est Dei filius, qui mundum diuinitate sua cōdidit, & nostrum pietate sua informauit affectum. Et ideo bonū Deum, sempiternum, perfectum, omnipotentem, verum debemus credere, vt in lege accepimus & Prophetis, scripturisque diuinis cateris, quia sine his Deus nō est. Non potest enim bonus non esse qui Deus est, cū in natura Dei plenitudo bonitatis sit. Neque ex tēpore Deus potest esse, qui fecit tēpora, neque potest imperfectus Deus esse. Qui enim minor est, imperfectus vtique est, cui desit aliquid quo maiore possit æquare. Hęc igitur fidei nostræ prædicatio. Deus malus non est, Deo impossibile nihil est, Deus temporalis non est, Deus minor non est. Si fallor, redarguant. Quia igitur Deus Christus, & bonus vtique & omnipotēs, & sempiternus, & perfectus, & verus est. Hęc enim in natura diuinitatis sunt. Aut igitur negēt naturam diuinitatis in Christo, aut quæ diuinæ naturæ sunt, Deo negare non possunt. Certē ne quis possit errare, sequatur ea quibus scriptura sancta vt intelligere possimus filium significat. Verbum dicitur, filius dicitur, Dei virtus dicitur, dicitur Dei sapientia. Verbum, quia immaculatus: virtus, quia perfectus: filius, quia genitus ex patre: sapientia, quia vnum cum patre, vnum æternitate, vnum diuinitate. Non enim pater ipse qui filius, sed inter patrē & filiū generationis expressa distinctio est, vt ex Deo Deus, ex manente manens, plenus è pleno sit. Non sunt igitur hęc nuda nomina, sed operatricis virtutis indicia. Est enim plenitudo diuinitatis in patre, est plenitudo diuinitatis in filio, sed non discrepās, sed vna diuinitas. Nec cōfusum quod vnū est, nec multiplex quod indifferens. Etenim si omnium credentium, sicut scriptum est: Erat anima vna, & cor vnū. Si omnis qui adhæret Domino, vnus spiritus est, vt Apostolus dixit: Si vir & vxor in carne vna sunt, si omnes homines, quantum ad naturam pertinet, vnus substantiæ sumus: si hoc de humanis scriptura dicit, quia multi vnum sunt, quorū nulla potest esse cum diuinis comparatio: quanto magis pater & filius in diuinitate vnum sunt, vbi nec substantiæ

nec voluntatis vlla est differentia. Namque aliter quomodo vnum Deum dicimus? Diuersitas plures facit, vnitas potestatis excludit numeri quantitatem, quia vnitas numerus non est, sed hęc omnium ipsa principium est. Quantā verò scriptura diuina patris & filij secundum diuinitatem expresserit vnitatē, prophetica testantur oracula. Sic enim dicit Dominus sabaoth: Labor Ægypti, & mereatus Æthiopum & Sabain, viri excelli ad te transfibunt, & tui erunt serui, & post te sequentur alligati vinculis, & adorabunt te, & in te deprecabuntur, quoniā in te est Deus, & non est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israël. Audis propheti- cam vocem. In te, inquit est Deus, & non est Deus præter te. Quomodo hoc secundum Arrianos conuenit? Necessē est negent aut patris aut filij diuinitatem, nisi eiuſdem diuinitatis crediderint vnitatem. In te, inquit, est Deus, quoniam in filio pater. Scriptum est enim: Pater qui in me manet, ipse loquitur: & opera quæ ego facio, & ipse facit. Sed & atibi in patre filius est, quia dicit: Ego in patre, & pater in me est. Dissoluāt si possunt hanc naturæ proprietatem, & operis vnitatem. Deus igitur in Deo est, sed non duo dij. Scriptum est enim quia vnus Deus, & Dominus in Domino, sed non duo Domini, quia æquē scriptum est: Nolite duobus dominis seruire. Et lex dicit: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Et vtique in eodem est testamento: Pluit Dominus à Domino. Dominus, inquit, à Domino pluit. Sic & in Genesi habes: Et dixit Dominus, & fecit Deus. Et infrā: Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei, sed tamen non duo dij, sed vnus Deus fecit. Vtrobique igitur vnitas operationis seruatur & nominis. Nam vtique cū legimus, deus ex deo, non duos deos dicimus. Denique habes in Psalmo quadragesimo quarto, quod & deum patrem dicit Propheta, & deum filium declarauit, dicens: Sedes tua deus in seculum seculi. Et infrā: Vnixit te deus deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Deus est qui vngit, & deus qui secundum carnem vngitur dei filius. Denique quos habet vnctiōis suæ Christus nisi in carne consortes? Vides igitur quia deus à deo vnctus, sed in assumptione naturæ vnctus humana dei filius designatur, nec legis forma violatur. Et hęc ergo cū dicitur: Pluit dominus à domino, vnitatem diuinitatis agnosce. Operationis enim vnitas nō facit pluralem diuinitatem, sicut ipse dominus ostēdit, dicens: Credite mihi, quia ego in patre, & pater in me: alioquin vel propter opera ipsa credite. Et hęc aduertimus quod vnitatem diuinitatis, per vnitatem operū designauerit. Vt autem vna deitas & patris & filij, & vna dominatio probaretur, ne gentilis aut Iudaicæ impietatis incurreremus errorem, prouidens Apostolus, quid sequi deberemus ostendit dicens: Vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in ipso, & vnus dominus Iesus Christus, per quē omnia & nos per ipsum. Sicut enim vnum dicēdo dominum Iesum Christum, patrem dominum non negauit: ita vnum dicēdo deum patrē, æquē à deitatis veritate nec filium separauit. Vnde nec pluralitatem diuinitatis, sed vnitatem potestatis ostendit: quia & in dominatione diuinitas, & in diuinitate dominatus est, sicut scriptum est: Scitote quoniam Dominus

Esai. 45.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Deuter. 6.

Matth. 6.

Luce 16.

Deuter. 6.

Genes. 19.

Genes. 1.

Psal. 44.

Ioan. 10.

1. Cor. 8.

Psal. 91.

Hierem. 4.

Baruc 3.

Esai. 33.

1. Cor. 1.

Psal. 75.

Matth. 2.

Dan. 3.

Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & nō ipsi nos. In te igitur est deus per vnitatem naturæ, & non est deus præter te, per proprietatem substantiæ, repulsam differentiæ. Et in Hieremiæ quoque libro vnū deum scriptura dicit: & tamen & patrem & filium confitetur. Itaque sic habes: Hic est deus noster, & non æstimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnē viā disciplinæ: & dedit eā Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hęc, in terris visus est, & cū hominibus cōuersatus est. De filio dicit: Ipse enim est cū hominibus cōuersatus. Et dicit: Hic est deus noster, non æstimabitur alius ad eum. Quid discutimus eū de quo tantus dicit Propheta? Sanctus spiritus dicit quod ad eum nō possit alius æstimari, Quæ enim potest esse alia æstimatio vbi diuinitatis vnitas est? Cōfitebatur hoc populus in periculis constitutus. Nesciebat serere quæstionem, quia religionem timebat. Adesto sancte spiritus Prophetis tuis quibus inesse consueſti, quibus credimus. Si Prophetis non credimus, sapientibus credo huius mundi? Sed vbi sapiēs, vbi scriba? Rusticus noster cū ficus infereret, inuenit quod philosophus ignorauit. Quæ stulta sunt enim huius mūdi elegit deus, vt confundat quæ sunt fortia. Credimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa deus: sed hoc ipsum negant, propter quod credimus, quia non nouerunt patrē qui filium negauerunt. Vnum deum cōmunis natura testatur, quia vnus est mundus. Vnum deum fides significat, quia vna fides noui & veteris Testamenti. Vnum Spiritū sanctū testificatur gratia, qui vnum baptismum in nomine trinitatis est. Vnum deum Prophetæ dicunt, Apostoli audiunt. Vnum deum Magi crediderunt, & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerūt. Auro regē fatentes, vt deum thure venerantes. Thesaurus enim regni, sacrificiū dei, myrrha est sepultura. Quid igitur voluerūt sibi mystica munera inter abiecta præsepia, nisi vt intelligeremus in Christo differentiam diuinitatis & carnis? Vt homo cernitur, vt Dominus adoratur, iacet in pannis, sed fulget in stellis. Cunæ nascentē indicāt, & stellæ dominantem. Caro est quæ inuoluitur, diuinitas, cui ab angelis ministratur. Ita nec dignitas naturalis maiestatis amittitur, & assumptæ carnis veritas comprobatur. Hęc est fides nostra. Sic se deus cognosci voluit ab hominibus, sic tres pueri crediderunt, nec incendia circumiecta senserunt, cū infidos noxius ignis exureret, & fideles innoxia flamma roraret, quibus aliorum incendia refrigerabant, quia merito dei perdiderat suam pœna naturam. Aderat enim in specie angeli qui monebat, vt in numero trinitatis, vnus esset laudatio potestatis. Bene nedicabatur deus, videbatur in angelo dei filius, sancta & spiritalis in pueris gratia loquebatur.

Exposi. io dogmatis Arriani. CAP. III.

Nunc consideremus quas Arriani dei filio inferant quæstiones. Dissimilem patri dicunt esse dei filium. Hoc si homini obiiciatur, iniuria est. Ex tempore cœpisse dicunt dei filium, cū conditor ipse sit temporum. Homines sumus, & esse nolumus temporales. Ex tempore cœpimus, & sine tempore futuros esse nos credimus, & fieri nos optamus æternos. Et quomodo negare possumus dei filiū sempiternum, quem sempiternum docet atque demō-

strat natura nō gratia? Creatum dicit. Quis authorē inter opera sua deputet, vt videatur id esse quod fecit? Bonum negant. Sacrilega vox ipsa se damnat, vt indulgentiam sperare non possit. Negant verum dei filium, negant omnipotentē, cū fateantur omnia facta per filium, omnia creata per dei esse virtutem. Quid est enim virtus, nisi perfecta natura? Negant etiam diuinitate vnum esse cum patre. Deleāt ergo euangelium, deleant Christi vocem. Ipse enim dixit: Ego & pater vnum sumus. Non ego hoc dico, Christus dixit. Nunquid fallax vt mentiretur? Nunquid impius, vt quod nō erat, vsurparet? Sed singula suis locis plenius digererentur. Nunc quoniam hæreticus dicit esse dissimilem, idque versutis disputationibus adstruere nititur, dicendum est nobis quod scriptum est: Cauete ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, & secundum elemēta huius mundi, & non secundū Christum, quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Omnem enim vim venenorū suorum in dialectica disputatione constituunt, quæ Philosophorum sententia definitur, non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica complacuit deo saluū facere populū suum. Regnum enim dei in simplicitate fidei est, non in contētionē sermōnis. Non esse dissimilem patri filium Dei. CAP. IIII.

Dissimilem igitur dicunt esse. Non negamus: imō potius horremus hanc vocē. Sed nolo argumēto credas sancte Imperator, & nostræ disputationi, scripturas interrogemus, interrogemus Apostolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Christum. Quid multa? Patrē interrogemus, cuius honori studere se dicunt, si filius degener iudicetur. Sed nō est honorificentia boni patris, filij iniuria. Non potest bono patri placere si filius degenerasse potius a patre, quam patrem æquasse credatur. Da veniam sancte Imperator, si ad ipsos paulisper verba cōuerto. Sed quem potissimum legā, Eudoxium, Eunomiūve, an Arrium vel Aëtium eius magistros? Plura enim nomina, sed vna perfidia, impietate non dissonans, communionē discordans, non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta. Cur enim secum nolint cōuenire, non intelligo. Eunomij personam diffugiunt Arriani, sed eius perfidiam asserūt, impietatem exequuntur. Aiunt enim prodidisse effusius quæ Arrius scripserat. Magna cæcitatē effusio. Authorem probant, executorem refutant. Itaque nūc in plures sese diuisere formas. Alij Eudoxium, alij Eunomiū, vel Aëtium, alij Palladium vel Demophilum, atque Auxentium, vel perfidiæ eius hæredes sequuntur, alij diuersos. Nūquid diuisus est Christus? Sed qui cū a patre diuidunt, ipsi se scindunt: & ideo quoniam communiter aduersus ecclesiam dei, quibus inter se ipsos non conuenit, conspirarunt, cōmuni nomine hæreticos quibus respōdendum est, nominabo. Hæresis enim, velut quædam Hydra fabularū, vulneribus suis creuit. Et dum sæpe reciditur, pullulauit, igni debita, incendiōq; peritura. Aut velut quædam monstruosi Sylla portenti in varias formas distincta perfidiæ, velut supernè vacuum Christianæ sectæ nomen obtendit. Sed quos in illo impietatis suæ freto miseris inter naufragia fidei repererit flu-

Ioan. 10.

Colos. 1.

1. Cor. 4.

Hydra.

Sylla.

1. Cor. 1.

Eccles. 28.
Phillip. 3.
ad Tit. 3.

Colos. 1.

Hebr. 1.

Psalms. 35.
Sap. 7.

Ioan. 14.

Genes. 1.

1. Ioan. 3.

Genes. 1.

et uates beluinis succincta prodigijs tetri dogmatis sauo dente dilacerat. Cuius speluncam, sancte Imperator, ut ferunt nautae, caecis latebris inhorretem, omnemque eius viciniam ceruleis canibus inter perfidiae saxa resonantem, clausa quodammodo praterire aure debemus. Scriptum est enim: Sepi aures tuas spinis. Et alibi: Videte canes, videte malos operarios. Et iterum: Haereticum post primam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio damnatus. Itaque tanquam boni gubernatores quo tutius praetermeare possimus, fidei vela tēdemus, scripturarumque relegamus ordinem. Apostolus dicit imaginem patris Christum esse: ait enim quod ipse sit imago dei inuisibilis, primogenitus vniuersae creaturae. Primogenitus, inquit, non primo creatus, ut & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur. Alibi quoque; Apostolus asseruit quod ipsum posuit heredem omnium, per quem fecit & secula, qui est splendor gloriae, & character substantiae eius. Imaginem Apostolus dicit, & Arrius dicit esse dissimilem. Cur imago, si similitudinem non habet? In picturis homines nolunt esse dissimiles, & Arrius dissimilem patrem contendit in filio, & vult ut pater dissimilem genuerit sui, quasi impotens qui generare similem non potuerit. Prophetae dicunt: In lumine tuo videbimus lumen. Prophetae dicunt: Splendor est enim lucis aeternae, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Vide quanta dicatur. Splendor quod claritas paternae lucis in filio sit. Speculum sine macula, quod pater videatur in filio. Imago bonitatis, quod non corpus in corpore, sed virtus in filio tota cernatur. Imago docet non esse dissimilem, character expressum esse significat, splendor signat aeternum. Imago itaque non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris, sed simplex de Deo, egressa de patre, expressa de fonte. Per hanc imaginem Philippo patrem Dominus demonstravit, dicens: Philippe, qui me videt, videt & patrem. Et quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Videt enim in imagine patrem, qui videt in filio. Vides quam imaginem dicat. Imago ista veritas est, imago ista iustitia est, imago ista Dei virtus est, non muta, quia verbum est: non insensibilis, quia sapientia est: non inanis, quia virtus est: non vacua, quia vita est: non mortua, quia resurrectio est. Vides ergo quia dum imago dicitur, patrem significat esse cuius imago sit filius, quia nemo potest ipse sibi imago sua esse. Plura possem de filio testimonia dicere, sed ne forte ipse sibi nimium fauisse dicatur, patrem interrogemus. Nempe ipse dixit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Pater filio dicit: Ad similitudinem nostram: & tu dissimilem filium Dei dicis? Ioannes dicit: Dilecti filij Dei sumus, & nondum apparet quid erimus: scimus quia si reuelatum fuerit, similes ei erimus. O improvida amentia. O impudens peruicacia, homines sumus, & in quo possumus, ad similitudinem Dei erimus, & similem audent Dei filium denegare? Ergo pater dicit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. In principio ipse mundi patrem & filium esse audio, & vnum opus cerno. Audio loquentem, agnosco facientem, sed & patris & filij vnae imaginem,

vnam similitudinem lego. Similitudo haec non diuersitatis, sed vnitatis est. Quod igitur tibi usurpas, filio Dei derogas, cum utique nisi per imaginem Dei, ad imaginem Dei esse non possis.

De sempiterno Dei filio. CAP. V.

Claret igitur non esse dissimilem, & ideo procliuor via est, ut etiam sempiternum esse fateamur, cum similis sempiterno utique sempiternus sit. Si autem patrem sempiternum dicimus, & hoc idem filium denegamus, dicimus esse dissimilem. Sempiterno enim temporale dissimile est. Clamat Propheta sempiternum, clamat & Apostolus sempiternum. Plenum est vetus testamentum testimoniis filij sempiterni, plenum est nouum. Ordinem ergo teneamus. Scriptum est in veteri testamento, ut vel vnum est pluribus dicam: Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit. Nihil ergo argumentabor, te ipsum interrogo. Quis hoc dicit, pater, an filius? Vtrum dixeris, eo te conuinci intelliges, vel si credas, doceri. Quis ergo hoc dicit, pater, an filius? Si filius, ante me, inquit, non fuit alius Deus: si pater, post me, inquit, non erit: hic priorem, ille posteriorem non habet, inuicem in se, & pater in filio, & filius in patre cognoscitur. Cum enim patrem dixeris, eius etiam filium designasti, quia nemo ipse sibi pater est. Cum filium nominas, etiam patrem eius fateris, quia nemo ipse sibi filius est. Itaque nec filius sine patre, nec pater potest esse sine filio. Semper igitur pater, semper & filius. In principio enim erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Erat, inquit, apud Deum. Erat, erat, erat, erat, ecce quater erat. Vbi impius inuenit quod non erat? Alibi quoque Ioannes in epistola sua dicit quod erat in principio: indefinitum tenditur erat. Quicquid excogitaueris, erat filius. Omnes autem hereses hoc capitulo breui piscator noster exclusit. Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio praevenerit. Ergo Arrius conticecat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis verbi apud patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. Et Deus erat verbum. Non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa caelestis designatione virtutis, ut confitetur Fotinus. Quod vero erat in principio apud Deum, sempiternae diuinitatis in patre & filio inseparabilis vnitas edocetur, ut erubescat Eudoxius & Eunomius. Postremo, cum omnia per ipsum facta dicantur, ipse conditor noui utique testamenti & veteris designatur, ut Manichaeus locum temptationis habere non possit. Ita piscator bonus intra vnum omnes rete conclusit, ut faceret inhabiles fraudi, quamuis essent inutiles captioni. Dic mihi haereticus, dat enim veniam clementissimus Imperator, ut te non obloquendi studio, nec audiendi cupiditate, sed exponendi gratia paulisper alloquar. Dic mihi, inquam, fuitne aliquando tempus quo omnipotens Deus pater non erat, & Deus erat? Tempus, inquit, non adstruo. Bene & argute. Si enim tempus dixeris, te ipsum conuincas: quia necesse est asseras fuisse tempus ante filium, cum filius temporis author sit, & creator. Non potest enim post opus suum ipse coepisse.

Esai. 43.

Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

Ioan. 1.

Necesse

Rom. 1.

1. Cor. 1.

Ioan. 6.

Marc. 17.
Psalms. 118.

Philip. 4.

2. Cor. 12.

Necesse est igitur authorem operis sui esse fatearis. Ante tempora, inquis, non nego filium. Sed cum filium dico, ostendo priorem patrem, quia pater, inquis, filio prior est. Quid est hoc? Negas esse tempus ante filium: & tamen nescio quid ante filium vis praecessisse quod temporis sit: & ostendis media nescio quae molimina fuisse generandi, in quo generatione patris significas temporalem. Nam si pater esse coepit, Deus ergo primo erat, postea pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus? Si enim ante Deus, postea pater, utique generationis accessione mutatus est. Sed auerat Deus hanc amentiam. Nos enim ad impietatem eorum redarguendam, hanc retulimus quaestionem: quia pia mens generationem sine tempore asserit, ut & sempiternum patrem cum filio dicat, nec aliquando asserat esse mutatum. Iungat igitur honorificentia patri filium, quem diuinitas iunxit: non separet impietas, quem generationis proprietate copulauit. Honorificemus filium, ut honorificemus & patrem, sicut in euangelio scriptum est. Sempiternitas filij, paternae maiestatis insigne est. Si iste non semper fuit, ergo ille mutatus est: sed si semper fuit filius, ergo nec pater aliquando mutatus est, qui immutabilis semper est. Itaque videmus quod illi qui volunt negare filium sempiternum, volunt patrem docere esse mutatum. Accipe aliud quod clareat filium sempiternum. Apostolus dicit quod Dei sempiterna virtus sit atque diuinitas. Virtus autem Dei Christus est. Scriptum est enim Christum esse Dei virtutem, & dei sapientiam. Ergo si Christus dei virtus, quia virtus dei sempiterna, sempiternus igitur & Christus. Non ergo ex usu generationis humanae calumniam haereticam instruas, neque ex nostro sermone componas. Neque enim angustis sermonibus nostris, immensam magnitudinem possumus diuinitatis includere, cuius magnitudinis non est finis. Namque hominis generationem si definire contendas, tempus ostendis. Generatio autem diuina supra omnia est. Latet patet, supra omnes cogitationes ascendit & sensus. Scriptum est enim: Nemo venit ad patrem nisi per me. Quicquid igitur de patre cogitaueris, quamlibet eius aeternitatem, non potes de eo aliquid nisi per filium cogitare, nec potest vllus ad patrem nisi per filium transire sensus. Hic est, inquit, filius meus dilectissimus. Est, inquit, quod indefinenter est. Vnde & dauid, In aeternum, inquit, domine permanet verbum tuum in caelo. Quod enim manet, nec substantia nec aeternitate deficit. Queris a me, quomodo si filius sit, non priorem habeat patrem? quero item abs te, quando aut quomodo filium putas esse generatum? Mihi enim impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet, non meatantum, sed angelorum. Supra potestates, supra angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est, quia scriptum est: Pax autem Christi quae est supra omnem sensum. Si pax Christi supra omnem sensum est, quemadmodum non est super omnem sensum tanta generatio? Tu quoque manum ori admoue, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod natus sit, non licet discutere quemadmodum natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc querere metus est. Nam si Paulus ea quae audiuit raptus in tertium caelum, ineffabilia dicit, quomodo

nos exprimere possumus paternae generationis arcanum, quod nec sentire potuimus, nec audire? Verum si me ad consuetudinem trahis generationis humanae, ut patrem dicas priorem, vide vtrum ad generationem Dei, terrenae generationis exempla conueniant. Si secundum hominem loquamur, negare non poteris priores esse in homine patris quam filij passiones. Prior creuit, prior senescit, prior doluit, prior fleuit: Si igitur hic tempore minor, ille antiquior passione. Si hic generationis incurrit aetatem, nec ille generandi euasit pudorem. Quid te ista quaestionum tormenta delectant? Audis Dei filium, aut dele nomen, aut agnosce naturam. Audis vterum, agnosce generationis perspicuae veritatem. Audis cor, verbum intellige. Audis dexteram, cognosce virtutem. Audis os, cognosce sapientiam. Non haec sunt in Deo corporaliter estimanda. Incomprehensibiliter generatur filius. Impassibiliter generat pater, & tamen ex se generauit, & ante omnem intellectum generauit deus verus deum verum. Pater diligit, & tu discutis: pater complacet, & tu cum Iudeis inuides: pater honorificat, & tu cum gentibus conuicias? Queris a me vtrum prior non possit esse qui pater est. Quero a te, ut doceas quando pater fuerit prior: aut testimoniis, aut argumentis collige veritatem. Si testimoniis, accepisti utique sempiternam dei esse virtutem. Legisti etiam dicentem: Israel si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis Deum alienum. Aliud horum aeternitatem, aliud proprietatem substantiae indifferentis significat, ut neque posterior, neque alterius diuinitatis filium esse credamus. Nam si posterior est, recens est: & si vnus non est diuinitatis, alienus est. Sed nec posterior, quia recens non est: nec alienus, quia ex patre natus, quia supra omnia est Deus benedictus in secula, sicut scriptum est. Sed si alienum putant, cur adorant eum, cum scriptum sit: Neque adorabis deum alienum? Aut si non adorant, fateantur, & finis est, ne quem sub religiosi nominis professione decipiant. Haec nempe sunt testimonia scripturarum. Aut si habes aliud, proferre debebis. Superest ut & argumentis veritas colligatur. Quamquam etiam humanis testimoniis argumenta cedere soleant, argumentare tamen haereticum vultes. Vtu, inquis, accepimus, eo qui nascitur priorem esse qui generat. Persequere igitur omnia vestigia consuetudinis: & si cetera conueniunt, non obfisto quin & istud requiras. Si autem nulla concordant, quemadmodum cum desint cetera, hoc solum exigit? Ergo quia usum requiris, quando generatus est ex patre, paruulus fuit, vidisti in cunis infantulum vagientem? Processus aliquos accepit aetatis? Si enim infirmitatem generationis habuit, necesse est ut non solum nascendi, sed etiam viuendi inciderit infirmitatem. Sed fortasse eo prolaberis amentem, ut de Dei filio ista non abnuas, qui cum ex infirmitate metiris humana: quid si Deum negare non potes nomine, infirmitate tamen hominem vis probare? Quid si dum filium discutis, patrem arguis: & dum Christo praui dicas, patrem adiudicas? Nam si diuina generatio subiecta temporis fuit, & id ex usu generationis versus furpatur humanae, ergo & pater corporali vtero portauit filium, decem mensium curriculis onus vexit? sed quomodo sine sexu altero generationis usus?

Psalms. 86.

Rem. 9.

Vides solemnem generationis feriem non cœpisse, & tu partus cuiusdam corporei necessitates putas fuisse solennes. Tu vsū queris, ego sexum. Tu tempus exigis, ego ordinem. Tu finem discutis, ego quæro principium. Nēpe finis ex principio, non principium pēdet ex fine. Omne, inquis, quod natum est, principium habet. Et ideo quia filius est, principium habet, & ex tempore esse cœpit, quod ipsorum ore fit dictum. Ego autem filium natum esse profiteor: quod reliquum est impietatis, horresco. Deum cōfiteris homo, & tali circumscribis calumnia? Deus hanc auertat *amentiam. Rursus obiiciunt: Ergo nō est filius si non habet quæ habent filij. Ignoscat mihi pater, ignoscat mihi filius, ignoscat Spiritus sanctus, quæstionem pro pietate *referre cupienti: Est certe pater, & manet semper, sunt etiam creaturæ pro dispositione diuina. Est ergo aliquid eorū quod non subiectum sit aut locis, aut temporibus, aut creationi, aut causæ alicui vel authori? Profecto nihil. Quid ergo dicitis? Est horum aliquid quo egeat pater? Impiū est dicere. Ergo aut definite quæ creaturarum sunt aptare diuinitati, aut si comparare cōtenditis, considerate quò vestra procedat impietas, quod absit vt vel in sensus nostros aliquādo veniat. Nos enim piam responsionem tenemus. Nanque omnipotens Deus est, & ideo nullo eorum pater indiget, quia non habet mutationem sui aliquam vel profectum quo nos egemus, quorum infirmitas ex huiusmodi rebus profectum accipit. Qui autem omnipotens est, vtique non creatus, & sine loco, & supra tempora est. Nihil enim ante Deum: imò hoc ipsum verbum, ante Deum dicere esse aliquid, graue. Ergo si ita est, quia nihil horum est in deo patre quæ profectum significant, quia deus est: nihil horum aptari etiam potest dei filio, vt vel initium accipiat vel profectū, quia deus verus ex deo vero est. Ergo quia vsitatum non reperimus ordinē, acquiesce Arriane præcipuam filij generationem fuisse. Acquiesce, inquam: & si mihi non credis, erubescere vel dei vocem dicentis: Cui me similem existimatis? Et iterum: Quia non sicut homo, ita & Deus. Etenim si operatio dei præcipua est, quia non manibus operatur aliquid, non labore cōficit, non diebus absoluit (Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mādauit, & creata sunt) cur nō credamus præcipuam generationem esse eius in filio, cuius præcipuam operationem in operibus eius agnoscimus? dignum certè est vt specialiter & præcipuè videatur generasse filium. Habeat generationis inusitata gloriā, qui habet potestatis inusitata gratiam. Non solum admirabilis ex patre generatio Christi, sed admirabilis etiam ipsa generatio eius ex virgine. Tu illam dicis nostræ similem conceptionis, & ego probo istam nostræ esse dissimilem, imò te ipsum cogā fateri. Dic quemadmodum sit natus ex Maria, quo vsu vterus cum habuerit virginalis, quomodo sine semine viri partus, vnde virgo prægnans, quemadmodum puella mater antè foeta, quam copulam vxoris experta? causa dederat, & generabatur filius. Vnde ergo legis nouatæ partus? Si igitur in virgine vsus defuit generationis humanæ, quemadmodum in deo patre propriæ generationis vsus requiritur? Certè vsus in sexu est quia sexus in carne est. Vbi ergo caro non est, quemad-

* auerrum-casit.

* proprietatis.

Num. 23.

psalm. 148.

modū carnis infirmitatem exigit? Nemo meliorem discutit. Credere tibi iussum est, & nō discutere permissum est. Scriptū est enim: Credidit Abrahā deo: nec solum in generatione filij sermo defecit, sed etiam in operibus dei. Scriptum est enim: Omnia opera eius in fide. Opera ergo eius in fide, generatio sine fide? Et discutimus quæ non videmus, qui iubemur credere magis quàm discutere quæ videmus? dicet aliquis: Quomodo generatus est filius quasi sempiternus, quasi verbum, quasi splendor lucis eternæ, quia simul splendor operatur vt nascitur? Apostoli istud exemplum est, non meum. Noli ergo credere quod fuerit vel momentum aliquod quo fuerit sine sapientia deus, aut sine splendore lux. Noli Arriane ex nostris æstimare diuina, sed diuina crede vbi humana non inuenis. Rex gentilis in igne cū tribus pueris Hebræis quarti quasi angeli vidit figurā: & quia præstare putabat angelis dei filium, quem non legit sed credi iudicauit. Abraham quoque tres vidit, & vnū adorauit. Petrus in monte Moysen & Heliam cum filio dei vidit, nec errauit in natura, nec errauit in gloria. Denique quid facere deberet, non illos, sed Christum interrogauit. Nam etsi tribus parabat obsequium, vnus tamen expectabat imperiū. Sed quoniam vel tabernaculorum numerum deferendū tribus simpliciter æstimauit, emendatur dei patris autoritate dicentis: Hic est filius meus dilectissimus, ipsum audite, id est, quid conseruos tuos cum domino socias tuo? Hic est filius meus, non Moyses filius, non Helias filius, sed hic filius. Sensit emendationem apostolus, procidit in faciem cōsternatus patris voce, & filij claritate. Sed eleuatur a filio, qui iacentes erigere consuevit. Vnum vidit, solū vidit Dei filium. Recefferunt enim seruuli, vt solus Dominus qui solus designabatur, filius videretur. Quid igitur sibi vult illa visio, nō æqualitatem Christi seruorumque significans, sed mysterium signans, nisi vt appareret nobis quod lex & prophetæ cum euangelio congruēt, sempiternū Dei filium quem annunciauerant, reuelarent? Ergo & nos cū audimus ex vtero filium, ex corde verbum, credamus quia non plasmatus manibus, sed ex patre natus: nō artificis opus, sed progenies est patris. Et ideo qui dicit: Hic est filius meus, non dixit: hic est temporalis: non dixit, hæc est creatura mea, hæc factura mea, hic seruus meus, sed hic filius meus, quam videtis in gloria. Hic est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui apparuit in rubo Moysi, de quo Moyses ait: Qui est, misit me. Non pater in rubo, non pater in eremo, sed filius Moysi locutus est. Denique de ipso Stephanus dixit: Hic est qui fuit in ecclesia in eremo. Hic est ergo qui legē dedit, ipse qui locutus est Moysi dicens, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Hic est Deus patriarcharū, hic est Deus prophetarū. Filium ergo legimus: mens tua percipit lectionē, edat lingua confessionē. Aufer hinc argumenta vbi fides queritur, in ipsis gymnasiis suis iā dialectica taceat. Nō quero quid loquatur philosophi, requiro qui faciāt, soli in suis gymnasiis remāserūt. Vide quā fides argumentis præponderet. Illi quotidie a suis confortibus deseruntur qui copiosè disputāt, isti quotidie crescunt qui simpliciter credūt. Non creditur philosophis, creditur piscatoribus:

Genes. 15.

psalm. 31.

Dan. 3.

Genes. 10.

Matth. 1.

Marc. 16.

Ibidem.

Rom. 8.

2. Cor. 3.

Ioan. 1.

psalm. 109.

Exod. 3.

Esai. 53.

Act. 7.

Ioan. 20.

non

non creditur dialecticis, creditur publicanis. Illi voluptatibus & deliciis orbem ligarunt, isti ieiuniis & doloribus exuerunt. Plures itaque iam cœpit illicite iniuria quàm voluptas. Nunc videamus quo distant a gentilibus Arriani. Illi Deos appellant disparēs sexu, dissimiles potestate: isti trinitatem asserunt differentis diuinitatis, & dissimilis potestatis. Illi deorum suorum principium asserunt temporale, & isti Christum cœpisse ex tempore mentiuntur. Nonne ex philosophia omnem impietatis suæ traxerunt colorem? Illi tamen quod veneramur amplificāt, isti Dei filium creaturam asserunt esse, qui Deus est.

Non esse creaturam Dei filium.

CAP. VI.

Patuit, vt arbitror, sancte Imperator, neque dissimilem esse patris, neque ex tempore esse Dominum Iesum. Restat vt illud quoque sacrilegium redarguatur, & probemus creaturam non esse Dei filium: in quo nobis præsentis oraculum lectionis aspirat. Audiuius enim legi dicente Domino: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euangelium vniuersæ creaturæ. Qui vniuersam creaturam dicit, nullam excipit. Et ideo vbi sunt qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, nunquid ipse sibi mandaret euangelium prædicari? Non igitur creatura est, sed creator, qui docendæ creaturæ discipulis suis mandat officium. Non ergo creatura Christus. Vanitati enim creatura subiecta est, sicut apostolus dixit. Nunquid ergo Christus subiectus est vanitati? Rursus iuxta eundem apostolum, Creatura congemiscit & comparturit vsque nunc. Nunquid ergo Christus congemiscit & comparturit qui nostros a morte gemitus liberauit? Creatura, inquit, liberabitur a seruitute corruptionis. Videmus igitur magnā inter creaturam & Dominum esse distantiam, quia seruitus creatura est, Dominus autem spiritus est: vbi autem spiritus Domini est, ibi libertas. Quis hunc induxit errorem, vt eum qui creauit omnia, qui fecit omnia, diceret creaturam? Num ipse Dominus se creauit? Si enim lectum est quod per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil: nunquid ipse se fecit? Si lectum est quod negari non potest, quia Deus in sapiētia fecit omnia: nūquid verisimile videri potest quia a seipsa est facta sapiētia? Legimus genitū, quia pater dixit: Ego ex vtero ante luciferū genui te. Legimus primogenitū filium, legimus vnigenitū. Primogenitū, quia nemo ante ipsum: vnigenitū, quia nemo post ipsum. Legimus etiā: Generationem eius quis enarrabit? Generationē, inquit, non creationē. Quis his tantis ac talibus cōferri potest? Ostēdit etiam Dei filius distantiam generationis & gratiæ dicēs: Ascēdo ad patrem meū, & patrē vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Non dixit: Ascēdo ad patrem nostrum, sed ascēdo ad patrem meum, & patrem vestrum. Separatio ista diuersitatē ostendit, quod illius genitor, noster creator sit. Et addidit: Deum meum, & Deum vestrum, quia licet ipse & pater vnū sint, & illi pater sit proprietate nature, nobis Deus pater cœperit esse per filiū nō nature iure, sed gratiæ: tamen vtramque naturam hic significare videtur in Christo, & diuinitatis & carnis. Diuinitatis ex patre, carnis, ex matre. Illamque

ante omnia, istamque ex virgine. Denique ante patrē vt filius nominauit, Deum postea vt homo nuncupauit. Vbi cuique autem Deū suum quod ex persona dicat hominis, testimonia docent. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Et alibi: De ventre matris meæ Deus meus es tu. Et supra quasi homo patitur, & infra homo est qui ex matris ventre iactatur. Itaq; cū dicit: De ventre matris meæ Deus meus es tu, significat eum qui pater semper erat, ex illo Deū sibi esse, ex quo de vtre matris iactatus est. Cū igitur in Euangelio, in Apostolo, in prophetis generationem Christi legerimus, vnde audent dicere creatum esse vel factum? Et quidem in quo creatum legerint, in quo factum, considerare deberent. Edoctū est enim Dei filium de Deo esse genitū, de Deo natū. Factum autē in quo legerint, diligenter aduertāt. Nō enim Deus factus, sed Deus Dei filius natus est. Postea autem secūdam carnem homo factus ex Maria est. Si mihi non credunt, credant apostolo dicenti: Postquam verò venit plenitudo tēporis, misit Deus filium suū factū ex muliere, factum sub lege, Filium, inquit, suum, non vnum demultis: nō communem, sed suum. Suum cum dicit, generationis æternæ proprietatem signauit. Hunc postea factum ex muliere asseruit, vt factura non diuinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur. Factum ex muliere per carnem susceptionem. Factum sub lege per obseruantiam legis. Generatio autem illa cœlestis ante legem, ista post legem.

Quod facturam vel creaturam Dei filium dicant Arriani. CAPVT VII.

Vnde & illud vanè iactare consueuerunt quod scriptum est? Et Deum eum & Christum fecit Deus. Imperiti legāt totum & intelligant. Sic enim scriptum est: Et Deum eum, & Christū fecit Deus, hunc Iesum quē vos crucifixistis: nō diuinitas crucifixa, sed caro est. Hoc vtique fieri potuit quod potuit crucifigi. Non ergo factura Dei filius. Facessat igitur & illud de quo calumniari solent, & discant quemadmodum dictum sit: Dominus creauit me: nō dixit, pater creauit, sed Dominus creauit me. Caro Dominū cognoscit. Gloria patrem significat. Creatura nostra Dominum cōstitetur. Charitas patrem nouit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit, in quo & hominem testificatur dicens: Quid me queritis occidere hominem? In quo & crucifixus est, mortuus & sepultus est. Nec dubitādū quod præteritum posuit quod erat futurum. Hæc enim consuetudo est prophetiæ, vt quæ futura sunt, vel quasi præsentia vel quasi facta dicantur. Denique in Psal. xxj. legisti: Tauri pingues obsederunt me. Legisti etiam: Diuiserunt sibi vestimenta mea. Quod euangelista de tempore passionis prophetatum esse significat. Deo enim quæ sunt futura præsentia sunt: & ei cui præcognita sunt omnia, ventura pro factis sunt, sicut scriptum est: Qui fecit quæ ventura sunt. Nec mirum si ante secula fundarum se esse dicit, cū legeris prædestinatum ante tempora secularia. Quam verum de incarnationē id videatur expressum, declarant sequentia. Sapiētia,

psalm. 21. Ibidem.

Galat. 4.

Act. 2.

Ioan. 7.

Prophetia consuetudo.

2. Tim. 1.

Proverb. 9.

inquit, edificauit sibi domum, & subdidit columnas septem, & inter duas hostias miscuit in cratere vinum suum, & parauit suam mēsam, & misit suos seruos conuocans cum altissima prædicatione dicens: Qui est insipiens, declinet ad me. Nonne in euangelio post incarnationem hæc omnia videmus esse completa? quod sacri conuiuij celebrauit mysteria, quod apostolos misit, voce * clamauit dicēs: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Ergo sequentia respondent prioribus; & totius cursum incarnationis videmus prophetiæ expositione digestum. Multa alia documenta præsto esse possunt huiusmodi de incarnatione dicta videri. Sed non me inuoluo libris, ne tractatus videatur esse diffusior. Nunc ipsos Arrianos interrogoytrum idem putēt esse genitum quod creatum: Si enim idem dicunt, nihil utique distat inter generare & creare. Ergo quoniam & nos creati sumus, inter nos & Christum, inter Christum & elementa nulla distantia est. Sed quamuis amentes sint, id tamē non audebunt dicere. Postremò vt insipientiæ eorum quod verum non est indulgeam: si nihil, vt putant, distat in verbo: cur non eum quem colunt, meliore appellat nomine? Cur verbo non vtuntur patris? Cur abiiciunt quod honorificentia est, assumunt quod iniuria: Si autē distat inter creatum & genitum, vt ego arbitror: cum legerimus genitum, non utique idem & genitum intelligemus & creatum. Dicant igitur generatum ex patre, ex virgine procreatum: aut dicant quomodo Dei filius & genitus & creatus, vna natura, & maximè Deus diuersitatem non recipit. Certè faceisset nostra sententia. Paulum interrogemus, qui spiritu Dei plenus has præuidens quæstiones, generaliter contra gentes, specialiter contra Arrianos locutus ait diuino iudicio eos esse damnatos qui seruirent creaturæ potius quam creatori. Denique sic habes: Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, vt cōtumeliis afficiāt corpora sua inter semetipsos, qui cōmutauerunt veritatē Dei in mendaciū, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori, qui est Deus benedictus in secula. Prohibuit itaque me Paulus creaturæ seruire, sed Christo admonet seruiendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit, seruus Iesu Christi. Bonus seruus qui Dominum recognoscit, ipse creaturæ seruire nos prohibet. Quemadmodū ergo Christo ipse seruiret, si creaturam Christū putaret? Aut igitur definant colere quem creaturam appellant, aut definant quem colere se simulant, dicere creaturam, ne sub appellatione cultorum sacrilegia grauiora committant. Detestabilior enim domesticus hostis quam extraneus, & grauius scelus aduersus Christum, cum abutatur Christi nomine. Quem igitur meliorē interpretem querimus scripturarum, quam illum doctorem gentium, vas electionis, electum de persecutoribus, qui Iesum quem persecutus fuerat, fatetur? Legerat utique Salomonem plus quam Arrius, & erat peritus in lege: & ideo quia legerat, non creatum Christum dicit esse, sed genitū. Legerat enim. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mādauit, & creata sunt. Nuquid dicto factus est Christus? Nuquid mandato creatus est Christus? Quomodo autē creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturæ simplicis est, non coniunctæ atque compositæ, cui

nihil accidat, sed solum quod diuinum est, in natura habeat sua, complens omnia, nusquam ipse cōfusus, penetrās omnia, nusquam ipse penetrandus, vbique totus, eodēque tēpore vel in cœlo vel in terris vel in nouissimo maris præfens, visu incomprehensibilis, factu interpretabilis, sensu inæstimabilis, fide sequēdus, religione venerandus, vt quicquid religiosus sentiri potest quicquid præstantius ad decorem, quicquid sublimius, ad potestatem, hoc Deo intelligas cōuenire. Ergo quia in filio complacet pater, crede quia dignus patre filius. Crede quia ex Deo exiuit filius, vt ipse testatur dicēs Ex deo processit & veni. Et alibi: A Deo exiui. Qui ex Deo processit, & à Deo exiuit: nihil aliud potest habere nisi quod Dei est. Vnde non solum Deus, sed etiam verus Deus. Verus è vero, & adeo verus, vt ipse sit veritas. Itaque si nomē querimus, veritas est, si maiestatem querimus naturalē, eo vsque filius Dei verus est, vt & proprius. Scriptū est enim: Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eū. Tradidit utique secundum carnem. Proprietatis diuinitatis est, veritas proprietatis, misericordia pietatis, oblatio securitatis. Sed ne calumniarentur quia scriptū est, Tradidit eū pater: ipse Apostolus alibi dixit: Pax à Deo patre, & Domino nostro Iesu Christo, qui se dedit pro peccatis nostris. Et alibi: Sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Si ergo & traditus est à patre, & ipse se tradidit, apparet vnam esse operationem, vnam esse patris & filij voluntatē. Si naturalem ergo maiestatem querimus, genitus est. Qui genitum inficiatur, propriū negat. Qui propriū abnuat, communem ceteris arbitrat. Sin verò generationis ipsius proprietatem requirimus ex Deo exiuit. Nam cum in vsu nostro id sit exire quod iam sit, & ex interioribus secretis prodire videatur quod exire perhibetur: angustis licet sermonibus proprietatem diuinæ generationis aduertamus, vt nō ex loco aliquo videatur exisse, sed vt Deus ex Deo, filius ex patre. Nec videatur cœpisse ex tēpore qui ex patre nascendo prodiit, vt dixit ipse qui natus est: Ex ore altissimi prodij. Sed si naturam non agnoscunt, si nō credunt scripturis, vel operibus credāt. Cui dicit pater: Facianus hominē: nisi ei quem verum filiū sciret? In quo nisi in vero suam imaginem recognosceret? Non est vnum adoptiuus & verus: nec filius diceret, Vnum sumus: si se cum vero qui verus non erat, ipse conferret. Faciamus ergo, dicit pater: qui dixit, verus est. Potest ne ergo verus non esse ille qui fecit: & quod dicēti defertur, facienti negatur? Quomodo autem nisi verum filium sciret, committeret ei volūtatis suæ vnitatem, & operis veritatem? Cum enim eadem faciat filius opera quæ pater facit, & quos vult viuificet filius: sicut scriptum est, nec * differens potestate, & liber est voluntate: ita vnitatis seruatur, quia & virtus Dei in diuinitatis proprietate est, & libertas non in aliqua differentia, sed in vnitatis est voluntatis. Turbati in freto Apostoli, licet adhuc non credentes corde, vbi primum sub pedibus Domini ludere aquas, & inquieto maris æstu deambulantis Domini super aquas intrepida videre vestigia, subitoque nauis quæ fluctibus turbaretur, vbi eam tamē Christus ascendit, placida æquora, & elementa conspexere famulantia, verum Dei filium

Matth. 14.

Mat. 17.

Ioan. 8.

Ioan. 16.

Rom. 8.

Esai. 65.

Galat. 1.

Ephes. 5.

Ioan. 5.

Eccles. 1.

Genes. 1.

Ioan. 5.

Indist.

69

filium crediderūt dicentes: Verè Dei filius es. Hoc idem centurio cum aliis qui secum erant, tremefactis mundi cardinibus in passione Domini, confitetur, & tu hæretice negas. Centurio dicit: Verè filius Dei erat iste. Erat, inquit, centurio: & Arrianus dicit, non erat. Ille ergo generationis & veritatem & aternitatem asseruit, manu cruentus, sed mente deuotus: Tu hæretice veritatem generationis negas, tempus adscribis: vtinam manus potius quam animum cruentasses. Sed nec manu innocens, & mente feralis, quantum in te est mortem inferis, qui infirmum opinaris. Imò, quod grauius est, etsi diuinitas vulnus sentire non possit, quod in te tamen est, maiestatem suam in Christo, nō corpus interficere conaris. Verum igitur Deum dubitare non possumus, quem verum Dei filium & carnifices crediderunt, & dæmones fatebantur: quorum nunc nō testimonia requiruntur, sed tuis tamen sacrilegijs præferuntur. Illos nominauimus vt erubesceres, diuina quoque responsa adhibuimus vt crederes. Clamat Dominus per Esaiam: Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum, quod benedicetur super terram, & benedicent Deum verum: & qui iurant super terram, iurabunt per Deum verum. Hæc dixit Esaias quando vidit maiestatem eius. Hoc in euangelio designatur, quod maiestatem viderit Christi, & locutus sit de eo. Accipe tamen quod etiam scripserit Euangelista Ioannes in epistola dicens: Scimus quoniam filius Dei apparuit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus patrem, & simus in vero filio eius Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita æterna. Verum Ioannes filium Dei, & verū Deum dicit. Ergo si verus Deus, utique non creatus, nihil fallax habens atque fucatum, nihil confusum atque dissimile.

Definitio patrum de fide.

CAP. VIII.

Deus igitur ex Deo, lumen de lumine, verus Deus de Deo vero, ex patre natus, non factus, vnius substantiæ cum patre. Sic nempe nostri secundum scripturas dixerunt patres, qui etiam sacrilega dogmata ideo suis inferenda putauere decretis, vt Arrij perfidia ipsa se proderet, ne quasi fucus quibusdam & coloribus illita velaretur. Fucum enim faciunt qui non audent explicare quod sentiunt censoriè. Itaque impietas Arriana non expositione referatur, sed dānatione detegitur: vt qui curiosè gestit audire, prius damnatam cognosceret ne laberetur, quam expositam audiret vt crederet.

Expositio quæ Arrij perfidiam damnat. CAP. IX.

Eos, inquit, qui dicunt: Erat quando non erat, & antequam nasceretur non erat: & qui ex nihilo factum, aut ex alia substantia vel ouisia dicunt esse, aut mutabilem & conuertibilem Dei filium, anathematizat catholica & apostolica ecclesia. Accepisti sancte imperator eos qui talia asserunt, iure damnatos, non humana industria, non compositione aliqua: sed trecenti decem & octo, vt supra dixi, episcopi ad consilium conuenerunt. Sed vt in numero eorum per signum suæ passionis & nominis Domini Iesus suo probaret se adesse concilio, crux in

trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus. Hoc & in Ariminensi concilio habuit prima confessio, & post Ariminense concilium secunda correctio. Epistola ad imperatorem Constantium missa testatur correctionem, secuta concilia continentur. Arrius ergo dicit: Erat quando non erat: sed scriptura dicit, erat: non dicit, non erat. Denique Ioannes scripsit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum. Ecce quotiens erat, & nunquā dixit quod nō erat. Cui ergo credimus: Ioanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio inter effusa se sua viscera volutanti, vt agnosceremus similem Iudæ proditoris Arrij quoque fuisse perfidiam, quem similis pœna damnauit: effusa sunt enim & Arrij viscera. Pudet dicere vbi, atque ita crepuit medius prostratus in faciē, ea quibus Christum negauerat scæda ora pollutus. Crepuit enim, sicut etiam de Iuda. Petrus apostolus dixit, quia possedit agrum de mercede iniustitiæ, & in faciem prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. Non est fortuita mors vbi in sacrilegio pari pœna parile processit exemplum, vt idem subirent supplicium qui eundem Dominum negauerunt, & qui eundem Dominum prodiderunt. Veniamus ad alia. Arrius dicit: Antequam nasceretur non erat, sed scriptura dicit omnia esse per filium. Quomodo ergo aliis dedit esse, qui non erat? Cum autem dicit impius, quando & antè, hæc utique duo verba tempus ostendunt. Quomodo ergo negant tempus ante filium, & volunt prius fuisse quæ temporis sunt, cū idipsum, quando & antè & aliquando non fuisse, sit temporis? Arrius dixit ex nihilo Dei filium, quomodo ergo Dei filius? Quomodo paterno generatus ex vtero? Quomodo cruentatū ex corde verbum legitur, nisi vt ex intimo & inæstimabili patris intelligatur, vt scriptum est, prodisse secreto? Filius enim aut per adoptionem, aut per naturam est. Per adoptionem nos filij dicimur, ille per veritatem naturæ est. Quomodo ergo ex nihilo ille, qui ex nihilo fecit omnia? Non habet filium qui nescit vnde sit. Denique nec Iudæi habebant filium, quia vnde esset nesciebant. Et ideo dixit his Dominus: Nescitis vnde veni. Et infra: Neque me noscitis, neque patrem meum scitis. Qui enim negat ex patre filiū, nec patrem ex quo est filius nouit, neque filium nouit qui patrem nescit. Arrius dicit: Ex alia substantia. Quæ igitur alia substantia æquatur Dei filio, vt ex ipsa Dei filius sit, aut quomodo reprehendunt quia nos in Deo aut ouisiam Græcè, aut Latinæ substantiam dicimus, cum ex alia dicendo substantia Deum esse filium, etiam ipsi substantiam Dei esse confirmant? Sed si de nomine substantiæ aut nature diuinæ voluerint dicere, faciliè reuincuntur, quia & ouisiam Græcè, & Latinè substantiā frequenter scriptura memorauit. Et Petrus vult nos, vt legimus, diuinæ cōsortes fieri nature. Quod si ex alia substantia filiū dicēt, ipsi se reuincunt, & verbū substantiæ quod metuunt cōfitendo, & filiū creaturis quibus preferre se simulant * coæquabūt. Arrius dicit creaturam Dei filium, non sicut cæteras creaturas. Quæ enim creatura non sicut alia creatura est? Homo nō vt angelus: terra non vt cœlū: sol non vt aqua: lumē nō vt

* clara.
Ioan. 7.

Ioan. 1.

Actuum 1.

Roman. 1.

Ioan. 8.

Psalm. 14. 8.

2. Pet. 1.

* Conferē. la.

Mal. 3. tenebra? Nihil ergo preferendo donauit, sed ad simplices decipiendos, misero colore fraudem suae impietatis obduxit. Arrius dicit mutabilem & conuertibilem Dei filium. Quomodo ergo Deus sit mutabilis, cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum & non sum mutatus? Verè nunc mihi propheticum illud est cõfitendum, quod prophetaturus de Domino præmittit Esaias dicēs: O miser ego & compuncto corde, qui cum immunda labia habeam, in medio quoque populi inhabitem immunda labia habentis, vidi Dominum Sabaoth. Ergo si Esaias miserum se dicit, qui vidit Dominum Sabaoth: quid ego de me dicam, qui cum immunda labia habeam, cogor de Dei generatione tractare? Quid igitur de iis que metuo, locuturus erumpo, cum Dauid de iis que sciat, ori suo custodiam petat? O si mihi quoque vnum de Seraphim candentem illum carbonem quem de altari diuino sumpsit, vtriusque forcipe deferens testamenti, immunda adurat labia. Aut quia tunc Seraphim descendit in figura ad prophetam: tu autem Domine reuelato mysterio ad nos in carne venisti, non per legatum, neque per nuncium, sed ipse per te, ab occultis meis conscientiam meam mundes, vt ego quoque dudum immundus, sed iam per tuam misericordiam fide mundus, illud Dauidicum canam dicens? Psallam tibi in cithara Deus Israël, gaudebunt labia mea dum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti. Itaque Domine calumniatores tuos & hostes relinquens, confer te ad nos, & sanctifica aures principis Gratiani, omniumque præterea quorum in manus hic libellus venerit, vacuas

Esai. 6.

Psalm. 38.

Psalm. 70.

G mihi præsta, necubi audita perfidiae fordes residant. Emunda ergo, emunda autem non fontanis poculis, nec fluuiali haustu, nec susurro prætermeantis riuuli, sed sermonibus ad vicem aquarum operantibus, supra nitorem aquarum perspicuis, & omni purioribus niue, illis vtique sermonibus quibus dixisti per Esaiam: Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, vt niuem dealbabo. Est etiam poculum quo secreta mentis mundare consuesti. Poculum non naturæ veteris, nec ex vite solèni, sed poculum nouum de cœlo delatū, in terra expressum ex illo botrione peregrino, qui sicut vua de vite, ita ille in carne crucis pendit è ligno. Ex hoc ergo botrione est poculum quod lætificat cor hominis, sobrietatem inebriat, crapulam fidei & veræ religionis exhalat, crapulam castitatis infundit. Hoc igitur poculo Domine meus, Domini aures Augusti mentis emunda, vt sicut poculo naturali homines inebriati quietem diligunt, timorem mortis expellunt, iniurias non sentiunt, aliena non quærunt, suorum obliuiscuntur, ita etiam poculo tuo crapulatus pacem diligit, & fidei exultatione securus mortem infidelitatis ignoret, patientiam charitatis exhibeat, sacrilegia aliena non teneat, fidem etiam pignoribus suis præferat, secundum quod scriptum est: Relinque omnia tua, & veni, sequere me. Hoc poculo Domine Iesu sensus etiam nostros dilue, vt te adoremus, te colamus visibilibus & inuisibilibus creatorem. Non potes ergo inuisibilis aut bonus non esse, qui id etiam tuis operibus contulisti.

Esai. 1.

Matth. 1.

FINIS.

Capita libri secundi de Fide.

- Quod Arriani bonum Dei filium negent.
- De vero & bono Dei filio.
- De omnipotenti Dei filio.
- De Domino maiestatis Dei filio.

- Cap. I.
- Cap. II.
- Cap. III.
- Cap. IIII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
 MEDIOLANENSIS, DE FIDE AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER II.

PROLOGVS.

SATIS, vt arbitror, libro superiore sancte Imperator, edoctum est sempiternum esse Deum Dei filium, non dissimilem patri, genitum, non creatum. Deum quoque verum Dei filium scripturæ lectionibus approbauimus, & apertis maiestatis suæ indiis designatum. Itaque quamuis ista ad fidem copiose redundantia sint, quod à fontis meatu magnitudo plerunque decurrentis fluminis aestimatur, tamen quo purius niteat fides, tripartita videtur deriuanda distinctio. Sunt enim euidentia indicia quæ proprietatem deitatis ostendunt: Sunt quæ similitudinem patris & filij: Sunt etiam quæ perspicuam diuinæ maiestatis exprimunt unitatem. Proprietatis itaque sunt, generatio, Deus, filius, verbum, Similitudinis,

splendor, character, speculum, imago. Vnitatis aternæ, sapientia, virtus, veritas, vita. Hæc indicia ita Dei filium signant, vt ex his & sempiternum patrem esse cognoscas, nec ab eo filium discrepantem. Ex eo enim qui est generatio, ex sempiterno Deus, ex patre filius, ex Deo verbum, splendor gloria, character substantiæ, speculum Dei, maiestatis imago, de bono bonitas, de sapiente sapientia, de forti virtus, de vero veritas, de viuente vita. Concordant igitur patris & filij indicia, quibus non discrepare inter se, sed vnus maiestatis esse nemo dubitauerit. Quorum singulorum proferremus exempla nominum, nisi coartandi sermonis studio teneremur. His duodecim tanquam lapidibus pretiosis fidei columna consurgit. Hi sunt enim preciosi illi lapides, sardius, iaspis, smaragdus, chrysolithus, & ceteri, quibus sancti Aaron, illius vtique qui figuram gessit Christi, veri scilicet vestimentum sacerdotis intexitur, circumdati auro lapides, & sculpti de nominibus filiorum Israel, duodecim lapides sibi inuicem coherentes. Nam si eos aliquis separaret aut secernat, omnis fidei structura dissoluitur. Itaque principium fidei nostræ est, scire quod genitus est Dei filius. Si genitus non est, nec filius est. Nec satis est dixisse filium, nisi & vnigenitum filium designaueris. Si creatura est, Deus non est: si Deus non est, nec vita est: si non est vita, nec veritas est. Ergo tria illa, id est, generatio, filius, vnigenitus, principaliter & proprie indicant ex Deo filium. Tria sequentia, id est, Deus, vita, veritas, virtutem eius manifestant, qua condidit & fecit subsistere creaturam. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus, sicut ait Paulus. Et ideo in illis tribus proprietatis filij, in istis aliis paternæ ac filij operationis vnitas declaratur. Imago quoque & splendor & character dicitur Dei filius, quia hæc incomprehensibilem & inuestigabilem paternæ diuinitatem maiestatis in filio, & expressam similitudinem reuelarunt. Hæc quoque tria videmus ad similitudinem pertinere. Reliquum est virtus, sapientia, iustitia: vt his singulis operationibus aternitas probaretur. Hoc igitur est illud vestimentum speciosis lapidibus adornatum, hic veri amictus est sacerdotis, hæc vestis nuptialis, hic textus propheticus, qui bene nouerit ista contexere. Neque utilis ista textura est, de qua Dominus dicit per prophetam: Quis dedit mulieribus texture sapientiam? Nec communes isti lapides, lapides vt legimus supplementi. Omnis enim in eo perfectio est, si nihil desit lapidis compositi & circumdati auro, intelligibili scilicet natura. Si eos bene mens nostra componat, naturalisque sensus probabili ratione compagnet. Denique quàm non mediocres lapides sint, lectio docet: quod cum alij alia viliora deferrent, istos tamen lapides super humeros suos religiosi principes attulerunt, ex quibus fecerunt rationale opus textile. Textile enim opus est quando fidei facta concordant. Nec me aliquis errare putet, quia supra tripertitam de quaternis, subter vero quadripertitam de ternis feci distinctionem. Boni operis gratia per diuersas plus placet formas. Bona enim & illa quæ texturinum indumenti sacerdotalis ostendit, vel lex scilicet, vel ecclesia, quæ binas vestes fecit viro suo, sicut scriptum est, vniam operis, alteram mentis fidei intexens factorumque valamina. Itaque alibi, sicut legimus, aurum prætexit, & postea hyacinthum ac purpuram cum cocco subiungit & bysso. Rursus alibi ex hyacintho & ceteris prius stulos format, aurumque subnectit, et vnus est habitus sacerdotis, vt iisdem coloribus micans, gratia decorisque diuersitas, ordinis diuersitate resplendeat. Itaque vt etiam rationis typicæ serie designatur, auro et argento probabili non est dubium eloquia Domini designari, quibus fides constat. Scriptum est enim: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatū septuplum. Hyacinthus autem aëris habet similitudinem, quem spiramus, & cuius carpinus flatum. Purpura quoque speciem aquarum exprimit. Per coccum ignis intelligitur, terra per byssum, hæc enim ex terra gignitur. Ex his autem quatuor elementis corpus subsistit humanum. Siue ergo mentis fidei præcedente cõcinentia corporis facta subnectas: siue facta præcedant, & fides astipuletur comes religiosa factorum, hic religiosi ornatus antistitis, hoc velamen est sacerdotis. Bona ergo fides, cum pulchro operum renitet ornatu: de qua vt ad summam loquar, definitiones istæ sunt, quæ non queunt solui. Si ex nihilo est, non est filius. Si creatura est, non est creator. Si factura est, non est omnium factor. Si discens, non præcognitor. Si accipiens, non est perfectus. Si proficiens, non est Deus. Si dissimilis, non imago. Si per gratiam, non per naturam. Si bonitatis expers, author malitiæ. Nemo bonus nisi vnus Deus.

Exo. 28.

Mat. 17.

** series dignatur. Psalm. 11.*

Mat. 10.

S. Ambr. tom. 4.

D

Quod Arriani bonum filium Dei negent. Cap. I.

Marc 10.

STu peo itaque ad reliqua sancte Imperator, & toto corpore animoque deficio, esse aliquos homines, vel potius non homines, sed humana adoptos specie, intus autem demerentiæ bestialis, qui post tanta Domini & tam diuina beneficia bonum negent esse auctorem bonorum. Scriptum est, inquit: Nemo bonus nisi vnus Deus. Scriptum est, agnosco, sed litera error non habet, vtinam Arriana interpretatio non haberet. Apices sine crimine sunt, sensus in crimine. Dicitur Domini saluatoris agnosco. Sed consideremus quando dicat cui dicat, qua circumspectione dicat. Dicit vtique in hominis forma Dei filius, & dicit scribere, ei scilicet qui magistrum bonum Dei filium nominaret, Deum negaret, quod ille non credit, Christus adiungit vt Dei filium non vt bonum magistrum, sed vt bonum Deum credat. Nam si vbi vnus Deus dicitur, nequaquam tamen Dei filius à diuinitatis plenitudine separatur: quomodo vbi vnus Deus bonus nuncupatur, à plenitudine diuine potestatis vnigenitus excluditur? Necessesse est igitur aut Deum negent Dei filium, aut Deum bonum esse fateantur. Et ideo circumspectione cœlesti non dixit: Nemo bonus nisi vnus pater, sed nemo bonus nisi vnus Deus. Pater enim proprium generantis est nomen, Deus autem vnus est, nequaquam deitatis trinitatis excludit, & ideo natura laudatur. Bonitas ergo in natura est Dei, & in natura Dei etiã Dei filius. Et ideo non quod singularitatis, sed quod trinitatis est prædicatur. Non igitur à Domino bonitas negatur, sed talis discipulus refutatur. Nam cum scriba dixisset: Magister bone: respondit dominus: Quid me dicis bonum? id est, quem Deum non credis? Non est satis vt bonum dicas. Non tales ego quæro discipulos qui me magis secundum hominẽ magistrum bonum quam secundum diuinitatẽ deũ bonum credant. Sed nolo prærogatiua naturæ suæ & priuilegio potestatis vtatur. Non dicatur bonus, si non meretur à nobis. Si hoc non meretur operibus, si beneficiis non meretur, abdicetur suæ iure naturæ, subdatur nostro iudicio. Qui iudicaturus de nobis est, non dedignatur iudicari, vt iustificetur in sermonibus suis, & vincat cum iudicatur. Hicne ergo non bonus, qui bona tribuit mihi? Hicne non bonus, qui cum sexcenta milia populi Iudæorum persecutoribus suis cederent, dehiscentem subitò rubri maris æstum indiuidua aquarum mole diuisit, vt fideles circumfusa vnda muniret, infidos refusa demergeret? Hicne non bonus, cuius imperio maria solidata fugientibus, saxa humefacta sitientibus, vt opus veri agnosceretur authoris, cum humor rigeret, petra inũdaret? Quod vt agnosceres opus Christi, Apostolus dixit: Petra autem erat Christus. Hicne non bonus, qui tam innumera populi milia, ne qua incesceret fames, in deserto pavit pane cœlesti, sine vsu laboris, cum fructu quietis, ita vt eorum per quadraginta annos nec vestimenta veterascerent, nec calceameta tererentur, instar fidelibus futura resurrectionis ostendens, quod nec factorum decora splendendorum, nec circumfusæ virtutis nitor, nec vitæ cursus periret humanæ. Hicne non bonus qui nobis cœlum fecit esse quod terra est, vt sicut in cœlo quasi in

Psa. 50. Psa. 12.

Num. 20.

1. Cor. 10.

Psa. 77. Sap. 16.

Gspeculo quodam, stellarum lucentium refulgēt globi, ita etiam Apostolorum & martyrum & sacerdotum vice stellarum splendentium toto illucescerent chori mundo? Ergo non solum bonus, sed etiam pastor bonus, hoc est, non sibi tantum, sed etiã ouibus suis bonus. Bonus enim pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Posuit planè animam suam, vt nostram leuaret. Sed pro diuinitatis potestate posuit & sumpsit, sicut scriptum est: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam. Nullus eam tollit à me, sed ego à memetipso pono eam. Vides bonitatem, quia sponte posuit: vides potestatem, quia sumpsit. Et tu bonum negas, cum ipse de se in euangelio dixerit, Si ego bonus, quare oculus tuus nequam? Ingrate, quid agis? Bonum negas per quem bona speras, si tamẽ credas? Bonum negas qui dedit nobis quæ oculus non vidit, nec auris audiuit? Nec in bonum credam? Bonum est enim confiteri Domino. Mihi expedit vt domino confitear. Scriptum est enim: Confitemini domino, quoniam bonus. Mihi expedit vt iudicem meum bonum arbitrer. Dominus enim bonus iudex domui Israel. Ergo si iudex, dei filius vtique: quoniam iudex dominus, & deus bonus est. Iudex autem dei filius est, & deus bonus iudex dei filius. Si fortasse non credas aliis, non credas filio: audi patrem dicentem: Eructauit cor meum verbum bonum. Bonum ergo verbum est verbum hoc de quo scriptum est, Et verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Ergo si verbum bonum est, filius autem dei verbum est: bonus vtique deus est dei filius, etiam si nõ placeat Arrianis. Erubescant aliquando. Iudæi dicebant: Bonus est: et si alij dicebant, non est: alij dicebant tamen, bonus est, & vos omnes bonum negatis. Bonus est, qui peccatum vnus donat, & bonus nõ est, qui peccatum mundi abstulit: de ipso enim dictum est, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Sed quid dubitamus? Credidit iam Ecclesia bonum, & confessa est dicendo: Osculetur me ab osculo oris sui, quoniam bona vbera tua super vinum. Et alibi, Et fauces tuæ tanquam vinum optimum. Bonus ergo ille nos legis & gratiæ nutriuit vberibus, cœlesti curas hominum prædicatione demulcens. Et nos bonum negamus, cum sit imago bonitatis, exprimens æternæ in se bonitatis effigie: sicut & supra ostendimus scriptum, quia ipse est speculum sine macula, & imago bonitatis illius.

Exo. 15.

1. Cor. 10.

Matth. 1.

Esa. 64. 1. Cor. 1.

Zacharius 2.

Psal. 104. 1.

Esa. 52. 1. Cor. 16.

1. Cor. 7.

1. Cor. 1.

1. Timot. 6.

1. Cor. 1.

Psa. 88.

Sap. 7.

Matth. 26.

1. Cor. 1.

De vero et bono Deo Dei filio. Cap. II.

Sed quid vobis videtur, qui bonum & verum deum dei filium denegatis, cum scriptum sit, quod nullus deus nisi vnus? Nam & si sunt qui dicantur dii, an inter eos Christum annumeratis qui dicuntur & nõ sunt? cū speciale sit eius vt semper sit, & præter ipsum bonus & verus alius deus non sit: quoniã in ipso est deus: speciale autem etiã patris sit, vt post ipsum verus alius deus non sit, quia vnus deus. Nec iuxta Sabellianos patrem filiumque confundens, nec iuxta Arrianos patrem filiumque secernens. Pater enim & filius distinctione habet, vt pater & filius separatione diuinitatis non habent.

De omnipotente Dei filio. Caput. III.

Exo. 15.

Apocalyp. 1.

Matth. 1.

Esa. 64. 1. Cor. 1.

Zacharius 2.

Psal. 104. 1.

Esa. 52. 1. Cor. 16.

1. Cor. 7.

1. Cor. 1.

1. Timot. 6.

1. Cor. 1.

Psa. 88.

Sap. 7.

Matth. 26.

1. Cor. 1.

Itaque cum verus & bonus Dei filius, vtique omnipotens Deus Dei filius. Num hinc quoque dubitari potest? Supra diximus lectum quia Deus omnipotens nomen est ei. Ergo quia filius dñs, Dominus autem omnipotens: omnipotens est Dei filius. Sed accipe etiam eam de qua dubitare nequeas lectionem. Ecce venit, inquit, cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum cõpuxerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam amen. Ego sum alpha & o, dicit Dominus Iesus, qui est, & qui venturus est omnipotens. Quem igitur compuxerunt, & quem speramus esse venturum, nisi filium Dei? Ergo omnipotens Dominus & Deus etiam Christus est. Accipe aliud sancte Imperator, accipe Christum loquentem. Hæc dicit Dominus omnipotens: Post honorem misit me super gentes quæ deprædauerunt vos: quoniam qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi eius. Quia ecce ego iniicio manum meam super eos qui deprædauerunt vos, & erunt in prædam qui prædauerunt eos, & scient quia dominus omnipotens misit me. Vtique qui dicit, Dominus est omnipotens: & qui misit, Dominus est omnipotens. Ergo & patris & filij omnipotentia, sed tamen Deus vnus omnipotens, quia vnitas potestatis est. Atque vt scias Imperator Auguste Christum esse qui loquutus est & in prophetis & in Euangelio, tanquam in prædestinatione Euangelij per Esaiam dicit: Ipse qui loquebar, assum; hoc est, assum in Euangelio qui loquebar in lege. Deinde alibi, Omnia quæ pater habet, mea sunt. Quæ sunt omnia? Non vtique loquutus est de creatis: hæc enim omnia facta sunt per filium. Sed ea quæ pater habet, id est, æternitatem, maiestatem, diuinitatemque nascendo possidet. Ergo cum qui omnia habet quæ pater habet, (scriptum est enim: Omnia quæ pater habet, mea sunt) omnipotentem esse dubitare non possumus. Nec vereor, ne quia scriptum est de Deo, Beatus & solus potens, ne ab eo Dei filius separetur, cum scriptura Deum solum potentem dixerit, non patrem solum, & ipse de Christo Deus pater asserat per prophetam, Posui adiutorium super potentem. Non ergo pater solus potens, sed potens etiam Dei filius. In patre enim laudatur & filius. Certè ostendat aliquis quid sit quod non possit Dei filius. Quis ei adiutor cum cœlum faceret, fuit? Quis adiutor cum conderet mundum? An qui in constitutione angelorum & dominationum adiutore non eguit, eguit vt hominem liberaret? Scriptum est, inquit, Pater si possibile est, transfer à me calicem hunc. Et ideo si omnipotens est, quomodo de possibilitate ambigit? Ergo quia omnipotentem probaui, probaui vtique ambigere eum de possibilitate non posse. Verba, inquis, Christi sunt. Verum dicis. Sed quando & in qua forma loquatur aduerte. Hominis substantiam gerit, hominis assumpsit affectum. Denique supra habes quia progressus pusillum procidit infanciam suam, orans & dicens: Pater, si possibile est, transcat à me calix iste. Non ergo quasi Deus, sed quasi homo loquitur. Deus enim possibile aliquid aut impossibile nesciebat? Aut aliquid impossibile Deo, cum scriptum sit: Impossibile enim tibi nihil est. De quo autem du-

bitat, de se, an de patre? De eo vtique cui dicit, transfer: dubitat hominis affectu. Ergo propheta non putat aliquid impossibile Deo. Propheta non dubitat, & filium dubitare tu credis? Num intra homines constitues Deum? Et dubitat de patre Deus, & de morte formidat? Timet ergo Christus: & dum Petrus non timeat, Christus timeat? Petrus dicit, Animam meam pro te ponam. Christus dicit, Anima mea turbatur. Vtrumque verum est, & plenum vtrumque rationis, quod & ille qui est inferior, non timeat: & ille qui superior est, gerit timentis affectum. Ille enim quasi homo vim mortis ignorat, iste quasi Deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit, vt eorum qui sacramentum incarnationis abiurant, excluderetur impietas. Denique & hæc dixit, & Manichæus non credidit, Valentinus negauit, Marcion phantasma iudicauit. Eousque autem hominem quem in veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, vt diceret, Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: cum vtique similiter sit Christi velle quod pater vult, cuius similiter est facere quod pater facit. Quo loco etiã illa vestra questio cõticescit, quã soletis obicere, quia dixit Dñs, Non sicut ego volo, sed Et alibi: Ad hoc descendi de cœlo, nõ vt, sicut tu vis, faciã voluntatẽ meã, sed voluntatẽ eius qui me misit. Ergo vt quasi interpositis plenioris expositionis paulisper induciis, cur dixerit si possibile est, voluntatis interim liberæ dominum fuisse doccamus. In tantum processistis impietatis, vt negetis quod filius Dei liberæ voluntatis sit. Ac certè soletis etiam sancto spiritui derogare, & negare non potestis scriptum esse: Spiritus vbi vult spirat. Vbi vult, inquit, non vbi iubetur. Ergo si spiritus vbi vult spirat, filius quod vult non agit? Et certè idem Dei filius in Euangelio suo dicit vbi velit spirandi suppetere spiritui facultatem. Nunquid ergo superiorem fatetur, quia illi licet quod sibi non licet? Apostolus quoque dicit quia omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Prout vult, inquit, hoc est, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio. Et diuidit spiritus non mediocria, sed quæ Deus consuevit operari, gratiã curationum, & operationem virtutum. Ergo diuidit spiritus prout vult, filius Dei non liberat quem vult? Sed audi etiam ipsum agere quod vult. Dixit enim: Vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui. Et alibi: Voluntariè sacrificabo tibi. Sciuit sanctus Apostolus Petrus Iesum in potestate habere quæ vellet, & ideo quum videret ambulare cum supra mare, ait: Domine si tu es, iube me venire ad te super aquam. Petrus credidit quia si Christus iubeat, naturæ possit conditio mutari, vt humanis se subiiciat vnda vestigiis, & discrepantium naturarum possit conuenire concordia. Petrus poscit vt iubeat, non vt roget Christum. Christus non rogauit, sed iussit, & factum est: & Arrius contradidit? Quid est tamen quod pater velit, & filius nolit: aut filius velit, & pater nolit? Pater quos vult viuificat, & filius quos vult viuificat, sicut scriptum est, dic nunc quos viuificauerit filius: & pater viuificare noluerit? Cum autem filius quos velit viuificet, & operatio vna sit: vides quia non solum filius voluntatem patris, sed etiam pater filij faciat voluntatem. Quid est autem

1. Cor. 13.

1. Cor. 12.

Mat. 26.

1. Cor. 6.

1. Cor. 3.

2. Cor. 12.

Psa. 39. Psa. 53.

Mat. 14.

1. Cor. 5.

Matth. 8.

Matth. 16.

Matth. 16.

Matth. 26.

Esai. 53.

Ioan. 11.

Psal. 21.

Matth. 27.

Galat. 5.

1. Petr. 4.

Matth. 10.

uiuificare nisi per filij passionem? Passio autem Christi, voluntas est patris. Quos ergo filius uiuificat, per patris uiuificat uoluntatem. Vna igitur est uoluntas. Quæ autem uoluntas patris, nisi ut ueniret Iesus in hunc mundum, & nos mundaret à uitiis? Audi leprosum dicentem: Si vis, potes me mundare. Respondit Christus, Volo: & statim sequutus est effectus sanitatis. Vides quia filius arbiter suæ uoluntatis est, & Christi uoluntas eadem quæ paterna est: quanquã cum dixerit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: sine dubio quia nihil excipitur: quam pater habet, eandem habet & filius uoluntatem. Vna ergo uoluntas, ubi una operatio. In Deo enim una uoluntatis series, operationis effectus est. Sed alia uoluntas hominis, alia Dei. Denique ut scias uitam in uoluntate esse hominis, quia mortem timemus: passionem autem Christi in uoluntate diuina, ut pateretur pro nobis: cum Petrus Dominum uellet à passione reuocare, Dominus ait: Non scis ea quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Suscepit ergo uoluntatem meam, suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, quia crucem prædico. Mea est uoluntas quam suam dixit, quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo loquutus est. Ideo ait: Non sicut ego uolo sed sicut tu uis. Mea est tristitia, quam nemo suscepit affectu. Nemo enim moriturus exultat. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me & in me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret. Dolet igitur Domine Iesu, non tua sed mea uulnera, non tuam mortem, sed nostram infirmitatem, sicut ait propheta: Quia pro nobis dolet. Et nos Domine æstimauimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres. Et quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro uno fleuit? Quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus illachrymat? Verum & ibi pia sororis lachrymis commouetur, quia mentem humanam tangebatur: & hic alto operatur effectu, ut sicut mors eius mortem abstulit, liuor eius uulnera nostra curauit: ita etiam mœrorem nostrum mœror eius aboleret. Ut homo ergo dubitat, ut homo turbatur. Non turbatur uirtus, non turbatur eius diuinitas, sed turbatur anima, turbatur secundum humanam fragilitatis assumptionem. Et ideo quia suscepit animam, suscepit & animæ passionem. Non enim eo quod deus erat, aut turbari aut mori posset. Denique, Deus Deus, inquit, me, quare me dereliquisti? Ut homo ergo loquitur, meo scircuferer me, quod in periculis positi à Domino descendi nos putamus. Ut homo turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur. Sic enim & Apostolus Paulus dixit: Quia Christi carnem crucifixerunt. Et alibi apostolus Petrus ait: Christo passo secundum carnem. Caro igitur est passa, diuinitas autem mortis libera, passioni corpus, naturæ humanæ legi concessit. An uero mori diuinitas potest, cum anima non possit? Nolite, inquit, timere eos qui corpus possunt occidere, animam autem non possunt. Si ergo anima occidi non potest, quomodo diuinitas potest?

De domino maiestatis Dei filio. Cap. IIII.

Vnde illud quod lectum est dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus: sed quia idem deus, idem homo: per diuinitatem deus, per susceptionem carnis ho-

mo Iesus Christus: dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, id est humanæ atque diuinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscretè & dominus maiestatis dicatur esse qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est, qui descendit de cælo. Per naturam igitur hominis & dubitauit & tæduit & resurrexit. Quod enim cecidit, hoc resurrexit per naturam hominis. dicit etiam illud de quo calumniari solent, quia dictum est: Vado ad patrem, quoniam pater maior me est. Quomodo uadit nisi per mortem, & uenit nisi per resurrectionem? denique addidit, ut de assumptione se dixisse signaret: Propterea dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Loquebatur enim passionem sui corporis & resurrectionem, per quam credere cœperant qui ante dubitabant. Neque enim deus de loco ad locum transit: qui ubique semper est. Ut homo est qui uadit, ipse est qui uenit. Denique & alibi dicit: Surgite eamus, inquit. In eo ergo uadit & uenit, quod est commune nobiscum. Nam quomodo potest minor esse deus, cum deus perfectus & plenus sit? Sed minor in natura hominis: & miraris si ex persona hominis patrem dixit maiorem, qui in persona hominis se uermem dixit esse, non hominem? dixit enim: Ego autem sum uermis, & non homo. Et alibi: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Si in hoc minore dicit, negare non possum. Sed ut uerbo utar scripturæ, non minor natus, sed minoratus est, hoc est, minor factus est. Quomodo autem minor factus, nisi quia cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit? Non amittens utique quod erat, sed assumens quod non erat, quia formam serui accepit. denique ut sciremus per susceptionem corporis minoratum, de homine Dauid prophetauit, dicens: Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, nisi quia uisitatus eum? Minorasti eum paulominus ab angelis. Hoc ipsum interpretatus Apostolus, ait: Nam paulominus minoratum ab angelis uidemus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut sine deo pro omnibus gustaret mortem. Non solum ergo à patre, sed etiam ab angelis minor filius dei factus est. Et si hoc ad præiudicium trahis: num ergo filius in natura dei minor est, quam sui angeli qui ei seruiunt & ministrant? Ita dum minorem uultis asserere, impietatem incurritis, ut angelorum naturam dei filio præferatis. Sed non est seruus supra Dominum suum. Denique & in carne constituto angeli ministrabant, ut nihil ei agnoscas per naturam corporis imminutum. Neque enim deus sui pati potuit detrimentum: cum id quod adsumpsit ex uirgine, nec accessio diuinæ nec diminutio potestatis sit. Non est ergo secundum diuinitatem minor, qui plenitudinem habet diuinitatis & gloriæ. Maior enim & minor in iis quæ corporalia sunt, distingui solent. Aut statu maior, aut plenitudine, aut certè ætate: vacant enim ista ubi de diuinis tractatus inducitur. Maior etiã uulgo dici solet qui aliquem instituit & informat. In Dei autem sapietia non cadit ut instituta sit alterius disciplinis, cum ipsa disciplinarum omnium tradiderit institutum. Quam bene autem posuit Apostolus, quod sine deo pro omnibus gustauerit mortem, ne diuinitatis illam passionem putaremuisse, non carnis.

Heb. 2.

Ergo

Ergo si non inuenerunt quemadmodum possent A probare maiorem, non uerbis calumnientur, sed uerborum rationem requirant. Ego illos interrogo: quomodo putant esse maiorem, si quia pater est, eò maiorem putant, Sed non hæc ætas & tempus, neque canities patris, & filij pueritia est. Hæc enim maiorem solent facere patrem, Ceterum pater & filius, generantis & nati nomina sunt, quæ non uidentur separare, sed iungere. Non enim pietas naturæ detrimentum est, Namque homines sibi inuicem conciliat necessitudo, non separat. Itaque si nec de natura asserere possunt aliquam quæstionem, uel testimoniis B credant. Denique filium non esse eo minorem quia filius est, Euangelista testatur, & æqualem esse quia filius est, ipse significat dicens: Propterea enim uolebant eum occidere Iudæi, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem proprium dicebat Deum, æqualem se faciens deo. Non Iudæi hoc dicunt, sed euangelista testatur, quod æqualem se faciebat deo, proprium se filium dei dicens: Non enim scriptum est ex persona Iudæorum dicentium: Propterea uolebant eum Iudæi occidere, sed Euangelista ex sua persona dicit: Propterea enim uolebant illum Iudæi occidere. Et interpretatus est causam, Ideo Iudæos ad necem eius esse commotos, quod cum & sabbatum quasi deus solueret, & Deum patrem sibi proprium vindicaret, non solum in solutione sabbati maiestatem diuinam potestatis, sed etiam in patris proprii nomine ius sibi æternæ æqualitatis assereret. Quibus aptissimè respondit dei filius, ut & dei se filium, & æqualem probaret. Quæcumque, inquit, pater fecerit, eadem & filius facit similiter. Filius igitur patri & dicitur & probatur æqualis. Bona æqualitas, quæ & differentiam diuinitatis excludit, & cum C filio patrem signat, cui filius sit æqualis. Non est enim diuersa nec singularis æqualitas, quia nemo æqualis ipse sibi solus est. Ergo Euangelista interpretatus est quid sit proprium filium dei se dicere, hoc est, æqualem se facere deo. Vnde id sequutus Apostolus dixit: Non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo. Quod enim quis non habet, rapere conatur. Ergo non quasi rapinam habebat æqualitatem cum patre, quam in natura sui tanquam deus & Dominus possidebat. Vnde addidit, Formam serui accepit. Contrarius utique seruus æquali. Æqualis ergo D in dei forma, minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nã quomodo eadem posset minor esse æqualisque natura? Quomodo autem si minor est, eadem similiter facit quæ pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diuersæ esset potestatis? Nunquid sic potest minor quemadmodum maior operari, aut una operatio potest esse ubi diuersa substantia est? Itaque accipe Christum secundum diuinitatem minorem non posse dici. Ipse loquitur ad Abraham: Per me ipsum iurauit. Ostendit autem apostolus eum qui iurauit per se, minorem esse non posse. Itaque sic ait: Abraham cum repromississet deus, quoniam nullum alium maiorem habebat, iurauit per seipsum, dicens: Nisi benedicendo benedixero te, & multiplicando multiplicauero te. Ergo maiorem non habuit Christus, & ideo per se iurauit. Et bene addidit: Homines enim per maiorem iurant, quia homines maiorem habent, deus non habet. Aut si

Ioan. 14.

Ioan. 5.

Ibid.

Psal. 21.

Esai. 53.

Ioan. 5.

Phil. 2.

Psal. 8.

Phil. 2.

Heb. 2.

Matth. 2.

Matth. 2.

Matth. 2.

Gen. 22.

Hebr. 6.

volunt de patre dictum uideri, reliqua non cohærent. Neque enim pater uisus est Abraham, & deo patri pedes lauit, sed in eo futuri hominis est figura. Denique dei filius dixit: Abraham dicens meum uidi, & gauisus est. Ipse est ergo qui per se iurauit, quæ Abraham uidit. Et reuera quomodo maiorem habet, qui diuinitate cum patre unum est: Quod enim unum est, dissimile non est. Inter maiorem autem minorè quæ discretio est. Ergo de filio & de patre presentis docet lectionis exemplum, quia nec pater minorè habet, nec maiorè dei filius, cum in patre & filio nulla distantia diuinitatis sit, sed una maiestas: Nec illud sanè metuo quod solent obtendere minorè esse quia missus est. Si enim & minor non docetur, & honorificentia docetur æqualitas, cum ita omnes honorificent filium sicut honorificant patrem, constat eo minorem non esse qui missus est. Non ergo humani sermonis angustias, sed uerborum charitatem intueri, operibus crede. Cõsidera quia Dominus noster Iesus Christus in Esaia loquutus est, ab spiritu sancto esse se missum. Numquid ergo spiritu minor filius quia missus ab spiritu est? Habes igitur scriptum quod filius à patre & spiritu eius dicat esse se missum. C Ego sum, inquit, primus, & ego in æternum, & manus mea fundauit terram, dextera mea solidauit cælum. Et infra: Ego loquutus sum, ego uocaui, ego adduxi eum, & prosperum iter eius feci. Accedite ad me, & audite hæc, non in occulto ab initio locutus sum. Cum fierent, illic eram: & nunc Dominus misit me, & spiritus eius. Utique qui cælum fecit & terram, ipse dicit à domino & spiritu eius esse se missum. Videte ergo quod simplicitas sermonis, non iniuria missionis sit. Ipse igitur missus à patre, ipse est missus ab spiritu. Et ut agnoscas nullam maiestatis esse distantiam, etiam filius spiritum mittit, sicut ipse dixit: Cum uenerit autem paracletus quem ego mittam uobis à patre meo, spiritum ueritatis, qui à patre meo procedit. Hunc eundem paracletum & à patre esse mittendum supra posuit, dicens: Paracletus autem spiritus ille sanctus, quem mittet pater in nomine meo. Vide unitatem, quia quæ deus pater mittit, mittit & filius. Et quem mittit pater, mittit & spiritus. Aut si uolunt filium missum, quia dexteram patris filium legimus, ipsi de patre quod de filio abnuunt, fatebuntur: nisi forte aut alterum sibi patrem, aut alterum sibi filium inueniant Arriani. Silcant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum dei, sicut scriptum est, non in persuasione uerbi est, sed in ostensione uirtutis. Seruemus distinctionem diuinitatis & carnis: unus in utraque loquitur dei filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam dei, nunc hominis passiones, quia quasi deus loquitur quæ sunt diuina, quia in mea substantia loquebatur. Hic est panis uiuus, qui descendit de cælo. Panis hic caro est, sicut ipse dixit: Hic panis quem ego dabo, caro mea est. Hic est qui descendit, hic est quæ pater sanctificauit, & misit in hunc mundum. Hæc ipsa litera nos docet, sanctificatione non diuinitatem eguisse, sed carnem. Denique ipse Dominus dixit: Et ego memetipsum sanctifico pro ipsis: ut agnoscas

Ioan. 8.

Esai. 48.

Ioan. 15.

Ioan. 14.

1. Cor. 2.

Ioan. 6.

Galat. 4.

Lucæ 4.

Ioa. 7.

Ibid.

Baruch. 3.

Ioa. 7.

Phil. 2.

Colos. 2.

Ioa. 17.

Phil. 2.

quod & sanctificatur in carne pro nobis, & diuinitate sanctificat. Hic idem est quem pater misit, sed factum ex muliere, factum sublege, vt Apostolus dixit. Hic est qui ait: Spiritus domini super me: propter quod vnxit me: euangelizare pauperibus misit me. Hic est qui dicit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo est, an ego à meipso loquar. Alia ergo ex deo doctrina, alia ex homine. Itaque Iudæi cum doctrinam eius secundum hominem quærent vt dicerent, Quomodo hic literas nouit, cum non didicerit? respondit Iesus & dixit: Mea doctrina non est mea. Nam cum sine eruditione literarum doceat, non quasi homo, sed potius vt deus videtur docere, qui doctrinam non dedicerit, sed inuenit. Adinuenit enim omnem viam disciplinæ, vt supra lectum est. Nam vtique de filio dei dictum est: Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum, qui adinuenit omnem viam disciplinæ. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Quomodo ergo secundum diuinitatem doctrinam suam non habet, qui adinuenit omnem viam disciplinæ antequam videretur in terris? aut quomodo minor, de quo dictum est: Non æstimabitur alius ad eum? Vtique incomparabilis dicitur, ad quem nemo alius estimari potest. Sed ita incomparabilis, vt & patri nequeat anteferri. Quod si de patre dictum putant, impietatem Sabellij non euadent, vt patri susceptione humanæ carnis attribuant. Prosequamur sequentia. Qui à semetipso, inquit, loquitur, gloriam suam querit. Vide vnitatem, quæ & patrem signat & filium. Non potest non esse qui loquitur, sed non potest, à semetipso esse quod loquitur, in quo naturaliter ex patre sunt omnia. Quid est autem, Gloriam suam querit? Hoc est, non diuinitatem à patre gloriam. Nam vtique & verbum Deus habet gloriam. Denique dicit: Vt videant gloriam meam. Sed illa verbi gloria, eadem patris gloria est, sicut scriptum est: Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Ita igitur secundum diuinitatem Dei filius suam gloriam habet, vt patris & filij vna sit gloria. Non est ergo minor in claritate, quia vna gloria. Non minor diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in Christo est. Et quomodo, inquit, scriptum est: Pater, venit hora, clarifica filiū tuum? Qui hoc dicit, clarificatione, inquit, indiget. Hucusque oculos habes, quod reliquum est non legisti. Sequitur enim: Vt filius tuus clarificet te. Nunquid & pater indiget, quia clarificandus à filio est? Pari modo obedientiam filio obicere solent, quia scriptum est: Et specie inuentus vt homo, humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Et hominem præmisit, & vsque ad mortem dixit, vt intelligeremus obedientiam mortis non diuinitatis fuisse, sed incarnationis, in qua & officia nostra suscepit, & nomina. Didicimus itaque vnam esse potentiam trinitatis, quam nos in ipsa quoque docuit passione. [Filius enim patitur: In manus patris commendatur spiritus: Deus quoque pater maxima voce in-clamatur] atque post ipsam docuit passionem. Filius enim patitur per corporis sacramentum, Apostolis spiritus sanctus infunditur, pater quoque maxima voce signatur. Didicimus vnam patris & filij esse

imaginem, vnam similitudinē, vnam sanctificationem. Didicimus vnam esse operationem, vnam gloriam, vnam quoque diuinitatem. Vnus ergo & solus Deus, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: Vnus Deus, non vt ipse sit pater & filius, sicut impius Sabellius asserit, sed quia patris & filij spiritusque sancti vna diuinitas sit: vbi autem vna diuinitas, vna voluntas, & vna præceptio. Denique vt scias & patrem esse, & filium esse, & causam & effectum esse, & filium esse, & pater noster & dominus Iesus dirigat viam nostram ad vos. Et patrem loquitur, & filium loquitur: sed vnitatis directionis est, quia vnitatis potestatis est. Sic & alibi habes: Ipse autem dominus noster Iesus Christus, & Deus & pater noster qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, consoletur corda vestra & confirmet. Quantam vnitatem ostendit, vt consolationis vnitatis non pluralitas sit? Conticescat ergo perfidia, aut si ratione non vincitur, morali humanitate flectatur. Consideremus quàm moraliter egerit dominus, vt nos non solum fidem, sed etiam mores doceret. Namque in forma hominis constitutus, subditus erat Ioseph & Mariæ. Nunquid ergo minor & hominibus, quia subditus? Aliud pietatis, aliud potestatis est, sed non præiudicat pietas potestati. In eo ergo legis subditum patri, in corpore scilicet, in quo erat subditus matri. Agamus & nos moraliter, persuadeamus illis quod sibi profit, obsecremus & ploremus ante dominum qui fecit nos. Non enim vincere volumus, sed sanare: non insidiosè agimus, sed religiosè monemus. Sæpe flectit humanitas, quos nec virtus potuerit superare, nec ratio. Denique Dominus illum hominem qui ex Hiericho descendens incidit in latrones, quem non asperioribus legis medicamentis, non prophetico rigore curauerat, oleo curauit & vino. Veniant ergo ad hunc omnes qui sanari volunt, accipiant medicamentum quod & à patre detulit, & præparauit in cælo, ex illis confectum immortalibus succis, hoc ex terra non pullulat. Expers enim omnis natura huius confectio. Diuino enim consilio suscepit hanc carnem, vt ostenderet legem carnis legi esse subditam mentis. Suscepit carnem, vt quasi homo vinceret qui homines erudiret. Quid mihi prodesset, si quasi Deus exerta potestate diuinitatem suam tantummodo inuolabilem demonstrasset? Aut cur suscipere carnem, nisi vt tentari se naturæ atque infirmitatis meæ conditione pateretur? Tentari debuit, cõpati mihi debuit, vt scirem quemadmodum tentatus vincerem, compassus euaderem. Vicit per continentiam, vicit per contemptum diuitiarum, vicit per fidem, calcavit ambitionem, fugauit intemperantiam, lasciuiam relegauit. Hoc medicamentum Petrus vidit, & retia sua, instrumenta videlicet quæstus & subsidia dereliquit, renunciens carnis concupiscentiæ tanquam corruptæ nauis, in quam quasi sentina quædam multarum ingreditur passionum. Magnum ergo medicamentum, quod non solum cicatricem vetusti vulneris amputauit, sed etiam causam passionis incidit. O fides thesauris omnibus opulentior! O fides vulnerum nostrorum peccatorumque medicina præstantior! Consideremus

remus quia nobis prodest bene credere. Mihi enim A prodest scire, quia propter me Christus suscepit meas infirmitates, mei corporis subiit passiones, pro me peccatum, hoc est, pro omni homine, pro me maledictum factus est, & pro me atque in me subditus atque subiectus, pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me seruus, pro me filius ancillæ, pro me diem iudicij ignorans, pro me nesciens diem aut horam. Nam quomodo posset diem nescire, qui dies fecit & tempora? Quomodo posset diem ignorare iudicij, qui & horam iudicij futuri expressit & causam? Factus ergo maledictum non secundum diuinitatem, sed secundum carnem. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Secundum carnem vtique pependit: & ideo maledictum, quia nostra maledicta suscepit. Ille fleuit, ne tu homo diu feres. Ille iniurias passus est, ne tu iniuriam tuam doleres. Grande remedium, solatium habere de Christo. Ille enim pro nobis hæc patientius tulit, & sumus qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus? Quis appetitus non discat ignoscere, quando pro persecutoribus suis Christus & crucifixus orabat? Vides ne illas quas tu putas Christi infirmitates, tuas esse virtutes? Cur de remediis nostris ei quæstionem mouemus? Lachrymæ illæ nos lauant. Fletus illi nos abluunt, ac dubitatio illa nos firmat, ne tu si cõperis dubitare, desperes. Quamto maior est iniuria, tantò vberior debetur gratia. Sed & in ipsis iniuriis cognosce diuinitatem. In cruce pendeat, & elementa ei omnia seruebant. Sol refugit, dies occidit. Obscure & circumsuse tenebræ. Terra tremuit, non tremuit qui pependit. Quid aliud hæc quàm authoris reuerentiã signant? Quia in cruce est vides: quia regnum Dei donat, non vides: quia mortem gustauit legis, quia latronem quoque ad paradysum inuitauit, non legis: Mulieres flentes intueris ad tumulum, non intueris angelos excubantes? Quid dixerit legis, quid gesserit non legis? Dicitis Chananæ mulieri dixisse dominum: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Non dicis, quoniam id quod ab ea rogatus est fecit? Vnde intelligere te conuenit, quia missus non id significat quod alieno sit coactus imperio, sed quod voluntario functus sit arbitratu, alioquin contemptum ostendis patris. Si enim, vt tu interpretaris, pater-norum famulus præceptorum Christus venerat in Iudæam, vt folis eius incolis mederetur, & Chananæ prius filiam (vt legimus) liberauit, non vtique alieni fuit executor imperij, sed voluntarij liberi arbitrij. Vbi autem libertas voluntatis, ibi nulla præuaricatio missionis. Nec vereare ne displiceat patri quod fecit filius, cum ipse dicat: Quæcumque placita sunt ei, facio semper. Et alibi: Opera quæ ego facio, ipse facit. Quomodo ergo patri potuit displicere quod ipse fecit per filium? Vnus enim Deus, sicut scriptum est, qui iustificauit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. Omnia lege, omnia diligenter aduerte, inuenies sic demonstrasse se Christum vt Deus in homine cerneretur. Nec malitiosè accipias de patre filium gloriantem, cum audias patrem in filio complacentem. Sed si moralibus flecti non queunt, prouocemus ad iudicem. Ad quem tandem ibimus? Nempe ad eum qui iudicium habet. Nunquid ad

patrem? Sed pater non iudicat quenquam. Omne enim iudicium dedit filio. Dedit vtique, generando, non largiendo. Vide quã te noluerit filio suo derogare, vt tibi ipsum iudicem daret. Videam ergo ante iudicium quis causam meliorem habeat, ego, an tu. Nempe prudentis actoris est, prius conciliare sibi iudicem. Hominem honoras, Deum non honoras? Quid ergo conciliat cognitorum, honorificentiam, an iniuriam? Pone me peccasse, quod non est, num offenditur honore suo Christus? Peccamus omnes. Quis ergo veniam promerebitur, qui desert honorificentiam, an qui irrogat contumeliam? Aut si te ratio non mouet, species saltem iudicij ipsa commoueat. Attolle oculos ad iudicem tuos, intueri qui sedeat, cum quo sedeat, vbi sedeat. Sedet Christus ad dexteram patris. Aut si oculis hoc non potes comprehendere, audi dicentem prophetam: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam. Sedet ergo ad dexteram patris filius. Dic nunc qui de secularibus arbitraris æstimanda diuina. Num tibi videatur inferior qui ad dexteram sedet? Num iniuriam patris, qui ad sinistram sedet? Pater honorat, & tu iniuriam putas? Pater maualt id esse pietatis exemplum, & tu putas præceptionis imperium? De morte surrexit, & ad dexteram dei sedet. Sed dixit, inquis, pater. Accipe etiam vbi non dicit pater, & prædicat filius, Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Et hoc de assumptione corporis dicit. Hinc dicit: Sede ad dexteram meam. Nam si de æterna sede diuinitatis quæris, interrogatus à Pilato si ipse esset rex Iudæorum, ait: In hoc sum natus. Vnde & apostolus monet, hoc esse nobis utile, si Christum non ex præcepto neque ex gratia, sed quasi dilectissimum filium ad dexteram Dei sedere credamus. Sic enim habes: Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt sapite. Hoc est enim superiora sapere, credere quia Christus vt sedeat, non quasi iussus obsequitur, sed quasi filius dilectissimus honoratur. Propter rationem ergo corporis dicit: Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quod si & hoc ad calumniã trahis, quia pater ad filium dixit, Ponam inimicos tuos: etiam pater trahit ad filium quos filius suscitet atque viuificet. Nemo enim, inquit, potest venire ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et tu filium Dei pro infirmitate dicis esse subiectum, cui pater attrahit, quos ille in nouissimo die suscitet? Hæc tibi videtur esse subiectio, in qua regnum patri paratur, cum pater ad filium trahat, & calumniæ locus non sit, cum patri regnum filius tradat, nec aliquid præferatur? Hæc enim documenta pietatis sunt, quod & pater filio, & filius patri tradat. Ita enim sibi tradunt, vt neque ille qui accipit quasi alienum acquirat, nec qui tradat amittat. Ad dexteram quoque sedere nulla prælatio est, neque ad sinistram iniuria. Diuinitas enim gradum nescit, nec loco aliquo circumscribitur, nec temporibus definitur. Angustis animis homines ista pensamus. Nulla differentia charitatis, nullum discrimen est vnitatis. Sed cur longius euagamur? Circumspectasti omnia, vidisti iudicem, aduertisti angelos prædicantes. Illi laudant, & tu vituperas? Dominationes & potestates

venerantur, & tu calumniaris? Adorant omnes sancti eius, non adorat Dei filius, non adorat spiritus sanctus. Seraphim dicit: Sanctus, sanctus, sanctus. Quid tibi vult sub vno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur vna laudatio? Si vna laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur nisi quia pater & filius & spiritus sanctus sanctitate vnum sunt? Non dixit semel, ne filium sequestraret, non bis, ne spiritum prateriret, non quater, ne creaturam sibi coniungeret. Et ut ostenderet trinitatis vnam esse deitatem, cum tertio dixisset: Sanctus, sanctus, sanctus: addidit singulariter: Dominus Deus Sabaoth. Sanctus igitur pater, Sanctus filius, sanctus & Dei spiritus. Adoratur igitur trinitas, non adorat. Laudatur trinitas, non laudat. Ego malo sicut Seraphim credere, & sicut omnes potestates virtutesque coelestes adorare. Igitur prosecutionem tuam videamus, quem admodum concilies tibi iudicem. Dic sanè, dic inquam: Ego te Christe puto esse dissimilem patri. Respondebit & ille: Discerne si potes. Discerne, inquam, quo putes esse dissimilem? Dic aliud: Creaturam, inquit, te arbitror. Respondebit & Christus: si duorum hominum testimonium verum est, tu nec mihi nec patri saltem credere debuisti, qui genitum nominavit? Bonum, inquit, nego. Dicit & ille: Fiat tibi secundum fidem tuam, ut tibi bonus non sim. Omnipotentem non arbitror. Respondebit & ipse: Non possum ergo tibi tua peccata donare. Subiectum dico. Referet ad hoc: Cur igitur libertatem ac veniam ab eo petis quem putas pro seruitio esse subiectum? Video hærere prosecutionem tuam: non vrgeo, quia peccatorum meorum ipse sum conscius: non inuideo veniam, quia ipse opto indulgentiam, votum tuum scire desidero. En allego apud iudicem desideria tua, non prodo crimina. Seriem tuorum expecto votorum. Dic vtique ea quæ in communi voto sũt. Dic inquam, Domine fac me ad imaginem Dei. Respondebit & ille: Ad quam imaginem, quæ negasti? Dic, Fac me incorruptibilem. Referet vtique, Quomodo te incorruptibilem facere possum, quem tu creaturam dicendo, capacem corruptibilitatis esse voluisti? Mortui resurgent incorrupti, & tu corruptibilem dicis quem Deum cernis? Dic, bonus esto mihi. Dicit tibi: Quid postulas quod negasti? Ego te bonum volui. Ego dixi: Estote sancti, quoniam ipse sanctus sum: Et tu mihi id negare contendis: Expectas veniam peccatorum? Sed nemo potest donare peccata nisi solus Deus. Itaque cum verus & solus tibi Deus non sum, non possum vtique tua peccata donare. Hęc Arrianus dicat. Et Fotinianus: Nego te, inquit, Deũ. Respondebit & Dominus: dixit insipientes in corde suo, non est Deus. De quo dictum putas, de Iudæo, de gentili, an de diabolo? De quo vis dictum fit. Fotiniane, tolerabilior est ille qui tacuit. Tu verò & voce ausus es dicere, ut insipienter insipientior probareris. Negas ergo, inquit, Deum, cum ego dixerim: Dij estis, & filij excelsi omnes. Et tu Deum negas, cuius operadiuina circumspectis? Dicat & Sabelianus: Ego te ipsum patrem & filium & spiritum sanctum arbitror. Respondebit & Dominus: Non audis patrem, non audis filium? Nunquid hic vlla confusio est? Scriptura ipsa te docet patrem esse qui detulit iudicium, filium esse qui iudicat. Non audisti me

dicentem: solus non sum, sed ego, & qui misit me pater? dicit & Manichæus: Ego autorem carnis nostræ diabolum credo. Respondebit ei: Ergo quid facies in coelestibus? Vade ad autorem tuum. Ego eos volo mecum esse, quos dedit mihi pater. Tu te à diabolo creatum Manichæe arbitraris, ad illius ergo festina sedem, vbi ignis & sulphur, vbi non restinguitur eius incendium, nec vnquam pœna morietur. Omitto alia hæreticorum portenta, non nomina, qui dicunt: Qui dies erit iudicii, quæ erit forma sententiæ? Respondebit his omnibus & ille moraliter: Populus meus, quid feci tibi, aut quid contristavi te? Nonne ex Ægypto eduxi te, & ex domo seruitutis liberaui te? sed parum est ex Ægypto liberasse, & ex domo seruitutis eripuisse, plus est te ipsum dedisse pro nobis. Dices ergo: Nonne vestras omnes suscepi iniurias? Nonne corpus meum pro vobis obtuli? nonne mortem oppetiui, quod non erat diuinitatis meæ, sed vestræ redemptionis? Hęcine referuntur gratiæ, hoc profecit sanguis meus, sicut in propheta ipse iã dixi: Quæ utilitas in sanguine meo, quia descendi in corruptionem? Hoc ergo profeci, ut me impiè negaretis, pro quibus ista sustinui? Ego verò tunc domine Iesu etsi grauium peccatorum mihi ipse sim conscius, dicam tamen, non te negavi, habes quod ignoscas fragilitati carnis. delictum fateor, peccatum non abnuo. Si vis potes me saluare: quia hoc qui dixit, & meruit: Ne quæso in iudicium intres cum seruo tuo. Non quæso ut iudices, sed ignoscas. Quid putamus Christum iudicaturum? Ego scio, iudicaturum dico, imò iam iudicauit. Tenemus eius sententiam, ut omnes, inquit, honorificent filium, sicut honorificat patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum. Si displicet sententia, appella ad patrem, rescinde iudicium quod pater detulit. Dic quia dissimilem habet filium: Respondebit tibi: Ergo mentitus sum, qui dixi filio: Faciam hominem ad imaginem & similitudinem nostrã. Dic quia creauit: Respondebit tibi: Cur ergo adorasti, quem creaturam putasti? Dic quia minorem genuit filium: Respondebit, Metire, videamus. Dic quia ei non debuisti credere: Referet ad hoc: Non tibi dixeram: Hic est filius meus dilectissimus, in quo complacui, ipsum audite? Quid est, ipsum audite? dicentem vtique: Omnia quæ pater habet, mea sunt. Hoc audierunt Apostoli, sicut scriptum est: & ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Si ceciderunt qui confessi sunt, quid facient qui negarunt? Sed illos Iesus tetigit & leuauit, vos iacere patietur, ne videatis gloriam quam negastis. Videamus ergo quoniam quem filius damnat, & pater damnat. Et ideo honorificemus filium sicut honorificamus patrem, ut per filium ad patrem peruenire possimus. Hęc ego Imperator Auguste carptim ac breuiter impolita magis proposui, quam enodata digessi. Quod si qua Arriani inconsummata arbitratur, ego vix fateor inchoata. Si qua adhuc superesse opinatur, ego prope omnia. Infidelibus enim totum deest, sed abundat fidelibus. Denique vna confessio Petri abundauit ad fidem Christo: Tu es Christus filius dei viui. Sat est enim generationem scire diuinam, non diuinitatem, non deminutam, non deriuatoriã, non creatam. Hoc etiam totis scripturarum exponitur libris,

Esai. 6.

Deut. 19. 1. Cor. 15.

Leuit. 19.

Marc. 2.

Psal. 52.

Esai. 81.

Ioan. 8.

libris, nec adhuc ab impiis creditur. Incausatum est enim, ut scriptum est, cor eorum & auribus suis grauius audierunt, & oculos suos grauauerunt: nequãdo oculis suis videant, & auribus audiant, & corde intelligant. Namque more Iudaico aures suas Arriani claudere solent, aut ferere tumultum, quotiescunque verbum salutis auditur. Et quid mirum si humanis vocibus credere non soleant infideles, qui non credunt diuinis? Filius Dei dicebat, sicut habes in Euangelio: Pater clarifica nomen tuum. Vox patris de cœlo audita est dicentis: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Infideles hęc audiebant, sed non credebant. Dicebat filius, respondebat pater. Dicebat Iudæi: Tonitruum factum est illi, alij dicebant: Angelus locutus est ei. Paulus quoque sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, cum voce Christi vocaretur ad gratiam, plurisque comites pariter incederent, solus vocem Christi audisse se dixit. Adeo sancte Imperator, qui credit audit, & audit ut credat. Qui non credit, non audit, sed nec vult nec potest audire, ne credat. Atque vtinam quod in me est audire vellent ut crederent, audire cum bona charitate & mansuetudine ut verum quærentes, non veritatem impugnantes. Scriptum est enim, ut non intendamus fabulis & genealogiis interminabilibus, quæ quæstiones magis præstant quàm ædificationem Dei quæ in fide est. Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legisdoctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Alibi quoque idem Apostolus dicit: Stultas autem & sine disciplina quæstiones deuota. Tales deserendos Apostolus dicit, qui quæstiones serunt, hos esse hæreticos: de quibus alibi dicit quod discedent quidam à fide, intendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. Et Ioannes dicit hæreticos esse antichristos, Arrianos vtique designans. Hęc enim hæresis post omnes hæreses cœpit, & ex omni hæresi venena collegit. Sicut enim de antichristo scriptum est quia aperuit os suum in blasphemiam ad Deum, blasphemare nomẽ eius, & bellum facere cum sanctis eius: ita & isti filio Dei derogant, nec martyribus pepercerunt: & quod fortasse ille non faciet, scripturas falsauere diuinas. Itaque qui dicit quia Iesus non est Christus, hic est antichristus. Qui negat saluatorem mundi, negat Iesum: qui negat filium, negat & patrem, quia scriptum est: Omnis qui negat filium, negat & patrem. Neque verò te Imperator pluribus tenere debet bello intentum, & victicia de barbaris trophæa meditatem. Progredere planè scuto fidei septus, & gladium spiritus habens, progredere ad victoriam superioribus promissam temporibus, & diuinis ora-

culis prophetatam. Namque & futuram nostri depopulationem, & bella Gothorum Ezechiel illo iã tempore prophetauit. Sic enim habes: Propterea propheta filii hominis, & dic, O Gog, hęc dicit Dominus: In die illa cum constitueretur habitare populus meus Israel in pace, surges & venies de loco tuo ab extremo Aquilonis, & gentes tecum multæ, sessores equorum omnes, congregatio multa & magna, & virtus copiosa, & descendet ad populum meum Israel, ut nubes operiet terram in nouissimis diebus, &c. Gog iste Gothus est, quem iam videmus exisse, de quo promittitur nobis futura victoria, dicente Domino: Et deprædabunt eos qui deprædati eos fuerant, & despoliabunt eos qui sibi spolia detraxerant, dicit Dominus. Eruntque in die illa, dabo Gog, hoc est Gothis, locum nominatum monumentum in Israel multorum virorum congestum, qui superuenerunt ad mare, & per circuitum struet vallis peristomion, & obruet illic Gog & totam multitudinem eius, & vocabitur polyandrium Gog, & obruet eos domus Israel ut purgetur terra. Nec ambiguum sancte Imperator, quod qui perfidiæ alienæ pugnam excepimus, fidei catholicæ in te vigentis, habituri sumus auxilium. Euides enim antehac diuinæ indignationis causa præcessit: ut ibi primum fides Romano imperio frangeretur, vbi fracta est Deo. Non licet confessorum necesse, tormenta, exilia recordari, priorum sacerdotia, proditorum munera. Nonne de Thraciæ partibus per ripesem Daciã & Mysiã omnemque Valeriã Pannoniorum, totum illud limitem sacrilegis pariter vocibus & barbaricis motibus audiui in horretum? Quid poterat nobis vicinia tam feralis inuicere? Aut quemadmodum res Romana tali tuta poterat esse custodia? Sed iam satis superque omnipotens Deus nostro exilio, nostroque sanguine, confessorum necesse, exilia sacerdotum, & nephas tantæ impietatis eluimus, satis claruit eos qui violauerunt fidem, tutos esse non posse. Conuertere Domine, fideique tuæ attolle vexilla. Non hic aquilæ militares, neque volatus auium exercitum ducit, sed tuum Domine Iesu nomen & cultus. Non hic infidelis aliqua regio, sed ea quæ confessores mittere solet Italia, aliquando tentata, mutata nunquam: quam dudum ab hoste barbaro defendisti, nunc etiam vindicasti. Non hic imperatoris mens lubrica, sed fides fixa. Ostende nunc euidens tuæ maiestatis indicium, ut is qui te verum virtutum Dominum, & coelestis militiæ ducem, is qui te veram Dei virtutem credit esse atque sapientiam, non temporalem vtique nec creatam sed sempiternam, sicut scriptum est, Dei virtutem & diuinitatem, tuæ maiestatis fultus auxilio, fidei suæ trophæa mereatur.

Esai. 6.

Michea. 1. 12.

Mat. 9.

Psal. 20.

ad Tit. 3.

1. Ti. 1.

Ioan. 5.

1. Timot. 4.

1. Ioan. 2.

Apocal. 13.

Matth. 10. 17.

Mat. 17.

1. Ioan. 2.

Mat. 16.

Ezech. 33.

1. Corin. 1.

FINIS.

CAPITA LIBRI TERTII.

Qua ratione author ea quæ in superioribus libellis breuiter digesta sunt, in hoc libro latius exequi curauerit. Cur etiam illicitum putari non debeat quod ad informationem vitæ humana comparatione poetis fabulis deriuatam induxerit.

Quod nos magis quam poeta illecebram secularis lasciuia perniciosam debeamus indicare. Quodque nostra salutis gratia Christus corporis infirmitates suscepit, licet secundum diuinitatem equalis sit patri in altitudine & immortalitate. Quod praeterea (contra haereticorum insaniam) cum de Deo dicitur, solus, non separatur filius. Cap. II.

Quomodo filius factus intelligatur. Quemadmodum etiam omnia per ipsum facta sint, cum diuersorum haereticorum confutatione. Cap. III.

Quid significet quod de incarnatione Domini scriptum est: Deus creauit me principium viarum suarum. Et quod Christus dicatur principium, non solum per relationem ad diuinitatem, sed etiam ad documenta virtutum. Quomodo etiam intelligatur id quod scriptum legitur: Puer natus est nobis, &c. quo multae hereses extinguuntur. De solutione quoque dubitationis quomodo de incarnatione Christi dictum sit: Dominus creauit me, &c. cum ante incarnationem eius creatura mundi fuerit. Cap. IIII.

De solutione obiectionis sumpta ex eo quod scriptum est: Post me venit vir qui ante me factus est, cum confutatione erroris Arrianorum. Et quomodo iuxta mysticam intelligentiam historia de Booz & Ruth designatus fuerit Christus, qui ecclesiam sibi copulauit. Quomodo etiam sepe ad causam pertineat cum Christus dicitur factus. Quomodo denique ipse idem sacerdos sit & hostia. Cap. V.

Quod patris & filij unum sit regnum, & non diuisum, sicut Arriana seuitas asseruit. Cap. VI.

Quod una sit maiestas & una gloria, una quoque substantia patris & filij, cum redargutione Arrianorum, & quemadmodum fraudem eorum cauere debeamus. Cap. VII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS DE FIDE AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER III.

Qua ratione author ea quae in superioribus libellis breuiter digesta sunt, in hoc libro latius exequi curauerit: Cur etiam illicitum putari non debeat quod ad informationem vitae humane comparationem a poeticis fabulis deriuatam induxerit. Cap. I.

Quoniam clementissime Imperator, instruendi tui gratia, aliqua de fide mihi describenda mandaueras, & verecundantem, coram etiam ipse fueras adhortatus, ideo quasi in procinctu positus, duos tantum conscripsi libellos, quibus vias quasdam fidei & semitas demonstrarem. Sed quoniam mens praua quorundam, ferendis intenta quaestionibus, silo lacessit vberiore configi, tuae quoque pia me cura clementiae ad caetera vocat, volens in pluribus experiri quem in paucis probasti, ea quae per paucis superius digesta sunt, placuit paulo latius exequi, ne ea quasi diffidentia assertionis deseruisse potius quam securitate fiduciae proposuisse videamur. Et quia hydræ nominis & scyllæ littoris comparationem induximus, vt ostenderemus vel rediuiua plantaria caueda perfidia, vel famosa naufragia, si quis contra licitum putat colorem disputationis eiusmodi a poeticis fabulis deriuatam, & cum in fide nihil quod vituperare possit inuenerit, aliquid in sermone reprehendit, agnoscat non solum sententias, sed etiam vericulosos poetarum scripturis insertos diuinis. Vnde enim illud: Huius & genus sumus, quod Paulus vsu prophético doctus viurpat? Nam & gigantes & vallem Titanum prophético sermonis series non refugit. Et Esaias sirenas & filias passerum dixit, Et Hieremias de Babylone memorauit, quod habitabunt in ea filiae sirenarum: vt ostenderet Babylonis, hoc est, secularis confusionis

ilicebras, vetustis lasciuiae fabulis comparandas, quae velut scopuloso in istius vitae littore, dulcè resonare quandam sed mortiferam cantilenam ad capiendos animos adolescentium viderentur? quam sapiens etiam ab ipso poeta Graeco inducitur quasi quibusdam prudentiae suae circumdatus vinculis praeterisse. Ita difficile iudicatum est ante aduentum Christi etiam fortiores non posse capi speciosae delitiis voluptatis.

Quod nos magis quam poeta illecebram secularis lasciuia perniciosam debeamus indicare. Quodque nostrae salutis gratia Christus corporis infirmitates suscepit, licet secundum diuinitatem equalis sit patri in altitudine & immortalitate. Quod praeterea (contra haereticorum insaniam) cum de Deo dicitur, solus, non separatur filius. Cap. I I.

Quod si poeta ille, perniciosam mentibus hominum, & subeundis obnoxiam naufragiis, lasciuiae secularis illecebram iudicauit, quid nos aestimare oportet, quibus scriptum est: Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis. Et alibi: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne aliis praedicans ipse reprobus efficiat? Non enim per luxuriam nobis Christus, sed per ieiunium salutem attulit. Neque ille emerenda gratiae suae causa, sed nostrae eruditionis gratia ieiunauit. Neque infirmitate corporis victus est vt esuriret, sed esuriendo suscepti corporis fidem praestitit, vt non solum corpus, sed etiam infirmitates nostri corporis doceret a se esse susceptas. Sicut scriptum est: Quoniam infirmitates nostras accepit, & aegritudines nostras portauit. Corporis est igitur, hoc est, nostrum est quod esuriit, nostrum est quod fleuit, quod tristis fuit vsque ad mortem: Cur

Psa. 86.

1. Ti. 1.

Psa. 17. Luc. 1.

1. Tim. 6.

Colos. 2.

1. Jo. 2.

1. Jo. 5. Luca. 7.

Esa. 53.

Cur ad diuinitatem quae sunt nostra referunt? A Corporis est quod etiam factus asseritur. Denique sic habes: Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Homo, inquit, factus est, non Deus factus est. Qui autem idem altissimus, idem homo, nisi mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis? Et hoc utique ad incarnationem pertinet. Redemptio enim nostra per sanguinem, remissio per potestatem, vita per gratiam. Quasi altissimus donat, quasi homo precatur. Aliud creatoris, aliud redemptoris est. Distincta licet, vnius tamen auctoris beneficia sunt, decuit enim vt ille nos redimeret qui creauit. Quis autem neget Christum esse altissimum significatum? Nam qui aliter sentit, Deo patri sacramentum incarnationis adscribit. Sed hinc dubitari non potest quod altissimus Christus sit, cum etiam alibi dixerit de mysterio passionis: Dedit vocem suam altissimus, & mota est terra. Et in euangelio habes: Et tu puer propheta altissimi vocaberis, praebis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ergo quia altissimus Deus est & Christus. Et solus utique cum dicitur Deus, non separatur etiam Dei filius. Qui enim altissimus, solus: sicut scriptum est: Cognoscant quoniam dominus nomen est tibi, tu solus altissimus super omnem terram. Vnde etiam illud explosum est: quod solent ad calumniam deriuare, quod de Deo scriptum est: Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. De deo enim scriptum est, quod est commune nomen patri & filio. Nam si vbiicumque Deum legunt, negant etiam filium designari, & impij sunt diuinitatis potentiam filio denegando, & incarnatum patrem Sabelliana impietate adstruere videbuntur. Dicant enim quomodo illud non impie de patre intelligere possint, quod Apostolus ait: In quo & cõsurrexistis per fidem operationis dei qui suscitauit illum a mortuis. Et aduertant de sequentibus quid incurrant. Sequitur enim: Et cum mortui essetis delictis & praepetio carnis vestrae, viuificauit nos cum illo, donans nobis delicta; delens quod aduersum nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, exuens se carnem. Ergo non deus pater solus intelligendus est qui suscitauit carnem, & non etiam filius cuius templum resuscitatum est. Qui suscitauit utique & viuificauit. Qui viuificauit & delicta donauit. Qui delicta donauit, chirographum tulit, affixit illud cruci. Qui affixit illud cruci, carnem se exuit. Sed pater non se exuit carnem. Non enim pater caro factus est, sed verbum, sicut legimus, caro factum est. Videtis ergo quod Arriani dum separant a patre filium, in id periculum incidunt vt patrem passum esse commemorent. Nos autem facile docemus de filij dictum operatione. Nam & ipse corpus suum resuscitauit, sicut ipse dixit: Soluite teplum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Et ipse viuificat nos cum suo corpore: Sicut enim pater suscitauit mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Et ipse delicta donauit dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Et ipse chirographum affixit cruci, qui crucifixus est per corporis passionem: Nec alius se carnem exuit, nisi Dei filius qui carnem se induit. Ipse ergo significatur Deus, qui opus

nostra resurrectionis operatus est. Ergo cum legis deum, non separes patrem, non separes filium, quia diuinitas patris & filij, vna eademque est. Et ideo nec ibi separes vbi legis, quod beatus & solus potes. De eo enim dictum est, sicut habes: Praecipio coram deo qui viuificauit omnia, sed etiam Christus viuificat. Conuenit ergo & patri & filio Dei nomen, quando conuenit & operationis effectus. Prosequamur & caetera. Praecipio, inquit, coram deo qui viuificat omnia & Christo Iesu in Deo. Hic etiam verbum est, sicut scriptum est: in Deo laudabo verbum, in deo sempiterna sua virtus est Iesus. In Deo igitur vnitatem diuinitatis; in Christi autem nomine incarnationis testificatus est sacramentum. Denique vt de incarnatione Christi se dixisse ostenderet, subdidit: qui testimoniũ reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt serues mandatum sine macula vsque in aduentum domini nostri Iesu Christi: Quae suis temporibus ostendit beatus & solus potens, & rex regum & dominus dominantium. Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. Quem vidit hominum nemo, sed nec videre potest. Ergo de deo haec scripta sunt, cuius nominis & dignitas & veritas communis est filio. Cur igitur hoc loco filius separatur, cum etiam filio haec cuncta conueniant? Aut si non conueniunt, nega deum vt neges quae deo sunt conuenientia. Beatus negari non potest qui beatitudines donat. Beati enim quibus remissa sunt iniquitates. Beatus negari non potest qui sanam doctrinam tribuit, sicut scriptum est, quae est secundum euangelium claritatis. Beatus dei potens abnuui non potest, de quo pater dicit: Posui adiutorium super potentem. Immortalitatem autem eius quis audeat diffiteri, cum etiam aliis immortalitatem ipse largitus sit, sicut scriptum est de sapientia dei: Per hanc habeo immortalitatem: sed alia immortalitas suae naturae, alia nostrae est. Non sunt fragilia comparanda diuinis, vna sola substantia diuinitatis, quae mori nescit. Vnde & Apostolus cum sciret animam & angelos immortales, quod solus deus immortalitatem habeat praedicauit. Nam & anima moritur. Anima enim quae peccauerit, ipsam morietur. Nec & angelus immortalis est naturaliter, cuius immortalitas in voluntate est creatoris. Neque ad praedieum trahas, quod non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Uriel. Et in ipsis enim moritur naturae capacitas vitio obnoxia, sed non obnoxia disciplina. Omnis enim rationalis creatura accidetia recipit, & subiecta iudicio est. In accidetibus autem & poena iudicij & corruptela est & profectus. Vnde & Ecclesiastes ait: Quonia omne opus suum deus adducet in iudicium. Ergo corruptelae & mortis, etiam si non moriatur aut peccet, capax tamen omnis est creatura. Nec ex immortalis natura habet, sed ex disciplina vel gratia, si se in aliquibus ad vitia non mutat. Alia ergo immortalitas quae donatur, alia quae sine capacitate mutabilitatis est semper. An negatur immortalis diuinitas Christi, quia in carne pro omnibus mortem gustauit? Iam ergo melior Gabriel quam Christus, quia ille non est defunctus, hic mortuus est. Sed non est seruus supra dominum, alia enim carnis infirmitas, alia diuinitatis aeternitas. Mors carnis est, immortalitas potestatis. Quod si diuinitas fecit ne caro videret corruptionem,

1. Timot. 6.

Psa. 55.

1. Timot. 6.

Apocaly. 19. 1. Timot. 6.

Psa. 31.

Psa. 88.

Sap. 8.

Ezech. 18.

Eccle. 11.

Heb. 2.

Matth. 10.

Ioan. 1.

Ioan. 8.
Ioan. 1.
* at ne hoc arguatur, &c.

quæ utique corruptelæ erat obnoxia per naturam, quomodo mori posset ipsa diuinitas? Quomodo autem lucem inaccessibilem non habitat filius, cum in sinu patris filius sit? Lux autem pater, lux etiam ipse fit filius, quia Deus lux est. Aut si aliam lucem inaccessibleem nisi diuinitatis putamus, nunquid melior patre lux est, ut non sit in luce, quia scriptum est: Et apud patrem est, & in patre? Non ergo separant filium cum legunt solum Deum, nec patrem separant cum legunt filium solum. In terris filius sine patre non est, & putas quod pater sine filio sit in celo: in carne est filius, cum dico in carne est, vel in terris, secundum euangelij tempora loquor: nunc enim secundum carnem non iam nouimus Christum. Ergo in carne est filius, & solus non est, secundum quod scriptum est: Et non sum solus, quia pater mecum est, & putas quod sit pater solus in luce? An ne hoc argumentum * putes, accipe etiam testimonium: Deum, inquit, nemo vidit unquam, nisi unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quomodo solus pater, si in sinu patris filius est? quomodo enarrat quem non videt? Non ergo solus pater. Accipe nunc & solum patrem, & solum filium, Solus pater, quod alius pater non est. Solus filius, quod alius filius non est. Solus Deus, quod una diuinitas trinitatis est.

Quomodo filius factus intelligatur. Quemadmodum etiam omnia per ipsum facta sint, cum diuersorum hæreticorum consuetudine.

CAPVT III.

Psal. 87.

Psal. 88.

3. Reg. 17.
4. Reg. 4.
4. Reg. 13.

Satis ergo claret, & solum Deum non esse patrem sine filio, & solum Deum non intelligi filium sine patre. In quo autem factus sit, per os sancti patriarche locutus asseruit dicens: Quia repleta est malis anima mea, & vita mea in inferno appropinquauit: Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Et hic sicut homo, inquit, non sicut Deus, factus sum. Et repleta est malis anima mea. Anima utique, non diuinitas. Factus est in eo in quo erat infernus debitus, factus est in eo in quo cum aliis æstimatur, diuinitas enim similitudinem collationis abiurat, & tamen in ipsa carne morti obnoxia maiestatem aduerte diuinitatis in Christo. Et si factus est sicut homo & sicut caro factus est, tamen inter mortuos liber, & liber sine adiutorio. Sed quomodo hic sine adiutorio fuisse se filius dicit, cum supra dictum sit: Posui adiutorium super potentem? Ergo & hic distingue naturas. Adiutorium caro habet, diuinitas non habet. Liber igitur est qui mortis vincula nesciuit, non captus ab inferis, sed qui operatus sit in infernis: sine adiutorio est, quod non per nuncium, neque legatum, sed ipse per se Dominus saluum fecit populum suum. Quomodo enim potuit adiutorium sui corporis quærere suscitandi, qui alios suscitauit? Ac licet homines quoque resuscitauerint mortuum, non in sua tamen virtute fecerunt, sed in Christi nomine. Aliud est rogare, aliud imperare: aliud mereri, aliud donare. Helias ergo suscitauit, sed orauit, non imperauit. Hel-

Gæus suscitauit cõfiguratus mortuo, suscitauit etiam ipse mortui corporis tactus, ut esset typus venturum eum qui missus in similitudine carnis humanæ etiam sepultus mortuos suscitaret. Petrus quoque cum Æneam curaret, ait: In nomine Iesu Nazareni surge & ambula. Non in suo ait, sed in Christi nomine. Surge autem, verbum est imperantis, sed fiducia de merito est, non præsumptio de potestate, & de nominis operatione, non de sua virtute præceptionis auctoritas. Quid igitur Arriani dicunt? In nomine Christi & Petrus imperat, & illi nolunt imperasse Dei filium, sed rogasse. Sed lectum est quod rogauit. Disce distantiam: Rogat quasi filius hominis, imperat quasi Dei filius. An non desertis hoc Dei filio, quod etiam diabolus detulit? Et vos maiore sacrilegio derogatis. Ille dicit: Si filius Dei es, dic lapidi huic ut fiat panis. Ille dicit impera, vos dicitis obsecra. Ille credit quod iubente Dei filio elementorum rerumque in aduersum natura vertatur, vos creditis quod nisi roget Dei filius, nec voluntas ipsius impleatur. Et diabolus ex potestate æstimandum putat de filiis, vos de infirmitate. Tolerabiliora sunt tentamenta diaboli, quam argumenta sint Arrii. Nec moueat quod potentem filium dixit hominis, cum dominum maiestatis legeris crucifixum. Quæ autem maior potestatis, quam supra cælestes potestates habere dominatum? Habebat autem qui thronis, dominationibus, angelis imperabat. Nam & si erat inter bestias, sicut scriptum est, tamen angeli ministrabant ei: ut agnoscas aliud incarnationis esse, aliud potestatis: secundum carnem itaque tentatur à bestiis, secundum dignitatem ab angelis adoratur. didicimus igitur factum esse hominem, & ad hominem hoc esse referendum. Denique & alibi habes: Qui factus est ei ex semine dauid, secundum carnem utique ex semine dauid factus est: Deum autem ante secula ex Deo natus est. Nec semper tamen factum esse ad creationem refertur. Scriptum est enim: Domine refugium factus es nobis, factus es mihi in salutem. Non utique creationis definitio vel editio declaratur. Sed refugium factus mihi, & conuersus mihi dicitur ad salutem, sicut & Apostolus dixit: Qui factus est nobis sapientia à deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Nobis factum, non creatum ex patre dixit. Denique quomodo dicat factum nobis esse sapientiam, in posterioribus exposuit dicens: Sed loquimur dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit deus ante tempora secularia in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum maiestatis crucifixissent. Vbi mysterium passionis exprimitur, non utique generationis æternæ series declaratur. Sapientia igitur mea, crux domini est: redemptio mea, mors domini est. Sanguine enim precioso redempti sumus, ut Apostolus Petrus dixit. Sanguine igitur suo quasi homo, dominus nos redemit idemque quasi deus peccata donauit. Non ergo in verbis quasdam constituamus insidias, & verborum tendiculas aucupemur, ut quia & aliud secundum impios significare putatur sermo qui legitur, non id quod sensus exprimat, sed quod littera ostendat, interpretemur. Sic perierunt Iudæi dum sensuum profunda despiciunt, & sequuntur nuda verborum.

2. Cor. 3.

Act. 9.

Ad Tit. 3.

Luc. 4.

Roman. 3.

Exod. 15.
Psal. 30.

Mar. 1.

Ioan. 1.

Rom. 1.

Psa. 8.

1. Cor.

1. Cor. 17.

Ibid.

Ioan. 3.

1. Pet.

Colos. 1.

verborum. Littera enim occidit, spiritus autem uiuificat. Et tamen inter duo grauius sacrilegia fortasse detestabilius sit ad diuinitatem referre quæ carnis sunt, quam ad litteram referre quæ spiritus sunt. Illi timuerunt in Deo carnem credere, & ideo redemptionis gratiam perdidit, quia causam salutis abiurant. Isti diuinitatis maiestatem usque ad carnis infirma deducunt. Detestandi Iudæi qui carnem Domini crucifixerunt, detestabiliores tamen eos arbitror, qui diuinitatem Christi cruci subditam crediderunt. Denique qui cum Iudæis sæpe tractabat, hæreticum, inquit, post unam correptionem deuita. Nec tamen sine iniuria patris factum nobis esse sapientiam, ad illam inenarrabilem nec ullis temporibus momentisque obnoxiam Christi generationem sacrilega interpretatione deriuant. Nam præter id quod filij iniuria patris est contumelia, etiam in patrem sacrilegia ista procedunt, de quo scriptum est: Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Aut si de filio putant dictum, generationi quidem non præiudicant, quia Deum verum huius lectionis auctoritate, quod abnuunt, confitentur. Prolixum est si velim singula recensere quotiens factum legerimus, non utique per naturam, sed per gratiam. Nam & Moyses dicit: Adiutor & protector factus est mihi in salutem. Et Dauid dicit: Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut saluum me facias. Et Esaias dicit: Factus es omni ciuitati humili adiutor. Non utique sancti Deo dicunt: Creatus es, sed protector & adiutor per gratiam tuam factus es nobis. Vnde nec illud verendum est quod solent Arriani sæua interpretatione componere, dicentes factum esse Dei verbum: quia scriptum est, inquit: Quod factum est in ipso, vita erat. Primum intelligant, si ad substantiam diuinam referant, quod factum est, Manichæorum se questionibus implicari. Obiiciunt enim Manichæi: Si quod in ipso factum est, vita est: est ergo aliquid quod in ipso factum non sit, & mors sit, ut duo impie inducant principia. Sed hoc damnat ecclesia. Deinde vnde possunt docere sic pronuciassent euangelistam? Plerique enim docti & fideles sic pronunciant: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Alij sic: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Deinde: Quod factum est, pronunciant, & subiungunt: In ipso, hoc est: Quicquid autem factum est, est in ipso. Quid est, in ipso? Apostolus docet dicens: In ipso sumus, & viuimus, & mouemur. Tamen etiam si quemadmodum velint pronunciant, non possunt hinc calumniari Deo verbo, si ad substantiam eius velint referre, quod factum est, quin calumnietur & patri Deo, de quo scriptum est: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius quod in Deo sunt facta. Ecce hic opera hominis in Deo facta legimus, & ad substantiam tamen diuinam referre non possumus. Sed aut per ipsum facta cognoscimus, ut est illud apostolicum, quod omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Aut ut docet præsentis lectio testimonij, virtutes quibus vitæ æternæ fructus acquiritur, in Deo facta æstimare debemus, charitatem, pietatem, religionem, fidem, & alia huiusmodi, S. Ambr. tom. 4.

quæ in voluntate Dei facta sunt. Ergo sicut in Dei patris, ita etiam in Christi voluntate & virtute facta sunt, sicut legimus: Creati in Christo in operibus bonis. Et in Psalmo: Fiat pax in virtute tua. Et alibi: Omnia in sapientia fecisti. In sapientia, inquit, fecisti, non sapientiam fecisti. Nam cum omnia in sapientia facta sint, Christus autem Dei sapientia sit, non accedens utique, sed subsistens & permanens in æternum, si facta est sapientia, iam deteriore conditione facta est, quam omnia, eo quod sapientia fieri per seipsum non potuit. Ergo si factum esse frequenter ad aliud, non ad naturam refertur, etiam creatum esse ad causam refertur.

Quid significet quod de incarnatione Domini scriptum est: Deus creauit me principium viarum suarum.
CAPVT IIII.

Vnde intelligimus illud quod de incarnatione Domini scriptum est: Dominus creauit me principium viarum suarum in opera sua, id significare quod ad redimenda opera patris, Dominus Iesus ex virgine sit creatus. Neque enim dubitari potest de incarnationis dictum esse mysterio, cum propter opera sua corruptelæ seruitio liberanda Dominus susceperit carnem, ut illum qui imperium habebat mortis, per sui corporis destrueret passionem. Caro enim Christi propter opera, diuinitas ante opera, quia ipse ante omnia, & omnia in ipso constant. Non ergo diuinitas propter opera, sed propter diuinitatem opera, sicut Apostolus declarauit dicens, quod propter filium Dei omnia. Sic enim habes: Decebat autem eum per quem omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloria adductis, ducem salutis eorum per passionem consummari. Nonne euidenter exposuit quod Dei filius qui propter diuinitatem suam omnia creauit, is postea propter populi salutem & carnis susceptionem, & mortis assumpserit passionem? Propter quæ autem opera sit creatus ex virgine, ipse Dominus cum illum cæcum curaret, ostendit dicens: In illo me oportet operari opera eius qui misit me. Et addidit, ut de incarnatione dictum crederemus: Cum in hoc mundo sum, lux sum huius mundi. Etenim quasi homo in hoc mundo pro tempore est, nam quasi Deus semper est. Denique alibi ait: Ecce vobiscum sum usque ad consummationem mundi. Nec de principio residet aliquid questionis, cum interrogatus in carne: Tu quis es? responderit: Principium, quod & loquor vobis. Quod non solum ad diuinitatis æternitatem refertur, sed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim & Deum se probauit æternum, quia omnium ipse principium est, & vnus cuiusque virtutis author est, quia ecclesiæ caput est, sicut scriptum est: Quia ipse caput corporis ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis. Liqueat igitur & de incarnatione dictum esse principium viarum suarum, quod ad sacramentum suscepti corporis videtur esse referendum. Ideo enim carnem suscepit, ut ad cælum nobis sterneret iter. Denique ait: Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum: Deum meum & Deum vestrum. Denique ut scias quod vias suas omnipotens pater secundum

Ephes. 2.
Psal. 121.
Psal. 203.

1. Thim. 8.

Hebr. 2.

Ioan. 9.

Matth. 28.

Ioan. 8.

Coloss. 1.

Zach. 3. incarnationem præscripserit filio, habes in Zacharia ad Iesum indutum vestimenta sordida, ab angelo dictum: Hæc dicit Dominus omnipotens: Si in viis meis ambulaueris, & præcepta mea custodieris. Quod est vestimentum illud sordidum, nisi carnis assumptio? Viæ igitur Domini velut quidam trames bonæ vitæ sunt, qui diriguntur à Christo, qui ait: Ego sum via, & veritas, & vita. Via ergo superna, est Dei virtus. Christus enim nobis via est, & bona via, quæ creditibus cœli regna patefecit. Viæ autem Domini, viæ rectæ sunt, sicut scriptum est: Vias tuas Domine notas fac mihi. Via castitas, via fides, via est abstinentia. Est namque via virtutis, est & via iniquitatis. Scriptum est enim: Et vide si est via iniquitatis in me. Principium itaque nostræ virtutis est Christus principium integritatis, qui docuit, virgines non viriles expectare concubitus, sed integritatem mentis & corporis, sancto magis dicare ipiritui, quàm marito. Principium parsimonie Christus, qui pauper factus est, cum esset diues. Principium patientiæ Christus, qui cum malediceretur, non maledixerit: cum percuteretur, non percussit. Principium humilitatis Christus, qui formam serui accepit, cum patrem Deum maiestate virtutis æquaret. Ex illo enim accepit virtus vnaquæque principium. Et ideo ut hæc virtutum genera disceremus, filius datus est nobis, cuius principium super humeros eius. Principium illud, crux Domini est, principium fortitudinis, quo via sanctis est reserata martyribus ad sacri certaminis passionem. Vidit hoc principium Esaias, & ideo ait: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Viderunt magi, & ideo cum paruulum in præsepi cernerent, adorauerunt, dicentes: Puer natus est nobis. Cum stellam conspicerent, prædicantes, filius datus est nobis. Aliud munus terris, aliud munus est cœlo, & vtrumque vnus in vtroque perfectus, & sine mutabilitate diuinitatis, & sine humanæ imminutione naturæ. Vnum adorauerunt, eidemque munera obtulerunt, ut ostenderent ipsum esse cœli Dominum, qui in præsepibus videretur. Distingue singulorum momenta verborum: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Et si ex patre natus, non tamen nobis natus, sed datus est: quia non filius propter nos, sed nos propter filium. Neque enim nobis natus est, qui & ante nos natus est, & totius est conditor creaturæ. Neque nunc primum nascitur qui erat semper, & erat in principio, sed illud quod non erat, nobis nascitur. Quod etiã angelus pastoribus cum loqueretur dixit esse generatum, sicut habes scriptum: Quia natus est vobis hodie saluator qui est Christus Deus in ciuitate Dauid: nobis ergo quod non erat natum est, hoc est, puer ex virgine, corpus ex Maria. Hoc enim post nos, illud ante nos. Alij sic habent: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Hoc est, qui erat filius Dei, hic ex Maria puer natus est nobis, & datus est nobis. Qui datus sit, audi prophetam dicentem: Et salutare tuum da nobis. Quod enim supra nos est, datur: quod de cœlo est, datur: sicut etiã aiibi de spiritu legimus, quod charitas Dei effusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Sed vide quemadmodum hic locus multas hæreses extinguat. Puer natus est nobis: nobis,

non Iudæis: nobis, nō Manichæis: nobis, non Marcionitis. Propheta dicit: Nobis, hoc est credentibus, non incredulis: Et ille quidem misericordia sua omnibus natus est. Sed perfidia hæreticorum fecit, ut non omnibus nasceretur qui omnibus natus est. Nam & lumen diei oriri iubetur super bonos & malos, sed oriri non videntibus non videtur. Sicut ergo puer non omnibus natus est, sed fidelibus, sic filius non infidelibus datus est, sed fidelibus nobis datus est, non Fotinianis. Illi enim non datum nobis Dei filium dicunt esse, sed ab initio inter nos natum. Nobis, non Sabellianis. Illi enim nolunt filium datum, eundem asserentes patrem esse quem filium. Nobis, non Arrianis, & ipsi enim non habent filium pro salute datum, sed pro infirmitate transmissum. Non habent consiliarium quem putant futura nescisse, non habent filium, quem sempiternum non putant, cum scriptum sit de verbo Dei, quod erat in principio. Et alibi: In principio erat verbum. Denique ut ad propositum reuertamur exemplum: In principio, inquit, antequam terram faceret, & antequam produceret fontes aquarum, ante omnes colles genuit me. Fortasse dices, quomodo de incarnatione Christi dictum esse memorauerim, Dominus creauit, cum ante incarnationem Christi creatura sit mundi? Sed considera quod moris est scripturis diuinis, & futura pro præteritis dicere, & geminam in Christo significare substantiam diuinitatis & carnis, nequis aut diuinitatem neget eius aut carnem. Nam sicut in Esaiâ habes: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, ita hic quoque ante præmisit creaturam carnis, & subtexuit assertionem diuinitatis, ut scires non duos Christos, sed vnum esse, qui & ante secula generatus sit ex patre, & vltimis temporibus creatus ex virgine, hoc est: Ego sum ille creatus ex homine, creatus ad causam, qui sum generatus ante secula. Denique dicturus, Dominus creauit me, præmisit: commemorabo quæ à seculo sunt. Dicturus genuit, præmisit, in principio, antequam terram faceret, ante omnes colles genuit me. Antè, cum dicitur, in infinitum retro sine aliqua definitione porrigitur. Denique ante Abraham, inquit, ego sum, non vti que post Adam: & ante luciferum, non vti que post angelos. Sed ante, cum dicit, non se intra aliquem, sed omnia intra se dicit. Sic enim moris est æternitatem Dei scripturis significare diuinis. Denique alibi habes: Priusquam montes fierent, aut formaretur orbis terræ, à seculo & vsque in seculum tu es. Ante omnia ergo generatio, inter omnia & propter omnia creatura. Natus ex patre supra legem, factus ex Maria sub lege.

De solutione obiectionis sumptæ ex eo quod scriptum est: Post me venit vir, qui ante me factus est: cum consutatione erroris Arrianorum. Et quomodo iuxta mysticam intelligentiam historiae de Booz & Ruth designatus fuerit Christus, qui ecclesiam sibi copulauit. Quomodo etiam sepe ad causam pertineat cum Christus dicitur factus. Quomodo denique ipse idem sacerdos sit & hostia.

C A P. V.

Sed scriptum est: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Vnde dicunt: Ecce qui

qui erat, factus est. Ipsa verba perpendamus, post me, inquit, venit vir. Vir ergo est qui venit, ipse qui factus est, vir autem nomen est sexus. Sexus autem non vti que diuinitati, sed naturæ deputatur humanæ. Possem ergo dicere, Erat in præcognitione quidem corporis, sed æternitate virtutis. Nam & ecclesia erat, & sancti erant prædestinati ante secula. Sed non id hoc loco dico: sed illud assero, factum esse, non ad diuinitatem, sed ad incarnationis pertinere naturam, sicut ipse Ioannes dixit: Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est. Itaque cum geminam, sicut supra dixi, in Christo substantiam proposuisset, ut vtranque intelligas & diuinitatis & carnis, hoc loco cœpit à carne. Est enim scripturis promiscua consuetudo diuinis, ut interdum à diuinitate Christi incipiant, & ad incarnationis sacramenta descendant: interdum ab humilitate incarnationis exordium sumant: & ad gloriam diuinitatis assurgant, ut in prophetis, euangelistis, frequenter & in Paulo. Ergo & hic iuxta memoratam consuetudinem ab incarnatione Domini cœpit de eius diuinitate dicturus, non ut confunderet humana atque diuina, sed ut distingueret. Verum Arriani, velut Iudaici caupones, miscet aquam cum vino: quia diuinam generationem humanamque confundunt, ad diuinitatem referentes quod de carne sit dictum. Nec metuo quod obiecturi videntur, quod in superioribus non habet virum. Sic enim habet: Qui post me venit. Sed vide, antè ibi quid præmisit: Verbum, inquit, caro factum est. Et ideo non addidit virum: quia carnem dixerat. Per carnem autem virum intelligimus, & per virum carnem. Ergo quod dixerat: Verbum caro factum est, virum hoc loco nominare superfluum fuit, quem iam carnis expressione significauerat. Quo exemplo in posterioribus quoque & agnum præmisit, qui tolleretur peccatum mundi. Et ut incarnatum intelligeres, quem ante memorauit, ait: Hic est de quo ante dixi, post me venit vir qui ante me factus est, hoc est, virum dixi, nō Deum factum. Sed ut ipsum incarnatum declararet esse, qui ante secula erat, ne duos filios crederemus, ait: Quia prior me erat. Nam si, factus est, ad diuinam generationem retulisset, quid opus fuerat ut adhuc adderet tertium, atque iteraret quod supra dixerat? Sed quia ante de incarnatione tantum dixerat: Post me venit vir, qui ante me factus est, ideo addidit: Quia prior me erat, quoniã diuinitatis æternitas fuerat exprimenda. Et hæc est causa prælationis, ut merito antelatus videatur, qui proprij patris sempiterna virtus est. Dat tamen intellectus spiritalis vbertas, ut excurrere & euagari ad concludendos libeat Arrianos, qui volunt factum hoc loco non ad virum, sed ad diuinitatem referre. Quid est enim tenere quod possint, cum dixerit Baptista: Post me venit, qui ante me factus est, hoc est, supra meritum meum factus, supra meam gratiam: tempore carnis posterior, diuinitatis honore venerabilis. Post me enim venit, temporis est: prior me erat, æternitatis: ante me factus est, honoris est, quia etiam incarnationis mysterium supra humanam est gratiam. Denique in inferioribus, quid supra contexuisset, expressit, dicens: Post me venit vir, cuius non sum dignus calceamenta portare. Præstantiam

vtique dignitatis, non æternitatem diuinæ generationis exponens. Quod eo vsque ad incarnationem pertinet, ut typum in hominibus mysticè calceamenta antè præmisit. Lege enim proximo defuncti, vel fratri copula deferebatur eius vxoris, ut semè fratris vel proximi resuscitaret. Vnde quod Ruth, licet illa alienigena, tamen quia maritum habuerat ex Iudæis, qui reliquerat superstitem proximum, eamque colligentem manipulos suæ messis, quibus alebat & focum, Booz vidit & amauit, nō aliter eam accepit vxorem, nisi calceamentum eius antè soluisset, cui vxor debebatur ex lege. Historia simplex, sed alta mysteria: aliud enim gerebatur, aliud figurabatur. Nam si secundum literam sensum torqueamus, propè quidam pudor est, & horror in verbo est, si ad commixtionis corporæ consuetudinem sententiam intellectumque referamus. Designabatur autem futurus ex Iudæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est, populi mortui semen, doctrinæ cœlestis semine resuscitaret, cui calceamentum nuptiale ecclesiæ copulandæ præscripta legis spiritalia deferebant. Non Moyses sponsus. Illi enim dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, ut Domino suo cedat. Non Iesus Naue filius sponsus. Nam & ipsi dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum, ne ex similitudine nominis sponsus ecclesiæ crederetur. Non alius sponsus, sed solus Christus, & sponsus de quo dixit Ioannes: Qui habet sponsam, sponsus est. Illis igitur calceamentum soluitur, huic solui non potest, sicut dixit Ioannes: Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. Solus ergo Christus est sponsus, cui illa veniens ex gentibus sponsa, ante inops atque ieiuna, sed iam Christi messè diues, nubat: quæ manipulos fecundæ segetis verbique reliquias gremio legat mentis interno, ut exhaustam illam viduam nouis pascat alimentis, non relinquens destitutam viduam, & nouos quærens. Solus ergo Christus est sponsus, qui nec synagoga ipsi manipulos suæ messis inuidebat. Vtinam seipsam non excluderet. Habuit quos per se colligeret, sed quia sponsus eius est mortuus, quasi filio egena defuncto, per ecclesiam manipulos quibus viuere colligebat, quos venientes in exultatione portabunt, sicut scriptum est: Venientes autem venient in exultatione, tollentes manipulos suos. Quis enim sibi alius sponsam audeat ecclesiam vindicare, quàm à Libano vnus & solus vocauit, dicens: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano? Aut de quo alio potuit ecclesia dicere: Fauces eius dulcedines: & totus desiderium? Et quia de calceamento pedum tractatum sumpsimus, cui alij nisi verbo Dei incarnato conuenit dici: Crura eius columnæ marmoreæ fundatæ super bases aureas? Solus enim Christus in ambulat animis, & graditur in mente sanctorum, in quibus velut auribus fundamentisque preciosis solidata vestigia verbi cœlestis hæserunt. Claret igitur hinc & virum & typum ad incarnationis spectare mysterium, non ad substantiam diuinitatis, sed ad incarnationem. Sæpe nonnunquam etiam ad causam pertinet, cum dicitur factus. Nam si ad diuinitatem refers: ergo & in opprobrium Deus factus est. Sic enim habes:

Psalm. 88. Tu autem repulisti, & ad nihilum redegisti, dispulisti Christum tuum. Et infra: Factus est in opprobrium vicinis suis. Et vicinis, inquit, non ciuibus, non domesticis, non adherentibus: Quoniam qui adheret Domino, vnus spiritus est. Qui vicinus est, non adheret. Factus est in opprobrium, quia crux Domini Iudæis scandalum, Græcis stultitia. Nam sapiētibus per eandem crucem excelsior factus est cœlis, excelsior angelis, & melioris testamenti factus est sp̄s for ipse qui erat prioris. Vide quàm non refugia ista, vt etiam congeram. Sed quomodo factus sit considera: primum quòd purificatione facta consedit in dextera magnitudinis in excelsis, tanto melior factus angelis. Vbi purificatio hostia, vbi hostia corpus, vbi corpus oblatio, vbi munus oblationis: ibi sacrificium passionis. Deinde sponsor melioris testamenti. Vbi testamentum, mors necesse est præcedat testatoris, sicut subter est scriptum. Mors autem non ad diuinitatis æternitatem, sed ad fragilitatem refertur humanam. Excelsior quoque cœlis factus quomodo sit ostenditur. Immaculatus, inquit, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet quotidie necessitatem, sicut sacerdotes prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo, sicut scriptum est. Nemo excelsior factus dicitur, nisi qui in aliquo fuerit humilior. In eo igitur excelsior factus est, sedendo ad dexteram patris, in quo se minor angelis factus obtulit passioni. Postremò ipse Apostolus ad Philippenses ait quod in similitudinem hominis factus est, specie inuentus vt homo, humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Vide vbi factus sit: in similitudine, inquit, hominis, non in potestate Dei: & factus obediens vsque ad mortem, vt obedientiam quidem hominis habuerit, regnum diuinitatis. Quantis igitur adhuc vtetur exemplis ad incarnationem vel aliquid referendum esse quod factus est. Quod autem & factum est, idem est & creatum. Dixit enim, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Creatum quoque supra ostendimus in libro primo de incarnatione dictum videri. Ipse etiam apostolus asserendo seruendum non esse creaturæ, significauit ex Deo filium non creatum esse, sed genitum: tamen etiam alibi vt manifestaret quomodo in Salomone sit lectum, Dominus creauit me: quid in Christo creatum esset, ostendit. Itaque totius seriē capitis recensamus. Sic enim habet: Ergo quia filii participes sunt sanguinis & carnis, & ipse similiter particeps factus est eorundem, vt per mortem destrueret hunc, qui mortis habebat imperium. Quis ergo est qui nos participes suæ voluit esse carnis & sanguinis? vtique Dei filius. Quomodo nisi per carnem particeps factus est noster, aut per quam, nisi per corporis mortem, mortis vincula dissoluit? Morti enim mors facta est susceptio mortis in Christo. Ergo de incarnatione proposuit. Videamus sequentia. Nec enim statim angelos, inquit, assumpsit, sed semen Abrahæ, vnde habuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret & fidelis princeps sacerdos à Deo, vt expiaret peccata populi. In quo enim passus est ipse & tentatus, potest & tentatos iuuare. Propter quod fratres sanctissimi, vocationis cœlestis participes in-

tuemini Apostolum & principem sacerdotum confessionis nostræ Iesum fidelem esse creatori suo, sicut Moyses in domo eius asserit. Hæc nempe verba sunt Apostoli. Videtis in quo creatum dicat, in quo assumpsit, inquit, semē Abrahæ: corporalem vtique generationem asserit. In quo autem nisi in corpore expiavit populi peccata? In quo passus est nisi in corpore? sicut & supra diximus: Christo passo secundum carnem. In quo sacerdos, nisi in eo quod sacerdotali assumpsit ex genere? Et sacerdos enim aliquid debet offerre, & secundum legem in sancta intrare. Per sanguinem ergo, quia sanguinem taurorum hircorumque repudiauerat Deus, hunc vtique sacerdotem per suum sanguinem, sicut legisti, in sancta sanctorum cœli summa penetrantem oportebat intrare, vt æterna nostrorum esset ablutio peccatorum. Idem ergo sacerdos, idem & hostia, & sacerdotium, tamen sacrificium humanæ conditionis officium est. Nam & agnus ad immolandum ductus est, & sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech. Nemo igitur vbi ordinem cernit humanæ conditionis, ibi ius diuinitatis adscribat. Nam & illū Melchisedech per quem Abraham hostias suas obtulit, non angelum vtique secundum Iudaica ludibria intelligit ecclesia, sed virum sanctum, ac sacerdotem Dei, qui typum gerens Domini, & sine patre, & sine matre, & sine generationis enarratione, & sine initio, & sine fine describitur, vt ostenderet sempiternum filium Dei in hunc mundum esse vêturum, qui & sine patre secundum incarnationem natus est, & sine matre secundum diuinam generationem, & sine enarratione generationis, quia scriptum est: Generationem autem eius quis enarrabit? Ergo illum Melchisedech in Christi typo sacerdotem Dei accipimus. Sed illum in typo, hūc in veritate, typus autem umbra est veritatis. Illum in nomine vnus ciuitatis, hunc regem in reconciliationem totius mundi: quia scriptum est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, hoc est, sempiterna diuinitas. Aut si pater in filio, sicut filius in patre, & substantiæ vtique & operationis vnitas non negatur. Quomodo autem negare meritò possunt etiā si velint, cum scriptum sit: Pater autem in me manens, ipse loquitur, & opera quæ ego facio ipse facit? Non dixit, & ipse facit, ne similitudinem magis quàm vnitatem operis æstimares. Sed dicendo, quæ ego facio, ipse facit: manifestum reliquit quòd vnū opus patris & filij credere debeamus. Denique vbi similitudinem operum, non vnitatem voluit intelligi. Qui credit, inquit, in me: opera quæ ego facio, & ipse faciet. Bene hic interponendo, & similitudinem nobis donauit, vbi vnitatem naturalem negauit. Vnum est igitur opus patris & filij, etiam si non placet Arrianis.

Quod patris & filij vnum sit regnum, & non diuisum, sicut Arriana scuitas asseruit.

C A P. V I.

Quæro autem quomodo regnum velint patris & filij esse diuisum, cum Dominus dixerit, vt supra ostendimus: Omne regnum inter se diuisum, facile destruetur. Et ideò ad excludendum Arrianæ sacrilegium scuitatis, vnum imperium patris & filij,

filij, etiam Petrus sanctus asseruit, dicens: Quapropter satisfagite fratres certam vocationem & collectionem facere. Hæc enim facientes non errabit. Sic enim abundantius ministrabitur introitus in æternum imperium Dei & Domini nostri conseruatoris Iesu Christi. Aut si quis de Christi tantum imperio dictum putat, & hoc ideo sic accipit, vt patrem filiumque potestate secernat, is tamen & regnum filij fatebitur, & æternum. Itaque non solum duo inducent regna diuisa, vt obnoxia sint defectui, sed etiam cum regna comparabilia nulla sint Dei regno, quod filij esse etiam si velint negare, non possunt: aut contra suam sententiam ridebunt, vt idem patris & filij regnum esse fateantur. Aut, quod sacrilegium est dicere: Ius patri regni minoris adscribent. Aut, quod contrarium est, quem minorem diuinitate impiè memorant, eius regnum fatebuntur æquale. Sed hoc non quadrat, non cõgruit, non cohæret. Dicant igitur vnum esse regnum, sicut nos dicimus & probamus. Probamus autem non nostris, sed cœlestibus testimoniis. Primum enim etiam aliis exemplis disce regnum cœlorum regnum filij esse. Ipse enim dixit: Amē amen dico vobis, quoniam sunt aliqui de istis astantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filiū hominis venientem in regnū suum. Dubitari ergo non potest quòd sit regnum filij Dei, sed accipe ipsum esse regnum filij quod patris est. Amen dico vobis, quòd sunt quidam circūstantium, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei venientis in virtute. Eo enim vsque regnum est, vt vnum sit præmium. Idem hæres, eadem merita, idem sponsor, quomodo non idem regnū, cum præfertim ipse de se filius dixerit: Tūc iusti fulgebūt sicut sol in regno patris sui? Quòd enim patris est per maiestatis proprietatem, id etiā filij est per eiusdem claritudinis vnitatem. Ergo & patris regnum scriptura dixit, & filij. Accipe nunc quod vbi regnum Dei dicit, nec patris nec filij separat potestatem, quia & patris vnum & filij regnum vno Dei nomine comprehendit, sicut habes: Cum videritis Abrahā, Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei. An negamus in regno filij prophetas esse, cum & latroni dicenti: Memento mei cum veneris in regnū tuum: respõderit Dominus: Amē amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso? Aut quid est esse in regno Dei, nisi æternam nescire mortem: Qui autem nesciunt æternam mortem, vident filium hominis venientem in regnū suum. Quomodo ergo potest nō in potestate habere quod donat, dicens: Tibi dabo clauas regni cœlorum? Et videto distātiā. Seruus aperit, Dominus largitur. Iste per se, ille per Christum. Famulus claus accipit, Dominus ordinat potestates. Aliud ius donantis, aliud dispensantis obsequium est. Accipe adhuc vnum regnum, vnum imperium esse patris & filij. Habes ad Timotheum: Paulus apostolus Iesu Christi secundū imperium Dei saluatoris nostri, & Iesu Christi spei nostræ. Vnum igitur patris & filij regnum euidenter est declaratum, sicut & Apostolus Paulus asseruit, dicens: Hoc autem scitote, quod omnis impudicus, aut immūdus, aut auar⁹, quod est idololatria, non habet hæreditatē in regno Christi & Dei. Ergo vnum regnum, & vna diuinitas. Vnam diuinitatem

A lex probauit, quæ dicit vnum Deū. Probauit & Apostolus dicendo de Christo: In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Si enim iuxta Apostolum, plenitudo omnis corporaliter diuinitatis in Christo est, aut vnus diuinitatis patrem & filium fatebuntur: aut si patris & filij diuinitatem cupiunt separare, cum omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter filius habeat, quid est quod patri æstimant amplius adscribendum, cum amplius nihil sit plenitudine, & plenitudo perfectio sit? Ergo vna diuinitas.

Quòd vna sit maiestas, & vna gloria, vna quoque substantia patris & filij, cum redargutione Arrianorum. Et quem admodum fraudem eorum cauere debeamus.

C A P. V I I.

Imaginem autem vnam & similitudinem vnam supra diximus. Superest vt vnus quoque maiestatis patrem filiumque doceamus. Nec longe aberit. Cum enim ipse dixerit de se filius: Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tūc sedebit super sedem maiestatis suæ. Ecce filij expressa est maiestas. Quid ei deest, cuius increatā maiestatem negare non possunt? Est ergo filij maiestas. Accipiant nunc, vt dubitare non possint, quod patris & filij vna maiestas sit. Ipse Dominus dixit: Nam qui me eruberit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorū angelorum. Quid est: Et sanctorum angelorum, nisi quòd honorantur & serui Domini: dignitatem suam ergo ad filium & patrem retulit, non vt angeli habeant cum patre & filio æquale consortium, sed vt præminētem gloriā Dei cernant. Neque enim suam maiestatem angeli habent: sicut lectum est de filio: Cūm sederit in sede maiestatis suæ: sed assistunt vt patris & filij gloriam videant quibus aut possunt aut merentur aspectibus. Denique ipsa se explanant v erba diuina, vt intelligas illam gloriam & patris & filij cum angelis non esse communem. Sic enim habes: Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo. Et vt doceret vnam maiestatem & vnā gloriā esse patris & suam, ipse in alio libro ait: Et filius hominis confundet eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. Illi in obsequio, hic in gloria. Illi in comitatu, iste in suggestu. Illi stant, hic sedet. Vt verbo tamen vsus vtatur humani, hic iudicat, hi ministrant. Diuinæ autem non præmisit maiestatem patris, & subdidit suam & angelorū, ne de superioribus ad inferiora fecisse graduum quendam ordinem videretur. Sed quia pater inferior videri nō poterat, præmisit maiestatem suam, & addidit patris & angelorum, ne se medium inter patrem & angelos nominādo, aut ab angelis ad patrē per sui quoque incrementa fecisse quendam videretur ascēsum, aut à patre rursus ad angelos per ordinem cum sui etiam deminutione crederetur fuisse descensum. Nam nos qui vnā diuinitatem patris & filij confitemur: diuersum, vt Arriani, ordinē non putamus. De substantia autem imperator Auguste quid loquar? Vnius filiū cū patre esse substantiæ cum imaginē patris ternæ substantiæ filium legimus, vt in nullo secundū

Ioan. 16.

Psal. 138.

Ibidem.

Ibidem.

Matth. 21.

Ibidem 12.

Marc. 1. Hierem. 51.

Luc. 4.

diuinitatem à patre intelligas discrepare. Iuxta hanc imaginem dixit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: ergo nec substantiam in Deo possumus denegare. Neque enim in substantius est qui aliis dedit habere substantiam, licet alia sit substantia Dei, alia creaturæ. Non potest in substantius filius Dei esse, per quem cuncta subsistunt. Et ideo ait: Non est absconditum os meum quæ fecisti in abscondito, & substantia mea in inferioribus terræ. Viruti enim & diuinitati, ea quæ ante constitutionem mundi, vel in perspicabili maiestate sunt gesta, abscondita esse non poterant. Legimus ergo substantiam. Sed dices de incarnatione dictam esse substantiam. Interim nomē substantiæ lectum probaui, & lectum non pro patrimonio, vt dicitis. Iam, si placet, accipiamus secundū mysterium in inferioribus Christi fuisse substantiam. Etenim vt defunctorum animas in sui corporis anima liberaret, vincula mortis solueret, peccata donaret, operatus est in inferno, & tamen quid obstat quo minus illam diuinam intelligas substantiam, cum Deus ita vbique sit, vt ei dictum sit: Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Denique ad substantiam diuinam deriuandam esse intellectum, sequentibus declarauit, dicens: Inoperatum meum viderunt oculi tui, eo quod non operis factura sit filius, sed verbum genitum potestatis æternæ, ἀνεργητόν enim dixit, hoc est, inoperatum atque increatum verbum sine alicuius creaturæ testimonio ex patre natum, & tamen abundantius aliis ad substantiam testimoniis. Sit ista hoc loco substantia corporalis, dummodo non opus dei filium, sed inoperatam eius diuinitatem & ipse fatearis. Scio autem aliquos dicere inoperatum esse etiam incarnationis mysterium, quod non sit virilis copulæ vsu operatum, quod partus est virginis. Si ergo plerique hoc loco nec Mariæ partum opus esse dixerunt, tu Ariane opus putas esse Dei verbum? At hic tantum substantiam legimus. Nonne & alibi dixit: Portæ effractæ sunt, montes ceciderunt, & reuelata est substantia: numquid hic & creatura significatur? Solet enim aliqui dicere pecuniariam esse substantiam. Ergo si ad hunc sensum refers, ideo ceciderunt montes, vt pecuniarium patrimoniū cerneretur. Sed si meminimus qui montes ceciderunt: illi vtique de quibus dictum est, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, tollere, & iactare in mare. Montes ergo sunt altitudines se extollerentes. Denique in Græco, regna ceciderunt, habetur. Quæ regna, nisi satanæ, de quo dixit Dominus: Quomodo stabit regnum ipsius? Ipsos ergo legimus montes, quæ regna sunt diaboli. Ideoque istis cadentibus regnis de corde fidelium, reuelatum est paternæ Dei filium Christum esse substantiæ. Qui sunt etiam illi ipsi montes ærei, de quorum medio quatuor currus procedunt? Aduertimus altitudinem illam, & extollentem se aduersus scientiam Dei, verbo Domini corruisse, cum diceret Dei filius: Obmutescite, & exi immunde spiritus. De quo & in propheta dixit: Ecce ego ad te mons corrupte. Isti ergo ceciderunt montes, & reuelatum est quod esset in Christo diuina substantia, dicentibus iis qui viderunt: Verè filius Dei est. Non enim humana, sed diuina potestate dæmoniis imperabat.

Hieremias quoque dicit: Super montes accipite lectum, & super semitas desertas planctum, quia defecerunt eo quod non sint homines, non acceperunt vocem substantiæ, à volatilibus vsque ad iumenta expauerunt & perierunt. Nec præterit etiam alibi cum fragilitates exponeret conditionis humanæ, vt susceptam à se infirmitatē carnis, & affectum nostræ mentis ostenderet, dixisse Domino per Prophetam: Memento Domine quæ est substantia mea. Quod in natura fragilitatis humanæ Dei filius loquebatur, de quo supra, vt incarnationis mysterium reuelaret, ait: Tu verò repulisti Domine, & pro nihilo dispulisti Christum tuum, euertisti testamentum serui tui, prophanasti in terra sanctitatem eius. In quo vtique seruum dixit nisi in carne, quod non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit serui formam accipiens, in similitudinem hominum factus, & specie inuentus vt homo? Mea ergo susceptione seruus, sua Dominus potestate est. Quid illud quod habes: Quoniam qui stetit in substantia Domini. Et alibi: Et si stetissent in substantia mea & audissent verba mea, & si docuissent verba mea, & si docuissent plebem meam, auertissem eos à nequitia & conuentionibus suis? Quomodo negant Dei esse substantiam, quomodo verbū substantiæ, quod creberrimum in scripturis est, putant esse vitandum, cum ipsi ex alia substantia hoc est, ἐτερόσιον dicendo filium, substantiā tamen in Deo esse non abnuant? Non igitur verbū, sed vim verbi humano verbo nō possit diuinæ generationis series cōprehendi, tamen iudicauerunt patres fidem suam tali proprie contra ἐτερόσιον sermone signandam, auctoritatem sequuti propheta, qui ait: Qui stetit in substantia Dei, & vidit verbum eius. Secundū impietatem igitur suam positum substantiæ verbū recipiunt Arriani. Secundū pietatem autem fidelium cōprobaturum repudiant & refutant. Nā quid est aliud, cur homouision patri nolint filium dici, nisi quia nolunt verum Dei filium cōfiteri? sicut author ipsorum Eusebius Nicomedienensis epistola sua prodidit, dicens: Si verum, inquit, Dei filium & increatum dicimus, homouision cum patre incipimus cōfiteri. Hæc cum lecta esset epistola in concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei posuerunt patres, quod viderunt aduersariis esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandæ caput hæresis amputarent. Frustra autem verbum istud propter Sabelianos declinare se dicunt, & in eo suam imperitiam produnt. Homouision enim aliud alij, non ipsum est sibi. Rectè ergo homouision patri filium dicimus, quia verbo eo & personarum distinctio, & naturæ vnitas significatur. An negare possunt ouision lectam, cum & panem ἑτέροσιον Dominus dixerit: Et Moyses scripserit, ὑμῶν ἐσθε δέ μοι λαὸς ὡς ἐσθός. Aut quid est ouisia, vel vnde dicta, nisi ouisia quod semper maneat? Cui enim esse est semper, Deus est: & ideo manens semper, ouisia dicitur diuina, & propterea ἑτέροσιος panis, quod ex verbi substantia, substantiam virtutis manentis cordi & animæ subministrat. Scriptum est enim: Et panis confirmat cor hominis. Seruemus igitur præcepta maiorum, nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum

Hier. 9.
Ipsal. 88.
Ibidem.
Philip. 2.
Prouerb. 14.
Hierem. 1.
Matth. 10.
Colos. 3.
1. Cor. 8.
Ioan. 5.
Ibidem.
Ioan. 16.
Psal. 110.
Apoc. 1.

Librū signatū illū propheticū non seniores, non potestates, non angeli, non archægeli aperire ausi sunt, soli Christo explanandi eius prerogatiua est seruata. Librum sacerdotalem quis nostrū designare audeat, signatum à confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum? Quem qui designare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt. Qui violare non ausi sunt, confessores & martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriam prædicamus? Nemo metuat, nemo formidet, plus confert fidelibus qui minatur. Venenatæ sunt blanditiæ perfidorum, tunc cauendæ, cum id quod negant, prædicare se simulant. Sic decepti sunt & antè qui facillè crediderunt, vt ibi perfidiæ laqueos inciderent, vbi fidem esse credebant. Qui dicit, inquit, Christum creaturam secundum ceteras creaturas, anathema sit. Audierunt simplices & crediderunt: Innocens enim (sicut scriptum est) credit omni verbo. Audierunt ergo & crediderunt, primo decepti sono: ac velut aues intenti ad escam fidei, extentum sibi laqueum non cauerunt. Ita dum fidem sequuntur, hamum nefandæ fraudis attrætauerunt. Et ideo: Estote, inquit, astuti sicut serpentes, & simplices sicut colubæ: præmittitur astutia, vt sit tuta simplicitas. Sunt enim serpentes euangelici, qui exuunt veterem vsū: vt induant nouos mores, sicut scriptum est: Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum secundum imaginem eius qui creauit eum. Discamus ergo depositis vetusti hominis exuuiis, euāgelicorū serpentium vias, vt more serpentium seruare caput, fraudem cauere nouerimus. Satis fuerat dicere: Qui dicit creaturā Christū, anathema sit. Cur bonæ cōfessionis Arriane venena permisces, vt totū corpus contamines? Addēdo enim secundū ceteras creaturas, non creaturā Christū negas, sed creaturā dicis esse. Dissimilē creaturā enim dicis, et si præstantiorē ceteris asseras creaturis. Denique Arrius huius impietatis magister Dei filium creaturam dixit esse perfectam, sed non sicut ceteras creaturas. Vides igitur hæreditario patris vestri vos vsos esse sermone. Satis est creaturam negare, quid opus fuit addere, sed nō sicut ceteras creaturas? Recide quod putruit, ne serpat cōtagio, venenum habet, mortem affert. Deinde dicis interdum Deum Christum, sed ita dic Deū, vt Deum verum, vt plenitudinem ei paternæ diuinitatis assignes. Sunt enim qui dicantur dij, siue in cælo, siue in terra. Non enim perfunctoriè nuncupandus Deus, sed ita vt eandem diuinitatem prædicet in filio quam pater habet, sicut scriptū est: Sicut enim pater vitam habet in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Dedit vtique quasi filio per generationē, non quasi inopi per gratiā & potestatem. Dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Vide quid addidit, ne tu calumnieris ex verbo. Filium hominis legis, & accipientem arguis. Negas ergo Deum, si non omnia filio quæ Dei sunt, deferuntur. Cum enim dixerit: Omnia quæ pater habet, mea sunt: cur tu non omnia quæ diuinæ naturæ sunt, etiam in filio confiteris? Nam qui dicit: Omnia

quæ pater habet, mea sunt: quid excipit quod non habet? Quid est quod, ἐμπαρκῶ quàm fideli magis sermone commemorares, quod mortuos resuscitauerit, maria pede transierit, infirmitates hominum curauerit? Hæc etiā seruulis suis præstitit. Plus ista miror in hominibus, quod tantam dederit potestatem hominibus. Aliquid de Christo audire desidero, quod speciale sit Christi, quod cum iis quæ creata sunt, non possit esse cōmune. Quia genitus qui vnicus est Dei filius, quia Deus verus ex Deo vero, quia ad dexteram patris sedet, vbique lego confessum patris & filij, semper ad dexteram filius sedet. Nūquid melior filius patre? Non hoc dicimus. Sed charitas Dei honorat, humana iniquitas derogat. Sciuit pater serendas esse de filio quæstiones, præbuit nobis quod sequeremur pietatis exemplum, ne filio derogemus. Vno tamen loco stantem ad dexteram Dei Iesum, Stephanus vidisse dixit. Et hoc discite, ne quæ hinc moueas quæstionem. Cur enim vbique ad dexteram sedere ostenditur, vno legitur in loco stare? Sedet quasi iudex viuorum & mortuorum, stat quasi aduocatus suorum. Stabat ergo quasi sacerdos, quando patri hostiam boni martyris offerebat, stabat quasi bono luctatori brauiū tanti præsul certaminis redditurus. Accipe & tu spiritum Dei, vt ista distinguas, sicut accepit & Stephanus, & dicas sicut dixit & martyr: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei. Qui cælos apertos habet, Iesum ad dexteram Dei cernit. Qui clausos oculos habet mētis, Iesum ad dexteram Dei nō videt. Cōfiteamur ergo Iesum ad dexteram, vt cælum nobis aperiat. Claudunt sibi cælum, qui aliter consistunt. Quod si qui obiiciunt quod filius stabat, ostendant hoc loco quod pater sedebat. Nā licet filiū hominis stare dixerit, tamen hoc loco nec patrem sedere memorauit. Vt autem euidentius cognosceretur nulla esse stantis iniuria, sed potestas, filium Stephanus obsecrat, vt se amplius commēdaret patri, dicens: Domine Iesū, recipe spiritum meū. Et vt eandem patris & filij potestatem esse ostenderet, repetiuit, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Hoc Dominus in passione propria quasi filius hominis patri dicit. Hoc & Stephanus filium Dei in suo martyrio deprecatur: cum eadem gratia à patre filioque deposcitur, eadem potentia declaratur. Aut si volunt Stephanum patri dixisse, videant quid propria testificatione significant. Licet nos ista non moueant, aduertant tamen qui totum in litera constituent, & in ordine, quod filius prius rogatur. Nos autem & secundum eorum interpretationem ostendimus vnitate paternæ maiestatis & filij. Nā cum & pater rogatur & filius: æqualitas preceationis, operationis indicat vnitatem. Si autem illis nō placet filio dictum: Domine, videmus quod etiam Dominum eum negare conantur. Sed iam quia martyris tanti corona processit, studia certaminis relaxamus, ferias hodierni sermonis habeamus. Prosequamur sanctum martyrem laudibus, sicut post magna decebat certamina, vulneribus quidem aduersarij cruentatum, sed Christi præmiis coronatum.

Matth. 9.
Matth. 9.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.

Capitula libri quarti de Fide.

- Quod non mirum videatur quod humanum genus errauerit de filio Dei, cum & angeli non potuerint mysterium Domini Iesu Christi cognoscere, nisi per reuelationem, ut ex hoc ostenditur, quod dum Domino caelos ascendente multitudo angelorum triumphali agmine praecurrerent: Tollite portas principes vestras, &c. Alij stupentes dixerunt: Quis est iste rex gloriae? Et quomodo nos caelum ascendere possimus. Quomodo etiam portas nostras Christo aperire debeamus. Cap. I.*
- De confutatione Arrianorum ex solutione questionum quas faciunt ex illis verbis Apostoli: Omnis viri caput Christus est, &c. Et istis: Qui autem plantat, et qui rigat, unum sunt, Cap. II.*
- De solutione obiectionum Arrianorum sumpta ex verbis Domini dicentis: Amen, amen dico vobis, non potest filius facere a se quicquam nisi quod viderit patrem facientem, cum evidenti et multiplici eorum redargutione. Cap. III.*
- De solutione obiectionum quibus impij heretici inaequalitatem patris & filij probare contendunt. Cap. IIII.*
- De solutione questionis quam plerique faciunt ex eo quod scriptum est: Sicut me misit viuens pater, et ego viuo propter patrem: et qui manducat me, et ipse viuet propter me. Cap. V.*
- De solutione obiectionis, quam Arriani sumunt ex hoc quod Dominus dixit: Hac infirmitas non est ad mortem. Cap. VI.*
- De solutione obiectionis quam Arriani ex hoc faciunt, quod a Domino dictum legitur: Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est. Cap. VII.*

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS, DE FIDE AD GRATI-
ANVM AVGVSTVM, LIBER IIII.

Quod non mirum videatur quod humanum genus errauerit de filio Dei, cum & angeli non potuerint mysterium Domini Iesu Christi cognoscere, nisi per reuelationem, ut ex hoc ostenditur quod dum Domino caelos ascendente multitudo angelorum triumphali agmine praecurrerent: Tollite portas principes vestras, &c. Alij stupentes dixerunt: Quis est iste rex gloriae? Et quomodo nos caelum ascendere possimus. Quomodo etiam portas nostras Christo aperire debeamus.

CAPVT I.

CONSIDERANTI mihi Imperator Auguste, qua ratione sic errauerit humanum genus de Dei filio, pleriqueve in diuersa sequerentur, nequaquam satis mirum videtur, quod errauit humana scientia de supernis, sed quod scripturis non detulit obedientiam. Quid enim mirum si mysterium Dei patris & Domini Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi, per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec angeli cognoscere nisi ex reuelatione potuerunt? Quis enim potuit opinione magis quam fide sequi Dominum Iesum, nunc de caeli altissimis inferna penetrantem, nunc ab inferis ad caelestia resurgentem, subito exinanitum ut habitaret in nobis, nec vnquam imminutum, cum semper filius in patre & in filio pater esset? Dubitauit in eo ipse praenunciatus,

licet per synagogam & typum, & dubitauit ipse ante Domini faciem destinatus. Denique missis discipulis interrogat? Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Obstupuerunt & angeli caeleste mysterium, vnde cum resurgeret Dominus, atque illum quem dudum secundum carnem angustus sepulchri locus texerat, resurgentem ab inferis, caeli alta sustinere non possent, haeserunt etiam caelestia opinionis incerto. Veniebat enim nouis victor redimitus exuuiis, Dominus in templo sancto suo, praebant angeli & archangeli, mirantes spoliolum ex morte quaesitum. Et quamuis sciret nihil Deo accedere ex carne potuisse, quia infra Deum omnia sunt, tamen trophaea crucis, cuius principium super humeros eius, & triumphatoris aeterni manubias intuentes, quasi cum quae miserant, caeli portae capere non possent, licet nunquam eius capiant maiestatem, maiorem viam quaerebant aliquam reuertenti, ad eum nihil exinanitus amiserat, debuit tamen nouo victori nouum iter parari. Semper enim victor & praecelsior aestimatur. Sed quia aeternae sunt iustitiae portae, eademque noui & veteris testamenti quibus caelum aperitur, non mutantur utique sed eleuantur, quia non vnus homo, sed totus in omnium redemptore mundus intrabat. Translatus erat Enoch, raptus Helias. Sed non est seruus supra dominum. Nullus enim ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo. Nam & Moysen, licet corpus eius non apparuerit in terris, nusquam

nusquam tamen in gloria caelesti legimus, nisi posteaquam Dominus resurrectionis suae pignore vincula soluit inferni, & piorum animas eleuauit. Translatus ergo Enoch, raptus Helias, ambo famuli, ambo cum corpore, sed non post resurrectionem, non cum manubiis mortis & triumpho crucis, viderant illos angeli. Et ideo Dominum omnium primum ac solum de morte triumphantem venire cernentes, tolli portas principibus imperabant cum admiratione dicentes: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit rex gloriae. Erant tamen & in caelestibus qui stupere, qui admirarentur nouam pompam, nouam gloriam, & ideo requirebant: Quis est iste rex gloriae? Sed quia & angeli processus habent scientiae, & capacitatem profectus habent, habent utique discretionem virtutis atque prudentiae. Solus enim sine processu eius, quia in omni perfectione semper aeternus est. Dicebant alij, illi utique qui affuerant resurgenti, illi qui viderant vel iam cognouerant: Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio. Iterum multitudo angelorum triumphali agmine praecinebant: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portae aeternales, & introibit rex gloriae. Rursus alij stupentes dicebant: Quis est iste rex gloriae? Vidimus cum non habentem speciem atque decorem. Si ergo ipse non est, quis est iste rex gloriae? Respondetur a scientibus: Dominus virtutum, ipse est rex gloriae. Ergo Dominus virtutum ipse est filius. Et quomodo infirmum Arriani dicunt, quem Dominum virtutum sicut & patrem credimus? Quomodo Arriani discretionem faciunt potestatis, cum Dominum sabaoth patrem, Dominum sabaoth filium legerimus? Nam & hoc sic positum plerique codices habent, quod Dominus sabaoth ipse sit rex gloriae. Sabaoth autem interpretes alicubi Dominum virtutum, alicubi regem, alicubi omnipotentem interpretati sunt. Ergo quoniam quia descendit filius est, qui ascendit autem Dominus est sabaoth, omnipotens utique Dei filius est. Quid igitur agemus? quomodo ascendemus ad caelum? Sunt illic dispositae potestates, ordinati principes, qui caeli ianuas feruant, qui ascendentem interrogant. Quis me admittet, nisi omnipotentem annunciem Christum? clausae sunt portae, non cuiusque aperiantur, non quicumque vult, nisi qui fideliter credit, ingreditur, custoditur aula imperialis. Sed esto, indignus obrepserit, latuerit principes portarum caelestium, discubuerit in caena Domini: ingressus dominus conuiuij, videns non indutum nuptiale fidei vestimentum, proiiciet eum in tenebras exteriores, ubi sit stetus & stridor dentium, si fidem pacemque non seruet. Seruemus igitur nuptiale quod accepimus vestimentum, nec Christo propria denegemus, quem omnipotentem annunciant angeli, Prophetae significant, Apostoli testificantur, sicut iam supra ostendimus. Et fortasse non de istius tantummodo caeli portis Propheta dixerit quod praeteribit: & alios enim caelos Dei verbum penetrat, de quibus dictum est: Habemus enim sacerdotem magnum, principem sacerdotum qui penetrauit caelos Iesum filium Dei. Qui sunt isti caeli, nisi & hi de quibus dicit Propheta: Caeli enarrant gloriam Dei: Stat

enim Christus ad ianuam mentis tuae. Audi tu dicentem: Ecce sto ad ianuam & pulso, si quis mihi aperuerit, ingrediar ad illum, & cenabo cum eo, & ipse mecum. Et ecclesia Domino dicit: Vox fratris mei pulsat ad ianuam. Ergo secundum superius exemplum non solus stat, sed praecedunt cum angeli qui dicunt: Tollite portas principes vestras. Quas portas? Illas utique de quibus & alibi dicit: Aperite mihi portas iustitiae. Aperi ergo Christo portas tuas ut ingrediar in te, aperi portas iustitiae, aperi portas pudicitiae, aperi portas fortitudinis atque sapientiae. Crede angelis dicentibus: Et eleuamini portae aeternales, ut introeat in te rex gloriae, Dominus sabaoth. Porta tua vocis fidelis canora confessio est, porta tua ostium verbi est, quam sibi Apostolus optat aperiri, dicens: Ut aperiar mihi ostium verbi ad eloquendum mysterium Christi. Aperiar igitur Christo porta tua, nec solum aperiar, sed etiam eleuetur, si tamen aeternalis est non caduca. Scriptum est enim: Et eleuamini portae aeternales. Eleuatum est super limen Esaias, quando Seraphim labia eius tetigit, & vidit regem Dominum sabaoth. Tu ergo portae eleuabuntur, si sempiternum, si omnipotentem, si inestimabilem, si incomprehensibilem, si eum qui & praeterita omnia & futura omnia nouerit, filium Dei credas. Quod si praefinitae potestatis & scientiae, subiectumque opinere, non eleuas portas aeternales. Eleuentur ergo portae tuae, ut non Arriano sensu paruulus, non pusillus, non subditus, ad te Christus introeat, sed intret in Dei forma, intret cum patre, intret talis qualis est & caelum & omnia supergressus, & mittat tibi Spiritum sanctum. Expedi tibi ut credas quod ascendit & sedet ad dexteram patris. Nam si eum inter creaturas & terrena impia cogitatione detineas, si non tibi abeat, non tibi ascendat, nec paracletus ad te veniet, sicut ipse dixit: Nam si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam illum ad vos. Quod si inter terrena cum requiras, sicut Maria Magdalene requirebat, caue, ne & tibi dicat, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem meum. Portae enim tuae angustae sunt: capere me non queunt, eleuari non queunt, intrare non possum. Vade ergo ad fratres meos, hoc est, ad illas portas aeternales, quae cum Iesum viderint, eleuantur. Aeternalis porta est Petrus, cui portae inferi non praeualebunt. Aeternales portae sunt ecclesiae, ubi laudes Christi annunciare Propheta desiderans, dicit: Ut annunciem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion. Grande ergo mysterium Christi quod stupuerunt & angeli. Et ideo venerari debes, & domino famulus derogare non debes, ignorare non licet, propterea enim descendit ut credas. Si non credis, non descendit tibi, non tibi passus est. Si non venissem, inquit, & locutus fuisset his, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Quis igitur odit Christum, nisi qui derogat? Sicut enim amoris est deferre, ita odij est derogare: qui odit, quaestiones mouet: qui amat, reuerentiam defert.

Colof. 2.

Genes. 1.
4. Reg. 2.

Psalm. 23.

Ibidem.

Esaias 53.

Psalm. 23.

Matth.

† extm

Esai. 9. Matth. 8.

Matth. 4. Ezech. 4.

Ioan. 3.

Psalm. 18.

Apoc. 8.

Cant. 5.

Psalm. 23.

Psalm. 114.

Psalm. 29.

Colof. 4.

Psalm. 23.

Esaias 6.

Matth. 16.

Ioan. 16.

Ibidem. 20.

Ioan. 19.

Ibidem.

De confutatione Arrianorum ex solutione questionum quas faciunt ex illis verbis Apostoli: Omnis viri caput Christus est, &c. Et istis: Qui autem plantat & qui rigat vnum sunt.

CAP. II.

Itaque discutiamus eorum alias quaestiones. Scriptum est, inquit: Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput autem Christi Deus. Quia in quaestione dicant mihi velim, vtrum coniungere, an diuidere hanc quatuor velint. Si enim coniungere, atque ita ut dicant Deum caput esse Christi, sicut vir est mulieris caput, videte quid incidat. Nam si hanc tanquam ex paribus sumpta est comparatio, & hanc quatuor, id est mulier, vir, Christus, & Deus, quasi ex vnus atque eiusdem naturae similitudine comparantur, ergo mulier & Deus vnus incipient esse naturae. Quod si hoc displicet, quod sacrilegium est dicere, ut volunt diuidant. Itaque si Christum apud Deum patrem ita volunt esse, sicut est mulier apud virum: vnus utique Christum & Deum dicunt esse substantiae, quoniam mulier & vir vnus sunt in carne naturae. Nam quod distat, in sexu est. Cum vero inter Christum & Deum patrem sexus non interueniat, quod vnum inter filium & patrem in natura est, fatebuntur: quod diuersum in sexu est, denegabunt. Placetne ista diuisio, an mulierem, virum, & Christum vnus volunt esse substantiae, & patrem separant? Haecine igitur diuisio placet? Si ita est, videte quid incidant. Aut enim non solum Arrianos, sed etiam Fotinianos se necesse est confiteantur, quod Christum hominem tantum fatentur quem humanae tantummodò naturae aestimant copulandum: aut vel inuitos acquiescere par est nostrae sententiae, per quam id quod impiè cogitarunt, piè religioseque defendimus, ut sit Christus quidem secundum generationem diuinam Dei virtus, secundum assumptionem autem carnis, vnus cum omnibus hominibus in carne substantiae, salua tamen incarnationis suae gloria, qui auctoritatem suscepit non imaginem carnis. Si ergo iuxta humanam conditionem caput Christi Deus, non enim dixit caput Christi pater, sed caput Christi Deus, quia diuinitas utpote creatrix caput est creaturae. Et bene dixit, caput Christi Deus, ut & diuinitatem Christi significaret & carnem, hoc est, incarnationem in Christi nomine, in Deo autem vnitatem diuinitatis & magnitudinem potestatis. Eiusque autem caput Christi Deus secundum incarnationem dictum est, ut & caput viri Christus secundum incarnationem verbi dictum sit. Quod alibi Apostolus euidenter exposuit, dicens: Quoniam vir caput est mulieris, sicut & Christus ecclesiae. Et in consequentibus addidit. Qui se tradidit pro ea. Secundum incarnationem igitur caput viri Christus, quia secundum incarnationem facta traditio est. Est ergo viri caput Christus, caput Christi Deus, vbi serui, hoc est hominis, non Dei forma tractatur. Sed nihil praedudat Dei filio, si secundum carnis veritatem similis sit hominibus, qui diuinitate cum patre vnus est. Non enim potestas hac interpretatione minuitur, sed misericordia praedicatur. Quis autem vnus diuinitatem patris & filij piè abneget, cum ipse Dominus consummaturus praecedat,

pta discipulis suis dixerit, ut sint vnum sicut & nos vnum sumus. Pro testimonio enim fidei positum est, licet ab Arrianis ad argumentum perfidiae deriuatur. Etenim quoniam toties lectam negare nonqueunt, vnitatem extenuare conantur, ut talis videatur diuinitatis vnitas inter patrem & filium, qualis est inter homines vnitas deuotionis & fidei, licet etiam inter ipsos homines vnitas naturae sit ex communitate naturae. Vnde & illud apertissime soluitur, quod ad extenuationem dominicae vnitatis obicere consuerunt, quia scriptum est: Qui autem plantat & qui rigat vnum sunt. Hoc Arriani si saperent, non obicerent: quomodo negare conantur, quod pater & filius vnum sunt, cum Paulus & Apollo & natura vnum sint & fide? Sed tamen per omnia vnum esse non possunt, & nequeunt comparari humana diuinis. Inseparabilis ergo Deus pater verbo, inseparabilis virtute, inseparabilis sapientia per diuinam vnitatem substantiae, & est in filio, sicut frequenter scriptum est. Est verò, non ut egentem significans, nec ut vacuum implens, quia non vacua Dei virtus. Nec enim virtus virtute augetur, quia non duae virtutes, sed vna virtus. Nec diuinitas diuinitatem accipit, quia non duae diuinitates, sed vna diuinitas. Nos autem per acceptam & inhabitatem in nobis virtutem, vnum erimus in Christo. Communis ergo litera, sed discrepans diuina humanaque substantia. Nos vnum erimus, pater & filius vnum sunt. Nos secundum gratiam: filius secundum substantiam. Alia autem per coniunctionem, alia per naturam vnitas. Denique vide quid ante praemisit, ut omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te. Considera ergo quod non dixit: Tu in nobis & nos in te, sed tu in me, & ego in te, ut se à creaturis separaret. Et addidit. Et isti in nobis, ut etiam hic suam potentiam & patris à nobis secerneret: ut quod nos in patre & filio sumus, non naturae videatur esse, sed gratiae. Quod autem filius & pater vnum sunt, non hoc filius accepisse per gratiam, sed naturaliter ut filius possidere credatur.

De solutione obiectionis Arrianorum, sumpta ex verbis Domini dicentis: Amen amen dico vobis, non potest filius facere à se quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, cum euidenti & multiplici eorum redargutione.

CAP. III.

Aliud rursus obiciunt, asserentes vnus atque eandem potestatem filij & patris esse non posse, quia ipse dixit: Amen amen dico vobis, non potest filius facere à se quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Itaque nihil ex se fecisse filium dicunt, nec facere posse, nisi quod viderit facientem patrem. O praescia sapientia infidelium argumentorum, quae subiecit quod solueret quaestionem, addendo quod sequitur. Quia quaecunque ille fecerit, eadem & filius facit similiter. Hoc nempe sequitur. Cur ergo scriptum est: Eadem facit filius, & non talia, nisi ut in filio vnitatem non imitationem paterni operis aestimares. Sed tamen ut illorum quoque argumenta discutiamus, quaero ut respondeant: Vtrum videat filius opera patris, videt itaque an non? Si videt, ergo & facit: si facit, desinant omnipotentem negare

negare, quem omnia posse facere quae patrem facientem viderit confitentur. Quid est autem, viderit? Corporalium ne aliquis vsus oculorum est? Sed si hoc de filio velint dicere, corporalis etiam in patre vsus operationis ostendent, ut facientem videat quod ipse facturum est. Quid est autem: Non potest filius facere à se quicquam, hoc interrogemus, hoc consideremus. Est ergo aliquid impossibile Dei virtuti atque sapientiae? hoc est enim Dei filius, qui alienam utique non accipit fortitudinem, sed quemadmodum vita est, non aliena viuificatione subnixus, sed alios viuificans, quia ipse vita est: ita etiam sapientia est, non quasi insipiens accipiens sapientiam, sed qui de suo alios faciat esse sapientes. Ita etiam virtus est, non quasi per infirmitatem consecutus incrementa virtutis, sed ipse virtus qui virtutem fortibus largitur. Quomodo ergo virtus quasi cum iurissurandi attestacione dicit: Amen, amen dico vobis, quod est fideliter, fideliter dico. Fideliter ergo dicis Deum, & cum sacramenti quadam repetitione confirmas quod nihil facere potes, nisi quod facientem patrem videris. Fecisti mundum, Nunquid alterum mundum pater tuus fecit, quem quasi ad exemplar acceperis? Ergo necesse est fateantur impij, aut duos aut certe multos esse mundos, quod Philosophi asserunt, ut se etiam in hoc errore gentilitatis inuoluant. Aut si velint verum sequi, dicant sine exemplari te fecisse quod feceris. Dic mihi Domine, quando in mari patrem incarnatum videris ambulante? Ego enim nescio, ego hoc de patre credere sacrilegum puto, qui te solum carnem assumpsisse cognoui. Quando videris in nuptiis patrem aquam in vina vertentem? Sed solum te vnigenitum filium legi ex patre natum, solum te ex Spiritu sancto accepi, & virgine secundum incarnationis sacramenta generatum. Ergo ista quae memorauimus à te gesta, non fecit pater, sed sine exemplo paterni operis ad redimendam tuo sanguine salutem mundi, immaculatus ex aluo virginis processisti. Ac ne forte incarnatis tantummodò putent sequestrandum esse mysterium, licet cum dicant: Non potest filius à se facere quicquam, nihil excipiant, ita ut quidam impius dixerit, nec culicem facere potest, tam temerario ausu petulantique sermone maiestatem supernae virtutis irridens. Dic Domine Iesu, quando terram sine te pater fecerit? Caelum enim sine te non fecit, quia scriptum est: Verbo Domini caeli firmati sunt. Sed nec terram sine te fecit, quia scriptum est: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Nam si aliquid sine te Deo verbo pater fecit: non ergo omnia facta per verbum, & Euangelista mentitur. Quod si omnia facta per verbum, & omnia per te coeperunt esse quae non erant, utique quae non vidisti à patre facta, à te ipse fecisti. Nisi forte philosophicas tibi idaeas, Platonica illa disputatione praestituunt, quas ab ipsis tamen Philosophis scimus irrisas. Si autem ex te ipse fecisti, vana est assertio perfidorum, quae auctori omnium cui suppetit ex se faciendi magisterium, tribuit discendi profectum. Quod si per te negant caelum esse factum vel terram, considerent impij quod se suo furore praecipitent, cum scriptum sit: Dij qui non fecerunt caelum & terram pereant, Peribit ergo ô Arriane, qui quod

perierat & reperit & redemit? Sed ad proposita reuertamur: Quomodo non potest filius facere à se quicquam. Quaramus quid sit quod facere non possit. Multae sunt impossibilitatum differentiae. Est aliquid natura impossibile. Et est aliquid quod est possibile per naturam, impossibile per infirmitatem. Est etiam tertium quod sit possibile per corporis & animi firmitatem, impossibile per imperitiam aut impotentiam. Est etiam quod per definitionem immutabilis propositi & constantis perseverantiam voluntatis atque amicitiae fidem sit impossibile mutari. Sed haec (ut euidentius possumus aduertere) per exempla nobis disputatio dirigatur. Impossibile est ut auis sapientiae disciplinam aliquam assequatur, aut artem. Impossibile est & lapidem prodire quocumque. Impossibile est enim lapidem moueri, nisi motu moueatur alterius. Non potest ergo lapis per seipsum moueri & transire de loco. Non potest etiam aquila humanis imbui disciplinis. Habes vnus speciem, cum impossibilitatis causa natura est. Impossibile est & debili facere opera robusti. Sed huic alia impossibilitatis causa est. Quod enim facere potest per naturam, per infirmitatem non potest. Causa igitur huic quoque impossibilitatis infirmitas. Alia ergo impossibilitatis haec species, quoniam à faciendi possibilitate, corporis infirmitate reuocatur. Tertia quoque impossibilitatis est causa, quia etiam si per naturam quis & firmitatem corporis facere aliquid possit, non potest tamen facere per imperitiam vel impotentiam, ut aut indoctus aut feruus. Quas igitur harum quas enumerauimus impossibilitatum causas (ut quartam interim sequestremus) filio Dei existimas conuenire, nunquid insensibilis per naturam, & immobilis sicut iapis? Lapis quidem est impijs in ruinam, fidelibus angularis. Sed non insensibilis supra quem sensibilibus populorum fideles aedificantur affectus, non immobilis petra. Bibebant enim ex consequenti petra, petra autem erat Christus. Non ergo paternum opus per naturam distantiam impossibile Christo. Nunquid forte per debilitatem impossibile ei aliquid aestimamus? Sed non ille debilis qui aliorum debilitates imperiali sermone sanabat: an debilis videbatur cum paralytico praecipiens: Tolle grabatum tuum & ambula: sanitatis iam mandabat officium, cum adhuc ille remedium debilitatis oraret? Num debilis Dominus virtutum, cum illuminaret caecos, inclinator erigeret, mortuos suscitaret, votis nostris medicinae praecurreret effectus, orans curaret, & simbria mundaret & tactus? Nisi forte debilitatem illam impij putabatis, quando vulnera videbatis. Erant quidem illa corporis vulnera, sed non erat vulneris illius vlla debilitas ex quo omnium vita profluebat. Vnde & Propheta dixit: Liuore eius nos sanati sumus. An qui in vulnere debilis non erat, erat in maiestate? Quomodo quaero, cum daemone imperaret, & reis peccata dimitteret, an cum rogaret patrem? Quo loco fortasse dicant, quomodo pater & filius vnum sunt, si filius nunc imperat, nunc precatur. Et vnum sunt, & imperat, & precatur. Sed neque cum imperat, solus: nec cum precatur, infirmus. Solus non est, quia quaecunque filius facit, pater facit. Infirmus non est, quia & si in carne infirmatus est propter

1. Cor. II.

1. Cor.

Genes. I.

Marc. 6.

Ioan. 2.

Ioan.

Psalm. 32.

Ioan. 1.

Hierem. 10.

Ephes. 5.

1. Petr. 2.

1. Cor. 10.

Marc. 2.

Ibidem. 6.

Esai. 53.

Ioan. 5.

Esaiæ 53.

Luc. 22.

Matth. 16.

Ioan. 13.

Ioan. 5.

1. Cor. 12.

1. Tim. 1.

peccata nostra, tamen illud nostræ erat in eo pacis eruditio, sicut scriptum est, non suæ maiestatis infirmitas. Denique ut scias quod secundum hominem rogat, diuinitate imperat, habes in Euangelio quod Petro dixit: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti: Tu es Christus filius Dei viui: Respondit, Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauas regni cœlorum. Ergo cui propria autoritate regnū dabat, huius fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum ecclesie indicauit? Quando igitur roget, quando imperet considera. Rogat quando passurus ostenditur, imperat quando filius Dei creditur. Duas igitur species impossibilitatis vacare iam cernimus, quod neque insensibilis neque infirma potest esse Dei virtus. Nunquid tertium profertis in medium, quod quasi imperitus sine magistro facere nihil possit, aut seruus sine domino? Ergo mentitus es Domine Iesu, qui te & magistrum & Dominum ipse dixisti, & fecisti discipulos tuos dicens: Vos vocatis me magistrum & Dominum, & bene dicitis, sum enim. Sed non falleres veritas, eos præsertim quos amicos vocasti. Tamen si ut imperitum te ab artifice fecernunt, viderint ut tibi, hoc est Dei sapientia, dicant peritiam defuisse: vnitatem tamen substantiæ inter te & patrem separare non possunt. Artificem namque ab imperito imprudentia non natura secernit. Sed non in patre artificium, neque in te insipientia. Non est enim insipiens sapientia. Ergo si neque insensibilis in filio natura, neque debilitas, neque imperitia, neque seruitus potest esse, considerent quod & per naturam & maiestatem vnum sit cum patre filius, & per operationem non discrepet à patre virtus, cum omnia quæ pater fecerit, eadem & filius faciat similiter. Neque enim similiter potest quisquā facere idem opus quod alius fecerit, nisi qui & inæqualitatem non habeat operationis, & naturæ eiusdem habeat vnitatem. Adhuc tamen requiro, quid sit quod non possit facere à se filius nisi viderit facientem patrem? Et insipienter aliqua de vilioribus exempla propono, factus sum enim insipiens, vos me coegistis. Nam quid insipientius quam de maiestate Dei argumenta discutere, quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem Dei quæ est in fide? Sed argumentis argumenta respondeant. Illis verba, nobis charitas quæ in Deo est de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta. Ergo ad infirmitatem tam ineptæ propositionis, non piget etiam ridicula deriuare. Quomodo ergo videt filius patrem? Videt equus picturam quam per naturam imitari non potest. Non utique sic videt filius. Videt paruulus viri opera maioris, sed imitari non potest. Nec utique sic videt filius. Ergo si filius & per eiusdem cum patre arcanum commune naturæ inuisibiliter & videre & facere potest, & per plenitudinē diuinitatis quod voluerit exequi, quid superest nisi ut per vnitatem inseparabilem potestatis, nihil credamus filium facere, nisi quod viderit patrem facientem, quia per inseparabilem vnitatem nihil à se facit filius, quoniam nihil vult quod pater nolit? Quod utique non infirmitatis sed vnitatis est. Ergo nec contumax filius, ut etiam de quarta propositione

dicamus. Nihil enim consiliarius filius facit, quod cum patris non conueniat voluntate. Denique vidit pater quæ fecit filius, & probauit quod bona valde. Sic enim habes in Genesi: Et dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem quod bona est. Nunquid hic dixit pater: Fiat talis lux qualem ipse fecit? Sed fiat lux quæ ante non fuerat. Aut filius qualem faceret interrogauit? sed fecit ut voluit, qualem pater vsque eò voluit ut probaret. Ergo nouum opus filij est. Denique si reprehenditur in filio secundum interpretationes Arrianorum, quod quæ viderit facit, qui utique secundum scripturas quod non vidit & fecit, & dedit esse quæ non erant: quid dicunt de patre: qui quod viderat prædicauit: quasi ea quæ facienda forent non potuerit præuidere? Similiter ergo videt filius patris opus, sicut pater opus filij. Nec quasi alienum laudat, sed quasi proprium recognoscit. Quæcunque enim pater fecerit, eadem & filius facit similiter, ut idem opus patris filijque sentires. Nihil ergo facit filius nisi quod pater probet, pater laudet, pater velit, quia ex patre totus est, non ut creatura, quæ multa committit dum studio lapsūque peccati voluntatem frequenter offendit authoris. Nihil ergo filius facit nisi quod placeat patri, quia vna voluntas, vna sententia est, vna est vera charitas, vnus operationis effectus. Denique ut scias charitatis esse, quia non potest filius à se facere quicquam nisi quod viderit facientem patrem, cum præmississet, Quæcunque enim ille fecerit, eadem & filius facit similiter, subiicit: Pater enim diligit filium. Ergo quod dixit scriptura, quia non potest, ad inseparabilis & indiuiduæ charitatis retulit vnitatem. Quod si naturaliter est, ut verè est, inseparabilis charitas, inseparabilis utique est etiam operatio naturaliter, & impossibile ut opus filij cum patria non conueniat voluntate, quando id quod filius operatur, operatur & pater, & quod pater operatur, operatur & filius, & quod loquitur filius, loquitur & pater, sicut scriptum est: Pater meus qui in me manet, ipse loquitur, & opera quæ ego facio, ipse facit. Nihil enim pater sine virtute atque sapientia sua condidit, qui omnia in sapientia fecit, sicut scriptum est: Omnia in sapientia fecisti. Nihil etiam Deus verbum sine patre fecit. Non operatur sine patre. Non sine patria voluntate sacrosanctæ illi se obtulit salutaris mundi totius hostia passioni: non sine patria voluntate mortuos suscitauit. Denique Lazarum suscitaturus leuauit oculos sursum, & dixit: Pater gratias ago tibi quia audisti me, & ego sciebam quia semper me audis, sed propter turbam quæ circumstat dixi, ut credat quia tu me misisti. Ut quæuis ex personæ hominis incarnati susceptione loqueretur, vnitatem tamen paternæ voluntatis & operationis exprimeret, quia pater omnia audit, omnia videt quæ vult filius. Videt ergo & pater facientem filium, audit * voluntatem. Denique non rogauit, & exauditum se esse dixit. Nec assumari potest quod non audit pater quod velit filius: & ut scias quia semper auditur à patre, non quasi seruus, nec quasi propheta, sed quasi filius: Et ego, inquit, sciebam quia semper me audis, sed propter turbam quæ circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Propter nos igitur gratias egit. Nec eundem patrem, eundemque

121

122

démque filium esse credamus, cum idem opus patris audimus & filij. Nam ut cognosceres non quasi infirmum gratias egisse, sed quasi Dei filium, temper sibi diuinam potentiam vindicare, clamauit, Lazare veni foras. Imperantis utique vox ista est, non precantis. Sed ut ad superiora redeamus, & proposita concludamus, facit quasi verbum filius voluntatem patris. Verbum hoc nostrum utique prolatium est, syllabæ sunt, sonus est, & tamen à sensu nostro & mente non discrepat, & quæ interiori tenemus affectu, ea tanquam operatis verbi testificatione signamus. Sed non sermo noster operatur, solum est verbum Dei quod nec prolatium est, nec *ἰδιότρον* dicunt, sed quod operatur & viuit, & sanat. Vis scire quale verbum, audi dicentem: Viuum est enim verbum Dei, & validum, atque operatorium, & acutum, & penetrabilius, & omni gladio acutissimo, penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum. Verbum igitur audis Dei filium, & à patria voluntate & potestate discernis. Audis quod viuit, audis quod sanat, noli ergo nostro comparare verbo. Si enim verbum nostrum quæ non obtutu viderit, non auditu audierit, loquitur, & loquitur tamen cognita per quædam naturæ humanæ interna mysteria: quomodo non impius qui secundum diuinitatem in Dei verbo, & obtutum quandam corporeum exigit, & auditum, & putat quod non possit à se quicquam facere filius nisi quod patrem facientem viderit, cum per vnitatem ut diximus eiusdem substantiæ, idem velle atque idem nolle, & idem posse, & in patre sit & in filio & in Spiritu sancto? Quod si homines plerumque sensuum qualitate discreti, tamen vnus propositi intentione concordant, quid de patre nos & de filio congruit æstimare, cum id quod humana imitatur charitas, substantia diuina possideat? Ponamus tamen sicut ipsi volunt quod quasi in exemplari, quod viderit patrem facientem filius faciat. Et hoc utique eiusdem substantiæ est, nullus enim potest alterius imitationem operationis implere, nisi qui eiusdem naturæ habeat vnitatem.

De solutione obiectionum quibus impij heretici inæqualitatem patris & filij probare contendunt.

CAPVT IIII.

Imperator Auguste, quidam hoc etiam ad inæqualitatem Dei patris & filij obiiciendam usurpare consueverunt, quia dicant omnipotentem patrem esse quod generauit filium, negent autem omnipotentem filium, dicentes quod generare non potuit. Sed vide quemadmodum sæua impietas, ut dialectica Philosophorum seipsa conuincat. Hac enim quæstione, aut coæternum patri filium necesse est sua voce fateatur, aut si principium temporis filio aliquod adscribunt, principium potentiæ necesse est tribuat etiā patri. Ita cum omnipotentē filium negant, incipiunt (quod nefas dictu est) asserere per filium patrem omnipotentem esse cœpisse, nam si per generationem omnipotens pater, utique aut coæternus patri filius est, quia si semper omnipotens pater, sempiternus & filius: aut si fuit quando non erat filius sempiternus, fuit ergo quādo non erat omnipotens pater. S. Ambr. tom. 4.

ter. Nam cum volunt dicere filium aliquando cœpisse, in illud recidunt, ut & patris potentiam dicant non semper fuisse, sed ex filij generatione cœpisse. Ita dum filio Dei cupiunt derogare, plus tribuunt, ut contra fas omne authorem paternæ potentiæ declarare videantur, cum filius dicat: Omnia quæ pater habet mea sunt, hoc est, non quæ patri ipse tradiderit, sed quæ à patre iure generationis acceperit. Et ideò filium esse sempiternā didicimus virtutē. Si ergo sempiterna eius virtus atque diuinitas, utique & potentia eius est sempiterna. Filio igitur qui derogat, patri derogat, pietatē offendit, violat charitatē. Nos honorificemus filium in quo pater cōplacet. Piacet enim patri ut laudetur filius in quo ipse complacuit. Respondeamus tamen intentioni eorū, ne epilogo quodā inuidiā quæstionis declinasse videamur. Generauit, inquiunt, pater, non generauit filius. Quod hic argumentum est inæqualitatis? Generatio enim paternæ proprietatis est, non potestatis, & pietas æquat non separat. Denique in ipso vsu nostræ infirmitatis frequenter euenire cognoscimus, ut & infirmi filios habeant, & non habeant fortiores: habeant serui, & non habeant domini: habeant inopes, non habeant qui potentes sunt. Sed dicunt & hoc infirmitatis esse, quod homines volunt filios habere nec possunt: quamuis humana non sint conferenda diuinis, tamē intelligant inter ipsos quoque homines non potentia esse, sed paternæ proprietatis habere filios vel non habere. Nec in potestate nostræ voluntatis esse generare, sed in corporis qualitate. Nam si esset potentia, utique potentior multos haberet, ergo non est potentia habere filios vel non habere. Nunquid naturæ est? Si naturæ infirmitatem putatis, & ad humana conferatis exempla, eadem patris est natura quæ filij est: itaque aut verum filium dicitis, & patri in filio derogatis per vnitatem eiusdem naturæ. Sicut enim pater natura Deus, ita & filius. Deos autem ait Apostolus non natura deos esse, sed dici. Aut si negatis esse verum filium, hoc est eiusdem naturæ: non est ergo generatus, si non est generatus filius, non generauit pater. Colligitur itaque iuxta sententiam vestram, ut non sit omnipotens Deus pater, quia generare non potuit, si non generauit filium sed creauit. Sed quia omnipotens pater cum iuxta sententiam vestram solus generator omnipotens sit, generauit utique filium non creauit. Verum ipsi magis quam vobis credendum est. Ille ait: Genui, & frequenter ait, generationis suæ testis. Non est ergo naturæ, non est potentia in Christo aliqua quod non generauit infirmitas, quia generatio (sicut sæpe iam diximus) non ad sublimitatem potentiæ, sed ad proprietatem refertur naturæ. Nā si ideò omnipotens pater quia filium habet, omnipotentior ergo esse potuit si plures haberet. An verò potentia eius in vna generatione deficit? At ego ostendam & Christum habere filios, quos quotidie generat, sed ea generatione vel potius regeneratione, quæ potestatis est, non naturæ. Adoptio enim potestatis est, generatio proprietatis. Quod ipsa scriptura nos docuit. Dicit enim Ioannes: Quia in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his

F

qui credunt in nomine eius. Didicimus itaque potestatis esse quod nos filios Dei fecit, proprietatis autem generationem esse oracula diuina declarant. *Eccles. 24.* Dicit enim sapientia Dei: Ex ore Altissimi prodiui, hoc est, non coacta sed libera, non potestati obnoxia, sed nata generationis arcana, priuilegio dominationis & iure potestatis. Denique de eadem sapientia, hoc est de Domino Iesu, alibi pater dicit: Ex utero ante luciferum genui te: quod utique ideò dixit, nō ut corporalem aluum declararet, sed ut proprietatem veræ generationis ostenderet. Nam si ad corporalia referas, ergo omnipotens pater cum dolore & conceptione generauit. Sed absit, ut Deum ex infirmitate corporis metiamur. Et quidam veteris paternæ arcanum substantiæ, interiusque secretum, quod non angeli, non archangeli, non potestates, non dominationes, non aliqua creaturarum potuit penetrare natura. Cum patre enim semper & in patre semper est filius. Cum patre per distinctionē indissociabilem trinitatis æternæ. In patre per diuinam unitatem naturæ. Quis igitur hic arbiter diuinitatis, qui discutiat patrē ac filiū, ille quare generauerit, iste cur nō genuerit? Seruulū suum aut ancillā cur non genuerit, nemo condemnat, isti cōdemnāt, cur non generauerit Christus. Condemnant enim sua opinione cum derogant. Nec coniugibus inter se cur non generauerint, aut charitas minuitur, aut meritum derogatur: isti quia non generauit, Christi minuunt potestatem. Cur, inquit, filius pater non est? Quia & pater filius non est. Cur non iste generauit? Quia nec ille generatus est. Nec ideò minus habet filius quia pater non est, nec pater minus habet, quia filius non est. Dixit enim filius: Omnia quæ pater habet mea sunt. Ad eò generatio in paterna proprietate, non in iure est potestatis. Est quædam indistincta distinctè incomprehensibilis & inenarrabilis substantia trinitatis. Distinctionem etenim accepimus patris & filij & Spiritus sancti, non confusionem: distinctionem non separationem: distinctionem non pluralitatem. Diuino itaque admirandōque mysterio, manentem semper accepimus patrem, semper filium, semper Spiritum sanctum. Non duos patres, non duos filios, non duos spiritus. Vnus enim Deus pater, ex quo omnia & nos in ipsum. Et vnus Dominus Iesus per quem omnia & nos per ipsum. Vnus natus ex patre Dominus Iesus, & ideò vnigenitus. Vnus & Spiritus sanctus, ut idem Apostolus dixit: Sic accepimus, sic legimus, sic tenemus, distinctionem scimus, secreta nescimus, causas non discutimus, sacramenta seruamus. Facinus indignum, ut qui generationis suæ facultatem non habent, diuinæ generationis examen sibi arrogent, vindicent potestatem. Negent ergo æqualem patri filium, quod non generauit filius. Negēt æqualem patri filium, quod patrem habet. Hoc si de hominibus dicerent, quorum aliqui volunt filios habere nec possunt, iniuriam putarem si inter duos honore pares, habenti filios qui non habet negaretur æqualis. Et ideò hoc, inquam, graue & de ipsis hominibus videtur, ut quis minor putetur quod patrem habet. Nisi fortè tanquam constitutum in familia, putent Christum dolere quod emancipatus à patre non sit, & administrandi patrimonij

non habet facultatem. Sed non est Christus in facris qui sacra vniuersa distinxit. Quomodo volunt tamen respondeant, verane generatio sit, & verus filius ex Deo patre natus, hoc est, ex substantia patris? An ex alia natus substantia? Si enim dicunt ex patre, hoc est ex Dei substantia, conuenit quod ex substantia patris filium dicant. Ergo quia vnus substantiæ, vnus utique potentia. Si verò ex alia substantia filius est, quomodo omnipotens pater est, & omnipotens filius non est? Quid enim præstantius si ex alia substantia filium Deus fecit, cum utique & filius ex alia nos substantia filios Dei fecerit? Ergo aut vnus substantiæ filius cum patre aut vnus potentia. Friget igitur eorum quæstio quod de Christo iudicare non possunt, imò quod vincit ille cum iudicatur. Digni tamen sunt isti iudicio suo, qui hanc obiciunt quæstionem. Si enim ideò æqualis patri filius non est, quia non generauit filium, & isti utique fateantur si non habent filios, qui serunt huiusmodi quæstiones, suos sibi etiam seruulos præferēdos, eo quod habentibus filios æquales esse non possunt. Si autem habent filios, non putent sibi merito, sed filiorum iure deferri: nō consistit igitur hæc quæstio, quod æqualis filius patri ideò esse non possit, quod pater generauit filium, filius nullum ex se ipso generauerit. Nam & fons fluuium generat, & fluuius fontem ex se ipso non generat. Et lux splendorem generat, non splendor lucem, & vna natura est splendoris & lucis. Vnde cum inæqualitatem ex generationis obiectu probare non potuerint: intelligant etiam illam diuulgatam suæ calumniam quæstionis explosam. Solent enim opponere, quomodo æqualis potest esse filius patri? Nam si filius est, antequam generaretur non erat, aut si erat, cur natus est? Et Arrianos se negare consuerunt, qui proponunt Arrij quæstiones. Itaque exigunt à nobis responsum, ut si dixerimus, quod antequam generaretur erat, astute referant. Ergo antequam generaretur creatus est, & non differt à cæteris creaturis, quia prius cœpit creatura esse quam filius. Et adiciunt, cur qui erat natus est? An quod imperfectus erat, ut postea perfectior fieret? Si autem responderimus quod non erat, obiciunt statim: ei ergo generatio contulit ut esset qui non erat antequam nasceretur, ut hinc colligant: Erat ergo quando non erat filius. Sed qui hoc proponunt & obscuritate volunt inuoluere veritatem, dicant ipsi, utrum temporaliter generet pater, an intemporaliter? Si enim temporaliter dixerint, quod filio obiciunt, patri adscribent, ut videatur pater cœpisse esse quod non erat. Si intemporaliter, quid superest nisi ut ipsi soluant quam proposuerint quæstionem, ut cum generationem patris abnuant temporalem, generationem quoque filij temporalem non esse fateantur? Si ergo non est generatio eius ex tempore, æstimari datur quod nihil præcesserit ante filium qui non sit ex tempore. Si enim aliquid ante filium, iam non sunt in ipso creata omnia quæ vel in cælo sunt vel in terris. Et Apostolus redarguit qui hoc in epistola sua scripsit. Quod si nihil ante generationem, non aduerto cur posterior asseratur quem nemo præcessit. Connectenda est alia eorum plena impietatis obiectio, quæ

laten-

latentem habeat dolum, quo sensus faciliū mentesque præstringant. Interrogant enim vtrum omne quod finem habet aliquando cœperit? Et si acceperint eiusmodi responsum, quia quod finem habet, cœpit aliquando, referunt vtrum pater desierit generare filium? Quod cum tenuerint, nostro aspirate consensu, contexunt, cœpit ergo generatio. Id si nō abnuas, consequi videtur, ut si cœpit generatio, videatur in eo cœpta qui natus est, ut natus esse dicatur, qui ante non fuerit, vnde definiant, aliquando ergo filius non fuit. Adiciunt alias ineptias loquacitatis suæ dicentes: Si verbum patris filius est, & ideò genitus dicitur quia verbū est: quod autē verbū est, opus non est: multifariam locutus est pater, multos ergo generauit filios, si non operatus est, sed locutus est verbū. Amentes homines quasi non intelligant quid intersit inter prolatiuū sermonem, & in æternum permanens Dei verbū ex patre natū, natū utique nō prolatū, in quo non cōposita syllaba, sed plenitudo diuinitatis æternæ est, & vita sine fine. Subtexunt aliam impietatem, proponentes vtrum volens an inuitus generauerit pater: ut si dixerimus volentem, antiquiorem generatione volūtatem videamur fateri, & referāt quod non sit filius coæternus patri, quem aliquid antecessit, aut quod & ipse sit creatura, quia scriptum est: Omnia quæ voluit fecit: Cum hoc ipsum non de patre & filio, sed de his quas filius fecit dictum sit creaturis: Sin autem inuitum patrem generasse responderimus, inualidum patrem dixisse videamur. Sed nihil in sempiterna generatione præcedit, nec velle nec nolle: ergo nec inuitum dixerim, nec volentem: quia generatio nō in voluntatis possibilitate est, sed in iure quodam & proprietate paterni videtur esse secreti. Nam sicut bonus pater non aut ex voluntate est, aut necessitate, sed * per naturam, ita non generat ex voluntate aut necessitate pater. Esto tamē, sit generatio in voluntate generantis, quando hanc voluntatem fuisse dicunt? Si in principio, utique si sempiterna voluntas, sempiternus & filius. Si cœpit voluntas, displicuit igitur sibi quod erat Deus pater, ut mutaret statum. Displicuit ergo sibi sine filio, placere cœpit in filio. Iam illa consequentia ut dicamus: Si studium generandi nostro more assumpsit, ergo & cætera quæ generationem præcedere solent nostro more assumpsit, nostro autem vsu generationis votum est non voluntas. Produunt igitur impietatem suam qui volunt generationem cœpisse Christi, ut videatur non generatio illa verbi manentis, sed prolatio fluctis esse sermonis: deinde multos inducendo filios, negent in Christo diuinæ proprietatem naturæ, ut nec vnigenitus, nec primogenitus æstimetur: postremò ut si principium esse credatur, accepisse, etiā finem videatur habiturus. Sed neque principium assumpsit aliquando Dei filius qui erat in principio, neque finem qui est principium vniuersitatis & finis. Nam cum sit principium, quomodo quod habebat accepit? aut quomodo sui finem habebit, cum omnium ipse sit finis, ut in illo fine, sine fine maneamus? Dei enim generatio cum temporalis non sit, nec ante se, nec in se tempus inuenit. Frigida igitur eorum & vana quæstio in creaturis ipsis non habet locum. Ipsa etenim quæ temporalia sunt, discretio-

nem in quibusdam habere temporis non videntur. Lux nempe splendorem generat, nec comprehendere potest quod splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior, quia vbi lumen & splendor est, & vbi splendor & lumen est. Itaque nec sine splendore lumen, nec splendor potest esse sine lumine, quia & in splendore lumen, & splendor in lumine est. Vnde & Apostolus splendorem paternæ gloriæ filium dicit, quia splendor paternæ lucis est filius: coæternus, propter virtutis æternitatem: inseparabilis, propter claritudinis unitatem. Ergo si temporalia hæc & æria hæc comprehendere & separare non possumus quæ videmus, Deum quem non videmus, qui super omnem est creaturam, in ipso suæ generationis arcana possumus comprehendere, possumus cum à filio tempore separare, cum omne tempus opus filij sit: Desinant ergo dicere, & antequam generaretur non erat. Ante enim temporis est, generatio ante tempora, & ideò quod posterius est, prius non est, nec opus ante authorem potest esse, cum opera ipsa principium de operatore suo sumant. Nam quomodo ante operatorem suum vsus operis æstimatur, cum omne tempus opus sit ei, omne opus de operatore suo ut esset, acceperit? Experiri igitur adhuc istos volo qui sibi videntur astuti, ut de nostris respondeant qui calumniantur diuini, longèque refugiunt ab inscrutabili supernæ generationis arcana: quæstionem suam humanæ astruant generationis exemplo. De filio Dei dicunt quod antequam generaretur non erat, hoc est de Dei sapientia, de virtute Dei, de Dei verbo, cuius generatio nihil ante se nouit: quia si aliquando, ut volunt, non fuit (quod nefas dictum est) non fuit ergo in Deo perfectionis aliquando plenitudo diuinæ, si postea processum generationis accepit. Tamen ut sciant quàm vana sit & solubilis eorum quæstio, licet nihil in eo humanis diuinisve commune, tamen docebo homines antequam nascerentur, fuisse. Aut negent Iacob sanctum fuisse priusquam nasceretur, qui fratrem supplantauit in materni adhuc vteri positus arcana. Negent Hieremiam antequam nasceretur sanctum fuisse, cui dicitur: Priusquam te formarē in utero matris tuæ noui te, & priusquam exires de vulua sanctificauit te, & Prophetā in gentibus posui te. Quid hoc euidentius tanti exemplo Prophetæ, qui sanctificatus est antequam natus, & antequam formaretur est cognitus? Quid etiam de Ioāne loquar, de quo mater religiosa testatur, quod intra materna situs adhuc viscera, præsentia Domini spiritu cognouit, exultatione signauit, sicut scriptū meminimus matre dicente: Ecce enim ut facta est in auribus meis vox salutationis tuæ, exultauit in gaudio infans in utero meo. Erat igitur qui propheta-
tabat, an non erat? At certè erat. Erat enim qui venerabatur authorem, erat qui loquebatur in matre. Denique Elizabeth filij spiritu replebatur, Maria filij spiritu sanctificabatur: sic enim habes, quod exultauit infans in utero eius, & repleta est spiritu sancto. Vide singulorum verborum proprietates. Vocem quidem Mariæ prior Elizabeth audiuit, sed Ioannes prior Domini gratiam sensit, pulchrè sibi conueniunt oracula oraculis, foemina mulieri, & pignus pignori. Istæ gratiæ loquuntur, illi intus ope-

F ij

*Eccles. 24.**Psal. 109.**Ioan. 16.**I. Cor. 8.**Hebr. 1.**Psalm. 113.*** super utrumque.**Genes. 25.**Hierem. 1.**Luca 1.*

rantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo licet honore diuerso, prophetant matres spiritu paruulorum. Quis igitur author huius miraculi, nonne Dei filius qui fecit esse non natos? De rebus humanis questio nostra non potest conuenire, potestne de diuinis conuenire secretis? Quid est antequam generaretur, non erat? Nunquid pater aliqua tempora conceptionis accepit, ut filium tempora praeuenirent? Aut feminae more naturae generationis suae molitus est partum, ut molitio ipsa filio esset antiquior. Quid est hoc? cur diuina secreta discutimus? Proprietatem legi diuinæ generationis, non qualitatem? Facinus indignum, ut ex se quidam caelestia metiantur, qui tanquam vnum de spadonibus putant Christum non nasci potuisse, sed fieri. Aut tanquam vnum de spadonibus patrem, qui filium quem generare non potuerit, adoptrauerit.

De solutione questionis quam plerique faciunt, ex eo quod scriptum est: Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuunt propter me.

C A P. V. I

Plerique etiam hinc faciunt questionem, quia scriptum est: Sicut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, ipse viuunt propter me, dicentes: Quomodo aequalis est patri filius qui dixit, quod propter patrem viuunt? Quis hoc proponunt, primum respondeant cuiusmodi vita sit filij, vtrum ea quam pater largitus sit non habent? Sed quomodo vitam aliquando potuit non habere, cum ipse sit vita, sicut ait: Ego sum via, veritas, & vita? Vita utique sempiterna, sicut virtus est sempiterna. Aliquando ergo (ut sic loquar) si vitam non habuit, considerate quid lectum sit hodie de Domino Iesu, quod mortuus est pro nobis, ut siue vigilamus siue dormiamus, simul cum illo viuamus. Cuius mors, vita est: huius diuinitas vita non est, cum diuinitas vita sit sempiterna? An verò vita eius in patris est potestate? Sed ne corporis quidem sui vitam in alterius fuisse potestate memorauit, sicut scriptum est: Ego pono animam meam, ut iterum sumam illam: Nemo tollit illam a me, sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & iterum potestatem habeo sumendi eam: hoc mandatum accepi a patre meo. Eius ergo vita secundum diuinitatem in alterius potestate iudicatur, cuius vita secundum corpus alienae non erat subdita potestati? Aliena enim potestas erit, si non erat vnitas potestatis. Sed sicut potestatis suae esse significat ponere animam & liberæ voluntatis: ita etiam quod secundum mandatum deposuit patris, suae ac paternae voluntatis significat vnitatem. Ergo si vitam filius neque aliquo accepit ex tempore, neque alienae habet potestati subditam, videamus qua ratione dixerit: Sicut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Exponamus ut possumus, imò ipse potius exponat. Considera igitur quid ante praemisit. Ait enim: Amen, amen dico vobis: ante instruit quem admodum audire debeas. Verè, inquit, verè dico vobis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vo-

bis: Secundum filium hominis se dicere ante praemisit: & tu quod secundum filium hominis de carne es loquutus & sanguine, ad diuinitatem putas esse referendum? Denique addidit: Caro enim mea vera est esca, & sanguis meus est potus. Carnem audis, sanguinem audis, mortis dominicae sacramenta cognoscis, & diuinitati calumniaris? Audi dicentem ipsum: Quia spiritus carnem & ossa non habet. Nos autem quotiescunque sacramenta sumimus, quae per sacrae orationis mysterium in carnem transfigurantur & sanguinem, mortem Domini annunciamus. Ergo posteaquam se loqui secundum hominis filium declarauit, & carnem saepe repetiuit, & sanguinem: subdidit postea: Sicut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me, & ipse viuunt propter me. Quomodo igitur hoc accipiendum putatur: potest enim duplex videri comparatio. Prima ita: Sicut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem. Secunda: Sicut misit me viuus pater, & ego viuo propter patrem: ita & qui manducat me, ipse viuunt propter me. Si primam eligunt, hoc significat quod sicut missus sum a patre & descendi a patre, ita viuo propter patrem. Quasi quis autem missus est atque descendit, nisi quasi filius hominis, sicut ipse supra sapientia dixit: Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit filius hominis. Ergo si quasi filius hominis missus est atque descendit: ita quasi filius hominis viuunt propter patrem. Denique & qui manducat quasi filium hominis, & ipse viuunt propter filium hominis. Actum ergo incarnationis suae aduentu comparauit. Quod si secunda complacuit, nonne & aequalitatem filij cum patre, & similitudinem eius cum homine manifesta distinctione colligimus? Nam quid est: sicut ipse viuunt propter patrem, & nos viuimus propter ipsum: nisi quod sic viuificat filius hominis, sicut pater in filio carnem viuificauit humanam? Sicut enim pater suscitauit mortuos, & viuificat: sic & filius quos vult viuificat, ut ipse Dominus supra dixit: Aequalitas ergo filij ad patrem, per vnitatem quoque viuificationis astringitur, quando sic viuificat filius, ut pater. Agnosce ergo eius vitam & potentiam sempiternam. Similitudo etiam nostra ad filium, & quaedam secundum carnem vnitas declaratur: quoniam quemadmodum filius a patre, sicut homo est viuificatus in carne. Sic enim scriptum est, quod Deus Iesum Christum a mortuis suscitauit, ita etiam nos quasi homines viuificamur a Dei filio. Secundum hanc ergo expositionem non solum ad conditionem humanam deriuatur gratia largitatis, sed etiam diuinitatis aeternitas praedicatur. Diuinitatis quod ipsa viuificat, humanae autem conditionis quod viuificata est & in Christo. Quod si quis vtrumque ad Christi refert diuinitatem, ergo filius Dei hominibus comparatur, ut ita filius propter patrem viuunt, sicut nos propter filium Dei viuimus. Sed filius Dei vitam largitur aeternam, nos autem largiri nequimus, ergo nostri comparatione nec ille largitur. Habeant igitur Arriani fidei suae praemium, ne vitam aeternam adipiscantur a filio. Libet iam ulterius progredi. Nam si illis placet hunc locum ad diuinam perpetuitatem referre substantiae, accipiant etiam tertiam expositionem. Nonne euidenter videtur dicere: Quod sicut viuus

viuus pater est, ita viuunt & filius. Quod vtrique quis non aduertat ad vnitatem vitae, quod eadem patris & filij vita sit, esse referendum. Sicut enim pater vitam habet in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso. Dedit per vnitatem, dedit non ut auferat, sed ut clarificetur in filio: Dedit ut complacereat: Dedit non ut pater custodiret, sed ut filius possideret. Sed obiiciendum putant quod dixit: Ego viuo propter patrem. Vtrique si ad diuinitatem referunt: propter patrem viuunt filius, quod ex patre filius est: propter patrem, quod vnus substantiae cum patre: propter patrem, quod eructatum est verbum ex patris corde, quod a patre processit, quod ex paterno generatus est vtero, quod fons pater filij est, quod radix pater filij est. Sed dicunt fortasse: Si vnitatem putas patris ac filij vitae esse, cum filius dixerit: Et ego viuo propter patrem. Nunquid vnitas est filij vitae atque hominum, cum dixerit filius: Qui manducat me & ipse viuunt propter me? Imò planè, sicut vnitatem fateor esse vitae caelestis in patre & filio per diuinam vnitatem substantiae, ita vel diuinæ naturae vel dominicae incarnationis excepto priuilegio, societatem nobiscum vitae spiritualis in filio esse profiteor per humanae vnitatem naturae. Qualis enim caelestis, tales & caelestes. Denique sicut in illo sedemus ad dexteram patris, non quod cum ipso sedemus, sed quod sedemus in Christi corpore, de quo postea dicemus plenius: sicut, inquam, sedemus in Christo per corporis vnitatem, ita & in Christo viuimus per corporis vnitatem. Non solum autem non vereor quod scriptum est: Et ego viuo propter patrem, sed etiam, si per patrem dixisset, non vererem.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

Ioan. 8.

Ioan. 6.

Ioan. 11.

Ioan. 17.

Ioan. 13.

1. Cor. 8.

De solutione obiectionis quam Arriani sumunt ex hoc quod Dominus dixit: Haec infirmitas non est ad mortem.

C A P. V. I.

Solent enim etiam illud obiicere quod dixit: Haec infirmitas non est ad mortem, sed pro claritate Dei, ut clarificetur filius eius per ipsum. Non solum enim per patrem, & a patre filius clarificatur, quod scriptum est: Clarifica me pater. Et alibi: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum: sed etiam per filium, & a filio clarificatur pater, quia veritas dixit: Ego te clarificaui super terram. Sicut ergo clarificatur per patrem, ita etiam propter patrem viuunt. Unde & quidam de eorum opinionem magis putauerunt esse, quam gloriam: & ideo sic interpretati sunt: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi, & nunc clarifica me pater, hoc est, deest tibi, ut sit hic sensus: opinionem de te hominibus huiusmodi infudi, ut cognoscant te Deum verum: & tu hanc de me confirma illis opinionem, ut credant me tuum filium & Deum verum. Iam illud ridiculum est, quod quidam ex illo apostolico, discretionem inter patrem & filium faciunt potestatis, quod scriptum est: Nobis tamen vnus Deus pater ex quo omnia & nos in ipsum, & vnus Dominus Iesus per quem omnia & nos per ipsum. Aiunt enim non mediocrem diuinam maiestatis esse distantiam, quod dictum est: ex illo omnia, & per hunc om-

nia. Nihil autem expressius quam quod hoc loco omnipotens filius euidenti ratione signatur. Nam ut ex illo omnia, ita per hunc omnia. Inter omnia pater non est, cui dictum est: Quoniam vniversa seruiunt tibi. Inter omnia filius non est, quia omnia per ipsum facta sunt, & omnia in ipso constant, & ipse est super omnes caelos. Non ergo inter omnia filius, sed super omnia qui secundum carnem quidem est ex familia Iudaeorum, idè tamen super omnia Deus benedictus in secula, cuius est nomen super omne nomen. Et de quo dicitur: Omnia subiecit sub pedibus eius. Subiiciendo autem omnia nihil reliquit ei non subiectum, sicut Apostolus dixit. Quod si hoc etià secundum incarnationis locutus est sacramentum, quemadmodum possumus de superne generationis incomparabili maiestate dubitare? Nihil igitur potestatis inter patrem & filium certum est interesse. Denique eousque nihil interest potestatis, ut idè Apostolus ex eo dixerit esse omnia, per quae omnia sicut habes: Quonia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Si igitur pater sicut putant tantummodò signatur, non potest idem omnipotens esse, quia ex ipso omnia, & omnipotens non esse, quia per ipsum omnia. Aut igitur inualidum nec omnipotentem patrem sua assertionem memorabunt, aut certè omnipotentem etiam filium vel inuiti voce propria fatebuntur. Eligant tamen vtrum hic patrem declaratum putent. Si patrem, ergo & per ipsum omnia. Si filium, ergo & ex ipso omnia. Si autem & per patrem omnia, nihil vtrique filio derogandum. Et si ex filio omnia, similiter & filio deferendum. Ac ne insidiari nos vnus arbitrentur obreptione versuculi, totum caput recenseamus. O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius ei fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. De quo igitur dictum putant, de patre an filio? Si de patre, sed non est sapientia Dei pater, quia sapientia Dei filius est. Quid est autem quod non possit sapientia, de qua scriptum est: Cum sit vna omnipotens & permanens, in se omnia innouat: Non ergo accedentem legimus sed permanentem. Habes ergo iuxta Salomonem, omnipotentem & permanentem sapientiam. Habes etiam bonam, quia scriptum est: Sapientiam autem non vincit malitia. Sed ad propositum reuertamur. Quam inscrutabilia sunt, inquit, iudicia eius. Si igitur omne iudicium pater dedit filio, filium videtur declarare qui iudicat. Denique ut scias quod non de patre, sed de filio dicit, addidit: Quis prior, inquit, dedit illi? Dedit enim pater filio, sed dedit iure generationis, non munere largitatis. Et ideo quod negari non potest, a patre accepisse filium, secundum quod scriptum est: Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Dicendo tamen, quis prior dedit illi, non accepisse per naturam a patre filium denegauit, sed priorem non posse dici inter patrem & filium, declarauit: quia etsi pater dedit filio, non tamen quasi posteriori dedit: quia increata & inestimabilis trinitas, quae vnus est aeternitatis & gloriae, nec tempus, nec gradum vel posterioris recepit vel prioris. Quod si Graecos magis codi-

psalm. 118. Ioan. 1.

Philip. 2.

psalm. 8. Hebr. 2.

Rom. 11.

Ibidem.

Sap. 7.

Roman. 11

Ibidem.

Math. 11.

Sic habet lo-
cus apud E-
saiam c. 40.
Et item apud
Paulu. Am-
brosius tamen
legisse videtur
quod dicitur, si-
ne uerbo dicitur,
cum dicit, cui
nihil addi po-
test. Et eandē
lectionem in-
dicabāt qua-
liamque ve-
stigia graecorū
elementorum:
quamquam
quod nobis
tradidit edi-
tio Aldina,
nec sentit cū
eo quod uertit
Hieronymus:
nec cū eo quod
editū est no-
mine Septua-
ginta latine.

2. Cor. 13.

1. Ioan. 5.

1. Ioan. 3.
Psal. 10.

Rom. 11.

ces sequendos putamus, quia habent *τις αρετων* *αυτων*: vides quoniam cui nihil addi potest, non dis-
par à pleno est. Ergo si filio magis conuenit, hoc to-
tum apostolicum caput, videmus & de filio esse cre-
dendum, quia ex ipso omnia, sicut scriptū est: Quo-
niam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Es-
to tamen de patre dictum putent. Itaque memine-
rimus quod sicut ex ipso legimus omnia, ita etiam
per ipsum omnia, in vniuersitatem quippe totius
creaturæ patris & filij profutura autoritas. Ac licet
superius omnipotentem filium paterno probauerim
exemplo, tamen quia illis derogare studiū est, H
considerent quod & patri derogent. Si enim infir-
mus filius, quia per ipsum omnia, nunquid infirmus
& pater, quia & per patrem omnia? Sed vt agnos-
cant nullam discretionem inter hæc esse, verum de-
monstrabo, eiusdem esse, ex quo aliquid, & per quē
aliquid, & ostendam vtrumque de patre lectum. Sic
enim habemus: Fidelis Deus per quem vocati estis
in communionem filij eius. Quid Apostolus dixerit
considerent. Per patrem vocamur, & nihil est qua-
stionis. Per filium creamur, & hoc vilius æstimabi-
mus. Pater in communionem filij vocauit, & reli-
giosè hoc sicut debemus accipimus: filius omnia
creauit, & putant non liberæ fuisse voluntatis arbi-
trium, sed coactæ atque seruilis operationis obse-
quium. Vt autem agnoscas plenius nihil distare in-
ter patris & filij potestatem, cum per patrem in cō-
munionem filij eius vocemur, ex filio est ipsa com-
munio, sicut scriptum est: Quoniam de plenitudine
eius nos omnes accepimus, licet secundum græcum
euangelium, ex plenitudine eius & intelligere de-
beamus. Ecce & per patrem communio, & ex filio
communio, sed non discrepans, sed vna commu-
nio. Sicut idē Ioannes in epistola sua dixit: Et com-
municatio sit cum patre & cum filio eius Iesu Chri-
sto. Accipite etiam quod non solum ex patre & fi-
lio, sed etiam ex Spiritu sancto vnam nobis com-
munionem scriptura memorauit. Gratia, inquit, Do-
mini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & commu-
nicatio sancti Spiritus cum omnibus vobis. Quæro
autem in quo minor videatur is per quem omnia,
quàm is, ex quo omnia? an quod operator asseritur?
Sed operatur & pater, quia verus est qui dixit: Pater
meus vsque modò operatur, & ego operor. Sicut i-
gitur pater operatur, operatur & filius. Non ergo
operator infirmus aut vilis est, quoniam operatur &
pater, & ideò quod commune est filio cum patre,
vel propter patrem inferiore loco accipi non oportet,
ne patri potius in filio ab hæreticis derogetur.
Nec mediocre illud quod alibi etiam idem sanctus
Ioannes ad refellendas Arrianæ perfidiæ quæstio-
nes ait: Scitis quoniam iustus est, scitote quoniam
quis fecit iustitiā ex ipso natus est. Iustus autem quis
nisi Dominus qui iustitias dilexit? aut quem sicut
superiora indicant repromissorem vitæ æternæ ha-
bemus, si filium non habemus? Si igitur filius Dei
vitam nobis promisit æternam, & ipse iustus est,
& ex ipso vtique nati sumus: aut si ex filio nos per
gratiam natos negat, nec iustum filium confiten-
tur. Credas igitur necesse est etiam ex Dei filio
omnia, quia omnium sicut Deus pater, ita & filius &
author est & creator. Videmus ergo inanē esse hanc

G quæstionem, cum & de filio credi conueniat, quo-
ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Diximus
quomodo ex ipso, quomodo etiā per ipsum. In ipso
autem omnia esse quis dubitet, cum alibi scriptū sit:
Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis, & in
ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in
ipso constant. Habes ergo ex ipso gratiam, ipsum o-
peratorem, in ipso omnium firmamentum.

De dissolutione obiectionis quam ex hoc faciunt quod à Do-
mino dictum legitur, Ego sum vitis vera, et pater meus
agricola est.

CAP. VII.

I llud quoque ad separandam patris & filij diui-
nitatem obiicere consueuerunt, quod Dominus
dixit in Euāgelio: Ego sum vitis vera, & pater meus
agricola est: agricolam & vitem diuersè dicentes es-
se naturæ, & vitem esse in agricolæ potestate. Sic er-
go vultis esse filium secundum diuinitatem, sicut
vitis est, vt sine cultore nihil valeat, quod possit de-
feri vel recidi, & ex litera calumniam comparatis,
quod Dominus vitem se esse dixit, incarnationis
suæ significans sacramentum. Tamen si placet vt ex
litera argumentemur, fateor & ego, imò profiteor
quod vitem se filius nominauit. Væ enim mihi si sa-
cramentum salutis publicè denegauero. Quomodo
ergo vultis accipere quod se vitem Dei filius nomi-
nauit? Si secundum diuinam substantiam dictum
accipitis, & sicut inter agricolam & vitem, ita etiam
inter patrem & filium diuinitatis creditis esse di-
stantiam, geminam filio, geminam patri facitis ini-
uriam. Filio, quia si secundum diuinitatem inferior
est quàm agricola, inferior etiam Paulo Apostolo,
vestra assertionem necesse est æstimetur, quia Paulus
agricolam se esse dixit, sicut habes: Ego plantauī,
Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.
Num ergo vultis, vt Paulus melior sit Dei filio? Ha-
betis vnam iniuriam. Alteram, quia si secundum
substantiam generationis æternæ vitis est filius, cum
dixerit: Ego sum vitis, vos palmites estis, vnus no-
biscum etiam illa diuinæ generatio videbitur esse
substantiæ. Sed quis similis tui in diis Domine, sicut
scriptum est. Et rursus in Psalmo: Quoniam quis in
nubibus æquabitur Domino, aut quis similis erit
Domino inter filios Dei? Nec tamen soli filio dero-
gatis, sed etiam patri. Nam si in agricolæ nomine
omnis paternæ prærogatiua est potestatis, cum e-
tiam Paulus agricola sit, patri vtique (cui filium ne-
gatis æqualem) Apostolum comparatis. Denique
cum scriptum sit: Sed neque qui plantat est quic-
quam, neque qui rigat, sed qui dat incrementum
Deus, in eo nomine vos summam paternæ maiesta-
tis locabitis, quod videtis infirmum. Si enim qui
plantat & qui rigat nihil est, sed qui dat incrementū
Deus: videte quid vestra asserere moliat impietas,
vt & pater nomine sit contemnendus agricolæ, &
Deus aliquis incrementū paterno operi qui tribuat
requirendus. Impiè igitur ex nomine agricolæ Dei
patris præferendam existimant potestatem, in quo
sit patri Dei cum homine appellationis commune
consortium. Quid autem egregium si ei (vt vul-
tis hæretici) filio præferatur, cuius diuina substantia
ab

Ioan. 15.

Hierem. 11.

Hier. 2.

1. Cor.

Ioan. 11.

Psal. 88.

1. Cor.

ab humana conditione non discrepet? Nam si vitem
filium secundum diuinam substantiam appellatum
putatis, non solum corruptelæ incertisque elemen-
torum obnoxium iudicatis, sed etiam humanæ tan-
tummodo consortē naturæ, quia vnus naturæ sunt
vites & palmites, vt non per incarnationis sacramē-
tum carnem Dei filius assumpsisse videatur, sed
principium sumpsisse de carne. Ego autem dicam
planè, carnem eius licet nouo generationis myste-
rio, vnus tamen naturæ fuisse nobiscum, & hoc sa-
lutis nostræ sacramentum esse, non diuinæ genera-
tionis exordium. Vitis enim est, qui meas sustinet
passiones, quando quidem in illo nixa fragilis prius
humana conditio secundis rediuiuæ fructibus pie-
tatis adoleuit. Veruntamen si te pompa delectat a-
gricolæ, dicas velim, quis ille sit qui locutus sit in
propheta: Domine notum mihi fac vt sciam, tunc
vidi cogitationes eorum. Ego vt agnus ductus sum
innocens ad immolandum & nesciebam, aduersum
me cogitauerunt consilium, dicentes: Venite mitta-
mus lignum in panem eius. Si enim filius incarna-
tionis futuræ loquitur sacramentum quod impium
est vt de patre credas, filius est vtique qui supra di-
xit: Ego plantauī te vitem fructiferam, quomodo
conuersa es in amaritudinem vitis alienæ. Itaque &
filium vides esse agricolam, vnus nominis cum pa-
tre, vnus operis, vnus dignitatis atque substantiæ.

A Ergo si agricola & vitis est filius, vitem vtique se-
cundum incarnationis accepimus sacramentum.
Sed non solum se esse vitem dixit, sed etiam botrio-
nem voce prophetica nuncupauit, tunc quando ad
vallem botrionis exploratores Moyses iussu Domini
direxit. Quæ est illa valis nisi humilitas incarna-
tionis & fœcunditas passionis? Et puto botrionem
ideo dictum, quia ex vinea illa translata ex Ægypto,
hoc est, ex familia Iudæorum, utilis mundo fructus
emicuit. Nemo certè botrionem potest ad genera-
tionem referre diuinam, aut qui refert aliud nihil
relinquit, nisi vt botrionem illum natum ex vite
credamus. Itaque adscribit insipiens patri, quod re-
prehendit in filio. Verum si iam dubitari non potest
quod vitis secundum incarnationem Dei filius no-
minatus sit, videtis secundum quod sacramentum
Dominus sit locutus, quoniam pater maior est me.
Nam cum hoc in superioribus dixerit, continuò
subiecit: Ego sum vitis vera, & pater meus agri-
cola est, vt agnosceres secundum id patrem esse
maiolem, quia sicut agricola vitium, ita pater do-
minicæ carnis est cultor, quæ & augeri potuit per
ætatem, & per passionem recidi, vt omne huma-
num genus ab æstu secularium noxio voluptatum,
diffusæ salutaribus brachiis crucis vmbra vela-
ret.

Num. 15.

Num. 22.

Psal. 79.

Ioan. 14.

FINIS.

Capitula libri quinti de Fide.

- De intentione authoris & transitu ad hunc quintum librum. Et qua ratione quinque libros de patris ac filij & Spiritus sancti inseparabili diuinitate digesserit. De postulatione quoque veniæ si quos prolixitas huiusce sermonis offenderit, cum excusatione sui, & ministrorum Dei inæqualitate atque commendatione. **Cap. I.**
- De ampla ac disertâ confutatione impiorum Arrianorum dicentium Christum à solo & vero Deo separatum, per rationes & testimonia scripturarum, quibus euidenter comprobatur quod cum de Deo solus legitur, nequaquam à patre filius separetur. **Cap. II.**
- De solutione obiectionis qua argui potest inæqualitas patris & filij ex hoc quod filius Deum patrem adorare legitur. De solutione quoque atque confutatione obiectionis Arrianorum qua probare conantur dissimilitudinem patris & filij ex responsione eiusdem filij data ad ea quæ mater filiorum Zebedi postulabat. **Cap. III.**
- De redargutione eorum qui unitatem in diuinitate negare cupientes, extenuare student patris & filij charitatem ex hoc quod scriptum est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Quomodo etiam intelligendum sit quod filius missus dicitur, & quemadmodum Dominum dicat, quem patrem nouit cum diuersorum hæreticorum condemnatione qui ex falsa superiorum intelligentia errauerunt. **Cap. IIII.**
- De confutatione Arrianorum qui ideo aliam patris, aliam filij, aliam Spiritus sancti dicunt esse potestatem, quia scriptum sit: Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti, ex verborum ordine differentiam diuinæ potestatis facientes. Qui præterea idcirco negant in Christum esse credendum quod scriptum sit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit, **Cap. V.**
- Quod non debeamus deducere filium in hanc humilitatem, vt nisi quæ audierit, facere aut loqui nesciat, cum Arrianorum confutatione. Et vnde maximè unitatem diuinæ maiestatis intelligere possimus. Quibus etiam rationibus Dei filius creatura dici non possit. **Cap. VI.**

Quemadmodum intelligere debeamus filium esse subiectum patri, cum hereticorum condemnatione. Quomodo etiam non solus Deus pater filio, sed & filius ipse sibi subiecerit omnia. Et qua de causa filius subiectus sit in nobis. Quodque eadem sit charitas Dei patris & Christi. Quod præterea nihil sit quod diuinitas sempiterna non possit, nihil quod lateat veritatem, fallat iustitiam, prætereat sapientiam.

Cap. VII.

De condemnatione execrabilium Arrianorum dicentium quod Dei filius nesciat tempora & annos, argumentorumque suorum destructione, cum finali & conclusiua confutatione erroris eorundem, quo asserunt filium esse minorem patre. Cap. VIII.

De humili ac deuota authoris ad Deum patrem conuersione rectæque fidei confessione, cum disertissima huius operis conclusionem, ad laudem & gloriam inestimabilis, inenarrabilis, incircumscriptæ & immensæ ac sanctissimæ trinitatis, perfidissimorumque Arrianorum confusionem & damnationem. Cap. IX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE FIDE AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER V.

De intentione authoris & transitu ad hunc quintum librum. Et qua ratione quinque libros de patris & filij & Spiritus sancti inseparabili diuinitate digesserit. De postulatione quoque veniæ si quos prolixitas huiusce sermonis offenderit, cum excusatione sui & ministrorum Dei inaequalitate atque commendatione.

CAPVT I.

VISNAM est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tēpore cibum? Beatus ille seruus, quem veniens Dominus eius inuenerit sic facientem. Nō vilis hic seruus est. Magnus aliquis esse debet. Quis sit iste consideremus. Est Petrus ipsius Domini ad pascendum gregem lectus iudicio, qui tertio meretur audire: Pasce agniculos meos, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas. Itaque pascendo bene cibo fidei gregem Christi, culpam lapsus prioris aboleuit. Et ideo tertio admonetur vt pascat, tertio vtrum Dominum diligat, interrogatur, vt quem tertio ante crucem negauerat, tertio fateretur. Beatus & ille seruus qui potest dicere: Lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis. Nouit enim quos quemadmodum pascat. Quis nostrum potest verè dicere: Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrificam? Et tamen ille tantus ad curam gregis electus à Christo, qui fanaret infirmos, curaret inualidos, hereticum à commisso sibi ouili statim post vnam correptionem repellit, ne vnus erraticæ ouis scabies serpenti vlcere totum gregem contaminet. Iubet præterea stultas quæstiones & contentiones esse vitandas. Quid igitur nos agemus, inter messis antiquæ noua zizania, imprudentes accolæ constituti? Si taceamus, cedere videbimur. Si contendamus, verendum est, ne nos quoque iudicemur esse carnales. Scriptum est enim de huiusmodi quæstionibus, quod generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem,

Matth. 24.

Ioan. 21.

1. Cor. 3.

1. Cor. 9.

Ad Tit. 3.

Ibidem.

2. Tim. 2.

cum modestia docentem eos qui resistunt. Et alibi: Si quis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Eoque scribere aliquid sententiæ fuit, vt sine strepitu aliquo impietati hereticorum nostra pro nobis scripta respondeant. Quintum itaque imperator Auguste hunc librum paramus ordiri. Nam & quartum librum oportuit in illa vitis disputatione finiri, ne coaceruasse magis librum eundem quodam videremur quæstionum tumultu, quam fructu spiritalis vineæ repleuisset, nec in consummatam fidei vindemiam tantis adhuc superfluentibus disputationibus decuit derelinqui. Quinque igitur libros de patris ac filij & Spiritus sancti inseparabili diuinitate digessimus, sequestrata interim pleniore disputatione de Spiritu sancto, prouocati magisterio euangelicæ lectionis, vt credita nobis quinque fidei talenta quasi quadam horum quinque sorte librorum humanis foeneremur affectibus, ne fortè cum venerit Dominus, & inuenerit in terra absconditam pecuniam suam, dicat mihi: Serue male & piger, sciebas quod meto vbi non semino, & congreuo vbi non sparfi, oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem quod meum est. Aut quemadmodum in alio libro est: Et ego, inquit, veniens cum vsuris vtique exegissem. Date ergo veniam si quos prolixioris huiusce sermonis offendit audacia. Officij contemplatio cogit credere quod accepimus. Dispensatores sumus mysteriorum cœlestium. Ministri sumus, non ex æquo omnes, sed vniciuique, inquit, sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Vnuiquisque igitur enitatur vt mercedem possit accipere secundum suum laborem. Dei enim sumus (vt Apostolus ait) cooperarij, Dei cultura, Dei ædificatio. Beatus itaque ille qui tales foeneris sui cernit vsuras. Beatus & ille qui fructus sui operis intuetur. Beatus quoque qui superædificat supra fundamentum fidei, aurum, argentum, lapides preciosos. Vos nobis estis omnia qui hæc auditis & legitis. Vos foeneratores vsuræ, verbi

1. Cor. 11.

Matth. 20.

Ioan. 10.

3. Reg. 18.

Matth.

Luca 19.

1. Cor. 3.

Ibidem.

verbi vsuræ, non pecuniæ. Vos agricolæ redditus. Vos ædificatores, aurum, argentum, lapidésque preciosos superædificâtes. In vestris meritis sacerdotalis summa laboris est. In vestris animis fructus episcopalis operis enitescit. In vestris profectibus, aurum Domini refulget, multiplicatur argentum, si eloquia diuina teneamus. Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septulum. Vos ergo facietis foeneratorem diuitem, agricolam fructuosum. Vos peritum probabitur architectum. Non arroganter dico, quia non tam mea sunt quam vestra quæ voueo. O si mihi liceat securè de vobis nunc temporis dicere: Domine quinque talenta mihi dedisti, ecce alia quinque lucratus sum, & ostendere vestrarum talenta preciosa virtutum. Habemus enim thesaurum in vasis fictilibus. Hæc sunt talenta quæ iubet Dominus spiritaliter foenerari. Aut duo ara noui & veteris testamenti, quæ spoliato illi à latronibus Samaritanus ille euangelicus ad curanda vulnera dereliquit. Neque ego fratres voti auarus ideo hæc opto, vt supra multa constituar. Sat est mihi præmium de vestro profectu. Vtinam non indignus eo inueniar quod accipi, ea quæ sunt me maiora melioribus tribuendo, nō exigo. Licet soleas Domine dicere: Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Accipiat potestatem supra decem ciuitates qui meretur. Sit ille talis qualis Moyses qui legis decem verba conscripsit. Sit ille Iesus Naue, qui subegit quinque reges, & ciuitates in deditioem accepit, vt esset typus venturum eius nominis virum, cuius imperio corporales omnes deliciae vincerentur, conuerterentur gentes vt fidem Iesu Christi magis quam pristina studia sua & vota sequerentur. Sit ille Dauid, cui occurrerunt psallentes iuuenulæ, dicentes: Saul triumphauit in milibus, Dauid in decem milibus. Mihi sat est, si non in exteriores tenebras extrudat, quemadmodum ille qui commissum sibi talentum in terra quadam suæ carnis abscondit: Sicut principes synagogæ cæteri que principes Iudæorum. Qui credita sibi eloquia Dei, humo quadam sui corporis occuparunt, delitiis que carnis intenti, quasi in quadam exaltati cordis foueam foenus cœleste merferunt. Nos igitur non intra latibula carnis absconditam Domini teneamus pecuniam vel mnam illam in sudario responamus: sed tanquam boni nummularij cū sudore quodam mentis & corporis æquo & parato semper libremus affectu, vt propè sit verbum in ore tuo & in corde tuo. Hoc verbum Dei preciosum est talentum quo redimeris. Hæc est pecunia per mēsas animarū sæpe cernenda, vt frequenter agitando in omnem terram bonorum sonus possit exire nummorum, per quam vita paratur æterna. Hæc est autem vita æterna quam largiris omnipotens pater, vt cognoscamus te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Psalm. 11.

Mat. 25.

2. Cor. 4.

Luca 10.

3. Reg. 18.

Matth.

Luca 19.

1. Cor. 3.

Ibidem.

De ampla ac diserta confutatione impiorum Arrianorum dicentium Christum à solo & vero deo separatum.

CAP. II.

Vnde aduertant Arriani quàm impij sunt qui de spe nostra & voto nobis faciunt quæstiones. Et

quoniam hic præ cæteris vociferari solent dicentes: separatam à solo & vero Deo Christum, intellectus impios pro nostris viribus confitemus. Hoc enim loco magis intelligere debet, quod hæc vtilitas, hæc merces est perfectæ virtutis, hoc diuinum & incomparabile munus, vt cognoscamus cum patre Christum, nec separemus à patre filium, sicut scriptura non separat. Nanque hoc magis ad vnitatem, quam ad distantiam diuinæ potestatis: Quod idem præmium vnum honorem nobis dat patris filijque cognitio. Quoniam mercedem habere non poterit, nisi qui & patrem cognouerit & filium. Sicut enim patris, ita filij cognitio vitam acquirit æternam. Itaque sicut in principio statim verbum cum Deo patre pia cōfessione iunxit euangelista, dicens: Et verbum erat apud Deum: ita & hic scribendo verba Domini: Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: coniunctione illa, patrem vtique copulauit & filium, vt Christum verum Deum à maiestate patris nemo fecernat. Nunquam enim cōiunctio separat. Et ideo dicendo: Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, & Sabellianos interfecit, & Iudæos excludit: Eos vtique qui audirent loquentem: Ne aut illi eundem patrem putarent esse quem filium, si nō addidisset & Christum: aut isti à patre filium separarent. Quæro autem cur non sic putent subaudiendum, & ex superioribus colligendum, vt quod præmisit, solum verum Deum patrem, subaudiamus etiam Iesum Christum solum verum Deum. Exprimendum enim alterum non fuit, ne duos Deos dicere videretur. Nam neque duos dicimus Deos, & eiusdem cum patre diuinitatis filium cōfitemur. Itaque quæramus qua ratione diuinitatis hic putent factam esse distantiam, vtrum Deum negent Christum? Sed negare non possunt. An verum Deum negent Christum? Sed dicant, si verum negant, vtrū falsum an nuncupatiuum Deum iudicent. Nam secundum scripturas, aut verus Deus est, aut tantummodo nuncupatiuus, aut falsus. Verus vt pater, nuncupatiuus vt sancti, falsus vt demones atque simulacra. Dicant igitur qua filium Dei confessione designet, vtrum falso præreptum Dei nomen, an vero, quasi nuncupatiuo, inspirationem tantum diuinitatis inesse arbitrantur? Falso præreptum nomen non puto quod dicant, vt apertiore se crimine impietatis inuoluant, ne vt demoniis & simulacris, ita etiam Christo falso Dei inditum nomen insinuando se prodant. Sin autem ideo dictum putant Deū, quod inspirationem diuinitatis habuit, sicut & multi sancti viri (eos enim scriptura Deos dixit, ad quos sermo fiebat Dei) ergo non vltra homines eum præferunt, sed comparandum hominibus arbitrentur, vt hoc eum putent esse quod hominibus ipse donauit, dicens ad Moysen: Posui te in Deum Pharaoni. Vnde & in psalmo dictum est: Ego dixi diis estis. Et hæc tamen sacrilegorum opinionem Paulus excludit qui ait: Nam & si sunt, qui dicantur dii, siue in cœlo siue in terra. Non dixit sunt dii, sed sunt qui dicantur. Christus autem, sicut scriptum est, heri & hodie ipse est. Est inquit, hoc est, non solum nomine, sed etiam veritate. Et bene scriptum est: heri & hodie ipse est, vt Arrij impietas astruendi sacrilegij

Ioan. 1.

Ioan. 17.

Ioan. 10.

Exod. 7.

Psalm. 81.

1. Cor. 8.

Hebr. 13.

Psal. 2.

Exod. 3.

2. Cor. 1.

Galat. 4.

Iob 9.

Prouerb. 8.

Hebr. 1.

Prouerb. 3.

Iob 9.

Matth. 14.

locum inuenire non posset. Qui cum legeret in psalmo secundo, dicentem filio patrem: Filius meus es tu, ego hodie genui te: adnotauit hodie non heri, ad æternitatem diuinæ generationis referens, quod de carnis assumptione memoratum est. Sancto igitur spiritu repletus Apostolus, vt illam elideret scruitatem, ait: Heri & hodie ipse est & in sæcula. Heri propter æternitatem, hodie propter corporis susceptionem. Est ergo Christus, & est semper. Qui enim semper est, est. Christus autem semper est, de quo dicit Moyses: Qui est misit me. Erat utique Gabriel, erat Raphael, erant angeli, sed semper esse qui aliquando non fuerint, nequaquam pari ratione dicuntur. In Christo autem (sicut legimus) non fuit est, & non, sed est in illo fuit, vnde verè Dei solius est esse, qui semper est. Ergo si & nuncupatiuum Deum non audent dicere, & falsum eum dicere maioris est impietatis, restat vt Deus verus sit, veri patris non dissimilis, sed æqualis. Qui cum & iustificet & sanctificet quos velit, non foris assumens, sed in se habens sanctificandi potestatem, quomodo non est verus Deus? Nam Apostolus eum utique verum Deum dixit, qui naturaliter verus Deus esset, sicut habes: Quia tunc, inquit, nescientes Deum, seruisistis his qui natura non erant dii, hoc est, qui veri dii esse non poterant, quibus hoc naturaliter minimè suppetebat. Verum copiosè iam verum Deum Christum in superioribus libris scripturarum lectionibus approbauimus. Ergo si Christus (vt edoctum est) Deus verus est, quæramus qua ratione, cum solum verum Deum patrem legunt, à patre filium cupiunt separare? Si dicunt quod verus solus Deus pater est, negare non possunt, quod & filius solus Deus veritas est, & quod Christus veritas est. Nunquid veritas vero minor est, cum secūdam appellationem nominum, verus plerūque à veritate dicatur, sapiens à sapiētia, iustus à iustitia? Hoc nos inter patrem non sentimus & filium: quia & patri nihil deest quia pater est verax: & filius quia veritas est, æqualis est vero. Vt sciant autem cum solum legunt nequaquam esse à patre filium separandum, meminerint in prophetis à Deo dictum: Ego extendi cælum solus. Et utique non extendit sine filio pater. Ipse enim filius qui sapientia Dei est, dixit: Quando parabat cælos, cum ipso aderam. Et Paulus de filio dictum esse confirmat: In initio terram tu fundasti domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Siue ergo filius cælum fecit, sicut & Apostolus voluit intelligi, & ipse utique non sine patre cælum solus extendit. Siue vt in Prouerbiis habes: Deus in sapientia fundauit terram, parauit autem cælos in intellectu: ostenditur quod nec pater solus sine filio cælos fecit, nec sine patre filius, & tamen qui cælum extendit solus dicitur. Quam verò id & de filio apertè intelligendum sit, quod solus appelletur, & si nunquam incio patre aliquid fecisse credatur, etiam alibi habes vbi scriptum est: Extendens cælum solus, & ambulans quasi in pauimento super mare. Namque euangelium Domini docuit nos, quod in mari non pater, sed filius ambulauit, quando Petrus rogauit eum, dicens: Domine iube me venire ad te. Sed etiam prophetia ipsa documento est. Sanctus enim Iob aduentum Domini prophetabat, de quo verè dixit,

quod magnum cœtum erat debellaturus, & factum est. Nam feralem illum cœtum, Zabulum scilicet, vltimis temporibus venerabilis corporis sui passione prostratum perculit & afflixit. Est ergo solus & verè Dei filius. Hæc enim & filio prærogatiua defertur. De nullo enim qui creatus est, propriè dici potest quod solus. Nam cui inest communitas creaturæ, quemadmodum quasi solus potest à cæteris separari? Itaque homo rationalis videtur inter omnia terrena animantia, sed tamen non est solus rationalis. Scimus enim rationalia esse & cœlestia opera Dei, angelos & archangelos rationabiles confitemur. Si ergo angeli rationabiles, non utique solus rationalis homo dicitur. Sed dicunt solum dici posse solè, quia sol alter non est. Sed & ipse sol habet communia multa cū stellis, quod percurrit cœlum, quod æthereæ illius cœlestisque substantiæ est, quod creatura est, quod inter omnia Dei opera computatur, quod cum omnibus Deo seruit, cum omnibus benedicit Deum, cum omnibus laudat. Non ergo solus propriè dicitur, quod nec à cæteris separatur. Itaque cum patris & filij spiritusque sancti diuinitati, quæ sola non inter omnia sed super omnia est, nulla possit creatura conferri (vt de spiritu interim assertio referretur) sicut pater dicitur solus Deus verus, cui nihil commune cum cæteris, ita etiam solus est filius imago veri Dei, solus dextera patris, solus virtus Dei atque sapientia. Solus ergo filius facit & sicut pater, quia scriptum est: Quæcumque facio ipse facit. Cum enim vnum opus sit patris & filij, bene de patre & filio dicitur, quod Deus solus operatus est, vnde etiam cum creatorem dicimus & patrem & filium confitemur. Nam utique cum Paulus diceret: Qui seruiuerunt creaturæ potius quam creatori, nec patrem creatorem negauit ex quo omnia, nec filium per quem omnia. A quo alienum utique non videtur, quod scriptum est: Qui solus habet immortalitatem. Quomodo enim immortalitatem non habet, qui vitam habet in semetipso? Habet utique in natura, habet in substantia, & habet non per gratiam temporalem, sed per sempiternam diuinitatem, habet non ex dono quasi seruus, sed ex generationis proprietate quasi filius cœternus. Et habet sicut pater. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, ita & filio dedit vitam habere in semetipso: sicut habet, inquit, sic dedit. Didicisti supra quemadmodum dederit, ne putares esse gratiæ largitatem, vbi generationis arcanum est. Cum ergo inter patrem & filium vitæ nulla distantia sit, quemadmodum quod immortalitatem solus habeat pater, filius non habeat, æstimari potest? Vnde intelligunt nec hoc loco à solo vero deo patre filium separandum, quia probare non possunt, quod solus & verus dei filius non sit, cum præsertim & hic aut subaudiatur (vt diximus) & Christum solum verum Deum esse, aut certè aliud ad diuinitatem patris & filij, aliud ad incarnationem Christi relatum intelligendum sit, quia non est perfecta cognitio nisi quæ & secūdam æternitatem vnigenitum Deum verum Dei filium Iesum Christum, & secundum carnem generatum ex virgine confitetur. Quod alibi hic ipse Euangelista nos docuit, dicens: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, de Deo est. Denique quam

141

Ioan. 17.

Matth. 4.

Ioan. 14.

Prouerb. 30.

Rom. 1.

1. Tim. 3.

Ioan. 1.

Psal. 117.

1. Ioan. 4.

quàm non alienum sit etiam incarnationis hoc loco intelligere sacramentum, docet nos ipsius series lectionis. Sic enim habes: Pater venit hora, clarifica filium tuum, utique cum & horam venisse commemoret, & clarificari petat, quomodo nisi secundum carnis assumptionem locutum eum conuenit æstimari? Nam nec vlla sibi temporum præscripta momenta diuinitas habet, nec clarificatione indiget lumen æternum. Ergo in solo vero Deo patre, & filium Dei solum verum secūdam diuinitatis intelligimus vnitate, & in Iesu Christi nomine, quod ex virgine natus accepit, incarnationis agnoscimus sacramentum. Quod si cum solum verum Deum patrem legunt, filium cupiunt separare, ergo cum de filij incarnatione legunt: Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificatibus, qui factus est in caput anguli. Et infra: Nō est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oportet vos saluos fieri, patrem existimant ab imperitiendæ nobis salutis beneficio separandum. Sed neque sine patre salus, neque vita æterna sine filio. Sed asserunt Arriani: si solum verum Deum sicut patrem, ita & filium dicitis, & vnus substantiæ patrem & filium confitemini: non vnum Deum, sed duos Deos inducitis: quia qui vnus substantiæ sunt, non vnus Deus, sed duo dii videntur, sicut duo homines, aut duæ oues pluresque dicuntur, homo autem & ouis, nec duo homines dicuntur, nec duæ oues, sed vnus homo, & vna ouis. Hæc Arriani dicunt, & hac disputatione versuta simpliciores capere nituntur. Tamè si legamus scripturas diuinas, inueniemus pluralitatem magis in ea cadere, quæ diuersæ discretæque substantiæ sunt, hoc est, ἐρεψοσις. Idque in Salomonis libris habemus expressum, eo loco scilicet in quo dicit tria sunt impossibilia intelligere, & quartum non agnosco. Vestigia aquilæ volantis, & viam serpentis supra petram, & semitas nauis nauigantis, & vias viri in iuuentute. Utique aquila & nauis & serpens vnus non sunt generis atque naturæ, sed differentis discretæque substantiæ, & tamen tria sunt. Contra se igitur sua esse intelligant argumeta testimoniis scripturarum. Itaque dicendo, patris & filij discretam esse substantiam, differentemque deitatem, duos utique ipsi Deos asserunt. Nos autem cum & patrem confitemur, & filium asserendo: tamen vnus esse diuinitatis, nō duos Deos, sed vnum Deum dicimus. Et hoc dominicis eloquiis approbamus, quia ibi plures sunt, vbi aut naturæ aut voluntatum & operationum est differentia. Denique vt suis sibi testimoniis reuincantur, duo homines dicuntur, quia licet vnus naturæ sint iure nascendi, tamen & tēpore & cogitatione & opere & loco distāt, & ideo nō potest vnus homo dici in significatione & numero duorum, quia non est vnitas, vbi est diuersitas, vnus autem Deus dicitur, & patris & filij ac Spiritus sancti gloria & plenitudo signatur. Denique tanta veritas vnitatis est, vt etiam quando natura sola generationis aut carnis significatur humanæ, & vnus homo de multis dicatur, sic habes: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, id est, non vna persona hominis, sed vna caro & vna fragilitas generationis humanæ. Et addidit: Bonum est sperare in Domino quàm sperare in homine. Nec hic utique specialem hominem, sed generalem conditionem

A designauit. Denique statim subiecit de pluribus: Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in principibus. Sed vbi homo dicitur, naturæ interdum, vt supra diximus, communis inter omnes vnitas significatur: vbi principes, variarum quedam differentia potestatum est. Sed inter homines aut in hominibus vnus alicuius rei vnitas est, aut charitatis, aut cupiditatis, aut carnis, aut deuotionis & fidei. Generalis autem vnitas, & quæ in se secundum diuinitatis gloriam complectatur omnia, solius est patris & filij & Spiritus sancti. Vnde & Dominus cum diuersitatem inter se hominum designaret, qui nihil habent inter se quod possit ad vnitatem indiuiduæ substantiæ pertinere. In lege vestra, inquit, scriptum est, quod duorum hominū testimonium verum est. Et cum præmississet, duorum hominum testimoniū verum est, vbi venit ad suum & patris testimonium, non dixit, verum est testimonium nostrū, quia duorum deorum testimonium est: sed ego, inquit, sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimoniū perhibet de me qui misit me pater. Supra quoque similiter ait: Et si iudico ego, iudiciū meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Itaque & infra & supra & patrem signauit & filium, nec pluralitatem admiscuit, nec diuinæ vnitatem substantiæ separauit. Euidens est igitur, quia quod vnus est substantiæ, separari non potest, etiā si non sit singularitatis, sed vnitatis. Singularitatem hanc dico, quæ Græcè μονοτης dicitur. Singularitas ad personam pertinet, vnitas ad naturam. Ea verò quæ diuersæ substantiæ sunt, non solum vnum, sed etiam plura dici solere, licet iam ex prophético claruerit testimonio, expressius tamen ipse Apostolus declarauit, dicens: Nā etsi sunt qui dicantur dii, siue in cœlo siue in terra. Vides igitur quod hi qui ex diuersis substantiis sunt, & non ex vnus veritate naturæ, dii appellantur. Pater autem & filius quia vnus substantiæ sunt, non duo dii, sed vnus Deus. Pater ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia. Vnus, inquit, Deus pater & vnus Dominus Iesus. Et supra, Vnus Deus non duo. Et infra: Vnus Dominus & non duo: pluralitas ergo excluditur nō vnitas sequestratur. Sed quemadmodum cum legimus Dominum Iesum, nec patrem (vt supra diximus) à dominationis iure secerimus, quod ei commune cum filio est: ita cum legimus solum verum Deum patrem, nec filium à solius veri Dei iure possumus separare, quod ei commune cum patre est. Aut dicant quid aliud sentiant, quidve arbitrentur, cum legimus: Dominum Deum tuum à dorabis, & illi soli seruis: vtrum Christum non adorandum, & Christo non existiment seruiendum? Quod si illa quæ adorauit eum Chanaanæ impetrare meruit, quod poposcit. Et Paulus apostolus, qui seruum se Christi prima scriptorum suorum præfatione profiteretur, apostolus esse meruit, non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum: dicant quid arbitrentur sequendum: vtrum cū Arrio malint sibi societatem esse perfidiæ, vt solum & verum Deum Christum negando ostendant, quod nec adorandum eum, nec seruiendum ei iudicent: An verò consortium malint habere cum Paulo, qui seruido atque adorando etiam Christum,

Ioan. 8.

Ibidem

1. Cor. 8.

Matth. 4.

Matth. 15.

Rom. 1.

Galat. 1.

vtique solum verum Deum voce affectuque non differebatur, quem pio seruitio fatebatur.

De solutione obiectionis qua argui potest inaequalitas patris & filij. CAP. III.

Qvod si quis dicat: Quoniam Deum patrem adoret & filius, quia scriptum est: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, confideret quando & apud quem & cuius suscepto loquatur affectu. Denique & in superioribus non immerito praemissum est, quod Iesus fatigatus ex itinere sedebat & a Samaritana bibere postulabat, quia secundum carnem hominis loquebatur. Nam secundum diuinitatem nec fatigari poterat nec sitire. Deinde cum Samaritana quasi Iudaeum appellaret, & prophetam putaret, quasi Iudaeus qui spiritaliter mysteria legis doceret, respondit dicens: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus. Nos inquit, hoc est, se hominibus copulauit. Quomodo autem nisi secundum carnem hominibus copulatur? Et ostenderet quod secundum incarnationem responderat, addidit: Quia salus ex Iudaeis est. Sed statim post hoc sequestrauit hominis affectum, dicens: Veniet, inquit, hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem. Non dixit adorabimus. Quod vtique dixisset, si consortium nostri subiret obsequij: verum cum legerimus, quod Maria adorauit eum, intelligere debemus quod non potest per eandem naturam & adorare quasi seruus & quasi adorari Dominus, sed potius quod vt homo inter homines adorare dicitur, & quasi Dominus a famulis adoratur. Multa ergo secundum incarnationis legimus & credimus sacramentum. Sed in ipsa naturae humanae affectione, maiestatem licet spectare diuinam. Fatigatur ex itinere Iesus, vt reficiat fatigatos. Petit bibere, sitientibus potum spiritalem daturus. Esurit, cibum salutis esuriētibus traditurus, moritur viuificaturus, sepelitur resurrectorus. Tremulo pendet in ligno, confirmaturus tremētes. Caelum caligine obducit, vt illuminet. Terras tremefacit, vt solidet. Maria conturbat, vt mitiget: Refert tumulos mortuorum, vt ostendat domicilia esse viuorum. Creatur ex virgine, vt ex Deo natus esse credatur. Nescire se simulat, vt scire faciat nescientes. Adorare quasi Iudaeus dicitur, vt quasi verus Dei filius adoretur. Quomodo, inquiunt, filius Dei, solus verus Deus potest esse similis patri, cum ipse dixerit filiis Zebedaei: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo? Hoc igitur vestrum diuinæ, vt vultis, inaequalitatis est argumentum, cum in eo magis venerari Domini clementiam, adorare gratiam deberetis, si tamen virtutis atque sapientiae Dei profunda secreta possētis aduertere. Considerate enim quae cum filiis & pro filiis petat, mater est vtique, cui pro filiorum honore sollicitae immoderatio quidē, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater aetate longæua, studio religiosa, solatio destituta, quae tunc temporis quando vel iuuanda vel alenda foret validae prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suae, mercedem sequentium

Ioan. 4.

* dom. & filij ador.

Matth. 20.

Matth. 20.

Matth. 20.

Matth. 20.

Matth. 20.

Matth. 20.

Christum praetulerat filiorum. Qui prima voce vocati a Domino (vt legimus) relictis retibus & patre sequuti sunt eum. Haec igitur studio maternae sedulitatis indulgentior, obsecrabat saluatorem dicens: Vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo. Et si error, pietatistamen error est. Nesciunt enim materna viscera patientiam: & si voti auara, tamen venerabilis cupiditas, quae non pecuniae est auida, sed gratiae. Nec inuerecunda petitio, quae non sibi, sed liberis consulebat. Matrem considerate, matrem cogitate. Sed nihil mirum si vilis vobis videtur circa filios affectus parentum, qui etiam omnipotentis patris vilem putatis esse circa vnigenitum filium charitatem. Dominus caeli atque terrarum verecundabatur (vt secundum assumptionem carnis & virtutes animae loquar) verecundabatur, inquam, & vt ipsius verbo vtar, confundebatur, matri pro filiis postulanti etiam suae sedis consortium denegare. Vos aeterni Dei filium proprium, interdum pro ministerio stare contenditis, interdum famulatorium, hoc est, non ex maiestatis vnitate, sed ex patris praeeptione vultis eius esse confessum, & negatis hoc Deo vero Dei filio, quod ille hominibus aperte noluit denegare. Considerabat enim matris dilectionem, quae filiorum mercede grandaeuam solabatur senectam, & desiderijs fessa maternis, charissimorum pignorum tolerabat absentiam. Considerate etiam foeminam, hoc est sexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmauerat passione. Considerate, inquam, Euae illius primae mulieris haeredem, transfusa in omnes immoderatae cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio sanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam, suo Christus cruore diluerat. Haereditario igitur mulier delinquebat errore. Et quid mirum si mater pro filiorum suorum (quod est tolerabilius quam pro se) quando etiam apostoli ipsi inter se (sicut legimus) de sui praelatione certabant? Non debuit igitur medicus omnium destitutam matrem, & aegram adhuc mentem, pudoris conuitio sauciare, ne postulato sibi superbius mcereret. Denique Dominus qui honorandam sciret esse pietatem, non mulieri sed filiis eius respondit, dicens: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicentibus autem illis: Possimus. Ait illis Iesus: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo. Quam patiens & clemens Dominus, quam alta sapientia & bona charitas. Volens enim ostendere quod non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam quam impetrare non possent, praerogatiuam eis paternae honorificentiae reseruauit: non metuens, ne quid iuri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: simul diligens discipulos, quod sic habes: Vtique in finem dilexit eos, noluit his quos diligeret videri quod peterent denegasse sanctus & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure quam de charitate deponere. Charitas enim patiens est, benigna est, non aemulatur, non inflatur, non querit

Matth.

Matth. 10.

Matth. 20.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Mat. 20.

Ioan. 5.

Ibid.

Ioan. 17.

Matth. 22.

Matth.

Matth.

quae sua sunt. Denique vt agnoscat, non infirmis sed indulgentiae esse quod dixit: Non est meum dare vobis, vbi sine matre filij Zebedaei rogant, nihil de patre dixit. Sic enim habes: Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Ita Marcus euangelista posuit. Vbi vero mater pro filiis rogat, hoc est secundum Matthaeum: Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus paratum est a patre meo. Hic addidit a patre meo, quia maiorem indulgentiam maternus poscebat affectus. Quod si putant, dicendo quibus paratum est a patre meo, quod aut patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogauit, dicant vtrum & illic putent patri aliquid derogatum, quia dixit in euangelio filius de patre: Pater non iudicat quenquam. Quod si sacrilegum putamus dicere quod pater ita iudicium detulit filio, vt ipse non habeat. Habet enim, nec potest amittere quod habet naturaliter diuina maiestas: sacrilegum vtique estimare debemus, quod non potest filius dare quicquid, aut homines mereri possunt, aut quaeuis accipere creatura, praerertim cum ipse dixerit: Ego ad patrem vado, & quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si enim quod pater dare potest, filius non potest, mentita est ergo veritas. Non enim potest facere quicquid in nomine eius pater fuerit obsecratus. Nec enim ideo dixit: Quibus paratum est a patre meo, vt tantummodo a patre poscant. Nam omnia quae cum a patre fuerint postulata, se donare memorauit. Denique non dixit: Quodcumque a me petieritis hoc faciam, sed quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam. Quae nunc, vtrum possibile aliquid humanae conditioni, aut alicui creaturae, an impossibile putent a Zebedaei coniuge & filiis postulatam? Si possibile, quomodo ad sinistram suam vel ad dexteram impertientiae apostolis sedis non habuit potestatem, qui omnia fecit esse cum non erant? Aut quomodo non poterat iudicare de meritis hominum, cui pater dedit omne iudicium? Notum est quemadmodum dederit. Nam quomodo quasi indiges accepit filius qui omnia creauit ex nihilo? quorum igitur naturas fecerat, eorum iudicium non habebat? Dedit autem filio pater omne iudicium, vt omnes, inquit, honorificent filium, sicut honorificant patrem. Non igitur potentia filij, sed cognitio nostra proficit. Neque aliquid ad substantiam eius accidit, sed ad nostram vtilitatem quod a nobis cognoscitur, vt cognoscendo Dei filium, vitam habeamus aeternam. Cum autem in cognitione filij Dei honor illius, noster autem non illius sit profectus, si quis putat quod Dei virtus illo honore cumulatur, necesse est etiam Deum patrem credat posse cumulari, quod & ipse per cognitionem nostram clarificatur sicut filius, iuxta quod scriptum est, dicente filio: Ego te clarificaui super terram. Ergo si possibile aliquid erat, quod petebatur, in potestate vtique filij fuit. Sed tamen ostendant qui possibile putant, quid de hominibus aut ceteris creaturis, aut ad dexteram aut ad sinistram Dei sedeat. Pater enim dicit filio: Sede a dexteram meam. Itaque si quis ad dexteram filij sedet, inter ipsum vtique & patrem (vt humano vsu loquamur) filius medius reperitur. Non ergo possibile homini aliquid petebatur, sed

noluit dicere, quod homines sedere secum non possent. Si quidem diuinam suam gloriam celare priusquam resurgeret non diuulgare cupiebat. Nam & supra cum inter famulos suos Moysen & Heliā apparuisset in gloria, monuerat discipulos ne cui dicerent quod viderent. Itaque si possibile non erat hominibus vel creaturis ceteris hoc mereri, non debet videri filius minus posse quia non dedit apostolis, quod nec pater hominibus vel creaturis dedit. Aut dicant cui horum dederit pater? Non vtique angelis, de quibus scriptura dicit: Quod omnes angeli stabant in circuitu sedis. Denique & Gabriel se stare dixit, sicut habes: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum: non ergo angelis, non senioribus qui adorant sedentem. Illi enim non supra sedem maiestatis sedent, sed (vt dixit scriptura) in circuitu sedis. Sedes enim alia viginti & quatuor sunt, vt habes in Apocalypsi Ioannis: Et supra sedem viginti quatuor seniores sedentes. In euangelio quoque ipse Dominus dicit: Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & ipsi super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Non ergo sedis suae dixit Apostolis dari posse consortium, sed alias illas sedes esse duodecim, quas tamen non pro corporali consensu, sed pro successu spiritalis gratiae estimare debemus. Denique in libro Regnorū dixit Micheas propheta: Vidi Dominū deū Israel sedentem super thronum suum, & omnis militia caeli stabat circa eum ad dexteram eius & ad sinistram. Quomodo igitur stantibus angelis ad dexteram vel ad sinistram domini dei, stante omni militia caeli, sedebunt homines ad dexteram Dei vel ad sinistram, quibus pro virtutis praemio angelorum similitudo promittitur: sicut Dominus dicit. Eritis sicut angeli in caelo? Sicut angeli, inquit, non plus quam angeli. Si ergo nihil plus dedit pater quam filius, nihil vtique minus dedit filius quam pater, nihil igitur minus filius potest quam pater. Ponite tamen possibile impetratu hominibus quod posceretur. Quid est quod ait: Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis? Quid est meum? Supra dixit: Calicem quidem meum bibetis, & infra posuit: non est meum dare vobis, & supra meum, & infra meum dixit, nec immutauit. Ergo superiora docent propter quid dixerit. Rogatus enim a muliere quasi homo, vt ad dexteram vel ad sinistram suam filios eius sedere pateretur, quia illa quasi hominem rogauerat, & Dominus quasi tantummodo homo de sua passione respondit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Itaque quia secundum carnem de passione sui corporis loquebatur, demonstrare voluit, quod secundum carnem subeundae passionis nobis exemplum ac similitudinem derelinqueret, secundum humanam autem conditionem sedis supernae consortia non donaret. Hoc est enim quod dixit, non est meum: Sicut alibi: Mea doctrina non est mea: non est enim, inquit, secundum carnem mea: quia quae diuina sunt, non sicut carnis eloquia. Indulgentiam autem suam circa discipulos quos diligeret, quam expressē reuoluit praemittēs: Calicem quidem meum bibetis. Et enim quia non debebat id dare quod petierat, aliud proposuit vt prius commemoraret quid iis tribue-

Matth. 17.

Apocalyp. 7.

Luc. 1.

Apocalyp. 4.

Mat. 19.

5. Reg. 22.

Matth. 22.

Matth. 20.

Ioan. 7.

Matth. 20.

ret, quàm quid negaret, quo magis æquitatem sibi G petitionis quàm studium dominicæ liberalitatis intelligerent defuisse. Calicem quidem, inquit, meum bibetis, hoc est, passionem quidem quæ carnis meæ est, non negabo. Quod enim humanæ assumptionis habeo, potestis imitari, donavi vobis victoriam passionis, hæreditatem crucis. Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis. Non dixit, non est meum dare: sed non est meum dare vobis: hoc est, non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis. Accipe aliter: Non est meum dare vobis. Quid est, non est meum? qui veni humilitatem docere: non est meum, qui veni non ministrari, sed ministrare: non est meum, qui iustitiam seruo, non gratiam. Denique ad patrem referens, addidit: Quibus paratum est, ut ostenderet patrem quoque non petitionibus deferri solet, sed meritis, quia Deus personarum acceptor non est. Vnde & Apostolus ait: Quos præsciuit, & prædestinavit. Non enim ante prædestinavit quàm præsciret, sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinavit. Iure igitur reprehenditur mulier, quæ & impossibilia & speciali quodam privilegio ab eo domino postulavit, quia ea quæ sanctis iudicavit esse donanda, non duobus apostolis, sed omnibus discipulis, etiam sine cuiusquam precatone, voluntaria sui largitate contulerit, sicut scriptum est: Duodecim vos sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel. Ergo etiam si possibile putemus postulatam fuisse, calumniæ locus non est: tamen cum legerim Seraphim stare, quomodo possum quod homines ad dexteram vel ad sinistram filio Dei sedeant, arbitrari? Supra Cherubim Dominus sedit, sicut habes: Qui sedes super Cherubim, appare. Quomodo apostoli super Cherubim sedebunt? Et hoc tamē coligo non ex meo ingenio, sed ex dominicæ vocis oraculo. Ipse enim Dominus in posterioribus apostolos comédans patri, ait: Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum. Vtique si iudicasset quod diuinam sedem pater hominibus daret, dixisset: Volo ubi ego sedeo & illi sedeant mecum. Sed volo, inquit, ut sint mecum, non ut sedeant mecum, & ubi ego, non quomodo ego. Deinde sequitur: Ut videant claritatem meam. Nec hic dixit, ut habeant claritatem meam, sed ut videant. Seruus enim videt, Dominus possidet. Sicut & Dauid docuit, dicens: Ut videam voluntatem Domini. Et ipse Dominus in euangelio reuelavit, dicens: Beati mundo corde: Ipsi enim Deum videbunt. Videbunt, inquit, non super Cherubim cum deo sedebunt. Desinant ergo viliora secundum diuinitatem estimare de Dei filio, ne viliora quoque de patre astiment. Qui enim malè crediderit de filio Dei, non potest bene sentire de patre: qui malè crediderit de spiritu, non potest bene sentire de filio. Vbi enim vna dignitas, vna gloria, vna charitas, vna maiestas est. In commune derogatur quicquid in aliquo putaueris derogandum. Iam enim non erit plenitudo quàm discernas & diuidas in aliquas portiones.

Matth. 10. Rom. 8.

Matth. 19.

Isa. 6.

Isa. 17.

Psa. 92.

Matth. 5.

De redargutione eorum, qui unitatē in diuinitate negare cupientes, extenuare student patris & filij charitatem ex hoc quod scriptum est: Et dilexisti eos sicut & me dilexisti. CAPVT IIII.

Existunt tamen Imperator Auguste qui in hac diuinitate unitatem substantiæ negare cupientes, extenuare student patris & filij charitatem, quia scriptum est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Quod cum dicunt, quid aliud agunt, nisi inter Dei filium & homines æqualitatem quandam comparationis inducunt? Nunquid sic diligi possunt à Deo homines quemadmodum filius, in quo complacuit pater? Ille per se complacet, nos per ipsum. In quibus enim Deus filium suum ad imaginem suam cernit, eos per filium asciscit in gratiam filiorum: ut quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem filij in adoptionem vocemur. Alius igitur naturæ amor sempiternus, alius gratiæ. Aut si ex verbis faciunt quæstionem, quia scriptum est: Et dilexisti eos, sicut & me dilexisti, & comparationem factam putant: ergo & illud comparatiuè dictum putant, Estote ergo misericordes, sicut & pater vester qui in cælis est. Et alibi: Estote perfecti, sicut & pater meus qui in cælis est, perfectus est. Quod si ille secundum plenitudinē maiestatis suæ perfectus est, nos autem perfecti secundum virtutis accidentis profectum: etiam filius diligitur à patre, secundum semper manentis plenitudinem charitatis, in nobis autem charitatem Dei, virtutis emeretur profectus. Vides igitur quam gratiā Deus dederit hominibus, & tu patris & filij vis soluere naturalem & indiuiduam charitatem: & tu verba adhuc discutis, ubi unitatem maiestatis aduertis. Video totum hunc locum, ex cuius affectu loquatur. Habes enim dicentem ipsum: Clarificame pater claritate ea quam habui priusquam mundus esset apud te: & tamen ut scires magnum Deum & salutarem & omnipotentem Dei filium, indicium suæ maiestatis admisit dicendo: Et mea omnia tua sunt, & tua mea. Omnia habet, & tu missum esse ad iniuriam deriuas, qui secundum carnem non accipis missum? Apostolus dixit, & ex verbo simplici præiudicium struis, quo dicas inferiores à superioribus miti solere. Quid ad illa respondes, quod filius ad homines missus est? Nam si minorem putas eum qui mittitur, eo videlicet à quo mittitur: discere quod & minor maiorē misit, & maiores ad minores missi sunt. Nam & Tobias Raphael archangelum misit. Et angelus ad Balaam missus est, & Dei filius ad Iudæos. Nunquid ergo minor etiam Iudæis Dei filius ad quos mittebatur? De ipso enim scriptum est: Nouissimè autem misit eis filium suum vnicum. Et vide quod ante seruos, postea filium nominavit, ut scias quod Dei filius vnigenitus secundum diuinitatis potentiam, nec nomen habet, nec consortium commune cum seruis, reuerendus mittitur, non cum famulis conferendus. Et bene addidit, meum, ut non vnus de multis, nec degeneris naturæ, aut minoris alicuius potestatis, sed verus à vero, paternæ imago venisse substantiæ crederetur. Esto tamen, minor sit qui mittitur eo à quo mittitur, ergo & Pilato minor Christus, quoniā Pilatus misit eum ad Herodē. Sed

Io. 17. Lcuit. 26. 2. Corint. 6. Gen. 11. He. 23.

Isa. 40.

Matth. 11.

Luc. 6. Matth. 22.

Psal. 109.

Io. 17.

Isa. 17.

2. Cor. 1.

Tab. 3.

Nim. 3.

Matth. 5.

i. Cor. 9.

Psal. 118.

Sed non præiudicat potestati scriptura, quæ missum à patre dicit, missum dicit à patre: Vnde si sobriè de Dei filio quæ digna sunt opinemur, ideo missum intelligere debemus quod ex illo incomprehensibili inenarrabilique secreto maiestatis profundè, dedit se cõprehendendū pro capto nostro, mētibus nostris Dei verbū, non solū cum se exinaniret, sed etiam cū habitaret in nobis, sicut scriptum est: Quoniam inhabitabo in illis. Denique & alibi habes quod Deus dixit: Venite descendamus & confundamus linguas eorum. Non enim Deus de loco aliquando decedit, qui ait: Ego cælum & terram compleo: sed in eodē affectus, sicut dixit propheta: Parate viam Domino, rectas facite semitas eius, ut quemadmodum ipse promisit, veniens cum patre, apud nos faciat mentionem. Euidentis est igitur quomodo veniat. Vnde & euidentis est quomodo Dominum dicat, quem patrem nouit. Ait enim: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ. Ante patrem dixit sapientia suū, postea creaturæ Dominum nuncupauit. Itaque dominatum non esse ubi vera progenies est, ipse Dominus ostendit in euangelio suo dicens: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis Iesus: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis? Et addidit: Si ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum. O quàm cautè propter Arrianos etiā in hoc testimonio Dominus fidei prospexit. Non enim dixit: Vocat eum spiritus Dominum: sed quod Dauid dixit in spiritu, ut cuius secundum carnem filius est Dauid scilicet, eius etiam secundum diuinitatem & Dominus & Deus crederetur. Vides igitur quod nomen pietatis dominij discretum est. Et bene Dominus suum quidem patrem, cœli autem & terræ Dominum prædicauit, ut tu cum legis & patrem & Dominum, intelligas patrē filij, & Dominum creaturæ. In alio prærogatiua naturæ est, in alio autoritas potestatis. Formam enim serui accipiens, eo vti que Dominum vocat, quo seruitutem suscepit, æqualis in Dei forma, seruus in corporis: seruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis est, vnde & Apostolus ait: Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, hoc est, deū assumptionis humanæ asserens, patrem autem gloriæ. Num enim duos filios habuit deus, Christum & gloriā? Minime. Ergo si vnus dei filius Christus, utique Christus est gloria. Quid autē ei derogas qui patris gloria est? Si ergo & filius gloria est, & pater gloria, quia pater gloriæ, non potest aliud esse quā gloria, non diuisio gloriarum, sed vna est gloria. Itaque ad proprietatem naturæ gloria refertur, dominatus ad suscepti corporis seruitutem. Si enim caro etiam iusti animæ subdita est, sicut scriptum est: Castigo corpus meum & seruituti redigo, quāto magis subiecta est diuinitati, de qua dicitur: Quoniam vniuersa seruiunt ei? Vna autem quæstione & Sabellianos & Fotinianos & Arrianos dominus excludit. Nam cum dominum cum domino dicit, Sabellius excluditur: qui eundem patrem vult esse quem filium. Excluditur Fotinus, qui secundum carnem iudicat, quia dominus dauid regis non poterat esse,

nisi qui deus est. Scriptum est enim: Dominum deū tuum adorabis, & illi soli seruiēs. Nunquid cõtra legem propheta sentiret, qui sub lege regnaret? Excluditur Arrius, quia filium sedere. audit ad dexteram patris, ut si ex vsu argumentetur humano, ipse se perimat, & venenum sacrilegæ disputationis suæ in se refundat, ut dum inæqualitatem patris & filij ex cõsuetudine hominū interpretatur, in vtroque à vero deuius, cum præferat cui derogat, confessurus priorem quam audit ad dexteram. Excluditur etiam Manichæus. Non enim negat esse se dauid filium secundum carnem, ut pote qui clamantibus cæcis: Iesu fili dauid miserere nobis, & desectatus est fide, & stetit & curauit eos: Sed negat hoc suæ esse æternitatis, si dauid solius filius à perfidis nominetur. Nam filius dei est contra Hebionem: Filius dauid est contra Manichæos. Filius dei est contra Fotinum. Filius dauid est contra Marcionem. Filius dei est contra Paulum Samosatenum. Filius dauid est contra Valentinum. Filius dei est contra Arrium atque Sabellium gentilis erroris hæredes. Dominus dauid est contra Iudæos. Qui dei filium in carne cerentes, hominem tantummodo impio furore credebant. Sed ecclesiastica fide & dei patris & dauid idem atque vnus est filius: quia incarnationis dei mysterium vniuersæ salus est creaturæ, secundum quod scriptum est: Ut sine deo pro omnibus gustaret mortem: Id est, quod creatura omnis sine passione aliqua diuinitatis, dominici sanguinis redimenda sit precio, sicut alibi habes: Omnis creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Aliud est igitur secundum diuinam substantiam: aliud secundum susceptionem carnis filium nominari. Nam & secundum generationem diuinam, deo patri æqualis est filius: & secundum susceptionem corporis, deo patri seruus est. Quia formam serui, inquit, accepit, vnus tamē atque idem est filius. Contra autē, sancto patriarchæ dauid, secundū gloriam suā dominus est, secundum corporalis successionis seriem filius est, non deficiens à se, sed nostræ ius sibi adoptionis acquirens. Nec solum ex genere dauid seruitutem suscepit in persona hominis, sed etiam ex nomine, sicut habes: Inueni dauid seruum meum. Et alibi, Ecce ego mittam ad vos seruum meum: Oriens nomen est ei. Et ipse filius ait: Sic dicit dominus qui finxit me seruum ex vtero sibi, & dixit mihi: Magnū tibi est vocari puerum meum. Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem Gentium, ut sis in salutem, vsque ad extremum terre. Cui hoc dicitur nisi Christo? Qui cum in forma dei esset, exinaniuit se, & formā serui accepit. Quid est in dei forma, nisi in diuinitatis plenitudine? discere igitur, quid sit, formam serui accepit, id est, plenitudinem perfectionis humanæ, plenitudinem obedientiæ. Ideoque dicit in psalmo, Statuisti in loco spatioso pedes meos: super omnes inimicos meos factus sum opprobrium: illustra faciem tuam super seruum tuum. Seruus dictus est homo, in quo sanctificatus est: seruus homo, in quo vnctus est: seruus homo, in quo factus sub lege, factus ex virgine est. Et ut compendio dicam, seruus dictus est, in quo matrem habet, sicut scriptum est: O domine, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Nam secundum diuinam generationem

Matth. 4.

Matth. 20.

Heb. 2.

Rom. 8.

Psa. 88.

Zacharius 3.

Isa. 49.

Phil. 2.

Psal. 30.

Ioan. 7.
Ioan. 13.

Ioan. 16.

Ioan. 8.

non matrem habet, sed patrem, nec corporalis est ventris fructus, sed sempiterna Dei virtus. Ergo etiam illud cum legimus quod dixit Dominus: Tempus meum nondum impletum est: Et, Adhuc modicum tempus vobiscum sum: Et, Vado ad eum qui me misit: Et, clarificatus est filius hominis, ad incarnationis sacramentum referre debemus. Cum autem legimus: Et Deus clarificatus est in eo: Et Deus clarificauit eum, quid ibi est quaestio, ubi & filius clarificatur a patre, & pater clarificatur a filio? Denique ut fidem vnitatis & copulam trinitatis aperiret, etiam a spiritu clarificandum esse se dixit, sicut habes: Ille de meo accipiet & clarificabit me. Clarificat ergo Dei filium etiam spiritus sanctus. Quomodo igitur ipse dixit: Si ego clarificauero me ipsum, claritas mea nihil est? ergo nihil est claritas filij. Sacrilegum est dicere nisi referas ad carnem: quia ex persona hominis filius loquebatur, eo quod comparatione diuinitatis nulla est carnis claritas. Desinat igitur impie obicere, quod in sua perfidia retorquetur. Scriptum est enim: Non nego: Nunc clarificatus est filius hominis. Sed videant quid subiectum sit. Clarificatus est filius hominis. Videant etiam quid sequatur: Et Deus clarificatus est in eo. Ego excusationem habeo de filio hominis, Ille de patre non habet, quia pater non suscepit carnem: excusationem habeo & non vtor: ille non habet, & calumniatur. Aut simpliciter me patiat intellegere, aut ad carnem referre quae carnis sunt. Pia mens, quae leguntur, secundum carnem diuinitatemque, distinguit, Sacrilega confundit, & ad diuinitatis detorquet iniuriam, quicquid secundum humilitatem carnis est dictum.

De confutatione Arrianorum qui ideo aliam patris, aliam filij, aliam spiritus sancti dicunt esse potestatem.

CAPVT V.

Matth. 28.

Ioan. 1.

Rom. 1.

Quid quod etiam more Iudaico falsi & impudentes interpretes Arriani, verborum sunt diuinorum, dicentes: vsque adeo alia patris, alia filij, alia spiritus sancti esse potestatem, ut scriptum sit: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, & ex verborum ordine differentiam diuinae faciunt potestatis? Ego autem licet hoc ipsum testimonium in superioribus libris pro vnitatem asseruerim maiestatis ac nominis, tamen si hic faciunt quaestio, possum testimoniis asserere scripturarum, in plerisque locis prius filium nominatum, postea patrem dictum. Numquid igitur quia filij significatio ante praemissa est, verborum, ut Arriani volunt, praedicio, pater secundus a filio est? Absit inquam, absit. Nescit hunc ordinem fides, nescit discretum patris & filij honorem. Non legi, non audiui, nec aliquem in Deo inuenio gradum. Nusquam secundum, nusquam tertium Deum legi, primum legi, primum ac solum audiui. Si ordinis exigimus superstitionem, nec ad dexteram patris sedere filius debet, nec primum se & principium debuit dicere. Male ergo euangelista, quia prius a verbo quam a Deo coepit dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Etenim iuxta humani ritus ordinem prius patrem debuit nomi-

nare. Nesciuit etiam Apostolus ordinem qui ait: Paulus seruulus Christi Iesu vocatus Apostolus, segregatus in euangelio Dei. Et alibi: Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio spiritus sancti. Si verborum sequamur ordinem, in primo filium posuit, in secundo patrem. Sed verborum ordo saepe mutatur, & ideo non debes vel de ordine vel de gradu, patri Deo & filio eius facere quaestio, cum secundum diuinitatem diuisio nulla sit vnitatis. Ad extremum ut Christianos se non esse manifestent, negant in Christum esse credendum, dicentes scriptum esse: Qui in me credit, non credit in me, sed in eum qui me misit. Hanc ego expectabam confessionem, quid me quibusdam ambagibus ludebatis, sciam mihi aduersum gentiles esse contentio, sed illi conuertuntur, vos non conuertimini. Illi si credant, saluum est sacramentum: vos perdidistis acceptum, & nec coeptum fortasse, sed fictum. Scriptum est inquit. Qui in me credit, non in me credit, sed in eum qui me misit. Sed videte quid sequatur, & videte sic quemadmodum se Dei filius vult videri. Sequitur enim: Et qui videt me, videt eum qui me misit, hoc est, quod pater videtur in filio. Exposuit igitur id quod ante praemisit: Quia ille credit in filium, qui confitetur & patrem. Nam qui filium nescit, nec patrem nouit. Omnis enim qui negat filium, nec patrem habet. Qui confitetur filium, & filium & patrem habet. Quid est ergo: Non credit in me? Non in id quod corporaliter cernitis, non in hominem tantummodo quem videtis. Non enim in hominem tantummodo credendum asseruit, ut credas quia Iesus Christus ipse est & Dei filius & homo. Propter quod & vtrumque ait: A meipso non veni. Et alibi: Ego sum principium quod & loquor vobis. Quasi homo a se non venit. Quasi Dei filius non ex homine principium habet, Sed sum, inquit; ipse principium quod loquor vobis. Neque humana sed diuina sunt quae locutus sum. Neque enim fas est credere, quod negauerit in se esse credendum, cum ipse dixerit: Ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et alibi: Haec est enim voluntas patris mei qui me misit, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam aeternam. Et alibi: Credite in Deum & in me credite. Nemo ergo filium sine patre accipiat, quia filium legimus. Habet patrem filius, sed non temporalem, non ex passione, non ex conceptione, non ex gratia. Generationem legi, non legi conceptionem. Et pater dicit: Genui, non dicit creauit. Et filius non creatorem suum Deum secundum aeternitatem diuinae generationis, sed patrem nominat. Se quoque nunc ex persona hominis, nunc in Dei maiestate significat: nunc vnitatem sibi diuinitatis cum Deo patre vindicans, nunc fragilitatem humanae carnis assumens: nunc doctrinam suam se non habere, nunc voluntatem suam se non quaerere, nunc testimonium suum verum non esse, nunc verum esse significans. Nam ipse dixit: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Et ipse in posterioribus ait: Et si ego testimonium perhibeo de me, verum est testimonium meum. Quomodo igitur non est verum testimonium tuum Domine Iesu, cui qui credidit, in cruce licet positus, & inter-

confessi

2. Cor. 9.

Ioan. 5.

Ioan. 11.

Ioan. 2.

Psa. 86.

Ibid.

Psal. 115.

Ioan. 7.

Ioan. 12.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

Ioan. 12.

Ioan. 4.

Ioan. 3.

confessi sceleris supplicia constitutus, merita latronis exiit, praemia innocentis emeruit? Deceptus est ergo Paulus, qui ideo recepit oculos, quia credidit, quos amiserat antequam crederet? Errauit ne etiam Iesus Naue, qui ducem militiae caelestis agnouit, sed postea quam credidit statim vicit, dignus qui fidei praelio triumpharet? Denique non aetatas acies in bella produxit, nec ariete caterisque tormentorum machinis, sed tubarum septem sacerdotalium sono, murorum hostilium septa deposuit. Ita bellum immane confecit tubae clangor, & infula sacerdotis. Vidit hoc meretrix, & quae in excidio ciuitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat, signa fidei atque vexilla dominice passionis attollens, cocum in fenestra ligauit, ut species cruoris mystici quae foret mundum redemptura vernaret. Ita foris Iesus nomen fuit praeriantibus ad victoriam intus species dominice passionis periclitantibus ad salutem. Vnde quia intellexit Raab caeleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo: Memor ero Raab & Babylonis scientibus me. Quomodo ergo non est verum testimonium tuum domine, nisi secundum fragilitatem hominum? Omnis enim homo mendax. Denique ut secundum hominem dixisse se demonstraret, ait: Qui misit me pater, ipse testimonium perhibet de me. Verum autem est testimonium secundum diuinitatem, sicut ipse ait: Et verum est testimonium meum, quia scio vnde venio, & quod vado: vos autem nescitis vnde venio & quod vado: vos secundum carnem iudicatis. Non ergo secundum diuinitatem, sed secundum hominem iudicant, qui putant Christo testificandi scientiam defuisse. Ergo cum audis: Qui credit in me, non credit in me: Et qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit: didicisti quod id putas esse referendum. Denique, mandatum quod esset, ostendit dicens: Pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed pono eam a meipso. Vides ideo dictum, ut ostenderet liberam sibi ponendam ac resumendam animae potestatem, sicut ipse dixit: Potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a patre meo. Siue igitur mandatum, siue ut aliqui Latini habent praecipuum, non utique secundum diuinitatem, sed secundum incarnationem datur, ad subeundam victoriam passionis.

Quod non debeamus deducere filium in hanc humilitatem, ut nisi quae audierit, facere aut loqui nesciat, cum Arrianorum confutatione. Cap. VI.

Haud vero in hanc humilitatem Dei filium deducemus, ut nisi quae audierit facere aut loqui nesciat, & praescriptam agendi loquendique ei putemus esse mensuram, quia scriptum est: Ex meipso non sum locutus. Et infra: Sicut dixit mihi pater ita loquor, sed ad obedientiam carnis, ut ad fidem vnitatis ista referantur. Plerique enim doctiores & audire filium & dicere aliquid filio patrem accipiunt per vnitatem naturae. Quod enim per vnitatem voluntatis nouit filius, patrem velle videtur audisse. Vnde non officium corporale, sed arbitrium indissociabile cooperationis declaratur. Neque enim verborum hic aliquem significat auditum, sed vnitatem voluntatis

atque virtutis, quae & in patre est & in filio. Quae etiam & in spiritu sancto esse memorauit alio loco dicens: Non enim loquetur a semetipso, sed quae audit loquitur: ut aduerteremus quod quicquid loquitur filius, loquitur & pater, quia vna sententia & operatio trinitatis est. Sicut enim pater videtur in filio, non utique specie corporali, sed vnitatem diuinitatis, Ita etiam pater loquitur in filio, non temporali voce, nec corporali sono, sed operis vnitatem. Denique cum dixisset: Pater qui in me manet ipse loquitur, & opera quae ego facio, ipse facit, addidit: Credite mihi, quia ego in patre & pater in me est, Alioquin propter opera ipsa credite. Hic intellectus est noster secundum diuinarum seriem scripturarum. Arriani autem qui nolunt de Deo aestimare quae digna sunt, vel apto suis meritis confutentur exemplo, haec totum carnaliter credant, cum ipsi patris sui diaboli opera incorporeally videant. Sicut de eorum confortibus Iudaeis Dominus declarauit dicens: Vos quod vidistis patrem vestrum facientem facitis, cum utique non quod diabolus operantem viderint, sed quod arbitria eius fecerint arguantur, inuisibiliter in his secundum iniquitatem suam diabolo operante peccatum. Hoc secundum Apostolum propter insipientiam posuimus perfidorum. Caeterum satis probatum est scripturarum exemplis, ad vnitatem maiestatis pertinere diuinam, quod & pater manet in filio, & ea quae loquitur filius a patre videtur audisse. Vnitatem autem maiestatis quibus aliis possumus intelligere, quam quod eadem patri & filio deferuntur? Nam quid precellentius potest dici, quam quod Apostolus dixit Dominum maiestatis crucifixum? Filius ergo est & Deus maiestatis, & Dominus maiestatis, sed non creaturis subiecta maiestas. Non ergo creatura filius, Filius paternae est imago substantiae: omnis autem creatura dissimilis supernae substantiae, sed non dissimilis Dei patris filius. Non ergo creatura filius. Filius non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed nulla creatura aequalis Deo. Aequalis autem filius, non ergo creatura filius. Omnis creatura mutabilis, sed non mutabilis Dei filius. Non ergo creatura Dei filius, Omnis creatura accidentia boni & mali recipit suae capacitate naturae, eademque decessio sentit: Dei autem filio nihil potest ex eius diuinitate vel decedere vel accedere: Non ergo creatura filius. Omne opus suum adducet Deus in iudicium, sed Dei filius non adducitur in iudicium, quia ipse iudicat: Non ergo creatura Dei filius. Postremo ut vnitatem intelligas, de ouibus dicens saluator: Nullus, inquit, rapit eas de manu mea. Pater quod dedit mihi maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Sic viuificat filius ut pater. Sicut enim pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Sic suscitatur filius ut pater. Sic conseruat filius ut pater. Qui non impar est gratia, quomodo impar est potestate? Sic etiam non perdit filius ut pater. Et ideo ne quis vel duos deos crederet, vel discretionem potestatis induceret: vnum se esse cum patre dixit. Id quemadmodum potest dicere creatura? Non ergo creatura Dei filius est. Non idem est regnare & seruire; Christus

autem & rex est, & filius regis: Non ergo seruus est Dei filius. Omnis autem creatura seruit, sed non feruit Dei filius, qui ex seruis filios Dei facit: Non ergo creatura Dei filius. Diuinè itaque illam parabolam induxit diuitis qui in regionem longinquam profectus est accipere regnum & reuerti, seipsum secundum substantiam diuinitatis incorporationisque describens. Ipse enim diues secundum plenitudinem diuinitatis, qui pro nobis pauper factus est, cum diues esset rex æternus, & æterno rege progenitus, peregrinè profectus secundum corporis susceptionem, quia vias hominis tanquam iter ingressus alienum, in hunc mundum venit ut regnum sibi pararet ex nobis. Venit ergo Iesus in hunc mundum regnum accipere de nobis, quibus ait: Regnum Dei intra vos est. Hoc est regnum quod Christus accepit, hoc est quod patri tradidit. Nam quomodo regnum accepit, qui rex erat sempiternus? Venit ergo filius hominis accipere regnum & reuerti. Noluèrunt eum suscipere Iudæi, de quibus ait: Illi qui noluerunt me regnare super se, adducite & interficite eos. Sequamur scripturarum ordinem. Ille qui venit, regnum Deo patri tradet, & cum tradiderit regnum, tunc & ipse subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Sicut filius hominis, regnum accepit Dei filius: ut filius utique hominis etiam traditurus est quod accepit: Sicut filius hominis tradit, ergo & ut filius hominis subiectionem utique per conditionem carnis, non per maiestatem diuinitatis agnosceret. Et tu ad contumeliam obiicis, quod ei subiecerit omnia Deus, cū audias quod regnum filius hominis Deo tradat. Et ut in superioribus diximus libris, legeris: Nemo venit ad me nisi pater attraxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Si literam sequamur, vide magis atque aduerte vnitatem honorificentiae, & pater subiecit filio, & filius patri tradet. Dic quid sit amplius, trahere an resuscitare? Nōne secundum morem hominum, ministerium trahentis potestas est resuscitantis? Sed & filius ad patrem trahit, & pater ad filium trahit, & filius suscitatur, & pater suscitatur. Facessant sacrilegæ cōmēta discretionis, ubi vnitatis potestatis est. Tradat igitur patri regnū suū filius, nō deperit Christo regnum quod tradit, sed proficit. Nos sumus regnum, quia nobis dictum est: Regnum Dei intra vos est. Et sumus regnum Christi antè, postea patris, quia scriptum est: Nemo venit ad patrem nisi per me. Cū in via sum, Christi sum: cū peruenero patris sum, sed ubique per Christū, & ubique sub Christo. Bonum est in regno Christi esse, ut Christus nobiscum sit, sicut ipse ait: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem mundi. Sed melius est esse cum Christo. Dissolui enim & cum Christo esse multo melius, cū in hoc mundo sub peccato simus. Christus nobiscum est, ut per vnus obedientiam iusti constituentur multi. Et si peccatum huius mundi euasero, incipiā esse cum Christo. Denique ait: Veniam iterū, & assumā vos ad me. Et infra: Volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Ergo nunc sub regno Christi sumus, dum in corpore versamur, & nondum forma exuimur serui, quam ille cū se exinaniuisset accepit: cū verò gloriam eius viderimus quam habuit priusquam mundus ef-

set, erimus in regno Dei, in quo patriarchæ sunt & prophetae: de quibus scriptum est: Cū videritis Abraham Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei: ut iam plenior Dei cognitione potiamur. Sed in filij regno & pater regnat, & in regno patris filius regnat, quia pater in filio, & in patre filius: & in quo habitat filius, habitat & pater: & in quo habitat pater, habitat filius. Sicut ipse ait: Ego & pater veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Ergo sicut vna domus, ita & vnum regnum. Eiusque autē vnum patris & filij regnum est, ut quod filius tradit pater accipiat: & quod pater accipit, filius non amittat. Ergo in vno regno vnitatis potestatis est. Nemo igitur diuinitatem inter patrem filiumque discernat.

Quemadmodum intelligere debeamus filium esse subiectum patri, cum hereticorum condemnatione. Cap. VII.

Quod si patri & filio vnum Dei nomen & ius est, cū Deus verus & sempiternus sit etiam Dei filius, non utique secundum diuinitatem subiectus est Dei filius. Subiectum itaque imperator Auguste, quemadmodum debeamus accipere, cōsideremus. Quomodo enim subiectus Dei filius? ut creatura vanitati? Sed impium est de diuinitatis substantia, tale aliquid æstimare. An quemadmodum creatura omnis Dei filio, quod æquè scriptum est: Omnia subiecisti sub pedibus eius? Sed non Christus ipse sibi subiectus est. An quemadmodum mulier viro, sicut legimus: Mulieres viris suis subditæ sint. Et alibi: Mulier in silentio discat cum omni subiectione? Sed sacrilegum est, vel patri virum, vel Dei filio mulierem comparare. An quemadmodum Petrus dixit: Subiecti estote omni humanæ creaturæ? Nec sic itaque Christus. Vel quemadmodum Paulus scripsit: Patri & Deo, subiecti inuicem in timore Christi? Sed neque in suo, neque in alterius Christi timore subiectus est filius, quia vnus est Christus. Quorum verborum vim cōsiderate, quia patri subiecti sumus, dum etiam Christum veremur. Quomodo ergo subiectum intelligimus: totum Apostolicum caput recenseamus, ut nihil videatur fraude subtractum, aut obreptione præstrictum. Si in hac inquit, vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormitium. Videtis quoniam de resurrectione Christi tracta est disputatio. Quoniam sicut per vnum hominem, inquit, mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in aduētum eius crediderunt, deinde finis, cū tradiderit regnum Deo & patri, cū euacuauerit omnem principatū & potestatem & virtutem. Oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cū autem dicat: Omnia subiecta ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia. Cū autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, ut sit

ut sit Deus omnia in omnibus. Quod etiam ad Hebraeos Apostolus dixit: Nunc autem nondum videmus omnia illi esse subiecta, accipimus apostolicæ seriem lectionis. Quomodo igitur subiectum dicemus? Sabelliani & Marcionitæ dicunt, quod hæc futura sit Christi ad Deum patrem subiectio, ut in patrem filius refundatur. Si ergo ea erit verbi subiectio, ut resoluatur in patre Deus verbum, ergo & quæcunque patri filioque subiecta sunt, in patrem & filium resoluuntur, ut sit Deus omnia & in omnibus creaturis. Sed absurdum est dicere: Nō igitur per refusionem subiectio. Alia sunt enim quæ subiiciuntur, ea utique quæ creata sunt, & alius cui fit illa subiectio. Conticescant itaque sæuæ refusionis interpretes, atque utinam & illi taceant, qui quoniam resolubile Dei verbum, Deique sapientiam probare non possunt, infirmitatem diuinitatis subiectioni adscribunt, dicentes quod scriptum est: Cū autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit. Videmus igitur quod nondum subiectum, sed subiiciendum esse scriptura commemorat. Ergo nunc non est subiectus Deo patri filius. In quo igitur filium subiectum fore dicitis? Si in diuinitate, nec inobediens est, quia non est patri discors. Nec subiectus, quia non est seruus, sed vnicus proprio patri filius. Denique cū cælum crearet, & terram conderet, & potestatem exercebat & charitatem. Nulla igitur seruilis in Christi diuinitate subiectio. Si autem nulla subiectio, voluntas libera est. Quod si etiam subiectionem putant filij, quia cum eius voluntate omnia faciat, discant hoc ipsum esse indiuiduæ potestatis argumentum, quod vnitatis voluntatis est, quæ non cœpit ex tempore, sed erat semper: ubi autem vnitatis perpetuæ voluntatis, non utique temporalis subiectionis infirmitas. Si enim per naturam subiiceretur, semper subiectus maneret. Cū verò subiiciendus dicatur in tempore dispensationis, ergo susceptæ non perpetuæ infirmitatis erit illa subiectio, maximè cum sempiterna Dei virtus non possit statum mutare pro tempore, nec Deo patri ex tempore ius potestatis accedere. Nam si filius aliquando mutabitur, ut secundum diuinitatem subiiciatur: ergo & Deus pater si aliquando plus poterit, ut subiectum secundum diuinitatem habeat filium, nunc interim minus posse secundum interpretationem vestram, necesse est æstimetur. Quid autem culpæ commiserit filius, ut postea, secundum diuinitatem subiici posse credatur? Numquid secundum diuinitatem ad dexteram patris sedere præcipuit, & inuito patri sibi prærogatiuam paterni solij vindicauit? Sed ipse ait: Omnia quæ placita sunt ei facio semper. Ergo si in omnibus patri complacet filius, cur subiicietur qui ante subiectus non erat? Videmus itaque ne non diuinitatis illa sed nostra fiat in Christi timore subiectio, plena gratia, & plena mysterij. Itaque rursus apostolica verba pandamus. Cū autem subiecta, inquit, illi fuerint omnia, tunc & ipse subiectus erit ei qui sibi subiecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Ergo quid dicitis? Nunc subiecta non sunt ei omnia? Non subiecti sanctorum chori, nō angeli qui in terris posito ministrabant, non archangeli qui etiam ad Mariam aduentus dominici prænunciij mittebantur,

non omnis militia cœlestis, nō Cherubim & Seraphim, non throni & dominationes & potestates quæ venerantur & laudantur? Quomodo ergo subiecta erunt? Sic utique quemadmodū ipse Dominus dixit: Tollite iugum meum super vos. Non enim indomiti iugum portant, sed humiles atque mansueti. Nec est planè angelis nec ipsis hominibus vilis, sed gloriosa subiectio, ut in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua cōfiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei patris. Ideo autem antè subiecta non erant omnia, quia nondum receperant sapientiam Dei, nondum habile iugum verbi mentis quadam ceruice portabant. Quotquot autem, sicut scriptum est, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Dicit aliquis: Ergo iam subiectus est Christus, quia plurimi crediderunt? Minimè: Quia nō in paucis est Christi subiectio, sed in omnibus. Sicut enim si in me concupiscat adhuc caro aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, non videor esse subiectus, & si ex parte sim subditus: ita quia omnis ecclesia vnum corpus est Christi, quamdiu genus dissentit humanum, Christum diuidimus. Nondum ergo subiectus est Christus, cuius non sunt adhuc membra subiecta. Cū autem fuerimus non multa membra, sed vnus spiritus, tunc & ipse subiectus erit ut per ipsius subiectionem, sit Deus omnia in omnibus. Sicut autem nondum subiectus est Christus, ita nondum perfectum est opus patris, quia Dei filius dixit: Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei qui me misit, & perfaciam opus eius. Quid igitur quæstionis est, quod in me erit filij subiectio, in quo imperfectum est opus patris, quia non sum ipse perfectus? Ergo qui imperfectum opus facio patris, ipse filium facio esse subiectum? Sed non est iniuria ista sed gratia, quia in eo quod subiicimur, noster utique non diuinitatis est profectus, ut subiiciamur legi, subiiciamur gratiæ. Quoniam autè, sicut ipse dixit Apostolus, sapientia erat carnis inimica in Deū. Legi enim nō erat subdita. Nunc autè iam per Christi est subdita passio. Et tamè ne quis calūniatur, videte quid diuinitas spirans scriptura præcauerit. Ostendit enim nobis in quo subiectus erit Deo Christus, dum docet in quo sibi vniuersa subiiceret. Ideoque dicit: Nunc autem non videmus omnia ei subiecta. Nam paulominus quàm angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. Ostendit itaque minorem factum in carnis susceptione. Quid igitur impedit quin etiam subiectionem in carnis susceptione significet, per quam subiiciet sibi omnia, dum in ipsa patri Deo est subiectus? Consideremus itaque eius subiectionem: Pater, inquit, meus si vis transfer calicem hunc à me, verū non mea voluntas sed tua fiat. Ergo secundum humanæ naturæ assumptionem erit illa subiectio. Quia sicut legimus: Specie inuentus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Subiectio utique obedientia est, obedientia mortis, mors assumptionis humanæ. Assumptionis ergo humanæ erit illa subiectio. Nequaquam igitur diuinitatis infirmitas, sed dispensatio ista pietatis est. Vide quàm non timeam eorum propositiones. Illi obiiciunt subiiciendū patri Deo. Ego lego Mariæ sub-

ditum matri, quia scriptum est de Ioseph & Maria: Et erat subditus illis. Aut si hoc putant, dicant quòd hominibus erat subiecta diuinitas. Non igitur præiudicet quòd subiectus dicitur, cui nò præiudicat quòd seruus legitur, quòd crucifixus asseritur, mortuus prædicatur. Qui cum moreretur uiuebat, ac subiceretur regnabat, cum sepeliretur resuscitabat, ac subiectum se potestati præbebat humanæ, aliàs se Dominum maiestatis declarabat æternæ. Erat sub iudice, & ad dexteram Dei solius ubi iudex perpetuus iudicabat. Scriptum est denique: A modo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis. Vapulabat à Iudæis, imperabat angelis. Natus ex Maria sub lege erat, ante Abraham supra legem erat, in carne venerandus naturæ. Denique sol refugit, terra còtremuit, conticuerunt angeli. Cuius igitur passionem elementa videre timuerunt, huius generationem videre potuerunt. Et in quo subiectione corporis nò tulerunt, in eo subiectionem naturæ venerabilis sustinebunt? Sed cum vnus naturæ sint pater & filius & spiritus sanctus, utique non erit pater sub ipse subiectus. Et ideo non erit in eo subiectus filius, in quo cum patre vnus est, ne per vnitate diuinitatis videatur & pater filio esse subiectus. Ergo sicut in illa cruce, non diuinitatis plenitudo, sed nostra fragilitas erat subdita: ita etiam postea subditus erit filius patri, in nostræ utique participatione naturæ: vt subiectis carnis illecebris, non cupiditas dominetur cordi, nò ambitio, non voluptas, sed omnia nobis Deus sit, & omnino quantum capere possumus ad eius imaginem similitudinemque viuamus. Ad communitatem igitur beneficium transiit à specie, quia in sua carne naturam totius humanæ carnis edomuit. Et ideo iuxta apostolum: Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Quod utique nisi per interiorum hominem non potest euenire. Deponentes igitur vniuersa, hoc est illa quæ legimus, iram, animositatem, blasphemiam, turpiloquium. Et sicut infra dicitur, Expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis, induamus nouum qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit eum. Et vt scires, quòd cum dicit: Vt sit Deus omnia in omnibus, à Deo patre nò separet Christum, ipse ad Colossenses, dicit. Vbi nò masculus, inquit & fœmina, Iudæus & Græcus, Barbarus & Scythæ, seruus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. Ergo etiam ad Corinthios dicens: Vt sit Deus omnia in omnibus, & vnitatem & equalitatem cum Deo patre complexus est Christi, quia nec à patre filius separatur. Et similiter sicut pater omnia in omnibus, ita omnia in omnibus etiam Christus operatur. Si ergo Christus quoque in omnibus omnia operatur, non utique in diuinitatis maiestate subiectus est, sed in nobis. Quomodo autem subiectus in nobis, nisi eo modo quo minor angelis factus est, in corporis scilicet sacramento? In eo enim nondum subiecta ei omnia videbantur, quæ creatori suo à principio sui utique seruiebant. Quod si quæsieris quemadmodum sit subiectus in nobis, ipse ostendit dicens: In carcere eram, & venistis ad me. Infirmus eram & visitastis me. Quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Infirmum

Matth. 26.

1. Corint. 15.

Colos. 3.

2. Cor. 15.

Mat. 25.

Gaudis, & non moueris, subiectum audis & moueris, cum in eo infirmus in quo subiectus, in quo peccatum atque maledictum pro nobis factus est. Sicut igitur non propter se, sed pro nobis peccatum atque maledictum factus est, ita non per se sed per nos erit subiectus in nobis, non in natura subiectus æterna, neque enim in natura maledictus æterna. Maledictus enim omnis qui pendet in ligno. Maledictus, quia nostra maledicta suscepit. Subiectus quoque quia subiectionem nostram ipse subiecit, sed in seruilis formæ assumptione, non in Dei maiestate: vt dum ille nostræ fragilitatis se præberet in carne consortem, nos in virtute sua diuinæ faceret consortes naturæ. Non quo aut hoc nobiscum superna Christi generatione naturale consortium, aut diuinitatis in Christo sit illa subiectio: sed sicut in illo per carnem illam, quæ est pignus nostræ salutis, sedere nos in cœlestibus, Apostolus dixit, utique non sedentes, sic & ille per nostræ assumptionem naturæ dicitur subiectus in nobis. Quis enim tam demens qui putet, vt supra diximus, quod ad dexteram Dei patris sedes sibi venerabilis [non] debeat, cum licet etiam secundum carnem Christo ea à patre, generationis tamen supernæ & æqualitatis potentia deferatur? Angeli adorant, & tu tibi præsumptione sacrilega solium Dei sternis? Scriptum est inquit, quòd cum mortui essetis peccatis, conuiuificauit vos in Christo, cuius gratia estis salui facti, & simul suscitauit simulque facit sedere in cœlestibus in Christo Iesu. Agnosco scriptum. Sed non vt homines sedere ad dexteram sibi patiantur Deus, sed vt in Christo sedere, quia ipse est omnium fundamentum, & ipse est caput ecclesiæ, in quo communis secundum carnem natura, prærogatiua sedis cœlestis emeruit. In Christo enim Deo caro. In carne autem humani natura generis omnium hominum particeps honoratur. Sicut nos ergo in illo sedemus per corpoream communem naturam, ita & ille, qui per susceptionem nostræ carnis maledictum pro nobis factus est, cum maledictum utique in benedictum filium Dei non cadat, ita in quam & ille per obedientiam omnium erit subiectus in nobis, cum gentilis crediderit, cum Iudæus agnouerit quæ crucifixus, cum Manichæus adorauerit quem in carne venisse non credit, cum Arrianus omnipotentem confessus fuerit quem negauit, cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, iustitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua igitur opera Christus & genera diuersa virtutum erit in nobis patri subditus, cum vitiis abdicatis & feriente delicto, vnus in omnibus Deo cœperit in vno sensu populorum omnium spiritus adherere, tunc erit Deus omnia & in omnibus. Conclusionem igitur totius absolutionis breuiter colligamus: vnitas potestatis opinionem iniuriôsæ subiectionis excludit: euacuatio potestatis, & victoria de morte quæ sita triumphatoris utique nò minuit potestatem. Subiectionem operatur obedientia, obedientiam Christus assumpsit, obedientia usque ad crucem, crux ad salutem. Ergo vbi opus, ibi & author est operis. cum igitur omnia Christo subiecta fuerint per obedientiam Christi, vt in nomine eius genu flectant, tunc erit ipse omnia in omnibus. Nunc enim quia non omnes credunt, non videntur omnes

Dem. Philipp. 3.
Philipp. 1.

Ephes. 3.

Ephes. Psal. 61.

Ibid.

Ioa. 7.
Psa. 61.

Mat. 27.

Rom. 8.

Ibid.

Philipp.

CAPVT VIII.

omnes subiecti. Cum omnes ergo crediderint, & A Dei fecerint voluntatem, erit omnia & in omnibus Christus. Cum Christus fuerit omnia & in omnibus, erit omnia & in omnibus Deus, quia pater manet semper in filio. Quomodo ergo infirmitatis arguitur, qui redemit infirmos? Ac ne fortè & illud ad infirmitatem filij referas, quod scriptum est, quòd subiecit ei Deus omnia, discere quòd omnia sibi etiam ipse subiecit. Scriptum est enim: Nostra autem conuersatio in cœlis est: Vnde & saluatorem expectamus Dominum Iesum, qui transfigurauit corpus B humilitatis nostræ, conforme vt fiat corpori gloriæ suæ secundum operationem qua possit etiam subiicere sibi omnia. Didicisti ergo quòd omnia possit sibi ipse subiicere, secundum operationem utique diuinitatis. Discere nunc quòd secundum carnem omnia subiecta accipiat, sicut scriptum est: Qui operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Secundum igitur carnem ei omnia subiecta tradentur, secundum quam & à mortuis suscitatus est, & secundum animam humanam ac rationabilem subiectionem. Diuine plerique interpretantur, quod scriptum est: Nónne Deo subiecta erit anima mea? Animam dixit non diuinitatem, animam non maiestatem. Et vt sciremus quòd Dominus per prophetam de susceptione naturæ est locutus humanæ, addidit: Vtque quo adicietis super hominem, secundum illud quod ait in euangelio: Quid me queritis interficere hominem? Et addidit: Veruntamen precium voluerunt repellere, cucurrerunt in sitim, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Iudæi enim reportante Iuda precium, recipere noluerunt, currentes in sitim amentia, quia spiritualis potus gratiam recusarunt. Hæc est piæ subiectionis interpretatio. Etenim cum Dominicæ passionis hoc munus sit, utique in quo passus est, in hoc erit subiectus in nobis. Querimus qua causa? Vt neque angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque præsentia, neque futura, neque creatura alia separare nos possit à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Videmus itaque ex his quæ diximus, nullam exceptam esse creaturam, sed istis quas supra dixit, omnem, si qua est, annumeratam esse. Simul etiam illud est considerandum, quòd cum in superioribus dixerit: Quis nos separabit à charitate Christi, subter posuit: Neque mors, neque vita, nec alia creatura separare nos poterit à charitate Dei quæ est in Christo Iesu. Videmus ergo eadem charitatem Dei esse, quæ Christi est. Denique non ociosè posuit charitatem Dei quæ est in Christo Iesu, ne separatam Dei & Christi intelligeres charitatem. Nihil autem est quòd charitas diuidat. Nihil quòd diuinitas sempiterna non possit. Nihil quòd lateat veritatem, fallat iustitiam, prætereat sapientiam.

De condemnatione execrabilium Arrianorum dicentium
quòd Dei filius nesciat tempora & annos.

Vnde execrabiles eos, qui ista commemorant, & à spiritu sancto esse danatos, scire debemus. (Quos enim alios nisi specialiter Arrianos, propheta condemnat) qui dicunt quòd Dei filius nesciat tempora & annos? Non enim est aliquid quod ignoret Deus. Si autem Deus Christus, & altissimus Christus, ipse est enim super omnia Deus. Videte quæ admodum sanctus David huiusmodi qui Dei filio scientiam derogent perhorrescat. Sic enim habes: In laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo obtinuit eos superbia eorum, cooperti sunt iniquitate & impietate sua, prodiit quasi ex adipe iniquitatis eorum, transferunt in dispositionem cordis. Vtique condemnat qui ex dispositione cordis æstimanda quæ diuina sunt arbitrantur. Nam Deus nec dispositioni est subiectus, nec ordini. Quando etiam ipsa quæ sunt in vtu hominum, & successione generis humani, non semper aliqua solennis dispositione rationis, sed plerumque secretis latentibusque decursa mysteriis, euenire cernamus. Cogitauerunt, inquit, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excello locuti sunt. Posuerunt in cœlum os suum. Videmus itaque quòd impij sacrilegij reos damnat, qui ex similitudine humanæ nature, dispositionem sibi arrogent cœlestis arcani. Et dixerunt: Quomodo scit Deus? & si est scientia omnis in altissimo? Nonne hæc quotidie pestreperunt Arriani, scientiam omnem in Christo esse non posse. Quia ipse, inquit, dici & horæ se professus est esse ignarum? Nónne dicunt, quomodo sciuit, qui eum non potuisse scire commemorant, nisi quæ audierit & viderit, & ea quæ spectant ad diuinam vnitatem naturæ, ad infirmitatem quoque sacrilega interpretatione deriuant? Scriptum est, inquit: De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nec filius, nisi solus pater. Primum veteres non habent codices Græci, quod nec filius scit. Sed non mirum si & hoc falsarunt, qui scripturas interpolare diuinas. Qua ratione autem videatur adiectum, proditur dum ad interpretationem tanti sacrilegij deriuatur. Pone tamen ab euangelistis scriptum. Medium utique nomen est filij. Nam & filius hominis dicitur, vt secundum imprudentiam assumptionis nostræ diem futuri iudicij nescisse videatur. Quomodo enim nesciret diem Dei filius, cum in ipso sint thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi? Queritur autem vtrum ex substantia, an ex accidenti habuerit scientiam? Omnis enim scientia aut ex natura, aut ex disciplina est. Ex natura suppetit, vt equo currere, pisce natate, hæc enim faciunt antequam discant. Ex disciplina rursus suppetit, natate homini. Nam nisi didicerit, scire non poterit. Cum ergo multis animantibus suppetant ex natura facere & scire quæ non didicerint, quid censes de Dei filio, vtrum ex institutione, an ex natura habeat scientiam? Si ex institutione, ergo non est natus sapientia, & ex processu cœpit esse perfectus, nec erat semper. Quod si naturalè scientiam habet, utique perfectus in principio erat, perfectus ex patre processit, & ideo præscientia non eguit futurorum,

Rom. 9.
Psa. 72.

Psal. 72.

Marc. 13.

Colos. 2.

* perfectus est
ita mox bis.

Non ergo nesciuit diem. Neque enim sapientiæ dei est ex parte scire & ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia, cum minus sit scire quam facere? Multa enim scimus quæ facere non possumus, nec eodem modo omnes scimus, sed ex parte cognoscimus. Nouit enim ventorū vim stellarūque cursus, aliter rusticus, aliter ciuitatis incola, aliter gubernator. Et si omnes non norunt, omnia tamen nosse dicuntur. Solus autē planē nouit ille qui fecit omnia. Nouit gubernator quota vigilia procedat arcturus, quales ortus præexploret orionis. Non tamen colligationes vergiliarum cæterarūque stellarum, aut numerum nouit, aut nomina, sicut ille qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus his nomina vacans. Quem utique non fallit operis sui virtus. Quomodo enim vultis hæc fecisse dei filium? Nunquid quasi annulum, qui non sentit quod exprimit? Quia omnia in sapientia pater fecit, id est, omnia per filium fecit, qui est virtus Dei & sapientia. Sapientiæ autem id conuenit, ut suorum operum & virtutes norit & causas. Et ideo non potuit creator omnium ignorare quod fecit, nescire quod ipse donauit. Nouit ergo diem quem fecit. Sed dicit quod præsentem nouit, nescit futurum. Licet ineptasit propositio, tamen ut de scripturis satisfaciam tibi, discite quod non solum præterita fecit, sed etiam quæ futura, sicut scriptum est: Qui fecit quæ aduentura sunt. Et alibi ait scriptura: Per quem & facta sunt secula, splendor est gloriæ, & character substantiæ eius. Secula enim & præterita & præsentia, & futura sunt. Quomodo ergo facta sunt quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus est, scientia comprehendit numerum omnium seculorum? Sicut enim vocat quæ non sunt tanquam quæ sint, sic & fecit quæ futura sunt tanquam quæ sint, quia non contingit ut non sint, sed necessario sunt futura quæ esse præcepit. Ergo qui fecit quæ futura sunt, eo genere quo sunt futura cognouit. Si hoc de seculis, multo magis de iudicij credendum die, eo quod cognitionem eius habeat Dei filius tanquam a se iam factæ, quia scriptum est: Dispositione tua permanebit dies. Non solum permanet dixit, sed etiam permanebit, ut eius dispositione quæ ventura sunt gubernentur. Quæ disposuit ergo, non nouit? Qui plantauit autem non audiet, qui finxit oculum non considerat? Videamus tamen ne quid fortè magnum sit quod creatorem suū potuerit præterire: & tamen eligant vtrum quasi magnum aliquid & præstantius putent esse quam cætera: an quasi minimum atque abiectum. Si minimum atque abiectum, non est iniuria (ut nostro vsu loquar) vilia & exigua nescire. Nam cum potentia sit scire quæ maxima sunt, despexisse magis videtur degeneris operis vilitatem: Fastidio igitur absolutus est, non potestate fraudatus. Quod si magnum & summū arbitrantur scire iudicij diem, dicant quid Deo patre maius aut melius sit. Patrē igitur Deū nouit ut ipse ait, quod nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Patrem, inquam, nouit, & diem nescit? Si ergo creditis quod patrem reuelat, & diem non potest reuelare? Deinde quia gradus quosdam facitis, ut patrem filio, filium spiritui præferatis, dicite mihi vtrum spiritus sanctus nouerit

G iudicij diem. Nihil enim de eo scriptū est hoc loco. Negatis profecto. Quid si doceo, quod nouerit? Lectum est enim, Nobis autem reuelauit deus per spiritū suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei. Vtique quia alta Dei scrutatur, cum Deus nouerit iudicij diem, etiā spiritus nouit. Nouit enim omnia quæ Deus nouit, sicut Apostolus declarat dicens: Quis enim scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus dei. Videte igitur, ne negando spiritum sanctum scire, negetis & patrem scire. Quæ dei sunt, cognouit & Dei spiritus: quæ autem non cognouit spiritus Dei, vti que Dei non sunt. Cōfiteōdo igitur quæ spiritus nouit dei quod negatis filium scire, contra vestram assertionē spiritum filio præferatis. Verum non solum sacrilega ista, sed etiam inepta dubitatio. Nunc confideremus quibus modis scientia colligatur, & ostendamus ipsum filium demonstrasse, quod & diem sciret. Quod enim scimus, aut tempore, aut loco, aut signis, aut personis declaramus, ordine. Quomodo igitur nesciuit iudicij diē, qui & horæ iudicij & loci signa expressit? Denique sic habes: In illa hora qui fuerit in tecto non descendat tollere vasa, & qui in agro similiter non redeat retro. Eousque igitur futurorum norat periculorum euentus ut etiam præsidia periclitantibus demonstraret. An poterat Dominus diem ignorare, qui ipse de se dixit, quod filius hominis dominus est sabbati? Locum quoque etiam alibi designauit cum sibi structuras templi ostendētibz discipulis diceret: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem qui non destruat. De signo quoque interrogatus ab apostolis dixit: Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus. Et infra. Terræ motus, inquit, magni erunt per loca singula, & fames, & pestilentia terrerēque de cælo, & signa magna erunt. Itaque & personas expressit & signa. Quo autem modo, vel circumdaturus exercitus Hierusalem dicat, vel implenda tempora gentiū, & quo ordine, Euāgelicæ vti que lectionis attestacione referatur. Sciuit ergo omnia. Sed quærimus qua ratione designare momenta noluerit. Si quæramus non ignoratiē inueniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, ut dū certa futuri iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies domini deprehēdat. Non enim prodest scire sed metuere quod futurum est. Scriptum est enim: Noli alta sapere, sed time. Nam si diem designasset expressē, vni ætati hominū quæ proxima erat iudicio, videretur disciplinam præscripsisse viuendi superioris temporis, aut iustus esset remissior, aut peccator securior. Nāque adulter nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulteriā cupiditatem desinere. Nec latro abfessorum saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momentis omnibus imminere supplicium. Plerumque enim quibus incentiuum est impunitas, timor tardium est. Ideo ergo dixi quod scire non proderat, imò proderat ignorare, ut ignorantes timeremus, ut obseruantes emendaremur, sicut ipse dixit: Estote parati

te parati quia nescitis qua hora filius hominis venturus est. Namque miles nisi bellum in manibus esse cognoscat, prætereire non nouit in castris. Vnde alibi quoque ipse Dominus interrogatus, ab apostolis, inquam, qui vti que non sicut Arrius intelligebant, sed filium Dei futura scire credebant. Nam nisi hoc credidissent nunquam interrogassent. Interrogatus ergo quando restituerit regnum Israel, nō se nescire dixit, sed ait: Non est vestrum scire tēpora & annos quæ pater posuit in sua potestate. Attende quid dixerit: Non est vestrum scire. Lege iterum, Non est vestrum. Vestrum dixit, non meum. Iam enim non secundum perfectionem sed secundum profectum humani corporis ac nostræ animæ loquebatur. Vestrum ergo dixit, non meum. Quod & apostolus secutus, De temporibus autem & momentis fratres non habetis, inquit, opus ut vobis scribamus. Itaque ne apostolus quidem ipse Christi seruus dixit se nescire momenta, sed nō opus esse doceri populum qui semper spiritualibus munimentis esse debet armatus, ut virtus Christi in vnoquoque prætendat. Cum autem dicit Dominus, de temporibus quæ pater posuit in sua potestate, vti que non potest exors esse scientiæ paternæ, cuius nequaquam exors est potestatis, cum potestas ex sapientia & virtute gignatur, quod vtrumque Christus est. Sed quæritis, qua causa, non ita discipulis negauerit, quasi sciret & nollet dicere, sed neque angelos, neque filium scire memorauerit? Interrogabo vos & ego, qua causa in Genesi Deus dicat: Descendam itaque ut videam secundum clamorem eorum venientem ad me si consummabuntur: Sin autem ut sciam? Qua causa etiam scriptura de Deo dicat: Et descendit Dominus videre ciuitatem & turrim quam ædificauerat filij hominum? Qua causa etiam dicat propheta in psalterio: Dominus respexit super filios hominum si est intelligēs aut requirens Deum: quasi & illic si non descenderet Deus, & hic si non prospiceret Dominus, aut opera hominum ignoraret aut merita? Sed etiam in euangelio habes secundum Lucam, quia pater dicit: Quid faciam? Mittam filium meum dilectissimum, forsitam hunc verebuntur. Secundum Matthæum autem & secundū Marcū habes: Quoniam misit Deus vnicum filium suum dicens: Verebuntur filium meum. In vno libro dicit: Forsitam verebuntur, & quasi nesciens dubitat. Nam hic sermo dubitatis est. In duobus autē aliis libris: Verebuntur, inquit, filium meum: hoc enim confirmat reuerentiam deferendam. Sed neque dubitare Dei est, neque falli. Dubitat enim qui ignorat quod futurum est: fallitur autem qui aliud prædixit, & aliud est secutum. Quid autem euentius quam quod scriptura habet aliud patrem dixisse de filio, & aliud accidisse eadē scriptura testatur? Ille dixit: verebuntur filium meū, filius autem vapulauit, illusus est, crucifixus est, mortuus est, multoque illis seruis qui prius fuerant destinati, grauiora secundum carnem passus est. Fecellit igitur pater, an ignorauit, vel subuenire non potuit? Sed verus nescit fallere. Scriptum est enim: Fidelis Deus qui non mentitur. Quomodo autem ignorauit, qui nouit omnia? Aut quid non potuit, qui omnia potest? Tamē si aut ignorauit aut nō po-

tuit (facilius enim acquiescitis ut dicatis patrē ignorasse, quā confiteamini filium scisse) videris quia ex hoc ipso quod vnius substantiæ est filius cum patre, sic quemadmodum pater, ita & filius (ut secundum vestram insipientiam loquar) aut non omnia nouit, aut nō omnia potest. Non sum enim auar⁹ aut præceps circa filij laudes, ut plus audeam dicere filium posse quā patrem, & inter patrem & filium discrecionem faciam potestatis. Sed fortasse dicetis: Non ita dixisse patrem, sed de patre filium nos fefelisse. Iam ergo non solum infirmitatis filium, sed etiam iam sacrilegij & mendacij coarguitis. Veruntamen si non creditis de patre filio, nec de se credatis. Si enim fallere nos voluit qui dixit dubitasse patrē, quia nesciret quod esset futurū: fallere ergo etiā de se nos voluit, quia futura nescire se dixit: multoque tolerabilius ad pudorem, si ignorantia ante prætendit quod de se fecit, quā si cōtrario promissis lusulū videatur effectu, quod de patre prædicauit. Sed neque fallitur pater, neque fallit filius, verum ea est in scripturis consuetudo diuinis, sicut & superiora & multa alia exempla testantur, ut Deus dissimulet se scire quod nouit. Et in hoc ergo vnitas diuinitatis, & vnitas dispositionis in patre probatur & filio, si quæadmodum deus pater cognita dissimulat, ita filius etiam in hoc imago Dei, quæ sibi sunt nota dissimulet. Edoctum est igitur non ignorasse Dei filium quæ futura sunt. Quod si fatentur, & ego ut iā respondeam: qua ratione neque angelos neque filiū sed patrem scire memorauit, solēnem eius circa discipulos charitatem etiam in hoc loco & gratiam recognosco, quod ex frequentia ipsa debet omnibus esse iam cognitum. Mauult enim Dominus nimio in discipulos amore propensus, pendentibus his quæ cognitu inutilia iudicaret, videri ignorare quod nouerat, quā negare. Plusque amat nostram vtilitatem instruere, quā suam potentiam demonstrare. Sunt tamen plerique non ita timidiore ut ego. Malo enim alta timere quā sapere. Sunt tamē plerique eo freti quod scriptum est: Et Iesus proficiebat ætate & sapientia & gratia apud Deum & homines, qui dicant confidenter quod secundum diuinitatem quidem ea quæ futura sunt ignorare nō potuit, sed secundum nostræ conditionis assumptionē ignorare se quasi filium hominis ante crucem dixit. Etenim cum filium dicit, non quasi de alio dicit. Nā ipse est & dominus noster dei filius, & filius virginis. Sed medio verbo nostrum informat affectum, ut quasi hominis filius secundum susceptionem nostræ imprudentiæ vel profectus non planē adhuc scisse omnia crederetur. Non est vestrum scire quæ futura sunt. Eadem igitur videtur ignorare conditione qua proficit. Nam quomodo secundum diuinitatem proficit in quo habitat plenitudo diuinitatis? Aut quid est quod nesciat Dei filius, qui dicebat: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quomodo nesciat de quo dicit scriptura: Iesus autem norat cogitationes eorum. Hæc tamen alij dicāt. Ego autē ut ad superiora redeam, qui proposuerim scriptū quod pater dixit: Fortasse reuerbuntur filiū meū: quod vti que ideo arbitror positū, ut quod de hominibus loquebatur pater, humano locutus videatur affectu: multo magis arbitror quod filius qui

Psal. 146.

Psal. 103.

1. Corint. 1.

Heb. 1.

Rom. 4.

Psa. 118.

Psa. 93.

Matth. 11.

27. 10. 2.

27. 10. 2.

Act. 1.

1. Thes. 5.

Mat.

Mat.

Gen. 18.

Luc.

Gen. 11.

Psal. 52.

Luc. 20.

Matth. 21.

Marc. 12.

Rom.

ad Titum. 1.

Mat.

Luc. 2.

Act. 1.

Colos. 2.

Mar. 9.

Luc. 6.

Luc. 20.

cū hominibus cōuersatus est, & hominē egit & carnē suscepit, nostrū alsūpsit affectū, vt nostra ignorantia nescire se diceret, nō quōd aliquid ipse nesciret. Nā & si homo in veritate sui corporis videbatur, erat tamē vita, erat lux, & virt^o exibat de eo, quē vulnera fauciorū, maiestatis suę autoritate sanabat. Aduertitis ergo quæstionē nobis esse sublatam, cūm & filiū dictū, ad susceptionē integrę cōditionis referatur humanæ: Et de patre idē scriptū sit, vt vel sic callūniari filio desinat. Nihil ergo fuit quod ignorauerit Dei filius. Nihil enim fuit quod ignorauerit pater. Quōd si nihil & filius ignorauit, vt iā cōcludamus, dicāt in quo cū minorē velint videri? Si minorē generauit Deus filiū, minus cōtulit. Si minus cōtulit, aut minus voluit, aut min^o potuit. Sed nec infirmus, nec inuidus pater, quia nec volūtas ante filium, nec potestas. In quo enim minor, qui omnia habet quæ pater habet? Nam & omnia à patre iure generationis accepit, & totū patrē gloria suę maiestatis expressit. Scriptū est inquit: Quoniā pater maior me est. Sed scriptum est: Non rapinam arbitratus est se esse æqualē Deo. Scriptū est, quōd propterea volebant illum Iudæi occidere, quia filium se dicebat Dei, æqualem se faciens Deo. Scriptum est: Ego & pater vnum sumus. Vnū legunt, multa non legunt. Nunquid ergo & minor & æqualis per naturā eandem potest esse? Sed aliud ad diuinitatem refertur, aliud ad carnem. Minorem dicunt: Quæro, quis mēsus sit, quis tam exaltati cordis, qui velut ante tribunal suum patrem Deum & filium constituat vt de prælatione diiudicet? Non est exaltatum cor meum, neque in vanum elati sunt oculi mei, Dauid dicit. Rex Dauid exaltare cor metuit in rebus humanis, nos exaltamus aduersus diuina secreta? Quis igitur iudicat de Dei filio? Throni, dominationes, angeli, potestates? sed famulantur & seruiunt. Archangeli? sed ministrant. Cherubin & Seraphin? sed laudāt. Quis igitur iudicat de Dei filio, cūm legeris quōd ipse pater nouerit filium, non iudicet? Nemo enim nouit filium nisi pater. Nouit inquit, non iudicat. Aliud est nosse, aliud iudicare. Habet pater in se scientiam, filius supra se non habet potestatem. Et rursus: Nemo nouit patrem nisi filius, & ipse nouit sicut eum pater nouit. Sed dicis quōd minorem se dixit, dixit & lapidem. Plus dicis & impiē calumniaris, minus dico & piē astruo. Minorē dicis & supra angelos cōfiteris. Ego minorem angelis dico, & non derogo, quia non diuinitatem arguo, sed misericordiam prædico.

De humili ac deuota authoris ad Deum patrē conuersione, rectæque fidei confessione, cū disertissima huius operis conclusione. C A P. IX.

ADte nūc omnipotēs pater cū lachrymis verba acōuerto. Ego te quidē inaccessibleē, incōprehensibilem, inæstimabilem promptē dixerim, sed filium tuum minorem non ausim dicere. Nam cū illum splendorem glorię & imaginem substantiæ tuę legerim, vereor ne minorem imaginem tuę dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere videar, cuius imago sit filius, cū plenitudo tuę diuinitatis omnis in filio sit. Immēsum te filiūq; tuū & spiritū sanctū, incircūscriptū, inestimabile, inenar-

abilem legi libēter, credo libēter. Et ideo cōstimare nō possum, vt examinare possum. Esto tamē, spiritu ausūque temeratio metiri te velim. Vnde quælo te metiar? Funiculum agrimenforium vidit propheta quomētiabatur angelus Hierusalem. Metiebatur tamen angelus non Arrius. Metiebatur Hierusalē nō Deū, & fortasse nec Hierusalem metiri poterat angelus, Vir enim erat. Denique sic habes: Et allecuaui oculos & vidi, & ecce vir & in manu eius funiculus agrimenforius. Vir erat quia typus suscipiendi corporis declarabatur. Vir erat ille de quo est dictū: Post me venit vir, cuius non sum dignus soluere corrigiā calciamenti eius. Ergo Iesus in typo Hierusalem metitur, non Arrius Deum. Et Iatanas transfiguratur se in angelum lucis. Quid mirum si Arrius suū imitatur authorem, vt vsurpet illicita, licet quod pater suus Zabulus per semetipsum non fecit, intolerabiliore iste sacrilegio diuinorum sibi scientiam secretorum & supernę generationis arcana præsumat? Zabulus enim verum Dei filium fatebatur, Arrius negat. Si ergo metiri te omnipotens pater non queo, possum ne sine sacrilegio de tuę generationis disputare secreto? Possunne dicere quod aliquid inter te & filium tuum plus minūscue sit, cūm ipse qui natus est dixerit, Omnia quæ pater habet mea sunt? Quis me constituit iudicem aut diuisorem de rebus humanis? Hoc filius dicit, & nos inter patrem & filium diuisionem nobis & iudicium vindicamus? Bona pietas arbitros refugit etiam in diuisione patrimonij. Nos ergo crimus arbitri vt inter te & filiū tuum increatę maiestatem substantiæ diuidamus? Generatio inquit, hæc, generatio nequam est: signum quærit & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophete. Signum utique datur non diuinitatis, sed incarnationis. Denique de incarnatione dictum ait: Pete tibi signum. Et cūm ille dixisset, Non petam neque tentabo Dominum, responsum est: Ecce virgo in vtero concipiet. Ergo signum diuinitatis videre non possumus, mensuram quærimus? Væ misero mihi, impiē discutere audemus, quem dignē rogare non possumus. Videro tamen quid faciant Arriani. Ego te pater si maiorem omnibus dixerō, iniuriōse te tuis operibus comparauī. Si maiorem filio, vt Arrius asserit, impiē iudicauī: de te prius erit illa sententia. Nam neque vlla fieri potest nisi ex comparatione prælatio, neque præferri quisquam nisi de quo prius fuerit iudicatum. Iurare nobis per cælum non licet, iudicare de Dei filio licet? Sed filio tuo soli iudicium de omnibus detulisti. Ioannes carnem Domini baptizare metuebat, Ioannes prohibebat dicens: Ego à te debeo baptizari & tu venis ad me, & ego Christum iudicio meo subdam? Moyses excusat, Petrus imperatū in ministerio declinat obsequium, Arrius scrutatur etiam alta dei? Sed non Arrius spiritus sanctus. Sed Arrio & hominib^o dictū est: Altiora te ne quæsieris. Moyses vultum domini prohibetur videre, Arrius meruit videre secretum? Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Moyses qui cum domino apparet in gloria. Moyses ergo illa posteriora tantummodo dei in typo vidit, Arrius totum deum facie ad faciem comprehendit? Sed nemo, inquit, videre potest faciē meā & viuī. Paulus etiā de inferioribus

1. Cor. 13.
2. Cor. 12.

ribus dicit: Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus. Arrius dicit: Ex toto Deum nō ex parte cognoui. Inferior ergo Paulus quā Arrius? Et vas electionis ex parte scit, vas perditionis totum scit? Scio, inquit, hominem siue in corpore siue extra corpus nescio, deus scit, qui raptus est in paradysum, & audiuit ineffabilia. Paulus raptus vsque ad tertium cælum, seipsum nesciuit: Arrius in stercore volutatus, Deum sciuit? Paulus dicit de seipso, Deus scit.

FINIS.

**DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS IN LIBRVM PRIMVM DE
SPIRITV SANCTO AD GRATIANVM AVGVSTVM.**

PROLOGVS.

HIEROBOAL cum sub arbore, vt legimus, quercu, tritici messem virga caderet, accepit oraculum, vt à potestate alienigenarum in libertatem Dei populum vindicaret. Nec mirum si est electiōnemque sanctorum à purgamentis inanī paleæ sequestraret, qui tanquam virga veritatis exerciti, superflua veteris hominis cum eius actibus deponentes, quasi in torculari, ita in ecclesia congregantur. Ecclesia enim torcular est fontis aeterni, in qua cælestis vitis fructus exundat. Quo motus oraculo Gedeon, cum audisset quod deficientibus licet populorum milibus, in vno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hædum caprarum, cuius carnem secundum præceptum angeli & azyma supra petram posuit, & ea iure perfudit, quæ simul vt virgæ cacumine quam gerebat angelus Dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est. Quo indicio declaratum videtur quod petra illa typum habuerit corporis Christi, quia scriptum est: Bibebant de consequenti eos petra, petra autem erat Christus. Quod utique non ad diuinitatem eius sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni riuo sui sanguinis inundauit. Iam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Iesus in carne sua totius mundi peccata crucifixus aboleret. Nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animarum. Caro enim hædi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est: Quia concupiuit populus cupiditatem pessimam, & dixerunt: Quis nos cibabit carne? Quod igitur extendit angelus virgam, & tetigit petram de qua ignis exiuit, ostendit quod caro Domini spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde & Dominus ait: Ignem veni mittere in terram. Aduertit igitur vir doctus & præfagus futuri superna mysteria, & ideo secundum oracula occidit vitulum à patre suo idolis deputatum, & ipse septennem alium vitulum immolauit Deo. Quo facto manifestissime reuelauit post aduentum Domini, omnia gentilitatis abolenda sacrificia, solumque sacrificium Deo Dominica passionis pro redemptione populi deferendum. Etenim vitulus ille erat in typo Christus, in quo septem spiritualium plenitudo virtutum, sicut Esaias dixit, habitabat. Hunc vitulum & Abraham obtulit, quando diem Domini vidit, & gausus est. Hic est qui nunc in hædi typo, nunc in ouis, nunc in vituli offerebatur. Hædi, quod sacrificium pro delictis sit: ouis, quod voluntaria hostia: vituli, quod immaculata sit victima. Præuidit ergo mysterium sanctus Gedeon. Denique trecentos elegit ad prælium, vt ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incurso grauiorum hostium liberandum. Et tamen licet fortis & fidus, pleniora adhuc de Domino futura victoria documenta quærebat, dicens: Si saluas in manu mea Israël, quemadmodum locutus es Domine, Ecce ego pono lana vellus in area: & si ros factus fuerit super vellus, & super omnem terram siccitas, cognoscam quia in manu mea secundum promissa tua populum liberabis. Et ita factum est. Sed adiecit postea vt rursum ros proflueret super totam terram, & siccitas esset in vellere. Querit fortasse aliquis vtrum nam quasi incredulus esse videatur, qui frequentibus informatiis indicis adhuc plura poscebat. Sed

Ioan. 14. Philipp. 2.

Ioan. 5. Ioan. 10.

Psa. 130.

Math. 11.

Heb. 1.

Psal. 14.

Iudicium 6.

1. Cor. 10.

Lucæ 12.

Ioan. 8.

Iudi. 6.

quemadmodum poterat viderat quasi ambiguus incertusque tentasse, qui mysteria loquebatur? Non ergo ille ambiguus, sed prouidus ne nos ambigeremus. Nam quomodo ille ambiguus, cuius precatio habebat effectum? Unde autem securus adorsus esset praelium, nisi intellexisset oraculum? Ros enim in vellere, fides erat in Iudaea, quia sicut ros Dei verba descendunt. Ergo quando totus orbis infructuoso aestu gentilis superstitionis arebat, tunc erat ros ille caelestis visitationis in vellere. Postea vero quam oves quae perierunt domus Israel: (unde puto figuram Iudaici velleris adumbratam.) Oves inquam illae fontem aquae vitae negarunt, ros fidei humentis exaruit in pectoribus Iudaeorum, meatusque suos fons ille diuinus in corda gentium deriuauit. Inde est quod nunc fidei rore totus orbis humescit. At vero Iudaei prophetas suos et consiliarios perdidierunt. Nec mirum si perfidia subeant siccitatem, quos Dominus Deus prophetici imbris ubertate priuauit, dicens: Mandabo nubibus meis ne pluant super vineam istam. Etenim prophetica nubis pluuia salutaris, sicut et Dauid dixit: Descendit sicut pluuia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Hanc nobis scripturae diuinae totius mundi pluuiam pollicebantur, quae rigaret orbem sub Domini salutaris aduentu spiritus rore diuini. Venit ergo iam Dominus, venit et pluuia, venit Dominus stillicidia secum caelestia deferens: et ideo iam nos bibimus qui antea sitiebamus, et diuinum illum spiritum haustu interiore potamus. Hoc ergo praeuidit sanctus Gedeon, quia verum et spiritalem rorem etiam gentes nationesque erant fidei perceptione bibiturae, et ideo diligentius explorauit. Est enim necessaria cautela sanctorum. Siquidem etiam Iesus Naue cum vidisset ducem militiae caelestis, interrogauit: Noster es an aduersariorum? ne forte aliquibus aduersarij prestigijs falleretur. Non tamen ociose vellus non in campo posuit vel in prato, sed posuit in area ubi messis est tritici. Messis enim multa, operarij autem pauci. Eo quod per fidem Domini futura esset messis fecunda virtutum. Nec illud ociosum quod exiccavit vellus Iudaicum, et rorem eius misit in peluem ut repleretur aqua, non tamen ipse eo rore pedes lauit. Alij debebatur tanti praerogatiua misterij, expectabatur ille qui sordes omnium solus posset abluere. Non erat tantus Gedeon, qui hoc sibi mysterium vindicaret. Non enim Gedeon, sed filius hominis venit non ministrari sed ministrare. Itaque cognoscamus in quo haec mysteria videantur esse completa. Non in sancto Hieroboal. Adhuc enim erant illa principia. Ideo gentes victae, quia siccitas erat adhuc in gentibus. Ideo Israel vicit, quia ros tunc manebat in vellere. Veniamus ad euangelium. Inuenio Dominum spoliante se vestimenta, et praecingentem se linteo, mittentem aquam in peluem, lauante pedes discipulorum. Haec erat aqua, ros ille caelestis, hoc prophetabatur quod illo rore caelesti discipulorum suorum Dominus Iesus pedes lauaret. Et nunc extendantur pedes animorum nostrorum, vult Dominus Iesus et nostros lauare pedes. Non enim Petro soli, sed unicuique dicit fidei: Nisi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem. Veni ergo Domine Iesu, exue te vestimenta quae propter me induisti: esto nudus, ut nos misericordia tua vestias. Praecinge te propter nos linteo, ut nos tui muneris immortalitate praecingas. Mitte aquam in peluem, laua non solum pedes, sed etiam caput: nec solum corporis nostri, sed etiam mentis vestigia. Volo exuere omnes nostrae sordes fragilitatis, ut et ego dicam: Nocte exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quanta ista maiestas est? Quasi minister pedes famulorum tuorum lauas, quasi Deus rorem mittis e caelo. Nec solum pedes lauas, sed etiam ut tecum recumbamus inuitas, et exemplo nos tuae dignationis hortaris, dicens: Vocatis me Dominum et magistrum, et bene facitis, sum enim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus et magister, et vos inuicem lauate pedes vestros. Volo ergo et ego pedes lauare fratrum meorum, volo Domini implere mandatum. Voluit me non verecundari, non dedignari quod ipse prius fecit. Bonum mysterium humilitatis, quia dum alienas sordes lauo, meas abluo. Sed non hoc omnes haurire poterant mysterium. Lauare voluit quidem et Abraham pedes, sed hospitalitatis affectu. Volebat et Gedeon lauare pedes angelo Domini, qui apparuit sibi, sed volebat uni, volebat quasi is qui deferret obsequium, non qui donaret consortium. Hoc mysterium magnum est, quod nemo cognouit. Denique Petro dixit: Quod ego facio tu nescis, cognoscas postea. Hoc, inquam, diuinum mysterium est, quod etiam qui lauerunt, requirunt. Non est ergo simplex aqua caelestis misterij, per quam consequimur ut partem cum Christo habere mereamur. Est et quaedam aqua quam mittamus in peluem animae nostrae, aqua de vellere ex libro Iudicum, aqua de libro psal-morum. Aqua est ros caelestis oraculi. Veniat igitur, Domine Iesu, haec aqua in meam animam, in meam carnem, ut huius humore pluuiae nostrarum conualles mentium atque intimi cordis arua viridescant. Veniant in me stillicidia tua, gratiam immortalitatemque rostantia. Dilue gressus mentis meae, ne iterum peccem. Ablue animi mei calcaneum, ut possim abolere maledictum, ne morsum serpentis interiore pede sentiam: scd

Matth. 15.

Esai. 5.
Psalm. 71.

Iosue 5.

Luc. 10.

Matth. 12.

Ioan. 13.

Cap. 5.

Ioan. 13.

sed sicut ipse iussisti sequentibus te, ut serpentes et scorpiones illaeso possim calcare vestigio. Redemisti mundum: redime unius animam peccatoris. Haec est specialis tuae praerogatiua pietatis, qua totum mundum in singulis redemisti. Helias ad unam missus est viduam: Heliseus mundaui unum: tu nobis, Domine Iesu, hodie mille mundaui. Quantos in urbe Roma, quantos Alexandria, quantos Antiochiae, quantos etiam Constantinopoli. Nam etiam Constantinopoli iam Dei verbum recepit, et euidentia meruit tui documenta iudicij. Etenim quamdiu venena Arrianorum suis fouebat inclusa visceribus, bellis finitimis inquietata, murus armis circumsonabat hostilibus. Postea vero quam fidei exules abdicauit, hostem ipsum iudicem regum, quem semper tremere consueuerat, deditum vidit, supplicem recepit, morientem obruit, sepultum possidet. Quantos ergo et Constantinopoli, quantos postremo toto hodie in orbe mundaui? Non mundaui Damasus, non mundaui Petrus, non mundaui Ambrosius, non mundaui Gregorius. Nostra enim seruitia, sed tua sunt sacramenta. Neque enim humanae opis est diuina conferre, sed tuum Domine munus et patris est, qui locutus est per prophetas dicens: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filij et filiae eorum. Hic est in typo ros ille caelestis. Haec pluuia voluntaria sicut legimus. Pluuiam voluntariam segregans Deus hereditati suae. Ioc. 2.
Psalm. 67.

Capitula libri primi de Spiritu sancto.

- Non esse inter creaturas Spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia. Cap. I.
 Non posse ad spiritum deriuari Dei, quia scriptum est de Dei filio: Omnia per ipsum facta sunt, quia spiritus Dei super omnia, non inter omnia est. Cap. II.
 Non videri spiritum Dei a patris et filij maiestate secerni, quia scriptum est: Nobis autem unus Deus pater ex quo omnia, et nos in ipsum: et unus Dominus Iesus per quem omnia, de spiritu autem nihil dixit: plerisque locis et de spiritu dixit scriptura et filio, et de Deo patre eo loco nihil dixit, aut de Deo patre dixit et spiritu, et de filio nihil dixit. Cap. III.
 Quoniam ipse est Spiritus sanctus, qui est spiritus Dei, et spiritus Christi. Ipse est spiritus patris, ipse paracletus, ipse spiritus veritatis, ipse spiritus vita. Cap. IIII.
 Quia sicut pater sanctus, ita filius, ita et Spiritus dicitur sanctus. Cap. V.
 Quia in spiritu signamur. Cap. VI.
 Quia replet omnia spiritus Dei. Cap. VII.
 Quia sempiternus Dei filius. Cap. VIII.
 Quia spiritus peccata condonat. Cap. IX.
 Non de loco ad locum transire spiritum Dei, de quo scriptum est: Qui a patre procedit, et de quo dicit filius Dei: Quem ego mittam vobis. Cap. X.
 Quia una pax, una gratia patris et filij et Spiritus sancti. Cap. XI.
 Quia una charitas patris et filij et Spiritus sancti, et operatio trinitatis, ut passionem corporis Dominus Iesus subiret. Cap. XII.
 Quia una communicatio patris et filij et Spiritus sancti. Cap. XIII.
 Quia unum nomen patris et filij et Spiritus sancti. Cap. XIII.
 Quia et filius paracletus dicitur sicut et spiritus, et quia beneficij et gratiae hoc nomen non iniuria est. Cap. XV.
 Quia sicut pater lumen, ita et filius lumen, et spiritus lumen est. Et sicut patrem ignem legimus, ita et filium et Spiritum sanctum. Cap. XVI.
 Quia lumen vultus Dei spiritus, et spiritus lumen. Cap. XVII.
 Quia sicut pater vita, et filius vita, et Spiritus sanctus vita. Cap. XVIII.
 Quia sicut pater fons vita est, ita etiam filius, ita et Spiritus sanctus. Cap. XIX.
 Quia sicut pater flumen, ita et filius, et Spiritus sanctus. Cap. XX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE SPIRITV SANCTO,

AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER I.

Non esse inter creaturas Spiritum sanctum, nec inter omnia, sed super omnia.

CAPVT I.



NON enim Spiritus sanctus aut potestati alienæ est subiectus aut iuri, sed suæ libertatis arbiter, omnia pro autoritate propriæ voluntatis, diuidens, sicut legimus, singulis prout vult. Non ergo inter omnia, sed super omnia Spiritus sanctus est. Iam enim de eo, quoniam ita plenè de Dei filio, clementissime Imperator, instructus es vt ipse iam doceas: cupientem te, & exigentem audire aliquid expressius, non morabor: præsertim cum ita te assertionem istiusmodi testificatus sis proximè delectatum, vt basilicam ecclesie sine vlllo monitore præceperis reformari. Fidei atque tuæ gratiam, nostræ præmium iam tenemus. Neque enim aliud possumus dicere, nisi sancti Spiritus hanc fuisse gratiam, quod ignorantibus omnibus subito basilicam reddidisti. Spiritus, inquam, sancti hoc munus, hoc opus est, qui à nobis quidem tunc prædicabatur: sed in te operabatur. Nec superioris temporis damna deploro, quando quidem basilicæ sequestratio illa cuiusdam fœnoristraxit vsuras. Etenim basilicam sequestrasti, vt fidem probares. Impleuit igitur propositum suū pietas tua, quæ sic sequestrauerat vt probaret: sic probauit, vt redderet. Nec fructum amisi, sed iudicium teneo, patuitque omnibus in quadam facti discretionem, discretam tibi nunquam fuisse sententiam. Patuit, inquam, omnibus & tuum non fuisse cum sequestrares & tuum esse cum redderes. Primum igitur, ab inferioribus inchoemus, vt quasi per gradus quosdam tractatus noster ascendat, quo facilius hi qui fidem non deferunt, vel ratione stectantur. Possunt enim dicere in principio: Nec nos didicimus seruire spiritum. Sed cum dicant seruire Christum, quomodo possunt negare de spiritu? Quod si secundum carnem in serui forma cõsentiunt Christum fuisse, constat & conuenit. Ergo si secundum diuinitatem suam Christus non seruit, non seruit etiam spiritus. Quod si non seruit spiritus, omnia autem seruiunt, super omnia igitur spiritus est, qui non seruit sicut omnia. Non enim alienæ aut potestati aut iuri subiectus est, sed suæ libertatis est arbiter. Siquidem omnia pro autoritate propriæ voluntatis, diuidens sicut scriptum est, singulis prout vult. Nunc id ipsum quod diximus, testimoniis astruamus. Principiū disputationis est, quia seruiunt omnia. Seruire autem omnia liquet, quoniam scriptum est: Vniuersa seruiunt tibi. Dixit hoc spiritus per prophetam, nõ dixit seruiimus sed seruiunt tibi, vt crederes quod ipse à seruitio sit exceptus. Ergo cum vniuersa seruiant, non seruiat spiritus, vtique inter vniuersa non est Spiritus sanctus. Nam si inter omnia dicimus esse Spiritum sanctum, vtique cum legerimus, quia alta Dei scrutatur spiritus, Deum patrem esse super omnia denegamus. Etenim cum ex Deo spiritus sit, &

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

Psalm. 118.

1. Cor. 2.

Spiritus oris eius, quomodo possumus inter omnia dicere Spiritum sanctum, cum super omnia Deus sit cuius est spiritus, plenè vtique perfectæque virtutis? Ac ne apostolum arbitrentur errasse, accipiant quæ fiducia huius sit secutus authorem. Dominus enim in euangelio dixit: Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre meo spiritum veritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Ergo & à patre procedit Spiritus sanctus & testificatur de filio. Testificatur etiam de patre testis & fidelis & verus, quo nihil ad expressionem diuinæ maiestatis est plenius, nihil ad vnitatem diuinæ potestatis euidentiùs, cum idem nouerit spiritus quod & filius, qui paternorum testis & consors indiuiduus secretorum est. Exclutit itaque à cognitione Dei societatem & multitudinem creaturæ, non excludendo autem Spiritum sanctum, ostendit non esse socium creaturæ. Vnde & illud quod lectum est in Euangelio: Quia Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit: ad exceptionem pertinet Spiritus sancti. Quomodo enim Deum non videt, qui scrutatur etiam alta Dei? Quomodo Deum non videt, qui cognouit quæ Dei sunt? Quomodo Deum non videt, qui ex Deo est? Ergo cum ita positum sit, quia Deum nemo vidit vnquam, vidit autem spiritus, vtique exceptus est spiritus. Super omnia igitur est, qui est exceptus ex omnibus.

Non posse ad spiritum deriuari Dei, quia scriptum est de Dei filio. Omnia per ipsum facta sunt, quia spiritus Dei super omnia, non inter omnia est.

CAP. II.

Videtur sancte Imperator plena ratio esse pietatis, sed impiis non videtur. Denique quid moliantur aduerte. Solent enim dicere hæretici, ideo inter omnia Spiritum sanctum esse numerandum, quia scriptum est de Dei filio: Omnia per ipsum facta sunt. Quam malè confunditur actio quæ non tenet veritatem, & præpostero ordine assertionis inuoluitur. Hoc enim tunc valeret, vt inter omnia dicerent esse Spiritum sanctum, si factum probarèt. Namque omnia per filium scriptura dicit esse quæ facta sunt. Cum autem factus non doceatur Spiritus sanctus, vtique nec inter omnia, probari potest, qui neque factus est sicut omnia, nec creatus. Mihi igitur ad vtrunque hoc proficit testimonium, vt & super omnia probetur esse qui factus non est: & quia super omnia est, non videatur factus esse, nec inter ea quæ sunt facta numerandus. Quod si quis, quia omnia facta per verbum euangelista posuit, non excipit Spiritum sanctum, quanquam in Ioanne locutus spiritus Dei, omnia per ipsum facta sunt dixerit, non omnia facta sumus. Cum vtique loqui in euangelistis spiritum Dei ipse Dominus ostenderit dicens: Non enim vos estis loquentes, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tamen si quis, vt dixi,

1. Cor. 8.

Ioan. 1.

Ioan. 20.

Ioan. 20.

Ioan. 1.

Rem. 5.

Acto. 8.

Acto. 19.

Math.

dixi, hoc loco non excipit Spiritum sanctum, sed inter omnia numerat, nec ibi ergo excipit Dei filium vbi apostolus dixit: Nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum. Sed vt sciat quia inter omnia non est filius, legat sequentia. Nam cum dicit: Et vnus Dominus Iesus per quem omnia: ab omnibus vtique exceptit Dei filium, quia exceptit & patrem. Eiusdem autem impietatis est vel patri vel filio vel Spiritui sancto derogare. Non enim credit in patrem qui non credit in filium, nec credit in Dei filium qui non credit in spiritum, nec potest sine regula veritatis fides stare. Nam qui negare cœperit vnitatem potestatis in patre & filio & Spiritu sancto, nõ potest vtique ibi vbi nulla diuisio sit, fidem probare diuisam. Ergo quia pietatis vnitas est bene credere, etiam vnitas impietatis est malè credere. Itaque qui putat spiritum inter omnia debere numerari, quia omnia legunt facta per filium, etiã filium vtique inter omnia annumerandum putant, quia legunt ex Deo omnia. Consequenter autem nec patrem fecernunt ab omnibus, qui à creaturis omnibus filium non fecernunt, quoniam sicut ex patre omnia, ita etiam per filium omnia. Hoc ipsum supra euidenter apostolus dixit, ne inter omnia posuisse filium vel impiis videretur, qui audierant dixisse filium: Pater quod dedit mihi maius omnibus est.

Non videri spiritum Dei à patris & filij maiestate secerni, quia scriptum est: Nobis autem vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in ipsum: & vnus dominus Iesus per quem omnia, de spiritu autem nihil dixit: plerisque locis & de spiritu dixit scriptura & de filio & de deo patre eo loco nihil dixit, aut de deo patre dixit & spiritu, & de dei filio nihil dixit.

CAP. III.

Sed fortasse aliquis dicat, qua ratione cum dixerit hic ex patre omnia, & per filium omnia, de Spiritu sancto tacuerit, & hinc cupiat præiudicium comparare. Quod si pergit maliciose interpretari, quam multis inueniet locis prædicatam sancti Spiritus potestatem, in quibus vel de patre vel de filio nihil scriptura expresserit: sed intelligendum reliquerit. Nunquid ergo cum gratia spiritus prædicatur, Dei patris aut vnigeniti filij denegatur? Non ita, quia sicut pater in filio, & filius in patre, ita etiam diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et sicut qui benedicitur in Christo, benedicitur in nomine patris & filij & Spiritus sancti, quia vnum nomē est, potestas vna: ita etiam vbi operatio aliqua diuina, aut patris, aut filij, aut spiritus designatur, nõ solum ad sanctum Spiritum, sed etiam ad patrem refertur & filium, nec solum ad patrem sed etiam ad filium refertur & spiritum. Denique & arthiops eunuchus Candacis reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est. Et illi qui negauerunt se scire Spiritum sanctum, quamuis baptizatos se dicerent in Ioannis baptismo, baptizati sunt postea, quia Ioannes in remissionem peccatorum, in aduenientis Iesu, non in suo baptizauit nomine. Et ideo spiritum nesciebant, quia nec baptismum in Christi nomine, sicut Ioannes baptizare solebat, acceperant. Ioannes enim licet non baptizaret in spiritu, tamen & Christi

stium prædicabat & spiritum. Denique cum interrogaretur ne forte ipse esset Christus, respondit: Ego vos aqua baptizo, veniet autem fortior, me, cuius nõ sum dignus calciamēta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Ergo isti, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerant accipere baptismatis sacramentum. Baptizati sunt itaque in nomine Iesu Christi, nec iteratum est in his baptisma sed nouatū. Vnum enim baptisma. Vbi autem non est plenū baptismatis sacramentum, nec principium vel species aliqua baptismatis aestimatur. Plenum autem est, si patre & filium spiritumque fatearis. Si vnum neget, totū subruet. Et quemadmodum si vnum in sermone comprehendas, aut patrem, aut filium, aut Spiritum sanctum, fide autem nec patre nec filium nec spiritum abneget, plenū est fidei sacramentum: Ita etiam quauis & patrem & filium & spiritum dicas, & aut patris aut filij aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Denique & illi ipsi qui dixerant: Nec si Spiritus sanctus sit audiuimus, baptizati sunt postea in nomine Domini Iesu Christi. Et hoc abudauit ad gratiã, qui iã Spiritum sanctum Paulo prædicante cognouerant. Nec cõtrarium debet videri, quia quamuis etiam postea tacitum sit de spiritu, tamē creditum est: & quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide. Cum enim dicitur: In nomine Domini nostri Iesu Christi, per vnitatem nominis impletum mysteriū est, nec à Christi baptismate spiritus separatur, quia Ioannes in pœnitentiã baptizauit, Christus in spiritu. Nunc consideremus vtrum quæ admodum in Christi nomine plenū esse legimus baptismatis sacramentum, ita etiam in sancto tantum spiritum nuncupato, nihil desit ad mysterij plenitudinē: & rationē sequamur: quia qui vnum dixerit, trinitatem signauit. Si Christum, & dicas Deum patrem à quo vnctus est filius, & ipsum qui vnctus est filium, & spiritum quo vnctus est designasti. Scriptū est enim: Hunc Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto. Et si patrem dicas, & filium eius & spiritum oris eius pariter indicasti, si tamē id etiam corde cõprehendas. Et si spiritum dicas, & Deum patrem à quo procedit spiritus, & filium, quia filij quoque est spiritus, nuncupasti. Vnde vt rationi copuletur authoritas, in spiritu quoque rectè baptizari nos posse scriptura indicat dicēte Domino: Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto. Et alibi apostolus ait: Omnes enim in ipso corpore in vno spiritu baptizati sumus. Vnū opus, quia vnū mysteriū. Vnum baptismum, quia mors vna pro mūdo. Vnitas ergo operationis, vnitas prædicationis, quæ non potest separari. Quod si hoc loco separatur spiritus ab operatione patris & filij, quia dictum est: Ex Deo omnia, & per filium omnia: ergo & ibi quia apostolus de Christo dixit: Qui est super omnia deus benedictus in secula, non solum cū creaturis omnibus, sed etiam patri (quod dictu nefas est) prætulit. Sed absit. Nõ enim inter omnia pater, nõ inter plebē quandã creaturarum suarum. Subter creatura omnis, supra diuinitas patris & filij & Spiritus sancti. Illa seruit, hæc regnat. Illa subiacet, ista dominatur. Illa opus, hæc author est operis. Illam adorat omnis, hæc adoratur ab omnibus. Denique de filio scriptum est: Et adorent

Math. 3.

Acto. 19.

Acto. 10.

Acto. 1.

1. Cor. 12.

Roman. 9.

Hebr. 1.

um omnes angeli eius. Non habes, adoret Spiritus sanctus. Et infra: Ad quem autem angelorum dixit aliquando. Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nonne omnes sunt, inquit, ministri Spiritus in ministerium qui mittuntur? Cum dicit omnes, nunquid & Spiritum sanctum comprehendit? Non utique, quia angeli & cetera potestates in ministerium & obsequium Dei filio ut seruiant destinantur. At vero Spiritus sanctus, non minister, sed testis est filii. Quemadmodum de ipso filius dixit: Ille testimonium perhibet de me. Testis est ergo filii Spiritus. Qui testis est nouit omnia. Sicut Deus pater testis est. Sic enim habes in posterioribus, quia confirmata est salus nostra testificante Deo signis quoque & prodigiis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti diuisionibus. Qui diuidit, utique supra omnia, non inter omnia est. Diuidere enim operatoris gratia, non operis est materia. Si supra omnia filius, per quem initium salus nostra ut predicaretur accepit: utique & pater Deus qui testificatur & asseuerat signis & prodigiis de salute nostra, exceptus a cunctis est. Similiter autem & Spiritus qui diuisionibus suis nostrae testimonium fert salutis, non est in creaturarum plebe numerandus, sed cum patre aestimandus & filio, qui non per incisiones sui diuiditur ipse cum diuidit. Indiuiduus enim cum sit, nihil amittit cum omnibus largitur. Sicut & filius regnum patre accipiente nihil perdit, nec pater filio cum sua tradit, amittit. Nullum itaque damnus esse in diuisione gratiae spiritalis, Domino attestante cognouimus. Qui enim ubi vult spirat, ubique sine damno est: de quo infra dicemus plenius. Interim nunc quoniam propositum est ordine suo asserere, non esse inter omnia Spiritum computandum, ipsum Apostolum, de cuius verbis faciunt questionem, assertionis huius adhibeamus auctorem. Quae enim essent illa omnia, siue visibilia siue inuisibilia, ipse signauit dicens: Quoniam in ipso condita sunt omnia in caelis & in terra. Vides omnia de his dicta quae vel in caelis sunt, vel in terra? Sunt enim in caelis etiam inuisibilia quae facta sunt. Tamen ne cui esset incognitum, addidit de quibus diceret: Siue sedes, inquit, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Nunquid ergo hic inter creaturas Spiritum sanctum comprehendit? Aut cum dicit, ante omnes esse Dei filium, nunquid ante patrem dixisse estimandus est? Non utique, nam sicut hic per filium dicit omnia creata esse, & in ipso omnia consistere caelestia, ita etiam in Spiritu sancto vires habere vniuersa caelestia dubitari non potest, quando lectum est: Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Super omnia est igitur de quo est omnis caelestium & terrestrium virtus. Qui igitur super omnia est, utique non seruit: qui non seruit liber est, qui liber est habet iura dominatus. Hoc si a principio diceret, negaretur. Sed quemadmodum illi minora negant ne maiora credantur, ita & nos minora praemittamus, ut aut perfidiam suam etiam in minoribus prodant: aut si vel minoribus consentiunt, maiora de minoribus colligamus. Arbitror, clementissime Imperator, plenissime con-

Ioan. 15.

Hebr. 1.

Ioan. 3.

Colos. 1.

Ibidem.

Psal. 32.

gutos eos qui audent inter omnia Spiritum sanctum computare. Sed tamen ut sciant se non tantum apostolicis testimoniis, sed etiam dominicis perurgeti: quomodo audent inter omnia numerare Spiritum sanctum quando ipse Dominus dixerit: Qui blasphemauerit in filium hominis, remittetur ei: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, nec hic nec in futurum remittetur ei. Quomodo igitur inter creaturas audeat quisquam Spiritum computare? Aut quis sic se obligat, ut si creatura derogauerit, non putet sibi hoc aliqua venia relaxandum? Nam si Iudaei, qui adorauerunt militiam caeli, diuino praesidio destituti sunt: qui autem adorant & confitentur Spiritum sanctum, acceptus est Deo, qui non confitentur, sacrilegij reus sine venia damnatur, utique hinc aestimari potest, non inter omnia sed super omnia esse Spiritum sanctum, cuius iniuria aeternis suppliciis expiatur. Cur autem dixerit Dominus: Qui blasphemauerit in filium hominis remittetur ei: qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, nec hic nec in futurum remittetur ei, diligenter aduerte. Nunquid alia est offensa filii, alia Spiritus sancti? Sicut enim vna diuinitas, sic vna iniuria. Sed si qui corporis specie deceptus humani, remissius aliquid sentit de Christi carne quam dignum est (Neque enim vilis nobis debet videri, quae aula virtutis fructus est virginis) habet culpam, non est tamen exclusus a venia, quam fide possit asciscere. Si qui vero sancti Spiritus dignitatem, maiestatem & potestatem abneget sempiternam, & putet non in spiritu Dei eiici demonia, sed in Beelzebub, non potest ibi exoratio esse veniae, ubi sacrilegij plenitudo est: quia qui Spiritum negauit, & Deum patrem negauit & filium, quoniam idem est Spiritus Dei, qui Spiritus Christi est. Vnum autem esse Spiritum nemo dubitauerit, & si de vno Deo plerique dubitauerint. Alium enim dixerunt plerique haeretici Deum veteris, alium noui testamenti. Sed sicut vnus pater, qui & olim locutus est, ut legimus, patribus in prophetis, & in nouissimis diebus nobis locutus est in filio: & sicut vnus filius qui iuxta veteris seriem testamenti ab Adam offensus, ab Abraham visus, a Iacob adoratus est, ita etiam Spiritus sanctus vnus est, qui efferbuit in prophetis, insufflatus est apostolis, copulatus est patri & filio in baptismatis sacramento. De ipso enim dicit David: Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. De ipso etiam alibi dixit. Quo ibo a spiritu tuo?

Quoniam ipse est Spiritus sanctus, qui est Spiritus Dei & Spiritus Christi, ipse paracletus, ipse Spiritus veritatis, ipse Spiritus vitae. CAP. IIII.

Et scias quia idem Spiritus Dei est, qui est Spiritus sanctus, sicut & in Apostolo legimus: Nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo dicit Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto. Ipsum apostolus Spiritum Dei dixit. Ipsum etiam Spiritum Christi appellauit, sicut habes: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et infra: Quod si Spiritus eius qui suscitauit Iesum a mortuis, habitat in vobis. Ipse est ergo Spiritus Dei qui Spiritus Christi. Ipse est Spiritus vitae,

Ibidem.

Ioan. 14.

Ioan. 20.

Act. 5.

Matth. 10.

Luc. 12.

Psal. 103.

Galat. 4.

Ibidem.

vita, sicut ait Apostolus: Lex enim Spiritus vitae in Christo Iesu liberauit me a lege peccati & mortis. Quem ergo Spiritum vitae Apostolus dixit, ipsum Dominus in Euangelio Paracletum nominat, ipsum Spiritum veritatis, sicut habes: Et rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in aeternum, Spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere, quia non vidit eum, nec cognoscit eum. Habes ergo & Paracletum Spiritum, eundem & Spiritum veritatis, & Spiritum inuisibile designatum. Quomodo igitur secundum diuinitatem quidam filium visibilem putant, cum etiam Spiritum mundus videre non possit? Accipe nunc eiusdem voce Domini quod ipse sit Spiritus sanctus, qui & Spiritus veritatis. Habes enim in ultimo libri huius: Accipite Spiritum sanctum. Ipsum quoque esse Spiritum sanctum qui est Spiritus Domini, Petrus docet dicens: Anania quid tibi visum est mentiri Spiritui sancto? Et statim ad uxorem Ananiae idem ait: Quid vobis visum est tentare Spiritum Domini? Cum dicit, vobis, ostendit de eo dictum spiritu de quo Ananiae dixerat. Ipse est ergo Spiritus Domini, qui Spiritus sanctus. Ipsum etiam Spiritum sanctum qui Spiritus patris est, declarauit Dominus dicens secundum Matthaeum, in persecutione non esse cogitandum quid loquamur. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Idem autem secundum Lucam ait: Nolite solliciti esse qualiter respondeatis aut dicatis, Spiritus enim sanctus Dei docebit vos in ipsa hora quae oporteat dicere. Ergo quamuis multi dicantur Spiritus, quia lectum est: Qui facit angelos suos Spiritus, Vnus tamen est Dei Spiritus. Ipsum igitur vnum Spiritum & Apostoli & Prophetae sunt consecuti. Sicut etiam vas electionis, doctor gentium dicit, quia vnum Spiritum potauimus, quasi eum qui non queat scindi, sed infundatur animis, & sensibus illabatur, ut secularis sitis restinguat ardorem. Non ergo sanctus Spiritus de substantia corporalium, hic enim corporalibus incorpoream infundit gratiam: sed nec de substantia inuisibilium creaturarum est: nam & illae sanctificationem huius accipiunt, & per hunc reliquis mundi operibus antecellunt, siue angelos dicas, siue dominationes, siue potestates, omnis creatura expectat sancti Spiritus gratiam. Sicut enim nos per Spiritum liberi, quia misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra clamantem, Abba pater, itaque iam non est seruus sed filius: ita etiam omnis creatura reuelationem filiorum Dei expectat, quos utique sancti Spiritus gratia filios Dei fecit. Ergo & creatura ipsa spiritalis gratiae reuelatione mutatur, & liberabitur a seruitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei. Omnis ergo creatura mutabilis, non solum ea quae iam peccato aliquo aut elementorum conditione mutata est, verum etiam quae corruptela potest esse obnoxia vitio naturae, etsi nondum est studio disciplinae. Nam ut in superioribus libris docuimus, & angelorum naturam liquet potuisse mutari. Utique aestimare conuenit quia qualis vnus natura, talis & ceterorum. Mutabilis ergo & reliquorum natura, sed melior disciplina.

Quod sicut pater sanctus, ita filius, ita & Spiritus dicitur sanctus. CAP. V.

Ergo omnis mutabilis creatura, sed non mutabilis Spiritus sanctus. Neque enim aliquo vitio mutari potest, qui omnium abolet vitia, peccata condonat. Quomodo ergo mutabilis qui sanctificando alios mutat ad gratiam, non ipse mutatur? Quomodo mutabilis, qui bonus semper est? Neque enim vnquam malus Spiritus sanctus, per quem nobis quae bona sunt ministrantur. Vnde & Euangelista duo, in vno eodemque loco, diuersis quidem inter se verbis, sed eadem designantur. Habes enim in Matthaeo: Si vos cum sitis mali, nostris bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in caelis est, dabit bona petentibus se? Secundum Lucam autem inuenies ita scriptum: Quanto magis pater vester de caelo dabit Spiritum bonum petentibus se? Aduertimus ergo bonum esse Spiritum sanctum Domini iudicio, Euangelistarum testimonio, quando alius pro sancto Spiritu bona, alius pro bonis sanctum Spiritum nominauit. Si igitur quod bonum est, hoc est Spiritus sanctus, quomodo bonus non est? Nec fallit, quod nonnulli codices habent etiam secundum Lucam: Quanto magis pater vester de caelo dabit bonum datum petentibus se? Hoc bonum datum gratia spiritalis est, quod Dominus Iesus effudit de caelo postquam patibulo crucis fixus triumphales reuens euacuatam mortis exuuias, victor mortis a mortuis resurrexit. Sicut habes: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et bene ait data, Sicut enim filius datus, de quo scriptum est: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, data est & gratia spiritalis. Quid autem dubitem dicere, quia datus est & Spiritus sanctus, cum scriptum sit: Gratia Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Quem utique quoniam pectora recipere captiua non poterant, prius Dominus Iesus captiuam duxit captiuitatem, ut liberis affectibus gratiae diuinae munus infunderet. Pulchre autem duxit captiuam captiuitatem. Christi enim victoria, victoria libertatis est, quae omnes gratiae vindicauit, nullum astrinxit iniuriae. Ergo in omnium absolutione, nemo captiuus est. Et quia dominicae tempore passionis, sola feriabatur iniuria quae captiuos omnes amiserat quos tenebat, in se recurrens captiua facta est ipsa captiuitas, iam non Belial addicta, sed Christo, cui seruire libertas est. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Sed ut ad proposita reuertamur: Omnes, inquit declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad vnum. Si excipiunt Spiritum sanctum, etiam ipsi eum non esse inter omnia confitentur. Si non excipiunt, ergo & ipsum inter omnia declinasse fateantur. Sed videamus vtrum bonitatem habeat, cum fons sit principiumque bonitatis. Nam sicut pater bonitatem habet, & filius habet, ita etiam bonitatem habet Spiritus sanctus. Quod etiam Apostolus docuit, dicens: Fructus autem Spiritus, pax, charitas, gaudium, patientia, bonitas. Quis autem dubitat quod bonus sit, cuius fructus est bonitas? Arbor enim bona bonos fructus facit.

Matth. 7.

Luc. 11.

Psal. 67.

Esai. 9.

1. Cor. 7.

Psal. 13.

Galat. 5.

Matth. 7.

Itaque si bonus Deus, quomodo non bonus qui oris eius est spiritus, qui scrutatur etiam alta Dei? An in alta Dei contagio mali possit intrare? Unde & illud intelligitur, quam amentes sint qui bonum filium Dei abnegant, cum bonum spiritum Christi negare non possint. De quo ait Dei filius: Propterea dixi, de meo accipiet. An non bonus spiritus qui bonos de pessimis facit, peccatum abolet, malum delet, crimine excludit, bonum munus infundit, de persecutoribus Apostolos facit, de peccatoribus sacerdotes? Eratis, inquit, aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Sed quid differimus eos? Nam si verba exigunt, cum facta non abnuant, accipiant bonum spiritum scriptum. Dixit enim Dauid: Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Quid est enim spiritus, nisi plenus bonitatis? qui cum sit inaccessibilis natura, receptabilis tamen propter bonitatem suam nobis est, complens virtute omnia: sed qui solis participetur iustis, simplex substantia, opulens virtutibus, vnicuique praesens, diuidens de suo singulis, & utique totus. Meritoque filius dixit: Ite, baptizate gentes in nomine patris, & filii, & Spiritus sancti, non dedignatus Spiritus sancti societatem. Cur igitur quod Dominus non dedignatus est in baptismatis sacramento, molestè ferunt aliqui filio vel patri spiritum nostra deuotione coniungi? Bonus ergo spiritus. Bonus autem, non quasi acquirens, sed quasi impertiens bonus est: Non enim accipit à creaturis, sed accipitur Spiritus sanctus, sicut non sanctificatur, sed ipse sanctificat. Creatura enim sanctificatur: sanctificat autem Spiritus sanctus, in quo licet verbi communio, discretio tamè naturae est: sanctus enim dicitur & homo qui accipit, & Deus qui tribuit sanctitatem, quia legimus: Estote sancti, quoniam ego sanctus sum. Non ergo potest sanctificatio & corruptela vnius esse naturae. Et ideo non potest gratia sancti Spiritus & creatura vnius esse substantiae. Itaque cum omnis inuisibilis praeter trinitatem reliqua natura, cuius rationabilem & incorpoream iure quidam substantiam putant, non impertiat spiritalem gratiam sed acquirat: nec participet, sed assumat, separanda utique est à societate Spiritus sancti communitas creaturae. Credant igitur, quia creatura non est Spiritus sanctus. Aut si creaturam putant, cur associant patri? Si creaturam arbitrantur, cur filio Dei iungunt? Quod si à patre & filio non existimant separandum, non aestiment creaturam, quia vbi vna sanctificatio, vna natura est.

Quia in spiritu signamur. CAP. VI.

Sunt tamen plerique qui eò quod in aqua baptizantur & spiritu, non putent aquae & spiritus distare munera: & ideo non putant distare naturam. Nec aduertunt quia in illo aquarum sepelimur elemento, ut renouati per spiritum resurgamus. In aqua enim imago mortis, in spiritu pignus est vitae, ut per aquam moriatur corpus peccati, quae quasi quodam tumultu corpus includit, & per virtutem spiritus renouemur à morte peccati. Et ideo hi tres testes vni sunt, sicut Ioannes dixit: Aqua, sanguis, & spiritus. Vni in mysterio non in natura. Aqua igitur testis est sepulturae, sanguis testis est mortis, spiritus testis est

vitae. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquae, sed ex praesentia est Spiritus sancti. Nunquid in aqua viuimus sicut in spiritu? Nunquid in aqua signamur sicut in spiritu? In ipso enim viuimus, & ipse est pignus hereditatis nostrae. Sicut & Apostolus scribens ad Ephesios ait: In quo credentes signati estis spiritu promissionis: sancto igitur spiritu signati sumus, non natura, sed à Deo, quia scriptum est: Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris: signati ergo spiritu à Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur ut renascamur, ita etiam spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem eius & gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum. Nam & si specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis caelestis effigiem. Quis igitur audeat dicere discretum à Deo patre & Christo esse Spiritum sanctum, cum per ipsum ad imaginem & similitudinem Dei esse mereamur, & per ipsum fiat, quemadmodum Petrus Apostolus dixit, ut diuinæ simus confortes naturae? In quo utique non carnalis successionis hereditas, sed adoptionis gratiae spirituale commercium est. Atque ut sciamus cordis nostri magis hoc quam corporis esse signaculum, docet Propheta qui dicit: Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine, dedisti latitiam in corde meo.

Quis replet omnia spiritus Dei. CAP. VII.

Cum igitur omnis creatura, certis naturae suae sit circumscripta limitibus, siquidem & illa inuisibilia opera quae non queunt locis & finibus comprehendere, substantiae suae tamen proprietate clauduntur: quomodo quis audeat creaturam appellare Spiritum sanctum, qui non habeat circumscriptam determinatamque virtutem. Quia & in omnibus & vbiq; semper est, quod utique diuinitatis & dominationis est proprium. Domini enim est terra, & plenitudo eius. Et ideo cum Dominus seruos suos Apostolos destinaret: ut agnosceremus aliud creaturam esse, aliud gratiam spiritalem: alios alio destinabat, quia omnes simul vbiq; esse non poterant. Dedit autem omnibus Spiritum sanctum, qui licet separatis Apostolis, sic inseparabilis gratiae munus infunderet. Erant igitur diuersae personae, sed vnus in omnibus operationis effectus, quia vnus est Spiritus sanctus, de quo ait: Accipietis virtutem veniente Spiritu sancto in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudaea & Samaria vsque in fines terrae. Incircumscribitur igitur & infinitus Spiritus sanctus, qui se discipulorum sensibus per separatarum diuortia discreta regionum semototique fines totius orbis infudit, quem nihil potest praeterire vel fallere. Et ideo sanctus ait: Quò ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? De quo hoc angelo scriptura dicit? De qua dominatione? de qua potestate? Cuius inuenimus angeli virtutem per plurimos esse diffusam? Angeli enim ad paucos mittebantur, Spiritus autem sanctus populis infundebatur. Quis igitur dubitet quin diuinum sit, quod infunditur simul pluribus nec videtur? Corporeum autem quod videtur à singulis & tenetur. Sed quemadmodum sanctificas

Apostolo-

Apostolos spiritus non est humanae confors naturae. Ita etiam sanctificans angelos, dominationes & potestates, non habet confortium creaturae. Si qui autem putant non esse spiritalem in angelis sanctitatem, sed aliam quandam gratiam suae proprietate naturae, hi inferiores profectò angelos hominibus iudicabunt. Cum enim & ipsi fateantur quod Spiritui sancto angelos conferre non audeant, nec possint negare quod hominibus infundatur Spiritus sanctus: sanctificatio autè spiritus, donum munusque diuinum sit, inuenientur utique homines qui meliorem sanctificationem habent, angelis preferendi. Sed cum angeli hominibus in adiumenta descendant, intelligendum est quod creatura quidem superior angelorum sit, quae plus recipit gratiae spiritualis, eiusdem tamen & erga nos & illos munus authoris sit. Quanta autem gratia quae praemiis angelorum etiam inferiorem creaturam humanae conditionis exaequet? sicut Dominus ipse promisit, dicens: Eritis sicut angeli in caelo. Nec difficile. Qui enim illos angelos fecit in spiritu, homines quoque per eandem gratiam similes faciet angelorum. De qua autem creatura dici potest, quia repleuerit vniuersa quod scriptum est de Spiritu sancto: Effundam de spiritu meo super omnem carnem? non de angelo dici potest. Denique Gabriel ipse missus ad Mariam, Ave, inquit gratia plena. Spiritalem utique in ea declarans gratiam, quod in eam Spiritus sanctus superueniret, & plenam gratiam vterum verbo esset habitura caelestis. Domini enim est omnia complere, qui dicit: Ego caelum & terram compleo. Si ergo Dominus est qui caelum complet & terram, quis potest Spiritum sanctum iudicare dominationis & diuinæ potestatis exortem, qui repleuit orbem, & quod ultra totum orbem est repleuit Iesum mundi totius redemptorem? Scriptum est enim: Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est ab Iordane. Quis igitur alius, nisi qui eisdem esset plenitudinis, complentem omnia posset implere? Sed ne hoc secundum carnem dictum obiciant, quamquam plus vnus ille quam omnes, de cuius carne exibat virtus, quae sanaret omnes. Tamen sicut Dominus complet omnia, ita etiam de spiritu lectum est: Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Habes etiam de omnibus qui conuenerant cum Apostolis dictum, quia repleti sancto Spiritu loquebantur verbum Dei cum fiducia. Vides quia & plenitudinem & fiduciam dat Spiritus sanctus, cuius operationem Archangelus nunciat Mariae dicens: Spiritus sanctus superueniet in te. Habes etiam in euangelio, quia angelus secundum tempus descendebat in natatoria, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in natatoria sanus fiebat. Quid in hoc typo angelus, nisi descensionem sancti Spiritus nunciabat, quae nostris futura temporibus aquas sacerdotalibus inuocata precibus consecraret? Ille ergo angelus sancti Spiritus erat nuncius, eò quod per gratiam spiritalem medicina nostris esset animi ac mentis languoribus deferenda. Eisdem ergo & spiritus habet, quos Deus pater & Christus ministros. Sic omnia replet, sic omnia possidet, sic omnia operatur in omnibus, quemadmodum & Deus pater operatur & filius. Quid igitur sancti Spiritus operatione diuinius, cum etiam benedictio-

num suarum praesulem spiritum, Deus ipse testetur dicens: Ponam spiritum meum supra semen tuum & benedictiones meas super filios tuos: Nulla enim potest esse plena benedictio, nisi per infusionem Spiritus sancti. Unde & Apostolus nihil melius hoc nobis quod optaret inuenit, sicut ipse dixit: Non deficiamus pro vobis orantes & obsecrantes, ut repleamini cognitione voluntatis eius, in omni sapientia & intellectu spiritali ambulantes dignè deo. Hanc igitur Dei esse docuit voluntatem, ut magis in bonis operibus & sermonibus & sensibus ambulantes repleamur voluntate Dei, qui ponit in cordibus nostris Spiritum sanctum. Ergo si is qui habet Spiritum sanctum, Dei repletus est voluntate, utique inter patrem & spiritum nulla distantia voluntatis est. Simul illud aduerte, quia Deus dat Spiritum sanctum. Non enim humanum hoc opus, neque ab homine datur, sed inuocatus à sacerdote, à Deo traditur, in quo Dei munus ministerium sacerdotis est. Nam si Paulus apostolus iudicauit, quod ipse donare Spiritum sanctum sua autoritate non posset, & intantum se huic officio imparè credidit, ut à Deo nos spiritu optaret impleri, quis tantus est qui huius traditionem muneris sibi audeat arrogare? Itaque apostolus votum precatione detulit, non ius auctoritate aliqua vindicauit. Impetrare optauit, non imperare praesumpsit. Petrus quoque ait, quia non erat idoneus qui posset Spiritum sanctum vel cogere vel arcere. Sic enim dixit: Ergo si eandem gratiam concessit illis Deus sicut & nobis, ego quis eram qui possem prohibere Deum? Sed forsasse apostolicis non moueantur exemplis, & ideo diuinis utamur oraculis. Scriptum est enim: Iacob puer meus, suscipiam eum. Israël dilectus meus, suscepit eum anima mea, dedi spiritum meum in ipsum. Dominus quoque per Esaiam dixit: Spiritus Domini super me propter quod vnxit me. Quis ergo audeat dicere creaturam Spiritus sancti esse substantiam, qui cum illuxerit in cordibus nostris, diuinam cernimus pulchritudinem veritatis, & distantiam creaturae diuinitatisque cognoscimus, ut opus segetur ab auctore? Aut de qua creatura deus ita locutus est, quod aut dominationes aut potestates effundat aut angelos? Sed de spiritu, inquit, meo effundam. Non spiritum ait, sed de spiritu. Neque enim nos capere possumus plenitudinem Spiritus sancti, sed tantum accipimus quantum de suo arbiter nostri pro sua voluntate diuiserit. Sicut enim Dei filius non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinaniiuit, ut nos eum nostris animis percipere possemus. Exinaniiuit autem non quod ipse esset vacuus suae plenitudinis, sed quo mihi qui plenitudinem eius sustinere non possem, pro eo quod capere possem infunderetur. Ita etiam de Spiritu sancto pater se dicit effundere super omnem carnem. Non enim totum effudit, sed quod effudit, omnibus abundauit. Supra nos ergo effusum est de spiritu. At verò supra Dominum Iesum cum in forma esset hominis, manebat spiritus, sicut scriptum est: Super quem videris spiritum descendentem de caelo & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Circa nos ex affluenti comodo liberalitas largientis est, in illo totiusmanet in eternum spiritus plenitudo. Quod igitur

Ioan. 16.

Ephes. 5.

Psal. 142.

Matth. 28.

Leuit. 19.

1. Ioan. 5.

Esai. 44.

Colos. 3.

Act. 11.

Esai. 61.

Philip. 1.

Ioan. 1.

Ephes.

2. Cor.

Matth. 22.

2. Pet.

Ioel 2.

Psal. Luca 1.

Hierem. 23.

Luca 4.

Psal.

Act. 4.

Luca 1.

Ioan. 5.

Psal.

nobis satis esse iudicauit, effudit: & quod effusum est, non separatū est, nec incisum secundū quod unitatem habebat plenitudinis, quæ aciem nostri cordis illuminet pro nostræ possibilitate virtutis. Denique tantū capimus, quantū profectus nostræ mētis acquirit. Inseparabilis est enim plenitudo gratiæ spiritualis, sed nobis pro nostræ participatur facultate naturæ. Effudit ergo Deus de spiritu. Effunditur etiam charitas Dei per spiritum, quo loco unitatem debemus agnoscere operationis & gratiæ. Sicut enim de Spiritu sancto Deus effudit, ita etiam charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, vt intelligamus non esse opus sanctū Spiritū qui diuinæ arbiter & fons profluus charitatis est. Similiter autem vt credas id quod effunditur cū creaturis non posse esse commune, sed speciale diuinitatis, etiam & filij nomen effunditur sicut habes: Vnguentū effusum est nomē tuum. Cuius virtute sermonis, nihil potest esse præstantius. Nam sicut inclusum in vase aliquo vnguentum cohibet odorem suum, qui odor quandiu vasis illius angustiis coercetur, & si ad plures non potest peruenire, tamē vim suam seruat: cū verò de vase illo quo claudebatur vnguentum fuerit effusum, longè latèque diffunditur: ita & Christi nomen ante eius aduentū in Israël populo quasi in vase aliquo Iudæorum mentibus claudebatur: Notus enim in Iudæa Deus, in Israël magnū nomen eius. Hoc vtique nomen quod vasa Iudæorū angustiis suis coercitum continebant. Magnū quidem & tunc nomen, cū infirmorū atque paucorum hæreret angustiis, sed magnitudinem suam nondū per corda gentiū, & in fines totius orbis effuderat. Postea verò quàm per omnem mundū suo illuxit aduentu, per omnem vtique creaturā, diuinū illud suum nomen extendit, non repletum accessione aliqua, plenitudo enim nescit augmentum, sed replens vacua, vt esset admirabile nomen eius in vniuersa terra. Huius igitur effusio nominis, abundantem quandam exuberantiam gratiarum, bonorūque cœlestium significat largitatem. Ex abundantia enim superfluit quicquid effunditur. Itaque sicut creata non potest dici sapientia quæ ex ore Dei procedit, nec verbum quod eructatur ex corde, nec virtus in qua plenitudo maiestatis æternæ est: ita etiam creatus non potest spiritus æstimari qui ex ore Dei funditur, cū ipse Deus tātā ostenderit unitatem, vt effundere se de spiritu suo dicat. Quo intelligamus, quia etiam Dei patris eadem gratia sit, quæ Spiritus sancti est, & quod sine incisione ac detrimento aliquo diuidatur mentibus singulorum. Quod ergo de spiritu effunditur, nec inciditur, nec partibus aliquibus corporalibus comprehenditur aut secatur.

Quia sempiternus Dei spiritus. CAP. VIII.

Quomodo enim credibile est, quod spiritus scilicet aliquibus diuidatur? Dicit enim Ioannes de Deo: Ex hoc cognoscimus, quia manet in nobis de spiritu quem dedit nobis. Quod autem manet, semper vtique est nec mutatur. Ergo si mutationem non habet, æternitatem habet. Et ideò Spiritus sanctus sempiternus est, creatura autem obno-

xia vitio, ideòque mutabilis. Quod autem mutabile est, esse non potest sempiternum: & ideò non potest Spiritus sancti & creaturæ esse cōfortium, quia sempiternus est spiritus, creatura autem omnis in tempore est. Sempiternum autem spiritum, etiam Apostolus ostendit: Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad carnē emundandam, quāto magis sanguis Christi qui per spiritum sempiternum se obtulit immaculatum Deo? Plerique arbitrati sunt vnguentum Christi esse Spiritum sanctum. Et bene vnguentum, quia oleum lætitiæ nuncupatum est, quo plurimarū redolēte copula gratiarum, verum illum Deus omnipotens pater vnxit principem sacerdotum, qui nō vt alij in typo vnctus ex lege, sed & secundum legē vnctus in corpore, & in veritate supra legem virtute sancti Spiritus ex patre plenus est. Hoc est oleum lætitiæ, de quo dicit Propheta: Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Denique Petrus vnctum spiritu dicit Christum, sicut habes: Vos scitis quod factum est verbum per totam Iudæam, incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes Iesum à Nazareth, quomodo vnxit eū Deus Spiritu sancto. Oleum igitur lætitiæ Spiritus sanctus est. Et pulchrè oleum lætitiæ dixit, ne creaturam putares. Olei enim huiusmodi natura est, vt nequaquam naturæ alterius humido misceatur. Lætitia quoque non corpus vngit, sed intima cordis illuminat. Sicut Propheta dixit: Dediti lætitiā in corde meo. Ergo cū ludat operam qui oleum velit cum creatura humidiorē confundere, quia cū olei leuior natura sit cæteris, residentibus aliis eleuatum scernitur: quomodo putant isti teterrimi caupones, oleum lætitiæ cum cæteris creaturis sua posse fraude confundi, cū vtique non queāt incorporeis corporea, increatis creata misceri? Et bene oleū lætitiæ dicitur quo vnctus est Christus. Neque enim vsitatū fuit ei oleum & cōmune quærendum, quo aut vulnera curantur, aut estus leuatur, cū fomentum vulnerū suorum salus mundana non quæreret, nec refectiōem corporis fatigati virtus sempiterna deposceret. Nec mirum si habet oleum lætitiæ, qui facit exultare morituros, tristitia mundum exuit, mœstæ foetorem mortis aboleuit. Et ideò Apostolus ait: Christi enim bonus odor sumus Deo. Vtique de spiritualibus significans se locutum. Sed & cū ipse filius Dei dicit: Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, spiritale significat vnguentum. Ergo vnguentū Christi est spiritus. Aut si quia vnguentum exinanitum est nomē Domini Iesu Christi, ipsū intelligere volunt vnguentū expressum nomine, non spiritum Christi, vtique cum vnctum Spiritu sancto Dominum Iesum Petrus Apostolus dixerit, liquet sine dubio quod vnguentū dicitur & spiritus. Sed quid mirum cum & pater & filius spiritus esse dicatur? De quo quidem dicemus plenius, cū de vnitatem nominis dicere cœperimus. Tamē quia hīc quoque incidit pulcherrimus locus, ne sine corolario eum præterire videamur, accipiāt quia & pater dicitur spiritus, sicut in Euangelio Dominus loquutus est, quoniam spiritus est Deus, & Christus spiritus dicitur, quia Hieremias dixit: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.

Et

Et pater ergo spiritus, & filius spiritus. Quod non est creaturæ corpus, hoc spiritus est. Sed non confusus cū patre & filio Spiritus sanctus, verum & à patre distinctus & filio. Non enim Spiritus sanctus est mortuus qui mori non potuit, quia carnem non suscepit, nec mortis capax esse potuit sempiterna diuinitas, sed mortuus secundum carnem Christus. In eo vtique mortuus quod suscepit ex virgine, non in eo quod habebat ex patre. In eo enim mortuus in quo crucifixus est Christus. Spiritus autem sanctus non potuit crucifigi, qui carnem & ossa non habuit, sed crucifixus est Dei filius qui carnem & ossa suscepit, vt in illa cruce nostræ carnis tentamenta morerentur. Suscepit enim quod non erat, vt celaret quod erat. Celauit quod erat, vt tentaretur in eo, & redimeretur quod non erat, vt ad id quod erat, per id quod non erat, nos vocaret. O diuinum crucis illius sacramentum in qua hæret infirmitas, virtus libera est: affliguntur vitia, eriguntur trophæa. Vnde quidā sanctus ait: Cōfige clauis à timore tuo carnes meas, non ferreis clauis, sed timoris & fidei. Vehementior est enim virtutis strictura quàm pœnæ. Denique Petrus cū vsque in atrium principis sacerdotum Dominum sequeretur, quem nemo ligauerat, fides vinxerat, & quem fides vinxit, pœna nō soluit. Rursus cū ligaretur à Iudæis, deuotio soluit, pœna nō tenuit, quia non secessit à Christo. Ergo & tu crucifige peccatum, vt moriāre peccato. Qui enim peccato moritur, Deo viuūt. Viuamus ei qui filio proprio non pepercit, vt in illius corpore nostras crucifigeret passiones. Pro nobis enim mortuus est Christus, vt nos in illius rediuiuo corpore viuereamus. Mortua est ergo in illo non vita nostra, sed culpa. Qui peccata, inquit, nostra pertulit corpore suo super lignum, vt à peccatis nostris separati cum iustitia viuamus, cuius vulnere plagarum sanati sumus. Lignum igitur illud crucis, velut quædam nostræ nauis salutis, vectura nostra, nō pœna est. Alia enim salus non est nisi vectura salutis æternæ, dum mortē expetendo non sentio, dum pœnam contemnendo non patior, dum metum nescio negligendo. Quis est igitur, cuius vulnere plagarum sanati sumus, nisi Christus Dominus? De quo idē prophetauit Esaias, quia plaga eius nostra medicina est. Et de quo Paulus Apostolus in epistolis suis scripsit: Qui peccatū non cognouit, sed pro nobis peccatum factus est. Hoc quippe diuinum in eo, quia caro peccatum nō fecit, nec in eo suscepti corporis natura peccauit. Nam quid mirū si non peccauit sola diuinitas, cū peccandi incētiua non habeat? Si autem solus exors peccati Deus, omnis vtique creatura per naturā suā, vt diximus, obnoxia potest esse peccato.

Quia Spiritus peccata condonat. CAP. IX.

Dic igitur quicumque Spiritus sancti diuinitatem negas. Spiritus autem obnoxius non potuit esse peccato, qui magis peccata condonat? Nunquid Angelus donat? Nunquid Archangelus? Non vtique. Sed donat solus pater, solus filius, solus Spiritus sanctus. Nemo autem quod potest donare, non potest vitare. Sed fortasse dicit aliquis, quia & Seraphim dixit Esaiæ: Ecce tetigit hoc labia tua, & ab-

stulit iniquitates tuas, & peccata tua circumpurgauit. Abstulit, inquit, & circumpurgauit. Nō ego abstuli, sed ignis ille de altari Dei, hoc est, gratia spiritualis. Quid enim aliud piè intelligere possumus in altari Dei esse, nisi spiritus gratiæ? Non vtique lignū syluarum, nec fuliginem atque carbonem. Aut quid tam piū, quàm vt secundum mysterium intelligamus, quia reuelabatur in ore Esaiæ, omnes homines per passionem Christi esse purgandos? Quia velut carbo secundum carnem exussit nostra peccata, sicut in Zacharia habes: Nōne hic titio eiectus ab igni? Et ille erat Iesus indutus vestimēta sordida. Denique vt sciamus communis hoc redemptionis mysterium per Prophetas euidentissimè reuelatum, etiam hoc loco habes ab illo dictum: Ecce abstuli peccata tua: non quòd Christus peccata sua deponeret, qui peccatum nō fecit, sed quòd in carne Christi omne à peccatis suis genus absolueretur humanum. Sed etiam si Seraphim abstulisset peccatum, quasi vnū vtique de ministris Dei, ad hoc esset ministerium destinatum. Sic enim dixit Esaias, Quia missum est ad me vnum de Seraphim.

Non de loco ad locum transire spiritum Dei, de quo scriptum est: Qui à patre procedit, & de quo dicit filius Dei: Quem ego mittam vobis.

C A P. X.

Et spiritus quidem missus dicitur, sed Seraphim ad vnum, spiritus ad omnes. Seraphim mittitur in ministerium, spiritus operatur mysterium. Seraphim quod iubetur exequitur, spiritus quod vult diuidit. Seraphim de loco ad locū transit: non enim complet omnia, sed ipsum repetitur ab spiritu. Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suā transitu. At verò de Spiritu sancto hoc non possumus æstimare: De quo dicit filius Dei: Cū venerit inquit, Paracletus spiritus veritatis, quem ego mitto vobis qui à patre procedit. Etenim si de loco procedit spiritus, & ad locum transit: & ipse pater in loco inuenitur, & filius. Si de loco exit quæ pater mittit, aut filius: vtique de loco transiens spiritus atque progrediens, & patrem sicut corpus secundum impias interpretationes relinquere videtur & filium. Hoc secundum eos loquor qui putant quòd habeat spiritus descensorium motū. Sed neque in loco aliquo pater circumferitur, qui est super omnia non solum corporeæ naturæ, sed etiam inuisibilis creaturæ. Neque filius suorum operum locis temporibusque concluditur, qui super omnem est creaturā, totius opifex creaturæ. Neque spiritus veritatis, vt pote Dei spiritus, circumferitur aliquibus finibus corporalibus: qui cū sit incorporeus, omnē intelligibilem substantiam creaturæ inenarrabili diuinitatis plenitudine supereminet, spirandi vbi velit, & inspirandi quomodo velit, habens super omnia potestatem. Non ergo quasi ex loco mittitur spiritus, aut quasi ex loco procedit quādo procedit ex filio, sicut ipse filius cū dicit: De patre processi & veni. Omnes interficit opiniones quæ ex loco ad locū possunt, sicut in aliquibus corporalibus æstimari. Similiter cū aut intus aut foris legimus Deū esse, nō vtique Deū, aut intra aliquod corpus includimus, aut ab aliquo corpore separamus: sed alta hoc & inenarrabili

æstimatione, pensantes diuinæ naturæ intelligimus arcanum. Denique ita sapiētia ex ore Altissimi prodisse se dicit, vt non extra patrem sit, sed apud patrem, quia verbum erat apud Deum. Nec solum apud patrem, sed etiam in patre. Dicit enim: Ego in patre, & pater in me est. Sed neque cum de patre exit, de loco recedit, aut quasi corpus à corpore separatur; neque dum in patre est, quasi in corpore tãquam corpus includitur. Spiritus quoque sanctus cum procedit à patre & filio, non separatur à patre, non separatur à filio. Quemadmodum enim separari potest à patre qui spiritus oris eius est? Quod vtique & æternitatis indicium, & diuinitatis exprimit vnitatem. Est ergo & manet semper qui oris est spiritus. Sed descendere videtur etiam, cum illum recipimus vt habitet in nobis, ne nos simus à gratia eius alieni. Nobis descendere videtur, non quod ille descendat, sed quod ad illum animus noster ascēdat. De quo plenius diceremus, nisi meminissemus in libris iam superioribus positũ quod & pater dixerit: Descendamus & confundamus linguas eorum. Et filius dixerit: Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sic igitur venit spiritus, quemadmodum venit pater, quia vbi pater est, ibi est & filius: & vbi filius est, ibi est & Spiritus sanctus. Non ergo discretè venire æstimandus est Spiritus sanctus. Venit autem non de loco ad locum, sed à dispositione constitutionis ad salutem redemptionis, à gratia viuificationis ad gratiam sanctificationis, vt de terris ad cœlũ, de iniuria ad gloriam, de seruitio ad regnum transferat. Sic ergo venit spiritus, quemadmodum venit pater. Dixit enim filius: Ego & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nunquid corporaliter pater venit? Sic ergo spiritus venit: in quo cū venit, & patris & filij plena præsētia est. Quis autē potest à patre & filio Spiritum sanctũ separare, cum vel appellare patrem & filium sine spiritu non queamus? Nemo enim dicit Dominũ Iesum, nisi in Spiritu sancto. Ergo si appellare Dominum Iesum sine spiritu non possumus, vtique sine spiritu prædicare non possumus. Si autem & angeli prædicant Dominum Iesum, quem nemo potest sine spiritu prædicare: & in ipsis ergo Spiritus sanctus operatur. Probauimus igitur vnã præsētia esse, vnã gratiam esse patris & filij & Spiritus sancti, quæ tam cœlestis atque diuina est, vt pro ea agat gratias patri filius dicens: Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ergo cum vna vocatio sit, vna etiam gratia est.

Quia vna pax, vna gratia patris, & filij & Spiritus sancti.

CAP. XI.

Denique scriptum est: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Ecce habemus, quia patris & filij vna est gratia, & patris & filij vna est pax: sed hæc gratia & pax fructus est spiritus, sicut ipse Apostolus docuit dicens: Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia. Et

G bona pax & necessaria, vt nemo disputationum turbetur incertis, neque passionum corporalium tempestate quatiatur, sed in simplicitate fidei & tranquillitate mentis quietus circa Dei cultum perseueret affectus. De pace probauimus. De gratia autē Propheta Zacharias dicit: Quia promisit Deus effundere in Hierusalem spiritum gratiæ & misericordiæ. Et Apostolus Petrus dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis gratiam Spiritus sancti. Ergo sicut patris & filij, ita & Spiritus sancti gratia est. Quomodo enim sine spiritu potest esse gratia, cum gratia diuina omnis in spiritu sit? Nec solum pacem & gratiam legimus patris & filij, & Spiritus sancti, sed etiã charitatem & communionem, fidelis Auguste. De charitate enim dictum est: Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei.

Quia vna charitas patris & filij, & Spiritus sancti, & operatio trinitatis, vt passionem corporis Dominus Iesus subiret.

CAP. XII.

Accipiamus charitatem patris. Eadem charitas quæ patris, etiam filij est. Ipse enim dixit: Qui me diligit, diligetur à patre meo, & ego diligam eum. Quæ est enim charitas filij, nisi quia se pro nobis obtulit, & suo sanguine nos redemit? Eadem autē charitas & in patre est, quia scriptum est: Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium proprium daret. Tradidit ergo pater filium, & filius ipse se tradidit. Seruatur charitas, nec læditur pietas. Nulla est enim pietatis iniuria, vbi nulla est traditionis ærumna. Tradidit volentem, tradidit offerentem, non vtique ad pœnam patrem filium, sed ad gratiam. Si discutis facti meritum, interroga pietatis vocabulum. Vas electionis vnitatem hanc diuinæ charitatis euidenter ostendit, quia & pater tradidit filium, & filius ipse se tradidit, quia filio proprio nõ peperit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. De filio quoque dicit: Qui se tradidit pro me. Tradidit, inquit: Si gratiæ, quid arguo? Si iniuriæ, plus debeo. Sed sicut pater tradidit filium, & filius ipse se tradidit, accipe quia & spiritus eum tradidit. Scriptum est enim: Tunc Iesus ductus est in desertum ab spiritu, vt tentaretur à diabolo. Ergo & spiritus diligens tradidit Dei filium. Sicut enim vna est charitas patris & filij, ita hanc charitatem Dei supra effundi per Spiritum sanctum, & fructum esse sancti spiritus declarauimus: quia fructus est spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia.

Quia vna communicatio patris, & filij, & Spiritus sancti.

CAP. XIII.

Communicationem autem & patris & filij esse manifestum est, quia scriptum est: Et communicatio nostra cum patre & cum filio eius Iesu Christo. Et alibi: Communicatio Spiritus sancti cū omnibus vobis. Si igitur vna pax, vna gratia, vna charitas, vna communicatio est patris & filij & Spiritus sancti: vna certè operatio est. Et vbi vna operatio est, vtique non potest virtus esse diuisa & discreta

ta substantia. Nam quomodo operationis eiusdem A gratia conueniret?

Quia vnum nomen patris, & filij, & Spiritus sancti.

CAPVT XIII.

Quis igitur vnitatem separare audeat nominis, cum operationis videat vnitatem? Sed quid ego vnitatem nominis argumentis astruo, cum diuinæ vocis euidentis testimoniũ sit, vnum nomen esse patris, & filij, & Spiritus sancti? Scriptum est enim: Ite, baptizate gentes in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. In nomine dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen patris, aliud nomen filij, aliud nomen Spiritus sancti, quia vnus Deus: nõ plura nomina, quia non duo dij, non tres dij. Et vt aperiret quia vna diuinitas, vna maiestas est, quia vnum nomen patris, & filij, & Spiritus sancti, non in alio nomine venerit filius, in alio nomine Spiritus sanctus, ait ipse Dominus: Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quod autem nomen patris est, hoc idem filij scriptura declarat, quia in Exodo dixit Dominus. Ego antecedo in nomine meo, & vocabo te nomine meo Dominum in conspectu tuo. Dominus ergo dixit, quia in nomine suo vocauit Dominum. Dominus ergo & patris est nomē & filij. Cum autem vnum nomen sit patris & filij, accipe quod & Spiritus sancti idem nomen sit, quoniã & Spiritus sanctus in nomine filij venit: sicut scriptũ est: Paracletus autem ille Spiritus sanctus quẽ mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Qui autē venit in nomine filij, vtique etiã in nomine patris venit, quia vnũ nomen patris & filij est. Sic fit vt vnũ & patris & filij nomē sit & Spiritus sancti. Nec enim est aliud nomen sub cœlo vllum in quo oportet saluos fieri. Simul docuit vnitatem diuini nominis esse credendam, non disparilitatem, quoniam in vnitatem nominis venit Christus. In suo autē nomine venturus Antichristus est, sicut scriptũ est: Ego veni in nomine patris mei, & nõ accepistis me: si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Edoctum est igitur ex his nõ esse in patre & filio, & Spiritu Paracleto nominis diuersitatem. Et quod nomē est patris, id esse etiam filij nomē: similiter quod nomen est filij, esse id etiam Spiritus sancti. Quãdoque etiam Paracletus filius dicitur, sicut & Spiritus sanctus. Et idẽ ait in Euãgelio Dominus Iesus: Rogabo patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis qui vobiscum sit in æternum spiritum veritatis. Et bene dixit alium, ne ipsum filium ipsum spiritum intelligeres. Vnitas enim nominis est non filij spiritus, quæ est Sabelliana confusio.

Quia & filius Paracletus dicitur, sicut & spiritus, & quia beneficij & gratiæ hoc nomen, non iniuriæ est

CAP. XV.

Itaque alius Paracletus est filius, alius Paracletus Spiritus sanctus. Filium enim Paracletum dixit etiam Ioãnes, sicut habes: Si quis peccauerit, Paracletum habemus apud patrem Iesum Christum. Itaque quemadmodum vnitas nominis, ita etiam vnitas potestatis est. Vbi enim Paracletus spiritus, ibi

S. Ambr. tom. 4.

etiam filius. Nam sicut hic in æternum Dominus futurum cum fidelibus ipiritum dicit, ita etiam de se alibi ostendit, quod in æternum cum Apostolis fit futurus, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem mundi. Vnũ sunt ergo filius & spiritus, vnum nomen est trinitatis, & vna inseparabilisque præsētia. Sicut autem ostendimus Paracletum filium nominatum, ita etiã ostendimus veritatem spiritum nuncupatum, Veritas Christus, veritas spiritus. Habes enim in epistola Ioannis: Quoniam spiritus est veritas. Non solum B ergo spiritus veritatis, sed etiam veritas dicitur spiritus, sicut & veritas filius prædicatur, qui ait: Ego sum via, veritas, & vita.

Quia sicut pater lumen, ita & filius lumen, & spiritus lumen est. Et sicut patrem ignem legimus, ita et filium, & Spiritum sanctum.

CAP. XVI.

Quid autem astruam, quod sicut pater lumen, ita etiam filius lumen, & Spiritus sanctus lumen est? Quod vtique diuinæ potentie est. Deus enim lux est, sicut dixit Ioãnes: Quia Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt: lux autem & filius, quia vita erat lux hominum. Et vt ostenderet se de Dei filio Euangelista dixisse, ait de Ioãne Baptista, Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo quia Deus lux est, lux autē vera est Dei filius, sine dubio Deus verus est Dei filius. Habes & alibi, quia filius Dei lux est: Populus qui sedebat in tenebris & in umbra mortis, lucem viderunt magnã. Quid autem hoc euidentius quod ait: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen: hoc est, quod apud te Deus omnipotens pater, qui fons vitæ es, in lumine tuo filio, lumen videbimus Spiritus sancti. Sicut ipse Dominus ostendit, dicens: Accipite Spiritum sanctum. Et alibi: Et virtus exibat de eo. Ipsum autem patrem quis dubitet lucem esse, cum lectum sit de filio eius, quia splendor sit lucis æternæ? Cuius enim nisi patris splendor est filius, qui & cum patre semper est, nec dissimilis, sed eadem claritate semper fulget? Et Esaias significat, non solum lucem, sed etiam ignem esse Spiritum sanctum, dicens: Et erit lux Israël in igne. Itaque prophetat cum ignem ardentem, quia in tribus istis generibus propensus maiestatem diuinitatis aduertimus: Quoniam & sanctificare diuinitatis esse aduertimus, & illuminare ignis & lucis est proprium, & specie ignis exprimi vel videri, diuinæ est consuetudinis. Deus enim est ignis consumens, sicut Moyses dicit: Vidit enim ipse in rubo ignem, & audierat Deum tunc quãdo vox facta est de flãma ignis ad eum dicens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Vox ergo de flãma, & in rubo flamma, & flãma non noxia. Vrebat enim rubus, & non exurebatur, eò quod illo mysterio Dominus figuraret, quia illuminaturus spinas nostri corporis adueniret, nec consumpturus grummosos: sed mitigaturus ærumnas, qui baptizaret in Spiritu sancto & igni, vt gratiam tribueret, peccata cõsumeret. Ergo in specie ignis Deus seruat propositum. In Actibus quoque Apostolorum cum supra

I

Genes. 11.

Ioan. 14.

1. Cor. 12.

Matth. 11.

Galat. 1.

Galat. 5.

Matth. 28.

Ioan. 5.

Ioan. 14.

Acto. 4.

Ioan. 5.

Galat.

1. Ioan. 2.

Matth. 28.

Ioan. 14.

1. Ioan. 1.

Ioan. 1.

Esai. 9.

Psal. 35.

Ioan. 20.

Luc. 6.

Heb. 1.

Esai. 10.

Deuter. 4.

Exod. 3.

Astor. 2.

Indic. 7.

fideles Spiritus sanctus descendisset, ignis species videbatur. Sic enim habes: Et factus est subito de celo sonus tanquam vi magna spiritus ferretur, & repleuit totam domum ubi erant sedentes, & visae sunt illis dispersae linguae tanquam ignis. Vnde & illud: Quando Gedeon superaturus Madian, trecetos viros iussit hydrias sumere, & in hydriis faces accensas habere, & in dextris tenere tubas: ita nostri acceptum ab Apostolis seruauere maiores, quod hydriae sint corpora nostra figurata de limo, quae timere non norunt, si feruore gratiae spiritualis ignescant, & Iesu Domini passionem canora vocis confessione testentur. Quis igitur de diuinitate sancti Spiritus dubitet, cum ubi spiritus gratia sit, ibi species diuinitatis appareat? Quo testimonio, non diuersitatem sed unitatem diuinam colligimus potestatis. Nam quemadmodum potest esse discretio potestatis, ubi vnus in omnibus operationis effectus est? Neque verò potest esse gratia sacramentorum, nisi ubi fuerit venia peccatorum. Quis est igitur iste ignis? Non utique virgultis vilibus concretus, aut stipula syluarum fragosus incediis, sed ignis ille qui vt aurum bona facta meliorat, & vt stipulam peccata consumit. Hic est utique Spiritus sanctus, qui dominici vultus & ignis appellatur & lumen.

Quia lumen vultus Dei spiritus, & spiritus lumen.

CAP. XVII.

Psal. 4.

Ephes. 1.

Psal. 49.

Lumen vultus tui Domine. Quod est ergo lumen signatum, nisi illius signaculi spiritualis, in quo credentes signati sunt? Signati, inquit, estis spiritu promissionis sancto. Et sicut lumen est vultus diuini, ita etiam ignis emicat ex Dei vultu, quia scriptum est: Ignis in conspectu eius ardebit. Praefulget enim gratia dei iudicij, vt sequatur absolutio quae sanctorum remuneratur obsequium. O magna abundantia scripturarum, quam nemo possit humano ingenio comprehendere. O maximum diuinam unitatis indicium. His enim duobus versiculis quam multa signantur.

Quia sicut pater vita, & filius vita, & Spiritus sanctus vita.

CAP. XVIII.

I. Ioan. 1.

Ezech. 1.

Diximus quia lux est pater, lux filius, lux Spiritus sanctus: accipiamus etiam quia vita est pater, vita filius, vita Spiritus sanctus. Dixit enim Ioannes: Quod erat ab initio, quod audiuiimus, & quod vidimus, & oculis nostris perspeximus, & manus nostrae scrutatae sunt de verbo vitae, & vita apparuit, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis de vita quae erat apud patrem. Et verbum vitae dixit & vitam, vt & patrem vitam significaret & filium. Quid enim est vitae verbum, nisi Dei verbum? Ac per hoc & Deus verbum Dei vita est. Et sicut verbum vitae dicitur, ita & spiritus vitae. Scriptum est enim: Et spiritus vitae erat in rotis. Itaque sicut verbum vitae vita est, ita & vitae spiritus, vita est.

Quia sicut pater fons vitae est, ita etiam filius, ita & Spiritus sanctus. CAP. XIX.

Accipe nunc, quia sicut pater fons vitae est, ita etiam filium plerique fontem vitae memorarunt significatum, eò quod apud te, inquit Deus omnipotens, filius tuus fons vitae sit, hoc est, fons Spiritus sancti, quia spiritus vita est, sicut Dominus ait: Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: quia ubi spiritus & vita, & ubi vita, etiam Spiritus sanctus. Plerique tamen hoc loco patrem volunt tantummodò fontem significatum, quamquam videant quod scriptura memorauerit. Apud te, inquit, fons vitae: hoc est, apud patrem filius: quoniam verbum apud Deum, quod erat in principio, & erat apud Deum: sed siue patrem quis hoc loco, siue filium intelligat fontem, fontem utique intelligimus, non aquae istius quae creata est, sed diuinam illius gratiam, hoc est, Spiritus sancti. Ipse est enim aqua viua: propterea Dominus dicit: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Hanc aquam sitiuit anima David. Harum fontem aquarum desiderat ceruus, non sitiens venena serpentum. Viua est enim aqua gratia spiritualis, eò quod mentis interna purificet, & omne animi peccatum abluat, occultorumque mundet errorem.

Quod sicut pater flumen, ita & filius, ita & Spiritus sanctus. CAP. XX.

Sed ne quis fortè tanquam pusillitatem spiritus redarguat, & hinc velit quandam facere distantiam magnitudinis, quod aqua portio videatur esse fontis exigua: quanquam creaturarum exempla minimè diuinitati aptanda videantur, tamen ne quid ex hac quoque creaturae comparatione prauidicet, discant non solum aquam, sed etiam flumen dictum Spiritum sanctum, secundum quod lectum est: Flumina de ventre eius fluent aquae viuae. Hoc autem dicebat de Spiritu sancto, quem accepturi erant qui credituri erant in eo. Ergo flumen est Spiritus sanctus, & flumen maximè quod secundum Hebraeos de Iesu fluxit in terris, vt ore Esaiæ saepe accepimus prophetatum. Magnum hoc flumen quod fuit semper, & nunquam deficit. Nec solum flumen, sed etiam profusi impetus, & magnitudinis redundantis, sicut etiam David dixit: Quia fluminis impetus laetificat ciuitatem Dei. Neque enim ciuitas Dei illa Hierusalem meatu alicuius fluuij terrestri abluitur, sed ille ex vitae fonte procedens Spiritus sanctus, cuius nos breui satiamur haustu, in illis caelestibus thronis, dominationibus, & potestatibus, angelis & archangelis redundantius videtur effluere pleno septem virtutum spiritualium feruens meatu. Si ei enim fluuius riparum editis superfluis exundat, quanto magis spiritus omnem supereminens creaturam, cum reliqua tanquam inferiora nostrae mentis arua perstringat, caelestem illam creaturarum naturam effusione quadam sanctificationis vbertate laetificat? Nec moueat quod vel hic dixit, flumina, vel alibi septem spiritus: his enim sanctificationibus septem spiritualium (sicut Esaias dixit) significatur plenitudo

plenitudo virtutum, spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus timoris Dei. Vnum ergo flumen, sed multi spiritualium donorum meatus. Hoc igitur flumen exit ex fonte vitae. Nec hic rursus sensum tuum ad inferiora detorqueas, quia quaedam diuersitas videtur esse fontis & fluminis: & tamen ad omnia prospexit scriptura diuina, ne infirmitas humani caperet ingenij vilitate sermonum. Proponas tibi licet quoduis flumen, è fonte est, vnus tamen naturae, vnus splendoris & gratiae. Dic sanè & tu Spiritum sanctum vnus cum filio Dei & Deo patre esse substantiae, vnus claritatis & gloriae. Capiam fidele compendium de unitate virtutis, nec verebor aliquam de diuersitate magnitudinis questionem: nam etiam in hoc nobis scriptura prospexit. Dicit enim Dei filius: Qui biberit de aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Hic fons utique gratia spiritualis est, fluuius ex viuo fonte procedens: fons igitur vitae etiam Spiritus sanctus est. Aduertis etiam ex verbis ipsis, diuinam significari magnitudinis unitatem, nec posse Christum etiam à perfidis fontem negari, cum fons dicatur & spiritus. Et sicut flumen dicitur spiritus, ita & pater dixit: Ecce ego decurram in vos sicut fluuius pacis, & sicut torrens inundans gloriam gentium. Quis autem dubitet flumen esse Dei filium, de quo aeternae vitae flumina profluebant? Bona ergo aqua spiritualis gratia. Quis hunc fontem dabit peccatori meo? in me saliat, in me fluat vitae largitor aeternae. Superfluat in nobis fons iste, non effluat. Dicit enim sapientia: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus, inque plateis tuis superfluat aqua tua. Quomodo hanc aquam tenebo ne effluat, ne labatur? Quomodo vas meum conseruabo, ne qua penetrans rima peccati, aeternae vitae distillet humorem? Doce nos Domine Iesu, doce sicut docuisti Apostolos tuos dicēs: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo & tinea exterminat, & ubi fures effodiunt & furantur. Furem videlicet immundum spiritum esse significat, qui in bonorum operum luce gradientibus non posset obrepere: in te-

nebris autem secularium cupiditatum, & inter oblectamenta terrestrium si quem coeperit voluptatum, omni virtutis aeternae flore dispoliat. Et ideo Dominus dicit: Thesaurizate vobis thesaurum in caelo, ubi neque erugo neque tinea exterminat, & ubi fures non effodiunt & furantur: Vbi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Erugo nostra lasciuia est, erugo nostra libido est, erugo nostra luxuria est, quae flagitiorum fordibus aciem mentis obducunt. Tinea rursus nostra Arrius est: tinea nostra Fotinus est, qui sanctum ecclesiae vestimentum impietate sua scindunt, & unitatem diuinam potestatis indiuiduam separare cupientes, sacrilego morsu preciosum fidei velamen obrodunt. Funditur aqua, si Arrius dentem impresserit. Effluit, si aculeum suum in alicuius vas Fotinus infixerit. Vile figmentum fumus, cito vitia sentimus. Sed nemo dicit figulo, quid me fecisti sic? Nam etsi vile vas nostrum, aliud tamen in honore, aliud in contumelia est. Noli ergo aperire lacum tuum, noli fodere vitis atque criminibus, ne quis dicat: Lacum aperuit & effudit eum, & incidit in foueam quam operatus est. Si Iesum quaeritis, contritos lacus deserite. Christus enim non ad lacum, sed ad puteum sedere consuevit. Ibi eum Samaritana illa quae credidit, illa quae aquam haurire cupiebat, inuenit. Quamuis manè venire debueris, tamen etiam si serius veneris, etiam sexta hora Iesum fatigatum ex itinere inuenies. Fatigatus est, sed in te, quia diu te quaesuit, tua illum tamdiu incredulitas fatigauit. Non offenditur tamen si modò venias, petit bibere, daturus. Bibit autem non aquam praetermeantis riui, sed salutem tuam, bibit affectum tuum, bibit calicem, hoc est, passionem illam tuorum criminum redemptricem, vt tu sitim istius mundi sacri potus cruore restinguas. Sic Abraham Deum posteaquam puteum fodit emeruit. Sic Isaac dum ad puteum deambulat, venientem illam in typo ecclesiae accepit uxorem. Fidelis ad puteum, infidelis ad lacum. Denique & Rebecca (sicut legimus) petiorem inuenit ad fontem, & meretrices in lacu Iezabel se cruore lauerunt.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS IN LIBRVM SECVNDVM DE SPIRITV SANCTO AD GRATIANVM AVGVSTVM,

PROLOGVS.

ETSI in libro primo veteris historia lectione patefactum sit, & in ipsis iudiciis Iudeorum veterum spiritalem gratiam refulsisse, & per Spiritum sanctum caelestium sacramentorum reuelata mysteria, quem Moyses non ignorauit aeternum. Denique statim in principio mundi, imò ante principium eum Deo iunxit, quem ante mundi principium sempiternum esse cognouit. Namque si quis diligenter aduertat, & patrem in principio

Genes. 1. & filium, cognoscet & spiritum. De patre enim scriptum est: In principio fecit Deus cælum & terram. De spiritu dictum est: Spiritus superferebatur super aquas. Et bene in exordio creaturæ baptismi figura signatur, per quod habuit creatura mundari. Lectum etiam de filio quod ipse est, qui discreuit inter medium lucis & tenebras. Vnus est enim Deus pater qui dicit, & unus Dominus Iesus qui facit. Sed ne rursus aut arrogans putes dicentis imperium, aut vile facientis obsequium: aequalem sibi pater filium confiteatur operis unitate, dicēs: Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostrā. Et imago enim & operatio & similitudo communis, quid aliud nisi maiestatis eiusdem significat unitatē? Tamen ut aequalitatē plenius patris filiique cognoscas, sicut dixit pater, & filius fecit: ita & pater operatur, & filius dicit. Pater operatur, sicut scriptum est: Pater meus usque modō operatur. Filius dicit, sicut habes dictum ad filium: Dic verbo, & sanabitur. Et filius dicit patri: Volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum. Fecit pater quod filius dixit. Sed nec Abraham ignorauit Spiritum sanctum. Denique tres vidit, & unum adorauit: quia unus Deus, unus Dominus, & unus spiritus. Et ideo unitas honoris, quia unitas potestatis. Et quid de singulis loquar? Samson diuina promissione generatus, spiritum comitantem habebat. Sic enim legimus: Quia benedixit eum Dominus, & cœpit spiritus Domini comitari cum eo in castra. Et ideo futurum præuidens sacramentum ex alienigenis poscebat uxorem: quod pater eius ac mater (ut scriptum est) ignorabant quoniam à Domino est. Meritoque fortior cæteris habebatur, quia eum spiritus Domini dirigebat, quo duce solus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem morsu inuiolabilis, fortitudine insuperabilis discerptum manibus diuidebat. Vtinā tam cautus ad seruandam gratiam, quam fortis ad superandam bestiam. Et fortasse hoc non solum virtutis miraculum, sed etiam sapientiæ mysterium, prophetiæ oraculum fuit: Neque enim ociosum videtur quod cum tenderet ad mysterium nuptiarum, leo rugiens occurrit ei, quem manibus ille discepserat, in cuius corpore connubio potiturus optato congregationē apum reperit, & mel sustulit de ore eius, quod patri tribuit edendū & matri. Habebat gentiū populus mella, qui credidit: qui corpus feritatis erat ante, nunc Christi est. Nec ipsa quæstio vacat sacramentis quam proposuit sodalibus suis, dicens: De edente exiuit esca, & de potente exiuit dulce. Denique eo usque mystica, ut tribus diebus eius reuelatio quæreretur, quæ non potuit nisi per fidem ecclesiæ, dæ septima completo legis tempore post passionem Domini reuelari. Sic enim habes, quia & Apostoli ideo non intelligebant, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Quid, inquit, dulcius melle, quid fortius leone? Ad quæ ille respondit: Si non domuissetis vitulam meam, non inuenissetis quæstionem meam. O diuinum mysterium, o euidentis sacramentum: euasimus interemptorem, potentem vicimus. Ibi nunc cibus vitæ est, ubi erant antea miseriæ, fames, mortes. In salutem pericula, in suauitatem amaritudo cōuertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte. Sunt tamen qui e contrario putant fundari non potuisse coniugium, nisi occiso leone de tribu Juda. Et ideo in corpore eius, hoc est, ecclesiæ, apes repertas quæ condunt mella sapientiæ, quia post Domini passionem magis Apostoli crediderunt. Hunc igitur leonem Samson quasi Iudeus occiderit, & in eo mel in figura redimendæ hereditatis inuenerit, ut reliquæ saluæ fierent secundum electionem gratiæ. Et decidit, inquit, super eum spiritus Domini, & descendit in Ascalonem, & percussit inde triginta viros. Neque enim potuerat victoriam non tenere qui sacramenta cernebat. Accipiant itaque in stolis præmium sapientiæ, conuersationis insigne, qui absoluunt & renunciant quæstionem. Rursus hic alia oboriuntur mysteria, quod uxor eius aufertur, & ideo vulpes incendunt manipulos alienigenarum. Eos enim qui aduersus diuina sacramenta contendunt, decipere sua consuevit astutia. Vnde iterum cum dicit: in Canticis Canticorum, Prendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, ut vineæ nostræ floreat. Bene pusillas vulpes dixit, quia maiores vineas exterminare non poterant, licet fortibus & diabolus sit pusillus. Ergo ille (ut compendium faciamus historiae, suo enim tempore totius lectionis nostræ digestio reseruanda est) inuictus, quandiu habuit gratiam spiritalem, sicut Dei populus ille electus à Domino, ille Nazareus in lege. Inuictus ergo Samson atque ita insuperabilis ut in maxilla asinæ viros mille percuteret: ita plenus gratiæ celestis, ut etiam aquam in maxilla asini sitiens reperiret, siue hoc ad miraculum conferas, siue ad mysterium veritas, quod in populi foret humilitate gentilis, & requies, & triumphus. Iuxta quod scriptum est: Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Per hanc enim iniuriarum patientiam quam erudiunt sacramenta baptismatis de quibusdam stimulis iracundiæ triumphamus, ut morte obita resurrectionis requiem consequamur. Illene ergo Samson qui funes intextos neruis, qui nouas restes sicut mollia fila dissoluit? Illene Samson qui crinium suorum palo constricta defixo vincula

vincula nõ sensit, quandiu habuit gratiam spiritalem? Ius, inquam, posteaquam spiritus Dei discessit ab eo, longè mutatus ab illo Samson qui rediit Allophyllorum indutus exuuias, in mulieris genibus virtutis suæ degener, palpatúsque captus, sacro crine tondetur. Tantumne ergo momenti crines habuere capitis ut manentibus his virtus inuicta duraret, tonso autem capite fortitudo omnis viri subito solueretur? Non ita est ut tantam vim corporaliū capillorum putemus. Sunt quidam crines religionis & fidei, crines Nazaræi in lege perfecti, in parsimonia & abstinentia consecrati, quibus illa in typo ecclesiæ quæ Domini pedes oleo perfuderat, verbi cælestis vestigia detergebat. Tunc enim & secundum carnem nouerat Christum. Illi videlicet crines de quibus dicitur: Capillatura tua ut greges caprarum: ex illo capite pullulantes, de quo dictum est: Caput autem viri Christus. Et alibi: Caput eius aurum, cephas & crines eius abietes nigrae. Et bonæ abietes, naues Tharsis, quæ fluctibus supernatent mundi, & tutum remigium salutis exhibeant. Unde et in Euangelio Dominus noster visibiles capitis & intelligibiles capillos quosdam esse significans, ait: Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt, spiritualium videlicet significans facta virtutum. Neque enim de capillis nostris cura est Deo. Quamquam et illud non absurdum sit estimare, quia pro maiestate diuina eum latere nihil possit. Sed quid mihi prodest, si Deus ipse omnes meos nouit capillos? Illud mihi redundat et proficit, si bonorum operum peruigil testis, remunerationem gloriæ donet aterna. Denique et ipse Samson non corporales, sed intelligibiles hos capillos esse declarans, ait: Si tonsus fuero, discedet à me virtus mea. Hoc de mysterio.

Capitula libri secundi de Spiritu sancto.

Quia Dominus spiritus, quia virtus spiritus, sicut pater virtus, & filius virtus.	Cap. I.
Quia unum consilium est patris & filij & Spiritus sancti.	Cap. II.
Quia sicut vita est cognoscere patrem & filium, ita vita est cognoscere spiritum Dei.	Cap. III.
Quia sicut pater unificat, ita filius, ita & Spiritus sanctus.	Cap. IIII.
Quia sicut pater creator est omnium, ita & filius, ita & Spiritus sanctus.	Cap. V.
Quia sicut patri et filio, ita etiam Spiritui sancto seruiendum est.	Cap. VI.
De eo quod scriptum est: Ecce ego firmans tonitrua & creans spiritum.	Cap. VII.
Creat pater dominicæ incarnationis sacramentum, creat & spiritus, creat & filius.	Cap. VIII.
Quia sicut pater & filius, ita & Spiritus sanctus regenerat.	Cap. IX.
Quia eadem verba quibus spiritum inferiorem videri volunt, præminentiam ostendunt patris & filij.	Cap. X.
Quia una voluntas, una vocatio patris & filij & Spiritus sancti.	Cap. XI.
Quia sicut pater nouit filium, & filius patrem, sic Spiritus patrem & filium. Et sicut pater reuelat nobis quæ sua sunt, sic & filius, sic & Spiritus sanctus reuelat nobis.	Cap. XII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE SPIRITV SANCTO,

AD GRATIANVM AVGVSTVM, LIBER II.

Quia Dominus spiritus, quia virtus spiritus, sicut pater virtus, & filius virtus. CAP. I. vide scripturam quid dicat: Dominus, inquit, discessit ab eo. Vides ergo quia ille qui comitabatur, ipse discessit. Idem est ergo Dominus, quia spiritus Domini, hoc est, ipsum spiritum Dei, Dominum nuncupauit, sicut & Apostolus ait: Dominus autem spiritus est: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Habes ergo Dominum dictum etiam Spiritum sanctum: non enim vnus, sed vnū sunt Spiritus sanctus & filius. Hoc quoque loco virtutē dixit, & spi-



Iudic. 13.

VNC lectionis feriem consideremus. Supra habes quia benedixit eum Dominus, & cœpit spiritus comitari cum eo. Infra ait: Et direxit super eum spiritus Domini. Item ait: Si tonsus fuero, discedet à me virtus mea, posteaquam tonsus est,

Ibidem. 14.

1. Cor. 1.

ritum significavit. Sicut enim pater virtus, ita & filius virtus, & Spiritus sanctus est virtus. De filio Dei legisti, Christum Dei virtutem esse atque sapientiam. Legimus etiam, quia virtus est pater, sicut scriptum est: Videbitis filium hominis ad dexteram virtutis. Hic utique virtutem patrem dixit, cuius ad dexteram filius sedet, sicut habes: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam. Virtutem etiam Spiritum sanctum ipse Dominus nuncupavit, dicens: Accipietis virtutem advenientem in vos Spiritus sancti. Ipse enim spiritus virtus est.

Quia unum consilium est patris & filij, & Spiritus sancti.
CAP. II.

Quia legisti, spiritus consilij atque virtutis. Et sicut filius magni consilij angelus, ita etiam spiritus consilij est, ut vnu scias patris & filij & Spiritus sancti esse consilium: consilium non de rebus incertis aliquibus, sed præcognitis & statutis. Arbitrum autem diuini consilij, spiritum etiã inde cognosce. Nam cum supra docuerimus, arbitrum baptismatis esse Spiritum sanctum, baptismum autem Dei esse consilium legerimus, sicut habes: Pharisei autem consilium Dei spreuerunt, non baptizati ab eo: liquidò claret cum sine spiritu baptismum esse non possit, sine spiritu quoque non esse consilium Dei. Et ut sciamus plenius virtutem esse spiritum, scire debemus ipsum esse promissum, quando dixit Dominus: Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Ille ergo qui promissus est nobis, ipse est virtus: sicut etiam in Evangelio idem Dei filius declaravit dicens: Et ego mittam promissa patris mei in vos, vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto. Eousque autem virtutem esse Spiritum sanctum Evangelista significat, ut & eum vi magna etiam sanctus Lucas descendisse memoraret, dicens: Et factus est subito de cælo sonus, tanquam vi magna spiritus ferretur. Sed ne rursus putes ad sensibilia & corporalia hoc esse vertendum, accipe quia sic descendit & spiritus quemadmodum descendurus est Christus. Nam & ipse cum virtute descendet, sicut habes: Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli in virtute maxima & maiestate. Quomodo enim non est vna virtus atque eadẽ potestas, cum vnum opus, vnum iudicium, vnum templum, vna viuificatio, vna sanctificatio, vnum etiam regnum sit patris & filij & Spiritus sancti?

Quia sicut vita est cognoscere patrem & filium, ita vita est cognoscere Spiritum Dei.
CAP. III.

Dicant enim in quo dissimilitudinem diuini operis arbitrentur. Quando quidem sicut vita est cognoscere patrem & filium, quemadmodum ipse Dominus declaravit, dicens: Hæc est autem vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: ita etiam vita est cognoscere Spiritum sanctum. Dicit enim Dominus: Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo patrem, & alium Paraclerum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem

mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec cognoscit eum: vos autem scitis eum, quia apud vos manet, & in vobis est. Ergo mundus non habet vitam æternam, quia non acceperat spiritum. Vbi autem spiritus, ibi vita æterna. Ipse est enim spiritus vitæ operator æternæ: Vnde miror, cur de solo & vero Deo Arriani moueant questionem. Sicut enim vita æterna est cognoscere solum & verum Deum, ita vita æterna est cognoscere Iesum Christum, ita vita æterna est cognoscere Spiritum sanctum, quem sic non videt mundus, quemadmodum patrem, sic non cognoscit, quemadmodum filium. Qui autem de hoc mundo non est, habet vitam æternam, & cum ipso manet spiritus in æternum, qui est lumen vitæ æternæ. Ergo si hoc confert cognitio soli viri Dei, quod confert filij spiritusque cognitio, cur filium & spiritum à veri Dei honore secernis, cum à magnitudine beneficij non secernas? Aut enim credas necesse est, solius veræ diuinitatis esse hoc maximum munus, & solam & veram diuinitatem, sicut patris, ita & filij & spiritus confitebere: aut si dixeris quia vitam æternam potest & is conferre qui verus Deus non sit, incidet ut patri magis derogare videaris, cuius opus non putes solius veræ diuinitatis esse præcipuum, sed creaturæ operibus conferendum.

Quia sicut pater viuificat, ita filius, ita & Spiritus sanctus.
CAP. IIII.

Quid autem mirum si spiritus operator est vitæ qui viuificat sicut pater, viuificat sicut filius? Viuificare autem quis abnuat esse maiestatis æternæ? Scriptum est enim: Viuifica seruum tuum. Viuificatur ergo qui seruus est, hoc est homo, qui vitam ante non habuit, sed ut haberet accepit. Videamus igitur vtrum viuificetur spiritus, an ipse viuificet. Sed scriptum est: Litera occidit, spiritus autem viuificat. Ergo viuificat spiritus. Sed ut intelligas patris & filij & Spiritus sancti viuificationem non esse diuisam, accipe quia viuificationis quoque vnitas sit, quãdo ipse per spiritum viuificat Deus. Dixit enim Paulus, Qui suscitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

Quia sicut pater creator est omnium, ita & filius, ita et Spiritus sanctus.
CAP. V.

Quis verò dubitare potest, quia viuificet omnia Spiritus sanctus, quando & ipse, sicut pater & filius creator est omnium: nec quicquam nisi cum Spiritu sancto Deus omnipotens pater intelligatur operatus: quando quidem & in principio creaturæ spiritus superferrebat super aquas. Itaque cum superferretur spiritus, nulla erat gratia creaturæ. Postea verò quã operationem spiritus etiam creatura mundi istius suscepit, omnem hanc gratiã meruit venustatem qua mundus illuxit. Denique sine Spiritu sancto vniuersitatis gratiam manere non posse Propheta declaravit, dicens: Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis omnem faciem terræ. Non solum igitur sine spiritu

spiritu docuit omnem creaturam stare nõ posse, sed etiam creatorem totius esse spiritum creaturæ. Et quis neget opus esse Spiritus sancti quod creata est terra, cuius opus est quod nouatur? Nam si negare cupierint quod per spiritum sit creata, cum per spiritum nouandam negare non possint, meliorem ergo operationem Spiritus sancti quã patris & filij qui cupiunt separare defendant, quòd abhorret à vero. Neque enim dubium est, quod nouata terra melior quã creata sit: aut si primo sine operatione Spiritus sancti, terram pater fecit & filius, postea verò Spiritus sancti operatio copulabitur, videbitur id quod factum est, eius quod accessit eguisse presidio. Sed absit ut hoc quisquam æstimet, ut operatio diuina varietatẽ creatoris quã Manichæus inducit habere credatur. An verò sine opere Spiritus sancti sub stantiã putamus esse terrarum, sine cuius opere nec cæli conuexa subsistunt? Scriptum est enim: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Aduerte quid dicat: Omnem, inquit, virtutem cælorum ad spiritum esse referendam. Qui enim superferrebat antequam terra fieret, quomodo cum terra fieret feriabatur? Gẽtiles homines per vmbram quandam nostros secuti, quia veritatẽ spiritus haurire non poterant, quod cœlum ac terras lunæ quoque stellarumque micantium globos spiritus intus alat, suis versibus indiderunt. Ergo illi per spiritum nõ negat virtutem subsistere creaturæ: nos qui legimus, denegamus? Sed statilẽ putatis ab illis spiritum designatum. Si illi authorẽ omnium statilẽ spiritum declararunt, nos dubitamus spiritum Dei esse omnium creatorem? Sed quid alienis immoror? Accipiant documentum euidentis nihil posse esse quod Spiritus sanctus negetur operatus, nec de angelis, nec de archangelis, nec de thronis, nec de dominationibus posse dubitari quod eius operatione subsistant. Quandoquidem ipse secundum carnem Dominus cui angeli seruibant, spiritu in virgine superueniente generatus sit: sicut & secundum Matthæum, ad Ioseph angelus dixit: Ioseph fili Dauid, noli time re accipere Mariam vxorem tuam: quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est. Et secundum Lucam dixit ad Mariam: Spiritus sanctus superueniet in te. Opus ergo spiritus, virginis partus est. Opus spiritus, fructus est ventris, secundum quod scriptum est: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Opus spiritus, flos radicis est. Ille, inquam, flos, de quo bene est prophetatum: Exiet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Radix Iesse patriarchæ familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe virginali ex vtero germinauit, sicut ipse dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium. Flos odorem suum succisus referuat, & cõtritus accumulatur, nec auulsus amittit. Ita & Dominus Iesus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec auulsus euauit, sed illa lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore vernauit, mori ipse nescius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalas. In hoc igitur Spiritus sanctus virgæ regalisi flore requieuit. Bona virga, ut quidam putant, & caro Domini, quæ de radice terrena ad superna se subrigens, odoriferos sacre fructus religionis circumtulit mû-

do, mysteria diuinæ reuelationis, & gratiã cœlestibus altaribus supereffundens. Dubitare ergo non possumus spiritum creatorem, quem dominicæ cognoscimus incarnationis authorem. Quis enim dubitet, cum in principio euangelij habeas, quia Christi generatio sic erat: Cum desponsata esset Maria Ioseph, ante quã conuenirent, inuenta est in vtero habens ex Spiritu sancto. Nam licet plerique habeant, de spiritu, Græcus tamen vnde transfulerunt Latini *ἐκ πνεύματος ἁγίου* dixit, hoc est, ex Spiritu sancto. Quod ergo ex aliquo est, aut ex substantia est, aut ex potestate eius. Ex substantia, sicut filius qui ait: Ex ore altissimi prodiui, sicut spiritus qui à patre procedit. De quo dicit filius: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Ex potestate autem, sicut illud est: Vnus Deus pater, ex quo omnia. Quomodo ergo in vtero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia: ergo spiritus in carnem & ossa conuersus est? Non utique. Si quasi ex operatione & potestate eius virgo concepit, quis neget spiritum creatorem? Quid quod etiam Iob creatorem suum spiritum euidenter ostendit, dicens: Spiritus diuinus, qui fecit me? Et diuinum utique & creatorem, vno versiculo demonstrauit.

Quia sicut patri & filio, ita etiam Spiritui sancto seruiendum est.
CAP. VI.

Sigitur creator est spiritus, non est utique creatura. Creaturam enim Apostolus creatorẽque diuisit, dicens: Seruiuntur creaturæ potius quã creatori. Simul creatori admonet seruiendum, dãnando eos qui seruiunt creaturæ cum creatori seruitium debeamus. Et quoniam creatorem spiritum nouerat, docet eidem seruiendum, dicens: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circuncisio, qui spiritui Deo seruiamus. Quod si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falsauerunt, Græcos inspiciat codices, & aduertet quia scriptum est, *οἱ πνεύματα θεῶν λατρεύοντες*: quod interpretatur, qui spiritui Deo seruiamus. Ergo cum seruiendum dicat spiritui, idem Apostolus qui non creaturæ sed creatori asserit seruiendum, euidenter utique & ipse sanctum ostendit spiritum creatorem, & in æternæ diuinitatis honore venerandum, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

De eo quod scriptum est: Ecce ego firmans tonitrua & creans spiritum.
CAP. VII.

Nec præterit hæreticos obiectare consueffe, ideo videri creatum Spiritum sanctum, quia plerique eorum ad argumentum adstruendæ suæ impietatis asciscunt illud quod Amos de flatu ventorum locutus est, ut ipse propheticus sermo declarat. Sic enim habes: Ecce ego firmans tonitruum, & creans spiritum, & nuncios in homines Christum suum, faciens lucem & nebulam & ascendens super excelsa, Dominus Deus omnipotens nomen est ei. Si hinc faciunt quæstionem, quod creatum spiritum dixit, quia creatur spiritus, Hædras nos docuit dicẽs

in tertio libro : Et in die secundo iterum creasti spiritum firmamenti. Tamen ut propositis inhareamus, his videlicet que Amos dixit, nonne euidenter dictorum testificatur series. De istius creatura mundi locutum prophetam? Denique ita cœpit: Ego Dominus firmans tonitruum & creans spiritum. Ipse ordo nos doceat. Nam si de Spiritu sancto dicere voluisset, non de tonitruo utique præmisisset. Neque enim antiquiora tonitrua sunt, quam Spiritus sanctus, quamuis impij sint, tamen id non audeant dicere. Deinde cum subiectum videamus esse de luce & nebula, nonne manifestum est quod de creatura mundi dictum intelligendum sit? Cum enim sint aliqua tēpestates istius mundi, præcedere tonitrua, sequi ventorum flatus, cœlum nebulis caligari, lucē refundi ex tenebris, ipso vsu quotidiano exemplōque cognoscimus. Nam etiam flatus ventorum spiritus dicitur, sicut scriptum est: Ignis & sulphur & spiritus procellæ. Et ut scires, quia hunc spiritum dixit, ait: Firmans tonitruum & creans spiritum: quia frequenter creantur ista cum fiunt. Spiritus autem sanctus æternus est, quem si quis audeat dicere creatū non potest tamen dicere quod quotidie creatur sicut flabra ventorum. Denique ipsa sapientia secundum suscepti locuta corporis sacramentum, ait: Dominus creauit me. Quamuis ventura prophetaret, tamen quia prædestinatus erat Domini saluatoris aduentus, non dixit creat me, sed creauit me: ne frequenter sed semel crederent ex virgine Maria Iesu corpus esse generandum. Ex hoc igitur quod velut quotidianam operationē Dei in tonitruū firmamento, & in spiritus creatione propheta declarauit, intellige nefas esse, ut de Spiritu sancto tale aliquid æstimemus, quem ipsi impij ante secula esse negare non possunt, vnde & semper eum esse & semper manere, pia assertionem testamur. Neque enim qui ante mundum superferrebat super aquas, potest videri cœpisse post mundum, aut multos Spiritus sanctos æstimari fas est, qui veluti quotidiana generatione generentur. Absit ut se quisquam tali impietate contamine, ut dicat frequenter creari aut vnquam creari Spiritum sanctum. Cur enim frequenter creari videtur, non intelligo, nisi fortē & mori eum credant frequenter, & frequenter recreari. Sed quem admodum mori potest spiritus vitæ? Ergo si mori non potest, causam non habet cur sæpius sit creandus. Aut qui aliter putant, in illud sacrilegium recidunt, ut non distinguat Spiritum sanctum, qui prolatum verbum putant in patrem redire, prolatum spiritum in Deum refundi, ut vnus refusio sit, & quædam vicissitudo in varias formas sese permittant, cum patris & filij & Spiritus sancti manens semper immutabilisque distinctio vnitatem suam teneat potestatis. Si quis tamen propheticum dictum ideo deriuandum putat ad interpretationem Spiritus sancti, quia habet: Annuncians in homines Christum suum, is ad incarnationis dominicæ mysteria dictum facilius deriuabit. Nam si te mouet quia spiritum dixit, & ideo hoc non putas deriuandum ad mysteria assumptionis humanæ: prosequere scripturas, & inuenies optimè cōgruere de Christo, de quo bene conuenit æstimari, quia firmavit tonitrua aduentu suo, vim videlicet & sonum cœle-

stium scripturarum, quarum velut quodam tonitruo mentes nostræ redduntur attonitæ ut timere discamus, & reuerētiam cœlestibus deferamus oraculis. Denique in euangelio fratres Domini, filij tonitruū dicebantur. Et cum vox patris facta esset dicentis ad filium: Et honorificauit, & iterum honorificabo. Iudæi dicebant, tonitruum factum est illi. Nam licet gratiam veritatis haurire non possent, tamen confitebantur inuiti, & ignari mysterium loquebantur, eo quod magnum patris de filio testimonium resultabat. In Iob quoque libro scriptura dicit: Firmamentum quoque tonitruū sui quis scit quando fiet? Utique si ad hæc commotionum cœlestium tonitrua pertinerent, non futura eorum firmamenta, sed facta dixisset. Ergo tonitrua ad sermones Domini retulit, quorum in omnem terram exiuit sonus. Spiritum autem hoc loco animam quæ suscepit rationabilem atque perfectam intelligimus, quia scriptura frequenter & animam hominis spiritus vocabulo designauit, sicut habes: Qui creauit spiritum hominis in ipso. Vnde & Dominus animam suam spiritus appellatione significans, ait: In manus tuas commendo spiritum meum, Et ut scires, quia Iesu Domini descensionem memorauit, addidit, quod nunciaret in homines Christum suum. Annunciauit enim in baptisate, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui. Annunciauit in monte, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Annunciauit in passione, cum sol recessit, maria terræque tremuerunt. Annunciauit in Centurione, qui ait: Verè Dei filius erat iste. Totum igitur hunc locum aut ad simplicem intellectum istius flatus qui viuendo hauritur, aut ad mysterium dominici corporis referre debemus. Nā si hic creatum dixisset Spiritum sanctum, utique & alibi idem scriptura declarare potuisset, sicut de filio Dei frequenter legimus, quia secundum carnem & factus est & creatus. Cuius tamen maiestatem in eo ipso quod carnem pro nobis suscepit, considerare nos conuenit, ut diuinam potentiam in ipsa corporis assumptione videamus.

Creat pater dominicæ incarnationis sacramentum, creat & spiritus, creat & filius. CAP. VIII.

ET enim (sicut legimus) quia creauit pater dominicæ incarnationis sacramentum, creauit & spiritus: ita etiam legimus, quod & ipse suum corpus creauit. Creauit enim pater, secundum quod scriptum est: Dominus creauit me. Et alibi: Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Creauit & spiritus illud omne mysterium, secundum quod legimus: Quia inuenta est Maria in utero habens ex Spiritu sancto. Habes quia creauit pater, creauit & Spiritus sanctus. Accipe quia creauit & filius Dei, dicente Salomone: Sapientia fecit sibi domum. Ergo Spiritus sanctus qui creauit dominicæ incarnationis sacramentum, quod super omnes est creaturas, quomodo esse poterat creatura? De generalitate autem supra ostendimus, quia secundum carnem creator est noster Spiritus sanctus in homine exteriori. Nunc ostendamus quia creator est noster, etiam secundum gratiæ sacramentum. Et sicut creat pater,

pater, ita creat & filius, ita creat & Spiritus sanctus, sicut legimus, dicente Paulo: Dei enim donum est non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsius enim fumus factura, creati in Christo in operibus bonis.

Quia sicut pater & filius, ita & Spiritus sanctus regenerat. CAP. IX.

ERGO creat pater in operibus bonis, creat & filius, quia scriptum est: Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Similiter ex spiritu secundum gratiam nos renasci, Dominus ipse testatur, dicens: Quod natum est ex carne, caro est: quia de carne natum est. Et quod natum est de spiritu, spiritus est: quia Deus spiritus est. Nolite mirari quia dixi, oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat, aut quod vadat: sic est omnis qui natus est de spiritu. Claret igitur spiritalis quoque generationis authorem esse spiritum sanctum, quia secundum Deum creamur, ut filij Dei simus. Ergo cum ille nos in regnum suum per adoptionem sacræ regenerationis assumpserit, nos ei quod suum est denegamus? Ille nos supernæ regenerationis fecit hæredes, nos hæreditatem vindicamus, refutamur authorem? Sed non potest manere beneficium, cum author excluditur. Nec author sine munere, nec sine authore munus. Si vindicas gratiam, crede potentiam. Si refutas potentiam, gratiam ne requiras. Qui Christum negauit, statim amisit & nomen. Nam si author vilis, quomodo dona preciosa? cur nostris ipsi muneribus inuidemus, spem imminuimus, dignitatem repudiamus, consolatorem negamus? Sed illum negare non possumus. Sed absit ut negemus quod maximum est, cum Apostolus dicat: Vos autem fratres secundum Isaac promissionis filij estis: sed sicut tunc qui secundum carnem natus est, persequeretur eum qui secundum spiritum. Iterum utique subauditur de superioribus qui secundum spiritum natus est. Qui ergo secundum spiritum nascitur, secundum Deum nascitur. Renascimur autem quando in interiori renouamur affectu, & exterioris hominis vilitatem deponimus. Et ideo ait iterum Apostolus: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est in veritate & iustitia & sanctitate. Audiant quemadmodum vnitatem diuinæ operationis scriptura signauerit. Qui renouatur spiritu mentis, induit nouum hominem qui secundum Deum creatus est. Sancti igitur spiritus opus est regeneratio ista præstantior, & noui huius hominis qui creatus est ad imaginem Dei, author est spiritus: quem utique meliorem hoc exteriori esse nostro homine nemo dubitauerit. Siquidem cœlestem alterum, terrenum alterum Apostolus significauit, dicens: Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Ergo cum cœlestem faciat gratia spiritalis, quid terrenum creare possit, etiam sensu debemus aduertere, licet credamus exemplis. Dicit enim alibi sanctus Iob: Viuit Dominus qui sic me iudicat, & omnipotens qui ad amaritu-

dinem perduxit animam meam, spiritus autem diuinus qui est in naribus meis. Non utique spiritum hic auram vitalē hanc & spiramentum corporeū designauit, sed nares hic interioris sui hominis significat, quibus vitæ odorem carpebat æternæ, & gratiam cœlestis vnguenti, geminis quibusdam sensibus hauriebat. Sunt enim nares spiritales (ut legimus) quas habet sponsa verbi, cui dicitur: Et odor naris tuæ. Et alibi: Odoratus est Dominus Deus odorem suauitatis. Sunt enim quædam interioris membra hominis, cuius manus in actu, aures in auditu, pedes in processu quodam boni operis æstimantur. Itaque ex officiis, veluti quædam colligimus membrorum figuras. Neque enim in interiori homine secundum carnalia aliquid nos conuenit opinari.

Quia eadem verba quibus spiritum inferiorem videri volunt, præminentiam ostendunt patris & filij.

CAP. X.

ET sunt quidam qui corporaliter Deum putant esse formandum, cum legunt aut manum eius, aut digitum: Nec aduertunt quod hæc non propter formam scripta sint corporis, quia in diuinitate nec membra nec partes sunt, sed propter vnitatem diuinitatis expressam, ut credamus quia impossibile est à patre Deo vel filium, vel spiritum sanctum separari, cum plenitudo diuinitatis velut corporaliter habitet in substantia trinitatis. Ideo igitur & filius, patris dextera nuncupatur, sicut lectum est: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Sed quid mirum si de verbis amentes homines faciunt quæstionem, cum faciant & de syllabis? Sūt enim qui hinc putent faciendam esse distantiam, quod dicant in spiritu Deum, non cum spiritu prædicandum: & ex vna syllaba vel vsu quodam diuinitatis æstimandum putent esse momentum, argumentantes, quod si in spiritu Deum prædicandum putent, ministerium sancti Spiritus signare videantur. Si verò cum spiritu dicant Dei vel virtutem esse vel gloriam, societatem quandam & communionem patris & filij & Spiritus sancti designare videantur. Sed quis separet quod non potest separari? Quis diuidat societatem quam indiuiduam Christus ostendit? Ite, inquit, baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Nunquit hic circa patrem vel filium vel spiritum sanctum, aut verbum mutauit, aut syllabam? Non utique, sed in nomine, inquit, patris & filij & Spiritus sancti, idem de spiritu quod de patre & de se sonat. Vnde nullum Spiritus sancti ministerium, sed consortium magis honoris aut operis, cum in spiritu dicatur æstimatur: cōsidera & hic, quia ad patrem & filium hoc opinionis vestræ præiudicium deriuatur, quia hic non dixit, cum patris & filij & Spiritus sancti nomine, sed in nomine: & tamen non ministerium aliquid trinitatis hac syllaba exprimitur, sed potestatis. Denique ut scias quia fidei non præiudicat syllaba, sed cōiungat fides syllabam, & Paulus loquitur in Christo. Nec ideo minor Christus est, quia Paulus locutus in Christo est, sicut habes: Coram deo in Christo loquimur. Quæ admodum igitur Apostolus dicit, quia in Christo

2. Cor. 12.

1. Cor. 6.

Ibidem 6. Galat. 5.

Psal. 55. Psal. 59.

Ioan. 14. 2. Cor. 10. Colof. 3.

Ioan. 14.

Rom. 8.

Philip. 1.

loquimur, ita illud est: quia loquimur in spiritu, sicut ipse Apostolus dixit: Quia nemo dicit Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto. Non subiectio itaque hoc loco Spiritus sancti, sed gratiae copula designatur. Et ut scias discretionem non esse de syllaba, alibi quoque ait: Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Quam multa possum hinc exempla proferre. Scriptum est enim: Omnes vos unum estis in Christo Iesu. Et alibi: Sanctificatos in Christo Iesu. Et iterum: Ut nos esse iustitia Dei in ipso. Et alio loco, Ut excidat a fide quae est in Christo Iesu. Verum quid ago? Dum enim similiter dico scriptum esse de filio, quemadmodum de spiritu scriptum est, magis illud incurro, ut non quia de filio scriptum est, religiose dictum videatur esse de spiritu: sed quia idem de spiritu scriptum est, etiam de filio propter spiritum obiciant derogatum. Dicunt enim: Nunquid de Deo patre scriptum est? Sed accipiant etiam de Deo patre dictum: In Deo laudabo sermones, in Deo laudabo verbum, Et alibi: In Deo faciemus virtutem. Et in te commemoratio mea semper: Et in tuo nomine exultabimus. Et iterum alibi: Ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Et Paulus: In Deo qui omnia creavit. Et iterum: Paulus & Sylvanus & Timotheus ecclesiae Thessalonicensium in Deo patre & Domino Iesu Christo. Et in euangelio: Ego in patre & pater in me, & pater in me manet: Scriptum est etiam: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Et alibi: Vita autem nostra abscondita est cum Christo in Deo. Nunquid hic plus filio quam patri detulit, ut in Deo nos diceret esse cum Christo? Aut nunquid plus nostra conditio quam spiritus gratia sibi vindicat, ut nos possimus esse cum Christo, Spiritus sanctus esse non possit? Aut cum Christus velit esse nobiscum, sicut ipse dixit: Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum, dedignetur esse cum spiritu? Scriptum est etiam: Conuenientibus vobis & meo spiritu cum virtute Domini Iesu. Ergo nos cum virtute Domini conuenimus, & audemus dicere quod nolit Dominus Iesus cum spiritu conuenire, qui non dedignatur conuenire nobiscum? Nullam igitur distantiam putat Apostolus, hac an illa syllaba utaris. Syllaba enim coniunctionis est, coniunctio autem seiunctionem non facit. Neque enim si diuideret, coniunctio diceretur. Quid igitur te mouet ut dicas, quia gloria est Deo patri vel Christo eius, vita, virtus, magnificentia, potestas in Spiritu sancto, & nolis dicere cum Spiritu sancto? An quia times ne spiritum cum patre & filio sociare videaris? Sed audi & de spiritu scriptum: Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu. Et alibi Deus pater dicit: Et adorabunt te, & in te deprecabuntur. In Christo orare nos debere Deus pater dicit, & tu putas spiritui derogari, si in eo gloria Christi esse dicatur? Audi quod times de spiritu confiteri, non timuisse de se sibi Apostolum vindicare. Ait enim: Cupio dissolui & cum Christo esse multo melius. Cum quo igitur est Apostolus, cum eo negas esse spiritum, per quem Apostolus meruit esse cum Christo? Quae igitur ratio est, ut in spiritu malis dicere, quam cum spiritu gloriam Dei esse vel Chri-

sti? An quia si dicas in spiritu, minor Christus spiritu declaratur: Quamuis hoc refutabile sit, ut maiorem Dominum facias & minorem, tamen cum lectum sit: Quia pro nobis peccatum factus est Christus, ut nos esse iustitia Dei in ipso: ille inuenitur potissimus, in quo sumus nos infimi. Sic & alibi habes: Quia omnia in ipso constant, hoc est, in eius virtute. Nec comparari possunt illi quae in eo constant, quia ex virtute eius ut constant, substantiam consequuntur. Nunquid igitur sic Deum regnare vultis in spiritu, ut virtus spiritus regnandi Deo principium quasi fons quidam substantiae largiatur? Sed hoc impium est. Et ideo ut vnam patris & filij & Spiritus sancti maiores nostri dicerent potestatem, cum spiritu gloriam Christi esse memorabant, quo individuum copulam declararent. Quomodo enim separatur Spiritus sanctus a filio, cum ipse spiritus testimonium reddat spiritui nostro quod sumus filij Dei: Si autem filij & haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi. Quis igitur tam amens qui coniunctionem spiritus & Christi dissociet sempiternam, cum spiritus etiam disuncta connectat, per quem Christi effimur cohaeredes? Si tamen, inquit, compatimur ut conglorificemur. Si nos ergo conglorificabimur cum Christo per spiritum, quomodo & ipsum conglorificare cum Christo spiritum recusamus, dissociamus vitam Christi & Spiritus sancti, cum spiritus dicat, quod simul victurum sumus cum Dei filio? Dicit enim Apostolus: Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quod etiam simul viuemus cum illo. Deinde alibi: Si enim compatimur, inquit, & conuiuemus: nec solum conuiuemus, sed etiam conglorificabimur, nec solum conglorificabimur, sed etiam conregnabimus. Non est igitur in syllabis istis vlla discretio: vtraque enim syllaba coniunctionis est. Denique saepe reperimus in scripturis alteram interpositam, & alteram intellectam, sicut scriptum est: Introibo in domum tuam in holocaustis, hoc est, cum holocaustis. Et alibi: Eduxit eos in argento & auro, hoc est, cum argento & auro. Et alibi quoque ait: Non egredieris in virtutibus nobiscum, quod est cum virtutibus. Ergo cum & in vsu sermonis calumnia esse non possit, & ex sermone calumnia diuinitati non debeat excitari, opus est ut ad iustitiam corde credatur, & ex fide cordis fiat ad salutem in ore confessio. Sed qui corde non credunt, calumnias struunt verbis. Denique simile & illud est quod aiunt discretionem esse, quia scriptum est: Nobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia: & nos per ipsum. Volunt enim cum dicitur, ex illo, materiam designari. Cum dicitur per illum, quoddam vel instrumentum operis vel ministerium declarari. Cum dicitur autem, in illo, quod aut locus significetur aut tempus, in quo omnia facta videantur. Ita igitur distantiam quandam substantiae probare desiderat, tanquam instrumentum ab authore, & tanquam tempus aut locum ab instrumento dirimere gestientes. Nunquid ergo alienus secundum naturam filius a patre, quia alienum instrumentum ab operatore proprio vel authore? Aut nunquid alienus filius a spiritu, quia ab instrumenti genere aut locus

2. Cor. 1. Colof. 1. Rom. 8. Roman. 11. Roman. 8. Psal. 144. Act. 17. Ephes. 4. Colof. 2.

separatur aut tempus? Compara nunc assertiones nostras. Illi volunt ex Deo tanquam ex natura Dei esse materiam, ut si dicas ex ligno arcam esse factam, ex lapide statuum, ita ex Deo materiam processisse, & eandem materiam tanquam per instrumentum aliquod factam esse per filium: ut non tam operatorem filium quam instrumentum operis esse declarent, & omnia ita facta in spiritu, tanquam in aliquo loco facta vel tempore: & singula singulis tribuunt, in commune omnia negant. Verum nos ostendimus ita ex Deo patre esse omnia, ut nec amiserit deus pater quod vel per ipsum & in ipso omnia sint, nec tanquam ex materia ex ipso omnia sint. Ita quoque per Dominum filium esse omnia, ut non priuatus sit, eo quod ex filio sint omnia: & ita omnia esse in spiritu, ut doceamus omnia esse per spiritum, & omnia esse de spiritu. Nam istae syllabae, sicut illae de quibus superius diximus, se inuicem signant. Non enim ita dixit Apostolus, ex Deo omnia, & per filium omnia, ut separabilem substantiam patris filijque signaret. Sed ut inconfusibili distinctione, quod alius sit pater, alius sit filius, doceret. Non igitur tanquam compugnantes syllabae istae, sed tanquam sociae atque concordantes sunt, ut etiam vni saepe conueniant, sicut scriptum est: Quia ex ipso, & per ipsum & in ipso omnia sunt. Quod si verè consideres vnde translatum sit, de filio dictum esse non ambiges. Dicit enim Apostolus secundum prophetiam Esaiæ: Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius ei fuit? Et addidit: Quia ex ipso & per ipsum & in ipso omnia. Quod Esaias de operatore omnium dixit, sicut habet: Quis mensus est manu aquam & caelum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Quis statuit mores in libra, & rupes in statera? Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius ei fuit? Et addidit Apostolus: Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso omnia. Quid est ex ipso? Quod ex ipsius voluntate natura sit omnium: & ipse sit author omnium quae esse ceperunt. Per ipsum quid est? Quia per ipsum constitutio & perseverantia omnibus impertita videatur. In ipso quid est? Quia omnia admirabili quodam desiderio & inenarrabili amore authorem vitae & ministratorem gratiae suae ac muneris intuentur, secundum quod scriptum est: Oculi omnium in te sperant, & aperies manum tuam, & implebis omnem animam bona voluntate. De patre quoque si dicas: Ideo ex ipso, quia ex ipso operatrix sapientia, quae & omnibus ex sua & patris voluntate dedit esse quae non erant: per ipsum, quia per sapientiam eius facta sunt omnia: in ipso, quia in ipso est viuificatoriae fons substantiae, in quo viuimus & sumus & mouemur: ex spiritu quoque per ipsum formati, in ipso roborati vitae capimus munus aeternae. Cum haec igitur vel patri vel filio, vel Spiritui sancto conuenire videantur, nihil utique humile in his certum est declarari, cum & ex filio dicamus esse pleraque, & multa per patrem, sicut habes de filio dictum: Utaugeamur in ipso per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum, inquit, corpus compactum & conexum per omnem iuncturam ministrationis in mensuram vniuersiusque partis augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. Et iterum ad Colossenses de his qui non haberent cognitio-

nem vnigeniti filij Dei. Quia non tenent, inquit, caput ex quo omne corpus per compaginations & colligationes subministratum & copulatum crescit in incrementum Dei. Caput enim Christum esse ecclesiae supra diximus. Et alibi habes: Quia de plenitudine eius nos omnes accepimus. Et ipse Dominus dixit: De meo accipiet, & annuntiabit vobis. Et supra ait: Cognoui virtutem exisse ex me. Similiter ut cognoscas vnitatem, etiam de spiritu dicitur: Quia qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam. Et Ioannes ait: Ex hoc cognoscimus quia in nobis est, quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et angelus dicit: Quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est. Et Dominus ait: Quia quod natum est de spiritu, spiritus est. Ergo sicut ex patre legimus esse omnia, ita & ex filio posse dici omnia, per quem omnia sunt, & ex spiritu esse omnia, in quo omnia sunt, testimonii edocetur. Nunc consideremus, vtrum per patrem esse aliquid docere possimus. Sed scriptum est: Paulus seruus Christi per voluntatem Dei. Et alibi: Iam non seruus, sed filius: si autem filius, & haeres per Deum. Et alibi: Sicut resurrexit Christus per gloriam patris. Et alibi: Deus pater ad filium dicit: Ecce prosclyti veniunt ad te per me. Multa reperies alia, si queras, per patrem facta. Nunquid ideo minor pater, quia & ex filio pleraque esse legimus, & per patrem facta vel dicta plurima in scripturis caelestibus reperimus? Sed etiam per spiritum similiter legimus facta pleraque, sicut habes: Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Et alibi: Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum. Et ad Ephesios: Confortari per spiritum eius. Et ad Corinthios: Alij enim datur per spiritum sermo sapientiae. Et alibi: Si autem per spiritum facta carnis mortificaueris, viueticis. Et supra: Quia suscitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Sed fortasse dicit: Ostende mihi specialiter lectum, quia ex filio omnia, vel ex spiritu omnia? At ego refero, ut & illi mihi lectum esse ostendant, quia per patrem omnia. Sed cum haec vel patri probauerimus vel filio vel Spiritui sancto conuenire, nec vllam ex huiusmodi syllabis nasci posse diuinae distantiam potestatis, non est dubium, quia per quem omnia, ex eo omnia: & ex quo omnia, per eum omnia, & in quo omnia, per eum vel ex eo omnia, esse intelligere debemus. Omnium enim creatura & ex voluntate & per operationem & in virtute est trinitatis, sicut scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et alibi: Verbo Domini caeli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Quia vna voluntas, vna vocatio patris & filij & Spiritus sancti. CAP. XI.

Nec solum vna operatio est vbique patris & filij & Spiritus sancti, sed etiam vna atque eadem voluntas, vna vocatio, vna praecipio: quod licet in illo magno ac salutari ecclesiae spectare mysterio. Sicut enim pater vocauit gentes ad ecclesiam, dicens: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam. Et alibi: Domus mea do-

Ioan. 1. Ioan. 16. Luca 8. Galat. 6. 1. Ioan. 4. Luca 1. Ioan. 3. 1. Cor. 1. Galat. 4. Rem. 8. Rem. 8. Genes. 1. Psal. 22.

mus orationis vocabitur omnibus gentibus. Ita etiam Dominus Iesus ad vocandam & congregandam ecclesiam Paulum à se dicit electum, sicut habes ad Ananiam dictum à domino Iesu: Vade, quoniam vas electionis est mihi hic, ad sufferendum nomen meum coram gentibus. Sicut ergo pater Deus vocavit ecclesiam, ita vocavit & Christus. Et quem admodum Christus vocavit, ita vocavit & spiritus, dicens: Separate mihi Paulum & Barnabam, in opus quo vocavi eos. Tunc ieiunantes, inquit, & orantes, imposuerunt eis manus, & dimiserunt eos. Ipsi autem præmissi ab Spiritu sancto deuenerunt in Seleuciam. Ergo non solum Christi, sed etiam Spiritus sancti imperio apostolatum Paulus accepit, & ad congregationem gentium festinauit. Nec solus Paulus, sed etiam Petrus, sicut legimus in Actibus apostolorum. Nam cum in oratione vidisset cælum apertum, & quatuor iniitiis ligatum vas quoddam tanquam linteamen, in quo erant omnia genera quadrupedum & ferarum & volucrum cœli, facta est vox ad eum: Surge, occide & manduca. Et Petrus dixit: Absit Domine, nunquam manducaui commune & immundum. Et vox rursus ad eum: Quæ Deus mundauit tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter & receptum est vas in cœlo. Ergo cum hoc secum Petrus tacitus cogitaret, & venissent ad eum Cornelij seruuli ab angelo destinati, ait illi spiritus: Ecce viri quærunt te: surge itaque & descende, & vade cum eis nihil dubitans, quoniam ego misi illos. Quam euidenter expressit suam Spiritus sanctus potestatem: Primo omnium, quia aspirauit oranti, affuit deprecanti. Deinde quoniam vocatus Petrus respondit, Domine: & ideo secundum euidentius meruit oraculum, quia confessus est Dominum. Sed quis iste sit Dominus scriptura declarat. Respondenti enim is utique cui responderat loquebatur. Spiritum autem ostendunt sequentia declaratum: quia ipse qui mysterium figurabat, mysterium reuelabat. Simul illud aduerte, quia tertio repetita figura mysterij, operatione trinitatis expressit. Et ideo in mysterijs interrogatio trina defertur, & confirmatio trina celebratur. Nec potest quis nisi trina confessione purgari. Vnde ipse Petrus in euangelio tertio interrogatus, vtrum diligat Dominum, vt trina responsione vincula quæ Dominum negando ligauit, absolueret. Tum deinde quia ad Cornelium angelus mittitur, Petrum Spiritus sanctus alloquitur. Oculi enim Domini super fideles terræ. Nec illud ociosum, quod cum in superioribus præmississet, quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris: subito decidit super gentes, vt mundaret eos Spiritus sanctus. Vnde ostenditur operationem spiritus, operationem esse diuinam, Petrus autem missus ab spiritu, non expectauit imperium Dei patris, sed ipsius quoque spiritus illud confessus oraculum, ipsius spiritus gratiam esse testatur, dicens: Si ergo eandem gratiam illis concessit Deus, sicut & nobis: ego quis eram qui prohiberem Deum? Spiritus ergo sanctus est qui nos ab illa gentili colluione mundauit. In illis enim generibus quadrupedum & ferarum & volucrum, figura erat conditionis humanæ, quæ ferarum modo bestiali videtur induta sæuitia, nisi Spiritus sanctificatione mittescat. Bona ergo gratia quæ

ferinam rabiem spiritali simplicitate commutat. Eramus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis: nunc autem per renouationem spiritus hæredes Christi, angelorum cœpimus esse cohæredes. Itaque spiritu videns Dauid sanctus propheta ex feris nos similes futuros esse cœlestium: Increpa, inquit, feras syluæ, syluam videlicet significans non ferarum fragosam cursibus, nec bestiarum gemitibus inhorrentem, sed illam syluam de qua scriptum est: Inuenimus eam in campis syluæ. In qua, sicut dixit propheta: Iustus vt palma florebit, & velut cedrus quæ in Libano est, multiplicabitur. Illa sylua quæ verbi cœlestis alimoniam prophetarum verticibus arborum concussa defluxit. Illa sylua ad quam Paulus lupus quidem raptor intrauit, sed pastor exiuit. In omnem enim terram exiuit sonus eorum. Eramus ergo feræ, & ideo dicit Dominus: Attendite vobis à falsis prophetis qui veniunt in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Sed per Spiritum sanctum iam leonum sæuitia, pardorum varietas, astutia vulpium, luporum rapacitas de nostris exoleuit affectibus. Magna igitur gratia, quæ cœlo terras mutauit, vt conuersatio nostra, sicut Apostolus dixit, in cœlis sit, qui antè sicut feræ errabamus in syluis. Sed nec hoc tantum loco Petrus apostolus, sed etiam alibi in eodem libro à Spiritu sancto edificatam ecclesiam demonstrauit. Habes enim dixisse eum: Deus qui nouit corda hominum testimonium perhibuit dans his Spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, mundans per fidem corda eorum. In quo illud est contuendum, quia sicut Christus lapis est angularis, qui vnitatem plebis vtriusque connexuit, ita etiam Spiritus sanctus non discreuit vtriusque populi corda, sed iunxit. Non ergo tanquam Iudæus contempnas filium, quem annunciauerunt propheta, contempnas etiam Spiritum sanctum, contempnas Hieremiam, quem de lacu Iudaicæ domus ille assumptus à Domino pannis & funibus eleuauit. Verbum enim propheticum despiciens in lacum demerserat populus Iudæorum. Nec quisquam inuentus est de Iudæis qui leuaret prophetam, sed vnus Æthiops Abdemelech, sicut scriptura testatur. In quo nomine figura pulcherrima est, quia sermonem propheticum quem Iudæi velut in cœnum suæ mentis carnisque detruferant, nos videlicet ex gentibus peccatores, nigri ante delictis & quondam infructuosi eleuauimus de profundo. Et ideo scriptum est: Æthiopia præleuabit manus suas Deo. In quo sanctæ ecclesiæ species significatur, quæ ait in Canticis canticorum: Nigra sum & decora filia Hierusalem. Nigra per culpam, decora per gratiam: nigra per conditionem, decora per redemptionem. Aut certè nigra exercitij sui puluere. Nigra ergo dum præliatur, decora dum victoria suæ insignibus coronatur. Et bene funibus leuatur propheta. Fidelis enim dixit: Funes ceciderunt mihi in præclaris. Bene pannis, quia ipse Dominus excusantibus his qui primò ad nuptias vocati fuerant, ad exitus viarum misit, vt quoquot inuenirentur & boni & mali, ad nuptias vocarentur. His itaque pannis propheticum verbum leuauit è cœno.

Quia

Quia sicut pater nouit filium, & filius patrem: sic spiritus patrem & filium. Et sicut pater reuelat nobis quæ sunt, sic & filius, sic & spiritus reuelat nobis.

CAP. XII.

Erigitur & tu Abdemelech, hoc est, assumptus à Domino, si de profundo gentilis imprudentia leuaueris Dei verbum, si credideris quia non fallitur, non præteritur Dei filius, non ignorat quæ futura sunt, nõ fallitur etiam spiritus sanctus, de quo dicit Dominus: Cum venerit autem ille spiritus veritatis, deducet vos in omnem veritatem. Qui dicit, omnem, nihil præterit, non diem, non horam, non præterita, non futura. Et vt scias, quia & omnia nouit, & futura annunciat, & vnus est scientiæ cum patre & filio, audi quid dicat de eo Dei veritas: nõ enim loquitur à semetipso, sed quæ audit, loquitur: & quæ euenient annūciabit vobis. Itaque vt aduertat quia nouit omnia, cū diceret filius. De die autem illa & hora nemo nouit, neque angeli cœlorum, exceptit spiritum sanctum. Si autem exceptus est spiritus sanctus ab ignorantia, quomodo non exceptus est Dei filius? Sed dicis: Quia cum angelis annumerauit & Dei filium. Annumerauit quidem filium, sed non annumerauit & spiritum. Aut fatere igitur potiorè esse spiritum Dei filio, vt iam nõ solum quasi Arrianus, sed etiam quasi Fotinianus loquaris: aut agnosce quod referre debeas quod nescire filium dixit. Etenim quasi homo annumerari creaturis potuit, qui creatus est. Quod si vis dicere, quia nouit omnia, & præscientiam habet omnium dei filius futurorum, quæ filio incognita putas, ea de filio spiritus sanctus accepit. Accepit autem per vnitatem substantiæ, sicut accepit à patre filius. Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet & annūciabit vobis: Omnia quæcumque habet pater, mea sunt, propterea dixi, de meo accipiet, & annūciabit vobis. Quid igitur hac euidentius vnitatem? quæ habet pater filij sunt, quæ habet filius, accepit & spiritus. Accipe tamen, quia nouit iudicij diem Dei filius. Lectum est in Zacharia: Et veniet Dominus deus meus & omnes sancti cum eo. In illa die non erit lumen, sed frigus & gelu: Et erit dies vna, & dies illa nota domino. Hæc igitur dies nota Domino, qui veniet cū sanctis suis, secundo nos illuminaturus aduentu. Sed quod orsi sumus de spiritu prosequamur. Habes enim in eo quod prætulimus exemplo, quia filius dicit de spiritu: Ille me clarificabit. Clarificat ergo & spiritus filium, sicut clarificat & pater, sed etiam spiritum clarificat Dei filius, sicut supra diximus. Non est ergo infirmus qui redimit mutuam claritatem per vnitatem lucis æternæ. Nec inferior sancto spiritu, cuius hoc ipsum est quod clarificatur ab spiritu. Assumetis ergo & tu si credas, quia hoc locutus est spiritus, quod locutus est pater, quod locutus est filius. Denique Paulus ideo assumptus est, quia sic credidit, sic docuit, quia quod oculus non vidit nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis reuelauit per spiritum suum, sicut scriptum est. Et ideo reuelationis spiritus dicitur, sicut habes: Dat enim deus sic præparantibus se spiritum sapientiæ & reuelationis in cognitione eius.

S. Ambr. tom. 4.

Vnitatis igitur est scientiæ, quædo sicut pater reuelat qui dat spiritum reuelationis, sic reuelat & filius, quia scriptum est: Nemo nouit filium nisi pater: neque patrem quis nouit nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Plus dixit de filio, non quod plus habeat quæ pater, sed ne minus habere credatur. Nec immerito sic reuelat patrem qui sic nouit patrem, quem admodum filium pater nouit. Accipe nunc quia deum patrem nouit & spiritus. Scriptum est enim: Quia sicut ea quæ hominis sunt, nemo nouit nisi spiritus qui in ipso est: sic & quæ Dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus Dei. Nemo, inquit, cognouit nisi spiritus dei. Nunquid exclusus est Dei filius? Non utique, quia nec spiritus sanctus exclusus est, cum dicitur: Neque patrem quis nouit nisi filius. Ergo vnus & pater & filius & spiritus sanctus & naturæ sunt & scientiæ. Neque cum omnibus quæ per filium facta sunt sanctus annumerandus est spiritus, cum Deum patrem nouerit, quem (sicut scriptum est) quis potest nosse nisi filius, sed & spiritus sanctus nouit. Quis ergo? cum dicitur, vniuersitas creaturarum, non spiritus sanctus comprehenditur. Nunc velim respondeant, quid est in homine quod cognoscat quæ sunt hominis? Vtique rationabile quod cæteris animæ virtutibus supereminet, & quo præcipue natura hominis æstimatur. Quid est igitur spiritus qui alta dei nouit, per quem Deus omnipotens reuelatur? Nunquid plenitudine diuinitatis inferior est, qui eiusdem cum patre substantiæ etiam hoc exemplo probatur? Aut aliquid ignorat qui nouit consilia dei, & mysteria eius ab initio abscondita? Quid est quod nesciat, qui nouit omnia quæ dei sunt? Spiritus enim etiam alta dei scrutatur. Ac ne putes quod scrutetur incognita, & ideo scrutetur vt discat id quod ignorat: antè præmisit, quia reuelauit nobis deus per spiritum suum: simul vt disceres, quia nouit spiritus quæ nobis per ipsum spiritum reuelantur, in posterioribus ait: Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus qui in ipso est? Sic & quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei. Ergo si hominis spiritus nouit quæ hominis sunt, & antequam scrutetur nouit, potestne aliquid dei esse quod spiritus dei nesciat? de quo non ociose Apostolus dixit: Quæ dei sunt, nemo cognouit nisi spiritus dei, vt non scrutando cognouerit, sed nouerit per naturam. Nõ quod accidens in eo scientia diuinorum, sed cognitio naturalis sit. Veru si te mouet, quia dixit, scrutatur, accipe quia id quoque de deo scriptum est, eo quod sit scrutator cordis & renum. Ipse enim dixit: Ego sum scrutans corda & renes. Etiam de filio dei habes ad Hebræos: Qui scrutator est animi & cogitationis. Vnde liquet, quia nemo inferior, superioris scrutatur interna. diuinæ enim solius est potestatis occulta nouisse. Similiter ergo scrutatur spiritus sanctus vt pater, similiter vt filius scrutatur, cuius proprietate sermonis id exprimitur, vt videatur nihil esse quod nesciat quem nihil præterit. Denique ille electus à Christo, instructus ab spiritu est. Nã, sicut ipse testatur, per spiritum diuini cognitionem consecutus arcani, ostēdit quia & nouit spiritus deum, & ea nobis quæ dei sunt spiritus reuelauit, sicut reuelauit & filius. Et addidit: Nos autem nõ spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, vt sciamus.

K

quæ à deo donata sūt nobis, quæ & loquimur, nō in sua foris humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtute Dei. Probatū est igitur, quia sicut. Deus nouit quæ sua sunt, ita & filius quæ dei sunt, ita etiā spiritus reuelauit. Ex vno enim spiritu per vnum filiū, in vnū patrē cognitio nostra procedit. Ex vno patre, per vnū filiū, in vnū spiritū sanctum bonitas & sanctificatio & imperiale ius æternę traditur potestatis. Vbi ergo ostensio spiritus, ibi Dei virtus, nec potest esse discretio, vbi opus vnum est. Et ideo quod loquitur filius, loquitur & pater: & quod pater loquitur, loquitur & filius. Vnde & de spiritu filius Dei dixit: Non enim loquitur à se, hoc est, non sine mea & patris communione. Neque enim diuisus ac separatus est spiritus, sed quæ audit loquitur: audit videlicet per vnitatem substantiæ & proprietatem scientiæ. Neque enim foraminibus aliquibus corporalibus recipit auditum, & quibusdam diuina modulis carnalibus vox resultat, vel audit id quod ignorat, quoniā in rebus humanis scientiā plerūque auditus operatur, & tamen nec in ipsis hominibus semper alloquiū corporale, aut carnalis auditus est. Qui enim loquitur linguis, non hominibus, inquit, loquitur, sed deo. Nemo enim audit, spiritu enim loquitur. Ergo si in hominibus non semper auditus est corporalis, in deo tu infirmitatis humanæ sonitus, & quædam organa exigis carnalis auditus, cum ideo audire dicatur, vt scire credatur? Nos enim id scimus quod audierimus: & antè audimus, vt scire possimus. In Deo autem, quia nouit omnia ante quàm fiant, scientia præcedit auditum. Itaque vt quod velit pater, filium non ignorare dicamus, audisse memoramus. Sed in Deo non sonus neque syllaba quæ significare solent iudicium voluntatum, sed voluntatis vnitatis diuinis quidem intelligitur arcanis, nostris autem significatur indicis. Quid est ergo non enim à se loquitur, hoc est, nō sine me loquitur, quia loquitur veritatem, sapientiam aspirat. Nō sine patre loquitur, quia Dei spiritus est: non à se audit, quoniam ex Deo omnia. Omnia accepit à patre filius, quia ipse dixit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Omnia patris habet filius, quia iterum ait: Omnia quæ pater habet, mea sūt. Et quæ accepit ipse per vnitatem naturæ, ex ipso per eandem vnitatem accepit spiritus, sicut ipse Dominus Iesus declarat de spiritu suo, dicens: Propterea dixi, de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quod ergo loquitur spiritus, filij est: quod dedit filius, patris est. Ita nihil à se aut filius loquitur aut spiritus, quia nihil extra se trinitas loquitur. Quod si ad infirmitatem spiritus sancti & quandam corporeæ similitudinem vilitatis id deriuari contendas, etiam ad filij iniuriam deriuabis, quia & de se filius dixit: Sicut audio, iudico. Et non potest aliud facere filius, nisi quod viderit facientem patrem. Si enim verum est, verū est quod dixit filius: Omnia quæ pater habet mea sunt, & secundum diuinitatem vnum est cum patre filius, vnum per substantiam naturalem, non vnus secundum Sabellianam perfidiam. Quod vnum itaque est per substantiæ proprietatem, non potest separari, & ideo non potest filius facere nisi quod audierit à patre, quia in æternum est permanens Dei verbum, nec vnquam pater à filij operatione diuiditur, &

107.6.

Matth. 12.

1040.5.

quod operatur filius, scit patrem velle: & quod vult pater, filium nouit operari. Denique ne vel in tempore vel in ordine aliquam inter patrem & filiū putares operis distāciam, sed eiusdem operationis crederes vnitatem. Et opera, inquit, quæ ego facio, ipse facit. Et rursus ne discretionem aliquam in operis distinctione sentires, sed idem velle, idem facere, idē posse patrem & filium iudicares, dicit tibi sapientia de patre. Quæcumque enim ille fecerit, eadem & filius facit similiter. Non ergo alicui prior vel secundus est actus, sed idem vnius operationis effectus est. Et ideo nihil à se posse facere filius dicitur, quia à patre non potest eius operatio separari. Similiter & spiritus sancti operatio nō discernitur. Vnde etiam ea quæ loquitur, audire à patre dicitur. Quid si docco, quia & pater audit filium, sicut & filius audit patrem? Habes enim scriptum in euangelio, quia dicit filius: Pater, gratias tibi ago, quia audisti me. Quomodo audiuit pater filium, cum filius nihil ad patrem in superioribus de Lazaro sit locutus? Ac ne putares, quia semel à patre auditus est filius, addidit: Et ego sciebā, quia semper me audis. Ergo non subiectæ obedientiæ, sed vnitatis auditus est sempiternæ. Similiter igitur & audire à patre spiritus, & clarificare filium dicitur. Clarificare ideo, quia docuit nos spiritus sanctus filium Dei imaginē esse inuisibilis dei, & splendorem gloriæ, & characterem substantiæ eius, Spiritus enim & in patriarchis & in prophetis locutus est & apostolis. Denique tunc perfectiores esse cœperunt, posteaquam spiritum receperunt. Nulla ergo distantia diuinæ virtutis & gratiæ. Nam licet diuisiones gratiarum sint, idem tamen Dominus, & diuisiones operationum sint, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus, diuisiones autem sunt munerum, nō separationes trinitatis. Denique idem est Deus qui operatur omnia in omnibus, vt scias quia non est discretio operationis inter deū patrem & spiritū sanctū, quando ea quæ operatur spiritus operetur & pater Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nam cum operetur omnia in omnibus, alij tamen datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autē omnia operatur vnus atque idē spiritus diuidens singulis prout vult. Non est ergo dubiū quin ea quæ operatur pater, operetur & spiritus. Nec ex præcepto sicut qui corporaliter audit, vt operetur: sed ex voluntate qui sui est liber arbitrij, non alienæ famulus potestatis. Nō enim quasi iussus obtemperat, sed quasi largitor suæ moderator est largitatis. Vide nunc interim, vtrum omnia operari dicas spiritum, quæ operatur & pater. Negare tamē nō potes, quia operatur pater, quæ spiritus sanctus operatur, vt scias quia nō est discretio operationis inter Deum patrē & spiritum sanctum, quando ea quæ operatur spiritus, operatur & pater, Deus qui operatur omnia in omnibus: alioquin non omnia operatur pater, si non operatur quæ operatur & spiritus. Quod si qua operatur spiritus, operatur & pater cū spiritus operationes suas pro voluntate sua diuidat,

104. Heb. 1.

Act. 15.

Act. 3.

Galat. 2.

uidat, necesse est id quod diuidit spiritus, aut inuito patre Deo dicas eum ex sua voluntate diuidere: aut si idem velle dixeris patrem quod vult spiritus sanctus, necesse est vt vnitatem voluntatis operationisque diuinæ vel inuitus, & si non corde, saltem ore fatearis. Quod si vnus & voluntatis & operationis est cum patre deo spiritus sanctus, vnus etiā substantiæ est, quoniam ex operibus suis creator agnoscitur. Idem igitur spiritus, idē, inquit Dominus, idē inquit, Deus. Et si spiritum dicas, & si Dominum dicas, idem est: & si deum dicas, idem est. Non idē vt ipse pater, ipse filius, ipse sit spiritus sanctus, sed quia & pater & filius eiusdem est potestatis. Idem ergo est per substantiam atque virtutem, quia non est in diuinitate vel Sabelliana confusio, vel Arriana discretio, vel terrena corporalisque mutatio. Accipe aliud sancte imperator, in causa validum sed tibi notum. Multifariam, inquit, & multis modis etiam Deus locutus est patribus in prophetis. Et sapientia dei dixit: Mittā prophetas & apostolos. Et alij datur (sicut scriptum est) per spiritū sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij gratia curationum, alij operatio virtutis, alij prophetia. Ergo secundum Apostolum non solum per patrem & filium, sed etiam per spiritum sanctū prophetia, & ideo vnū munus vna est gratia. Habes ergo quia etiā spiritus author est prophetarum. Apostoli quoque dixerūt: Visum est spiritui sancto & nobis. Et cum dicūt, visum, non solum operatorem gratiæ sed etiam auctorem imperatæ executionis ostendunt. Sicut enim de Deo legimus, placuit Deo, ita etiam cū dicitur, quia visum est spiritui sancto, arbiter suæ exprimitur potestatis. Et quomodo nō arbiter, qui ea quæ vult loquitur, quæ vult mandat? Sicut mandat pater, mandat & filius. Sicut enim audiuit Paulus vocem dicentem sibi: Ego sum inquit, Iesus, quem tu persequeris, ita etiam spiritus Paulum & Sylam vetuit ire in Bithyniam. Et sicut pater locutus est per prophetas: ita etiam de spiritu Agabus dicit: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum cuius est zona hæc, sic alligabunt eum in Hierusalem. Et sicut misit sapientia apostolos, dicens: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euangelium, sic & spiritus sanctus dicit: Separate mihi Paulum & Barnabam in opus quo vocaui eos. Itaque permitti à spiritu sancto, quod infra scriptura indicat, nullā discretionē inter ceteros habuerūt apostolos, quasi aliter à patre deo, aliter à spiritu mitterentur. Denique cum Paulus missus esset à spiritu, & vas electionis erat Christi, & deum in se operatum esse commemorat, dicens: Qui enim operatus est Petro in apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi ad gentes. Cum igitur idem sit operatus in Paulo qui est operatus in Petro, hoc vtique ostēdit quod spiritus sit operatus in Paulo, quod etiam in Petro spiritus sanctus operatus sit. Sed & Deum patrem in se operatum Petrus ipse testatur, sicut est in Actibus apostolorum, quia surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quia à diebus antiquis in nobis deus elegit ex ore meo audire nationes verbum euangelij. Ecce igitur in Petro Deus gratiam prædicationis operatus est. In quo, vtique cum per Christū electus sit & assumptus, operationē Christi

quis audeat diffiteri, cum ipse Dominus dicat: Pasce agnuculos meos? Vna igitur operatio patris & filij & spiritus sancti. Nisi fortè hoc putetis qui negatis eiusdem erga apostolos operis vnitatem, ideo operatum patrem, ideo operatum spiritum sanctum in Petro in quo filius operatus fuerat, quasi ei filij operatio minimè redundaret ad gratiā. Et ideo velut adiunctis atque collatis viribus patris & filij & spiritus sancti operationem fuisse multiplicem, ne ad confirmandum Petrum Christi solius operatio vacillaret. Nec solum vna operatio in Petro patris & filij & spiritus sancti inuenitur, sed etiam in omnibus apostolis diuinæ operationis vnitatis reuelatur, & quædam supernæ constitutionis auctoritas. Operatio enim diuina habet imperium, non habet ministerium. Neque enim cum operatur deus, aut labore aliquid extundit, aut arte, sed dixit, & facta sunt. dixit: Fiat lux, & facta est lux. In præcepto enim Dei operationis effectus est. Hanc igitur regalem quandam etiam sancto spiritui potestatem scripturarum testificatione delatam, si velimus aduertere, facillè possumus reperire, omnes apostolos non solum Christi fuisse discipulos, sed etiam patris & filij & spiritus sancti ministros. Sicut etiam doctor gentium docet, dicens: Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primò apostolos, secundò prophetas, tertio doctores. Deinde virtutes, gratiam curationum, opulationes, gubernationes, genera linguarum, &c. Ecce Deus posuit apostolos, posuit prophetas atque doctores, dedit curationum gratiam, quam supra habes dari per spiritum sanctum, dedit genera linguarum: sed tamē non omnes apostoli, non omnes prophete, non omnes doctores. Non omnes, inquit, habent gratiam curationum, neque omnes, inquit, linguis loquuntur. In singulis enim hominibus vniuersa dona diuina esse nō possunt, pro captu vnusquisque id accipit quod aut desiderat, aut meretur. Sed non huius infirmitatis similis potentia trinitatis, quæ omnium munifica gratiarum est. Denique posuit apostolos Deus. Hos quos Deus posuit in ecclesia, Christus elegit, & apostolos ordinauit, & in orbem direxit, dicens: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ, & qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, dānabitur. Signa autē credentes ista sequentur: In nomine meo demonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent & bene habebunt. Ecce doctores posuit pater, posuit etiam Christus in ecclesiis. Et sicut pater dat gratiam curationum, ita dat & filius. Sicut pater dat dona linguarum, ita largitur & filius. Similiter de sancto spiritu supra accepimus, quia eadem gratiarum genera largiatur. Datur enim, inquit, per spiritum alij gratia curationum, alij genera linguarum, alij prophetia. Ergo eadem dat spiritus, quæ dat pater, dat etiam filius. Accipiamus nunc expressius quod superius prælibauimus, quia idem quod pater & filius, etiam spiritus sanctus mandet officium, eisdemque constituat. Dixit enim Paulus: Attendite vobis & omni gregi in quo posuit vos spiritus sanctus episcopos regere eccle-

Gen. 1.

1. Corint. 12.

Mar. 16.

Act. 9.

fiam Dei. Vnitas igitur imperij, vnitas constitutio- nis, vnitas largitatis. Nam si constitutionem separet & potestatem, quæ erat causa vt quos posuerat apostolos Christus, poneret Deus pater, poneret & spiritus sanctus, nisi fortè vt homines tanquam in confortio possessionis aut iuris præiudicium verebantur. Et ideo diuidebatur operatio, destruebatur imperium. Hæc inter ipsos homines angusta sunt & minuta, qui plerunque tamen etiam si operatione non congruunt, congruunt volutate. Vnde quidam interrogatus quid amicus esset, alter, inquit, ego. Si ergo homo amicum ita definiuit, vt alterum se esse diceret, per vnitatem videlicet amoris & gratiæ, quanto magis in patre & filio & spiritu sancto vnitatem maiestatis æstimare debemus, cum per eandem operationem ac diuinitatem vel vnitas vel certè id quod amplius est, τὰυτότης, sicut Græcè dicitur, exprimitur: τὰυτό enim idem significat: eo quòd idè habeat & pater & filius & spiritus sanctus, vt idem velle & idem posse non ex affectione sit voluntatis, sed in substantia trinitatis. Hæc est apostolicæ fidei & deuotionis hæreditas, quam liquet ex ipsorum cõsiderare actibus. Paruerunt ergo Paulus & Barnabas sancti spiritus imperatis. Paruerunt & omnes apo-

stoli, statimque eos quos separari iusserat spiritus ordinauerunt. Separate, inquit, mihi Paulum & Barnabam. Videtis iubentis imperium, spectate merita seruicij. Credidit Paulus: & quia credidit, studia persecutoris abiecit, coronam iustitiæ reportauit. Credidit ille qui ecclesias deuastabat, sed conuersus ad fidem: prædicabat in spiritu, quod spiritus imperabat. Vngebat athletam suum spiritus, & puluere impietatis excusso, debellatorem infidelium ineluctabilem variis impiorum cõgressionibus offerebat, atque ad brauium superne vocationis in Christo Iesu diuersis passionibus erudiebat. Barnabas quoque credidit, & quia credidit paruit. Itaque sancti spiritus electus imperio, quod ei ad omne redundat insigne meritorum, non fuit tanto indignus collegio. Vna enim gratia fulgebat in his quos spiritus vnus elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quamuis ille ecclesiæ fundamentum, & hic sapiens architectus sciens vestigia credentium fundare populorum. Nec Paulus inquam indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque facillè conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS IN LIBRVM TERTIVM

DE SPIRITV SANCTO AD GRATIANVM AVGVSTVM,

PRÆFATIO.

Superiore libro eidentibus testimoniis scripturarum docuimus, Apostolos & prophetas, illos ad prophetandum, hos ad euangelizandum à sancto spiritu, sicut à patre et à filio designatos. Nunc adiicimus quod omnes iure mirentur, et dubitare non possint, quod spiritus super Christum, et quod sicut ille spiritum misit, ita & filium Dei spiritus misit. Dicit enim filius Dei: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me, predicare captiuis remissionem, et cæcis visum. Quod cum de libro Esaiæ legeret, ait in Euangelio: Hodie completa est hæc scriptura in auribus vestris, vt de se dictum esse signaret. Ergo mirari possumus si prophetas & Apostolos spiritus misit, cum Christus dixerit: Spiritus Domini super me. Et bene, super me dixit, quia quasi filius hominis loquebatur. Quasi filius enim hominis et unctus & missus est ad euangelium predicandum. Sed si non creditur filio, audiant etiam patrem loquentem, quia spiritus Domini super Christum. Dicit enim Ioanni: Super quem videris spiritum descendentem de cælo et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Dixit hoc Deus pater Ioanni: Ioannes et audiuit et vidit et credidit. Audiuit à Deo, vidit in Domino, credidit quia spiritus erat qui descendebat de cælo. Non enim columba, sed sicut columba, descendit. Sic enim scriptum est: Et vidi spiritum Dei descendentem de cælo sicut colubam. Sicut Ioannes vidisse se dicit, ita scripsit et Marcus. Lucas autem addidit, quod corporali specie descendit spiritus sanctus sicut columba, ne incarnationem illam putes fuisse, sed speciem. Ideo autem speciem præterit, vt per speciem crederet qui spiritum non videbat, et per speciem declararet vnus honoris in imperio, vnus operationis in mysterio, vnus muneris in lauacro cum patre et filio sibi esse consortium: nisi fortè inualidum credimus, vt in eo baptizetur seruulus, in quo baptizatus est Dominus. Pulchre autem dixit, manentem super eum, quia

Act. 13.

Luc. 4.

Ibid.

Ioan. 1.
Marc. 1.
Luc. 3.

eum, quia ad prophetas quotiens volebat spiritus vel inspirabat, vel verbum fiebat, semper autem manebat in Christo. Nec rursus moueat, quod super eum dixit: De filio enim hominis loquebatur, quia sicut filius hominis baptizabatur. Nam secundum diuinitatem non super Christum est spiritus, sed in Christo: quia sicut pater in filio, et filius in patre, ita Dei spiritus et spiritus Christi et in patre est et in filio, quia oris est spiritus. Manet enim in Deo qui ex Deo est, sicut scriptum est: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Et manet in Christo, quia à Christo accepit: et in Christo est, quia iterum scriptum est: Ille de meo accipiet. Et alibi: Lex enim spiritus vira in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati et mortis. Non ergo secundum diuinitatem Christi super Christum est, quia non super se est trinitas, sed super omnia. Supra se autem non est, sed in se est. Quis ergo dubitet, quia prophetas et apostolos spiritus misit, cum dicat Dei filius: Spiritus Domini super me? Et alibi: Ego sum primus, et ego in æternum, et manus mea fundauit terram, et dextera mea solidauit cælum: vocabo eos, et astabunt simul, et congregabuntur omnes et audient. Quis illis hæc nunciauit? Diligens te, feci voluntatem tuam aduersus Babylonem, vt tollatur semen Chaldaeorum: Ego locutus sum, et ego vocaui, adduxi eum, et prosperum iter eius feci. Accedite ad me, et audite hæc: Nonne ab initio locutus sum, cum fierent, illic eram: et nunc Dominus misit me, et spiritus eius.

1. Cor. 2.

Ioan. 16.
Rom. 8.Luc. 4.
Es. 44.

Capita tertij libri de Spiritu sancto.

- Quia spiritus super Christum, et sicut filius spiritum misit, ita et spiritus filium Dei misit. Cap. I.
Quia datus spiritus sicut et filius. Cap. II.
Quia digitus Dei lectus est spiritus, quo significatur vnitas diuinitatis, non inæqualitas trinitatis. Cap. III.
Quia sicut cooperatus est patri et filio spiritus sanctus in nube et in mari cum liberaretur populus Iudeorum, ita et cooperatur in mysterio baptismatis. Cap. IIII.
Quia sanctificat pater, sanctificat filius, sanctificat et spiritus sanctus. Cap. V.
Quia eadem sunt opera manuum quæ sunt opera digitorum. Cap. VI.
Quia sicut arguit pater, ita arguit filius, ita arguit et spiritus: et quia iudicat spiritus. Cap. VII.
Sicut lectum est quod verbi gladius spiritus sit, ita lectum est quod spiritus sancti gladius verbum Dei sit. Cap. VIII.
Quia similiter vt pater et filius, ita etiam spiritus contristatus et exasperatus, et tentatus à Iudeis legatur. Cap. IX.
Quia Deus spiritus secundum Petri sententiam in Actibus apostolorum. Cap. X.
Quia Deus est spiritus secundum euangelium. Cap. XI.
Quia adoratur spiritus sanctus sicut pater et filius, et cum patre et filio adoratur in maiestate Dei. Cap. XII.
Quia Deus spiritus sanctus est secundum Apostolum, et quia templum sumus spiritus sancti, sicut et Dei patris et Domini Iesu Christi. Cap. XIII.
Quia non tres dii, sed vnus Deus. Cap. XIII.
Quia Dominus spiritus sanctus, sicut pater et filius. Cap. XV.
Quia bonus spiritus Dei, et spiritus veritatis, et omnem insinuat veritatem. Cap. XVI.
Quia non tres Domini, sed vnus Dominus. Cap. XVII.
Quia sicut pater sanctus, ita filius sanctus, ita et spiritus Dei sanctus. Cap. XVIII.
Collectio, quia spiritus Deus, quoniam et sine peccato est, et peccata donat, et creator est, et seruimus ei, et adoratur. Hæc enim omnia Dei sunt, et quia à morte suscitatur. Cap. XIX.
Quia sicut pater et filius, ita et spiritus sanctus suscitatur mortuos. Cap. XX.
Quia spiritus in Dei sede, et vnum regnum patris et filij et spiritus sancti indiuisum. Cap. XXI.
Quia Dominus sabaoth etiam spiritus sanctus. Cap. XXII.
Quia omnipotens etiam spiritus Dei. Cap. XXIII.

K iij

DIVI AMBROSII MEDIO-
LANENSIS EPISCOPI DE SPIRITU
sancto ad Gratianum Augustum,
Liber tertius.

*Quia spiritus super Christum, & sicut filius spiritum misit,
ita & spiritus filium Dei misit. CAP. I.*

Vis est qui dicit, Misit me Dominus,
& spiritus eius, nisi qui venit à patre vt
saluos faceret peccatores? Quem cum
audis & spiritus misit: ne cū legis, quia
filius spiritum mittit, inferioris esse spi-
ritum crederes potestatis. Ergo & pater filium mi-
sit & spiritus, spiritū quoque & pater misit & filius.
Pater misit, quia scriptum est: Paraclerus autem il-
le spiritus sanctus, quē mittet pater in nomine meo.
Filius misit, quia dixit: Cū venerit autem paracle-
tus quem ego mittam vobis à patre meo, spiritum
veritatis. Si ergo se inuicem filius & spiritus mittūt,
sicut pater mittit: non subiectionis iniuria, sed com-
munitas potestatis est.

Quia datus est spiritus sicut & filius. CAP. II.

Nec solū misit pater filium, sed etiam dedit,
sicut ipse se filius dedit. Lectum est enim nobis:
Gratia vobis à Deo patre nostro, & Domino Iesu
Christo, qui se dedit pro peccatis nostris. Si subie-
ctum in eo putant fuisse, quia missus est: gratiæ
esse negare non possunt, quod datus est. Datus
est autem à patre, vt Esaias dixit: Puer natus est nobis,
filius datus est nobis. Datus est autem audeo
dicere, & ab spiritu qui missus ab spiritu est. Cū
enim non definierit à quo datus sit, ostendit datum
gratia trinitatis: cū autem ipse se filius dederit,
vtique non potuit ipse sibi secundum diuinitatem
esse subiectus. Ergo non potuit diuinæ subiectionis
esse quod datus est. Datus est autem & spiritus
sanctus, quia lectum est: Rogabo patrem, & alium
paraclerum dabit vobis. Et Apostolus ait: Quapropter
qui hæc spernit, non hominem spernit: sed deū,
qui dedit spiritū suum in nobis. Esaias quoque &
spiritum datum ostendit & filium. Sic inquit: Di-
cit Dominus qui fecit cælum, & finxit illud, qui so-
lidauit terram, & quæ in ea sunt, & dat populo qui
est super eam spiritum, & spiritum calcātibus eā. Et
ad filium: Ego Dominus Deus vocaui te in æquitate,
& tenebo manum tuam, & confortabo te, & dedi te
in testamentum generis mei in lucē gentiū, aperire
oculos cæcorum, educere de vinculis alligatos. Cū
ergo & filius missus & datus sit, spiritus quoque
missus & datus sit, habent vtique vnitatem diuinitatis,
qui habent operis vnitatem. Vnde etiā & digitus
Dei appellatus est spiritus, eo quod sit patri & filio
& spiritui sancto indiuidua inseparabilisque
communio. Nam sicut filium Dei scriptura dexterā
Dei dixit, sicut lectū est: Dextera tua domine
glorificata est in virtute, dextera manus tua Domine
confregit inimicos: ita spiritus sanctus appellatus
est digitus Dei, sicut ipse Dominus dicit:

Quod si in digito Dei eiicio dæmonia. Hunc enim
digitū in alio libro euāgelij eodē loco Dei spiritum
nominauit. Sic enim habes: Quod si in spiritu Dei
eiicio dæmonia. Quid igitur expressius ad significā-
dā diuinitatis vel operationis dici potuit vnitatem,
quæ secundū diuinitatem est patris vel filij vel spiri-
tus sancti, quā vt intelligamus, multo magis quā
corpus hoc nostrum æternæ plenitudinem diuinitatis
scindi videri, si quis vnitatem substantiæ separet,
multiplicet potestates, cū vna sit eiusdē diuinitatis
æternitas? Plerunque enim ex nostris sermonibus ea
quæ supra nos sunt, conuenit aestimari. Et quia illa
videre non possumus, ex his quæ videre possumus,
colligamus. Inuisibilia enim eius à creatura mundi
per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Et
subdidit: Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas.
Quorum aliud de filio, aliud de spiritu sancto dictum
videtur: vt quemadmodum sempiterna virtus patris
dicitur filius, ita etiam spiritus qui diuinus est,
sempiterna diuinitas esse credatur. Nam & filius
quia semper viuit, vita sempiterna est. Hic ergo
digitus dei & sempiternus est, & diuinus. Quid enim
Dei proprium quod non sempiternum sit & diuinum?
Hoc digito (sicut legimus) tabulas illas lapideas
inscripsit, quas Moyses accepit. Non enim carnali
digito Deus harum literarum, quas legimus, apices
& elementa formauit, sed spiritu suo dedit legem.
Et ideo Apostolus dixit: Lex enim spiritalis est,
quæ vtique non atramento inscripta est, sed spiritu
dei viuī, non in tabulis lapideis, sed in tabulis
cordis carnalibus. Nam si Apostoli epistola scribitur
in spiritu, quid obstat quominus etiam legem dei
non atramento, sed spiritu dei scriptam credere
debeamus: quæ vtique cordis nostri in mētisque
secreta non maculat, sed illuminat? Scripta est
autem in tabulis lapideis, quia in typo scripta est.
Sed tabulæ fractæ primo sunt & abiectæ de Moysi
manibus, quia Iudæi à propheticis operibus exciderunt.
Et bene tabulæ fractæ sunt, non scriptura deleta.
Et tu vide ne frangatur tabula tua, ne mens tua
& animus tuus diuidatur. Nunquid diuisus est
Christus? Non diuisus est, sed vnum est cum patre,
& te nemo ab eo separet. Si fides deficiat, tabula
cordis tui frangitur. Commiuitur animi firmitudo,
si vnitatem diuinitatis in trinitate non credas.
Scripta est fides tua, scripta est, & culpa tua,
sicut Hieremias dixit: Scripta est Iuda culpa tua
graphio ferreo & vngue adamantino. Et scripta est,
inquit, in pectore & in corde tuo. Ibi igitur
culpa est, vbi gratia. Sed culpa graphio scribitur,
gratia spiritu designatur. Hoc digito mysticè
etiam Dominus Iesus inclinato capite scribebat
in terra, cū à Iudæis adultera esset oblata,
significans per figuram, quando de peccatis
alterius iudicamus, nostri nos debere meminisse
peccati. At ne rursus, quia legem deus spiritu
sancto scripsit, inferius aliquid tanquam de
ministerio spiritus crederemur, vel ex corporis
nostri aestimatione portionem quandam exiguam
dei spiritum putarem, ait alibi Apostolus: Non se
humanæ scientiæ verbis loqui, sed doctis spiritus,
& spiritalibus spiritalia comparare: animale
autem non percipere quæ sunt spiritus dei. Sciebat
enim quod is qui diuina carnalibus compararet,
inter animalia

malia esset, non inter spiritales homines computan-
dus: stultitia enim, inquit, illi est. Et ideo quia sciebat
has futuras esse animalium hominum quæstiones,
præfagus futuri ait: Quis enim cognouit sensum
Domini, qui instruat eum? Nos autem sensū Christi
habemus.

*Quia digitus Dei lectus est spiritus, quo significatur
vntas diuinitatis non inæqualitas trinitatis.*

CAP. III.

Sed si quis adhuc carnalibus inhæret ambiguis
& corporalibus vacillat exemplis, consideret quia
non potest bene sentire de filio, qui potest malè
sentire de spiritu. Nam si ideo portionem quandam
exiguam putant esse spiritum Dei, quia digitus Dei
dicitur, idem vtique & portionem exiguam dicunt
esse in filio Dei, quia dextera Dei dicitur, sed filius
& dextera & virtus dicitur. Itaque si verba nostra
pendamus, nulla potest sine virtute esse perfectio:
& ideo caueant ne putent, quod nefas dictū est,
semperfectum in sua substantia patrem perfectionem
accipere per filium, & desinant coæternum filium
patri negare. Quando enim non fuit Dei virtus?
Quod si aliquando putant non fuisse Dei virtutem,
aliquādo plenitudinem in Deo patre negabunt fuisse,
cui putent aliquando defuisse virtutē. Sed hæc, vt
dixi, scripta sunt, vt ad vnitatem diuinitatis ista
referam, & credamus quod Apostolus dixit: Quia
plenitudo diuinitatis corporaliter habitat in Christo,
& habitat in patre & habitat in spiritu sancto.

*Quia sicut cooperatus est patri et filio spiritus sanctus in
nube et mari cū liberaretur populus Iudæorum,
ita cooperatur in misterio baptismatis.*

CAP. IIII.

Et quod sicut vntas diuinitatis, ita vntas
operationis sit. Quod etiam ex cantico Moysi
colligi potest. Ipse enim cū per maria traduxisset
populum Iudæorum, & Dei patris operationem
& filij est confessus & spiritus, dicens: Dextera
manus tua domine glorificata est in virtute,
dextera manus tua confregit inimicos. Habes
quia & filium sit confessus & patrem, cuius est
dextera. Et infra ait, ne sanctum spiritum præteriret:
Misisti spiritum tuum & cooperuit eos mare.
Vides ergo quia & spiritus sanctus cooperatus
patri & filio sit, vt tanquam congelascentibus
fluctibus in medio mari, aquarum quidam
murus insurgeret ad transitum Iudæorum, &
rursus Ægyptiorum populum per spiritum
refusus obrueret. Inde & columnam nubis
plerique præcessisse in die populo Iudæorum,
& columnam ignis in nocte arbitrantur, quo
protegeret plebem suam gratia spiritalis. Hanc
autem operationem Dei quā totus orbis iure
miratur, sine sancti spiritus opere non fuisse,
etiam Apostolus declarauit, dicens in figura
illa præcessisse spiritalis mysterij veritatem,
sic enim habes: Quoniā patres nostri omnes
sub nube fuerūt, & omnes mare transierūt,
& omnes in Moyse baptizati sunt in nube &
in mari, & omnes eandem escam spiritalem
manducauerunt, & omnes eundem potum
spiritalē biberunt. Nam quem-

admodum typus sacramenti potuit esse sine
operatione spiritus sancti, cuius veritas omnis
in spiritu est? Quod & Apostolus docuit,
dicens: Sed abluti estis, sed sanctificati estis,
sed iustificati estis in nomine Domini nostri
Iesu Christi & in spiritu Dei nostri. Vides
igitur quia & pater operatur in filio, &
filius operatur in spiritu? Et ideo secundum
seriem scripturarum, noli dubitare in figura
fuisse, quod in veritate esse ipsa etiam
veritas declarauit. Quis enim operationem
eius abnuat in baptisimo, in quo operationem
eius sentimus & gratiam?

*Quia sanctificat pater, sanctificat filius, sanctificat
spiritus sanctus. CAP. V.*

Nam sicut sanctificat pater, ita sanctificat
& filius, sanctificat & spiritus. Sanctificat pater
secundum quod scriptum est: Deus pacis sanctificet
vos, vt integer spiritus vester & anima & corpus
sine querela in die Domini nostri Iesu Christi
seruetur. Et alibi filius dicit: Pater, sanctifica
eos in veritate. De filio autē idē Apostolus
dixit: Qui factus est nobis sapiētia à Deo &
iustitia & sanctificatio & redemptio. Vides
quia factus est sanctificatio? Sed factus est
nobis, non vt ille mutaret quod erat, sed vt
nos sanctificaret in carne. Spiritum quoque
sanctum sanctificare Apostolus docet. Sic enim
dicit: Gratias agere debemus Deo semper pro
vobis fratres dilectissimi à Deo, quia elegit
nos Deus primitias in salutē, in sanctificatione
spiritus & fide veritatis. Ergo sanctificat
pater, sanctificat & filius, sanctificat &
spiritus, sed vna est sanctificatio, quia vnū
est baptisma, & vna gratia sacramenti.

*Quia eadem sunt opera manuum, quæ sunt opera
digitorum. CAP. VI.*

Hoc est eadem opera filij quæ spiritus dei.
Sed quid mirum si sanctificat singulos ipse
sanctificatione non indigens, sed redundans:
quando tantam, vt dixi, maiestatem eius accepimus,
vt tanquam digitus à corpore, ita à Deo patre
inseparabilis videatur spiritus sanctus? Quod
si quis ad deminutionem non ad vnitatem
potestatis putat esse referendum, is profectō
in eam amentiam cadet, vt tanquam in vnā
velut corporis formam patrem & filium
& spiritum sanctum videatur tres fingere,
& tanquam distinctiones quasdam figurare
membrorum. Sed accipiant, vt sapius dixi,
non inæqualitatem, sed vnitatem potestatis
hac testificatione signari, quando quidē
quæ opera Dei sunt, eadem sint opera manuum.
Eadem etiam legimus opera esse digitorum.
Scriptum est enim: Cæli enarrant gloriam
dei, & opera manuum eius annuntiant firmamentum.
Et alibi: Initio terram tu fundasti Domine,
& opera manuum tuarum sunt cæli. Eadem
igitur sunt opera manuum quæ sunt opera Dei.
Ergo aliqua pro membrorum corporalium
qualitate discretio operationis, sed vntas
potestatis est. Quæ autem opera sunt manuum,
eadem opera digitorum, quia æquè scriptum
est: Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum
tuorum, lunam & stel-

Ioan. 14.

Io. 15.

Galat. 1.

Esai. 9.

Ioan. 14.

Exod. 15.

Colos. 2.

Exod. 15.

1. Corint. 10.

1. Corint. 6.

2. Thes. 5.

Ioan. 17.

1. Corint. 1.

2. Thes. 2.

Psal. 18.

Psal. 101.

Psa. 8.

ritu accipimus, cur quod legis perfide negare conaris? Aut igitur vnitatem diuinitatis patris & filij & spiritus sancti, aut diuinitatem sancti spiritus in patre & filio confitere, vtrum dixeris in Deo, vtrūque dixisti, quia & vnitas diuinitatem adstruit, & diuinitas vnitatem.

Quia Deus spiritus est, secundum euangelium. CAP. XI.

Nec solum hoc loco euidenter sancti spiritus ^{θεόπνευμα} hoc est, diuinitate scriptura testatur, sed etiam ipse Dominus dixit in euangelio: Quonia Deus spiritus est. Quem locum ita expresse Arriani testificamini esse de spiritu, vt eum de vestris codicibus auferatis, atque vti nam de vestris & non etiam de ecclesie codicibus tolleretis. Eo enim tempore quo impie infidelitatis Auxentius Mediolanensem ecclesiam armis exercitūque occupauerat, vel à Valente atque Vrsatio nutantibus sacerdotibus suis incurfatur ecclesia Sirmiensis, falsum hoc & sacrilegum simulacrum tamen in ecclesiasticis codicibus deprehensam est. Et fortasse hoc etiā in oriente fecistis, & literas quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre. Plus vos illa litura prodebat, plus vos illa litura damnabat. Neque enim vos poteratis oblinere veritatem, sed illa litura de libro vitæ nomina vestra delebat. Cur auferebatur, quoniam Deus spiritus est, si non pertinebat ad spiritum? Si enim de Deo patre vultis expressum, ergo & Deum patrem negatis, qui putatis esse delendum? Vtrum vultis eligite, in vtroque vos laqueus vestre impietatis adstringit. Si gentiles vos esse fateamini vel patrem Deum negando vel spiritum. Tenetur igitur vestra confessio, qua delectis oraculum dum formidatis exemplum. Delectis quidem in pectoribus animis vestris. Caterum diuinum non deletur oraculum, non deletur spiritus sanctus, sed auersatur impias mentes, non deletur gratia, sed iniquitates, quia scriptum est: Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Denique Moyses pro populo petens: Dele, inquit, me de libro tuo, si non parcis huic populo. Nec tamen deletus est, quia non habebat iniquitatem, sed gratiam profluebat. Vestra igitur estis confessione conuicti: quod sapienter factum non possum dicere, sed astute. Astute enim cognouistis loci istius vos attestacione cōuinci, nec argumēta vestra aduersus id posse testimoniū cōuenire. Quod enim possit aliò intellectus loci istius deriuari, cū series lectōnis tota de spiritu sit? Nicodemus quærit de regeneratione, respondet Dominus: Amē, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, non potest introire in regnū Dei. Et vt ostenderet aliam generationem secundū carnem esse, aliam secundum spiritum, addidit: Quod natum est ex carne, caro est: quia de carne natum est. Et quod natum est de spiritu, spiritus est: quia Deus spiritus est. Prosequere ergo totam seriem lectōnis, inuenies quod Dominus impietatem vestram plenitudine assertionis excluderit. Noli, inquit, mirari, quia dixi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocē eius audis: sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis qui natus est de spiritu.

Esā. 43.

Ex. 32.

Ioan. 3.

Quis est qui nascitur de spiritu, & qui efficitur spiritus, nisi qui renouatur spiritu mentis suæ? Hic est vti que qui per aquam regeneratur & spiritum sanctū, quoniam per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, spem vitæ capimus æternæ. Et alibi Petrus apostolus ait: Vos autem spiritu sancto baptizabimini. Quis est autem qui baptizatur spiritu sancto, nisi qui renascitur per aquam & spiritum sanctum? Ergo de Sancto spiritu Dominus dixit: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, non potest introire in regnū Dei. Et ideo de ipso nasci nos in posterioribus definiuit, per quē renasci nos in superioribus est locutus. Hac dominica sentētia & scripto nitor, nō argumento. Quæro tamen cur si non dubitatur per spiritum sanctum nos renasci, dubitetur de Spiritu sancto nos nasci, cū ipse Dominus Iesus de Spiritu sancto & natus sit & renatus? Quē si natum de spiritu sancto confitemini, quia non potestis negare, renatum autem negatis: magna insipientia, vt quod singulare Dei, confiteamini: quod commune est hominum denegatis. Et ideo bene vobis dicitur quod Iudæis dictum est: Si terrena vobis dixi, & non creditis: quomodo si dixerō vobis cęlestia credetis? Sed tamen vtrumque locum ita scriptum inuenimus in Græco, vt non per spiritum dixerit, sed de spiritu. Denique sic habet: *ἀλλο ἀλλο λέγω σοι, ἐκ μίτης γυνή ἐξ ὕδατος, & πνεύματος*, hoc est, de aqua & spiritu. Ergo cū dubitari non debeat de sancto scriptū esse spiritu, quod natum est de spiritu, non est dubium, quia Deus & sanctus spiritus, secundum quod scriptum est, quia deus spiritus. Alibi quoque vt hoc de sancto spiritu scripsisse se idem euangelista referat, per aquam, inquit, & spiritum venit Christus Iesus. Non solum in aqua, sed per aquam & sanguinem & spiritus testimonium: quoniam spiritus est veritatis: quia tres sunt testes, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres vnum sunt in Christo Iesu. Audi quomodo testis spiritus mentem renouat, aqua proficit ad lauacrum, sanguis spectat ad precium. Spiritus enim nos per adoptionem filios Dei fecit, sacri fontis vnda nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Alterum igitur inuisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequimur spiritali, quia spiritus testimonium reddit spiritui nostro. Et si in vtroque plenitudo sit sacramenti, distinctio tamen muneris est. Ergo vbi distinctio muneris nō est, vti que testificationis æqualitas.

Quia adoratur spiritus sanctus sicut pater et filius, et cum patre et filio adoratur in maiestate Dei. CAP. XII.

Sed fortasse referatur, quia in posterioribus istius libri iterum Dominus Deum spiritum dixit, & de patre Deo sensit. Sic enim habes in euangelio: Nunc est quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus autem est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Non solum enim hoc exemplo diuinitatem sancti spiritus vultis negare, sed etiam in spiritu adorare deum, tāquā ad subiectionem spiritus deriuatis. Cui loco respondebo breuiter, quia spiritus plerumque ponitur

Sap. 1.

1. Corint. 12.

Psal. 11.

Ioan. 14.

Matth. 4.

237 ponitur pro gratia spiritali, sicut & Apostolus dixit: Quia ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus innarrabilibus, hoc est gratia spiritalis: nisi forte gemitus vos sancti spiritus audire potuistis. Ergo & hic adoratur Deus, non in malicia cordis, sed in gratia spiritali. In animam enim maleuolam non intrat sapientia, quia nemo potest dicere Dominū Iesum, nisi in Spiritu sancto: Statimque subdidit: Diuisiones verō gratiarum sunt. Non igitur hoc ad plenitudinem nec ad portionem spiritus potest pertinere: quia neque humana mens eius plenitudinem capit, neque in vllas sui diuiditur sectiones, sed donū gratiæ spiritalis infundit, in quo adoratur Deus sicut adoratur etiam in veritate. Non enim adoratur, nisi qui veritatem diuinitatis eius pio hauriat affectu. Nec vti que velut personaliter Christū, aut sanctum personaliter spiritum comprehendit. Aut si putat quod velut personaliter dictum de spiritu vti deatur & de Christo, ergo deus similiter adoratur in veritate, sicut adoratur in spiritu. Aut similis igitur subiectio, quod absit vt credas, & nec filiū adoratur: aut quod verū est, similis vnitatis gratia & spiritus adoratur. Colligamus hinc ergo & concludamus Arrianorum impias quæstiones. Si enim ideo negant adorandum spiritum, quia Deus adoratur in spiritu: negent ergo adorandam veritatē, quia Deus adoratur in veritate. Nā licet plurimæ veritates sint, quia scriptū est: *Dominus & filius* veritates ad filios hominum, donatæ tamen sunt ad veritate diuina quod est Christū, qui ait: Ego sum via, veritas, & vita. Ergo si hoc loco veritatem ex vsu intelligunt, intelligant etiam gratiam spiritalē, & nihil est offensionis, aut si veritatem Christum accipiunt, adorandum negent. Sed refelluntur factis piorum, seric scripturarum. Adorauit enim Christum Maria, & ideo præ-nuncia resurrectionis ad apostolos destinatur, soluens hæreditariū nexum & fœminei generis immane delictum. Hoc enim operatus est in mysterio dominus, vt vbi superabundauerat delictum, superabundaret & gratia. Meritoque ad viros fœmina destinatur, vt quæ culpā viro prima nunciauerat, prima Domini gratiam nunciaret. Adorauerūt & apostoli. Et ideo quia detulerunt fidei testimoniū, acceperunt fidei magisterium. Adorauerunt & angeli, de quibus scriptum est: Et adorent eum omnes angeli eius. Adorant autem non solum diuinitatē eius, sed etiam scabellum pedum eius: quia scriptum est: Et adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est. Aut si negant quia in Christo etiā incarnationis adoranda mysteria sint, in quibus velut vestigia quædam diuinitatis expressa, & vias quasdam verbi cœlestis aduertimus, legant quia & apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem. Ergo si nihil derogat quod Deus adoratur in Christo, quia adoratur & Christus, nihil vti que derogat etiā spiritui, quia Deus adoratur in spiritu, quia adoratur & spiritus, sicut Apostolus dixit: Spiritui Dei serui-mus. Qui enim seruit & adoratur, sicut supra dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Sed ne fortē propositum aliquos præterfugere videatur exemplum, qua ratione ad incarnationis dominicæ sacramentum spectare videatur quod ait Propheta: Adorate scabellum pedum eius,

consideremus. Non enim ex vsu hominum æstimare debemus scabellū. Neque enim corporalis Deus, aut nō immentus, aut tanquā fulcrum pedibus eius scabellū subiectum putemus. Neque adorandum quicquam præter Deum legimus, quia scriptum est: Dominū Deū tuū adorabis, & ipsi soli seruias. Quomodo ergo aduersus legē propheta præcipet sub lege nutritus, & eruditus in lege? Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius cōsideremus quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Cœlū mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta quam Dominus Iesus in carnis assūptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autē caro Christi, quā hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam apostoli in domino Iesu (vt supra diximus) adorarunt. Neque enim diuisus Christus, sed vnus. Neque cū adoraretur tanquā Dei filius, natus ex virgine negabatur. Cū igitur incarnationis adorandū sit sacramentū, incarnatio autem opus spiritus sit, sicut scriptum est: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: haud dubiē etiam sanctus spiritus adorandus est, quando adoratur ille qui secundum carnē natus ex spiritu est. Ac ne quis hoc deriuat ad virginem Mariam, erat templū Dei, non deus templi. Et ideo ille solus adorandus qui operabatur in templo. Nihil ergo officit quod Deus adoratur in spiritu, quia & spiritus adoratur, quanquam si ipsa verba cōsideremus, quid aliud in patre & filio, & spiritu sancto, nisi eiusdem potestatis vnitatem intelligere debemus? Quid est enim, in spiritu & veritate adorare oportet? si tamen hoc non ad gratiā spiritalē referas, nec ad veræ conscientiæ fidē, sed (vt diximus) personaliter (si tamen dignū hoc verbum est maiestatis expressione diuinæ) de Christo accipias & de spiritu. Quid est ergo, adoratur in Christo pater, nisi quod est in Christo pater, & loquitur in Christo pater, & manet in Christo pater? Nō vti que quasi corpus in corpore. Nō enim deus corpus, nec quasi confusus in confuso, sed quasi verus in vero, deus in Deo, lumen in lumine, quasi pater sempiternus in filio coæterno. Non ergo insertio corporis intelligitur, sed vnitas potestatis. Ergo per vnitatē potestatis coadoratur in patre Christus, cū deus pater adoratur in Christo. Similiter itaque per vnitatem potestatis eiusdem coadoratur in Deo spiritus, dum deus adoratur in spiritu. Adhuc verbi istius vim atque sermonis diligentius pertractemus, & proprietatem eius ex aliis colligamus. Omnia, inquit, in sapientia fecisti. Quid hic igitur intelligimus exortem factorum esse sapientiam? Sed omnia per ipsū facta sunt. Et dauid ait: Verbo domini cœli firmati sunt. Ergo ipse qui dei filium etiam cœlestiū dicit authorem, ita vti que dixit in filio facta omnia, vt in operum instauratione filium à patre minimē separaret, sed patri iūgeret. Paulus quoque ait: Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia. Nunquid cum dicit, in ipso, negauit per ipsū? Non negauit vti que; sed asseruit. Denique & alibi dixit: Vnus Dominus

Matth. 4.

Corpus Christi in mysteriis adoratur.

Luc. 10.

Psal. 103.

Colef. 1.

Iesus per quem omnia. Ergo dicit per ipsum, negavit in ipso condita esse omnia, per quæ dicit esse omnia? Hanc vim habent verba hæc, in ipso & cū ipso, vt vnum in his atque confimile non contrarium intelligatur. Quod etiã in inferioribus manifestauit, dicens: Omnia per ipsum & in ipso creata sunt. Hæc enim tria in Christo vnum esse, cum ipso & per ipsum & in ipso, sicut supra diximus scriptura testatur. Habes enim per ipsum & in ipso condita esse omnia.

Accipe etiam, quia cum ipso pater & ipse cum patre erat, cum omnia conderentur, Sapientia dicit: Cùm pararet cælum, cum illo eram, cum faceret fontes aquarum. Et in veteri testamento dicendo pater, Faciamus: ostendit filium secum adorandū quasi omnium conditorem. Sicut ergo in filio creata dicuntur, quorum filius creator accipitur, ita etiam cū in veritate adorari Deus dicitur, verbi ipsius proprietate in eundem modum frequenter expressa debet intelligi, quod & filius adoretur. Similiter itaq; adoratur & spiritus, quia Deus adoratur in spiritu: Ergo pater & cū filio adoratur, & cum spiritu, quia trinitas adoratur. An verò negat aliquis adorandā diuinitatem trinitatis æternæ, cum & scripturæ diuinæ inexplicabilem maiestatem expriment trinitatis? sicut alibi ipse Apostolus dicit: Quoniam deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Iesu. Nempe hanc claritatem viderūt apostoli, cū Dominus Iesus diuinitatis suæ luce in monte fulgeret: viderunt, inquit, apostoli & in faciem prociderunt. Putasne illos vel cū prociderent adorasse, cū fulgorem diuini luminis corporalibus oculis sustinere non possent, & splendor lucis æternæ aciem visus mortalis obduceret? Aut quid aliud tunc temporis dixerunt illi videntes gloriam eius, nisi venite adoremus & procidamus ante eum?

Quia Deus spiritus sanctus est secundum apostolum, & quia templum sumus spiritus sancti sicut & dei patris & Domini Iesu Christi.

CAP. XIII.

Illuxit enim Deus in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi Iesu. Quis est ergo qui illuxit, vt cognoscamus Deū in facie Christi Iesu? Dixit enim, illuxit Deus vt cognoscatur claritas Dei in facie Christi Iesu: quæ putamus aliū præter spiritū declaratū? Aut quis est ali? præter spiritū sanctum cui diuinitatis potētia defertur? Qui enim spiritū excludit, necesse est inducat aliū qui cū patre & filio gloriā diuinitatis accipiat. Eadē igitur verba repetamus: Deus est qui illuxit ad illuminationem claritatis Dei in faciem Christi Iesu. Habes Christū euidēter expressum. Cuius ergo claritas illuminare dicitur nisi spiritus? Ipsū ergo Deū expressit qui claritatem Dei dixit. Si patris, superest vt qui dixit de tenebris lumen splendescere, & illuxit in cordibus nostris, spiritus sanctus intelligatur. Alium enim non possumus cum patre filioque venerari. Si igitur spiritum intelligis, hunc Apostolus deū dixit: Necesse est igitur deitatem spiritus etiã vos fateamini

G qui negatis. Sed quàm impudenter negatis, cū legeritis quia templum habet spiritus? Scriptum est enim: Templū dei vos estis, & spiritus sanctus habitat in vobis. Deus ergo templum habet, creatura templum non habet verum, spiritus autem habet templū qui habitat in nobis. Nā scriptū est: Quia membra vestra templum est spiritus sancti. In templo autē nō quasi sacerdos nec quasi minister, sed quasi De inhabitat, quoniam ipse Dominus Iesus dixit: Inhabitabo in illis & inter eos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et David dicit: Dominus in templo sancto suo. Ergo spiritus habitat in templo sancto suo: sicut habitat pater habitat & filius qui ait: Ego & pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Manet autem in nobis pater per spiritum quem dedit nobis. Quomodo igitur potest simul dispar manere natura? Vtique non potest. Manet autem cum parte & filio spiritus sanctus. Vnde & Apostolus cū gratia Iesu Christi & charitate Dei communicationē sancti spiritus copulauit, dicens: Gratia Domini nostri Iesu Christi & charitas dei & communicatio spiritus sancti cum omnibus vobis. Aduertimus igitur quod pater & filius & spiritus sanctus in vno eodēque per naturam eiusdem manent vnitatem. Ergo diuinæ est potestatis qui habitat in templo. Sicut enim patris & filij, ita & spiritus sancti sumus templum, non multa tēpla, sed vnum templum, quia vnus templum est potestatis.

Quia non tres dii, sed vnus Deus. CAP. XIII. an. 16.

Sed quid veremini, an illud quod oblatrare consuecistis, ne tres faciatis Deos? Absit. Vbi enim vna deitas intelligitur, vnus Deus dicitur. Neque enim cū filium deum dicimus, duos deos dicimus. Nam si cū deitatem spiritus confitemur, putatis nos tres deos dicere? Ergo & cū deitatem filij dicitis, quia non potestis eam negare, duos inducitis deos. Necesse est igitur iuxta sententiam vestram si deum personæ vnus non vnus naturam nomen putatis, aut duos deos dicatis, aut deum filium denegatis. Sed excusamus vos ab inscientia, et si non excusamus à culpa. Etenim secundum nostram sententiam, quia vnus deus, vna diuinitas, & vnitas intelligitur potestatis. Sicut vnum deum dicimus & patrem verum deitatis nomine confitemur, nec filium denegantes: ita etiam spiritum sanctum à deitatis non excludimus vnitate, & tres deos non asserimus, sed negamus, quia pluralitatem nō vnitas facit, sed diuisio potestatis. Quomodo enim pluralitatem recipit vnitas diuinitatis, cū pluralitas numeri sit, numerum autem non recipiat diuina natura?

Quia Dominus spiritus sanctus, sicut pater & filius.

CAP. XV.

Vnus ergo deus, salua maiestate trinitatis æternæ, sicut proposito declaratur exemplo. Nec eo tamen solo loco trinitatem videmus nomine diuinitatis expressam, sed cū plerisque locis, sicut & supra diximus, tū maxime in his epistolis quas ad Thessalonicenses Apostolus scripsit, diuinitatem atque

domina-

dominatum patris & filij & Spiritus sancti euidentissimè declarauit. Sic enim habes: Vos autem Dominus multiplicet & abundare faciat charitate in inuicem & in omnes, sicut & nos in vobis ad confirmanda corda vestra sine querela in sanctificatione coram Deo & patre nostro in aduentu Domini Iesu. Quis est igitur Dominus, qui multiplicet nos & abundare faciat coram Deo & patre nostro in aduentu Domini Iesu? Patrem dixit, filium dixit: quem ergo cum patre & filio præter spiritum iunxit: Quis est Dominus qui corda nostra in sanctificatione confirmet? Sanctificatio enim gratia spiritualis est, sicut & infra dixit: In sanctificatione spiritus & fide veritatis. Quem putatis ergo hinc Dominum, præter spiritum nuncupatum? Hoc Deus pater docere vos potuit, qui ait: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Descendit enim spiritus in specie columbæ, vt & sapientiæ testimonium ferret, & sacramentum lauacri spiritualis impleret, & vnus se cum patre & filio operationis ostenderet. Ac ne per imprudētiam aliquid excidisse Apostolo iudicetis, sed scientem prudentemque & sancto infusum spiritu significasse Deum quæ Dominum sentiebat, etiam in secunda ad Thessalonicenses epistola hoc idē repetiuit dicens: Dominus autem dirigat corda vestra in dilectione Dei & patientia Christi. Quod si dilectio Dei est, & Christi patientia, Dominus qui dirigat debet ostendi, si directionem sancti Spiritus denegamus. Sed negare non possumus quoniam de ipso Dominus dixit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Cum enim venerit spiritus ille veritatis, deducet vos in omnem veritatem.

Quia bonus spiritus Dei, & spiritus veritatis & omnem insinuat veritatem. CAP. XVI.

ET David de ipso dicit: Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Vide quid de spiritu sancto vox dominica resultet. Filius Dei venit, & quia nondum infuderat spiritum, paruulos quosdam nos degere sine spiritu declarauit. Spiritum dixit esse venturum, qui faceret ex paruulis fortiores incremento videlicet spiritualis ætatis. Quod ideo posuit, non quo virtutem spiritus anteferet, sed vt in cognitione trinitatis ostenderet plenitudinem esse virtutis. Necesse est igitur aut quartum aliquem dicatis quem sentire præter spiritum debetis, aut certè non alium Dominum iudicetis nisi spiritum designatum. Quod si euidentem conceptionem verborum exigitis, quibus Dominum spiritum scriptura memorauerit, nec id latere vos potuit, quia scriptum est: Dominus autem spiritus est: quod vti que dictum esse de spiritu sancto, totius seris lectionis ostendit. Et ideo Apostolica consideremus eloquia. Quotiens legitur Moyses, inquit, velamen positum est supra cor eorum. Cū verò conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem spiritus est. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Non solum itaque spiritum Dominum dixit, sed etiam addidit: Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Nos itaque omnes re-

S. Ambr. tom. 4.

uelata facie gloriam Domini specularantes, ad candidè imaginem reformamur à gloria in gloriam, sicut à Domini spiritu: hoc est qui ad Dominum sumus: antè conuersi vt spirituali intellectu quasi in quodam speculo scripturarum Domini gloriam videremus, nunc ab hac gloria quæ nos conuertit ad Dominum, in illam cœlestem gloriam reformamur. Ergo cū Dominus sit ad quem conuertimur, Domini autem spiritus sit à quo reformamur, qui conuersi ad Dominum sumus, Dominus vti que Spiritus sanctus est designatus. Ipse enim conuersos suscipit qui reformatur. Nam quomodo quos nō susceperat reformet? Quamquam quid expressionem querimus vocis, vbi expressionem cernimus vnitatis? Nam & si Dominum spiritumque distinguas, negare tamen non potes, quia vbi Dominus, ibi spiritus. Et qui fuerit conuersus ad Dominum, erit conuersus ad spiritum. Si literam calumniaris, vnitatem non inficiaris. Si vnitatem vis secernere, potestatis Dominum ipsum spiritum confiteris.

Quia non tres Domini sed vnus Dominus. CAP. XVII.

Sed fortassis iterum dicas: Si Dominum spiritum dixero, tres Dominos declarabo. Nunquid cum Dominum filium dicis, aut filium negas, aut duos Dominos confiteris? Absit. Ipse enim filius dixit: Nolite duobus Dominis seruire. Sed non vti que aut se, aut patrem Dominum denegauit: nam & patre dominum dixit, sicut habes: Confiteor tibi pater Domine cœli & terra. Et se memorauit Dominum, sicut in euangelio legimus: Vocatis me Dominum & magistrum & bene facitis, sum etenim. Sed nō duos Dominos dixit, imò ostendit se non duos dominos dixisse, cum præmonet: Nolite duobus Dominis seruire. Non sunt enim duo Domini vbi Dominatus vnus est, quia pater in filio filius in patre, & ideo Dominus vnus. Sic & lex docuit: Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est, hoc est, immutabilis semper, vnitate permanēs potestatis, semper idem, nulla accessione, nulla diminutione mutatur. Ergo vnū dixit Moyses, & idem tamen Dominum à Domino pluisse memorauit. Apostolus quoque: Det, inquit, Dominus misericordiam inuenire à Domino. Dominus pluit à Domino, Dominus dat à Domino misericordiam: Dominus nec ibi discernitur vbi pluit à Domino, nec hic separatur vbi miseretur à Domino, sed vtroque in loco vnitas dominationis exprimitur. In Psalmo quoque habes: Dixit Dominus Domino meo. Nec ideo patrem suum Dominum denegauit, quia filium Dominum suum esse memorauit, sed ideo filium Dominum suum dixit, ne crederes filium prophetæ fuisse sed Dominum, quod in Euangelio ipse Dominus manifestauit dicens: Si enim David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? In spiritu dicit David Dominum, non spiritus dicit. Aut si hinc calumiantur, quia Dominum spiritus dixit, necesse est pari sacrilegio filium Dei etiam Spiritus sancti filium videatur asserere. Ergo quemadmodum duos non dicimus Dominos, cū & patrem & filium designamus, ita nec tres Dominos dicimus cū Dominum spiritum confitemur. Sicut enim tres sacrilegiū est Do-

L

minos aut Deos dicere, ita etiam hoc plenum sacri-
legij est, duos dominos aut Deos dicere. Quia vnus
Deus, vnus est Dominus, vnus est Spiritus sanctus,
& qui Deus, Dominus: & qui Dominus, Deus: quia
& in dominatione diuinitatis, & in diuinitate domi-
natus est. Denique & Dominū & Deum legisti pa-
trem: Domine Deus meus clamabo ad te, exaudi
me. Et Dominum & Deū habes filium, sicut in euā-
gelio legisti, quia cum tetigisset Thomas latus Christi
ait: Dominus meus & Deus meus. Ergo sicut pa-
ter Deus & filius Dominus, ita & filius Deus & pa-
ter Dominus: alternatur pia significatio, non alter-
natur diuina natura, sed immutabilis manet gratia.
Non enim largitatis collatiua sed naturalis placita
charitatis sunt, quia & vnitas proprietatem habet &
proprietas vnitatem.

*Quia sicut pater sanctus, ita filius sanctus, ita & Spiritus Dei
sanctus.* CAP. XVIII.

Ergo sanctus pater, sanctus filius, sanctus & Spi-
ritus, sed nō tres sancti, quia vnus est Deus san-
ctus, vnus est Dominus. Vna est ergo vera sanctitas,
sicut vna vera est diuinitas, vna illa sanctitas natura-
lis. Ideo omnia hæc quæ sancta nos credimus, illam
solam prædicant sanctitatem: Cherubim & Sera-
phim indefessis vocibus laudant & dicunt: San-
ctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Non
semel dicunt, ne singularitatem credas. Non bis di-
cunt, ne spiritum excludas. Non sanctos dicunt, ne
pluralitatem æstimes. Sed ter repetunt & idem di-
cunt, vt etiam in hymno distinctionem trinitatis &
diuinitatis intelligas vnitatem: hoc cum dicunt,
Deum prædicant. Nos quoque nihil preciosius in-
uenimus quo Deum prædicare possimus nisi vt san-
ctum appellemus. Quod libet aliud inferius deo, in-
ferius est Domino. Ergo hinc quoque considerate,
vtrum aliquid sancto Spiritui derogandum sit, cuius
nomen Dei laus est. Sic enim laudatur pater, sic lau-
datur & filius, quemadmodum spiritus nominatur.
Et laudat Seraphim, laudat omnis beatorum cho-
rus, vt sanctum Deum dicat, sanctum filium, sanctū
Spiritum. Quomodo igitur non omnia habet quæ
dei sunt, qui cum patre & filio à sacerdotibus in ba-
ptismate nominatur, & in oblationibus inuocatur,
cū patre & filio à Seraphim in cœlestibus prædica-
tur, cum patre & filio habitat in sanctis, infunditur
iustis, inspiratur prophetis. Vnde & scriptura diuina
θεοπνευτος dicitur, quod eū inspiret, quod locutus est
spiritus. Aut si nolunt omnia habere quæ Dei sunt,
& posse omnia Spiritum sanctum, dicant quid non
habeat, quidve non possit. Nam sicut omnia habet
filius, nec inuidet pater quominus omnia naturali-
ter daret filio qui dedit quod maius est omnibus,
quemadmodū scriptura testatur dicens: Pater quod
dedit mihi, maius est omnibus: ita etiā spiritus Chri-
sti habet quod maius est omnib⁹, quia iustitia nescit
inuidiā. Itaque si diligenter aduertamus, etiam hic
diuinæ potestatis comprehendimus vnitatem: Pa-
ter, inquit, quod dedit mihi maius omnibus est, &
nemo potest rapere ea de manu patris mei. Ego &
pater vnum sumus. Nam si rectè supra ostendimus
manum esse Dei Spiritum sanctum, eadem vtique

manus patris est quæ filij est manus, quoniā idē spi-
ritus patris qui spiritus filij est. Ideo sicut nō rapitur
patri, ita non rapitur filio, ita non rapitur & spiritui.
Quicumque de nobis in hoc nomine trinitatis vi-
tam accipit æternam, ex ipso vtique quod & dedis-
se filio pater, & accepisse à filio spiritus dicitur,
quia scriptum est: Ille me clarificabit, quia de meo
accipiet, & annuntiabit vobis. Quod de munere
magis dispensationis videtur quàm de potestatis
diuinæ iure dixisse: quia quos filius redimit, spiri-
tus quoque sanctificaturus accipit. Ex istis ipsis in-
quam verbis de quibus calumniam struunt, vnitas
diuinitatis aduertitur, non indigentia largitatis. De-
dit pater per generationem, non per adoptionem,
dedit quasi id quod esset in ipso diuinæ iure natura,
non quasi liberalitatis gratia quod deesset. Et ideo
quia sic acquirit filius populos vt pater, sic viuifi-
cat filius vt pater: æqualitatem suam ad patrem vn-
itate potestatis expressit, dicens: Ego & pater vn-
um sumus. Cū enim dicit, ego & pater, reuela-
tur æqualitas. Cū dicit, vnum sumus, vnitas de-
claratur. Æqualitas confusionem excludit, vnitas
separationem, æqualitas patrem filiumque distin-
guit, vnitas patrem filiumque non separat. Ergo
cū dicit, Ego & pater: Sabellianum repellit, quia
aliud se, aliud patrem dixit. Repellit Fotinia-
num, quia se cum Deo patre iunxit. Illos superioribus
repellit, quia dixit: ego & pater. Inferioribus
Arrianos, quia dicit: vnum sumus, tamen & in su-
perioribus & in inferioribus hæreticam iugulat sæ-
uitatem Sabellianorum, quia vnum dixit sumus,
nō vnus sumus. Arrianorum, quia ego & pater, non
pater & ego dixit. Quod vtique non contumaciæ,
sed pietatis & præscientiæ fuit, ne nos errorem in
ordine putaremus. Nescit enim vnitas ordinem.
Gradum nescit æqualitas, nec cadit in Dei filium vt
per contumaciam pietatē læderet magister ipse pie-
tatis. Refert itaque aduertere quo loci hæc Domi-
nus disputauerit. Frequenter enim eius oracula ex
locorū in quibus diuersatus est qualitatibus estima-
mus. Ieiunaturus ab spiritu, sicut legimus, ducitur in
desertum, vt euacuaret diaboli tentamenta. Nam
& si in abundantia copiarum continēter vixisse lau-
dandum est, tamen in diuitiis & amœnitatibus fre-
quentior tentationis illecebra est. Denique tētator
vt tentet, copias pollicetur. Et Dominus vt vincat,
famen nutrit. Nec ego diffiteor in diuitiis esse posse
continentiam. Sed & qui mare nauigat, frequenter
euadit, magis tamen obnoxius est periculo quàm
qui nauigare noluerit. Videamus cætera. Promissu-
rus regnum cœlorum Iesus montem ascendit. Alibi
per fata ducit discipulos, seminaturus in eorum
affectibus cœlestium segetem præceptorum, vt mes-
sis animorum fœcunda flauesceret. Consummaturus
susceptæ carnis officia, cū perfectionem in
discipulis iam videret, quos verborum suorum ra-
dice fundauerat, hortum ingreditur, vt olearum
nouellas in domo Domini plantaret, & iustum
palmæ florentem modo vitēque fœcundam vi-
uo sui sanguinis irrigaret. Hoc quoque loco in
porticu Salomonis deambulat, dedicationis vt le-
gimus die, hoc est in pectore sapientis atque pa-
cifici deambulat Christus, eius sibi dedicaturus

sal. 100.

ronerb. 5.

salm. 80.

1an. 10.

Cor. 2.

affectum. Quæ ista porticus sit, docet propheta di-
cens: Deambulabam in innocentia cordis mei in
medio domus meæ. Habemus ergo in nobis domū
Dei. Habemus atria, habemus & porticus, qui habem-
us & plateas, quia scriptum est: Inque plateis tuis
superfluant aquæ tuæ. Dilata ergo hanc porticum
tui cordis porticu Dei verbo, qui dicit: Dilata os
tuum, & adimplebo illud. Ergo deambulans in cor-
de sapientis atque pacifici Dei verbum, audiamus
quid loquatur: Ego & pater vnum sumus. Non dicit
hoc in pectore perturbatoris & stulti, quia animalis
homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, stultitia e-
nim illi est. Non capiunt fidei magnitudinem angu-
sta impiorum pectora. Denique Iudæi audientes,
Ego & pater vnum sumus, tulerunt lapides vt lapi-
darent eum, Qui hoc audire non potest, Iudæus est:
qui hoc audire non potest, lapidat Christum aspe-
rioribus omni caute perfidiæ suæ saxis. Et si mihi
creditis vulnerat Christum. Nam & si ille iam vul-
nus sentire non possit, (nunc enim secundum carnē
iam non nouimus Christum.) tamen Arrianorum
impietate lapidatur, qui ecclesiæ pietate lætatur. Bo-
num mihi est Domine lex oris tui, seruo præceptū
tuum. Vnum te esse cum patre ipse dixisti, quia hoc
credidit Petrus, clauis regni cœlorum accepit, &
sui securus peccata donauit. Quia hoc non credidit
Iudas, impietatis suæ se laqueo strangulauit. O du-
ra infidelium saxa verborū. O infremem laqueum
proditoris, sed deformius precium Iudæorum, ar-
gentum improbum, quo aut emitur ad necem ius-
tus, aut venditur. Ioseph venditus, emptus Chri-
stus: alter ad seruitutem, alter ad mortem. Detesta-
bilis hæreditas, feralis auctio, quæ aut fratrem ven-
dit iniuriæ, aut Dominum licitatur exitio, salutis om-
nium redemptorem. Duo igitur quæ præstantio-
ra sunt omnibus, Iudæa violauit, fidem atque pieta-
tem: sed in vtroque Christum fidei & pietatis autho-
rem. Nam & in patriarcha Ioseph typus Christi
fuit, & in veritate sui corporis Christus: Qui non ra-
pinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed for-
mam serui accepit. Propter lapsus videlicet nostros
suscipiens seruitutem, nec refugiens passionem, ali-
bi viginti aureis emitur, alibi triginta. Quomodo
enim poterat verum eius precium comprehendere,
cuius non potest meritum definiri? Erratur in pre-
cio, quia erratur in studio. Viginti aureis in veteri
testamento venditur triginta in Euangelio. Precio-
rior enim typo veritas, largior gratia quàm disci-
plina. Opimior lege præsentia, quia lex promisit ad-
uentum, legem aduentus impleuit. Viginti aureis e-
mūt Hismaëlita, triginta Iudæi. Nec hic figura me-
diocris. Ad sacrilegium perfidi largiores quàm ad
salutem fideles sunt, Vtriusque tamen contractus
considerari conuenit qualitatem. Viginti aurei pre-
cium seruitutis, triginta aurei crucis sunt: Quamuis
enim simili modo assumptionis & passionis sint ad-
miranda mysteria, plenitudo tamen fidei in sacra-
mento est passionis. Non minoris quidem æstimo
sanctæ virginis partum, sed gratius sumo benedi-
cti corporis sacramentum. Quid clementius quàm
quod mihi suas donauit iniurias? Plenius tamen est,
quod tantum contulit nobis, vt qui moriturus non
erat, quia Deus erat, nostra ille morte moreretur,

vt nos eius spiritu viueremus. Denique non ocio-
se & Iudas Scarioth vnguentum illud trecentis de-
nariis æstimauit, quod vtique ipsius precij definitio-
ne crucem videretur Domini declarare. Vnde
& Dominus ait: Hæc enim mittens hoc vnguen-
tum in corpus meum ad sepeliendum me fecit. Cur
igitur Iudas hoc carius æstimauit? Quia peccatori-
bus pluris constat remissio peccatorum, & indul-
gentia videtur esse preciosior. Denique habes scri-
ptum: Quia cui multum dimittitur, plus diligit. Er-
go & ipsi peccatores dominicæ passionis quam per-
diderunt gratiam confitentur & testimonium fe-
runt Christo, qui Christum sunt persecuti. Aut quia
in maleuolam animam non intrat sapientia, etiam
hoc loquebatur proditoris affectu: carius æstimabat
dominici corporis passionem, vt omnes à fide pre-
cij enormitate reuocaret. Ideoque Dominus gratis
se obtulit, ne quem reuocaret à Christo paupertatis
necessitas. Patriarchæ eum vili vendiderunt, vt
omnes emerent. Esaias dixit: Quicumque non habe-
tis argentum, venite emite & bibete: manducare
sine argēto, vt eum acquireret qui non habebat ar-
gentum. O Iuda proditor, vnguentum passionis e-
ius trecentis denariis æstimas, & passionem eius tri-
ginta denariis vendis? Diues in æstimatione, vilis
in scelere. Ergo non omnes eodem precio emunt
Christum. Alio emit Fotinus qui ad mortem emit,
alio Arrianus qui emit ad iniuriam, alio catholicus,
qui emit ad gloriam. Sed emit sine precio, secundum
quod scriptum est: Qui non habet pecuniam, emat
sine precio. Non omnes, inquit, qui dicunt mihi
Domine Domine, intrabunt in regnum cœlorum.
Et si multi se nomen Christianos, nomen vsur-
pant, non omnes mercedem habent. Et Cain obtu-
lit sacrificium, & Iudas accepit osculum, sed audi-
uit: Iuda osculo filium hominis tradidit? hoc est amo-
ris pignore scelus implet, & pacis instrumento odia
seris, & charitatis officio mortem irrogas? Ergo nec
Arriani sibi vsurpato nomine blandiatur, quia Chri-
stianos se esse dicunt. Respōdebit eis dominus: No-
men meum prætenditis, & substantiam denegatis,
sed non agnosco nomen meū vbi non est mea sem-
piterna diuinitas. Non est nomen meum quod à pa-
tre diuiditur, ab spiritu separatur, non agnosco no-
men meum vbi non agnosco doctrinam meam: nō
agnosco nomen meum, vbi non agnosco spiritum
meum. Nescit enim se spiritus patris comparare ser-
uitiis quæ creauit. De quo multa diximus.

*Collectio, quia spiritus Deus, quoniam & sine peccato est, &
peccata donat, et creator est, et seruimus ei, et adoratur.
Hæc enim omnia Dei sunt, et quia à morte suscitatur.*

CAP. XIX.

AD summam tamen, vt in fine quæ disperse di-
cta sunt, expressius colligamus, cū ex cæte-
ris, tum ex quatuor istis præ ceteris manifesta diuini-
tatis gloria comprobatur. Deus enim ex eo cogno-
scitur, aut quia sine peccato est, aut quia peccata
condonat, aut quia creatura non est, sed creator est,
aut quia non adoratur sed adoratur. Sine peccato ita-
que nemo est, quia nemo sine peccato nisi vnus de⁹.
Peccata quoque nemo condonat, nisi vnus Deus,

quia æquè scriptum est: Quis potest peccata donare nisi solus Deus? Creator quoque omnium non potest esse nisi qui creatura non est, qui creatura autem non est, sine dubio Deus est, quia scriptum est: Seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est Deus benedictus in secula. Deus quoque non adoratur, sed adoratur, quia scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruias. Consideremus ergo vtrum horum aliquid habeat Spiritus sanctus, quæ testimonium afferant diuinitatis. Primum igitur de eo tractemus, quia nemo sine peccato nisi vnus Deus. Exigamus vt doceant quod peccatum habeat Spiritus sanctus. Sed docere non possunt, & auctoritatem requirunt, vt lectione doceamus, quia non peccauit Spiritus sanctus, sicut de filio lectum est, quia peccatum non fecit. Et hoc accipiant scripturarum auctoritate nos docere. Scriptum est enim: Quia in sapientia est spiritus, intelligentiæ spiritus vnicus, multiplex, subtilis, bene mobilis, discretus, immaculatus. Immaculatus dicit scriptura: Numquid mentita est de filio, vt de spiritu credas esse mentitam? Dixit enim Propheta in eodem loco de sapientia, quia nihil maculosum in illam incurrit. Ipsa immaculata est, & immaculatus eius est spiritus. Ergo si peccatum non habet spiritus, Deus est. Sed quomodo reus potest esse peccati qui donat ipsa peccata, & peccatum non fecit? Et quia sine peccato est, creatura non est. Omnis enim creatura peccatorum capacitate obnoxia est, sola autem est à peccato immunis & immaculata sempiterna diuinitas. Nunc videamus vtrum peccata donet spiritus. Sed hinc dubitari non potest, cum ipse Dominus dixerit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata remissa erunt. Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in patris & filij & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, diuinitas donat: humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. In baptismo quoque peccata donari non est ambiguum. In baptismo autem operatio patris & filij & Spiritus sancti est. Ergo si peccatum non habet spiritus, cum scriptum sit: Quis potest dimittere peccata nisi vnus Deus? vtique qui non potest ab vnitatem naturalis nominis separari, non potest etiam à Dei potestate secerni. Si autem à Dei non secernitur potestate, quomodo à Dei appellatione secernitur? Videamus nunc vtrum creatura sit, an creator. Sed cum supra creatorem euidentissimè probauerimus, quia scriptum est: Spiritus diuinus qui fecit me: & innouari faciem terræ per spiritum, & sine spiritu faceere omnia declaratum sit: apparet spiritum esse creatorem. Sed quis hoc dubitet, quando sicut supra ostendimus, ne domini quidem ex virgine assumpta generatio, quæ præstantior omnibus creaturis est, operationis exors sit spiritalis? Non ergo creatura spiritus, sed creator est, qui autem creator, non vtique creatura. Et quia creatura non est, sine dubio creator est omnium qui patri & filio cooperatur est in omnibus. Si autem creator, vtique dicendo Apostolus, in condemnationem gentilitatis, quia seruierunt creaturæ potius quàm

creatori qui est Deus benedictus in secula: suadendo quoque, vt supra docuimus, seruiendum esse spiritui sancto, & creatorem ostendit, & quia creator est, Deum appellari debere monstrauit. Quod etiam in epistola quæ ad Hebræos scripta est, comprehendit dicens: Quoniam qui omnia creauit Deus est. Aut dicant igitur quid sit quod sine patre & filio & spiritu sit creatum, aut spiritum quoque vnus cum patre & filio deitatis esse fateantur. Adorandum quoque docuit, quem Dominum & Deum dixit. Qui enim Deus vniuersitatis & Dominus, vtique ab omnibus adorandus est. Sic enim scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Aut dicant vbi legerint, quia adoratur Spiritus. Dicitur enim de Dei filio: Adorent eum omnes angeli eius. Non lectum est, adoret spiritus. Quomodo enim potest adorare, qui non inter famulos & ministros est? Sed cum patre & filio seruitia habet subiecta iustorum, quia scriptum est: spiritui Dei seruiamus. Adorandus igitur est nobis, cui seruiendum à nobis Apostolus docuit. Cui autem seruiamus, hunc & adoramus. Iuxta quod scriptum est, vt eadem sæpe repetamus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias: quanquam nec hoc prætermiserit apostolus, quin & spiritum diceret adorandum. Cum enim docuerimus quia spiritus in prophetis est, nec hoc quisquam possit ambigere, quia per spiritum prophetia datur, vtique cum adoratur qui in prophetis est, idem spiritus adoratur. Itaque sic habes: si conueniat vniuersa ecclesia in vnum & omnes linguis loquatur, intret autem idiota aut infidelis, nonne dicent quod insanitis? Sin autem prophetent omnes, intret autem quis idiota aut infidelis, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ob omnibus. Occulta etiam cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod verè deus sit in vobis. Deus est ergo qui adoratur, deus qui manet & qui loquitur in prophetis: manet autem & loquitur spiritus. Ergo & spiritus adoratur. Itaque sicut pater & filius vnum sunt, quia filius omnia habet quæ pater habet: ita & spiritus vnum est cum patre & filio, quia & ipse omnia Dei nouit. Non enim extorsit, ne sit amittentis iniuria: non rapuit, ne damnum sit eius cui videtur ereptum. Neque enim aut per indigentiam rapuit, aut per excellentiam virtutis validioris extorsit, sed per vnitatem possidet potestatis. Ergo si hæc omnia operatur, quia omnia operatur vnus atque idem spiritus: quomodo non deus, qui omnia habet quæ deus habet? Aut consideremus quid habeat deus quod non habeat Spiritus sanctus. Habet deus pater diuinitatem, habet & filius, in quo habitat plenitudo diuinitatis, habet spiritus, quia scriptum est: spiritus diuinus qui est in naribus meis. Habet deus vt scrutetur corda & renes: habet & filius qui dicebat: Quid cogitatis in cordibus vestris mala? Sciebat enim Iesus cogitationes eorum. Habet & spiritus, qui etiam prophetis alieni cordis occulta manifestat, sicut supra diximus, quia occulta cordis manifesta fiunt. Et quid miramur si hominum scrutatur occulta, qui scrutatur etiam alta dei? Habet deus vt verax sit, quia scriptum est: Sit autem deus verax, omnis autem homo mendax. Et alibi scriptum est: Fidelis deus, qui non mentitur.

Roman. 1.

Sap. 7.

Ioh. 20.

Marc. 2.

Psal. 42.

Phillip. 2.

Rom. 8.

Ezech. 37.

Ioh. 16.

249

tur. Nunquid mentitur spiritus, qui est spiritus veritatis, imò quem docuimus veritatem dictum, quia & ipsum Ioannes veritatem sicut filium nuncupauit? Et in Psalmo ait Dauid: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Si lucem hic filium putas, ergo spiritus veritas est. Aut si filium putas veritatem, ergo spiritus lux est. Habet deus nomen super omne nomen, & dedit filio nomen sicut legimus, vt omnes in nomine Iesu genu flectant. Hoc nomen, vtrum habeat spiritus consideremus. Sed scriptum est: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Habet ergo nomen super omne nomen. Quod ergo habet pater & filius, habet & spiritus per naturalis nominis vnitatem.

Quia sicut pater & filius, ita & Spiritus sanctus suscitatur mortuos. CAP. XX.

Habet deus quod suscitatur mortuos. Sicut enim pater suscitatur mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Suscitatur autem etiam spiritus per quem deus suscitatur: quia scriptum est. Viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Tamè ne infirmam gratiam putes, audi quia & spiritus suscitatur. Dicit enim propheta Ezechiel: Veni spiritus & insuffla in mortuos istos & viuent, & prophetaui sicut mandauit mihi, & intrauit in eos spiritus vitæ, & vixerunt & steterunt in pedibus suis congregatio nimis multa. Et infra deus dicit: Scietis quod ego sum Dominus cum aperiã sepulchra vestra, & educam de sepulchris populum meum, & dabo spiritum meum in vos, & viuetis. Vtiq; cum spiritum suum dixerit, nunquid alium præter spiritum sanctum nuncupauit? Neque enim flatilem spiritum suum diceret, nec hic spiritus à quatuor mundi posset venire cardinibus, quia veterum flatus hic quæ videmus, partis non vniuersitatis est. Et hic spiritus quo viuimus, singulorum non vniuersorum est. Spiritus autem sanctus est, vt & super omnes, & in omnibus sit. Itaque ex verbis prophetis spectare licet, quemadmodum ossa dudum resolutorum membrorum compage dispersa in formam rediuiui corporis viuificante spiritu reuertantur, & in suos artus fauilla concresecat, sensu prius animata coeundi, quã specie reformata viuendi. Nonne in facti similitudine vnitatem diuinam recognoscimus potestatis? Sic suscitatur spiritus sicut & Dominus in passione propria suscitauit, cum subito in momẽto oculi defunctorum sepulchra patuerunt, & rediuiua corpora surrexere de tumulis mortis, quæ factore deterfo ac vitæ odore reparato expirantium fauilla spirantium faciem receperunt. Habet ergo spiritus quod habet Christus, habet igitur quod habet deus, quia omnia quæ habet pater, habet filius. Ideoque dixit: Omnia quæ habet pater mea sunt.

Quia spiritus in Dei sede, & vnum regnum patris, & filij & Spiritus sancti indiuisum. CAP. XXI.

Nec illud medicare, quod de throno Dei exire fluium legimus. Sic enim habes dicente Ioã-

ne Euangelista: Et ostendit mihi flumen aquæ viuæ, splendidum tanquam chrysellum procedens de sede Dei & agni, in medio plateæ eius, & ex vtraque parte lignum vitæ, faciens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum, & folia ligni ad medicinam omnium gèrium. Hic est vtique fluius de Dei sede procedens, hoc est, Spiritus sanctus: quem bibit qui credit in Christum, sicut ipse ait: Qui sitit veniat ad me, & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat de spiritu. Ergo flumen est spiritus. Hic igitur est in Dei sede. Neque enim aqua abluit Dei sedem. Denique Dauid non supra sedem Dei dixit, sed supra cælos esse quamlibet illam intelligas aquam. Quia scriptum est: Et aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini. Laudent dixit, non laudet. Nam si aquæ elementum voluisset intelligi, laudet vtique dixisset. Dicendo autem pluraliter, virtutes voluit æstimari. Et quid mirum si in sede Dei Spiritus sanctus est, cum ipsum regnum Dei operatio spiritus sit, sicut scriptum est: Quia non est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto? Et ipse cum dicit saluator: Omne regnum in seipsum diuisum destruetur. Deinde subiiciendo: Quod si in spiritu Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Ostendit regnum sibi indiuisum esse cum spiritu, quid autem dementius quàm vt neget quisquam Christo conregnare Spiritum sanctum, cum etiam nos in Christi regno conregnaturus Christo Apostolus dicat: Si enim commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus. Sed nos per adoptionem, ille per potestatem: nos gratia, ille natura. Habet igitur consortium regni cum patre, & filio etiam Spiritus sanctus, qui vnus naturæ, vnus dominationis, vnus etiam potestatis est.

Quia Dominus Sabaoth etiam Spiritus sanctus. CAP. XXII.

Itaque cum habeat consortium regni, quid obstat quo minus Spiritum sanctum intelligamus, à quo Esaias missus est? Neque enim Paulo possumus authore dubitare, cuius sententiam in Actibus Apostolorum Lucas euangelista sic probauit vt scriberet. Denique sic habes dicente Paulo: Bene locutus est spiritus per Esaiam ad patres nostros dicens: Vade ad plebem istam, & dic: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non aspicietis. Spiritus ergo est qui misit Esaiam. Si spiritus misit, spiritus est vtique quem mortuo Ozia rege vidit Esaias quando dixit: Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum, & plena erat domus maiestatis eius, & Seraphim stabant in circuitu eius, sex alæ vni, & sex alæ alteri, & duabus velabant pedes, & duabus velabant faciem, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est vniuersa terra maiestate eius: si stabant Seraphin, quomodo volabāt? Si volabāt, quomodo stabant? Si hoc non possumus comprehendere quomodo Deum comprehendere volumus quem non videmus? Sed sicut rotam intra rotam vidit propheta currẽtem, quod vtique non ad corpo-

Apocal. 22.

Ioh. 7.

Psal. 148.

Roman. 14.

Luc. 11.

2. Tim. 1.

Act. 28.

Esai. 6.

ralis refertus speciem visionis, fed ad vtriusque gratiam testamenti, eo quod teres vita sanctorum fit, & ita sibi concinens, vt superioribus posteriora respondeant. Rota igitur intra rotam est vita sub lege, vita sub gratia, eo quod Iudæa intra ecclesiam fit, lex intra gratiam. Nam intra ecclesiam est, qui Iudæus est in occulto, & circumcisio cordis intra ecclesię sacramentum est. Sed illa Iudæa intra ecclesiam, de qua scriptum est: Notus in Iudæa Deus. Ergo sicut rota intra rotam currit, similiter alæ stabant, & alæ volabant. Similiter & Seraphin duabus alis faciem, & duabus alis pedes velabant, & duabus volabant. Nam hic quoque spiritalis sapientiæ sacramentum est. Stant tempora, volant tempora. Stant præterita, volant futura. Et quasi alæ Seraphin, ita faciem Dei vel pedes velant: eo quod in Deo qui nec principium nec finem habet, omnis ab hac cognitione principij eius & finis cursus temporum feratur. Stant ergo præterita vel futura, præsentia volant. Ne quære principij eius vel finis arcana quæ non sunt. Habes præsentia, sed laudato, non discute. Seraphin indefessis vocibus laudant, & tu discutis? Quod vti que cum faciunt, ostendunt nobis non aliquando discutiendum Deum, sed semper esse laudandum. Ergo Dominus Sabaoth, & Spiritus sanctus est.

Psal. 75.

Quia omnipotens etiam spiritus Dei. CAP. XXIII.

Nisi fortè displicet impiis doctor quem Christus elegit, aut Dominum virtutum negare possunt Spiritum sanctum, qui donet quas voluerit ipse virtutes. Nunc vnitatem maiestatis licet in patre filioque & sancto Spiritu cognoscere. Nam plerique dicunt patrem Deum ab Esaia hoc tempore visum. Paulus spiritum dixit, Lucas probauit, Ioannes euangelista ad filium retulit. Sic enim scriptum est de filio: Hæc locutus est Iesus & abiit & abscondit se ab his. Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Esaia impleretur quem dixit: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Pro-

Ioan. 12.

Esaia 53.

pterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaia: Excæcauit oculos eorum & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & corde intelligant & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaia, quando vidit maiestatem eius, & locutus est de eo. Ipsa verba dixit Ioannes dixisse Esaia, & maiestatem ei filij apparuisse euidentissimè reuelauit. Paulus autem spiritum hæc dixisse memorauit. Vnde igitur ista diuersitas? diuersitas quidem verborum non sensuum est. Nam licet diuersa dixerint, nullus errauit: quia & pater videtur in filio qui dixit: Qui me videt, videt & patrem. Et filius videtur in spiritu, quia sicut nemo dicit Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto, ita non carnali oculo, sed spiritali gratia Christus videtur. Vnde & scriptura ait: Surge qui Dormis & exurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Et Paulus cum oculos perdidisset, quomodo nisi in spiritu Christum videbat? Vnde & Dominus ait: Ad hoc enim tibi visus sum, vt constituerem te ministrum & testem quibus vidisti me, & in quibus visurus es. Nam & prophetæ spiritum accipiebant, & Christum videbant. Vna igitur visio, vna præceptio, vna maiestas. An negas etiam Dominum maiestatis esse Spiritum sanctum, cum Dominus maiestatis sit crucifixus, qui natus est de Spiritu sancto & virgine Maria, quia non alter Christus, sed vnus est, & ante secula ex patre vt Dei filius natus, & in seculo vt homo carnis assumptione generatus? Quid autem dicam, quia sicut pater & filius, ita etiam spiritus immaculatus est & omnipotens? quia Græcè πνεῦμα ἁγιον, πᾶν ἰσχυρον, Salomon dixit, eo quod omnipotens & speculator sit omnium, sicut lectum esse in libro Sapientiæ supra est demonstratum. Ergo & spiritus in honore est & in maiestate: intueris nunc, ne quid eum fortè non deceat: aut si tibi displicet Arriane, detrahe eum de patris filiique consortio. Sed si detrahere volueris, cælum supra te verti videbis, quia virtus eorum omnis ab spiritu est: Si detrahere volueris, in Deum tibi prius mittenda est manus, quia Deus spiritus. Sed quomodo detrahes eum, qui alta scrutatur Dei?

Rom. 8.

Ioan. 14. 1. Cor. 11.

Sapin.

* vniti.

1. Thess. 3.

1. Cor. 12.

FINIS.

LECTORI CHRISTIANO S.

Hic liber in codice valde vetusto, quem nobis Dionysiana bibliotheca suppeditauit, cõiunctus cū tribus libris de Spiritu sancto B. Ambrosij, & hoc titulo: Incipit liber quartus Beati Ambrosij de Spiritu sancto. Quem cum iterum atq; iterum legissemus, primum quidem antiquissimi esse auctoris intelleximus tum ex aliis, tum ex duabus maximè rebus: quod alia vtatur versione cum scriptura profert testimonia, quale est illud Act. 13. λατρευόντων αὐτῶν τῆς κυρίας. deseruientibus illis Domino. & quod scribat: Vnde tractum est per omnes facere Orientales Ecclesias, & nonnullas Occidentales vt in oblationibus sacrificiorum, quæ Deo Patri offerrentur, vna cum sacerdote voce populus vtatur, id est, Sanctus, Sanctus Sanctus, quod X isti institutum esse dicunt historici. Deinde non esse librum quartum Ambrosij, vt titulus præ se ferebat, multis assecuti sumus coniecturis. alij in capita distincti sunt & quidem ab ipso Ambrosio, hic perpetuus: in aliis præfatione vtitur, hic caret præfatione: & in fine huius libri ait se breuiter de diuinitate Spiritus sancti dixisse, & in tribus libris disputat copiosissimè. Sed & Ambrosij ne esset, dubitare cœpimus, quia nescio quid dissimile in stilo deprehendimus: nihil tamen statuimus, nisi dignissimum esse lectu.

PROOEMIUM VIDETVR DESIDERARI.

VOS autem in carne nõ estis, sed in spiritu, si tamè spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi nõ habet, hic non est eius. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuuit propter iustitiam. Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Diuino Apostolus modo & diuino eloquio sacramentum dominicæ Trinitatis, fidei nostræ & mentibus intimaui. Nam cum dixisset: Vos autè in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis: adiecit, Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Quid ergo Apostolus aliud quàm vnionem Trinitatis edocuit? Nam spiritus Dei spiritus Christi est. Spiritus autem Christi & Dei neque à Christo diuisus aut separatus est: quoniam neque Deus ab spiritu suo, neque Christus idem ab spiritu suo potest separabilis iudicari. Si autem inseparabilis Deus ab spiritu suo est, inseparabilis vtique & Christus ab spiritu suo est. Ergo spiritus Dei & spiritus Christi inseparabilis à Deo & Christo. Ac per hoc Deus & Christus & Spiritus sanctus indiuisi manifestantur, quia semper spiritus in Deo & Christo perennis est. Nam quid aliud cõcatenatio hæc & connexio significari contendit, quàm intelligentiam vnitatis, dum per spiritum Deus & Christus, qui inseparabiles à sese sunt vnitati? Et vt verius dicam, vnum intelliguntur. Hoc diuinum sacramentum est. Hoc in se creatura naturaliter aut inseparabiliter non habet: vt vnus spiritus patris & filij, aut tres vnum & vnus indiuisibiliter esse noscatur. Et ideò securus Apostolus qui hoc fundamentum fidei de sancta scriptura didicit, & de diuina reuelatione cognouit, de cætero non timet, alibi vnū Deum, alibi cum Domino, alibi cum Deo & Domino sanctum Spiritum prædicare: quia siue vnus Deus dixerit, scit se nomen Trinitatis implese. Siue autè Dei & Domini solummodò memor sit, scit dicere: Ipse autem Deus & pater & Dominus noster Iesus dirigat viam nostram ad vos: & cauere ne dicat, Ipse dirigant. Siue Dei & sancti spiritus faciat mentionem, scit se Christo iniuriam non fecisse. Siue Dei & Domini & Spiritus sancti causis competentibus personas aptet, scit dicere, & omnia hæc operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult: quoniã & tres deos dicere, impium est: & vnū nõ in Trinitatis nomine cõfiteri, admodum irreligiosum est. Denique sequentia consideremus quibus hunc sensum confirmat & solidat. Nam cum dixisset: Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius: adiecit, Si autè Christus in vobis est, ergo manifestum est, quia per inhabitantem spiritum Christi, Christus habitat: si autem per inhabitantem spiritum Christi, Christus habitat, vtique & per inhabitantem spiritum Dei Deus habitat. Denique subiunxit: Quod si spiritus eius qui suscitauit Christum ex mortuis habitat in vobis, hoc est Dei: ac per hoc

non aliud esse Spiritus sanctus, quàm Deus & Christus probatur, per quem Deus & Christus habitat: quem qui in se non habet habitantem, nec Deum potest habere nec Christum. Sed dicit aliquis: Si per spiritum suum Deus habitat in nobis, & spiritus cum Deo & Christo vnum atque idem est, quomodo rursus dicitur: Qui suscitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra? Quomodo Deus & Christus vnum sunt, cum Christus per spiritum Dei suscitetur ex mortuis. O altitudo diuinitarum sapientiæ & scientiæ Dei. Verè, vbi sapiens? vbi scriba? Verè hoc est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus diligentibus se. Præparauit autè Deus diligentibus se, vt Christus Dominus cum in forma Dei esset, formam serui acceperit, vt solus inueniretur vtrumque. Cum ergo Christus vtrumque sit, Deus scilicet & homo, suscitatio hæc non ideò diuinitati eius adscribitur: quia diuinitas eius aut pati aut mori posset, sed quia Verbum Deus caro factus est, & inhabitauit in nobis. Cæterum si diuinitas eius pati potuisset, non vtique opus fuisset, vt formam serui acciperet: accepit autem formam serui non aliam ob causam, quàm vt per eam pro salute diligentium & pati & mori posset. Et ideò rectè dicitur, Dominus maiestatis crucifixus, & Dominus Iesus Christus ex mortuis excitatus: quia spontanea benignitate & diuina sua ratione per templi sui passionem cuncta ipse suscepit & pertulit. Ac per hoc, id quod Christus excitatus ex mortuis, proficit ad gloriam Dei, & comprobatur omnipotentiam Christi. Sed & sequentia loci huius non minus diligenter inspicere debemus, quoniam alta & profunda doctrina Apostolus ita loquutus est, dicens: Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum ex mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Primum ergo manifestum est quia omnia Deus & Christus per inhabitantem spiritum suum in nobis operatur. Ac per hoc constat, quoniã sanctus Spiritus omnia operatur, quia & mortalia corpora nostra viuificabit is qui suscitauit Iesum ex mortuis per inhabitantem spiritum Christi in nobis. Et non dixit quia per se suscitatur is qui suscitauit Iesum ex mortuis, neque Christum per se suscitare, sed per inhabitantem in nobis spiritum Christi, spiritus eius qui suscitauit Iesum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra. Et vtique in Euangelio legimus dicente Domino: Pater suscitatur mortuos & viuificat, ita & filius quos vult viuificat. Et non est dictum ibi, quia spiritum suum suscitatur Deus & Christus. Quid ergo? contrarium hoc erit illi sententiæ? absit. Sed intellectus illorum nobis redditur, & docemur per euangelium beatissimi Pauli, qua ratione Deus suscitatur, per inhabitantem scilicet spiritum Christi in nobis. Ac per hoc apertissimè traditur, quia omnia opera diuina Spiritus sanctus operatur. Et ideò alio in loco idem Apostolus docet, dicens: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus. Et diuisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idè verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Quomodo est istud, idem spiritus, si aliud est spiritus quàm

Roman. 11.

1. Cor. 1.

Esaia 64.

1. Cor. 2.

Philip. 2.

Ioan. 1.

Rom. 8.

Ioan. 5.

1. Cor. 12.

Deus & Dominus? aut quid est, istud idē Dominus, si aliud est Dominus, quam Deus & spiritus? aut qua ratione accipiemus idem Deus, si aliud est Deus, quam Dominus & spiritus? et si essentia vel vsa & diuinitate & autoritate aliud & aliud, & non vnū sunt? Nullo modo possent dici idem, qui longē aliud & aliud reperirentur. Inueniretur autem & Apostolus falsus testis & contumax in Deum, qui idem adscribere, vbi idem non est. Sed absit hoc. Non sensu Apostolus laborauit. Nouit autem Deum & Dominum & Spiritum sanctum, vnum spiritum omnia in omnibus operantem. Et ne quid fortē scrupuli mēs audientium sustineret, quia cum Trinitatis personas ostēdisset, Deū cuncta in omnibus dixerat operantē dum scit & Trinitatem verē probare, sicut verē & vnionem. Quanquam terror nullus poterat videri, vbi idem sēpe iam dixerat. Solito tamen suo more Apostolus, & prudentiā suā cautela, imo, vt verius dicam, Spiritus sancti gubernatione, quem se reuelatorem & doctorē habere sēpe profiteretur, sicut dixit: Sed docti spiritu, spiritalibus spiritalia cōparantes. Et alio loco: Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctum: reddidit omnia vnioni, dicens: Alij enim datur per spiritū sermo sapientiā, alij sermo scientiā secundum eundem spiritum, alij fides in eodē spiritu, alij gratia curationum in vno spiritu, &c. Et in nouissima parte concludens, ait: Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, qui supra scilicet Deus. Ergo quia omnia operatur De^o atque idem spiritus, Patrem & Filium & Spiritum sanctū, in quorum nomine per regenerationis baptisima recreamur, vnum Deum, quod est nomen vnum, accipere debemus, & credere: quia vno atque eodem modo iisdemque virtutibus nec non & prophetationibus, quibus Patrem Deum discimus, de Spiritu quoque sancto & de filio edocemur. Sed fortē quis dicat, Omnia dixit quæ ad ordinationem Ecclesię pertinet: non autem omnia quæ Deus operatur & Dominus operatur & spiritus. Ergo de omnibus vel pauca ponēda sunt, quibus probetur Spiritum sanctum omnibus omnino diuinis operibus adesse, & ipsum omnia implere. Moyses Spiritu sancto impletur, & per spiritum Prophetæ præscientia docetur & futura prædicat. Quid Prophetæ omnes deinceps num Spiritui sancto pleni prophetauerūt, & plagas populo imminētes annunciauerunt, & aduentum Domini & passionem prædicauerunt? probante Domino, & dicēte per os Zachariæ Prophetæ: Veruntamen verba mea & legitima mea accipite, quæ ego mando in spiritu meo seruis meis Prophetis. Ac per hoc manifestum est omnes Prophetas Spiritu sancto prophetasse. Legem quoque ipsam per Spiritum sanctum datam accepimus, & scriptā. Dicit enim Moyses: Et dedit Dominus duas tabulas lapideas digito Dei scriptas. Digitum autem Dei Spiritum sanctum dici Euangelia manifestant. Cum Dominus dæmonem eiecisset, & accusaretur à Iudæis quod in Beelzebub principem dæmoniorum, dæmonia expelleret: secundum Lucam quidem respondisse perhibetur: Quod si ego in digito Dei expello dæmonia. Vnde manifestum est spiritum digiti Dei dici. Cum ergo cōstet spiritū sanctū digitum Dei dici, manifestum est quia tabulas lapideas Spi-

ritus scripsit, quas Moyses digito Dei scriptas accepit: & Spiritus sanctus dedit, quia digitus Dei non aliud, quam Deus est, quoniam in omnibus operatur. Virtutes quoque ipsas quas diuina potentia in Ægypto in doctrinam & in experimentum sui peccatoribus operata est, num manifestum est in digito Dei esse perfectas? probante Domino, qui se in digito Dei, id est, in Spiritu sancto eiecere dæmonia profiteretur? quia idē ipse in Ægypto, & Spiritus sanctus eadem consummauit & gessit. Quod quidem sensibus nostris intimās Dominus, in digito Dei se profiteretur expellere dæmonia, docēs scilicet opera sua, opera esse sancti Spiritus: & cum opera sancti Spiritus, opera Christi sint: opera autem Christi, opera patris sunt, sicut in Euangelio secundum Ioannem legimus, ipso Domino dicente: Amen, amen dico vobis, nō potest filius facere à se quicquā, nisi quod viderit patrem facientem. Quæcūque autem ille facit, eadē & filius facit similiter. Et, Sicut pater mortuos suscitatur, & filius quos vult viuificatur. Ergo hoc gradu & hac ratione agnoscimus opera sancti Spiritus, esse opera paterna: quia quæ pater operatur, eadem & filius operatur similiter: quæ autem filius operatur, eadem & sanctus Spiritus operatur. Ac sic semper Trinitas vnus Deus, & vnus spiritus per se, sed ex sese eadem & omnia in omnibus operatur: quem quidem sanctum Spiritum, quia in virtutibus suis & potentia diuina agnoscere Ægyptij noluerunt, plagis compulsi sunt confiteri. In quas me nūc audientes incidant à Domino admonentur, & serō incipiant dicere, Digitus Dei est. Ac per hoc manifestum est, quia vnus atque idem spiritus omnia in omnibus operatur. Natiuitas quoque ipsius Domini Iesu secundum carnem, nōne per Spiritum sanctū facta prædicatur, euangelizante angelo Gabriel Marię, & dicente: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obūbrabit tibi. Et iterum Ioseph angelus in somnis apparet, dicēs: Ioseph fili Dauid, ne timueris accipere Mariam cōiugem tuam, quod enim in ea generatum est, de Spiritu sancto est. Et vnde perspicuum est quia omnia & in omnibus ipse operatur & perficit. Sed aiunt quidam, Omnia quidem diuina operatur, & de operibus Deus intelligitur, sed nihil tamen sua autoritate probatur operari, quia omnia per eum Deus operatur & Dominus. Iam quidem de autoritate eius satis constat cum Deus probatur, Deus agnoscitur, cum inseparabilis à Deo inuenitur, cum vnionem habere cum Deo & Domino manifestetur. Iam quoniam de autoritate eius quæritur quam scriptura non tacuit, edoceri nos oportet, primū quidem cum dicitur: Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Diuidit, manifestum est, qui non ex imperio operatur alieno, & attendendū quia quæ prout vult diuidit, non est scriptum, quæ aliena sunt. Et rursum in Actibus Apostolorum legimus: Deseruentibus autem illis & ieiunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod vocaui eos. Quid ergo clarius, quid lucidius ad manifestandam diuinitatem & autoritatem Spiritus sancti dici potest? Segregate mihi, nō enim dixit, Segregate Deo, sed mihi: Neque in opus ad quod vocaui eos, sed in opus

1. Cor. 2. Ibidem. 1. Cor. 12.

Zach. 1.

Exod. 31.

Luc. 11.

Esai. 6. Act. 28.

Esai. 6. Apoc. 4.

Esai. 6.

* ferē

Exod.

Luc. 11.

Matth.

Act. 28.

1. Cor.

Act. 13.

opus ad quod vocaui. Satis vtique probauit nobis A authoritatem & diuinitatē suam, qui segregationem Apostolorum non alij quam sibi adscripsit: quos & in opus non alienum, sed suum aduocasse se dixit. Quod vtique alienus à Deo & Domino, & ab autoritate diuina facere nunquam potuisset. Atque vt clarius luceat Trinitatis sanctæ autoritas vna & diuinitas excolenda, Esaiæ Prophetæ nobis contēplanda prophetatio est, quam per Apostolos ipse Spiritus sanctus nobis interpretatus est, quam ita legimus: Et audiui vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? Et dixi, Ego, ego sum, mitte me. Et dixit: Vade, & dic populo huic: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non aspicietis, &c. Et vtique modō dices, supra in eadem visione Dominum Sabaoth vidisse se dixit sedentem in throno gloriæ suæ, & Seraphim audiuisse dicētes: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra maiestate eius. Et certē Dominus sabaoth cui laus hæc & gloria redditur, vnus atque idem in Prophetis ostenditur, & ipse est qui Esaiæ loquutus est, dicens: Quem mittam, & quis ibit ad populum istum? Et cum vnus atque idem in Prophetis significetur, ab Apostolis tamē & ab Ecclesia Trinitas intelligitur. Vnde etiam tractum est per omnes * facere Orientales ecclesias, & nonnullas Occidentales, vt in oblationibus sacrificiorum quæ Deo patri offerrentur, vnā cum sacerdote voce populus vtatur, id est, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra maiestate eius. Ergo secundum hoc cōstat Prophetā ad personā Dei patris referri oportere. Ioannes autem Euāgelista informat nos & docet de filio intelligere debere. Nam cum suprādictū testimonium Euangelio inscripsisset, & interpretatus esset postea dicens: hæc dixit Esaias quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo, id est, Domino Christo. Paulus autem Apostolus Romæ Iudæis contradicentibus doctrinæ suæ, & blasphemātibus viam Domini Christi, exaltans vocem suam, ait: Bene prophetauit Spiritus sanctus per Esaiam, dicens: Vade, & dic populo huic, Aure audietis & non in-

telligetis, & videntes videbitis & non aspicietis, &c. Cum ergo in prophætia diuinitas vna doceatur ab Apostolis, tamen & ab ecclesia Trinitas intelligatur: certissimē vtique docemur quia Trinitas idem pater & filius & Spiritus sanctus, vnū & vnus Deus sunt. Et cum vnus Deus intelligantur & agnoscantur, vnus etiam & autoritatis intelligantur necessesse est. Et rursum Dominus in Euangelio huius vnionis Trinitatem docet, dicens: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti, &c. Et cum patris & filij & Spiritus sancti significantiam edidisset, Trinitatis tamē ipsius nomen vnum obseruare nos docuit, quod est Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus sabaoth, plena est omnis terra maiestate eius. Ac per hoc consuetudo scripturę manifesta est, quę & cum vnum Deū nuncupat, intellectum tamen Trinitatis non amputat: & cum patris & filij & Spiritus sancti memorat, nomen non * interimit maiestatis vnus. Et quid * meminit plurā: deficiet mihi pagina, deficiet tempus si cuncta quæ ad probandam diuinitatem Spiritus sancti scripta sunt reuoluere aut enumerare voluero. Hæc autem breuiter dicta sunt ad retundendam impudentiam eorum qui diuinitatem Spiritus sancti, imō vt verius dicam, ipsam Trinitatem abnegare conantur: ipsam autem negant, quando non ita vt est, Deū fatentur: quando non ita credunt vt scriptura diuina nos docuit, & vt credere oportet, sed prout illos traxerit sensus sui libido: & vt intelligant quā longē à fide Dei sint, aut quā alieni à salute quæ est in Christo Iesu, qui Spiritum sanctum, quo credentes signamur, in die redemptionis nostræ contristare & abnegare nituntur: & vt sciant qui talia sentiunt quia huiusmodi machinantur, quæ neque ad veniam, neque ad remissionem peccatorum suorum poterunt pertinere, quia scriptum est: Qui autem blasphemauerit in Spiritu sancto, non remittetur ei neque in hoc seculo neque in futuro: sed illi se potius sententię subiicere non nesciant, quā diuina mensura idem per os Esaiæ protulit, dicens: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.

Matth. 28.

* meminit forte

Marc. 3. Luca 12.

Esai. 66.

FINIS.

Capita libri de Fide orthodoxa contra Arrianos.

Quod nihil periculosius iis hæreticis esse possit, quibus multa nobiscum paria sunt: qui cum integrè per omnia decurrere videantur, vno tamen verbo meram ac simplicem fidem insciunt. Quodque sublato nomine substantiæ, quod isti de Euangelica & Apostolica fide patrūque traditione auferre volunt, subtiliter Arriana hæresis intromittatur. Et qua ratione istud nomen tollere laborauerint. Cap. I. De confutatione hæresis Arrianorum per firmissimas rationes, & euidentia sacra scriptura testimonia, eo quod ita Deum filium de Deo ponant, vt ex Deo factus sit, non ex Deo natus, & quod homouision, id est, vnus substantiæ vocabulum auferant, illamque sapientiam quæ Dei filius est, creaturam intelligant. Cap. II. De destructione rationum, quibus Arriani errorem suum defendere conantur, præcipuè dicentes ideò homouision nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non contineatur. Cap. III.

Quo argumento Arriani Deum non esse substantiam probare contendant, & de subtili illius dissolutione.

Cap. III.

Quod cum unitas substantiae in patre et filio non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate comprobetur, non possit dici in scripturis diuinae homouision non inueniri. Et quae sit ratio nominis. Quod praeterea si ad aliquam similitudinem velit Arrianus in Deo comparationem facere, non possit expressius comparatum diffinire, nisi cum dicat lumen ex lumine.

Cap. V.

Quid sit Deus, et utrum ei aliquid possit comparari. Quemadmodum etiam ratio quaedam sit quae apud Graecos Logos nominatur, quae inter patrem et filium personas vel vocabula distinguit. Et quod illa ratio multis nominibus appelletur, ac qua de causa singula de filio dicantur.

Cap. VI.

De remotione occasionis erroris quam haereticus Arrianus ex hoc capere posset, quod duo nomina vel duae personae, id est, patris et filij statuuntur, quasi duo dii dicantur.

Cap. VII.

De apertione totius mysterij haeresis Arrianae, cur noluerit filium de substantia patris credi, et de responsione ad motiua Arrianorum, quodque multum intersit inter ea quae facta sunt, et eum qui omnia fecit. Et quemadmodum multis ac variis figuris Deus se patribus praestenderit, qui tamen secundum deitatem videri non potuit.

Cap. VIII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE FIDE ORTHODOXA CONTRA ARRIANOS, LIBER VNVS.

Quod nihil periculosius iis haereticis esse possit, quibus multa nobiscum paria sunt, qui cum integrè per omnia decurrere videantur, vno tamen verbo meram ac simplicem fidem inficiunt. Quodque sublato nomine substantiae quod isti de evangelica et Apostolica fide patrumque traditione auferre voluit, subtiliter Arriana haeresis intromittatur. Et qua ratione istud nomen tollere laborauerint.

CAP. I.

MVLTA quidem & graues haereses no- uimus à plurimis ebullire, & veneni vice ad intimum pectus canceris sui virus infundere. Sed vinci illi vel facillè possunt, vel facillè vitari, quorum prima propositione omne cõsilium pectoris proditur. At verò hi quibus multa nobiscum paria sunt, facillè possunt innoxias mētes, & soli Deo deditas, fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his haereticis esse potest, quàm qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, ac si veneni guttam meram illam ac simplicem fidem dominicæ, & exinde apostolicæ traditionis inficiant. Vnde vehementer nobis cauendum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris huiusmodi aliquid latenter insinuet: quia nihil tam cogit in mortem quàm sub obtentu fidei fidem violare. Vt enim gypsum aqua permixtum, lac colore mentitur: ita hic per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus quo confessio ipsa firmatur. Denique si diligentius & accuratius attendatis, cur voluerint de evangelica & Apostolica fide, & de patrum traditione substantiae nomen auferri, proculdubio probatis haere-

sim Arrianam subtili compendio breuiatam, sublato hoc nomine intromissam. Nec hoc quidem ego suspitione aut opinione collectum affirmo. Nec uti ipsi putant Academicus disputator affiso, vt simplices sensus verborum subtilitate contorqueam, sed vt contortos, & prauos tenui argumento compositos in lucem cognitionis exponam, quò facilius possit cognita & comperta iniquitas ab hominibus euitari. Quae etenim causa, quae uere ratio extitit, vt quod docendum & quod credendū cunctis ecclesiis fuerat traditum, quodque patres nostri Apostolici viri contra vniuersas haereses, & maximè Arrianā, quasi quendam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, sancto Spiritu mundanti, catholica ratione posuerunt, non sine magno nisu ab his qui tunc * eloquio Arrianæ labis additi sunt, laboretur auferri, nisi vt filium Dei mutabilem & conuertibilem, vt pote non de propria patris substantia constituisse confingant: cui & initium ex tempore, & ortum ex nihilo, nomē ex altero, vt semper docuerunt, propter quod & saepe damnati sunt, nūc iam liberè, & securè, incunctantèrque ecclesiis tradere, & insinuare possint.

De confutatione haeresis Arrianorum per firmissimas rationes, & euidentia sacrae scripturae testimonia, eo quod ita Deum filium de Deo ponant, vt ex Deo factus sit, non ex Deo natus. Et quod homouision, id est, vnius substantiae vocabulum auferant, illamque sapientiam quae Dei filius est, creaturam intelligant.

CAP. II.

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, nõ Evangelica fide, sed subdola malignitate ad se-

ducendos simplices quosque posuisse. Nam iam tã suspectum quàm manifestum omnibus esse debet, ita eos Deum de Deo posuisse, vt Arrius tradere solebat, vt ex Deo factus sit, non ex Deo natus. Qui si natus est, vnius substantiae est. Si factus est, verus filius non est. Et si verus filius non est, nec verus Deus est. Aut si verus Deus est, & de patre non est, duo sunt habentes singuli & voluntates proprias, & imperia diuersa. Vel si concordia tantum & societate vnum sunt, non tamen & substantia: verus, vt iam dixi, Deus non est. Sic erit Deus vt Moyses Pharaoni, potestate, non genere. Filius quoque ita credendus erit, vt per Efsaiam populo dictum est: Filios genui & exaltaui. Et alibi, Dij estis & filij Altissimi omnes. Sed & primogenitus ita habebitur, quomodo & Israël à Deo primogenitus filius appellatus est. Nec non & primogenitus totius creaturae, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur, vt ex eo serie quandam creãdis mundi rebus assignent. Denique sublati homouision, id est vnius substantiae vocabulo, similem gestori suo posuerunt, cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam & homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est. Nec quod Deus est, homo extitisse credendus est. Ita & filium Dei similem volunt, vt eum aliunde similem, non de ipsa vna sancta & beata patris substantia dicant. Qui si de patris substantia non est, & ortum ex tempore habeat. Nihil enim sine initio nisi solus Deus. Vnde & filius siue ipse Dominus ait: Ego & pater vnum sumus: Quod ideò dixit, vt duarum personarum vocabula in vnius deitatis maiestate monstraret. Sicut & Propheta ex voce Dei: Eructauit, inquit, cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Vides ergo hoc verbū bonum filium Dei esse, quem non aliunde nisi de paterno pectore (& vt ita dixerim) de vtero cordis Dei credimus natum. Et proinde cum regem appellat, quia ipse est rex regum. Deum Dominum cui omnia diuina opera succumbunt, qui dixit: Omnia quae pater habet mea sunt. De hoc & Euāgelista: In principio, inquit, erat verbū, & verbum erat apud Deū, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est. Sed nec aliud esse quàm ex eo qui principium non habet, id est de corde patris qui eructauit, inquit cor meum verbum bonum. Non enim dixit: In principio factum est verbū, sed in principio, inquit, erat verbū. Quodcunque principium verbi assignare volueris, prauidicatum habebis, quia in principio, inquit, erat. Nō quod duo principia ex rerum diuersitate dicamus, sed quia sermo filius semper cum patre est, & de patre natus est. Ac proinde cuius origo principium nõ habet, sempiternus cum patre credendus est, quia nec pater potest vnquam sine filio nominari, nec filius sine patre vocari, ac per hoc semper filius, quia semper pater. Et Deus, inquit, erat verbum. Quod Deus est, semper est, ne si semper non fuerit, verus Deus semper esse non possit: sicuti & in sophiæ nomine, quia secundum Apostolum ipse est sapientia

Efsai. 1.
Psal. 81.

Ioan. 10.

Psal. 44.

2. Tim. 6.

Ioan. 16.
Ioan. 1.

patris. Ego, inquit, ex ore Altissimi prodiui. Non ergo aliunde quàm de patre, quia semper cum patre. Et ideò sapientia Dei appellatur, vt nunquam pater sine sapientia, hoc est sine filio suo fuisse credatur. Hæc est illa sapientia ineffabilis, quae initio viarum Dei apud Salomonem vel condita, vel genita, vel creata describitur, quam tamen sic conditam dicit, vt semper eam cum Deo fuisse ostendat. Quid enim Deo dabis, vt initium possis sapientiae ipsius consignare? Non enim ita Deus sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine sapientia fuerit. Sed cum initio viarum suarum dicat, initium motus operis allicuius ostendit, vt hoc initium habeat sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia, tam caelestia quàm terrestria, non quo cœperit esse in Deo. Creata est ergo sapientia, imò genita, non sibi quae semper erat, sed hisque ab ea fieri oportebat, vt quia quanta & qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus eius, & potentia nosceretur, vt quod de conditis estimamus, tunc magis timemus cum facta miramur. Caterum si tu ita creatam sapientiam dicas, vt filium Dei creaturam intelligas, occurrit tibi Apostolus condemnans eos qui creaturam colunt, dicens: Propter quod tradidit illos Deus in desiderium cordis eorum in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturae potius, quàm creatori, qui est benedictus Deus in secula. Hæc est, inquam, illa sapientia Dei, quae dicit: Ego ex ore Altissimi prodiui, vniuersitatis conditrix & effectrix, id est, filius Dei per quem omnia, & in quo omnia, quia vt Apostolus dixit: In ipso constituta sunt vniuersa in caelis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue virtutes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso condita sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant. Hæc & Salomō: Cum sit, inquit, vna, omnia potens & permanēs in se, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert. Quod confirmans Apostolus ait, in interiore homine habitare Christū, vt per quem à principio omnia facta sunt, per ipsum & in fine cuncta saluentur.

Ecles. 24.

Roman. 1.

Ecles. 24.

Sap. 7.

De destructione rationum, quibus Arriani errorem suum defendere conantur, praecipue dicentes ideo homouision nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non continetur.

CAP. III.

Sed dicis mihi, homouision vnius substantiae nomen ob hoc potius adorent, quàm creatorem seruientes. Eadem vtique Apostolus qui dixit: Vt in nomine Iesu omne genu flectant, caelestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur. Et Moyses: Adorent, inquit eum omnes angeli Dei. Et David: Omnes reges adorabunt eum. Quod quidem in scripturis non diceretur, sed quia ipse est sermo filius omnium opifex. Sed dicis homouision nominari non oportere, quia in scripturis diuinis non continetur. Quæro & ego, homo qui hoc prohibes si ideò nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi non liceat? Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum? Corde enim, inquit Apostolus, creditur ad iustitiam, ore autem confessio

Rem. 10.

fit ad salutem. Aut si idè nominandū non est, quia nec ita credendum: obtinuit Arrianæ labis asserio, quæ idè patrem & filium vnus substantiæ denegauit, quia filium Dei, modò ex nihilo, modò ex patre, sed ab alia substantia quādo voluit, & quomodo voluit, & vnde voluit factum inducit, dum modò aliud eum, & non de eo quod pater est extitisse cōtingat. Quem etsi natū dicit, sed hoc dicto genus: quia rursum omne quod natum est, factum intelligit, eò quòd & nos à Deo geniti appellemur, quos constat esse facturam. Vel si Arrianus non es, & verum filiū de vero patre natum non factum agnoscis, cur non eum cum patre vnam substantiam dicis? Frustrā times homo profiteri quod credis, & frustrā credis si ita nō credis, & meritò hæreticus denotaris. Et quāquam immutaueris dictum, quo putaris prohibuisse Dei filium nuncupari facturam, sed cūm subiūgis, sicuti aliquid horum quod factū est: ex aperto ostēdis, non ob hoc facturam dici voluisse, quasi nō debeat factus intelligi, sed non ita factum vis sicut aliquid horum quod factum est, sed tamē factum. Aliiter enim dicis factum, vtpote perfectam creaturam, per quem facta sunt omnia, dummodò & ipsum factum intelligas, licet non ita vt cætera. Sed vt ad id reuertar, quod dicis in scripturis diuinis homouisiō, id est, vnus substantiæ vocabulū non inueniri, finge hoc interim sic sit, eò quòd vbicunque substantia legitur, res Dei non Deus accipiatur, quamquam & aliud quod scriptum non est, pariter profitearis, id est, Deum ex Deo, lumen ex lumine: quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, aut totum omite. Si enim vnus substantiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non est: timere identidem debes Deum ex Deo, & lumen ex lumine profiteri. Sed ego probo Deum de Deo, & lumen de lumine, & vnus substantiæ vocabulum in diuinis scripturis cōtineri. Cūm enim ipse Dei filius qui Deus est, in Evangelio suo dicat: Ego de patre exiui: iure & meritò Deum de Deo profiteamur, quia de Deo patre filium Dei, Deum verum de Deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere vt nos dii sumus appellati, vel vt Moyses Pharaonis Deus est dictus. Sed quia verus est filius: de vero patre natus est: verè & confidenter Deus de Deo dicendus est, sic & lumen ex lumine. Quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino non sentis, vt quia scriptū est de patre: Deus lux est, quæ illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum: & lux lucet in tenebris, id est, Christus in cælo, & tenebræ eam non sunt assecutæ. Hi scilicet homines quorum ignorantia tenebris obcæcaturum est, Christum verū Deum, & verum Dei filium non agnouerunt, sed ipse Dominus: Ego sum, inquit, lux mundi, qui me fecutus fuerit non ibit in tenebris, sed habebit lumē vitæ. Ergo quia lumen pater, & lux filius, rectè lumen de lumine. Sed lumē ex lumine ita asseris quasi à patre qui verum lumen est, aliud lumen sit factū, quod de ipsa patris substantia non sit, sed sicuti aliud quodlibet lumen, quamquam à Deo sit factum, longè tamen aliud sit ab eo qui fecerit, & idè lumen ex lumine non de lumine dicis. Cūm ergo hæc prælocutus sum, licet mecum non intelligas, tamē quomodocunque ipsa pronūcias, cūm scripta non sint:

an non & vnus substantiæ vocabulum, quod in scripturis non putas contineri, mecum pariter profiteris, nisi quia illic habuisti quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in vtroque contegeres, sed mecum hoc ipsum sono vocis exprimeres, sed tamen longè dicti intelligentiam separares: sicuti & illi hæretici qui resurrectionem carnis negant, ad decipiendas animas simplicium dicunt his quia in carne nō resurgant. Sed si discutias eos cur hoc dixerint, cūm scias illos carnis resurrectionē omnino negare, dicent tibi: Vtique ille erit qui in carne baptizatus non fuerit, vt anima ipsius dum in corpore est, de morte delictorum suorum, vt de sepulchro criminum per baptisma in eadem resurgat. Solius enim animæ per lauacri vitalis gratiam resurrectionem in carne defendent, nam & ipsius carnis salutē excludunt. Et hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt. Et vt solet lethale poculum mellis dulcedine temperatū suauitate fallente perimere, sic & hoc malum per blandimentum aurium audientium sensus quadam labe contaminans, contagione vitij adhærentis inficit.

Quo argumento Arriani Deum non esse substantiam probare contendunt & de subtili illius dissolutione.

CAP. IIII.

Denique & nunc possent homouision sicuti & cætera verbotenus nominare, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam sæuo sensu peruerterent. Sed cūm viderint se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem huius fieri voluerunt, ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes professi viderentur, subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oportere, ne corporeus videretur. Deus etenim, inquit, efficit vt sit substantia, non tamen vt ipse Deus in substantia deputetur, quippe aiūt cūm omnis substantia contraria recipiat, Deus verò qui nihil diuersum admittere potest, in substantia dici nō debet. Ignosce rem tibi si hoc simpliciter diceres, si rationem rei velles scire, si rudis ad hanc quæstionē accederes, si non ipse esses qui semper vel de alia substantia vel de nullis extantibus Dei filium asserbas. At cūm idem ipse sis, qui hinc sæpè conuictus, sæpè confessus, sæpè negasti, sæpè aliter immutando damnatus es, qui etiam nunc in ambitione exagitatus turbas omnia, quomodo putas me ignoscere tibi posse frequentius eadem retractanti? Sed ne videatur hæc peruersitas præiudicata magis quàm examinata damnari, breuiter tibi de hac oppositione respondeam, Prohibes itaque idè substantiam nominari, quia omne quod substantia dicitur, res ipsa vnus generis habeatur. An ignoras aliter cælestia, aliter terrena constare, sed & in ipsis cælestibus rebus atque mundanis magnam differentiam interesse? Aliter enim angeli, aliter singulæ virtutes constitutionum suarum substantias acceperunt, sicuti Apostolus ait: Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Sic & in hoc mundo, vt diuersa genera rerum, ita & diuersa corpora animantium, & omnibus sui cuiusque generis substantia,

sicut

sicut Apostolus dicit: Non omnis caro eadem caro. Si ergo ea quæ à Deo facta sunt diuersas qualitates substantiarum suarum habent, tu putas in Deo talē esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod factum est, vt possit contraria recipere? Absit. Quæ est enim substantia Dei? Ipsum quod Deus est simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, lympidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum, totum. An tu putas inane aliquid esse & vacuum quod est Deus? Hoc enim dici blasphemia est, vt inane putetur per quem cuncta constiterunt, qui omnia verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit, cuius nutu & imperio vnuerfa reguntur, cuncta deseruiunt. Et bene quod de Deo legis scriptum: Ego sum qui sum, & qui est, misit me. Et ipse Saluator Dominus: Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quē misisti Iesum Christum. Est ergo in substantia essentia sua Deus, cuius cognitio vita æterna est, qui & tantus est quantus dici non potest. Qui tunc dignè æstimatur cūm inæstimabilis dicitur, vti que velis an nolis. Ergo ipsum quod est, hoc est substantiæ huius rei quæ esse defenditur: quod tamen iam dictum est, quantum & quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest, dummodò constet esse quod esse creditur, vt de eo ipso quod Deus est, inde sit filius, vt verus sit filius, & verus sit pater in filio, & filius in patre. Hoc erit homouision, id est, vnus substantiæ cum patre. Sicut ipse Dominus ait: Ego in patre, & pater in me. Ego & pater vnum sumus: & Ego de patre exiui: & Qui me videt, videt & patrem. Non immeritò, quia filius Dei de Deo patre natus est, & idè de vnitate substantiæ, & de maiestate deitatis vnum sunt, sicuti & Hieremias prophetauit: Quis stabit in substantia Domini, & videbit verbum Domini? Et iterum: Si stetissent in substantia mea, & si audissent verba mea, auertissem eos ab studiis eorum pessimis. Et apud Salomonem: Substantia mea, dulcedo mea est.

Quod cūm vnitas substantiæ in patre & filio non solum prophetica sed & euangelica autoritate comprobetur, nō potest dici in scripturis diuinis homouision non inueniri. Et quæ sit ratio nominis: quod præterea si ad aliquam similitudinem velit Arrianus in Deo comparationem facere, nō possit expressius comparatum definire, nisi cūm dicat, lumen ex lumine.

CAP. V.

Cūm ergo hanc vnitatem substantiæ in patre & filio non solum prophetica, sed & euangelica autoritate cognoscas, quomodo dicis in scripturis diuinis homouision non inueniri, quasi aliud sit homouisiō quàm quod dicit: Ego de Deo patre exiui: Et ego & pater vnum sumus: Vel quòd Prophetæ ex aperto substantiam Dei intimabunt? Hæc est autem nominis ratio, vt in patre & in filio vnitatem substantiæ credas, licet rem ipsam (quæ est incarnabilis) definire non possis, vt siue lumen de lumine dicas, siue verbum de verbo, siue spiritum de spiritu, siue Dominum de Domino, quodcunque de eo dixeris, vnus tamen essentia patrem & filium credas, & de eo ipso quod pater est, filium intelligas,

S. Ambr. tom. 4.

Nam si aliquam comparationem de rebus his quæ videntur in eo facias, ipsa dissimilitudine rerum non rationem ostendes, sed altercationem disputationis induces, vt cuius voce descriptum est, Cui me comparabis? ac proinde Deus cui assimilari nihil potest, sufficiat credi quod ipse sentitur, quem ipse credi se voluit, non indicari. Denique si de hoc ipso quod mecum profiteris, ad aliquam similitudinem velis in Deo conferre, nescio an quod comparaeris possis expressus definire: vt puta cūm dicis lumē ex lumine, si ad explanandum illud scrupulosa narratione cogaris, quæro quomodo lumen ex lumine credas? Vtrum quasi lucernam ex lucerna, vel quasi solem ex sole, vt aut duas lucernas, aut duos soles quasi duos deos sub hoc exemplo inducas: aut splendorem luminis eiusdem lucernæ, vel claritatem solis de eodem sole fulgente, lumen de lumine consignes, vt in matricem luminis patris figuram assimiles, filium verò in splendorem claritatis ostendas, quod de eo Propheta dixit: Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Vel Salomon cūm dicit: Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Vel Apostolus hic prædicauerit Saluatorem nostrum imaginem esse inuisibilis Dei, eo quod imago lux sua sit quæ de eodem sole procedit. Sed quanta ad hæc responderi possunt, quæ lites generant, quod Apostolus prohibet, longum est dicere: Quippe cūm constet lumen illud quod Deus est æstimari, comprehendi & definire non posse. Nec verè aliquid ex his quæ in hoc mundo sunt, maiestati diuinæ comparari, quia nihil de omnibus istis quæ videntur aut dicuntur secundum id quod Deus est, condigna similitudine æstimari potest, quippe cūm ipsis intellectibus & sensibus maior sit. Idem præmonuit vt diuinitatem substantiæ crederes, & verū filium de vero patre cognosceres. De qualitate autem rei requirere non deberes, quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli prædicarunt.

Quid sit Deus, & vtrum ei aliquid possit comparari. Quem admodum etiam ratio quædam sit quæ apud Græcos Logos nominatur, quæ inter patrem & filium personas vel vocabula distinguit. Et quòd illa ratio multis nominibus appellatur, ac qua de causa singula de filio dicantur.

CAP. VI.

Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur, Deus quid sit, & videamus an ei aliquid possit comparari. Certè hic est de quo & cūm dicitur, non potest dici. Cūm æstimatur, non potest æstimari. Cūm comparatur, non potest comparari. Cūm definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cæelum manu sua operit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, & metuendo sciunt. Cuius nomini & virtuti famulatur hic orbis. Et ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse quo possit pater comparari & filius, quia talis est filius qualis & pater. Non enim ipse se vnum cum patre diceret, nisi talem se qualis est pater sciret. Ratio quædam est quæ apud Græcos

M

Ioan. 16.

Ioan. 1.

Ioan. 8.

Exod. 3.
Ioan. 17.

Ioan. 14.
Ioan. 10.

Psal. 35.
Sap. 7.

Colos. 1.

Logos nuncupatur, quæ inter patrem & filium personas vel vocabula distinguit, quia & ipse filius Ratio dicitur: quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modò verbum, modò virtus, modò sapientia, modò dextera, modò brachium, modò margarita, modò thesaurus, modò retia, modò aratrum, modò fons, modò petra, modò agnus, modò homo, modò vitulus, modò aquila, modò leo, modò via, modò veritas. Et ita cum sit Deus omnia in omnibus, vt per hæc vocabula diuinarum dispositionum mysteria cognoscatur, non vt ipsa maiestas filij Dei propriè definita monstratur. Quid est enim filius de eo quod pater est? Alius idè. Nā & hoc verbū nūcupatur, quia ex proprio diuino ore processit, & nihil pater sine eo aut iussit aut fecit. Virtus dicitur, quia verè de Deo & semper cum Deo est, & omnis potestas patris in eo consistit. Sapientia appellatur, quia de corde patris adueniens, arcana cœlestia credentibus referauit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera diuina perfectæ sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, vt nihil illo preciosius habeatur. Thesaurus dicitur, vt in ipso omnes opes & diuitiæ regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari seculi diuersè gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in ecclesia cōgregatur, vbi bonorum malorumque discrimen agnoscitur. Aratrū nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subiiciuntur, vt necessariora in ipsa præparentur. Fons aquæ viuæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irriguantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis dicitur, quia vtrosque parietes noui & veteris Testamenti vnus & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus dicitur, vt innocentia Christi & passio demonstratur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post venerabilem resurrectionem, vt rex altam ad patris peruolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est rex regū, qui mortem ac zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita est, quia ipse vniuersa viuificat. Vides ergo per hæc vocabula, significationes dispositionum & operum diuinorum præostas, non tamen ipsum Deum propriè definitum. Est ergo pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est & filius eius Deus & Dominus noster, tātus quantus est & pater, sed nō aliunde quàm de patre, quia ego inquit, de patre exiui, hoc est lumen de lumine.

De remotione occasionis erroris quam hæreticus ex hoc capere possit, quod duo nomina vel duæ personæ, id est patris & filij statuuntur, quasi duo Dij dicantur.

C A P. V I I.

Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cum duo nomina vel duas personas, id est, patris & filij statuo, quasi duos Deos dicam, vt illi duos ex diuersitate confingunt. Nos autem patrem

& filium ita nominamus vnum Deum, vt in his personis & nominibus consignemus. Viderint Philosophi, viderint hæretici discipuli eorum qui potestati diuersitate variantur. Nobis tamen vnus Deus est pater, vt Apostolus dixit, Ex quo omnia, & nos ex ipso, & vnus Dominus Iesus Christus Deus Dei filius per quem omnia, & nos per ipsum. Nam duo, quid aliud intelligatur quàm duorum per partes diuisa substantia, & cum omnibus ipsi dissociata natura agendi ac iubendi tam volūtas quàm imperia diuisa? Porro pater ac filius etsi duæ personæ creduntur, ratione tamen & substantia vnus sunt. Nam inæqualium societas, melioris offensa est, & in iniuriam eius qui verus Deus est, non verus alius comparatur. Cum autem ego patrem & filium statuo, vnitatem generis assigno. Et si illam in personis diuido, discretionis tamen personarum rursus eadē nomina in vnitatem sui naturali legis foedere consignat. Vnde & tantus est filius quantus videbitur pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto consummatæque virtute, sicut Apostolus dicit: In quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Nam & Hieremias receptissimus Prophetarum, hanc vnitatem diuinitatis in patre & filio sciens, ait: Hic est Deus noster, & non deputabitur alius absque illo, qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo: Post hæc in terris visus est, & cū hominibus cōuersatus est. Et Esaias hoc ipsum prædicat, dicens: Hæc dicit Dominus Deus: Fatigata est Ægyptus, & negociatio Æthiopum, & Sabain viri excelsum ad te transiunt, tui erunt serui, & post te ambulabunt vincti compedibus, & te deprecabuntur, quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te, tu es enim Deus. Quod ne putes me eo supercilio dixisse quo Sabellius fertur, qui ipsum patrem ipsum filium profiteretur, non ita nos totum in vnam sententiam cogimus, vt aliorum hæreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum authoritas indiscreta cognoscitur, & filius non genere sed personaliter à patre nominatur, proinde totum patri adscribimus quod est filius, & totum filio quod pater est. Nihil nō videbitur patris quod iudicabitur filij, nec filij quod defenditur patri: quia vnitatis maiestatis nō finit Deos plurali vocabulo appellari, quippe cum constet patrē & filiū vnus esse substantiæ: vnde vterque vnus Deus est dictus. Illud ante cuncta metuentes, quod vbi pater & filius vnum non sint, inuidia recurrat authoris interpolata natiuitas. Hoc enim placuit hæreticis, vt Deus ille omnipotens inuisibilis immensus degeneraret in filio. Non modò potest esse de conditione mutata quasi non potuerit pater de semetipso talē habere qualis & ipse est. Proinde nos verum filium de vero patre qui semper fuit, & est vnus substantiæ cum patre defendimus. Et hoc est quod Græci homouision appellant, id est, cum vno aliud ipsum, vt personæ audiētis nominatum fierent, non vt substantiam vocabula separarēt.

De apertione totius mysterij hæresis Arrianae, cur noluerit filium de substantia patris credi, & de responsione ad motum Arrianorum, quodque multum inter sit inter ea quæ facta sunt, & eum qui omnia fecit. Et quemadmodum in multis ac variis

ac variis figuris Deus se patribus præstenderit, qui tamen A secundum deitatem videri non potuit.

C A P. V I I I.

Sed vt omne mysterium hæresis Arrianae traducam, cur nolint filium de patris substantia credi, breuiter intimabo. Aiūt enim: Cū sit Deus pater omnipotens, inuisibilis, inconuertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, æternus: filius verò visibilis, quia sæpè patribus visus, & conuertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque sese monstrauit. Qui si de patris, inquit, esset substantia, nūquam fieri posset vt ante, carnis assumptionem aut visibilis aut mutabilis cerneretur, quin potius in æqualitate qua pater est, permanisset, ex cuius substantia erat: quia quod de patre est, nec videri, nec mutari, nec conuerti posse credendum est. Accedit ad causam, cū illapsus est in Mariam, cū virginis vterum oppleuit, aliud vtique ex illa quàm quod venerat, natum est. Vnde iam inquit corrupta substantia statim vertit ordinem, perdit continuò immutationem, ipsa formando de Deo in hominem, de spiritu in carnem. Et vtique translatio omnis interemptio est pristini. Ac per hoc aiunt: Si filius de patris substantia esset, iam & patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione vel sine, & proinde filium ex alia substantia credere maluerunt, quod conuerti, & mutari, & videri possit, quia hoc de patris substantia credi non liceat. Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis Arrianae, dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, cur Deum humanis conditionibus cōparent. Quibus primò respondendum. In loco filiū Dei non ita visum vt Deus erat, sed vt homo capere poterat de Deo. Deinde variis figuris non immutabilem & conuertibilem ipsum esse, sed hoc esse, potentie Dei, vt cū se singulis prout vult reuelare dignatur, habitum mutet, non substantiam verat, nec proprietatem qualitatis amittat, sed iuxta meritum videntis temperamentum maiestatis adhibeat, ipse tamen idem vt semper est in substantiæ suæ proprietate permaneat. Sicut scriptum est: Mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Nam etsi multa sunt ex his quæ in hoc mundo videntur, quæ ex alio cōuertantur in aliud, vt desinant esse quæ erant, & hoc sint quod retrò non fuerant: vt limus cū in hominem figuratur, limus esse iam desinit: aut pisces aut aues cū de aqua procedunt, ex eo iam non aqua, quia aliud, vt lutum figuli cū solidatur in testam: vt lapis cū dissoluitur decoctus in calcem: vt arena cū mutatur in vitrum, & cætera quæ longum est recensere. Sed multum interest, stulte hæretice, inter ea quæ facta sunt, & eum qui omnia quemadmodum voluit fecit. Quæ facta sunt, ascriptæ conditioni deseruiunt: qui verò fecit, suæ voluntatis & proprii iuris est. Neque potest in aliud quàm quod est aliquo cogente mutari, sed prout vult, & cui vult se demonstrat. Nam si angeli in figura hominum sæpè sunt visi, & tamen aliud non sunt quàm quod se esse norūt, neque substantiam mutant cū formam humani corporis sumunt: quanto magis ipse Dominus noster qui omnia fecit, qui ipsis angelis vt hoc possent

sua institutione concessit? Huc accedit quod sic filiū Dei, vt iam dictum est, visum à patribus approbamus, vt non totum in illo quod Deus est, videretur: sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complenda erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis filium Dei videre potuit antequam cōspicibilem materiam sicut ei placuit assumpserit, vel ipsum hominem induere dignatus est? Qui etsi Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est, quo scilicet postremis temporibus in homine venturus esse demonstraretur. Iacob etiam alibi in angelo, alibi æquè videtur in homine. Qui idè se in angelo demonstrat, vt nuncium se magni consilij indicaret. In homine verò, cum quo & colluctatus fuisse describitur, vt imaginem futuræ colluctationis quam cum Israël habiturus erat, cū secundum hominem aduenisset, indicaret. Sed vt Dominum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur Israël, id est homo videns Deum, nomē accepit. Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Et vt qui figuram hominis viderat, quam Deus Dei filius induerat, Moyse in rubo in flamma ignis apparuit, vt lumen credentibus, incredulis iudicium demonstraret, quia Christus credentibus salua est, nō credentibus pœna, vt Apostolus ait: Aliis odor eius vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Populū Israël in columna nubis per diem, & per noctem in columna ignis quasi dux itineris præcedebat, vt baptismi gratiā per nubē & donum sancti Spiritus per ignem ostenderet: quia Apostolus Paulus in nube patres baptizatos scribit. Et spiritum sicut ignē esse, Apostolorū Acta declarant. Vides ergo per omnia hæretice, characteres diuinarū scripturarū in honorē Dei patribus præostensos, nō tamen ipsum Deū, vt est, propriè reuelatum. Denique dum Moyse oraret vt faciem Dei purè videret, quid ad illum continuo Deus? Non poteris, inquit, videre faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, & viuet. Hoc ipso quod negatur aspectus, claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est quæ inuisibilis indicatur. Cū ergo Moyse & situm cœli, & ordines mundi, & elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicaret, expresserit, cui ipse Dominus testimonium perhibuit, dicens: Nemo erit ex Prophetis vt seruus meus Moyse, cui facie ad faciem, ore ad os locutus sum, Deum tamen purè videri non potuit. Merito quidem Propheta omnium dignus, sed non vsque adeo, vt intueri Deum valeret, quia homo tantummodo esset. Et vtique hæc omnia filij verba defendimus, quem in monte Syna cum Moyse locutum esse scimus, qui agendis explicandisque rebus à patre aduenerat, quia omnia à principio per ipsum & ordinari, & explicari, & manere conueniat, vt habendi filij hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, vt alienius conspicibilis, vt dixi, materiæ dispositione assumpta videretur, salua scilicet inuisibilitate eius, quam à conspectu omnium maiestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis aspectibus reuelatus est, vt tota in illo deitas appareret, sed ad vicem speculi cū conceptos intra lucem suam vultus, quasi ad plenam effigiem ho-

minis includit, ita maiestas eius præeunte fulgore intra id visum esset, quod imaginem veritatis, non ipsum Deum propriè demonstraret. Sic & cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, ut spiritum in carnem mutaret, sed ut suscepto homini immortalitatem atque æternitatem cœlestis vitæ præstaret. Nā etsi Apostolus semetipsum exinanisse dicit, formā serui accipiendo, non utique sic exinanitū accipimus, ut aliud quàm fuerat idem Christus fieret, sed ut seposito interim maiestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo suscepto salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegitur, claritas eius cōprimitur non cæcatur, & lumen illud quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: sic & homo ille quem Dominus Iesus Saluatorque noster, id est, Deus Deique filius induit, Deum tamen in illo non interceptit, sed abscondit. Denique cum se in monte paululum extra ipsum hominem extulisset, fulgore luminis eius penè obcæcati Apostoli, in terram quippe homines ceciderunt, periclitati vitam nisi eis Dominus compresso rursus maiestatis suæ honore ut misericors subuenisset, secundum illam sententiam: Nemo vidit Deum, & vixit. Ut ergo claritas solis cum usque ad nostros emicat visus sibi salua est, quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium textit obscuritas: ita probat se non suo detrimento proprii latuisse fulgoris, sed carnis, ut dixi, beneficio, cuius causa filius Dei, filius hominis esse sustinuit. Nempe enim de spiritu Dei virgo concepit, & quod concepit, hoc peperit, id est, Deum homini suo (ut iam dixi) sauciatū: sicut ipse dixit, Quod nascitur de carne, caro est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est, quia Deus spiritus est, & de Deo natus est. Sicut & angelus ad Mariam virginem dicit: Spiritus Dei veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Vides ergo ipsum spiritum, id est, filium Dei venisse ad virginem, & inde Dei & hominis filium processisse. Nec tamen ipso indumeto

A carnis Dei filium esse mutatum, sed eundem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum cum patre, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, sicut Euangelista ait: Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. Cæterum amens est credere ab eo posse liberari, qui ut liberaret, amissus est, ut nasceretur: oppressus est, ut immortalitatem redigeret, transiit ad mortem. Sed absit, hæretice, ut sensus tuæ iniquitatis à catholicis admittatur. Nos enim credimus immutabilem & incovertibilem, verbum & spiritum, id est filium Dei: qui cum hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutauit, sed illuuias eiusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustrauit, ut ad nos per tramitem corporis eius lux sancti Spiritus, & æternæ vitæ gratia redundaret. Quem etsi passum credimus & sepultum, sed homo ille passus est quem filius Dei suscepit, quem induit, quem portauit. Sed quia totum ad authorem referebatur quicquid homo ille patiebatur, ideò mors & passio Domini iudicatur: Non constat immortale esse quod Dei est, hominis quod caducum. Tertia quoque die resurrexit, non Deus in hominem, sed homo potius in Deum. Ascendit in cœlos, obtulit patri suo hominē illum gratissimū munus, confedit ad dexterā patris, secundū quod scriptum est: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexterā meam. Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua & ipsa vna substantia sua protectorem, sanctificatorem, & deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei: Effundam de spiritu meo super seruos meos & ancillas meas. Et iterum: Spiritus ex me prodiit. Et ipse Dominus Saluatorque noster: De meo, inquit, accipiet. Et ex eo utique quod est filius, quia & filius de eo quod pater est. Exinde præfinito tempore venturus viuos mortuòsque iudicaturus, ut reddat credentibus præmia, non credentibus verò supplicia. Cuius regnum æternum, immortale, nec initium habet nec terminum, cui est honor, & gloria in secula seculorum.

F I N I S.

Capita libri de incarnationis Dominicæ sacramento.

De introductione oblationis Cain & Abel ad hæreticorum confutationem. Et quòd sententia qua ad Cain dictum est: Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti, quiesce: generaliter in omnes extra ecclesiam constitutos sit lata.

Cap. I.

De enumeratione hæreticorum in quos superior generalis sententia comprobatur esse lata, cum admonitione ut nos caueamus, ne & alicui nostrum dicatur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: quiesce.

Cap. II.

De comprobatione veritatis in superiori capitulo assertæ, per testimonium Joannis piscatoris, & de reprehensione eorum qui recusant audire quæ dicuntur, et intelligere quæ leguntur. Quidque cauendum & quid credendum sit circa incarnati verbi naturam.

Cap. III.

De confuta-

De confutatione diuersorum hæreticorum non distinguendum naturam diuinitatis & corporis Christi, quos superius commemorata sententia comprehendit, cum confirmatione ex confessione Petri, ac testimonio Moysi & Helie.

Cap. III.

Quod confessio Petri non unam tantum, sed omnes hæreses excluderet. Et de mysteriis incarnationis, passionis, mortis, sepulturae et resurrectionis Christi, cum redargutione hæreticorum ærumnas & cetera quæ corporis vel animæ sunt, diuinitati attribuentium.

Cap. V.

De illorum qui Christum in phantasmate venisse & passum esse prædicant, diuersorumque aliorum hæreticorum condemnatione, ampliori tamen atque grauiori eorum qui diuinitatem & carnem Domini unius esse naturæ asserunt, cum argumentorum suorum dissolutione.

Cap. VI.

De authoris excusatione, ac responsione ad obiectionem qua sibi dici posset, quod de patris & filij diuinitate quinque illis libris quos scripserat, conclusurum se esse promiserit, cum confutatione erroris eorum, qui animam putant à Domino Iesu non esse susceptam, pulcherrimæque declaratione assumptionis humanæ naturæ: & quomodo intelligendum sit quod scriptum est: Iesus proficiebat ætate & sapientia.

Cap. VII.

De ampliori redargutione eorum qui authorem dicunt ea usurpare quæ scripta non sint, & Dei esse substantiam atque naturam, scriptum non esse affirmant.

Cap. VIII.

De confutatione & destructione obiectionis præmemoratorum hæreticorum, qua arguunt quòd non possint ingenuus & genitus unius esse naturæ atque substantiæ, & de exemplari approbatione, cum dicitur, genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis exprimi. Quòdque appellatione ingeni & geniti species videatur esse diuersa, sed tamen indistincta diuinitas.

Cap. IX.

De disputatione contra quosdam superiorem sectam sequentes, disputationis tamen genere discordare se putantes, qui filium similem dicunt, sed non unius substantiæ cum patre, & quòd cum sit unius naturæ filius cum patre, etiam unius sit potentia, et ita omnipotens sicut & pater, quemadmodum etiam Spiritum sanctum omnipotentem scriptura testatur.

Cap. X.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, LIBER DE INCARNATIONIS

DOMINICÆ SACRAMENTO.

De introductione oblationis Cain & Abel ad hæreticorum confutationem. Et quòd sententia qua ad Cain dictum est: Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti, quiesce: generaliter in omnes extra ecclesiam constitutos sit lata.

CAP. I.

DEBITVM fratres cupio soluendum, sed hesternos meos non inuenio creditores, nisi fortè improuiso conuentu putauerint nos esse turbandos: sed nunquam fides vera turbatur. Itaque dum illi forsitan veniunt, ad istos qui propositi sunt desectamus agricolas, quorum alter, hoc est Cain, à fructibus terræ, alter autem Abel videlicet ex primitiuis ouium suarum hostiam Domino obtulit. Nihil inuenio quod in specie munerum reprehendam, nisi quòd & Cain munera sua displicuisse cognouit, & Dominus dixit: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Vbi igitur est crimen, vbi culpa? Non in oblatione muneris, sed in oblationis affectu. Sunt quidem qui rectè arbitrentur, quia alius quæ offerret elegerat, alius quæ viliora habuit offerebat. Sed non est ita inops spiritualiū sensus in nobis, ut putemus quia

Dominus corporale sacrificium, non spiritale quærebatur. Et ideò addidit: Quiesce, tollerabilius significans abstinere à muneribus deferendis, quàm infideli studio munus offerre. Qui enim nescit diuidere, nescit diiudicare. Spiritalis autem diiudicat omnia. Et ideò Abraham sacrificium quod offerebat diuisit. Sciuit etiam Abel diuidere quod ex primitiuis ouium obtulit sacrificium, docens non terræ munera placitura Deo, quæ degenerauerant in peccatores, sed ea in quibus diuini gratia mysterij refulgeret. Prophetauit itaque nos per passionem Domini à culpa esse redimendos, de quo scriptum est: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Vnde & de primitiuis obtulit, ut primogenitum designaret. Ostendit ergo verum Dei sacrificium nos futuros. De quibus Propheta ait: Afferte Domino filios arietum. Meritoque Dei iudicio comprobatur, quam puto generalem in omnes extra ecclesiam constitutos latam esse sententiam. Multorum enim hic figuram cerno populorum, quos diuina sententia comprehendit, quorum in illo Cain iam tunc munera refutauit.

M. iij

De enumeratione hæreticorum in quos superior generalis sententia comprobatur esse lata, cum admonitione ut nos caueamus ne & alicui nostrum dicatur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: quiesce.

CAP. II.

Generalis enim hæc in impios omnes sententia est. Itaque si Iudæus offerat, qui filium virginis Mariæ à patre Deo separat, dicitur ei: Si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti: quiesce. Si offerat Eunomianus, qui ex impietatis Arrianæ fonte progrediens, redundantem perfidiæ suæ labitur cæno, generationem Christi quæ super omnia est asserens ex philosophiæ traditionibus colligendam, cum vtiq; alia creaturarum sit ratio, alia secretorum potentia diuinorum: & ipsi dicitur: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti: quiesce. Dicitur hoc Sabelliano, qui patrem filiumque confundit. Dicitur hoc Marcionitæ, qui alium putat Deum noui, alium veteris testamenti. Dicitur hoc Manichæo, & Valentino, qui non putauerunt veritatem carnis humanæ à Christo esse susceptam. Paulus quoque Samosatenus & Basilides in eadem sententiæ sorte numerantur. Similiter quoque eiusdem sententiæ auctoritate damnantur, qui diuinitatem sancti Spiritus negauerunt. Alij enim quidam vel Arrianorum Iudæi, vel Arriani sunt Iudæorum: quia sicut illi filium à patre, ita & isti spiritum à Deo patre & filio Dei separant. Nouato quoque & Donato, & omnibus qui scindere corpus ecclesiæ gestierunt, viritum dicitur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti. Ecclesiæ enim sacrificiū est quod offertur Deo, ad quam Paulus dixit: Obsecro autem vos fratres per misericordiam Dei, exhibere corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem. Malè ergo sacrificium diuiserunt, ecclesiæ membra lacerando. Illos quoque percellit ista sententia qui animam rationalem ab incarnationis dominicæ segregant sacramento, naturam hominis ab homine separare cupientes. Et isti fortasse rectè offerunt trinitati, sed rationem nesciunt naturæ humanæ diuinæque distinguere. Dei enim simplex natura est, homo ex anima rationali constat & corpore. Si alterum tollas, totam naturam hominis sustulisti. Aduersus omnes igitur hæreses ista sententia est, quæ fraterno nomine, non fraternè ecclesiam persequuntur. Siquidem sub optione nominis Christiani, & quadam nuncupatiua fidei germanitate, parricidalibus gladiis nos cupiunt vulnerare, quia conuersio nostra à Deo est, & dominantur nobis in seculo peccatores. Peccator enim dominatur in seculo, iustus in Dei regno. Caueamus igitur ne quis nos à cubiculo regis æterni, & à secreto matris ecclesiæ separare conetur, ad quod illa anima in Canticis Canticorum verbum Dei se introduxisse significat. Caueamus ne à sinu patris & quodam vtero paterno arcanæque naturæ, substantiam vnigeniti filij separemus, verbisque his quibus veritas susceptæ incarnationis adstruitur, diuinæ generationi præiudicia inferre meditemur, ne & nostrum alicui dicatur: Si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti: quiesce. Hoc est, si nesciamus quæ propria sunt diuinitatis æternæ incarnationisque distinguere, si creatorem cum suis operibus confera-

mus, si autorem temporum dicamus cœpisse post tempora. Neque enim potest fieri ut per quem sunt omnia, sit vnus ex omnibus.

De comprobatione veritatis in superiori capitulo assertæ, per testimonium Ioannis piscatoris, & de reprehensione eorum qui recusant audire quæ dicuntur, & intelligere quæ leguntur. Quidque cauendum, & quid credendum sit circa incarnati verbi naturam.

CAP. III.

Nolo nobis credatur, scriptura recitetur. Non ego dico à me, quia in principio erat verbum, sed audio, non ego affingo, sed lego, quod omnes legimus, sed non omnes intelligimus. Et cum legitur, audimus omnes, & non audiunt omnes. Incastratum est enim cor quorundam, & aures eorum grauius audierunt, aures scilicet interioris affectus. Non enim caro peccat quæ suum seruat officium, & recipit auditum, sed animus puri auditus prauus interpretis, qui recusat audire quæ dicuntur, intelligere quæ leguntur. Quid aures tanquam cera & plumbo clauditis, & tamen dominica beneficia & officia naturæ non potestis excludere? Auditis inuiti, auditis fastidientes, auditis ne quod non audieritis excusare possitis. Auditis ergo cum legitur: In principio erat verbum. Quis hoc dicit? Ioannes vtiq; ille piscator, sed non quasi piscator hoc dicit, sed quasi humani piscator affectus, qui iam non pisces caperet, sed homines viuificaret. Non suum est quod dicit, sed eius qui viuificandi ei tribuit potestatem. Piscator enim ipsis quos ante capiebat piscibus, taciturnior erat, & circa diuina mysteria magis mutus qui vocis suæ nesciebat autorem, sed viuificatus à Christo vocem audiuit in Ioanne, verbum agnouit in Christo: & ideò plenus Spiritu sancto, qui sciret principium non temporis esse, sed supra tempora, reliquit secula, & ascendens spiritu super omne principium, ait: In principio erat verbum, hoc est remaneat cælum. Nondum enim erat quando in principio erat verbum. Nam etsi cælum habet principium, Deus non habet. Denique in principio fecit Deus cælum & terram. Aliud est fecit, aliud est erat. Quod fit, incipit: quod erat, principium non accepit, sed præuenit. Remaneant etiam tempora, quia post cælum tempora. Remaneant etiam angeli & archangeli, & si principium eorum non inuenio, erat tamen quando non erant. Non erant enim qui aliquando cœperunt. Si ergo principium eorum inuenire non possum quos certum est habere principium, quomodo possum verbi inuenire principium, à quo omne principium non solum creaturarum, sed etiam cogitationum nostrarum omnium præuenitur? Apertè itaque sempiternam diuinitatem eius expresserat. Sed tamen ne quis à patre diuideret verbi æternitatem: ut eandem crederemus verbi esse quæ patris est, bonus ille piscator adiunxit: Et verbum erat apud Deum, hoc est, quod dixerat, sic estimandum est. Erat verbum quomodo erat pater, quoniam cum patre erat, & in patre erat, & apud patrem erat semper. Nempe quomodo de patre legimus erat, ita & de verbo legimus, erat. Quid discernis intellectum, qui non discernis auditum? Verbi esse apud patrem est, patris esse cum verbo est. Legimus enim quia

verbum

verbum erat apud Deum. Itaque si secundum tuam opinionem aliquando non erat, ergo secundum tuam opinionem & is in principio non erat, apud quem erat verbum. Per verbum enim audio, per verbum intelligo, quia Deus erat. Nam si sempiternum verbum esse credidero, quod credo, non possum de patris æternitate dubitare, cuius æternus est filius. Si temporalem generationem eius existimo, incipit communitatem habere nobiscum, ut videatur pater esse cœpisse. Sed si de patre non ambigis, quia incipere esse Dei non est, quia Dei est sempiternam habere perfectionem: ne forte vsu sermonis laberis humani dum verbum dicis & filium, ideo addidit: Et Deus erat verbum: habes vtiq; quod pater, quia Deus erat. Quomodo huius negas æternitatem, cui vnus cum patre Dei nomen est? Non te sonus capiat, similitudine que sermonis. Aliud verbum est quod tempora habet, quod syllabis colligitur, literisque componitur, non tale verbum filius, quia non talis est pater verbi. Cauendum ergo ne & illi quæstionem vocis corporalis videamur ingerere, incorporeus est Deus. Vocem vtiq; incorporeus corporalem non habet. Si vox corporalis non est in patre, nec filius verbum est corporale. Si corpus in patre non est, nec tempus in patre est. Si tempus in patre non est, vtiq; nec in verbo est. Quod si nullum principij tempus in verbo, nec numerus vtiq; nec gradus verbi est. Quia si numerus in verbo, ergo multa verba. Si multa verba, multi & filij. Sed vnus verbum est, quod & gradum excludit & numerum, vnus secundum naturam. Ne quærite huiusmodi naturam, nescio multo melius hoc quam scio. Hoc solum bene scio, quod nescio quæ scire non possum, quod vidimus, inquit, & quod audiui, Ioannes dicit, hoc solum bene scire se dixit quod audiuit & quod vidit, qui in Christi pectore recubebat. Ergo illi satis est audisse, mihi non est satis: Sed quod ille audiuit, hoc mihi dixit: & quod audiuit à Christo, hoc ego possum negare verum esse de Christo? Ergo quod audiuit audiui, & quod vidit audiui. Ille enim vidit quod vidit, non vtiq; diuinitatem quæ secundum naturam suam videri non potest. Sed quia secundum naturam suam cum videre non poterat, suscepit quod erat præter naturam diuinitatis, ut secundum naturam corporis videretur. Denique & Spiritus sanctus in specie visus est sicut columba, quia videri diuinitas in suæ claritatis veritate non poterat.

De confutatione diuersorum hæreticorum non distinguentiū naturam diuinitatis, & corporis Christi, quos superioris commemorata sententia comprehendit, cum confirmatione ex confessione Petri, ac testimonio Moysi & Helie.

CAP. IIII.

Noli igitur & tu secundum naturam interpretari, quod præter diuinitatis naturam est. Nam & si credas à Christo carnem esse susceptam, & offeras transfigurandum corpus altaribus, non distinguas tamen naturam diuinitatis & corporis, & tibi dicitur: Si rectè offeras, non rectè autem diuidas, peccasti, quiesce. Diuide enim quod meum, diuide quod suum verbi est: ego quod erat illius non ha-

bebam: & ille quod meum est non habebat. Suscepit quod meum est, ut impartiret quod suum est. Suscepit non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem, affingas confusionem: Manichæus esse desisti, nec tamen ecclesiæ filius esse cœpisti. Si credas susceptionem corporis, adiungas diuinitatis compassionem: portionem vtiq; perfidiæ, non perfidiam declinasti. Credis enim quod tibi prodesse præsumis, non credis quod Deo dignum est. Rursus si credas quia idem Deus & noui & veteris testamenti est, tempora autem verbo eius & momenta præmittas, tolerabilior Valentinus est, qui non secula ante Deum, sed Deos putat esse quod secula sunt. Minoris enim sacrilegij est, copulari diuinitati secula, quam præferri. Si credas iterum quia Christus principium non sumpsit ex virgine, sed tamen aliquod ante Christum æstimes esse principium, in tempore distantia, de impietate contentio est. Virginis enim supparem negasti esse, non temporis. Ego autem & supparem virginis secundum susceptionem corporis non negabo, & creatorem temporis confitebor. Quid enim proficis si dicas, quia Christus hæc an illa sit creatura? Creatura mutatur, diuinitas adoratur. Noluit se sic Christus agnosci, nec his tantum quæ supra hominem sunt meritis æstimari. Denique cum interrogasset, Quem me dicunt esse homines, cum alij dicerent Heliam, alij Hieremiam, aut vnus ex prophetis: nullius sententiam prædicauit. Cum Petrus dixisset, Tu es filius Dei viui: hunc solum non immeritò laudauit. Ergo Ioannes dicit, Petrus dicit, Christus probauit, & tu non probas Arrianem? Nec Ioanni & Petro putas esse credendum, quos vel solos pro testimonio gloriæ suæ Dominus noster Iesus Christus ad omnium fidem credidit abundare? Denique quasi ad testimonium veteris & noui testamenti, Moyses cum Helia affiscitur: cum Ioanne Petrus frequenter adhibetur. Petrus dicit, Tu es: non dicit, tu esse cœpisti. Petrus dicit, Tu es filius Dei: non dicit, tu es creatura. Dixit hoc Ioannes. Si adhuc non credidisti, quia non intellexisti mysterium supra sapientiam recumbentis, repetiuit Petrus. Commendauit vtrunque Christus, alterum iudicio, alterum mysterio: id enim addidit, ut legeres quod in Christi pectore recubebat, & intelligeres quod eius caput, in quo principale omnium sensuum est, arcano quodam sapientiæ replebatur. Sed si non putas intelligendum esse mysterium, saltem noli impugnare iudicium. Laudatur Petrus, quia Dei filium credidit quem videbat, quia se ab imperitæ plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Denique cum interrogasset Dominus, quid homines de filio hominis æstimarent, cum diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & respondentibus alijs adhuc taces, cum ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas, nec times, ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti. Ideo, inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam. Legi enim: Ut non loquatur os meum opera hominum. Opus autem est perfidorum, perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum id quod sentio interrogor, non proferam labijs quod animus non probauit. Erit tem-

M iij

pus quando respondeam, interrogabor & ipse quid sentiam, tunc demum respondebo quod meum est. Meum est enim fidem loqui, pietatem asserere, gratiam prædicare. Non igitur quasi pigrior sensu, voce tardior tacet, nec quasi fastidiosus differt vocis obsequium, sed quasi cautus periculum vulgaris opinionis euitat, qui periculum non euitabat salutis. Denique in posterioribus habes, quia exiliuit è nauis ut occurreret Domino, non gloriæ cupidus, sed obedientiæ præmaturus. Hic ergo qui antè reticebat, ut doceret nos quòd impiorum nec verbum de beamus iterare: hic, inquam, ubi audiuit, Vos autem quid me dicitis? statim loci non immemor sui primatum egit. Primatum confessionis utique, non honoris: primatum fidei, non ordinis: hoc est dicere: Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes sunt, debeo compescere quod tacui, debet prodesse quod filii. Lingua mea non habet spinas, sine impedimento fides debet exire. Dum alij cœnum, alienæ licet, prolata tamen impietatis euacuant, quia aut Heliam aut Hieremiam aut vnum ex prophetis Christum esse dixerunt, habuit ista vox cœnum, habuit ista vox spinas: Dum alij in hoc lauant cœnum, dum in aliis enodantur spinæ, vox nostra filiū Dei Christum refutet: mihi purus est sermo, cui nullas spinas expressa reliquit impietas. Hic est ergo Petrus qui respondit præ cæteris apostolis, imò pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur, quia nouit non solum proprium, sed etiam commune seruare. Huic astipulatus est Christus, reuelauit pater. Nam qui veram generationem loquitur patris, à patre assumptus, ex carne non sumpsit.

Quod confessio Petri non vnam tantum sed omnes hæreses K exclusit. Et de mysteriis incarnationis, passionis, mortis, sepulture & resurrectionis Christi, cum redargutione hæreticorum ærumnas & cætera quæ corporis vel anime sunt, diuinitati attribuentium.

C A P. V.

Fides ergo est ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non præualebunt, sed confessio vincit infernum. Et hæc confessio non vnam hæresim excludit. Nam cum ecclesia multis tanquam bona nauis fluctibus sæpe tundatur, aduersus omnes hæreses debet valere ecclesiæ fundamentum. Dies me citius defecerit, quam nomina hæreticorum diuersarumque sectarum. Aduersum omnes tamen generalis ista est fides, quia Christus est Dei filius, & sempiternus ex patre, & natus ex virgine. Quæ quasi gigantem sanctus Dauid propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ vnus sit consors diuinitatis & corporis, qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit tanquam gigas ad currendam viam. Sponsus animæ secundum verbum, gigas terræ, quia vsus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset æternus, incarnationis sacramenta suscepit, nõ diuiduus sed vnus, quia vtrūque vnus, & vnus in vtroque, hoc est vel diuinitate vel corpore. Non enim alter ex patre, alter ex virgine, sed idem aliter ex patre aliter ex virgine. Generatio generationi non præiudicat, nec caro diu-

Psalm. 18.

nitati, quia nec pignus patri, nec voluntas passioni, nec passio voluntati. Idem enim patiebatur & non patiebatur, moriebatur & non moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur, resurgebat & non resurgebat, quia corpus proprium suscitabat: quia quod cecidit, hoc resurgit: quod non cecidit non resurgit. Resurgebat igitur secundum carnem, quæ mortua resurrexit. Non resurgebat secundum verbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud Deum semper manebat. Ergo & moriebatur secundum nostræ susceptionem naturæ, & non moriebatur secundum æternæ substantiam vitæ: & patiebatur secundum corporis susceptionem, ut suscepti corporis veritas crederetur, & non patiebatur secundum verbi impassibilem diuinitatem quo totius exors doloris est. Denique idē dicebat: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? quia secundum carnem relictus est, qui secundum diuinitatem nec deserui potuit nec relinqui. Idem etiam dicit: Longè à salute mea, verba delictorum meorum: hoc est, non capiatur qui audit, quare me dereliquisti, sed intelligat quòd secundum carnem ista dicantur, quæ longè à plenitudine diuinitatis aliena sunt. Aliena sunt enim à Deo verba delictorum, quia aliena sunt & delicta verborum. Sed quoniam delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum verba suscepi, ut derelictum me à patre Deo esse dicam, qui apud Deum semper sum. Erat igitur immortalis in morte, impassibilis in passione. Etenim quasi Deum non cepit mortis ærumna, & eundem quasi hominem inferna viderunt. Denique emisit spiritum, & tamen quasi arbiter exuendi suscipiendique corporis, emisit spiritum, non amisit, pendebat in cruce, & omnia commouebat. Tremebat in ligno, quem totus tremebat hic mundus. Erat inter supplicia, excipiebat vulnera, & regnū cœlestis donabat. Peccatum omnium factus, peccata generis abluibat humani. Postremò mortuus est. Et secundo & tertio exultans atque ouans dico: mortuus est, ut illius mors vita fieret mortuorum. Sed nec sepulchrum quidem eius miraculo caret. Nam cum esset vnctus à Ioseph, & in eius monumēto sepultus, nouo opere quodā ipse defunctus defunctorū sepulchra reserabat. Et corpus quidem eius iacebat in tumulo, ipse autē inter mortuos liber, remissionem in inferno positus, soluta mortis lege donabat. Erat enim caro eius in monumēto, sed virtus eius operabatur è cœlo. Ostendebatur omnibus per corporis veritatem, quia non caro erat verbū, sed caro erat verbi. Caro quidem gustauit mortem, sed impassibilis Dei virtus, & si exiuit corpus, nullum tamen de corpore Deo dānum. Cur diuinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani diuinæ connectis naturæ? Nunc anima, inquit, mea turbata est. Anima turbata est non sapientia: immutabilis enim manebat sapientia, & si circumdaretur amictu carnis. Nam in illa serui forma erat veri luminis plenitudo: & cum se exinaniuit, lumē erat. Denique dicebat: Ambulate dum lumen habetis. Et quando in morte fuit, in vmbra non erat. Denique etiam in inferno positus, vitæ lumen fundebat æternæ. Radiabat etiam illic lux vera sapientiæ, illuminabat infernum, sed in inferno non clauderetur. Quis enim locus est

Psalm.

Lucæ 23. Psalm. 15.

Lucæ 24. Math. 14.

Ioan. 18. Esaiæ 50.

1. Petr. 4.

Ioan. 7.

Job 28.

cus est sapientiæ: Denique dicit iustus: Sapientia autem vnde inuenta est? Quis autem locus est disciplina? Nescit homo viam eius, nec inuenta est inter homines. Ergo nec in tempore, nec in loco sapientia, est, vnde & tempus esse significat. Sed quomodo in tempore, quæ in principio erat? quomodo in loco, quæ apud Deum erat? Vnigenitus filius si quæritur, in sinu patris euāgelico spiritu reperitur. Nūquid sinum patris locum putatis? Et quæritis quomodo nata sit, cum dicat propheticus vir: Nescit homo viam eius? Et secundum homines ortum eius æstimatis, cum Job dicat, quod inter homines non sit inuenta. Et mortem tribuitis sapientiæ, de qua abyssus dicit: Non est in me. Mare dicit: non est mecum. Non dicit cœlum: Non est in me, sed abyssus dicit, Non est in me. Nō enim abysso sed patri dixit: In manus tuas commēdo spiritum meum. Ipsa anima & si fuit in abysso, iam non est, quia scriptum est. Quoniam non relinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Mare ergo dicit: Non est mecum, hoc est, vita nostra dicit fluctibus seculi inquieta. Non enim inter homines caro eius, quia secundum carnem iam nõ nouimus Christum. Terra dicit, Non est mecum, quia resurrexit. Denique angelus ait: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Et bene mare dixit: Non est mecum, quia super mare erat. Denique in mari & corporeis vestigiis ambulabat, quādo & subiectum mari super mare Petrum ambulare præcepit, qui licet titubauerit, titubauit tamen non per imbecillitatem iubētis, sed per infirmitatem obedientis. Ergo splendori gloriæ, non permisceas nostræ atramentum naturæ, non luci nebulam humanæ carnis offundas. Rursus passionē prædicans, si nequaquam id quod est passibile recognoscas, pietatem Domini refellisti, salutem tuam negasti. Vnde amentes eos æstimare debemus, qui audientes dicentem Dei filium: Quid me cædis, secundum naturam diuinitatis subiectum iniuriæ putauerunt. Dixit enim: Quid me cædis, sed cædem diuina natura non sensit. Dixit: Dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in palmas: vultum autē meum non auerti à confusione sputorum. Sed dorsum & maxillas dixit & vultum, hoc est, humani corporis portiones. Quod enim caro verbi patiebatur, vel manens in carne dei verbum patiebatur carne, sicut scriptum est, Christo in carne passo: in se utique pro corporis assumptione referebat, ut quæ nostra sunt, ipse susciperet & suis circumuestiret humana. Rectè igitur secundum naturam suam & caro passa est, nec ea corporis passione verbi natura mutata est. In veritate enim nostra est resurrectio, & ideo in veritate Christi passio prædicatur.

De illorum qui Christum in phantasmate venisse & passum esse prædicant, diuersorumque aliorum hæreticorum condemnatione, ampliori tamen atque grauiori eorum qui diuinitatem & carnem Domini vnus esse naturæ asserunt, cum argumentorum suorum dissolutione. C A P. VI.

Math. 14. Ioan. 7.

Nequè enim quod quidam dicunt, in phantasmate passus est, quia nec in phantasmate super mare ambulauit, quod discipuli in euangelio opinati esse produntur, sed exculantur, quia nondum

erat spiritus datus, nondum enim Iesus fuerat honorificatus. Nobis iam crucifixus est Christus & resurrexit, nobis iam spiritus datus est, qui assertor est veritatis. Et discipuli quidem aliquando errauerunt, ne nos postea errare possemus. Ergo illorum error nobis proficit. Quasi homines errarunt, quasi discipuli crediderunt. Et hos igitur qui in phantasmate venisse Iesum prædicant, & illos condemnare debemus qui aduersa erroris linea, non vnum eundemque filium Dei dicunt, sed alium esse qui ex Deo patre natus sit, alium qui sit generatus ex virgine, cum euangelista dicat: Quia verbum caro factum est, ut vnum Dominum Iesum, non duos crederes. Nonnulli etiam aliud Dei verbum, alium verum Dei filium crediderunt, cum ipsum qui in principio erat verbum apud Deum patrem, in sua propria venisse euangelista testetur. Sunt autem qui tanquam ad vnum prophetarum, ita ad Christum factum esse verbum arbitrati sunt, non ipsum esse Dei verbum. Sed de nullo prophetarum dictum est, quia verbum caro factum est, nullus prophetarum abstulit peccata mundi. De nullo alio dictum est: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. De nullo prophetarum legimus quòd sit Dominus maiestatis, quod de Christo apostolus dixit: Quia Iudæi Dominum maiestatis crucifixerunt. Sed dum hos redarguimus, emergunt alij qui carnem Domini dicant & diuinitatem vnus esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Iam tolerabiliores sunt Arriani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, ut maiore contentione asserant patrem & filium & Spiritum sanctum vnus non esse substantiæ, quia isti diuinitatem Domini & carnem substantiæ vnus dicere tentauerunt. Deinde cum isti dicant, quia verbum in carnem, capillos, sanguinem & ossa conuersum est & à natura mutatum est, proprie datur illis locus ut infirmitatem carnis ad infirmitatem diuinitatis quadam facta diuinæ naturæ mutatione detorqueant. Sunt etiam qui in tantum impietatis prodierint, ut putent quia diuinitas Domini circumcisa est, & imperfecta de perfecta facta est, & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia diuina, in carnis specie coagulata pendebat. Quis autem non horrescat, qui audiat quia non ex Maria virgine, sed ex diuina substantia passibilem sibi carnem fecerit Dei verbum? Quod asserendo eò prolabuntur, ut non ex tempore corpus Domini esse susceptum sed coæternum Dei verbo semper fuisse contendant. Horum omnium authores sunt, qui diuinitatem & carnem Domini vnus naturæ fuisse dixerunt. Legi enim, quod non crederem nisi ipse legissem: legi inquam in cuiusdam libris sic positū, & organum & eum à quo mouebatur organum, vnus in Christo fuisse naturæ. Quod ideo posui, ut ex scripturis nomen deprehendatur authoris, & aduertant, quamuis exquisitissimis argumētis, & phaleratis sermonibus non posse vim veritatis obduci. Et hic mihi frequenter Nicæni concilij tractatum sententia commemorat. Sed in illo tractatu patres nostri, non carnem, sed Dei verbum vnus substantiæ cum patre esse dixerunt. Et verbum quidem ex patre processisse substantia, carnem autem ex virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicæni con-

Ioan. 1.

Matth. 3.

1. Cor. 2.

cilij nomen obtenditur, & noua inducuntur quæ G
nunquam nostri sensere maiores? Cùm utique scri-
pturæ dicant, quia Christus secundum carnem pas-
sus est, non secundum diuinitatem. Scripturæ dicat,
quia virgo in vtero accipiet & pariet filium? Accepit
enim virtutem & peperit filium, quem & ipsa suscep-
pit. Denique hoc etiam Gabriel proprio sermone
declarat dicens: Et quod nascetur ex te sanctum, vo-
cabitur Dei filius. Ex te, inquit, ut secundum homi-
nem quod ex ipsa nasceretur aduerteres. Ex se enim
generauit Maria, ut quod generatur ex ipsa, in eo sal-
ua generationis dominicæ prærogatiua, corporis ef-
fet vera natura. Sed & Paulus dicit se prædestinatum
esse in Euangelium Dei, quod antè, inquit, promi-
serat per prophetas de filio suo, qui factus est ex fe-
mine Dauid secundum carnem. Et ad Galatas: Post-
quam autem venit plenitudo temporis misit Deus
filium suum factum ex muliere. Et ad Timotheum
dixit: Memor esto Iesum Christum resurrexisse à
mortuis ex femine Dauid. Ergo ex nobis accepit,
quod proprium offerret pro nobis, ut nos redime-
ret ex nostro: & quod nostrum non erat, ex suo no-
bis diuina sua largitate conferret. Secundum natu-
ram igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram ope-
raretur naturam. De nostro sacrificium, de suo præ-
mium est. Multaque in eodem & secundum naturam
inuenies, & ultra naturam. Secundum conditionem
etenim corporis in vtero fuit, natus est, lactatus est,
in præsepi est collocatus. Sed supra conditionem
virgo concepit, virgo generauit, ut crederes quia
Deus erat qui innouabat naturam, & homo erat qui
secundum naturam nascebatur ex homine. Neque
enim, ut quidam interpretati sunt, natura ipsa muta-
ta verbi est, quæ immutabilis semper est, sicut ipse
dixit: Videte videte me, quia ego sum & non sum
mutatus. Sed etiam Paulus dixit, quia Iesus Chris-
tus heri & hodie, ipse est & in secula, hoc est, quia
non secundum naturam mutatus est carnis, sed im-
mutabilis etiam in ipsa mutabili conditionis huma-
næ qualitate permansit. Didicistis igitur, quia sacri-
ficio de nostro obtulit. Nam quæ erat causa in-
carnationis, nisi ut caro quæ peccauerat, per se redi-
meretur? Quod peccauerat igitur hoc redemptum
est. Non est ergo immolata diuinitas verbi, quia nõ
peccauerat diuinitas verbi: & ideo non est verbi na-
tura in carnis conuersa naturam, quia immunis pec-
cati diuinitas, pro peccato quod non fecerat, se non
debebat offerre. Hoc enim in se obtulit Christus
quod induit. Induit quod ante non habuit. Non igitur
diuinitatis suæ diuinitatem induit, in quo erat
plenitudo diuinitatis æternæ. Sed carnem assump-
psit, ut spoliū carnis excueret, atque in semetipso
& manubias diaboli crucifigeret, & trophæa virtutis
erigeret. Ergo si caro omni & in Christo subia-
cuit iniuriæ, quomodo vnus illam cum diuinitate
dicitis esse substantiæ verbum? Si enim vnus sub-
stantiæ verbum & caro, quæ de terra habet naturam:
cur vnus substantiæ asseratur verbum atque anima,
quam perfectam naturam suscepit humanam? Vnius
autem substantiæ est verbum cum Deo secundum
paternam professionem, & ipsius domini assertio-
nem, qui ait: Ego & pater vnum sumus. Vnius ergo
substantiæ pater cum terreno corpore prædicatur?

Et adhuc indignamini Arrianis, quia hi dicunt filiū
Dei creaturam esse, cùm ipsi dicatis patrem vnus
cum creaturis esse substantiæ? Quid autem aliud agi-
tis ista dicendo, nisi ut aut limum Adæ, terramque
nostram diuinæ substantiæ comparetis, aut certè
diuinitatem in terrenæ corruptelæ iniuriam transfe-
ratis? Dicendo enim quod verbum, caro & ossa fa-
ctum est, in terram utique dicitis esse conuersum,
quoniam caro & ossa de terris sunt. Scriptum est,
inquiunt, quia verbum caro factum est. Scriptum
est, non nego, sed considera quid sequatur. Sequitur
enim: Et habitauit in nobis, hoc est, illud verbum,
quod carnem suscepit, hoc habitauit in nobis, hoc
est, in carne habitauit humana, & ideo Emma-
nuel dictus est, hoc est, nobiscum Deus. Hoc ergo
verbum caro factum est, pro eo quod est, homo fa-
ctus est. Sicut etiam Ioel dixit: Effundam de spiritu
meo super omnem carnem. Non enim super irra-
tionabilem carnem, sed in homines futura promit-
titur gratiæ spiritalis effusio. Quod si secundum lite-
ram vos tenetis, ut putetis ex eo quod scriptum est,
quod verbum caro factum est, verbum Dei in car-
nem esse conuersum: nunquid negatis scriptum esse
de Domino, quia peccatum non fecit, sed pecca-
tum factus est? Ergo in peccatum conuersus est Do-
minus: Non ita, sed quia peccata nostra suscepit, pec-
catum dictus est. Nam & maledictum dictus est Do-
minus, non quia in maledictum conuersus est Do-
minus, sed quia nostrum suscepit ipse maledictum.
Maledictus enim, inquit, qui pendet in ligno. Mira-
ris ergo, quia scriptum est: Verbum caro factum est,
cum caro assumpta sit à Dei verbo, quando de pec-
cato quod non habuit scriptum est: Quia peccatum
factus est? Hoc est, non naturam operationemque
peccati, utpote in similitudinem carnis peccati fa-
ctus, sed ut peccatum nostrum in sua carne crucifi-
geret, susceptionem pro nobis, infirmitatem obno-
xii iam corporis peccati carnalis assumpsit. Desi-
nant ergo dicere naturam verbi, in corporis natu-
ram esse mutatam, ne pari interpretatione videatur
natura verbi in contagium mutata peccati. Aliud
est enim quod assumpsit, & aliud quod assumptum
est. Virtus venit in virginem, sicut & angelus ad eam
dixit: Quia virtus altissimi obumbrabit te. Sed natu-
rum est corpus ex virgine, & ideo cœlestis quidem
descensio, sed humana conceptio est. Non ergo ea-
dem carnis potuit esse diuinitatisque natura.

*De authoris excusatione ac responsione ad obiectionem qua
sibi dici posset, quod de patris & filij diuinitate quinque
illis libris quos scripserat, conclusurum se esse promiserit,
cum consutatione erroris eorum, qui animam putant à
Domino Iesu non esse susceptam, pulcherrimamque declarati-
one assumptionis humanæ naturæ. Et quomodo intelli-
gendum sit quod scriptum est: Iesus proficiebat ætate &
sapientia.* CAP. VII.

Possem latius prosequi, sed vereor ne hæc ipsa a-
liquibus aut superflua aut prolixa videantur.
Fortassis enim dicat aliquis: Nonne de patris & filij
diuinitate quinque illis quos scripsisti libris, con-
clusurum te esse promiseras? Sed quid faciam cùm
quotidie nouas seminent quæstiones? Non præ-
terit

terit sponsio, sed astringit obiectio. Nam quemad-
modum potest finis esse responsi, si modus nullus
obiecti sit? Et tamen de patris & filij diuinitate con-
summaturū responsonem in superioribus me spon-
ponderam. Hoc autem libro de incarnationis do-
minicæ sacramento, plenior sicut debuit facta di-
gestio est. Nam cùm illud quod ait Dominus: Tri-
stis est anima mea vsque ad mortem. Et infra: Pater
meus si possibile est, transfer à me calicem hunc: sed
tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: non ad
Spiritus sancti compassionem, sed ad rationabilis
assumptionem animæ & naturæ humanæ refertur
affectum, consequens est, ut per assertionem domi-
nici sacramenti & plenitudinem naturæ humanæ
fuisse astruamus in Christo, & ab infirmitatis præiudicio
Spiritus sanctum separemus. Non est enim
obnoxius infirmitati, qui non est obnoxius passio-
ni. Quæro igitur qua ratione animam putent qui-
dam à Domino Iesu nõ esse susceptam: an quia me-
tus est ne sensu Christus laberetur humano? Dicunt
quippe quia concupiscentia carnis legi mentis re-
pugnet. Sed qui hoc ait, tantum abest ut Christum
putauerit lege carnis in peccati vincula fuisse dedu-
cendum, ut ipse in æstu positus fragilitatis humanæ,
per Christum sibi subueniri posse crediderit, di-
cens: Infelix ego homo, quis me liberabit de cor-
pore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum
Dominum nostrum. Qui ergo alios à carnis lubrico
vindicaret, nunquid formidare poterat, ne etiam
ipse dominatu quodam carnis istius vinceretur? Sed
carnis istius, sicut voluit, formidabat illecebras. Ergo
& carnis susceptionem declinare debuerat, ne ad
lubricum traheretur erroris. Sed quomodo lubri-
cum poterat timere peccati, qui peccatum remissu-
rus aduenerat? Et ideo cùm suscepit carnem ho-
minis, consequens est ut perfectionem incarnatio-
nis plenitudinemque suscepit: nihil enim in Chri-
sto imperfectum. Suscepit itaque carnem, ut resu-
scitaret. Assumpsit animam, sed animam perfectam,
rationabilem, humanam assumpsit atque suscepit.
Nam quis potest negare quod suscepit animam,
cùm ipse dicat: Animam meam pono pro ouibus
meis? Et iterum: Propterea me pater diligit, quia e-
go pono animam meam, ut iterum sumam illam.
Non per parabolam hoc dicitur, nec perfunctoria
significatione, in qua aliud dicitur, & aliud intelli-
gitur. Sicut illud: Neomenias & sabbata vestra odit a-
nima mea. Licet etiam illud ad Christi animam pos-
sit referri, quæ ideo posita est ut aboleret Iudaicæ
superstitionis errorem, & vnus sacrificij institueret
veritatem. Sed de hoc dubitent propheticum, euan-
gelium hoc refutare non possunt de animæ proprie-
tate dictum, cùm de morte Domini & resurrectione
sit dictum. Denique addidit: Nemo tollit eam à
me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo
ponendi animam meam, & potestatem habeo iterū
sumendi eam. Eandem igitur ponit quam suscepit.
Suscepit dico. Non enim verbum ipsum Dei viuum
in sua carne ad nostram animæ vicem factum est, sed
sicut carnem nostram, ita & animam nostram per-
fectam naturæ humanæ assumptione suscepit. Assum-
psit inquam animam, ut incarnationis suæ benedi-
ceret sacramento, suscepit affectum meum ut em-
-

A daret. Quid autem opus fuit carnem suscipere sine
anima, cum utique insensibilis caro & irrationabilis
anima nec peccato sit obnoxia, nec digna præmio?
Illud ergo pro nobis suscepit, quod in nobis ampli-
periclitabatur. Quid autem mihi prodest, si totū me
non redemit? Sed totum me redemit, qui ait: Mihi
indignamini qui totum hominem sanum feci sab-
bato. Totum redemit: quia in virum perfectum fi-
delis non ex parte sed totus resurgit. Desinant ergo
isti misericordes timere, ne Christus carnem suam vel
animam perfectam sensumque hominis non potue-
rit gubernare, qui etiam illum asinæ pullum quem
antè nemo federat gubernauit. Qui plantauit aurē,
non audiet? Qui alios regebat, se regere ipse non po-
terat? Qui peccata donabat, peccatum ipse faciebat?
Desinant nimium solliciti isti tanquam pædagogi
Christi vereri, ne etiam in ipso concupiscentia car-
nis legem mentis oppræsserit, quæ non oppræssit in
Paulo, sed tantummodo repugnauit. Athleta Chri-
sti victorias mētis numerat suæ. Hi trepidant ne ca-
ro titubauerit in Domino, quæ vicit in seruulo? Non
vult pro se timere nos Christus, non vult pro se flere
nos Dominus. Denique dicit: Filiæ Hierusalem no-
lite me flere, vos ipsas flete. Et istis dicit: nolite mihi
timere, vobis timete. An non audistis dicentem Da-
uid: Dominus illuminatio mea & salus mea, quæ ti-
mebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepida-
bo? Et alibi: Non timebo quid faciat mihi homo. Et
alibi: Non timebo quid faciat mihi caro. Ego ergo
lapsum naturæ humanæ timere potui, quem homo
ipse non timuit? Deus igitur ante carnem, Deus in
carne, perfectionem naturæ assumpsit humanæ, susce-
pi sensum hominis, sed non sum sensu carnis infla-
tus. Sensu hominis animam meam dixi esse turbatā,
sensu hominis esuriui, sensu hominis rogauit, qui ro-
gantes exaudire consueui. Sensu hominis profeci,
sicut scriptum est: Et Iesus proficiebat ætate & sa-
pientia & gratia apud Deum & homines. Quomo-
do proficiebat sapientia Dei? Doceat te ordo verbo-
rum. Profectus ætatis, & profectus sapientiæ, sed hu-
manæ est. Ideo ætatem antè præmisit, ut secundum
hominem crederes dictum. Ætas enim non diuini-
tatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate ho-
minis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autē
sensu proficit, quia à sensu sapientia. Iesus autē pro-
ficiebat ætate & sapientia. Quis sensus proficiebat?
Si humanus, ergo & ipse susceptus est. Si diuinus, er-
go mutabilis per profectū. Quod enim proficit, uti-
que mutatur in melius. Sed quod diuinum est, non
mutatur. Quod ergo mutatur, non utique diuinum.
Sensus igitur proficiebat humanus, sensum ergo sus-
cepit humanum. Et ut sciamus quia secundum ho-
minem loquebatur, præmisit, dicens: Puer autem
confortabatur & crescebat, & implebatur sapien-
tia, & gratia Dei erat cum illo. Et puer nostræ nomē
ætatis est, nec confortari virtus poterat Dei, nec cre-
scere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitu-
do diuinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat
non Dei sed nostra sapientia. Nam quomodo im-
plebatur, qui ut omnia impleret, descendit? Per quæ
autem sensum, ut Esaias dixit, patrem puer nescie-
bat aut matrem? Scriptum est enim: Priusquam sciat
puer patrem aut matrem, accipiet virtutem Dama-
-

Esaiæ 7.

Lucæ 1.

Roman. 1.

Galat. 4.

2. Tim. 2.

Malac. 3.
Hebr. 2.

Ioan. 7.

Psalm. 93.

Luc. 23.

Psalm. 26.

Psalm. 55.

Lucæ 2.

Esaiæ 8.

sci & spolia Samariæ. Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt. Expers autem agnitionis infantia per humanam vtique imprudentiam quod adhuc non didicit, ignorat. Sed verendum est, inquam, ne si duos principales sensus aut geminam sapientiam Christo tribuimus, Christum diuidamus. Nunquid cum & diuinitatem eius adoramus & carnem, Christum diuidimus? Nunquid cum in eo imaginem Dei crucemque veneramus, diuidimus eum? Apostolus certè qui de eo dixit: Quoniam & si crucifixus est ex infirmitate nostra, viuit tamen ex virtute Dei: ipse dixit, quia non diuisus est Christus. Nunquid etiam cum dicimus, quia animam rationabilem & intellectus nostri suscepit capacem, diuidimus eum? Non enim ipse Deus verbum, pro anima rationabili & intellectus capaci in carne sua fuit, sed animam rationabilem & intellectus capacem, & ipsam humanam, & eiusdem substantiæ cuius nostræ sunt animæ, & carnem nostræ similem eiusdemque cuius caro est nostra substantiæ suscipiēs Deus verbum, perfectus etiam homo fuit, sine vlla tamen labe peccati, quia peccatum ipse non fecit, sed pro nobis peccatum factus est, vt nos essemus iustitia Dei in ipso. Caro ergo ipsius & anima, eiusdem cuius animæ nostræ caroque substantiæ. Nec timeo ne tetradam videam inducere. Nos enim vere solā qui hoc asserimus, colimus trinitatem. Non enim Christum diuido, cum carnis eius diuinitatisque distingo substantiam, sed vnum Christum cum patre & spiritu Dei prædico, & illos magis qui carnem Christi vnus cum diuinitate eius dicunt esse substantiæ tetradam inducere demonstrabo. Non enim quod eiusdem substantiæ est, vnus, sed vnum est. Nam vtique filium eiusdem cum patre substantiæ consistentes in tractatu concilij Nicæni, non vnam personam, sed vnam diuinitatem in patre & filio crediderunt. Ergo cum dicunt eiusdem carnem, cuius & filius Dei erat, fuisse substantiæ, ipsi quod nobis obiciunt ineptiis vanæ assertionis incurrunt, vt diuidant Christum. Itaque quartum increatum quod adoremus inducunt, cum sola increata sit diuinitas trinitatis.

De ampliori redargutione eorum, qui authorem dicunt ea usurpare quæ scripta non sint, & Dei esse substantiam atque naturam, scriptum non esse affirmant.

C A P. VIII.

Concluseram librum, sed religionis fuit ne præteruerti videremur, quod soluere nequiremus. Nam dudum audierint quidam dicentibus nobis: Filium Dei qui generatus sit, patri qui genuerit, inæqualem esse non posse, quamuis ille generatus sit, iste genuerit, quia generatio non potestatis est, sed naturæ: aduersus illam quidem quæstionem vocem sibi arbitrantur occlusam, sed tergiuersatione damnabili in eodem loco vestigium vertunt, vt putent mutationem fieri quæstionis mutatione sermonis, dicentes: Quomodo possunt ingenitus & genitus esse vnus naturæ atque substantiæ? Ergo vt respondeam, clemētissime imperator per te mihi propositæ quæstioni, primum omnium ingenitum in scripturis diuinis nusquam inuenio. Non legi, non audiui. Cuius igitur mutabilitatis sint homines istius-

modi, vt nos dicant ea usurpare quæ non sunt scripta, cum ea quæ sunt scripta dicamus, & ipsi obiciant quod scriptum non sit: nonne ipsi sibi aduersantur, & authoritati calumniæ suæ derogant? Dicunt etenim non esse scriptum, Dei esse substantiam atque naturam, cum vtique filium Dei patris esse splendorem gloriæ & characterem substantiæ eius, scriptura testetur, & multos alios de diuina dixisse substantia, in alio libro plenissimè ostenderimus. Naturam quoque diuinam quis abnuat, cum Petrus apostolus in epistola sua scripserit, id operatam Domini misericordiam per passionem crucis, vt nos, inquit, faceret diuinæ consortes naturæ. Sed etiam alibi Paulus scripsit: Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii, seruistis. Ita enim & in Græcis codicibus inuenimus, quorum potior authoritas est. Quid igitur agunt qui negant naturam esse diuinam, nisi vt iam non solum filio calumniētur, sed etiam patri: Si enim negatur natura Deus esse, ergo per gratiam est, vt homines, aut certè fallo creditur, vt dæmones, quorum simulachra Dei appellatione donantur. Sed apostolicam authoritatem sequamur, vt dicamus in simulachris naturam non esse diuinam. Si ergo in simulachris non est, non est in demoniis: superest, vt in Deo diuina sit natura atque substantia. Docuimus igitur apostolica authoritate rectè de Deo patre dici, quod natura sit Deus. Accipiant nunc quod eadem Dei patris sit natura, quæ filij est, eadem sit & Spiritus sancti, ne fortè idem dicant: Naturam quidem legimus esse diuinam, naturæ autem diuinæ non legimus vnitatem. Sed cum ipse filius dixerit: Ego & pater vnus sumus, vnitatem diuinitatis probauit. Cum dixerit: Omnia quæ pater habet mea sunt. Et infra: Pater omnia mea tua sunt, & tua mea, asseruit vnitatem. Cum dixerit, pater qui in me manet ipse loquitur, & opera quæ ego facio ipse facit, vnitatem euidentissimè declarauit. Deinde Petrus vnam naturam ostendit esse diuinam. Potuit enim sic dicere, si aliter æstimasset, potuit, inquam sic dicere, vt nos faceret diuinarum consortes naturarū, maximè cum per filium in naturæ diuinæ consortium transeamus: Nunquid potest donare quod non habet? Ergo non est dubium, quia de eo quod habet donat, & ideo habet naturam diuinam, qui consortia diuinæ donat naturæ. Apostolus quoque Paulus dicendo: Qui natura non sunt dii, ostendit vnam veri Dei esse naturam. Namque & ipse potuit dicere: Qui naturis non sunt dii, si sciret pluralitatem diuinæ esse naturæ, vt alia esset in patre, alia in filio, alia in Spiritu sancto. Dicendo ergo: Natura non sunt dii, vnitatem naturæ expressit diuinæ. Quid est autem natura Deum esse, nisi verum Deum esse: Sicut ad Thessalonicenses dicit: Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris seruire Deo viuo & vero? Illi enim dii esse simulantur, natura autem Deus viuus & verus est. Nam & in ipso vsu nostro est adoptiuus filius & verus filius. Adoptiuum filium non dicimus filium esse natura, sed cum dicimus natura esse, qui verus est filius. Ergo & naturam & substantiam esse diuinam probauimus lectione. Vnitatem quoque non pluralitatem diuinæ esse naturæ, apostolica autoritas demonstrat.

De

De confutatione & destructione obiectionis præmemoratorum hæreticorum, quæ arguunt quod non possint ingenitus & genitus vnus esse naturæ atque substantiæ, & de exemplari approbatione, cum dicitur genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis exprimi. Quodque appellatione ingeniti & geniti species videatur esse diuersa, sed tamē indistincta diuinitas. C A P. IX.

Nunc illi asserant, vbi ingenitum patrem legerint. Sed si dialectico more concedi sibi id postulant, vt quod lectum non sit, pro lecto usurpent: Bt productum se contentionis studio differre, non cognitionem querere veritatis. Nāque in ipsa dialectica si non concedatur quod concedi sibi postulant, qui aditum contentionis inuenire desiderant: principium inuenire nequeunt disputandi, & hoc ibi vbi contentio est magis de disputationis argutiis, quàm de examine veritatis. Hæc est enim dialecticorum gloria, si videantur expugnare verbis & refellere veritatem. Contrā definitio fidei est, vt veritas non verba pandantur. Denique verba philosophorum excludit simplex veritas piscatorum. Quæ igitur ista assertio est, vbi finon donauero eis verbum ingeniti, assertionis principium inuenire non possunt? Vbi ergo legerint demonstrent. Exciderat animo. Nunc redeo in memoriam. Lectum est, inquit. Nam Arrius dixit ingenitum patrem, & genitum & creatum filium. En quo authore, contra apostolica scripta contendant. Contendant tamen, si modo se Arrii discipulos esse fateantur. Nam quomodo negat magistrum, cuius inuentum sequuntur? Sed si illi hoc dicunt quod Arrius, iustius ego debeo dicere quod Apostolus dixit: Patrem enim dixit, non ingenitum nominauit: filium dixit, & genitum filium nominauit. Quod legi, non nego, imò libenter usurpo, quod non legi, usurpare non debeo. Sed tamen quod in dialectica non faceremus usurpent, ne fortè dicant, quia genitum non legimus patrem sicut filium, ideo ingenitum æstimare debemus. Intelligitur hoc, ergo non legitur. Sed si intelligitur, nec Spiritum sanctum genitum legi. Ergo spiritus quia genitus non est, ingenitus vtique secundum vestram sententiam nominandus est. Si igitur ingenitum dicitis & genitum non posse vnus esse substantiæ, superest vt de patre & spiritu sancto, quia nec patrem genitum legimus, nec Spiritum sanctum, vnitatem diuinæ naturæ & substantiæ non negetis. Si enim in eo est vis omnis vestræ disputationis, quod ingenitus & genitus non possunt esse vnus naturæ: ergo qui non est genitus, cum eo qui non sit genitus, vnus naturæ atque substantiæ est. Et si ideo putatis patrem maiorem esse, quia genitus non est, nunquid & Spiritus sanctus maior est filio? Multa possunt & innumera exempla suppetere, vt de eo quod genitum non sit, dicatur ingenitum. Nam & mundum plerique ingenitum esse dixerunt, & materiā rerum omnium quam Græci hylen dicunt, quasi syluam materialem, ingenitam esse memorarunt. Vident igitur in hoc verbo prærogatiuam quandam potestatis esse non posse, nisi fortè hoc verbo sibi honorare Deū videntur, quo philosophi mundū putauerunt esse donandum. Numquid ergo sic ingenitus pater sicut mundus?

S. Ambr. tom. 4.

Ab sit. Aut hic solus Deum decet sermo, cum Deus vltra sermonum omnium sit ambitum? Nihil igitur preciosum Deo in eo sermone, qui communis possit esse cum cæteris. Sed tamen, quemadmodū vultis, inæstimabilis sit huius prærogatiua sermonis, quæ non autoritate aliqua designatur, sed vestro æstimatur arbitrio. Quò igitur hoc proficit, vt ex verbo velitis facere inter patrem & filium distantiam naturæ, distantiam potestatis? Ingenitus, inquit, & genitus non possunt vnus esse naturæ atque substantiæ vt quemadmodum interdum dicunt, inoperatus & factus, non sunt vnus naturæ. Neque enim discretionem faciunt ingeniti & inoperati, neque distantiam volunt esse inter genitum vel creatum, modo vt creaturam filium dicant. Dicunt ergo quia pater omnē causam, hoc est *αὐτίαν* sicut Græci dicunt supergressus, cū ex alio creatus non sit, non sit filius, vtique substantia sit, non aliunde principium habes & causam ex qua sit: & ideo, inquit, alia talis substantia esse non potest, quia omnia ex patre Deo habent subsistendi causam. Vnde non esse verisimile dicunt, vt filius qui ex patre est, & ex se causam non habet vt sit, sed ex patre, similis sit patri. Cum pater ex alio causam non habeat, filius autem (vt ipsi allegant) esse non potuerit, nisi hoc ipsum ex patre vt esset, acceperit. Ideoque ingenitum & genitum dicunt esse dissimilem, quasi verò (quod alibi sæpe iam dixi) generatio potestatis sit, non naturæ. Cum enim dico genitum, non proprietatem naturæ, sed significationem generationis expressi: & hoc exemplis euidentioribus approbabo. Nam si generaliter dicam filium, nec addam cuius, potest intelligi, & filius hominis, & filius iniquitatis, & filius pestilentiæ, & filius diaboli, sicut de Iudæis scriptura testatur, & quod in vsu est, & foetus pecudis, & pulli columbarum. Et ideo in appellatione filiorum non est expressio significata naturæ. At verò si naturam designare desidero, aut hominem nuncupabo, aut equum nominabo, aut auem dicam, vt natura possit intelligi. Ita ergo si naturam cupio designare diuinam, Deum verum debeo nominare. Cum autem filium dico, generatum significo. Cum patrem quoque dico, generasse declaro. Non ergo hinc naturæ discretionem facias, cum sit hoc significatorium generantis & geniti. Significatori autem huiusmodi exprimunt substantiæ qualitatem. Multi enim, vt dixi filij, sed diuersitas filiorum. Alius per naturam, alius per gratiam. Multæ creaturæ inuisibiles & visibiles. Inuisibiles, vt principatus & potestates, throni & dominationes. Visibiles, vt sol, luna, stellæ, homo, terra. Ergo diuersæ species & diuersæ creaturarum substantiæ sunt. Itaque si velis proprietatem creaturæ alicuius exprimere, aut solem aut lunam nominabis aut stellas. Et sic intelligitur quid sit quod significandum putaueris. Ceterum si factum dicas aut creatum, quod interdum filium dicunt, quia multa facta & creata sunt, non proprietatem substantiæ videris significasse, sed speciem qualitatis. Aliud enim substantia, aliud qualitas est. Deniq; diximus & alibi, vsiam ita interpretatos Latinos, vt substantiam dicerent. Vsa autem Dei cum dicatur, quid aliud significatur, nisi Deum semper esse? Quod litteræ ipse exprimunt: quamuis diuinam

N

vſai, hoc eſt, cum ſit ſemper, vſia dicitur, vnus litera mutato ordine propter ſonum & compendium decorumque ſermonis. Ergo vſia, quod ſemper ſit Deus ſignificat. Ingeniti autem, vt tu vis, vel geniti appellatio quid ſit, declarat: hoc eſt quod non ex alio ſit pater, nec ex ſe filius. Species hic videtur eſſe diuerſa. Species vtique diſtincta, ſed indiſtincta diuinitas. Quæris quomodo hoc probari poſſit? Etiam in creaturis oſtendam diuerſam ſpeciem, diuerſa initia in plerisque, & vnã eſſe ſubſtantiam, & de ſcripturis exempla proferam. Itaque ſi in his quæ mortalia ſunt hoc poteſt conuenire: quemadmodum patris & filij & ſpiritus diuinitati legem cuiuſdam neceſſitatis imponunt? Omnia nempe volatilia quæ eiufdem generis videntur, eiufdem vtique & naturæ ſunt, vt aquilarum vnum genus & vnã natura eſt, vulturum ſimiliter, & cæterorum ſecundum genus ſuum volatiliũ. Quemadmodum autem cœperint eſſe volatilia, tres ſpecies reperimus, & ortus eorum cauſas legimus eſſe diuerſas. Scriptum eſt enim dixiſſe Deum: Producant aquæ repentina animarum viuentium & volatilia volantium. Et paulo poſt cum paradifum feciſſet Deus, & poſuiſſet in eo hominem, ſcriptum eſt: Quia figurauit Deus de terra beſtias agri, & volatilia cœli. Significatur ergo volatilia hoc loco figurata de terra. Supra quoque legiſti, quia dixit Deus auibus: Creſcite & multiplicamini. Vtique ex coitu maris & fœminæ generationis incrementa præcipiens. Itaque aduertimus etiam quæ vnus generis ſunt, diuerſo modo eſſe cœpiſſe, alia de aquis, alia de terra, alia de maris & fœminæ generatione, & vnus tamen hæc eſſe naturæ, diſſimilitudinẽque ſubſtantia non habere. Quid verò tam vnus naturæ quàm caro noſtra cum dominici corporis veritate? Diuerſis tamen vtraque ducta cauſis, orta principiis eſt. Caro enim Domini ſpiritu in virginem ſuperueniente generata, non expectauit virilis fœmineique coitus ſolenne commercium. Caro verò noſtra, niſi virilis iuxta fœmineuſque ſexus, genitalia ſulcis naturalibus obducatur ſeminat, intra viſcera neſcit materna formari: & tamen cum generationis fuerit cauſa diuerſa, carnis tamen in Chriſto cum hominibus omnibus vnã natura eſt. Partus enim virginis, non naturam mutauit, ſed generandi vſum nouauit. Denique caro de carne nata eſt. Habuit ergo de ſuo virgo quod traderet. Nō enim alienum dedit mater, ſed proprium eſt viſceribus ſuis contulit, inuſitato modo, ſed vſitato munere. Habuit igitur carnem virgo, quam naturæ ſolennis iure tranſcripſit in fœtum. Eadem igitur ſecundum carnem generantis Mariæ, genitique natura, nec diſſimilis fratribus, quia dicit ſcriptura, vt per omnia ſimilis fratribus fieret. Similis vtique Dei filius, noſtri, non ſecundum diuinitatis plenitudinem, ſed ſecundum animæ rationalis & vt expreſſius dicamus, humanæ noſtrique corporis veritatem. Quid autem de ipſo loquamur Adam, qui cum ſit formatus eſt limo terræ, generauit vtique filios ſue conſortes naturæ, participes generis, ſucceſſionis hæredes? Diuerſa quidem in filiis & parente principia, ſed humanæ cōditionis vnã natura. Nec tamen diſſimilitudo ortus ſimilitudini ſubſtantia præiudicauit. Similis ergo filius patri etiã in his quæ pro-

pter humanæ conditionis fragilitatem ſimilitudinis plenitudinem habere non poſſent. Quomodo ergo Dei patris diſſimilis filius verus?

De diſputatione contra quosdam ſuperiorem ſectam ſequentes, diſputationis tamẽ genere diſcordare ſe putãtes, qui filiũ ſimilem dicunt, ſed non vnus ſubſtantia cum patre, & quòd cum ſit vnus natura filius cum patre, etiam vnus ſit potentia, & ita omnipotens ſicut & pater, quemadmodum etiam ſpiritum ſanctum omnipotentem ſcriptura teſtatur. CAP. IO.

Sed plerique eandem ſectam ſequentes, diſputationis genere diſcordare ſe putant, ab his qui diſſimilem patri per omnia filium dicunt. Ideo horum quoque qui ſimilem dicunt filium, ſed non vnus ſubſtantia cum patre, ineptias diſcutiamus. Quæ nõ vnus naturæ ſunt, diuerſæ ſunt vtique atque diſtantis: & quæ diſtantis naturæ, conſequens eſt, vt ſimilia eſſe non poſſint, niſi fortè ſecundum ſpeciem ſimilia dicas, diſſimilia ſecundum veritatem. Nam & lactis & niuis & cygni albens, concolor ſpecies eſt, ſed diſcrepantiam ſeruat diſtantis naturæ, nec diſſimilitudo naturarum, ſpecierum ſimilitudine coloratur. Quomodo ergo iſti ſimilem dicunt patrem & filium, qui vnitatem ſubſtantia negant? An ſecundum formam & figuram colorem ſimilem putant? Sed hæc corporis ſunt, hæc compositionem quandam indicant. Quomodo autem inuiſibili ſimilitudinem ſecundum colorem aptamus aut formam? Aut quomodo creatura poteſt eſſe ſimilis increato? Quomodo ſplendor gloriæ & character ſubſtantia eius, ſi diuerſa gloria (vt illi dicunt) diuerſa ſubſtantia eſt? Secundum gloriam, inquit, & operationem ſimilis eſt, & propterea imago Dei dicitur filius. Ergo ſi per aliqua non per omnia ſimilis, pro parte ſimilis, pro parte diſſimilis. Huic autem propoſitioni conſequens eſt, vt ſi ex parte ſimilis, non in toto eſt, pro parte ſit Dei imago compoſita: ac per hoc ſequitur, vt & ipſe compoſitus videatur, cuius ſit imago compoſita. Compoſita autem ſi ex parte ſimilitudinem ſeruet, imago eius ex parte ſimilis eſſe non poſſit. Sed qui ſimilem ſecundum vnitatem naturæ negant, ſimilem cæteris arbitrantur. Solent enim dicere: Cur putatis, quia multum dedit ſcriptura filio, quia imaginem dicit, cum ipſe Deus dixerit hominibus: Eſtote ſancti, quoniam ego ſanctus ſum. Et filius dixerit: Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Nec intelligunt eo ipſo aſtrui, quia non ſecundum partem ſed ſecundum plenitudinem diuinitatis & perfectionem ſimilis ſit filius patri. Denique ſi multi ſimiles, cur ſolus filius imago inuiſibilis Dei dicitur, & character ſubſtantia eius, niſi quia in eo naturæ eiufdem vnitas, & eius maiestatis expreſſio eſt? Alia enim ſecundum imitationem ſimilitudo, alia ſecundum naturam: quod propoſitorum exemplorum etiam verba indicant. Dicit enim ſcriptura: Eſtote ſancti, vt ſiant id per imitationem homines. Ergo dicitur, eſtote, quia non ſunt. De ſe autem dicit Deus: quia ſanctus ſum, non vtique proficiente proceſſu, ſed manente natura. Denique ait ſapientia: Eſtote

Eſtote perfecti, vt incipiant habere quod non habent. De patre autem dicit: Sicut pater veſter qui in cœlis eſt, perfectus eſt. Eſt ergo perfectus pater, qui eſt, ſemper eſt. Ideo vel vſia græcè quod ſit ſemper, vel latinè, quod in ſuo maneat, nec ope ſubſiſtat aliena, appellatur ſubſtantia. Sanctus ergo pater, & perfectus pater. Sanctus etiam & perfectus filius quaſi imago Dei. Imago autem Dei, quia omnia quæ ſunt Dei videntur in filio, id eſt ſempiterna diuinitas, omnipotentia atque maiestas. Talis ergo qualis eſt Deus, ſua videtur imagine. Vnde oportet vt imaginem eius talem credas, qualis eſt Deus. Nam ſi imagini detrahas, & vtique ei cuius imago eſt videbitur eſſe detractum. Si minorem imaginem credas, minor Deus apparebit imagine. Qualem enim eſtimaueris imaginem, talis tibi videbitur hic, cuius inuiſibilis eſt imago. Dixit enim imago. Qui me videt, videt & patrem. At qualem aſtimaueris eum cuius imaginem eſſe filium credis, talis tibi neceſſariò filius aſtimandus eſt. Vnde quia increatus pater, increatus & filius: quia non minor pater, non minor filius: quia omnipotens pater, omnipotens & filius. Dicitur eſt igitur, etiam ſi uſurpent quòd non legunt, vt ingenitum dicant, verbo tamen nihil impediri quo minus vnus naturæ atque ſubſtantia Chriſtum cum patre eſſe credamus. Quod ſi vnus naturæ, vtique vnus potentia. Qui quidem locus haud difficilius eſt ad reſellenda ſtudia perfidorum. Quomodo enim negant omnipotentem Chriſtum, quod ſcriptum eſt, qui volunt uſurpare quod non docent ſcriptum? Omnipotentem etenim Chriſtum ſupra docuimus. Et in Ioãnis euangelia Apocalypſi, & in Zachariæ prophetia, & in euangelio ſignificatum. Quæ ſi quis recenſenda putat, ſuperiora reuoluat & repetat. Tamen (quod ibi propter congeſtionem teſtimoniorum pene præteri) dicat de quo putent dictũ quod Amos prophetauit? Sic enim ſcriptum eſt: Dominus qui attingit terram & mouet eam, & lugebunt omnes commorantes in ea, & aſcendet ſicut flumẽ Aegypti. Qui ædificat ſuper cœlum aſcenſionem ſuam, & repromiſſionem ſuam ſuper terram, confirmat, qui aduocat aquam maris, & effundit eam ſuper faciem terræ, Dominus omnipotens nomen eſt ei. Nonne hæc omnia in filium intelligant cōuenire? Qui terram deſcendens tetigit, in paſſione commouit, de terris aſcendit in cœlum, & ſuper terram deſcendit eſt cœlo, ſicut ipſe promiſerat. Sed quid de filio laboro, cum etiam ſpiritum omnipotentẽ ſcriptura teſtetur? Scriptum eſt enim: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et de ſapientia ſcriptum eſt: Quia habeat in ſe omnipotentem ſpiritum. Dicit enim Salomon, quia omnium artifex docuit me ſapientia. eſt enim in ea ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, bonus, mobilis, diſertus, immaculatus, manifeſtus, inuiolabilis, bonum amans, acutus, prouidens, poſſibilis, munificus, benignus, ſtabilis, integer, ſine ſollicitudine, qui omnia poteſt, omnia ſpectat, & per omnia penetrans ſpirituum intelligibilium.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS DE MYSTERIO PASCHÆ,

LIBER VNVS.

Vnde ſacrum nomen paſchæ deſcenderit, & qua ratione Chriſtus ſe in paſſionem paſchæ mysterio conſecrauit. CAP. I.



Paſchæ mysterium de fide omnibus credẽtibus in Chriſto renatis, recidiatum fidei annuæ felicitatis gaudium & gloriam ſubminiſtrat. Quod quidem ſacrũ nomẽ ab ipſius Domini paſſione deſcendit. Paſcha enim paſſio eſt ſaluatoris, ſicuti beatus Apoſtolus dicit: Paſcha enim noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ad hoc enim humanũ corpus Chriſtus accipiens, ſe in paſſionem paſchæ mysterio cōſecrauit, vt quiſquis huius muneris per fidem, participationem eſſet indeptus, cōſortio dominicę felicitatis dignus merito cenſeretur.

De commendatione paſchalis temporis, ab iis quæ eo tempore facta commemorantur. CAP. II.

Eſt enim paſcha verè anni principium, primi mēſis exordium, nouella germinum reparatio, ac terræ hyemis nocte diſcuſſa, primi veris reſtituta iucunditas. Hoc, inquam, tempore viſibilium & inui-

ſibilium cōditor Deus, defixa humo cœli machinã ſuſpẽdens, diẽ ſolis ardore radiauit, ſplendorẽ lunæ ſoſlatio noctis attribuit, pẽdentẽ cœli camerã ſplendẽtium ſyderum decorauit ornatu, mare certis littorũ finibus coercens, concauit ac fridentis vndæ aſtum metas ſtatuti limitis haud iuſſit excedere. Et vt plana mũdi facies oculorũ eminus ſubtraheretur aſpectui, ad hoc in ornatum mũdialis fabricæ, nemoroſi colles atque excelsi conſtituti ſunt montes, vt iterũ mortalibus cãpeſtris ornatus iucũdiõr adueniret. *Qua ratione homo terreſtris creatura factus ſit Dominus, & quomodo gratia creatoris amiſerit, ac mortis ſententiã incurrerit. Quòdque ita diabolus mortis ſortitus ſit imperiũ & oẽs à Deo deuictos tartari clauſos ergo a ſulo poſſederit.* CAP. III.

Iplẽque homo diuini opificij dignatione formatus, ad hoc terreſtris creaturæ effectus eſt Dominus, vt diuinis institutionibus parens, eius tantum & voluntatem ſeruaret, qui ſe in tantis rebus Dominum præfeciffet ex nihilo. Qui in ipſo exordio, non neſcius, deprauatus inuidia, dum ſuper indultum Dei opificium cupit fieri, quod natura non dederat, amiſit gratiam, quam creatoris pietas attribuerat; continuò ob concupiſcentiam

diabolicæ deceptionis, sententiam mortis præuaricator incurrens, etiam ad futuræ ex se stirpis originem propagauit, vt diuina hoc loco rectè sententia compleretur. Inuidia diaboli mors introiuit in orbè terrarum. Ita per occasionem delicti, in vniuersis peccatoribus diabolus mortis est fortitus imperiū, atque omnes à Deo deuiantes, peccati vinculo obstrictos, squalentis tartari clausos ergastulo possidebat.

Sap. 2.

Quomodo Deus humanam carnem assumens, & corpus conditioni mortis addicens, ad tartara descenderit, & seras inferni ianuâque confringens, vincetis è diaboli faucibus reuocauerit.

CAP. IIII.

QVorum interitum dolens diuina censura, nõ per feruum vatem, nec per angelum inuisibilè, sed ad hoc per substantiam humanæ carnis, in homine Deus veniens habitauit, vt honestam viuendi formam mortalibus daret, & temporariis æternâ in se credentibus vitam, exemplo suæ mortis ac resurrectionis aperiret. Vt enim incredulitas & simulacrorum cultus, cœli aditum clauserat, ita inferni baratrum præuaricatoribus perfidia procurarat. In quorum suppliciis vsque ad aduentum saluatoris Domini Iesu Christi, diabolus per mortem regnauit, donec humanæ carnis ad Deum attèperata substantia, immaculatum corpus conditioni mortis addidit. Expers peccati Christus, cū ad tartari ima descenderet, seras inferni ianuâque confringens, vincetas peccato animas mortis dominatione destructa, è diaboli faucibus reuocauit ad vitam, atque ita diuinum triumphum æternis characteribus est conscriptum, dum dicit: Vbi est mors aculeus tuus? vbi est mors victoria tua? Quam fœlicitatem reparatę salutis, Paulus recolens clamat: Sicuti per Adam mors intrauit in hunc mundum, ita & per Christum salus restituta est mundo. Et iterum: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Et adiiciens ait: Sicut portauimus imaginem terreni, id est vetusti hominis in crimine: sic portemus imaginem cœlestis, id est suscepti, redempti, reparati, ac purificati hominis salutem teneamus in Christo: quia idè ipse Apostolus ait: Initium Christus, id est, author resurrectionis & vitæ, deinde hi qui sunt Christi, id est qui in forma puritatis eius viuentes, de spe resurrectionis eius securi erunt, cum ipso cœlestis promissi gloriam possessuri, sicut ipse

2. Cor. 15.

G Dominus in euangelio ait: Qui, inquit, me secutus fuerit, non peribit, sed transiet de morte ad vitam. Ita saluatoris passio vitæ humanæ salus est. Ad hoc enim pro nobis mori voluit, vt nos in eum credentes perpetuò viuereamus. Voluit pro tempore fieri quòd nos sumus, vt nos æternitatis eius promissionem adepti, cum eodem perpetuò viuereamus.

De ingentibus paschalis mysterij, dieique illius præconiis.

CAP. V.

HÆc, inquam, illa est cœlestiū mysteriorū gratia, hoc paschæ donū, hæc optabilis anni festiuitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lauacri sacrę ecclesię editi puerperio infantes paruulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstreperunt conscientię. Hinc casti patres, pudicę etiam matres, nouellam per fidem stirpem profequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab vtero fontis innocui cercorum splendet ornatus. Hinc cœlestis meriti sanctificantur munere, & sacramenti spiritalis celebri mysterio faginantur. Hinc vnius plebis gremio beatę ecclesię nutrita fraternitas, vnica diuinitatis substantiam, ac virtutis trinum nomen adorantes, psalmum annuę festiuitatis cum Propheta concelebrant. Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo. Quis, inquam, dies? Nempe ille qui attribuit viuendi principium, lucis exordium, author luminis, id est ipse Dominus Iesus Christus qui de semetipso ait: Ego sum, inquit, dies: qui per diem ambulat nõ offendit: id est, qui Christum in omnibus sequitur, per eius vestigia vsque ad æternæ lucis solium transineabit, sicut ipse patrē pro nobis adhuc in corpore constitutus, orat, dicens: Pater, volo vt vbi ego sum, ibi sint & hi qui in me crediderunt, vt sicut tu in me & ego in te, ita & illi maneat in nobis. Hic, in quã exultationis & lætitię dies est, in quo promissum perfectę glorię cõsecuti, rectè plebs sancta ad instar angelorum futurę laudis mysteriū, adhuc in hoc seculo constituti, Domino cum Propheta cantamus: Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo, id est author institutionis, redemptionis, & vitæ perpetuę, Dominus Iesus Christus, qui est rex regum, & Dominus dominorum absque initio, sine fine in patre regnans cum spiritu sancto, nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

F I N I S.

L E C T O R I.

DV M scriptorum veterum monimenta versaremus, incidimus, fortè fortuna in librorum quorūdam farraginem, cui titulus inscribitur *Antidotum contra diuersas omnium fere seculorū hæreses*, beneficio et industria Ioannis Sichardi theologiæ sacrę academię mystæ celeberrimi anno quingentesimo vigesimo octaua supra millesimum in lucem prolata: delitescens isthic inter cetera opuscula fragmentum hoc de resurrectionis fide Ambrosianam nomenclaturã præ se ferens reperimus. Quod quidem Ambrosii esse τὸν ὑπότιτον partum vt adfirmare ausi non fuerimus, ita, me Deus amet, Ambrosium bis de eadem re non scripsisse lubenter negauerimus. Hoc tamen vt curioso lectori satisfacereamus, huic operi ob argumenti similitudinem libuit subiicere, vt ut verò sese res habuerit, dignum certe opus, Ambrosio adscriptu dignissimum. Vale.

DIVI

DIVI AMBROSII MEDIO-

LANENSIS EPISCOPI DE FIDE

Resurrectionis,

LIBER AKEPHALOS.

DEnique nunquam magis quanta & clementia & potentia redemptor noster abundaret apparuit, quàm cum mysterium incarnationis aggressus est, vt suscipiendo scilicet nostram substantiam, & patibuli & tumuli iura susciperet. Nostris ergo prosperis aduersa ei impensa sunt: & diuina atque humana in redemptoris nostri natura quoddam inter se sacrum iniere cõmercium: vt testimonium ab humanitate diuinitas, præmium à diuinitate ferret humanitas. Hoc est, vt vulneribus corporis Deus noster magnitudinem erga nos sui amoris ostenderet: & consortio diuinitatis recompenfari sibi obedientię gratiã, & animus noster, & corpus agnosceret. Qua igitur fide, quãue deuotione huic Domino tantorum in nos donorū munifico adhærere ac deseruire debeamus, intuentū est, qui ita nullum largiendi modum habuit, vt tantum fidelibus donaret in præmio, quantum ipse possidebat in regno. Et vt crederemus nos eius fieri posse coheredes, etiã naturæ nostræ consors esse delegit: non tamen vt substantiam à diuinitatis arce detruderet, sed vt infirmos, & in extrema mortis vilitate ac necessitate degentes, ad gloriam resurrectionis attraheret: quia in se quicquid nobis pollicebatur ostēdit, & nõ perire carnis istius substantiam resurgendo perdocuit, & vbi ei post resurrectionem futura esset habitatio, ascensione monstrauit. Hoc est ergo magnum, & prorsus magnum pietatis sacramentum, quod in carne manifestatum esse, vt rerum prouentus manifestauit, ita Gentium doctõr annunciauit. Iustificatum autem claret in spiritu, quoniam solum sperandæ nobis felicitatis, sed etiam capefendæ præbuit veritatis exemplum. Quod sanæ sacramentum pietatis, per quod nos conditor noster ac redemptor amplectitur, sicut testimonio veritatis splenduit, ita etiam in ascensione assumptum in gloria celebratum est obsequiis angelorum. Et ideo non est despicienda carnis humanæ natura, quæ in sanctæ trinitatis substantiam atque consortium per Dominum Christum ingredi meruit. Verbum enim Dei, quod dominus Christus est, qui est primogenitus ex mortuis, quique totius creaturæ primatum tenet, ad imaginem suam quam prius ipse condiderat, venit. De qua imagine scriptum est: Et plasmauit deus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ suam. Et carnem, præter carnem, mediante anima rationali, ex sancta virgine Maria suscipiens, & similia. Id est, animam & carnem per similia purificas, factus est per omnia homo, absque peccato. Mediante ergo anima, deo & carne, hic qui omnes (vt ait Apostolus) diuites facit, pauper effectus est, vt illius inopia nos diuinis atque cœlestibus diuitiis ditaremur per signum illud salutis, quod dedit deus generi humano, dicente Propheta: Ecce, Dominus

Sacrũ cõmerciũ humanitatis cũ diuinitate in Christo.

Munificentia dei larga in homines.

Declaratur locus Esaiæ.

dabit vobis signum, ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium, qui antequam sciat vocare patrem aut matrem suam, butyrum & mel manducabit, id est, Spiritu sancto repletus est, cuius doctrina nobis dulcior super mel & fauux, qui spolia Samariæ à Magis accipiens, homo, rex, & Deus comprobatus est. De hoc etiam mirabili signo sanctus Simeon ad virginem matrem dicit: Ecce hic positus est in ruina, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. De quo signo & beatus Apostolus ait: Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Pro imagine ergo sua Christus, quam in primo condiderat homine, quam viderat in homine diaboli arte fucatum, venit in similitudine carnis peccati, vt hominem per lignum præuaricationis morte damnatum per passionem crucis, & mortem ad pristinam reuocaret imaginem: quæ imago per incuriam quidem obscurari potest, deleberi autem per naturam non potest. De hac imagine dicit Propheta: Quanquã in imagine dei ambularet homo, tamen vanè conturbatur. Nullus ergo est qui non aliquam imaginem habeat, id est, aut sanctitatis aut peccati. In imagine dei ambulamus, quando cogitationes bonæ, quæ nobis à deo insitæ sunt, in nobis permanent, & ad opera bona nos perducent. Memoria ergo Dei excludit à corde nostro cuncta flagitia atque peccata, quæ diabolus nititur in corde nostro seminare atque depingere. Vnde dicitur à Propheta: Domine in ciuitate tua imaginẽ ipsorum ad nihilum rediges. Nihil ergo prodest legisse vel audisse, nisi ea quæ legeris, aut audieris bona, in memoriæ thesauro reposeris. Sicut enim tria sunt in homine, id est, corpus, anima, & spiritus: sic tria sunt eminentiora, quæ nobis aut ad bona, aut ad mala perducent, hoc est, aut cogitatio, aut locutio, aut operatio. Quæ tria breuiter spiritus sanctus in primo psalmo comprehendit, dicens: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentię non sedit. Isti enim sunt terni statores diaboli, qui miseræ insidiantur animæ, vt aut in dicto, aut in facto, aut in cogitatu eã incitent ad peccatũ. Spiritu ergo, anima, & corpore, aut bene agimus, aut male: aut casti sumus, aut fornicamur. Et ideo sicut auari, & raptores serui sunt mammonæ, & sicut gulones & ebriosi serui sunt ventris atque libidinis, sic omne peccatum dominatur hominibus, probante hoc Propheta, ac dicente: Erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaam. Hi sunt quinque sensus carnales, qui miseræ animæ tenebris Ægypti oppressæ loquuntur. Ægyptus enim persequens, siue tribulans interpretatur. Nisi ergo aquilonem frigidissimum ventum, calore fidei Christo nos iuuante, qui bona docet & delectatur, vicerimus, statim nobis calorem concupiscentiæ atque libidinis suscitabit. Artenuetur ergo ieiunium caro, & circuncidetur omni spiritali concupiscentiæ cultro, nec regnet peccatũ in nostro mortali corpore, vt effugere consortia mundi, & opprobria diaboli possimus. Ieiunium ergo afflictio, atque humiliatio animæ est, afflictio autem & corporis. Hæc de imagine Dei, ad quam factus est homo, dicta sufficiant. Erubescat nunc impij hæretici,

Luca 2.

1. Corint. 1. *Imaginẽ suã Christus reparauit.* Psal. 38.

In imagine Dei ambulare.

Psal. 71.

Tria in homine.

Declaratur locus primi psalmi.

Ægyptus quid sonet.

Ieiunium.

N iij

Resurrectio
corporis cuius-
modi sit futu-
ra.

Diuerfitas se-
xus in resur-
rectione

1. Cor. 5.

Declaratur
locus Pauli.
1. Corint. 15.

Caro volucris,

qui acreum, aut simulatorium phantasticum corpus, aut Deum fuisse, aut nostrum futurum esse, aut metapysicos mentiantur. Satis reuera impium est & iniustum, vt Iob, qui oculis suis vulnera conspexit sua, & putredines ac vermes corporis sui manibus palpauit, in alia dicatur carne aut anima resurgere. Quod ergo de beato Iob diximus, hoc de Petro, hoc de Paulo, & de omnibus sanctis, qui diuersis pro Deo tormentis animas posuerunt. Quæritur sanè illudoriè à nobis ab hæreticis, vtrum in resurrectione diuersitas sexus sit, id est, fœminæ cum viris resurgant, ignorantes cæci sententiam Domini dicentis: Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit eos. Vbi ergo vera caro, ibi diuersitas sexus est, & sic diuersitas sexus ibi vtiq; est: Ioannes, Ioannes est: & Maria, Maria est: vere quippe carnis resurrectio sine operibus carnis erit: quia sicut veritas ait: Neque nubent, neque vxores accipient, sed erunt sicut angeli dei in cœlo. Similitudo ergo angelica promittitur, non substantia carnis negatur. Quomodo enim dicitur: Neque nubent, neque nubentur, nisi de his dicatur, qui possunt nubere, & tamen non nubent? Si enim hic in ista vita, quæ tota tentatio est super terram, multi propter regnum cœlorum semetipsos castrantes non nubent, & non solum viri, sed etiam fœminæ Christo iuuante hoc faciunt, quâto magis hoc in illa beata vita non dicamus fieri, sed nec cogitare licebit? Catholicum ergo & rectum est, vtrumque sexum in carnis resurrectione sine sexu operibus confiteri, cum vt dictum est, adhuc in hac vita positi nitamur cum Dei adiutorio opera carnis, quæ ~~con-~~ spiritum concupiscit, non implere, K probante hoc Ap^o Paulo, ac dicente: Vos in carne non istis, sed in spiritu. Neganda enim eos in carne, quos in carne esse constabat, non carnis substantiam, sed peccata, id est, opera carnis in eis damnauit. Et iterum: Vt absorbeat quod mortale est à vita. Quia licet exterior homo noster corrumpatur, sed renouatur interior. Quod tamen nō solum in regno cœlorum, & baptismate, sed etiā in pœnitentibus quotidie fieri nouerimus, in quibus carnis interitus ad profectum cedit spiritalem. Cui ergo nec opera carnis erunt, nec augmenta mēbrorum, nec capillus crescit aut vnguis: quia omnes in virum perfectum, qui Christus est, resurgemus. Si enim patribus in cremo quadraginta annis non capilli, non vngues creuerunt, aut vestimenta, aut calciamēta attrita sunt, hoc in regno cœlorū, vbi aufugiet dolor, & gemitus, & tristitia: quæri quā impium sit sapiens lector intelligit. Sed cōtra hanc tam veram tamque firmam doctrinam, & tam clara documenta, & omni virtute subnixam, solent nobis hæretici illud Apostoli opponere quo ait: Non omnis caro eadem caro, sed alia caro hominis, alia volucrum, & cætera quæ prosequitur. Non intelligentes miseri, beatum apostolum de corporis

id est, martyrum, qui ad cœlestia pennis spiritus sancti subuecti conscēdunt. Alia piscium, id est, qui post salutaris baptismi aquam assumuntur. Alia gloria solis, id est, Christi. Alia gloria lunæ, id est, ecclesiæ, & alia gloria stellarum, id est, seminis Abrahamæ, & eorum qui se per fidem & opera bona filios eius ostendunt. Stella enim ab stella differt in claritate, id est, apostoli & prophetæ, illi qui cupierunt videre & audire Christum: isti autem viderunt & audierunt eum. Sunt & corpora cœlestia, & corpora terrestria, id est, Christianorum & Iudæorum. Postremo autem vt omnium resurrectionem ostenderet, sic conclusit sententiam suam, dicens: Sic erit & resurrectio mortuorum. Quod vt ita possit intelligi, nostræ cōditionis quod in hoc seculo sit, ponamus exemplum. Infans enim cum in puerū creuerit, puer verò in iuuenem, iuuenis autem in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit, sed semper idem est qui fuit. Paulatim ergo hic ætas, non autem natura perit. In illa autem cœlesti Hierusalem, vbi sol iste ac luna septuplum lucebunt, diuersitates non erunt etatum: ibi enim nec infans, nec senex, nec paruus erit, qui non impleat dies suos, vt pote filius resurrectionis, & in mensuram perueniat plenitudinis Christi, vt nec desint alicui annorum spatia, nec supersint. In illo ergo tempore, cum ætas fuerit vna cunctorum, & sanctus & peccator simili erunt resurrectione perfecti, nec inter se variabunt tempore, nec etate, sed alius ad præmia æterna, & in centuplum bona percipienda, alius ad supplicia pertrahetur æterna. Cum ergo in genere humano aliter & aliter nascamur homines, in carnis resurrectione vna omnibus & similis erit resurrectio. Aliter enim adam, aliter Eua, aliter Cain, & Abel, & omnes homines nati sunt atque nascuntur: aliter autem homo Christus Iesus, qui est mediator Dei & hominum natus est. Licet ergo diuersis exordiis nascatur homo, vna tamen hominis natura non differt resurrectione carnis, omniumque membrorū. Quæ omnia membra vna Domini sententia declarabantur, cum de illo homine loqueretur, qui non habuit vestem nuptialem, nec seruauit illud mandatum: Omni tempore munda sint vestimenta tua, quem manibus pedibusque constringi iussit, & auferri, ne recumberet in conuiuio, ne sederet in solio, ne staret ad dexteram Dei, sed mitti in gehennam ignis. Si enim in igne isto temporali, qui omne quod accipit consumit, omnipotens Deus potentiam suam in tribus pueris ostendit, qui in camino ignis ardētis capillos eorum intactos referuauit, in resurrectione capillos nostros non resuscitabit? Resuscitabit planè sine aliquanto augmento, vel detrimento. Ipsi ergo procedent de monumentis, qui in monumentis illati fuerant. Veniet ergo omnis caro non solum de terra, sed etiam de mari, & de fluminibus, vt videat salutare dei. Mandabit enim piscibus, ac fluminibus, ac bestis terræ, & volatilibus cœli, & eructabunt ossa & carnes mortuorum, vt resurgant alij in vitam æternam, alij in opprobrium & confusionem sempiternam. Tunc videbunt iusti impiorum pœnam atque cruciatus, quoniam vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguetur, & erunt in conspectu omni carni. Quia verò hanc

Cantic. 5.

Hic. i8.

Resurrectio-
nis nomen.

Rubicundus
fratruelis in
Canticis.

Zacharia 1.

Io. 6.

hanc habemus spem, sicut exhibuimus membra nostra famulari immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeamus ea famulari iustitiæ in sanctificationem vitæ, vt resurgentes à mortuis in nouitate vitæ ambulemus, vt vita Domini Iesu manifestetur in carne nostra mortali, propter spiritum eius habitantem in nobis. Iustum igitur est, & verè iustū, vt qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circuntulimus, vita quoque eius in corpore nostro manifestetur, spoliantes nos vetere homine cum actibus suis, & erroris tunica nos exuamus, vt nouam, qui Christus est, induamus, imitantes sponfam eius dicentem. Nocte exui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Hæc ergo maiestatis ac potētiae artem, id est resurrectionem, figulus ille facit, qui per Hieremiam prophetam loquitur ad populum peccatorem, dicens: Nunquid sicut figulus iste, nō potero vos reformare, ac redintegrare domus Israel? Qui etiam hanc mirabilē maiestatis suæ potentiam in manu Moyfi ostēdit, quam in candorē mutatā deinceps colori pristino restituit. Sed & ipsum resurrectionis vocabulum aperte significat, nō aliud rueri, & aliud resuscitari. Quod ergo in homine moritur, hoc & viuificatur. Ita ergo secundum resurrectionem mortuorum, nec cum errat ignorat. Vulneratus denique ille Hierichontinus in euangelio continuo fertur ad stabulū, & delictorum plagæ per miserantis gratiam immortalitate sanatur. Prophecia ergo, quæ pendebat, verè in domini Christi carne completa est, quam spiritus sanctus nos cupiens edocere, locutus est: Ait enim: Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, innitens super fratruelem suum, & delitiis affluens? Et iterum: Fratruelis meus candidus & rubicundus. Rubicundus ergo ex incarnatione, candidus autem ex diuinitate. Quod ita esse cōprobat beatus Ioannes apostolus, cum dicit: Quia equus super quē sedebat dominus, rubeus erat, corpus scilicet sanctum, quod ex sancta virgine assumpsit, cui in cœlos ascendenti dicitur: Quis est iste, qui venit de Aedom, tinctis vestibus de Bosra? Et, Quare rubrum est vestimentum tuum, & indumenta tua, sicut calcantium in torculari? Et est sensus: Quis est iste, qui ascendit è terra, cuius vestimenta sunt sanguine respersa? Illud autem quod in Zacharia propheta dicitur: quia sequebantur eum equi variorum colorum, id est, qui vel in martyrio rubri, vel sturnini in volatu, vel varij in virtutibus, vel candidi in virginitate monstrantur. Quod autem equus iste rufus, albus denuo à sancto Ioāne describitur, diuinitatis immortalitas, & incorruptio eius ostenditur. Et ideo omnes, qui eum sequuntur, candidis non solum vtuntur vestibus, sed etiam equis sedētibus incorruptis videlicet immortalibusque corporibus. Et ideo hunc omnes sancti, ipso iuuante, imitantur: quia vestimenta sua non coinquinant ac virgines gratia ipsius donante permanent, & ideo in albis vestibus (vt dictum est) erunt, sequentes agnū quocumque ierit. Totum ergo hominem (sicut dictum est) filius dei suscepit ex virgine, totum integrum resuscitauit, id est, animam & corpus, adimplens sententiam suam, qua ait: Omne quod dat mihi pater ad me veniet, & nō perdat ex eo quic-

quam, sed ego suscitabo illud in nouissimo die. Quod dictum tam de se, quàm de membris suis dominum Christum dixisse intelligimus, qui suo, & membrorum suorum ore in omnibus sanctis loquitur libris. Clamat ergo ad Deum & caput in corpore, & corpus in capite, hoc est, & ecclesia in Christo, & Christus in ecclesia: quia in nullo membra à capite, neque caput separatur à membris. Tunc ergo videbunt eum aduersarij eius, qui eum compunxerunt, & clamauerunt: Tolle, tolle, crucifige eum. Tunc angelorum vaticinium comprobabitur, qui stupentibus Apostolis, dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? sic nāque veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Quod autem Dominus post resurrectionem suam duobus in via discipulis colloquens, repente euauisse legitur, diuinæ virtutis fuit, non vmbra, aut phantasmatis. Alioquin & ante passionem cum tenuissent, & eduissent eum de Nazareth, vt præcipitarent de supercilio montis, supra quem ciuitas illorum ædificata erat, dubium quod transiit per medium illorum? id est, elapsus est de manibus eorum. Aut numquid carnem non habuit, qui flagellū de fune fecit, & omnes inimicos eius ac persecutores de tēplo eliminauit? Vbi omnis diuinitatis eius potentia claruit. Illud autem quod post resurrectionem ad discipulos clausis ingressus est ianuis, eiusdem virtutis fuit, cuius ex oculis euanescebat. Dicunt enim homines seculi istius, APOLLONIVM magū, cum ante DOMICIANVM imperatorē in cōsistorio staret, repente non comparuisse. Hæc tamen non diximus, non quod magum dæmone repletum Domino Christo comparemus, sed vt hæreticorum insaniam confutaremus. Quod ergo mago licet, si tamē verum est, domino nō licet? Linx quippe (vt physiologi ferunt) omnia opposita visu limpidiſſimo penetrat, dominus autē Christus clausis ianuis, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Quod certe & ante resurrectionem pendulo super mare ambulauit incessu, eiusdem virtutis fuit. Et hoc ipsum apostolo suo præbuit Petro, qui cum fide super aquas ambularet, infidelitate postea mergi cœpit, qui mergi potuisset, nisi eum citius dextera domini continuisset. Aquilæ & vultures transmarina cadauera sentiunt, Saluator apostolos suos nisi ostia aperuerit non videbit? Ad postremum dicas mihi velim, quod maius sit, tantam terræ magnitudinem tribus appendere digitis & super aquas incertam librari, an Dominum trāsire per clausā creaturam? Creatori quod maius est tribuis, & quod minus est calumniaris. Petrus apostolus (vt iam dictū est) super aquas ambulabat, & graui & solido corpori mollis vnda, nisi paululum dubitasset, non cesserit, & tu Deum calumniaris quare clausis ingressus sit ostiis? Paululum ergo fides Petri dubitauit, & statim naturam suā corpus agnouit, vt nos sciremus super aquas nō corpus ambulasse, sed fidem. Noli ad iudicium tuum potentiam Domini magorum præstigijs aut æquare, aut inferiorem facere, vt videatur fuisse, quod non fuit: vt putetur comedisse sine dentibus, fregisse panem sine manibus, ambulasse sine pedibus, locutū fuisse sine lingua aut capite, reclinatum esse mōstrare sine corpore. Et quomodo

Christum nō
fuisse phan-
tasma.

Apolloniu
magus.

Linx in vi-
dendo vis.

Vultures
transmarina
cadauera ob-
faciūt.

Fides Petri
super aquas
ambulauit,
non corpus.

modo, inquit, non cognoscebāt eum in itinere, si ipsum habebat corpus, quod ante passionem suam habuit? Erras enim, & multum erras, qui non audis Euangelium: Quia oculi eorum tenebantur, ne eū agnoscerent. Et paulo post: Oculi, inquit, eorum aperti sunt, & cognouerunt eum. Nunquid in tantū desipis, ut alium eum fuisse dicas, quādo cognoscebatur? & certe vnus idēque erat. Cognoscere ergo & non cognoscere videntium oculorum fuit, non eius qui videbatur, ut vaticinium sancti Hieremīe compleretur, qui ait: Quare sicut colonus futurus es in terra, & sicut viator declinans ad manendum? Denique, ut scias errorem qui versabatur in medio, non corporis Domini, sed oculorum fuisse clausorum: aperti sunt oculi eorum, & mox agnoscebant eum. Nam & Maria Magdalena, quamdiu viuam quærebat inter mortuos non cognoscebat Iesum. At vbi eum cognouit, mox Dominum confitetur. Iam naui verò omnibus discipulis vnā positis, Iesus stabat in littore: ceteris autem eum non cognoscentibus, Ioannes prior cognouit eum, & dixit: Dominus est. Dicebat rem veram, & satis congruū erat, ut virginitas virginalē prius cognosceret corpus. Idem ergo erat, & idem non ab omnibus vide-

batur. Statimque Euangelista subiungit: Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia dominus est. Non tamen quod alter deus, alter homo esset, sed vnus atque idem esset filius Dei, & filius hominis: Cognoscebatur enim ut homo, adorabatur autem ut Deus: complens illud quod eis ipse dominus imprecatus fuerat, dicens ad patrem: Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum deum, & quem misisti Iesum Christū. Dignum ergo est, & satis dignum, ut caro hominis cœlis inferatur, cuius habitator deus esse dignatus est, nec potest videri iniuria hominem factum esse cœli incolam, cuius vaginam nō est dedignatus spiritus, qui deus est. Iustum ergo fuit, ut corpus in quo Deus habitando terram viuificare dignatus est, per quod particeps nostri factus est, ad immortalitatem perduceret. Vbi ergo dei habitatio esse debuit, nisi in regno Dei? Vbi autem regnum Dei nisi in cœlis? ibi omnis ecclesia cum illo erit. Cū ergo lutum carnis nostræ in testam fuerit excoctū, & quæ prius graui pondere premebatur in terram, acceptis pen- nis gratiæ spiritualis cum subiectione angelorum volabit ad cœlum, vbi verum & pacificum suæ salutis obsidem habet in æternum.

FINIS.

Capita libri de iis qui initiantur mysteriis.

- De continuatione huius libri ad superiores, cum exhortatione auditorum ut aures aperiant et bonum odorem vitæ æternæ inhalatum munere sacramentorum carpant, quemadmodum ipsis etiā prius author se id significasse commemorat.* Cap. I.
- Qua ratione ingressus, regenerationis sacramentum repetere debeat quid interrogatus fuerit cum baptizaretur, et quid viderit.* Cap. II.
- Quod idcirco inuisibilis gratia diuini spiritus præsens operetur in aquis baptismatis, ut omne abluatur peccatum, per multa exempla & figuras comprobatio.* Cap. III.
- Quod tres sint qui testificantur in baptismo, et de mysterio & forma baptismatis, ac de angelo qui commouit natatoriam piscinam. De baptismo præterea Christi, et columba quæ super eum descendit de cælo. Quodque sæpe species pro veritate accipiatur.* Cap. IIII.
- Quod in iis quæ à sacerdotibus fiunt, non merita personarum, sed officia consideranda sint. Et quomodo in baptismo aequaliter promittatur in patrem, et in filium, et in spiritū sanctū credere debere.* Cap. V.
- Quare fiat unctio in capite, et de lotionē pedum discipulorum. Et quare Petrus qui mūdus erat, plantam lauare debebat.* Cap. VI.
- De mysterio vestimentorum candidorū quibus induuntur infantes. Et quomodo ecclesia hæc habens vestimenta dicat in Canticis: Nigra sum & decora, et cætera quæ sequuntur.* Cap. VII.
- De sacrosancti corporis dominici communionē, et conuiuio cœlesti. Quodque antiquiora sunt ecclesiæ sacramenta quàm synagoga, et præstantiora quàm fuerit manna.* Cap. VIII.
- De virtute sacramenti corporis & sanguinis Christi, et comparationē per excessum ipsius ad manna, et ad aquas petra. Et de per plurima exēpla probatione quod corpus Christi quod accipimus, nō panis sit, sed caro, quæ ex virgine nata, quæ crucifixa, quæ sepulta fuerit.* Cap. IX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS DE IIS QUI MY-
STERIIS INITIANTVR. LIBER VNVS.

De continuatione huius libri ad superiores, cum exhortatione auditorum ut aures aperiant, et bonum odorem vitæ æternæ inhalatum munere sacramentorum carpant, quemadmodum ipsis etiā prius author se id significasse commemorat. CAP. I.



DE moralibus quotidianum sermonem habuimus, cum vel patriarcharum gesta vel Prouerbiorum legerentur præcepta, ut his informati atque instituti assuesceretis maiorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac diuinis obedire oraculis, quo renouati per baptismum, eius vitæ vsum teneretis quæ ablutos deceret. Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere, quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quàm edidisse æstimaremur. Deinde quod inopinātibz melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quā si eam sermo aliquis præcurrisset. Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpate, quod vobis significauimus, cū apertionis celebrantes mysterium diceremus: Effeta, quod est adaperire: ut venturus vnusquisque ad gratiam quid interrogaretur cognosceret, quid responderet meminisse deberet. Hoc mysterium celebravit Christus in Euangelio, sicut legimus, cum mutum curaret & surdum. Sed illi os tetigit: quia & mutum curabat & virum: In altero ut os eius infusæ sonum vocis aperiret: In altero quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.

Qua ratione ingressus regenerationis sacramentū, repetere debeat quid interrogatus fuerit cum baptizaretur, et quid viderit. CAP. II.

Post hæc referata tibi sunt sancta sanctorum, Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renunciasti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulto mortuorum, sed in libro viuentium. Vidisti illic leuitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiā. Præsentibus angelis locutus es, sicut scriptum est: Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, quoniam angelus est Domini omnipotentis. Non est fallere, non est negare. Angelus est qui regnum Christi & vitam æternam annunciat. Nō specie tibi æstimandus est, sed munere. Quid tradiderit considera, vsum eius expende, & statum eius agnosce. Ingressus igitur ut aduersarium tuum cerneret, cui renunciandū mox putares, ad oriētem conuerteris. Qui enim renunciat diabolo, ad Christum conuertitur, illum directo cernit obtutu.

Quod idcirco inuisibilis gratia diuini spiritus præsens operetur in aquis baptismatis, ut omne abluatur peccatum, per multa exempla & figuras comprobatio. CAP. III.

Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas. Leuitas illic ministrantes, Summum sacerdotem interrogantem & consecrantem. Primo omnium docuit te Apostolus non ea contemplanda nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Nam & alibi habes: Quia inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, comprehenduntur, sempiterna quoque virtus eius ac diuinitas operibus æstimantur. Vnde & Dominus ait: Si mihi non creditis, vel operibus credite. Crede ergo diuinitatis illic esse præsentiam. Operationem credis, non credis præsentiam? Vnde sequeretur operatio, nisi præcederet antè præsentia? Considera autem quàm vetus mysterium sit in ipsius mundi præfiguratum origine. In principio ipso, quando fecit Deus cœlum & terram, spiritus, inquit, ferebatur super aquas. Qui superferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Sed quid dicā, operabatur? Quod ad præsentiam spectat, superferebatur. Nō operabatur, qui superferebatur? Cognosce quia operabatur in illa mundi fabrica, quando tibi dicit propheta: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, vtrumque prophetico subnixum est testimonio, & quia superferebatur, & quia operabatur. Quia superferebatur, Moyses dicit: quia operabatur, David testificatur. Accipe aliud testimoniū.

DCorrupta erat caro omnis ab iniquitatibus suis. Nō permanebit, inquit, Deus, spiritus meus in hominibus, quoniam carnes sunt. Quo ostendit Deus, quia carnali immunditia grauioris labe peccati gratia spiritualis auertitur. Vnde volens Deus reparare quod deerat, diluuium fecit, & iustum Noë in arcam iussit ascendere. Qui iam decedente diluuiio coruum dimisit prius, qui nō reuertitur: dimisit columbam, quæ cum ramo oleæ legitur reuertisse. Vides aquam? vides lignum? columbam aspicias, & dubitas de mysterio? Aqua est ergo qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatū. Sepelitur illic omne vitium. Lignū est, in quo suffixus est Dominus Iesus cū pateretur pro nobis. Columba est, in cuius specie descendit spiritus sanctus, sicut didicisti in nouo testamento, qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque mentis inspirat. Coruus est figura peccati, quod exit, & nō reuertitur, si in te quoque iusti custodia & forma seruetur. Tertiū quoque testimonium est, sicut te Apostolus docuit: Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Denique & ipse Moyses dicit in Cantico: Misisti spiritum tuum, & operuit eos mare. Aduertis quod in illo Hebræorum transitu iam tunc facti baptismatis figura præcesserit, in quo Ægyptius

Non agnitus Christus à discipulis.

Christus à Ioāne primū agnitus.

2. Corint. 4.

Rom. 1.

Ioan. 10.

Gen. 1.

Psal. 32.

Gen. 6.

Gen. 7.

Gen. 8.

1. Corint. 10.

Exodi 15.

perit, & Hebræus euasit. Quid enim aliud in hoc G
 quotidie sacramento docemur, nisi quia culpa mer-
 gitur, & error aboletur? Pietas autem & innocentia
 tota permanfit. Audis quia sub nube fuerunt patres
 nostri? Et bona nubes quæ carnaliū refrigerauit in-
 cendia passionum. Bona nubes obūbrat quos reuifit
 Spiritus sanctus. Denique superuenit in Mariam vir-
 ginem, & virtus altissimi obumbrabit ei, quando re-
 demptionem genti genuit humanæ. Et illud mira-
 culum per Moysen in figura factum est. Si ergo in fi-
 gura affuit spiritus, non adest in veritate, cum scri-
 ptura tibi dicat, quia lex per Moysen data est, gratia
 autem & veritas per Iesum Christū facta est? Marath
 fons amarissimus erat: misit in eum Moyses lignum,
 & dulcis est factus. Aqua enim sine prædicatione
 Dominicæ crucis ad nullos vsus futuræ salutis est.
 Cū verò salutaris fuerit crucis mysterio consecra-
 ta, tunc ad vsus spiritualis lauacri, & salutaris pocu-
 li temperatur. Sicut ergo in illū fontem Moyses mi-
 sit lignū, hoc est propheta: ita & in hūc fontē sacer-
 dos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua
 fit dulcis ad gratiā. Non ergo solis corporis tui cre-
 das oculis, magis videtur quod non videtur, quia
 istud temporale, illud æternum aspicitur: quod ocu-
 lis non comprehenditur, animo autē ac mente cer-
 nitur. Denique doceat te decursa regnorū lectio.
 Naamā Syrus erat, & leprā habebat, nec ab vllō mū-
 dari poterat. Tunc ait puella ex captiuis, quoniam
 esset propheta in Israel, qui posset eum à lepræ con-
 tagione mūdare. Sūpto, inquit, auro & argento, per-
 rexit ad regē Israël. Qui cognita aduentus eius cau-
 sa, scidit vestimenta sua, dicens, quod tentaretur
 magis, cū de se ea quæ non essent potestatis regiæ,
 poscerentur. Helisæus autem regi intimaui ut ad K
 se dirigeret Syrum, quo cognosceret quod esset
 Deus in Israel. Et cū venisset, mādauit ei vt septies
 mergeretur in Iordane fluuio. Tunc ille secum tra-
 ctare cœpit quod meliores aquas haberent patriæ
 suæ, in quibus sæpe merisset, & nunquam à lepra ef-
 fet mundatus: eoque reuocatus non obediebat mā-
 datis propheta, sed admonitu & persuasionibus ser-
 uulorum acqueuit, ac merfit. Mundatūque illico
 intellexit non aquarum esse quod vnusquisque mū-
 datur, sed gratiæ. Recognosce nunc quæ sit illa
 puella ex captiuis, iunior scilicet ex gentibus con-
 gregatio, id est, ecclesia Domini, depressa antē
 captiuitate peccati, quando libertatem adhuc gra-
 tiæ non habebat, cuius consilio vanus ille populus
 nationū verbum audiuit propheticum, de quo diu
 ante dubitauit: postea tamen vbi credidit exequen-
 dum, ablutus est ab omni contagio vitiorum. Et ille
 dubitauit antequā sanaretur: tu iā sanatus es, & ideo
 dubitare non debes.

Lucæ 1.

Ioan. 1.
Exod. 15.

4. Reg. 5.

*Quod tres sint qui testificatur in baptismo, et de mysterio &
 forma baptismatis, ac de angelo qui commouit natatorium
 piscinam. De baptismo præterea Christi, & columba quæ
 super eum descendit de cælo. Quodque sæpe species pro ve-
 ritate accipiatur.* CAP. IIII.

Ideo tibi ante prædictum est, vt non hoc solum
 crederes quod videbas, ne fortè & tu diceres:
 Hoc est illud magnum mysterium quod oculus non

vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
 dit? Aquas video, quas videbam quotidie: istæ me
 habent mundare, in quas sæpe descendi, & nunquā
 mundatus sum? Hinc cognosce quod aqua non mū-
 dat sine spiritu. Ideoque legisti quod tres testes in
 baptisinate vnum sint, aqua, sanguis, & spiritus:
 quia si vnum horum detrahas, non stat baptismatis
 sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Chri-
 sti? Elementum commune, sine vllō sacramenti ef-
 fectu. nec iterum sine aqua regenerationis mysteriū
 est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,
 non potest introire in regnum Dei. Credit autem
 etiam catechumenus in crucem Domini Iesu, quia
 & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomi-
 ne patris, & filij, & Spiritus sancti, remissionem non
 potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiæ mu-
 nus haurire. Ergo ille Syrus septies merfit in lege,
 Tu autem baptizatus es in nomine trinitatis, con-
 fessus es patrem, recordare quid feceris: confessus es
 filium, confessus es Spiritum sanctum. Tene ordi-
 nem rerum in hac fide, mūdo mortuus es, & deo re-
 surrexisti, Et quasi in illo mūdi es cōsepultus elemē-
 to, peccato mortuus, ad vitam es resuscitatus æternam.
 Crede ergo quia nō sunt vacuæ aque: ideo tibi
 dictum est: quia angelus Domini descendebat se-
 cundum tempus in natatoriam, & mouebatur aqua,
 & qui prior descendisset in natatoriam post cōmo-
 tionem aquæ, sanus fiebat à languore quocūque te-
 nebatur. Hæc piscina in Hierosolymis erat, in qua
 vnus annuus sanabatur. Sed nemo ante sanabatur,
 quàm descendisset angelus: vt esset iudicium quia
 descenderat angelus, mouebatur aqua propter in-
 credulos. Illis signum, tibi fides, Illis angelus des-
 cendebat, tibi Spiritus sanctus. Illis creatura moue-
 batur, tibi Christus operatur ipse Dominus creaturæ.
 Tūc curabatur vnus, nūc omnes sanantur, aut cer-
 tē vnus solus populus Christianus. Est enim in ali-
 quibus & aqua mēdax, nō sanat baptismus perfido-
 rum, non mundat, sed polluit. Iudæus vrceos bap-
 tizat & calices, quasi insensibilia vel culpam possint
 recipere vel gratiam. Tu baptiza hunc calicē tuū
 sensibilem in quo bona opera tua luceant, in quo
 gratiæ tuæ splendor fulgeat. Ergo & illa piscina in fi-
 gura, vt credas quia in hunc fontem vis diuina des-
 cendit. Denique paralyticus ille expectabat homi-
 nem. Quem? nisi illum Dominum Iesum natum ex
 virgine, cuius aduentu iam nō vmbra sanaret singu-
 los, sed veritas vniuersos? Iste est ergo qui expecta-
 batur vt descēderet, de quo dixit Deus pater ad Ioā-
 nem Baptistam: Super quem videris spiritum descē-
 dentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui
 baptizat in Spiritu sancto. De quo testificatus est Io-
 annes dicens: Quia vidi spiritum descendentem de
 cælo quasi columbam, & manentem super eum. Et
 hic quare spiritus sicut columba descendit, nisi
 vt tu videres, nisi vt tu agnosceres columbam etiā
 illam quam Noë iustus emisit ex arca, istius colum-
 bæ speciem fuisse, vt typum agnosceres sacramen-
 ti? Et fortasse dicas: Cū illa vera columba fuerit
 quæ emissa est, hic quasi columba descēderit: quo-
 modo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem,
 cū secundum Græcos in specie columbæ super
 aquā diuinitatis spiritum descendisse sit scriptū? Sed
 quid

Math. 10.

Philip. 2.

Math. 3.

Psal. 28.
Iudic. 6.
2. Reg. 18.

Math. 18.

Psal. 132.

Cantic. 1.

309 quid tam verum quàm diuinitas, quæ manet sem-
 per? creaturæ autem non potest veritas esse, sed spe-
 cies, quæ facillè soluitur atque mutatur. Simul quia
 eorum qui baptizantur, non in specie esse debeat,
 sed vera simplicitas. Vnde & Dominus ait: Estote
 astuti sicut serpentes, & simplices sicut colūbæ. Me-
 ritò ergo sicut colūba descendit, vt admoneret nos
 simplicitatem colūbæ habere debere. Speciem autē
 pro veritate accipiendam legimus & de Christo: Et
 specie inuentus vt homo. Et de patre Deo: Neque
 speciem eius vidistis.

*Quod in iis quæ a sacerdotibus fiunt, non merita personarum,
 sed officia consideranda sint. Et quomodo in baptismo æ-
 qualiter promittatur in patrem, & in filium, & in Spiritum
 sanctum credere debere.* CAP. V.

Est ne adhuc quod dubitare debeas, cū euidē-
 ter tibi clamet in Euangelio pater, qui ait: Hic
 est filius meus in quo complacui? Clamet filius su-
 per quem sicut columba se demonstrauit Spiritus
 sanctus. Clamet & Spiritus sanctus, qui sicut colum-
 ba descendit. Clamet Dauid: Vox Domini super a-
 quas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super a-
 quas multas. Cū tibi scriptura testetur quod ad
 Hieroboal preces ignis descenderit de cælo. Et rur-
 sus precante Helia ignis est missus qui sacrificium
 consecrauit. Non merita personarum consideres,
 sed officia sacerdotum. Et si merita spectas, sicut
 Heliam consideres, Petri quoque merita spectato
 vel Pauli, quia acceptum à Domino Iesu, hoc nobis
 mysterium tradiderunt. Ignis illis visibilis mitteba-
 tur vt crederent, nobis inuisibilis operatur qui cre-
 dimus. Illis in figuram, nobis ad commonitionem.
 Crede ergo adesse Dominum Iesum inuocatum
 precibus sacerdotum, qui ait: Vbi fuerint duo vel
 tres, ibi & ego sum. Quanto magis vbi est ecclesia,
 vbi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire
 præsentiam. Descendisti igitur, recordare quid respō-
 deris, quod credas in patrē, credas in filiū, credas in
 Spiritum sanctū. Nō habes illic, Credo in maiorē &
 minorem & vltimum. Sed eadem vocis tuæ cautio-
 ne constringeris, vt similiter credas in filium sicut
 in patrem credis. Similiter in Spiritum sanctum
 credas, sicut credis in filium, hoc solo excepto quod E
 in crucem solius Domini Iesu fateris tibi esse cre-
 dendum.

*Quare fiat unctio in capite, & de lotionem pedum discipulo-
 rum. Et quare Petrus qui mundus erat, plantam lauare
 debebat.* CAP. VI.

Post hæc vtique ascendisti ad sacerdotem, consi-
 dera quid secutum sit. Nōne illud quod ait da-
 uid: Sicut vnguentum in capite, quod descendit in
 barbam Aaron? Hoc est vnguentum de quo
 & Salomon ait: Vnguentum exinanitum est nomen
 tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & at-
 traxerunt te. Quantæ hodie renouatæ animæ dile-
 xerunt te Domine Iesu dicentes: Attrahe nos post
 te, in odorem vestimentorum tuorum curremus, vt
 odorem resurrectionis haurirent. Quare hoc fiat in-
 tellige, quia oculi sapientis in capite eius. Ideo in

barbam defluit, id est, in gratiam iuuentutis. Ideo in
 barbam Aaron, vt fias electum genus, sacerdotale,
 preciosum. Omnes enim in regnum Dei & in sacer-
 dotium vngimur gratia spiritali. Ascendisti de fon-
 te, memento euangelicæ lectionis. Etenim Domi-
 nus noster Iesus in euangelio lauit pedes discipulis
 suis, quando venit ad Simonem Petrum, & ait Pe-
 trus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Non ad-
 uertit mysteriū, & ideo ministerium recusauit, quod
 grauari humilitatē serui crederet, si sibi obsequium
 Domini patienter admitteret. Cui respondit domi-
 nus: Si non lauero tibi pedes, non habebis partem
 mecum. Quo audito Petrus, Domine non tantum
 pedes, inquit, sed manus & caput. Respondit domi-
 nus: Qui lotus est, nō indiget nisi vt pedes lauet, sed
 est mundus totus. Mundus erat Petrus: sed plantam
 lauare debebat. Habebat enim primi hominis de
 successione peccatum, quando eum supplantauit
 serpens, & persuasit errorem. Ideo planta eius ablu-
 tur, vt hæreditaria peccata tollantur. Nostra enim
 propria per baptismum relaxantur. Simul cognosce
 mysterium ipsum humilitatis consistere in ministe-
 rio. Ait enim: Si ego laui vobis pedes Dominus &
 magister, quanto magis & vos debitis lauare pedes
 inuicem vobis? Cū enim ipse author salutis per
 obedientiam nos redemerit, quanto magis nos ser-
 uuli eius humilitatis & obedientiæ exhibere debe-
 mus obsequium?

*De mysterio vestimentorum candidorum quibus induuntur
 infantes, & quomodo ecclesia hæc habens vestimenta di-
 cat in Canticis: Nigra sum & decora, & cetera quæ se-
 quantur.* CAP. VII.

Accepisti post hæc vestimenta candida, vt esset
 indicium quod exueris inuolucrum peccato-
 rum, indueris innocentie casta velamina, de quibus
 dixit propheta: Asperges me hyssopo, & mūdabor:
 lauabis me, & super niuem dealbabor. Qui enim ba-
 ptizatur: & secundum legem, & secundum Euange-
 lium videtur esse mundatus. Secundum legem, quia
 hyssopi fasciculo Moyses aspergebat sanguinem a-
 gni. Secundum Euangelium, quia Christi erat can-
 dida vestimenta sicut nix, cū resurrectionis suæ
 gloriam in Euangelio demonstraret. Super niuem
 dealbatur, cui culpa dimittitur. Vnde & per Esaia
 Dominus ait: Si fuerint peccata vestra sicut Phœni-
 cium, vt niuem dealbabo. Hæc vestimenta habens
 ecclesia per lauacrum regenerationis assumpta, dicit
 in Canticis: Nigra sum & decora filiæ Hierusalem.
 Nigra per fragilitatem conditionis humanæ: decora
 fidei sacramento. Hæc vestimenta cernentes filiæ
 Hierusalem, stupefactæ dicunt: Quæ est hæc quæ a-
 scendit dealbata? Hæc erat nigra: vnde nunc subito
 dealbata? Dubitauerunt enim etiam angeli cū re-
 surgeret Christus, dubitauerunt potestates cælo-
 rum videntes quod caro in cælum ascenderet. De-
 nique dicebant: Quis est iste rex gloriæ? Et cū alij
 dicerēt, Tollite portas principis vestri, & eleuamini
 portæ æternales, & introibit rex gloriæ: alij dubita-
 bant dicentes: Quis est iste rex gloriæ? In Esaia quo-
 que habes dubitantes virtutes cælorū dixisse: Quis

Ioan. 13.

Psal. 50.

Exod. 24.
Heb. 9.

Esa. 1.

Cantic. 1.

Psal. 23.

Esa. 63.

est iste qui ascendit ex Edom, rubor vestimentorum G
 eius ex Bosor, speciosus in stola candida? Christus
 autem videns ecclesiam suam in vestimentis candi-
 dis, pro qua ipse (vt habes in Zachariae libro pro-
 pheta) sordida vestimenta susceperat, vel animam
 regenerationis lauacro mundam atque ablutam, di-
 cit: Ecce formosa es proxima mea, ecce es formosa,
 oculi tui sicut columbae, in cuius specie Spiritus san-
 ctus descendit de caelo. Formosi oculi sicut diximus
 supra, quia sicut columba descendit. Et infra: Den-
 tes tui sicut grex tonfarum quae ascenderunt de la-
 uacro, quae omnes geminos creant, & infœcunda H
 non est in eis, vt respicula coccinea labia tua. Non
 mediocris ista laudatio. Primum dulci comparatio-
 ne tonfarum. Capras enim & in altis pasci sine peri-
 culo nouimus, & in prærumptis securas cibum sume-
 re. Deinde cum tondetur, deonerari superfluis. Ha-
 rum gregi comparatur ecclesia, multas in se habens
 animarum virtutes, quæ per lauacrum superflua pec-
 cata deponant, quæ mysticam fidem & moralem
 gratiam deferant Christo, quæ crucem Domini Ie-
 su loquantur. In iis formosa est ecclesia. Vnde ad
 eam verbum Deus dicit: Tota formosa es proxima
 mea, & reprehensio non est in te: quia culpa demer-
 sa est. Ades huc à libano sponsa, ades huc à libano,
 transibis & pertransibis à principio fidei, eò quòd
 renuncians mundo transierit seculum, pertransierit
 ad Christum. Et iterum dicit ad eam Deus verbum:
 Quam pulchra & suavis facta est charitas in deliciis
 tuis? Statura tua similis facta est palmæ, & vbera tua
 botris. Cui respondet ecclesia: Quis dabit te frater
 mihi, lactantem vbera matris meæ? Inueniens te
 foris, osculabor te. Et quidem non spernent me.
 Assumam te, & inducam te in domum matris meæ, K
 & in secretum eius quæ concepit me, docebis me.
 Vides quemadmodum delectata munere gratia-
 rum, ad interiora cupit mysteria peruenire, & om-
 nes sensus suos consecrare Christo? Adhuc quærit
 suscitatem, & suscitari eam sibi poscit à filiabus Hie-
 rusalem, quarum gratia, hoc est animarum fidelium,
 sponsum in amorem sui vberiore desiderat pro-
 uocari. Vnde dominus Iesus & ipse inuitatus tanto
 studio charitatis, pulchritudine decoris & gratiæ,
 quòd nulla iam in ablutis delicta sorderent, dicit ad
 ecclesiam: Pone me vt signaculum in corde tuo, vt L
 sigillum in brachio tuo: hoc est, decora es proxima
 mea, tota formosa es, nihil tibi deest. Pone me vt
 signaculum in corde tuo, quo fides tua pleno ful-
 geat sacramento. Opera quoque tua luceant, & ima-
 ginem Dei præferant, ad cuius imaginem facta es.
 Caritas tua nulla persecutione minuat, quam
 multa aqua excludere, flumina inundare nõ possint.
 Vnde repete quia accepisti signaculum spiritale, spi-
 ritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij at-
 que virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis,
 Spiritum sancti timoris: & serua quod accepisti. Si-
 gnauit te Deus pater, confirmauit te Christus Do-
 minus, & dedit pignus spiritus in cordibus tuis, sicut
 Apostolica lectione dedisti.

Zacha. 3.

Cantic. 4.

Cantic. 4.

Can. 7.

Can. 8.

Can. 8.

Es. 11.

2. corin. 5.

De sacrosancti corporis dominici communionem, & conui-
 uio celesti. Quòdque antiquiora sint ecclesie sacramenta
 quam synagoga, & præstantiora quam fuerit manna.

His abluta plebs diu es insignibus ad Christi cõ-
 tedit altaria, dicens: Et introibo ad altare Dei,
 ad Deum qui latificat iuuentutem meam. Depositi-
 tis autem inueterati erroris exuiis, renouata in a-
 quilæ iuuentutem, cœleste illud festinat adire con-
 uiuium. Venit igitur, & videns sacrosanctum altare
 compositum, exclamans ait: Parasti in conspectu
 meo mensam. Hanc loquentem inducit Dauid di-
 cens: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in lo-
 co pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectio-
 nis educauit me. Et infra: Nam & si ambulem in
 medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam
 tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me cõ-
 solata sunt. Parasti in conspectu meo mensam ad-
 uersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo ca-
 put meum, & poculum meum inebrians quàm præ-
 clarum est. Nunc illud consideremus, ne quis fortè
 visibilia videns, quoniam quæ sunt inuisibilia, non
 videntur, nec possunt humanis oculis comprehen-
 di, dicat fortè: Iudæis Deus manna pluit, pluit co-
 turnices: Ecclesie autem illi dilectæ hæc sunt quæ
 præparauit, de quibus dictum est quòd oculus non
 vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit
 quæ præparauit Deus diligentibus eum. Ergo ne
 quis hoc dicat, summo studio volumus comproba-
 re quòd & antiquiora sunt sacramenta ecclesie quàm
 synagoga, & præstantiora quàm manna est. Anti-
 quiora docet lectio Genesis quæ decursa est. Syna-
 goga enim ex lege Moyfi principium sumpsit: Abra-
 ham verò longè anterior, qui victis hostibus, & ne-
 pote proprio recepto, cum potiretur victoria, tunc
 illi occurrit Melchisedech, & protulit ea quæ Abra-
 ham veneratus accepit, non Abraham protulit, sed
 Melchisedech, qui inducitur sine patre, sine matre,
 neque initium dierum, neque finem habens, similis
 autè filio Dei: de quo ait Paulus ad Hebræos: Quia
 manet sacerdos in perpetuum, quia interpretatione
 latina dicitur rex iustitiæ, rex pacis. Non agnoscis
 quis iste sit? Potest homo esse rex iustitiæ, cum vix
 iustus sit? Potest esse rex pacis, cum vix possit esse
 pacificus: Sine matre secundum diuinitatem, quia
 ex patre Deo genitus est, vnus substantiæ cum pa-
 tre. Sine patre secundum incarnationem, qui natus
 ex virgine est. Initium & finem non habens, quia
 ipse est initium & finis omnium, primus & nouissi-
 mus. Non igitur humani, sed diuini est muneris sa-
 cramentum quòd accepisti, ab eo prolatum qui be-
 nedixit fidei patrem Abraham, illum cuius gratiam,
 & gesta miraris. Probatum est antiquiora esse Ec-
 clesie sacramenta, nunc cognosce potiora. Reuera
 mirabile est quòd manna Deus pluerit patribus, &
 quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde di-
 ctum est: Panem angelorum manducauit homo. Sed
 tamen panem illum qui manducauerunt, omnes in
 deserto mortui sunt. Ista autem esca quam accipis,
 iste panis viuus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ
 substantiam subministrat: & quicumque hunc pa-
 nem manducauerit, non morietur in æternum: &
 corpus est Christi.

1. Cor. 10. Hebr. 3.

Exod. 15.

4. Reg. 6.

De vir-

De virtute sacramenti corporis & sanguinis Christi, & cõ-
 paratione per excessum ipsius ad manna, & ad aquas pe-
 træ. Et de per plurima exempla probatione quòd Corpus
 Christi quòd accipimus, non panis sit, sed caro, quæ ex vir-
 gine nata, quæ crucifixæ, quæ sepulta fuit.

CONsidera nunc vtrum præstantior sit panis an-
 gelorum, an caro Christi, quæ vtique corpus
 est vitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud
 cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni ob-
 noxium, si in diem alterum seruaretur: hoc alienum
 ab omni corruptione, quòd quicumque religiosè
 gustauerit, corruptionem sentire nõ poterit. Illis a-
 qua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad
 horam satiauit aqua, te sanguis diluit in æternum.
 Iudæus bibit, & sitit: tu cum biberis, sitire non po-
 teris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Si illud
 quòd miraris, umbra est, quantum istud est cuius &
 umbram miraris? Audi quia umbra est quæ apud
 patres facta est. Bibebant, inquit, de consequenti
 petra, petra autem erat Christus. Sed non in plu-
 ribus eorum complacitum est Deo: nam prostrati
 sunt in deserto. Hæc autè in figurâ facta sunt nostri.
 Cognouisti præstantiora? Potior etenim lux quàm
 umbra, veritas quàm figura, corpus authoris quàm
 manna de cœlo. Fortè dicas: Aliud video, quomodo
 tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam? Et
 hoc nobis adhuc superest, vt probemus. Quantis
 igitur vtimur exēplis? Probemus nõ hoc esse quòd
 natura formauit: sed quòd benedictio consecrauit:
 Maioremque vim esse benedictionis quàm naturæ,
 quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgã
 tenebat Moyses, proiecit eã, & facta est serpens. Rur-
 sus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ natu-
 ram reuertitur. Vides igitur Prophetica gratia bis
 mutatam esse naturam & serpentis & virgæ. Cur-
 rebat Ægypti flumina puro aquarum meatu, subitò
 de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non
 erat potus in fluuiis. Rursus ad prophetæ preces
 cruor cessauit fluminum, & aquarum natura remea-
 uit. Circunclusus vndique erat populus Hebræo-
 rum, hinc Ægyptiis valatus, inde mari clausus.
 Virgam leuauit Moyses, separauit se aqua, & in mu-
 rorum speciem congelauit, atque inter vndas via
 pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus
 contra naturam in sui fontis reuertitur exordium.
 Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum
 vel fluuialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus
 patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra flu-
 xit. Nunquid non præter naturam operata est gra-
 tia, vt aquam vomeret petra quæ nõ habebat natu-
 ra? Marath fluuius amarissimus erat, vt sitiens po-
 pulus bibere non posset. Misit Moyses lignum in
 aquam, & amaritudinem suam aquarum natura de-
 posuit, quam insula subito gratia temperauit. Sub
 Helisæo propheta vni ex filiis prophetarum excus-
 sum est ferrum de securi, & statim mersum est. Rogauit
 Helisæus qui amiserat ferrum: misit etiã He-
 liseus lignum in aquam, & ferrum natauit: vtique
 & hoc præter naturam factum esse cognoscimus.
 Grauior est enim ferri species, quàm aquarum li-
 S. Ambr. tom. 4.

quor. Auertimus igitur maioris esse virtutis gra-
 tiam quàm naturam, & adhuc tamen prophetica
 benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tan-
 tum valuit humana benedictio, vt naturam conuer-
 teret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, v-
 bi verba ipsa Domini saluatoris operantur? Nam sa-
 cramentum istud quòd accipis, Christi sermone cõ-
 ficitur. Quòd si tantum valuit sermo Helie, vt i-
 gnem de cœlo deponeret, non valebit Christi ser-
 mo, vt species mutet elementorum? De totius mün-
 di operibus legisti: Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse
 mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi qui
 potuit ex nihilo facere quòd non erat, non potest
 ea quæ sunt, in id mutare quòd non erant? Nõ enim
 minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas.
 Sed quoad argumentis vtimur? suis vtamur exem-
 plis, incarnationisque astruamus mysterij verita-
 tem. Nunquid naturæ vsus præcessit cum Iesus Do-
 minus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus,
 vito mixta scemina generare consuevit. Liqueat igitur
 quòd præter naturæ ordinem virgo generauit:
 & hoc quòd cõficiamus, corpus ex virgine est. Quid
 hic quaris naturæ ordinem in Christi corpore, cum
 præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex
 virgine? Vera vtique caro Christi, quæ crucifixæ est,
 quæ sepulta est: verè ergo carnis illius sacramentum
 est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus
 meum. Ante benedictionem verborum cœlestium
 alia species nominatur, post consecrationem cor-
 pus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum.
 Ante consecrationem aliud dicitur, post consecra-
 tionem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, amens
 hoc est, verum est: quòd os loquitur, mēs interna
 fateatur: quòd sermo sonat, affectus sentiat. His igitur
 sacramentis pascit ecclesiam suam Christus, qui-
 bus animæ firmatur substantia. Meritoque videns
 profectum eius gratiæ continentem, dicit ad eam:
 Quàm decora facta sunt vbera tua soror mea spon-
 sa, quàm decora facta sunt à vino: & odor vestimē-
 torum tuorum super omnia aromata. Fauus distillās
 labia tua õ sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor
 vestimentorum tuorum sicut odor libani. Hortus
 conclusus soror mea, sponsa mea, hortus conclu-
 sus, fons signatus. Quo significat signatum debere
 apud te manere mysterium, ne violetur operibus
 malæ vitæ, atque adulterio castitatis, ne diuulgetur
 quibus non conuenit, ne garrula locacitate disper-
 gatur in perfidos. Bona debet ergo fidei tue esse cu-
 stodia, vt intemerata vitæ ac silentij integritas per-
 seueret. Vnde & ecclesia altitudinem seruans my-
 steriorum cœlestium, reicit à se grauiores venti pro-
 cellas, & inuitat venantis gratiæ suauitatem: & sciēs
 quòd hortus suus Christo displicere non possit, ad-
 uocat ipsum sponsum dicens: Exurge aquilo, & ve-
 ni auster, perfla hortum meum, & fluant vnguentā
 mea. Descendat frater meus in hortum suum, &
 edat fructum pomiferarum suarum. Bonas enim
 arbores & fructiferas habet, quæ radices suas tin-
 xerint in sacri fontis irriguo, & in bonos fructus
 nouæ fecunditatis germine pullulauerint, vt non
 iam Prophetica cædantur securi, sed Euangelicæ v-
 bertate fecundentur. Denique fertilitate carū Do-

Psal. 148.

2. Cor. 10.

Cantic. 4.

o

minus delectatus respondet: Ingressus sum in hortum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham cum unguentis meis, manducaui cibum meum cum melle meo, bibi potum meum cum lacte meo. Quare cibum & potum dixerim, fidelis intellige. Illud autem non dubium, quod in nobis ipse manducat & bibit, sicut in nobis legisti, quia in carcere esse se dicit. Vnde & ecclesia videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad sacramenta concurrent, dicens: Edite proximi mei & bibite, & inebriamini charissimi mei. Quid edam? quid bibamus? Alibi tibi per Prophetam Spiritus sanctus expressit dicens: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi: non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Vnde & Apostolus de typo eius ait: Quia patres nostri escam spiritalem manducauerunt, & potum spiritalem biberunt. Corpus enim Dei, corpus est spiritale. Corpus Christi, corpus est diuini spiritus, quia spiritus Christi,

vt legimus: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Et in Petri epistola habemus: Christus pro nobis mortuus est. Denique cor nostrum esca ista confirmat, & potus iste latificat cor hominis, vt Propheta memorauit. Vnde adepti omnia sciamus regeneratos nos esse. Nec dicamus, quomodo regenerati sumus? nunquid in vterum matris nostrae introiuimus, & renati sumus? Non agnosco usum naturae. Sed nullus hic naturae ordo, vbi excellentia gratiae. Denique non semper vsus naturae regenerationem facit. Generatum ex virgine Christum Dominum cōfitemur, & naturae ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit, sed de spiritu sancto in vtero accepit, vt dicit Matthaeus: Quia inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. Si ergo superueniens Spiritus sanctus in virginem, conceptionem operatus est, & generationis munus impleuit, non vti que dubitandum est quod superueniens in fontem, vel super eum qui baptismum consequitur, veritatem regenerationis cooperetur.

FINIS

Capita libri primi De Sacramentis.

- De fide Christiani, & quomodo baptizatus considerare debeat paracta mysteria adaptionis. Qua etiam ratione in exorcismo aures & nares tangantur, & aperiantur, & quare nares, & non os. Cap. I.
- De unctione in baptismo, & abrenunciacione tunc facta. Et qua ratione sacerdos dicatur angelus, & de seruanda fide Christo promissa. Cap. II.
- Quod licet in baptismo sacerdos & minister videantur, alia tamen maiora sint quae operantur, & non videntur. Cap. III.
- Quod sacramenta Christianorum diuiniore & priora sint quam Iudaeorum. Et quid pascha significet. Cap. IIII.
- Quid significat lotio Naaman Syri leprosi, & quod non aqua sed consecratio mundet. Quodque in baptismo omnis iustitia sit constituta. Et de columba super Christum descendente, & quare Christus prior descenderit in aquam, & postea spiritus sanctus. Cap. V.
- Quomodo typus baptismatis praefiguratus fuerit per transitum rubri maris, & de malo murmuracionis. Quod etiam significet columna lucis praecedens, & nubis subsequens. Et quod in diluuiio figura baptismi praecesserit. Cap. VI.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS,

LIBER PRIMVS.

De fide christiani, & quomodo baptizatus considerare debeat paracta mysteria adaptionis. Qua etiam ratione in exorcismo aures & nares tangantur, vt aperiantur & quare nares, & non os. CAP. I.



E sacramentis quae accepistis, sermonem adorior cuius rationem non putauit ante praemitti. In Christiano enim virò prima est fides. Ideo Romae fi-

deles dicuntur qui baptizati sunt, & pater noster Abraham ex fide iustificatus est, non ex operibus. Ergo accepistis baptismum, credidistis. Ne fas est enim me aliud aestimare. Neque enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia iudicasset. Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem. Quae mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos & nares,

nares. Quod significat in Euangelio Dominus noster Iesus Christus cum ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures eius, & os eius. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus. Et ait: Effeta, quod Hebraicum verbum est, & Latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuae ad sermonem & ad eloquium sacerdotis. Sed dicis mihi, quare nares? Quia mutus erat, os tetigit: vt quia loqui non poterat sacramenta caelestia, vocem acciperet à Christo. Et ibi quia viri, hic quia mulieres baptizantur, & non eadem puritas serui, quanta & Domini. Cum ille peccata concedat, huic peccata donentur, quae potest esse comparatio? Ideo propter gratiam operis & muneris non os tangit episcopus, sed nares. Quare nares? Vt bonum odorem accipias pietatis aeternae, vt dicas: Christi enim bonus odor sumus Deo, quem admodum dixit Apostolus sanctus. Et sit in te fidei deuotionisque plena fragrantia.

De unctione in baptismo, & abrenunciacione tunc facta. Et qua ratione sacerdos dicatur angelus, & de seruanda fide Christo promissa. CAP. II.

Venimus ad fontem, ingressus es. Considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi leuita, occurrit, presbyter, vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctabitur, habet quod speret, vbi certamen, ibi corona. Luctaris in seculo, sed coronaris à Christo, & pro certaminibus seculi coronaris. Nā & si in caelo praemium, hic tamen meritum praemij collocatur. Quando te interrogauit, Abrenuncias diabolo & operibus eius? quid respondisti? Abrenuncio. Abrenuncias seculo, & voluptatibus eius? quid respondisti? Abrenuncio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias: teneris astrictus, & reuictatem te foenerator astringit si recusas, vadis ad iudicem, atque illic tua cautione conuinceris. Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in caelo. Considera vbi capias sacramenta caelestia. Si hic corpus est Christi, hic & angeli constituti sunt. Vbi corpus Christi, & ibi aquilae volare consueverunt, vt terrena fugiant, caelestia petant. Quare hoc dico? quia & homines angeli quicumque annunciant Christum, & in angelorum asciti videntur locum. Quomodo? Accipe Baptista rationem, Ioannes natus erat ex viro & muliere. Attamen audi quia angelus est ipse: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, & parabit viam tuam ante te. Accipe aliud, Malachias ait propheta, Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius. Angelus est enim Dei omnipotentis. Hec ideo dicuntur, vt sacerdotis gloriam praedicemus, non vt aliquid personalibus meritis arrogetur. Ergo abrenunciasti mundo, abrenunciasti seculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem

suam considerat. Et tu qui fidem debes Christo, fidem serua, quae multo preciosior quam pecunia est. Fides enim aeternum patrimonium est, pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare quid promiseris. Cautior si teneas promissionem tuam, tenebis & cautionem.

Quod licet in baptismo sacerdos & minister videantur, alia tamen maiora sint quae operantur, & non videntur.

CAP. III.

Deinde accessisti propius, vidisti fontem, vidisti & sacerdotem supra fontem. Nec hoc possum dubitare quod in animu vestru non potuerit cadere quod cecidit in illu Syru Naama: quia et si mudatus est, tamen ante dubitauit. Quare dicam, accipe. Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti leuitam. Ne forte aliquis dixerit, hoc est totum: imo est totum. verè totu, vbi tota innocetia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti quae videre potuisti oculis tui corporis, & humanis conspectibus, non vidisti illa quae operantur, & non videtur: Illa multo maiora sunt quae non videtur quam quae videntur: quoniam quae videntur, temporalia sunt: quae non videntur, aeterna.

Quod sacramenta Christianorum diuiniore & priora sint quam Iudaeorum. Et quid pascha significet. CAP. IIII.

Ergo dicamus primum, tene cautionem vocis meae, & exige. Miramur mysteria Iudaeorum quae patribus nostris data sunt, primum vetustatem sacramentorum, deinde sanctitatem praestantiu. Illud praemitto, quod diuiniore & priora sacramenta sunt Christianoru quam Iudaeoru. Quid praecipuu quae quod per mare trasiit Iudaeorum populus: vt de baptismo interim loquamur. At tamen qui transierunt Iudaei, mortui sunt omnes in deserto. Caeterum qui per hunc fontem transit, transit à terrenis ad caelestia. hoc est enim pascha, id est transitus eius, transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab iniquitamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed refurgit.

Quid significet lotio Naaman Syri leprosi, & quod non aqua sed consecratio mundet: Quodque in baptismo omnis iustitia sit constituta. Et de columba super Christum descendente, & quare Christus prior descenderit in aquam, & postea spiritus sanctus. CAP. V.

Naaman ergo leprosus erat, puella quaedam ait vxori illius: Dominus meus si vult mundari, vadat in terram Israel, & ibi inueniet eum qui possit ei lepra tollere. Dixit illa Dominae suae, vxor marito, Naaman regi Syriae, qui eum quasi acceptissimu sibi misit ad regem Israel. Audiuit rex Israel quod misisset ad eum cuius lepra mundaret, & scidit vestem suam. Tunc Helisaeus propheta mandat ei: Quid est quod scidisti vestem, quasi non sit Deus potens qui mundet leprosum? Mitte illum ad me. Misit illu. Cui aduenienti ait propheta: Vade descende in Iordanem,

merge, & sanaberis. Ille cœpit cogitare secum & dicere: Hoc est totum? Veni de Syria in terram Iudæa, & dicitur mihi, Vade in Iordanem merge, & sanaberis: quasi flumina meliora nō sunt in patria mea. Dixerunt ergo serui: Domine, quare non facis verbū prophetæ? Magis fac, & experire. Tunc ille iuit, in Iordane merlit, & surrexit sanus. Quid enim significat? Vidisti aquam: sed non aqua omnis sanat, sed aqua sanat quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio. Nō sanat aqua nisi Spiritus sanctus descenderit, & aquam illam consecrauerit: sicut legitur quod cum Dominus noster Iesus Christus formam baptismatis daret, venit ad Ioannem, & ait illi Ioānes: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondit illi Christus: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Vide quia omnis iustitia in baptismo constituta est. Ergo quare Christus descendit, nisi ut caro ista mundaretur, caro quam suscepit de nostra conditione? Non enim ablutio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxij. Ergo si propter nos baptismi nobis forma est constituta, fidei nostræ forma proposita est. Descendit Christus, Ioānes astantabat qui baptizabat, & ecce quasi columba Spiritus sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba. Memento quid dixerim, Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis istius veritatem, verè carnem Christus suscepit. Spiritus enim sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ, sed in specie columbæ descendit de cælo. Ergo vidit Ioannes, & credidit. Descendit Christus, descendit & Spiritus sanctus. Quare prior Christus descendit, postea spiritus, cum forma baptismatis & usus hoc habeat, ut antè fons consecratur, & tunc descendat qui baptizandus est? Nam vbi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit, secundo super creaturam aque inuocationem, postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & affit præsentia trinitatis æternæ. Christus autem antè descendit, secutus est spiritus. Qua ratione? Ut non quasi ipse egeret Dominus Iesus sanctificationis mysterio videretur, sed sanctificaret ipse, sanctificaret & spiritus. Ergo descendit in aquam Christus, & Spiritus sanctus sicut colūba descendit. Pater quoque Deus è cælo locutus est. Habes præsentiam trinitatis.

FINIS

Capita libri secundi De Sacramentis.

Quod diluuium nihil aliud sit nisi baptisma, quo peccata diluuntur, sola autem mens iusti & gratia resuscitentur. Et de multis generibus baptismatum. Cap. I.
 Quid significet angelus descendens in piscinam. & Et quid sit quod paralyticus responderit Christo, Hominem non habeo. Cap. II.
 De variis generibus & figuris baptismi. Cap. III.
 Quid significet quod ad preces Helisæi ferrū securis demersum supernatauerit. Quid etiam quod Moyses lignum

Consecratio
aqua bapti-
smi.

Matth. 3.

† Ablutio.

Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitū rubri maris, & de malo murmurationis. Quid etiam significet columna lucis præcedens, & nubis subsequens. Et quod in diluuiio figura baptismi præcesserit.

CAP. VI.

IN mari autem rubro figurā istius baptismatis extitisse ait Apostolus dicens: Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari. Et subdit: Hæc autem omnia in figura facta sunt illis. Illis in figura, Hæc nobis in veritate. Tunc Moyses virgam tenebat, conclusus erat populus Iudæorum, instabat Ægyptius cum armis ex vna parte, mari claudebantur Hebræi, neque maria transire poterant, neque in hostem recurrere: murmurare cœperunt. Vide, non te prouocet quia exauditi sunt. Etsi exaudiuit Dominus, tamen culpa non carent qui murmurauerunt. Tuum est vbi constringeris, credere quod euadas, non murmurare: inuocare, rogare, non querelam expromere. Tenebat virgam moyses, & ducebat populum Hebræorum in nocte in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid est nisi veritas, quæ apertum & plenum lumen effundit: Columna lucis quid est, nisi Christus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis & gratiæ spiritualis affectibus infudit humanis? At verò columna nubis est Spiritus sanctus. In mari erat populus, & præibat columna lucis: deinde sequebatur columna nubis, quasi umbratio Spiritus sancti. Vides quod per Spiritum sanctum, & per aquam typum baptismatis demonstrauerit? In diluuiio quoque fuit iam tunc figura baptismatis, & adhuc utique non erant mysteria Iudæorum. Si ergo huius baptismatis forma præcessit, vides ergo superiora mysteria Christianorum, quàm fuerint Iudæorum. Sed interim secundū fragilitatem vocis nostræ, & secundum temporis rationem satis sit hodie tanta de sacro fonte libasse mysteria. Crastina die, si Dominus dederit loquedi potestatem vel copiam, plenius intimabo. Opus est ut sanctitas vestra aures paratas habeat, promptiorem animum, ut ea quæ nos colligere possumus de serie scripturarum, & vobis intimauerimus, tenere possitis, ut habeatis gratiam patris, & filij, & Spiritus sancti. Cui trinitati perpetuum est regnum à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum.

Ioan. 5.

lignum miserit in fontem, quo aqua antea amara dulcescebat. Cap. III.
 De efficaci probatione quod ad inuocationem sacerdotis super fontem veri baptismi potius affit præsentia trinitatis quàm ad supratactas figuras baptismi, & quid significet columba. Quid etiam spiritus magno sono in die Pentecostes descendens, et apparens in dispersitis linguis. Cap. V.
 Quod baptismum inuentum sit ad resurrectionem et viuificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat. Cap. VI.
 De triplici immersione in baptismum, et triplici interrogatione, & quod in uno nomine baptizari oportet. Et quomodo in morte Iesu baptizemur & ungamur in vitam æternam. Cap. VII.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS,

LIBER SECVNDVS.

Quod diluuium nihil aliud sit nisi baptisma, quo peccata diluuntur, sola autem mens iusti & gratia resuscitentur. Et de multis generibus baptismatum. CAP. I.

IN diluuiio figuram baptismatis præcessisse hesternum cœpimus disputare. Quid est diluuium, nisi in quo iustus ad seminarium iustitiæ referuatur, peccatū moritur? Ideo Dominus cum vidit hominum pullulare delicta, iustum solum cum sua progenie referuauit. Aquam autē supra mōtes quoque exire præcepit. Et ideo in illo diluuiio omnis corruptela carnis interiit. sola iusti prosapia & forma permāsit. Nōne hoc est diluuium quod est baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mēs & gratia resuscitantur? Multa sūt genera baptismatum, sed vnum baptisma clamat Apostolus. Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata. Lauacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lauatur, nō culpa diluitur, imò in illo lauacro contrahitur. Erāt autem baptismata Iudæorum alia superflua, alia in figura. Et figura ipsa nobis proficit, quia veritatis est nuncia.

Quid significet angelus descendens in piscinam, & quid sit quod paralyticus responderit Christo, Hominem non habeo. CAP. II.

Quid lectum est heri? Angelus, inquit, secundū tempus descēdebat in piscinam, & quotienscūque descendisset angelus, mouebatur aqua: & qui prior descendisset, sanabatur ab omni langore quocumque tenebatur. Quod significabat figuram veritatem Domini nostri Iesu Christi. Angelus quare? Ipse est enim magni consilij angelus, secundum tempus, quod ad horam nouissimam seruabatur, ut in occasu ipsum diem deprehenderet, & differret occasum. Quotienscūque ergo descendisset angelus, mouebatur aqua. Dicis fortè: Quare modo nō mouetur? Audi quare. Signa incredulis, fides credentibus. Qui prior descendisset, sanabatur ab omni infirmitate. Qui prior tempore, an honore? Vtrumque intellige. Si tempore, prior qui descendisset sanabatur, hoc est de populo Iudæorum magis quàm de populo nationū. Si honore, qui prior descendisset, hoc est qui haberet Dei metum, studium iustitiæ,

gratiam charitatis, castitatis affectum, ipse magis sanabatur. Tamē tunc temporis vnus sanabatur. Tūc inquam temporis in figura qui prior descendisset, solus curabatur. Quanto maior est gratia ecclesiæ, in qua omnes saluantur quicunque descendunt? Sed videte mysterium, Venit Dominus noster Iesus Christus ad piscinam: multi ægri iacebant. Et facile ibi multi ægri iacebant, vbi vnus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum Paralyticum: Descende. Ait ille: Hominem non habeo. Vide vbi baptizaris, vnde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi. Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso saluaberis. Hominem, inquit, non habeo, hoc est quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Non poterat descendere, non poterat saluari qui non credebat quod Dominus Iesus carnem suscepisset ex virgine. Hic autem qui operiebatur mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum expectans, eū de quo dictum est, Et mittet Dominus hominem qui saluos faciat eos: dicebat, Hominem non habeo: & ideo ad sanitatem meruit peruenire, quia credebat in aduenientem. Melior tamen & perfectior fuisset si credidisset iam venisse, quem sperabat esse venturum.

1. Cor. 15.

De variis generibus & figuris baptismi.

CAP. III.

Nunc vide singula. Diximus figuram præcessisse in Iordane quando Naamam leprosus ille mundatus est. Puella illa ex captiuis quæ est, nisi quæ speciem habebat ecclesiæ, & figuram repræsentabat? Captiuus enim erat populus nationum. Captiuus erat, non dico captiuitatem sub hoste aliquo populo constitutam, sed eam captiuitatem dico quæ maior est, quando diabolus cum suis sæuo dominatur imperio, & captiua sibi colla subiicit peccatorum. Ergo habes vnum baptisma. Aliud in diluuiio. Habes tertium genus quando in mari rubro baptizati sunt patres. Habes quartum genus in piscina quando mouebatur aqua. Nunc te consulo vtrum credere debeas, quia habes præsentiam trinitatis in hoc baptismo quo baptizatur in ecclesiæ.

Quid significet quod ad preces Helisai ferrum securis demersum supernatauerit. Quid etiam quod Moyses lignum miserit in fontem, quo aqua antea amara dulcescebat.
CAP. IIII.

Matth. 28.

1. Reg. 18.
4. Reg. 6.

Exodi 17.

Idem itaque Dominus noster Iesus Christus in euangelio suo dixit ad Apostolos : Ite, baptizate omnes gentes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Sermo hic Saluatoris est. Dic mihi o homo : Inuocauit Helias, & descendit ignis de caelo. Inuocauit Helisaeus Domini nomen, & de aqua ferrum securis ascendit quod demersum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur. Vbi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam iam leuior fructuosi ligni species leuatur. Ergo & hic figura altera. Securis erat qua cedebatur ligna. Cecidit manubrium de securi, hoc est ferrum demersum est. Filius prophetae nesciuit quid faceret, sed hoc solum sciuit, ut rogaret Helisaeum prophetam, & remedium postularer. Tunc ille lignum misit, & ferrum leuatum est. Vides ergo quod in cruce Christi omnium hominum leuatur infirmitas? Aliud, et si non ordinem tenemus. Quis enim posset omnia gesta comprehendere Christi? sicut Apostoli dixerunt. Moyses cum venisset in desertum, & sitisset populus, & venisset ad Marath fontem, & bibere vellent, aquam ubi primum hausit, & amaritudinem sensit, & coepit bibere non posse: ideo Moyses misit lignum in fontem, & coepit aqua quae antea erat amara, dulcescere. Quid significat, nisi quia omnis creatura corruptelae obnoxia, aqua amara est omnibus? Et si ad tempus suauis est, ad tempus iucunda, amara tamen est, quae non potest auferre peccatum. Vbi biberis, sities. Vbi potus ceperis suauitatem, iterum amaritudinem senties. Amara ergo aqua, sed ubi crucem Christi, ubi acceperit caeleste sacramentum, incipit esse dulcis & suauis. Et merito dulcis, in qua culpa ruocatur. Ergo si in figura tantum valuerunt baptismata, quanto amplius valet baptismata in veritate?

De efficaci probatione quod ad inuocationem sacerdotis super fontem veri baptismi potius asit praesentia trinitatis, quam ad supratactas figuras baptismi, & quid significet columba. Quid etiam spiritus magno sono in die Penthecostes descendens & apparens in dispersis linguis. CAP. V.

Consecratio
aqua bapti-
smi.

Acto. 2.

Nunc ergo consideremus. Venit sacerdos, praedicat ad fontem, inuocat patris nomen, praesentiam filij & spiritus sancti, utitur verbis caelestibus. Caelestia verba, quae Christi sunt, quod baptizemus in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Si ergo ad hominis sermonem, ad inuocationem sancti spiritus aderat praesentia trinitatis, tanto magis ibi adest ubi sermo operatur aeternus. Vultis scire quia descendit spiritus? Audite, quia quasi columba descendit. Quare quasi columba? Ut increduli vocarentur ad fidem. In principio signum debuit esse, in posterioribus debet esse perfectio. Accipe aliud. Post mortem Domini nostri Iesu Christi Apostoli erant in vno loco congregati, & orabant in die Pentecostes, & subito factus est magnus sonus: quasi cum vi magna spiritus ferretur, & visae sunt linguae dispersae sicut i-

gnis. Quid hoc significat, nisi descensum Spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiam corporaliter demonstrare: Hoc est, corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentum. Ergo manifestum testimonium eius aduentus: nobis autem iam fidei praerogatiua defertur, quia in principio signa incredulis fiebant, nobis iam in plenitudine ecclesiae non signa, sed fide veritas colligenda est.

Quod baptismum inuentum sit ad resurrectionem & viuificationem naturae humanae, quae per peccatum morti obnoxia erat. CAP. VI.

Nunc disputemus quid sit quod dicitur baptismum. Venisti ad fontem, descendisti in eum, attendisti summum sacerdotem, Leuitas & presbyterum in fonte vidiisti. Quid est baptismum? In principio Deus noster hominem fecit, ut si peccatum non gustaret, morte non moreretur. Peccatum contraxit, factus est obnoxius morti, eiectus est de paradiso. Sed Dominus qui sua vellet beneficia permanere & insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoque omne quod nocuit: primum quidem sententiam tulit in hominem, terra es, & in terram ibis: & morti hominem fecit obnoxium. Erat diuina sententia, solui humana conditione non poterat. Remedium datum est ut homo moreretur, & resurgeret. Quare? Ut illud quod ante damnationis loco cesserat, loco cederet beneficij. Quid illud est nisi mors? Queris quomodo? quia mors interueniens finem facit peccati. Quando enim morimur, utique peccare desistimus. Satisfactum ergo sententiae videbatur, quando homo qui factus fuerat ut viveret, si tamen non peccaret, incipiebat mori. Sed ut Dei perpetua gratia perseueraret, mortuus est homo, sed Christus inuenit resurrectionem, id est, ut redintegraret caeleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum. Vtrumque ergo pro nobis: quia & mors finis est peccatorum, & resurrectio naturae est reformatio. Verumtamen ne in hoc seculo diaboli fraus vel insidiae preualerent, inuentum est baptismum. De quo baptismate audi quid dicat scriptura, imò filius Dei. Quia Pharisaei qui noluerunt baptizari baptismum Ioannis, consilium Dei spreuerunt. Ergo baptismum consilium Dei est. Quanta est gratia ubi est consilium Dei? Audi ergo. Nam ut in hoc seculo nexus diaboli solueretur, inuentum est quomodo homo viuus moreretur, & viuus resurgeret. Quid est viuus? Hoc est, vita corporis viuens cum veniret ad fontem, & mergeretur in fontem. Quid est aqua nisi de terra? satisfit ergo sententiae caelesti sine mortis stupore. Quod mergeris, soluitur sententia illa: Terra es, & in terram ibis. Impleta sententia locus est beneficio remedioque caelesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem vitae nostrae non admittebat ut terra operiremur, & de terra resurgeremus. Deinde non terra lauat, sed aqua lauat: ideo fons quasi sepultura est.

De triplici immersione in baptismum, & triplici interrogatione, & quod in vno nomine baptizari oportet. Et quomodo in morte Iesu baptizemur et vngamur in vitam aeternam. CAP. VII.

Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixisti, credo: & merisisti, hoc est, sepultus es, iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, credo: & merisisti: ideo & Christo es cõsepultus. Qui enim Christo cõsepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, Credis & in spiritum sanctum? Dixisti, credo: tertio merisisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolueret trina confessio. Denique ut vobis afferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus posteaquam in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanae, qui ante negauerat, postea ut illum lapsum aboleret & solueret, tertio interrogatus a Christo si Christum amaret, tunc ille dicit: Tu nosti Domine quia amo te. Tertio dixit, ut tertio absolueretur. Sicut ergo peccatum dimittit pater, sic dimittit filius, sic & Spiritus sanctus. In vno autem nomine baptizari nos oportet: hoc est, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti. Noli mirari quia dixi vnum nomen, ubi est vna substantia, vna diuinitas, vna maiestas. Hoc est nomen de quo dictum est, in quo oportet omnes saluos fieri. In hoc nomine omnes saluati estis, redditi estis ad gratiam vitae. Clamat ergo Apostolus, sicut audistis in lectione praesenti: Quoniam quicumque

baptizatur, in morte Iesu baptizatur. Quid est in morte? Ut quomodo Christus mortuus est, sic & tu mortem degustes. Quomodo Christus mortuus est peccato, & Deo viuus: ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine. Cum enim mergis, mortis suscipis & sepulturae similitudinem. Crucis illius accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, & clavis confixum est corpus. Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhaeres, clavis Domini nostri Iesu Christi adhaeres, ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clavis Christi, quem reuocat humanae conditionis infirmitas. Ergo merisisti, venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua & spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam aeternam. Vide ubi vnctus es. In vitam, inquit, aeternam. Noli hanc vitam illi vitae anteferre. Verbi gratia si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prauaricetur quisquam, vide quid eligas: noli eligere illud in quo non es vnctus, sed elige in quo vnctus es, ut vitam aeternam vitam praesentis temporali per Christum Dominum nostrum. Amen.

FINIS

Capita libri tertij De sacramentis.

Quare demersi in baptismum recipiant unguentum in capite, & quid sit regeneratio. Qua ratione etiam hoc seculum mare sit, nos autem piscis imitari naturam oporteat. Et de mysterio lotionis infantium. Cap. I.

Quod per inuocationem sacerdotis septiformis spiritus infundatur. Quid etiam significet lutum ex sputo super oculos caeci positum. Et quod qui baptizatur, sine confessione etiam a peccato abluatur. Et quid sit aqua Siloe. Cap. II

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS, LIBER TERTIVS.

Quare demersi in baptismum recipiant unguentum in capite, & quid sit regeneratio. Qua ratione etiam hoc seculum mare sit, nos autem piscis imitari naturam oporteat. Et de mysterio lotionis infantium. CAP. I.

Mesterno die de fonte disputauimus, cuius species veluti quaedam sepulchri forma est, in quem credentes in patrem, & filium & Spiritum sanctum, recipimur, & demergimur, & resurgimus, hoc est resuscitamur. Accipis autem mysterium hoc, est unguentum supra caput. Quare supra caput? quia sensus sapientis in capite eius. Salomon ait. Friget enim sapientia sine gratia: sed ubi gratia acceperit sapientiam, tunc opus eius incipit esse perfectum. Haec regeneratio dicitur. Quid est regeneratio? Habes in actibus apostolorum quod ille versiculus qui dicitur in Psalmo secundo: Filius

meus es tu, ego hodie genui te: ad resurrectionem spectare videatur. Namque sanctus apostolus Petrus in Actibus apostolorum sic interpretatus est, quod tunc quando resurrexit filius a mortuis, patris vox resultauerit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnde & primogenitus a mortuis dicitur. Ergo resurrectio quid est, nisi quando de morte ad vitam resurgimus? Sic ergo & in baptismate quoniam similitudo mortis est, sine dubio dum mergis & resurgis, similitudo fit resurrectionis. Recte itaque secundum interpretationem apostoli Petri, sicut illa resurrectio generatio fuit, ita & ista resurrectio regeneratio est. Sed quid dicis quia in aquam mergis? Ideo peregrinarius, ideo te dubitatio tenet. Legimus quidem: Producat terra ex se fructum germinentem. Similiter & de aquis legisti: Producant aquae animantia: & nata sunt animantia. Illa quidem in principio creatu-

OO iij

re. Sed tibi referuatum est vt aqua te regeneret ad gratiam, sicut illa generauit ad vitam. Imitare illum piscem qui minorem quidem adeptus est gratiam, tamen debet tibi esse miraculum. In mari est, & super vndas est. In mari est, & super fluctus natat. In mari tempestas furit, stridunt procellae, sed piscis natat non demergitur, quia natate consuevit. Ergo tibi seculum hoc mare est. Habet diuersos fluctus, vndas graues, saeuas tempestates. Et tu esto piscis, vt seculi te vnda non mergat. Pulchrè autè pater dicit ad filium: Ego hodie genui te: hoc est quando redemisti populum, quando ad caeli regnū vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum te esse filium. Ascendisti de fonte: quid secutum est? Audisti lectionem. Succinctus est summus sacerdos. Licet enim & presbyteri fecerint, tamen exordium ministerij à summo est sacerdote. Succinctus inquā summus sacerdos pedes tibi lauit. Quid istud mysterium? Audisti vtique quia Dominus cū lauisset discipulis aliis pedes, venit ad Petrum, & ait illi Petrus: Tu mihi lauas pedes? Hoc est, tu Dominus seruo lauas pedes? Tu immaculatus mihi lauas pedes, tu author caelorum mihi lauas pedes? Habes hoc & alibi: Venit ad Ioannē, & ait illi Ioānes: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Ego sum peccator & tu venis ad me peccatorē, vt tua quasi peccata deponas, qui peccatum non feceris? Vide omnem iustitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem. Nisi lauero, inquit, tibi pedes, non habebis mecum partem. Non ignoramus quòd ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam. Hanc tamen consuetudinem nō habet vt pedes lauet. Vide ergo ne fortè propter multitudinem declinauit. Sunt tamen qui dicant & excusare conentur, quia hoc in ministerio faciendum est, non in baptisimate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lauandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia mysterium est & sanctificatio. Nisi lauero tibi pedes non habebis mecum partem. Hoc ideo dico, non quòd alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam. Sed tamen & nos homines sensum habemus. Ideo quòd alibi rectius seruatur, & nos rectè custodimus. Ipsum sequimur apostolum Petrum, ipsius inhaeremus deuotioni. Ad hoc ecclesia Romana quid respondet? Vtique ipse author est nobis huius assertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiae Romanae. Ipse Petrus ait: Domine non solum pedes, sed etiā manus & caput. Vide fidem. Quòd antè excusauit, humilitatis fuit: quòd postea se obtulit, deuotionis & fidei. Respondit illi Dominus, quia dixerat manus & caput: Qui lauit, non necesse habet iterum lauare, nisi vt solos pedes lauet. Quare hoc? Quia in baptisimate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus à diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis. Ad humilitatē quoque proficit, vt in mysterio non erubescamus quod non dedignamur in obsequio.

Quod per inuocationem sacerdotis septiformis spiritus infundatur. Quid etiam significet lutum ex sputo super oculos caeci positum. Et quod qui baptizatur, sine confessione etiam à peccato abluatur. Et quid sit aqua Siloe.

CAP. II.

Sequitur spiritale signaculum quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilij atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis. Spiritus sancti timoris. Septem quasi virtutes spiritus. Et omnes quidem virtutes ad spiritum pertinent, sed istae quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale quam pietas? Quid tam principale quam cognitio Dei? Quid tam principale quam virtus? Quid tam principale quam consilium Dei? Quid tam principale quam timor Dei? Sicut timor seculi infirmitas, ita timor Dei magna est fortitudo. Istae sunt septem virtutes quando consignaris. Nam vt ait apostolus sanctus, Quia multiformis est, inquit, sapientia Domini nostri, & multiformis sapientia Dei, ita multiformis est Spiritus sanctus qui habeat diuersas variasque virtutes. Vnde & Deus virtutum dicitur. Quod aptari potest patri & filio & Spiritui sancto. Sed hoc alterius disputationis, alterius est temporis. Post haec quid sequitur? Venire habes ad altare. Quoniam venisti, videre habes quae ante non videbas, hoc est mysterium quod legisti in euangelio, si tamē legisti: certè audisti: Caecus obtulit se saluatori, vt curaretur, & ille qui alios verbo tantum & sermone curabat, & refundebat imperio lumen oculorum, tamen in libro euangelij qui scribitur secundum Ioannem, qui verè praeter ceteris vidit magna mysteria, & designauit & declarauit, mysterium hoc in illo voluit praefigurare. Omnes quidem sancti euangelista, omnes apostoli praeter proditorem, omnes sancti. Tamen sanctus Ioannes qui vltimus scripsit euangeliū, quasi necessarius requisitus & electus à Christo, maiore quadam tuba fudit aeterna mysteria. Quicquid locutus est, mysterium est. Alius dixit caecum curatū, dixit Matthaeus, dixit Lucas, dixit Marcus: solus Ioannes quid ait? Tulit lutum, & liniuit super oculos eius, & dixit ei. Vade, laua in Syloam. Ex exurgens iuit, & lauit, & venit videns. Considera & tu oculis cordis tui. Videbas quae corporalia sunt, corporalibus oculis. Sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc videre non poteris. Ergo quando dedisti nomen tuum, tulit lutum, & liniuit super oculos tuos. Quod significat vt peccatum tuum fateris, vt conscientiam tuam recognosceres, vt poenitentiam ageres delictorum, hoc est, fortem humanae generationis agnosceres, Nam etiam si non confiteatur peccatum qui venit ad baptismum, tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quòd baptizari petit vt iustificetur, hoc est, vt à culpa ad gratiam transeat. Nolite ociosum putare. Sunt quidem, scio certè aliquem fuisse qui diceret cum illi diceremus: In hac aetate magis baptizari debes. Dicebat ille: Quare baptizer? Peccatum non habeo. Nunquid peccatum contraxi? Hic lutum

Psal. 1.

Ioan. 13.

Matth. 3.

Ioan. 13.

† mysterio.

Ioan. 13.

tum non habuit quod ei Christus non lauerat, hoc est, non ei aperuerat oculos. Nullus enim homo sine peccato. Ergo agnoscit se hominem, qui confugit ad baptismum Christi. Itaque & tibi imposuit lutum, hoc est, verecundiam, prudentiam, & considerationem fragilitatis tuae, & dixit tibi, Vade in Syloam. Quid est Syloas? Quod interpretatur, inquit, missus. Hoc est, vade ad illum fontem in quo crux Domini praedicatur. Vade ad illum fontem in quo omnium Christus redemit errores. Isti, lauasti, venisti ad altare, videre coepisti quae antè non vide-

ras. Hoc est, per fontem Domini & praedicationem dominicae passionis tunc aperti sunt oculi tui, qui antè corde videbaris esse caecatus, coepisti lumen sacramentorum videre. Ergo fratres dilectissimi, venimus vsque ad altare, ad tractatum vberiorum. Et ideo quia id temporis est, disputationem integram non possumus incipere, quia prolixior tractatus est: fatis sit quod dictum est hodie, & crastino die, si Domino placet, de sacramentis ipsis tractabimus.

FINIS.

Capita libri quarti De Sacramentis.

- Quomodo baptisterium sit secundum tabernaculum. Et de expositione eorum quae in tabernaculo custodiebantur. Cap. I.
- De excellentia ablutionis sacramenti, quam etiam angeli admirantur. Et quomodo ibi renouari debeamus vt bona aquila. Cap. II.
- Quod Deus amplius praestiterit fidelibus in sacramento, quam Iudaeis in manna. Et de significatione oblationis Melchisedech. Cap. III.
- Quod Christus sit author sacramentorum, & quemadmodū suo sermone sacramentum coficiat. Quomodo etiam manducans venerabile corpus suum noua efficiatur creatura. Cap. IIII.
- Quibus verbis consecretur corpus dominicum et sanguis. Et quomodo manducans non moriatur in aeternum. Cap. V.
- De magnitudine & excellentia huius sacramenti. Cap. VI.

DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS, LIBER QVARTVS.

Quomodo baptisterium sit secundum tabernaculum. Et de expositione eorum quae in tabernaculo custodiebantur. C
CAP. I.

IN veteri testamento sacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare coeuerant. In secundum tabernaculum semel in anno sumus intrabat sacerdos. Quod euidenter ad Hebraeos recolens, seriem veteris testamenti explanat apostolus Paulus. Erat autem in secundo tabernaculo manna, erat etiam D virga Aaron quae aruit, & postea refloruit, thymiamaterium. Quò spectat hoc? Vt intelligatis quid sit secundum tabernaculum in quod vos introduxit sacerdos, in quod semel in anno summus sacerdos intrare coeuevit, hoc est ad baptisterium, vbi virga Aaron floruit. Antè arida erat, postea refloruit. Et tu aridus eras, & coepisti in fonte irriguo reflorescere. Arueras peccatis, arueras erroribus atque delictis, sed fructum iam afferre coepisti, plantatus secus decursus aquarum. Sed fortè dicas: Quid hoc ad populum si virga sacerdotis aruerat, & refloruit? Populus ipse quis est nisi sacerdotalis? Quibus dictū est: Vos autè genus electum, regale sacerdotium, gens

sancta, vt ait apostolus Petrus. Vnusquisque vngitur in sacerdotium, vngitur in regnum. Sed spiritale regnum est, & sacerdotium spiritale. In secundo quoque tabernaculo est thymiamaterium. Thymiamaterium est quod bonum odorem fragrare consuevit. Ita & vos iam bonus odor Christi estis, iam nulla in vobis sordes delictorum, nullus odor grauioris erroris.

De excellentia ablutionis sacramenti, quam etiam angeli admirantur. Et quomodo ibi renouari debeamus, vt bona aquila. C
CAP. II.

Sequitur vt veniatis ad altare. Coepistis venire, Spectarunt angeli, viderunt vos aduenientes, & humanam conditionem illam quae antè peccatorū tenebroso squalore sordebat, aspexerunt subito resplendere. Ideoque dixerunt: Quae est haec quae ascendit à deserto dealbata? Mirantur ergo & angeli. Vis scire quia mirantur? Audi ergo apostolum Paulum dicentem, ea nobis esse collata quae concupiscunt & angeli videre. Et iterum: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit quae praeparauit Deus diligentibus se. Deinde quid acceperis recognosce. Sanctus

Hebr. 9.

1. Pet. 2.

2. Cor. 2.

Cantic. 3.

1. Cor. 2.

331
 Dauid propheta hanc gratiam in figura vidit & concupiu-
 cupiuit. Vis scire quia concupierit? iterum audi dicentem: Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. Quare? Quia nix quamuis sit candida, citò aliqua forde nigrescit atque corrumpitur. Ita gratia quã accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua. Veniebas ergo desiderans ad altare, utpote qui tantã gratiã videras, veniebas desiderãs ad altare quo acciperes sacramentũ. Dicit anima tua: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui latificat iuuentutem meam. Deposuisti peccatorum senectutem, sumpisti gratiã iuuentutem. Hoc præstiterunt tibi sacramenta cœlestia. Denique iterum audi dicentem Dauid: Renouabitur sicut aquilã iuuetus tua. Bona aquila esse cœpisti, quæ cœlum petis, terrena fastidis. Bonæ aquilæ circa altare. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare est, & corpus Christi est in altari. Aquilæ vos estis, renouatæ ablutione delicti.

Quod Deus amplius præstiterit fidelibus in sacramento, quàm Iudeis in manna. Et de significatiõne oblationis Melchisedech.
 CAP. III.

Veniisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura solennis & nota. Fortè aliquis dixerit: Iudæis Deus tantam gratiam præstitit, manna illis pluit è cœlo. Quid plus dedit fidelibus suis? Quid plus tribuit iis quibus plus promisit? Accipe quæ dico, anteriora esse mysteria Christianorum quàm Iudæorum, & diuiniora esse sacramenta Christianorum quàm Iudæorũ. Quomodo? Accipe. Iudæi quando esse cœperunt? Ex Iuda utique pronepote Abrahamæ. Aut si vis, & sic intellige, Ex lege quã Iudæi accipere meruerunt. Ergo ex pronepote Abrahamæ Iudæi dicti sunt tempore sancti Moyfi. Et si tunc Deus Iudæis manna murmurantibus pluit è cœlo, Tibi autem sacramentorum horum figura præcessit quando Abraham erat, quando vernaculos trecentos deceni & octo collegit, & ibi persequutus est aduersarios, de captiuitate eruens nepotem suum. Tunc victor venit, occurrit illi Melchisedech sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham nõ habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo author sacramentorum. Quis est Melchisedech? Qui significatur rex iustitiæ, rex pacis. Quis est iste rex iustitiæ? Nunquid homo quiscquam potest rex esse iustitiæ? Quis ergo rex iustitiæ, nisi iustitia Dei, qui est Dei pax, Dei sapientia? Qui potuit dicere: pacem meam do vobis, pacem meã relinquo vobis. Ergo primo intellige sacramenta hæc quæ accipis, anteriora esse quàm sint Moyfi sacramenta quæcunque Iudæi habere se dicunt, & prius cœpisse populum Christianum, quàm cœpisse populum Iudeorum. Sed nos in prædestinatione, illum in nomine. Obtulit ergo Melchisedech panem & vinum. Quis est Melchisedech? sine patre, inquit, sine matre, sine generationis ordine, neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Hoc habet apud Hebræos epistola. Sine patre, inquit, est, sine matre, similis autem filio Dei. Sine matre natus est Dei filius generatione cœlesti, quia ex solo Deo patre

natus est. Et iterum sine patre natus est quando natus ex virgine est. Non enim ex virili semine generatus est, sed natus de spiritu sancto ex virgine Maria, vtero editus virginali. Similis per omnia filio Dei. Sacerdos quoque erat melchisedech, quia & Christus sacerdos, cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Quod Christus sit author sacramentorum, & quemadmodum suo sermone sacramentum conficiat. Quomodo etiam manducans venerabile corpus suum nona efficiatur creatura.
 CAP. IIII.

Ergo author sacramentorũ quis est nisi Dominus Iesus? De cœlo ista sacramenta venerunt. Consiliũ enim omne de cœlo est. Verè autè magnũ est & diuinum miraculum quod populo pluit Deus manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis: Meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nã reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo deferatur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris, vbi venit ut cõficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cœlum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non erat Corpus Christi ante consecrationem. Sed post consecrationem dico tibi, quod iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factũ est: ipse mandauit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postea quàm consecratus es, noua creatura esse cœpisti. Vis scire quàm noua creatura? Omnis, inquit, in Christo noua creatura. Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnẽ mutare consueuerit, & mutat quando vult instituta naturæ. Quomodo requiris? Accipe, & primo omnium de generatione eius sumamus exemplum. Cõsuetudo est ut non generetur homo nisi ex viro & muliere, & consuetudine coniugali. Sed quia voluit Dominus, qui hoc elegit sacramentum, & de spiritu sancto & virgine natus est Christus, hoc est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Vides ergo quia contra instituta & ordinem homo est natus ex virgine. Accipe aliud. Vrgebatur populus Iudæorum ab Ægyptiis, interclusus erat mari, diuino imperio virga Moyfes tetigit aquas, & se vnda diuisit: non utique secundum suã naturæ consuetudinẽ, sed secundum gratiam cœlestis imperij. Accipe aliud. Sitiabat populus, veniebat ad fontẽ,

4. Reg. 6.

Marci 14.
 Luc. 22.
 1. Cor. 11.

Psal.

Exod.

Exod.

amarus

333
 amarus erat fons: Misit lignũ sanctus Moyfes in fontem, & factus est dulcis fons qui amarus erat: hoc est, mutauit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe & quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in aquas: quasi ferrum, sua consuetudine demersum est, misit lignum Helisæus, statim ferrum eleuatum est, & aquis supernatauit, utique contra consuetudinem ferri. Est enim materies grauior, quàm aquarum est elementum. Ex his igitur omnibus non intelligis quantum operetur sermo cœlestis? Si operatus est in fõte terreno, si operatus est sermo cœlestis in aliis rebus, nõ operatur in cœlestibus sacramentis? Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis cõsecratione verbi cœlestis. Sed fortè dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpisti, ita etiam similitudinem preciosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & precium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus est Christi.

Quibus verbis consecretur corpus dominicum & sanguis. Et quomodo manducans non moriatur in æternum.
 CAP. V.

Vis scire quia verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens: benedixit, fregit, fractũque apostolis suis & discipulis suis tradidit dicens: Accipite, & edite ex hoc omnes. Hoc enim est corpus meum, quod pro multis confringeretur. Similiter etiam calicem postquam cœnatum est, pridie quàm pateretur accepit, respicit ad cœlum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens: benedixit, apostolis & discipulis suis tradidit dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus. Vide, omnia illa verba euangelistæ sunt vsque ad accipite, siue corpus, siue sanguinem. Inde verba sunt Christi: Accipite, bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus. Vide singula. Qui pridie, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecratur, panis est, vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes, hoc est enim corpus meũ. Et ante verba Christi, calix est vini & aque plenũ. Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem

redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi vniuersa conuertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis quod corpus suũ accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Iam redi metum ad propositionem meam. Magnum quidem & venerabile, quod manna Iudæis pluit è cœlo. Sed intellige, quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? corpus Christi utiq; qui author est cœli. Deinde manna qui māducauit, mortuus est. Qui māducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorũ, & nõ morietur in æternum. Ergo non ociosè cum accipis, tu dicis Amen, iam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, corpus Christi. Et tu dicis Amen: hoc est, verum. Quod cõfiteretur lingua, teneat affectus.

De magnitudine & excellentia huius sacramenti.
 CAP. VI.

UT scias autem hoc esse sacramentum: huius figura antè præcessit. Deinde quantum sit sacramentum cognosce, vide quid dicat: Quotienscunque hoc feceritis, totiens commemorationem mei facietis, donec iterum adueniam. Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctũ, & calicem vitæ æternæ: & petimus & precamur ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nostri Abrahamæ, & quod tibi obrulit summus sacerdos Melchisedech. Ergo quotienscunque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotienscunque accipimus, mortem Domini annunciamus: si mortem annunciamus, annunciamus remissionem peccatorum. Si quotienscunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, de eo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper deo habere medicinam. Interim & hodie quantum potuimus explanauimus. Sed crastina die sabbato & dominica de orationis ordine dicemus, quemadmodum possumus. Dominus Deus noster cõseruet vobis gratiã quã dedit, & oculos quos vobis aperuit, plenius illuminare dignetur per vnigenitum filium suum regem ac saluatorem Dominum Deum nostrum, per quem & cum quo sibi est laus, honor, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum, Amen.

1. Cor. 11.

FINIS.

Capita libri quinti De Sacramentis.

*Qua ratione in calice aqua admisceatur vino, & de mysterio illius. Cap. I.
 De gratiosa Christi inuitatione ad cœleste conuiuium per osculum oris sui. Cap. II.
 Quod accipienti sacramenta nihil desit. Et quomodo ecclesia gaudeat de associata multorum epulatione,*

De qua dicatur arbor pomifera. Quemadmodum orandum sit, & de breui expositione orationis dominicæ.

Cap. III. Cap. III.

DIVI AMBROSII MEDIO LANENSIS EPISCOPI DE SACRAMENTIS,

LIBER QUINTVS.

Qua ratione in calice aqua admisceatur vino, et de mysterio illius. CAP. I.

Esternus sermo noster ac tractatus vsque ad sancti altaris sacramenta deductus est. Et cognouimus sacramentorum istorum figuram Abrahamæ temporibus præcessit, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech, neque initium neque finem habens dierum. Audi homo quid dicat Paulus apostolus Ad Hebræos. Vbi sunt qui filium Dei dicunt esse de tempore: De Melchisedech dictum est, quia neque initium, neque finem dierum habet. Si Melchisedech non habet initium dierum, nisi Christus habere potuit? Sed non est plus figura quam veritas. Vides ergo quia ipse primus & nouissimus. Primus, quia auctor est omnium. Nouissimus, non quod finem inueniat, sed quod vniuersa concludat. Diximus ergo quod in altari constituatur calix & panis. In calicem, inquit, mittitur vinum. Et quid aliud? Aqua, Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid tibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primo omnium, figura que ante præcessit tempore Moyse, quid habet? Quia cum sitiret populus Iudæorum, & murmuraret quod aquam inuenire non posset, iussit Deus Moyse ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra vndam maximam fudit, sicut Apostolus ait: Bibebat autem de consequenti petra, petra autem erat Christus. Non immobilis petra, que populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est propheta. Virga, hoc est verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram & fluit aqua, & bibit populus Dei: Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc. Accipe & aliud. In tempore dominicæ passionis cum sabbatum magnum instaret, quia vivebat Dominus noster Iesus Christus, vel latrones missi sunt qui percuterent eum: venientes inuenerunt defunctum Dominum Iesum Christum: tunc vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & sanguis. Quare aqua? quare sanguis? Aqua ut emundaret, sanguis ut redimeret. Quare de latere? Quia vnde culpa, inde gratia. Culpa per feminam: gratia per Dominum Iesum Christum. De gratiosa Christi inuitatione ad cæleste conuiuium per osculum oris sui. CAP. II.

Hebr. 7.

Apoic. 1.

1. Cor. 10.

Ioan. 19.

Cantic. 1.

garius. Vis ad animam tuam? nihil iucundius. Osculetur me. Videt te mundum esse ab omni peccato, quia delicta de terra sunt: ideo te sacramentis cælestibus dignum iudicat & ideo inuitat ad cæleste conuiuium. Osculetur me ab osculis oris sui. Tamen propter sequentia anima tua vel humana conditio vel ecclesia videt se ab omnibus mundatam esse peccatis, & dignam que ad altare Christi possit accedere. Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi? Vidit sacramenta mirabilia, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui: hoc est, osculum mihi Christus infingat. Quare? Quia meliora vbera tua super vinum, hoc est meliores sensus, meliora sacramenta tua super vinum. Super illud vinum quod est suauitatem habet, lætitiā habet, gratiam habet: tamen in illo lætitiā secularis, in te autem iucunditas est spiritalis. Iam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Christi & ecclesiæ, vel spiritus & carnis & animæ, & addidit: Vnguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te. Quæ sunt istæ adolescentulæ, nisi animæ singulorum quæ deposuerunt istius corporis senectutem, renouatæ per Spiritum sanctum? Attrahe nos, post odorem vnguentorum tuorum currimus. Vide quid dicat. Non potes sequi Christum nisi ipse attrahat. Denique ut scias: Cum exaltatus, inquit, fuero, omnia traham ad me ipsum. Induxit me rex in cubiculum suum. Græcus: In promptuarium suum, & in cellarium suum, habet. Vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella suauiā, vbi fructus diuersi, vbi epulæ variæ, ut plurimis epulis tuum prandium condiatur.

Quod accipientes sacramenta nihil desit. Et quomodo ecclesia gaudeat de associata multorum epulatione, et que dicatur arbor pomifera. CAP. III.

Ergo venisti ad altare, accepisti corpus Christi. Audi iterum que sacramenta es consecutus. Audi dicentem sanctum David, & ille in spiritu hæc mysteria præuidebat, & lætabatur, & nihil sibi abesse dicebat. Quare? Quia qui acceperit corpus Christi, non esuriat in æternum. Quotiens audisti vigesimum secundum Psalmum, & non intellexisti? Vide quemadmodum aptus sit cælestibus sacramentis: Dominus pascit me, nihil & mihi deerit: in loco pascue ibi me collocauit. Super aquam refectiois educavit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum. Nam si ambulæ in medio vmbre mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga imperium, baculus passio est, hoc est eter na diuinitas Christi, sed etiā passio corporalis. Illa creauit,

creauit, hæc redemit. Parasti in conspectu meo mesam aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & poculum tuum inebrians quam præclarum est. Venisti ergo ad altare, accepisti gratiam Christi, sacramenta es cælestia consecutus. Gaudet ecclesia redemptione multorum, & astare sibi familiam candidatam spiritali exultatione lætatur. Habes hoc in Canticis canticorum. Lætata inuocat Christum, paratum habens conuiuium, quod dignum cælesti epulatione videatur. Ideoque ait: Descendat frater meus in hortum suum, & capiat fructum pomiferarum suarum. Quæ sunt istæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam: sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti. Libenter accepit Dominus Iesus, & dignatione cælesti respondit ecclesiæ suæ: Descendi, inquit, in hortum meum: vindemiaui myrrham cum vnguentis meis. Manducaui panem meum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, inquit, fratres mei, & inebriamini: vindemiaui myrrham cum vnguentis meis. Quæ est ista vindemia? Cognoscite vineam, & agnoscetis vindemiam. Vineam, inquit, ex Ægypto transtulisti, hoc est, populum Dei. Vos estis vinea, vos estis vindemia, quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. Vindemiaui myrrham cum vnguentis meis, hoc est in odorem quem accepistis. Manducaui panem meum cum melle meo. Vides quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suauitas sit? Bibi vinum meum cum lacte meo. Vides huiusmodi esse lætitiā quæ nullius peccati sordibus polluitur? Quotienscunque enim bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris in spiritu. Vnde & Apostolus ait: Nolite inebriari vino, sed implemini Spiritu sancto. Vino enim qui inebriatur, vacillat & titubat. Spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo præclara ebrietas, quæ sobrietatem mentis operatur. Hæc sunt quæ de sacramentis breuiter percurramus.

Cantic. 5.

Psal. 79.

Ephes. 5.

Quemadmodum orandum sit, & de breui expositione orationis dominicæ. CAP. IIII.

Nunc quid superest, nisi oratio? Et nolite putare mediocris esse virtutis, scire quemadmodum oretis. Apostoli sancti dicebant ad Dominum Iesum: Domine: doce nos orare, quemadmodum Ioannes docuit discipulos suos. Tunc ait Dominus orationem: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos patiaris induci in tentationem, sed libera nos a malo. Vides quam breuis oratio, & omnium plena virtutum? Primus sermo quantæ sit gratiæ? O homo, faciem tuam non audebas ad cælum attollere, oculos tuos in terram dirigebas & subito accepisti gratiā Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo seruo factus es bonus filius. Ideo præsume, nõ de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratia enim saluati estis, Apostolus ait. Non ergo hic arrogancia est, sed fides: prædicare quod acceperis, non est superbia, sed deuotio. Ergo attolle oculos ad patrem, S. Ambr. tom. 4.

Luca 11.

Ephes. 2.

A qui te per lauacrum genuit, ad patrem qui te per filium redemit, & dic: Pater noster. Bona præsumptio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius, sed noli tibi specialiter aliquid vindicare. Solius Christi specialis est pater, nobis omnibus in comune est pater, quia illum solum genuit, nos creauit. Dic ergo & tu per gratiam, Pater noster, ut filius esse merearis. Ecclesiæ contuitu & consideratione te ipse commenda. Pater noster, qui es in cælis. Quid est in cælis? Audi scripturam dicentem: Excelsus super omnes gentes Dominus. Et vbique habes quod super cælos cælorum Dominus sit, quasi non in cælis & angeli, quasi non in cælis & dominationes. Sed in illis cælis de quibus dictum est: Cæli enarrant gloriam Dei. Cælum est ibi, vbi cessauit culpa. Cælum est ibi, vbi flagitia feriantur. Cælum est ibi, vbi nullum mortis est vulnus. Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Quid est sanctificetur? Quasi optemus ut sanctificetur ille qui ait: Estote sancti, quia ego sanctus sum, quasi aliquid ei ex nostra prædicatione sanctificationis accedat? Non utique. Sed sanctificetur in nobis, ut ad nos eius possit sanctificatio peruenire. C Pater noster qui es in cælis sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum. Quasi non æternum sit Dei regnum. Ipse Iesus dicit: Ego in hoc natus sum, & tu dicis patri, Veniat regnum tuum, quasi non venerit? Sed tunc venit regnum Dei, quando eius estis gratiam consecuti. Ipse enim ait: Regnum Dei intra vos est. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sanguine Christi pacificata sunt omnia, vel in cælo, vel in terra. Sanctificatum est cælum, deiectus est diabolus. Ibi versatur, vbi & homo quem ille decepit. Fiat voluntas tua &c. hoc est, sit pax in terra, quemadmodum in cælo. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Memini sermonis mei cum de sacramentis tractarem. Dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nõ panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione dominica quæ postea sequitur, ait: Panem nostrum? Panem quidem dixit, sed ἄριστον dixit, hoc est, supersubstantialis. Nõ iste panis est qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideo Græcè ἄριστον dicitur. Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quem Græci dicunt aduenientem. Quia Græci dicunt τὸν ἄριστον ἡμέτερον aduenientem diem. Ergo quod Latinus dixit & quod Græcus, vtrumque utile videtur. Græcus vtrumque vno sermone significauit, Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proficit. Sic viue, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere: quomodo Iob sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccasset. Ergo tu audis quod quotienscunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum: & panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est quia sub peccato

Psal. 112.

Psal. 18.

Leuit. 20.

Ioan. 18.

Iob 1.

to sumus. Medicina est cœleste & venerabile sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit. Quomodo? Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie ergo est quando Christus resurgit. Heri & hodie ipse est apostolus Paulus ait. Sed alibi ait: Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Nox hesternæ præcessit, dies hodiernus appropinquavit. Sequitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitum quid est nisi peccatū? Ergo & si non acciperes alieni fœneris pecuniam, nō egeres: & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua diues nasceris. Diues eras ad imaginem & similitudinem Dei factus, perdidisti quod habebas, hoc est humilitatem, dum arrogantiam desideras vindicare, perdidisti pecuniam, sicut Adam nudus es factus, accepisti à diabolo debitum, quod non erat necessarium. Et ideo qui eras liber in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam Dominus crucifixit, &

fuo cruore deleuit. Abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. Bene ergo ait: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vide quid dicas. Quomodo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene conuenit vt dimittatur tibi. Si non dimittis, quomodo eum conuenis vt dimittatur tibi? Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos à malo. Vide quod dicat: Et ne patiaris induci nos in tentationem, quam ferre non possumus. Non dicit: Non inducas in tē-tationem: sed quasi athleta talem vult tentationem quam ferre possit humana conditio: vt vnusquisque à malo, hoc est ab inimico à peccato liberetur. Potens est autem Dominus qui abstulit peccatum vestrum, & delicta vestra donauit, tueri, & custodire vos aduersum diaboli aduersantis insidias, vt non vobis obrepat inimicus qui culpam generare consuevit. Sed qui deo se committit, diabolum non timet. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Ipsi ergo laus, & gloria à seculis, & nunc, semper & in omnia secula seculorum, Amen.

F I N I S.

Capita libri sexti de Sacramentis.

- Quomodo panis Christi sit vera caro, & verus sanguis. Et quare sub aliena specie accipiatur.* Cap. I.
- Quod in omnibus sacramentis sit mysterium trinitatis connexum.* Cap. II.
- Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso.* Cap. III.
- Quare secretè potius orandum sit quam cum vociferatione. Et quare viri in omni loco orare debeant, & non mulieres. Et quid sit leuare puras manus.* Cap. IIII.
- De inordinata desceptatione orantium, Et quod mulieres non in ornamentis orare debeant. Et de inchoatione orationis, eiusque medio ac fine, cum iterata dominicæ orationis expositione.* Cap. V.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS, DE SACRAMENTIS,
 LIBER SEXTVS.

Quomodo panis Christi sit vera caro, & verus sanguis. Et quare sub aliena specie accipiatur. CAP. I.



ICVT verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodū homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris: ita vera caro, sicut ipse dicit, quam accepimus, & verus eius sanguis est potus. Sed fortè dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentē: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitā æternā. Fortè dicas: Quomodo vera? Qui similitudinē video, nō video sanguinis veritatem. Primo omnīū dixi tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & cōuertere genera instituta naturæ. Deinde vbi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quòd carnē suam daret mā-

ducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant: solus tamen Petrus dixit: Verba vitæ æternæ habes, & ego à te quòd recedam? Ne igitur plures hoc dicerent veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinē quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutēque consequeris. Ego sum, inquit, panis viuus qui de cœlo descendi. Sed caro non descendit è cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis è cœlo, & panis viuus? Quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis & corporis. Et tu quia accipis panem, diuinæ eius substantiæ in illo participaris alimento.

Quòd in omnibus sacramentis sit mysterium trinitatis connexum.

CAP. II.

Ergo

Psalm. 2.

Hebr. 13. Rom. 13.

1049. 6.

ERgo accepisti de sacramētis, plenissimè cognouisti omnia, quòd baptizatus es in nomine trinitatis. In omnibus quæ egimus, seruatum est mysterium trinitatis. Vbi que pater & filius & Spiritus sanctus, vna operatio, vna sanctificatio, et si quædā veluti specialia esse videantur. Quomodo? Deus qui te vnxit, & signauit te Dominus, & posuit Spiritum sanctum in corde tuo. Accepisti ergo Spiritum sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum Spiritus sanctus in corde, ita etiam Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis canticorū Christum dicentem ad ecclesiam: Pone me sicut signaculū in corde tuo, sicut signaculum in brachiis tuis. Ergo vnxit te Deus, signauit te Christus: quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionem, accepisti signaculum ad illius similitudinem, vt ad ipsius formam resurgas. Ipsius viuas figura, qui peccato crucifixus est, & Deo viuuit. Et tuus homo vetus in fontem demersus, peccato crucifixus est, sed Deo resurrexit. Deinde habes alibi speciale, quòd te vocauerit Deus, in baptisate autem quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter quādo accipis spiritale signaculum, vide distinctionem personarum esse sed connexum omne mysterium trinitatis. Deinde quid Apostolus tibi dixit, vt lectum est nudiustertius: Diuisiones autē gratiarum sunt, idē autem spiritus. Diuisiones mysteriorum sunt, idem autem Dominus. Diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Omnia, inquit, operatur Deus. Sed & de spiritu Dei lectum est: Vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Audi scripturā dicentem quia diuidit spiritus pro voluntate sua, nō pro obsequio. Ergo diuidit vobis spiritus gratiam D prout vult, non prout iubetur. Et maximè quia spiritus Dei, spiritus Christi est. Et illud tenete, ipsum esse Spiritū sanctum, ipsum spiritum Dei, ipsum spiritum Christi, ipsum spiritum paracletem. Arriani putāt se derogare sancto Spiritui si dicant illum spiritum paracletem. Quid est paracletus nisi consolator? Quasi non & de patre lectum sit quia ipse est Deus cōsolationis. Vides ergo quia in eo derogandum putant Spiritui sancto in quo patris æterni potestas pio prædicatur affectu.

Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso.

CAP. III.

NVnc quomodo orare debeamus accipite. Multę virtutes orationis sūt. Vbi orare debeamus, non est mediocre, nec mediocris quæstio. Ait apostolus, Volo autem viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Et Dominus dicit in euangelio: Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Non tibi videtur esse contrarium, vt dicat apostolus, In omni loco ora: & Dominus dicat: Intra in cubiculum tuum, & ora? Sed non est contrarium. Hoc ergo absoluamus. Deinde quomodo debeas incipere orationem, & quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quemadmodum claudere orationem. Deinde pro quo orare debeas. Hæc omnia dicamus. Primo vbi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Nūquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta: Nō vti que. Quæ

ratione? Quia non contrarius, sed interpres est Christi. Imitatores, inquit, mei estote, sicut & ego Christi. Quid ergo? Potes vbique orare & in cubiculo tuo semper orare. Habes vbique cubiculum tuum. Et si inter gentes, inter Iudæos positus sis, habes tamen tuum vbique secretum. Cubiculum tuum, mēs tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum secretumque conseruas. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum. Bene addit intra, ne sic ores quomodo Iudæus, cui dicitur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorū longè est à me. Non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio. Animo totus intendens, intra in recessum pectoris tui, totus ingredi. Nō te perfunctorium videat ille cui te placere desideras: videat quia ex corde oras, vt te ex corde orātem dignetur audire. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuū. Habes hoc & alibi: Ambula popule meus, & intra in recessus tuos, abscondere pusillum donec transeat ira Domini. Hoc locutus est Dominus per prophetam. In euangelio autem dixit: Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. Quid est clauso ostio? Audi quod ostium habebas, quod debeas claudere quando oras. Vtinam mulieres audirēt. Audisti iam, sanctus Dauid docuit te dicens: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circuitus labiis mei. Est aliud ostium quod ait apostolus Paulus, dicens: Vt aperiatur, inquit, mihi ostium verbi ad loquēdum mysterium Christi. Hoc est, quando oras, noli sermone clamare, nec diffundere orationem tuam, nec iactare per populos. In secreto tuo ora securus, vt te in secreto possit audire qui omnia videt, atq; audit vniuersa. Et ora patrem tuum in abscondito, & audiet te deprecantem.

Quare secreta potius orandum sit, quam cum vociferatione, Et quare viri in omni loco orare debeant, & non mulieres. Et quid sit leuare puras manus. CAP. IIII.

Quid profit autem interrogemus qua ratione secreto magis orare debeamus, quam cum vociferatione? Audi, de consuetudine hominum sumamus exemplum. Si aliquem rogas qui citò audit, nō opus putas esse clamore, sed rogas voce moderata. Si surdum aliquem rogas nōne incipis vociferari, vt te ille possit audire? Qui ergo clamat, putat quòd aliter Deus non possit nisi clamantē audire. Et cum rogat cum, eius derogat potestati. Qui autem in silentio orat, fidem defert, & confiteretur quòd Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem tuam antè ille audiat, quam tuo ore fundatur. Ergo videamus: Volo autem viros, inquit Apostolus, orare in omni loco. Qua ratione viros dixit? Vti que communis oratio est & mulieribus & viris. Quod non inuenio, nisi fortè sanctus Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres vsurparent & malè intelligerent in omni loco, & inciperent vbique clamare, quas in ecclesia sustinere non possumus. Volo autem viros, hoc est, qui possint seruare præceptum orare in omni loco, leuantes puras manus. Quid est leuantes puras manus? Nunquid debes in oratione tuā crucem Domini gentibus demonstrare? Illud quidem signum virtutis est, non pudoris. Est tamen quomodo possis orare, nec figuram de-

Cap. 8.

1. Cor. 12.

2. Cor. 1.

1. Tim. 2.

Matth. 6.

1. Cor. 11.

Esaiæ 29.

Esaiæ 26.

Matth. 6.

Psalm. 140.

Coloss. 4.

1. Tim. 2.

monstres, sed actus tuos leues. Si vis operari orationem tuam, leua puras manus per innocentiam. Leua eas non quotidie, semel leuasti, non opus est vt iterum leues. Volo autem in omni loco viros orare, leuantes puras manus sine ira & disceptatione. Nihil verius. Ira inquit, perdit etiam sapientes. Ideo cum omni tempore, quantum fieri potest, Christianus vir iracundiam debet temperare, maximè quando ad orationem accedit, ne perturbet animum suū indignatio, ne iræ quidam furor impediatur orationem suam. Magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Seruus peccauit. Tu accedis ad orationem, vt tua tibi delicta donentur, & alij indignaris? Hoc est ergo sine ira.

De ordinata disceptatione orantium, & quòd mulieres non in ornamentis orare debeant, & de inchoatione orationis, eiusque medio ac fine, cum iterata dominicæ orationis expositione.

C A P V T V.

Nunc de disceptatione videamus. Plerumque negociator venit ad orationem, aut auarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putat quòd eum Deus possit audire. Et ideo quando oras, diuina humanis præferre te conuenit. Similiter & mulieres, inquit, volo orare non iactantes se in ornamentis, neque in margaritis, ait apostolus Paulus. Sed & apostolus Petrus, Mulieris, inquit, gratia plurimum valet vt viri eius conuertatur affectus per vxoris suæ bonam conuersationem, & incredulus se conuertat ad gratiam Christi. Hoc valet mulieris grauitas, & pudicitia, & eius bona conuersatio, vt virum suum vocet ad fidem & deuotionem, quòd prudentis viri sermo frequenter operatur. Ergo mulier, inquit, non in ornatu capillorum, non in tortis crinibus ornamentum suum habeat, sed oratione, & corde puro, vbi est absconditus cordis homo, qui semper est apud Deum locuples. Habes ergo in quo sis diues, in quo diuitiæ tuæ pudicitiae sunt & castitatis insula, fides, deuotio, & misericordia. Hi sunt thesauri iustitiæ, sicut Propheeta memorauit. Deinde vnde debeas incipere. Dic mihi, si velis hominem rogare, & sic incipias: Da mihi, ecce illud quod à te peto: nonne arrogans videtur oratio. Et ideo inchoari oratio debet à Dei laude, vt roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem præstandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit dicens: Obsecro ergo primum fieri obsecrationes, gratiarum actiones. Prima ergo oratio laudem debet habere Dei. Secunda supplicationem. Tertia postulationem. Quarta gratiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante à laudibus Dei: Vnde & oratores isti sapientes hanc habent disciplinam: vt iudicem fautorem sibi præstent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde

gradatim incipit rogare iudicem, vt patienter dignetur audire. Audet & tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo cœpit à laudibus Dei, sic debet in Dei laude desinere. Habes hoc in oratione dominica: Pater noster qui es in cœlis. Laus Dei, quod pater prædicatur noua pietatis gloria. Laus Dei, quia in cœlis habitat & in terris. Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. id est, vt sanctificetur seruos suos. Nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando prædicantur homines Christiani. Ergo orantis est. Sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum, Postulatio vt in nobis sit regnum Christi. Si Deus in nobis regnat, locum habere aduersarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat deuotio. Deinde, Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hæc postulatio maxima est eorum quæ postulantur. Et dimitte, inquit, nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ideo quotidie accipito, vt quotidie debito tuo indulgentiam petas. Et ne patiaris nos induci in tentationem, sed libera nos à malo. Quæ sequuntur audi, quid dicat sacerdos: Per Dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto à seculis, & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Aliud, Psalmorum Dauid licet vnus libellus sit, habens eas virtutes orationis quas supra diximus, tamen plerumque & in vno psalmo omnes istæ orationis partes inueniuntur, quomodo in octauo psalmo inuenimus. Denique sic cœpit: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Oratio ergo prima. Deinde obsecratio: Quoniã videbo cœlos opera digitorum tuorum, hoc est, cœlos videbo, lunam & stellas, quas tu fundasti. Vtique non solum dicit videbo, sed videbo cœlos, in quibus incipit albescere gratia & splendor cœlestis. Hos sibi cœlos tunc promittebat propheta dari, qui cœlestem gratiam à Domino mererentur. Lunam & stellas quas tu fundasti, lunam ecclesiam, stellas cœlestis gratiæ resurgentes. Deinde vide postulationem eius. Quid est homo quòd meministi eius, aut filius hominis quoniam visitas eum? Minorasti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Et alia gratiarum actio: Omnia subiecisti sub pedibus eius oues & boves vniuersas insuper & pecora campi, &c. Docuimus pro captu nostro forsità quod non didicimus, vt potuimus expressimus. Sanctitas vestra institutis sacerdotalibus informata, laboret tenere quod accepit à Deo, & oblatio sicut hostia pura & in vobis semper suum signaculum recognoscat, vt & ipsi ad gratiam & ad præmia virtutum peruenire possitis. Per Dominum nostrum Iesum Christum, cui est gloria, honor, laus, perpetuitas à seculis & nunc & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

F I N I S.

C A P I

Capita libri primi de Pœnitentia.

De commendatione moderationis erga peccatores seruanda ab his qui illorum morbos curare debent, per exempla, scripturam atque orationem, cum acriter reprehensione eorum qui dura pro mitibus sequenda opinantur: & cum ipsi querant misericordiam Domini, aliis eam denegant, cuiusmodi sunt doctores Nouatianorum. Cap. I.

De repulsione responsionum, quibus Nouatiani errorem suum defendere conantur. Cap. II.

De sententia scripturæ in superiori capitulo adductæ, & quemadmodum fieri possit, vt aliquis qui victus supplicii Deum sermone negauerit, & corde adorauerit, per pœnitentiam mereatur veniam peccatorum. Cap. III.

De dictorum in superiori capitulo multiplici probatione ex sacrarum scripturarum testimoniis. Cap. IIII.

De confutatione erroris Nouatianorum, qui spem veniæ excludunt per exemplum de illo semiuiuo relicto à latronibus, quem pius Samaritanus Dominus Iesus misericordia motus curauit, & supra suum iumentum imposuit vulneratum, & à sacerdote atque Leuita prætereuntibus, per quos Nouatiani intelliguntur, fuit neglectus. Cap. V.

De ecclesia Christi per cœnam significata, ad quam omnes vocati sunt, siue boni siue mali, & qui se excusauerunt, Nouatiani sunt atque ceteri hæretici, qui partem cum Christo non habebunt, eo quod pœnitentiæ lauacrum respiciant. Cap. VI.

De multiplici potestate data discipulis à Christo, cum reprehensione Nouatianorum, qui remissionem in baptismo concedunt, sed pœnitentiæ lauacrum negant, cum nihil intersit inter vtrunque sacramentum. Cap. VII.

De falso intellectu scripturæ quo Nouatianus errorem suum probare contendit, quem auctor hic efficaciter reprobatur fultus scripturæ sacræ testimoniis. Cap. VIII.

Qualiter intelligenda sint verba Ioannis in canonica sua dicentis: Est peccatum ad mortem, non de illo dico vt oret quis: cum sanctus Ioannes non ignorauerit Moysen atque Hieremiam atque Stephanum pro salute aliorum orasse, atque exauditos fuisse. Cap. IX.

De eo quod nullus fidem habens exclusus sit à venia: Quòd hi quoque qui post pœnitentiam coronam martyrij meruerunt, maius etiam donum fidei perceperunt. De forma quoque pœnitentis in semiuiuo à latronibus relicto conuenienter expressa. Cap. X.

De aliis quibusdam scripturis quibus eliditur error Nouatiani veniam post lapsum negantis, cum Dominus Iesus venerit in mundum non vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Cap. XI.

Quemadmodum testimoniis ipsius Dauid atque sancti Pauli reprobetur falsitas Nouatiani, quia castigat Deus omnem filium quem recipit, & quem castigauit, morti non tradidit. Cap. XII.

Quòd peccantes tradantur plerumque à Deo atque ab eius ecclesia in potestatem diaboli, in afflictionem carnis vt Spiritus saluetur. De custodia quoque oculorum seruanda, & velamine mulierum: atque exemplo Ioseph colloquia pudica esse seruanda. Cap. XIII.

De exhortatione ad castimoniam puritatem, atque fomentorum luxuriæ refecationem. Quòd satan quoque auctor sit debilitatis, in cuius potestatem per excommunicationis censuram plerique dantur ad tempus, vt spiritus saluetur. Cap. XIII.

De ecclesiæ farina, & fermentum peccatorum quemadmodum expurgetur, fermentumque hæreticorum quomodo in ecclesia farina abscondatur. De pascha quoque nostro Christo immolato pro peccatoribus, quos inuidus à tanta gratia exclusit Nouatianus. Cap. XV.

De misericordia Domini Iesu. Et quemadmodum hi qui eius clementiam non imitantur, spiritus ipsius non sint. Et quod misericordia facta pœnitentibus in presenti, testimonium sit remunerationis futurae. Cap. XVI.

De indulgentia & seueritate erga pertinaces. Et qui sint qui circunueniantur à satana. Et quod per interitum carnis non intellexerit Apostolus eius consumptionem: sed castigationem atque vitiorum repressionem. Cap. XVII.

P iij

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE POENITENTIA,

LIBER PRIMVS.

De commendatione moderationis erga peccatores seruanda ab his qui illorum morbos curare debent, per exempla, scripturam atque rationem, cum acri reprehensione eorum qui dura pro mitibus sequenda opinantur: & cum ipsi quarant misericordiam Domini, aliis eam denegant, cuiusmodi sunt doctores Nouatianorum.

CAPVT I.

SI virtutum finis ille est maximus, qui plurimorum spectat profectum, moderatio propè omnium pulcherrima est, quæ ne ipsos quidem quos damnat, offendit: & quos damnauerit, dignos solet facere absolutione. Denique sola est, quæ Domini quæsitam sanguine ecclesiam propagauerit, imitatrix beneficij cœlestis, & redemptionis vniuersorum salubri fine temperans, quem ferre possint aures hominum, mentes non refugere, non pauere animi. Etenim qui studet humane infirmitatis emendare vitia, ipsam infirmitatem suis debet sustinere, & quodammodo pensare humeris, non abicere. Nam pastor ille euangelicus lassam ouem vexisse legitur, non abiecisse. Et Salomon ait: Noli iustus esse nimium. Debet enim iustitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum se tibi curandum præbeat, quem fastidio tibi dedas, qui contemptui se non compassioni medico suo putet futurum? Ideo Dominus Iesus compassus nobis est, vt ad se vocaret, non vt deterreret. Mitis venit, venit humilis. Denique ait: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam. Reficit ergo Dominus, non excludit neque abicit, meritoque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes, plebem Dei colligerent, non repudiarent. Vnde liquet eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur: & cum ipsi quarant Domini misericordiam, aliis eam denegant, vt sunt doctores Nouatianorum, qui mundos se appellât. Quid his superbis, cum scriptura dicat: quia nemo mundus à peccatis, nec vnus diei infans? Et Dauid clamet: A delicto meo munda me? Sanctiores isti quam Dauid, de cuius nasci familia Christus incarnationis elegit mysterio, cuius posteritas aula cœlestis est, vtero virginali suscipiens mundi redemptorem. Quid autem durius quam vt indicant poenitentiam, quam non relaxant, cum vtique veniam negando incentiuum auferant poenitentia? Nemo enim potest bene agere poenitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam. Sed negat his oportere reddi communionem, qui præuaricatione lapsi sint. Si vnum tantum crimen exciperet sacrilegij, cui veniam negarent, durè quidem, sed tamen diuinis tantum redargui viderentur sententiis, assertionibus tamen suis conuenirent. Dominus enim crimen nullum exceptit, qui peccata donauit omnia. At cum omnia peccata Stoicorum quodam more paribus putent æstimanda me-

suris, & æquè eum qui gallum (vt aiunt) gallinacè, atque illum qui patrem suffocauerit, in perpetuum afferant cœlestibus abdicandum mysterijs: quomodo vnus criminis obiciunt reos, cum indignissimè esse non possint etiam ipsi negare, vt paucorum poena veniat ad multos?

De repulsione responsionum quibus Nouatiani errorem suum defendere conantur.

CAP. II.

Sed aiunt se Domino deferre reuerentiam, cui solent remittendorum criminum potestatem referunt: imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quam qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in euangelio suo dixerit Dominus Iesus: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, detenta erunt. Quis est ergo qui magis honorat, vtrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in vtroque seruat obedientiam, vt peccatum & alliget & relaxet. Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare quod non resoluat, non vult soluere quod ligauit: in quo se suamque damnat sententiam, sua damnat sententia. Dominus enim par ius & soluendi esse voluit & ligandi, qui vtrunque pari conditione permittit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Sicut enim secundum Dominicam sententiam, qui ligandi ius habet, & soluendi habet: ita istorum assertio seipsum strangulat, vt quia soluendi sibi ius negant, negare debeant & ligandi. Quomodo igitur potest alterum licere, alterum non licere? Quibus donatum est vtrunque, aut vtrunque licere manifestum est, aut vtrunque non licere certum est: ecclesiæ autem vtrumque licet, hæresi vtrumque non licet. Ius enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Rectè igitur ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet. Non vindicando autem ipsa de se pronunciat, quod cum sacerdotes non habeat, ius sibi vindicare non debeat sacerdotale. Ita in impudenti contumacia pudentem cernimus confessionem. Spectat etiam illud, quoniam qui Spiritum sanctum accepit, & soluendi peccati potestatem, & ligandi accepit. Sic enim scriptum est: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, detenta erunt: ergo qui soluere non potest peccatum, non habet Spiritum sanctum. Munus enim Spiritus sancti est officium sacerdotis, ius autem Spiritus sancti in soluendis ligandisque criminibus est. Quomodo igitur munus eius vindicant, de cuius diffidunt iure & potestate? Quid, quod insolentiores sunt? Nam cum ad misericordiam promptior quam ad seueritatē sit spiritus Dei, quod ait se velle, id nolunt: quod nolle, hoc agunt: cum vindicare iudicis sit, remittere misericordis. Tolerabilius igitur Nouatiane

tiane remitteres quam ligares. Aliud enim quasi delinquendi parte vsurpares, aliud quasi ærumnæ compassus ignosceres. Sed aiunt se exceptis grauioribus criminibus relaxare veniam leuioribus. Non hoc quidem author vestri erroris Nouatianus ait, qui nemini poenitentiam dandam putauit, ea scilicet contemplatione, vt quod ipse non posset soluere, non ligaret, ne ligando sperari à se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententijs, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ soluenda à vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promissit omnibus, & relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine vlla exceptione concessit. Sed qui culpam exaggerauit, exaggeret etiam poenitentiam: maiora enim crimina, maioribus abluuntur fletibus. Ita nec Nouatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos eius discipuli, imitatores eiusdem & condemnatores, qui ibi minuitis studia poenitentia, vbi augeri oportet, quia grauiora peccata maioribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia. Quæ autem ista peruersitas est, vt vobis vindicetis possibilia concessa, Deo (vt ipsi dicitis) impossibilia referetis? hoc est, sibi eligere causas ignoscendi, Deo materiam scruendi relinquere. Et vbi est illud? Sit autem Deus verax, omnis homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris? Vt cognoscamus igitur Deum misericordiae magis indulgentem esse, quam seueritatis tenacem: ipse ait, Misericordiam malo, quam sacrificium. Quomodo igitur vestrum potest acceptum esse sacrificium Deo, qui negatis misericordiam, cum ipse dicat nolle se mortem peccatoris, sed correctionem? Cuius interpretes Apostolus ait: Quia Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleteretur in nobis. Nō similitudine carnis ait, quia Christus veritatem suscepit carnis humanæ. Non similitudinem, neque in similitudine peccati ait, quia peccatum non fecit, sed peccatum pro nobis factus est: sed venit in similitudine carnis peccati, hoc est, suscepit similitudinem carnis peccatricis. Ideo similitudinem, quia scriptum est: Et homo est, & quis agnoscit eum? Homo erat carne, secundum hominem qui agnosceretur, virtute supra hominem, qui non agnosceretur, ita & hic carnem habebat nostram, sed carnis huius vitia non habebat. Non enim sicut omnis homo est, ex virili erat & sceminea permutatione generatus, sed natus de Spiritu sancto & virgine immaculatum corpus suscepit, quod nō solum nulla vitia maculauerat, sed nec generationis aut conceptionis cōcretio iniuriōsa fulcauerat. Nā omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Christi autem caro damnauit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam, vbi erat ante colluuiū per culpā. Quid ergo dicemus ad hæc, nisi quod dixit Apосто-

lus: Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accusabit aduersum electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui damnet? Christus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Nouatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Nouatianus damnat ad mortem. Christus dicit: Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum. Nouatianus dicit, immitis sum. Christus dicit: Inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suauis est, & onus meum leue est: his graue onus & durum imponit iugum Nouatianus. Quam propensus igitur ad misericordiam sit Dominus Iesus, licet ista satis instruant, tamen ipse etiam te doceat, quia cum aduersus impressionem persecutionis instruere nos vellet, ait: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam & corpus mittere in gehennam. Et infra: Omnis ergo qui confessus me fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Vbi confitetur, pro omnibus confitetur, omnes cōplectitur: vbi negat, non omnes negat. Sicut enim supra habetur: Omnis qui me confessus fuerit, confitebor & ego eum, hoc est, omnem. Consequens erat, vt infra quoque sic diceret: Omnis autem qui negauerit me. Sed ne omnes negare videretur, ita subiecit: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum. Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam: quod est miserationis, exaggerat: quod vltionis, extenuat. Atque ita scriptum est, non solum in eo libro, qui secundum Matthæum scribitur euangelij Domini Iesu, sed etiam in eo lectum est, quem secundum Lucam reperimus: vt scias non ociosè id posuisse vtrumque.

De sententia scripturæ in superiore capitulo adductæ, & quæ admodum fieri possit, vt aliquis qui victus supplicij Dei sermone negauerit, & corde adorauerit, per poenitentiam mereatur veniam peccatorum.

CAP. III.

Diximus quid scriptura sit, colligamus sententiã. Omnis, inquit, qui me confessus fuerit: id est, ex quacunque vita, ex quocunque statu, qui confessus me fuerit, habebit remuneratorem me confessionis suæ. Cum dicitur: Omnis, nullus à remuneratione qui fuerit confessus excluditur. Non similiter, omnis qui negauerit, negabitur. Potest enim fieri vt aliquis victus supplicij, sermone neget, & corde adoret. Nunquid eadem causa est eius qui sponte neget, & eius quem tormenta inclinauerint ad sacrilegium, non voluntas? Quam indignum autem, cum apud homines valeat certaminis gratia, vt apud Deum non valere asseratur? Nam sepè in hoc athletarum seculari certamine etiam victos quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare consuevit, maxime quos viderit,

* Patum.

Luca 15. Eccl. 7.

† habent.

Matth. 11.

Iob 15. Psal. 50.

Ibidem 9.

Matth. 11.

Ibidem 10.

Luc. 12.

Matth. 10.

* exclusus

psalm. 76.

osee 11.

* spectat, etc. Luca 7.

Thren. 3.

psalm. 112.

aut forte dolo aut fraude * excisos victoria. Christus ergo athletas suos quos viderit grauibus paulisper cessisse suppliciis, sine venia patietur manere? Nunquid non habebit remunerationem laboris, qui etiam quos proicit, non in aeternum proicit? Dicit enim David: Non in aeternum proiciet Deus. Et contra hunc audiemus haeresim dicentem: Proiciet in aeternum? Nec in finem, inquit, misericordiam suam abscindet a generatione in generatione, aut obliuiscetur misereri Deus, clamat Propheta: Et sunt qui diuinae miserationis quaedam inducant obliuia? Sed aiunt ideò se ista asserere, ne mutabilem Deum facere videantur, si his quibus fuerat iratus, ignoscat.

De dictorum in superiori capitulo multiplici probatione ex sacrarum scripturarum testimoniis.

CAPVT IIII.

Quid ergo? Repudiabimus diuina oracula, & opiniones istorum sequemur? Sed non Deus alienis assertionibus, sed suis aestimandus vocibus est. Quod enim promptius edere possumus in sine eius misericordiae, quam quod ipse per Prophetam Osee, quibus tanquam iratus minabatur, continuo tanquam reconciliatus indulget? Ait enim: Quid tibi faciam Effrem, aut quid tibi faciam Iuda? Et infra: Quomodo te constituiam? Velut Adama efficiam te, & sicut Seboim. In ipsa indignatione velut patrio quodam affectu haeret, quomodo ad poenam tradat errantem. Et si Iudaeus miretur, Deus tamen adhuc secum examinat. Sed continuo qui dixerat: Sicut Adama faciam te, & sicut Seboim, quae duae vrbes ex vicinia Sodomorum parilis excidij traxere confortium: Conuersum est, inquit, cor meum, in eo ipso conturbata est poenitentia mea. Non faciam secundum iracundiam furoris mei. Nonne apparet quod ideò nobis peccantibus indignetur Dominus Iesus, vt indignationis suae nos terrore conuertat: Indignatio ergo eius non ultionis executio, sed magis absolutionis operatio est. Sic enim dixit: Si conuersus ingemueris, saluus eris. * Expectat gemitus nostros, sed temporales, vt remittat perpetuos: expectat lachrymas nostras, vt profundat pietatem suam. Sic in Euangelio, viduae matris lachrymis compassus, filium eius resuscitauit. Expectat conuersionem nostram, vt reuertamur & ipse ad gratiam: quae si nullus lapsus nobis irreperet, in nobis perseveraret. Sed quia peccatis nostris contrahimus offensam, indignatur vt humiliemur, humiliamur vt digni simus magis miseratione quam poena. Doceat te certe Hieremias, dicens: Quia non repellat in aeternum Dominus, quoniam cum humiliauerit, inquit, miserebitur secundum multitudinem misericordiae suae. Quia non humiliavit toto corde suo, neque repulit filios hominum. Hoc certe in Threnis Hieremiae legimus. Et ex his vel caeteris quae sequuntur aduertimus, quia ideò humiliat sub pedes suos omnes victos terrae, vt iudicium eius declinemus. Sed nec toto corde humiliat peccatorem vsq; ad terram, quia etiam de terra suscitatur inopem, & de stercore erigit pauperem. Non enim ex toto corde humiliatur, qui se venie reseruat. Quod si non ex to-

to corde omnem humiliat peccatorem, quanto magis eum qui non ex toto peccauit? Nam sicut dixit de Iudaeis: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: fortasse & de aliquibus lapsis dicat: Isti labiis me negarunt, sed corde mecum sunt. Vicit eos poena, non auertit perfidia. Sine causa autem his aliqui veniam negant, quorum fidem eò vsque consecutus persecutor est, vt eam studeret expugnare tormentis. Negarunt semel, sed quotidie consentunt. Negarunt sermone, sed consentunt gemitibus. Consentunt eiulatibus, consentunt fletibus, consentunt liberis non coactis vocibus. Cessarunt quidem ad tempus diaboli tentationi, sed etiam diabolus postea recessit ab his, quos sibi vindicare non potuit. Cessit ergo fletibus, cessit poenitentiae. Quos inuaserat alienos, perdidit suos. Nonne ita istud est, ac si quis captiuum victae vrbs populum abducatur? Captiuus abducitur, sed inuitus, qui in alienas terras necessitate contendat, intimo tamen non migret affectu, patriam secum animo vehat, quaeratur copiam quemadmodum reuertatur. Quid ergo? Cum huiusmodi reuertitur, num est aliquis qui persuadeat eum non recipiendum, minore scilicet honore, sed studio propensiore, ne habeat in quo insultet aduersarius? Si armato ignoscis ei qui pugnare non potuit, non ignoscis ei, in quo sola pugnabat fides? Ipsius diaboli de huiusmodi lapsis requiramus sententiam, nonne videtur dicere: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: Quomodo enim mecum est, qui non recedit a Christo? Sine causa autem me colere videntur, qui doctrinam Iesu custodiunt. Ego autem putabam quod mea docerent, plus damnant dum comperta deserunt. Certè Iesus in his amplius gloriatur, dum recipit reuertentes. Exultant omnes angeli, quia gaudium maius est in caelo super vno peccatore poenitentiam agente, quam in nonaginta & nouem iustis qui non indigent poenitentia. De me in caelo, de me in terris triumphus sumitur; nihil Christo perit, quando hi qui ad me cum fletu venerunt, cum desiderio ad ecclesiam reuertuntur. Et horum exemplo etiam de meis periclitator, qui didicerint nihil hic esse vbi homines praesentibus prouocantur praemiis, & plurimum illic, vbi gemitus, lachrymae, ieiunia, meis epulis praeferruntur.

De confutatione erroris Nouatianorum, qui spem veniae excludunt, per exemplum de illo semiuino relicto a latronibus, quem pius Samaritanus dominus Iesus misericordiam motus curauit, & supra suum iumentum imposuit vulneratum, & a sacerdote atque leuita praeteriitibus, per quos Nouatiani intelliguntur, fuit neglectus.

CAP. V.

Hos ergo Nouatiani excluditis. Quid est enim aliud excludere, nisi spem veniae negare? Sed neque semiuinum illum derelictum a latronibus, Samaritanus praeteriit, sed vulnera eius oleo vinoque curauit, prius infundens oleum quo foueret, & supra iumentum suum imposuit vulneratum, in quo eius peccata vexit omnia, nec ouem pastor despexit errantem. Vos autem dicitis: Noli me tangere, vos dicitis volentes iustificare vos ipsos: Non est proximus noster: superbiore quam legisperitus, ille Christum

Christum tentare cupiebat. Ille enim dixit: Quis est meus proximus? Ille interrogat, vos negatis. Sicut sacerdos ille descendens, & sicut Leuita praeteriens, quem curandum suscipere debuistis, nec recipientes hospitio, pro quo Christus duos numerauit denarios, cuius te proximum fieri Christus iubet, vt facilius in eum misericordiam habeas. Ipse enim est proximus, quem non solum conformis natura coniunxit, sed etiam misericordia copulauerit. Ab eo te alienum superbia facit, extollens te frustra inflatus mente carnis tuae, & non tenens caput. Si enim caput teneres, aduerteres non tibi eum deserendum pro quo Christus mortuus est. Si caput teneres, aduerteres corpus omne compaginando potius quam soluendo in incrementum Dei per copulam charitatis, & redemptionem crescere peccatoris. Cum igitur fructum omnem auferis poenitentiae, quid aliud dicitis, nisi hoc: Nemo de vulneratis nostrum ingrediatur hospitium, nemo sanetur in nostra ecclesia? Apud nos non curantur aegroti, sani sumus, medicum non habemus necessarium, quia ipse ait: Non opus est sanis medicus, sed his qui male habent.

De ecclesia Christi per coenam significata, ad quam omnes vocati sunt, siue boni, siue mali: & qui se excusauerunt, Nouatiani sunt, atque caeteri haeretici qui partem cum Christo non habebunt, eò quod poenitentiae lauacrum respiciunt.

CAP. VI.

Ergo Domine Iesu ad ecclesiam tuam totus adueni, quoniam Nouatianus excusat. Nouatianus dicit: Iuga bouum emi: qui iugum Christi suauiter non suscipit, & onus graue collo imponit suo, quod portare non queat. Nouatianus seruos tuos a quibus inuitabatur tenuit, & contumelia affectos occidit, quos iterati baptismatis labe inquinauit. Mitte ergo ad exitus viarum, & collige bonos & malos, & debiles, & caecos, & claudos introduc in ecclesiam tuam. Iube impleatur domus tua, introduc omnes ad coenam tuam: quia quem tu vocaueris, dignum facies si sequatur. Ille sanè reicitur, qui non habuerit vestem nuptialem, hoc est, amictum charitatis, velamen gratiae. Mitte, inquam, ad vniuersos, non excusat ecclesia tua a coena tua. Excusat Nouatianus. Non dicit familia tua, Sana sum, medicum non requiro, sed dicit: Sana me Domine, & sanabor: salua me & saluabor. Denique ecclesiae tuae species est in illa, quae accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti tui, dicens intra se: Quia si tetigero vestimentum eius, salua ero. Haec ergo ecclesia consistit vulnera sua, haec curari cupit. Et tu quidem Domine, omnes cupis sanare, sed non omnes curari volunt. Non vult Nouatianus, qui se putat esse sanum. Tu Domine aegrum te esse dicit, & in minimo nostram sentis infirmitatem, dicens: Aeger eram, & visitastis me. Nouatianus illum minimum visitare nescit, in quo tu desideras visitari. Tu dicitis Petro excusanti, ne ei pedes lauares: Nisi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Quod ergo isti possunt confortium tecum habere, qui clauas regni non suscipiunt, negantes quod dimittere peccata debeant? Quod quidem rectè de se fatentur, non habent enim

Petri hereditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia diuisione discerpunt. Sed hoc improbè, quod etiam in ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit: Tibi dabo clauas regni caelorum, & quaecunque ligaueris super terram, erunt ligatae & in caelo: & quaecunque solueris super terram, erunt soluta & in caelis. Cum & ipse vas electionis dominicae dicat: Si cui autem quid donastis, & ego: nam & ego quod donauit, propter vos in persona Christi. Cur igitur Paulum legunt, si eum tam impiè arbitrantur errasse, vt ius sibi vindicaret Domini sui? Sed vindicauit acceptum, non usurpauit indebitum.

De multiplici potestate data discipulis a Christo, cum reprehensione Nouatianorum, qui remissionem in baptismo concedunt, sed poenitentiae lauacrum negant, cum nihil intersit inter utrumque sacramentum.

CAP. VII.

Vlt Dominus plurimum posse discipulos suos, vult a seruulis suis ea fieri in nomine suo, quae faciebat ipse positus in terris. Denique ait: Et maiora haec facietis. Dedit vt mortuos suscitarent. Et cum ipse Saulo reddere posset vsum videndi, eum tamen ad Ananiam discipulum suum misit, vt eius benedictione Saulo refunderentur oculi quos amiserat. Petrum quoque secum in mare iussit ambulare: & quia titubauit, reprehedit illicò, eò quod dona gratiarum fidei paucillitate minuisset. Dedit etiam discipulis vt lux mundi essent per gratiam, qui erat ipse lux mundi. Et quia descensus esset e caelo, & in caelum ascensus, Heliam ad caelum leuauit, inde eum terris placito redditurus tempore. Baptizaturus quoque in Spiritu sancto & igni, per Ioannem baptismatis sacramenta praemisit. Omnia denique donauit discipulis suis, de quibus ait: In nomine meo daemones eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: supra aegros manus imponent, & bene habebunt. Omnia ergo dedit, sed nulla in his hominis potestas est, vbi diuini muneris gratia viget. Cur ergo manus imponitis, & benedictionis opus creditis, si quis forte reuclauerit aegrotus? Cur praesumitis aliquos a colluione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominè peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest, vtrum per poenitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Vnum in utroque ministerium est. Sed dices quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Vbi vultis vindicatis vobis Dei gratiam? Vbi vultis repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiae, non sancti timoris est, vt fastidio vobis sint qui volunt agere poenitentiam. Perpeti videlicet flentium lachrymas non potestis. Non ferunt oculi vestri vilia vestimentorum, illuuiem sordidatorum, superbo oculo, & tumido corde delicati mei, arroganti voce dicentes singuli: Noli me tangere, quia mundus sum. Dixit quidem Dominus ad Mariam Magdalenam: Noli me tangere: sed non dixit, quia mundus sum, qui mundus erat: tu audes Nouatiane mundum te dicere, qui etiam operibus mundus esses, hoc solo ver-

Esaias 6. bo fieres immundus? *Esaias* dicit: O miser ego, & G
 punctus corde: quia cum sim homo, & immū-
 da labia habeam, in medio quoque populi immū-
 da labia habentis inhabitē: & tu dicis mundus sum,
Job 15. cum mundus non sit, vt scriptum est, nec vnus diei
Psalms 50. infans? *Dauid* dicit: Et à delicto meo munda me:
 quem vtique misericordem sæpe Domini iustificauit
 gratia: tu mundus, cum tam iniustus sis, vt non
Matth. 7. miserearis, vt festucam in oculo fratris tui videas,
 trabem autem quæ in oculo tuo est, non confide-
 res? Immundus enim apud Deum omnis iniquus.
 Quid autē iniustus, quàm vt velis tibi dimitti pec-
 cata tua, cum roganti ipse non putes remittenda?
 Quid iniustus, quàm vt te iustifices in quo damnas
 alterum, cum grauiora committas? Denique remis-
 sionem celebraturus peccatorum nostrorum Do-
Matth. 3. minus Iesus dicenti sibi Ioanni: Ego à te debeo bap-
 tizari, & tu venis ad me? respondit: Sine modò, sic
 enim decet nos implere omnem iustitiam. Et Do-
 minus quidem venit ad peccatorem, cum peccatū
 ipse non haberet, & baptizari voluit cui mundari
 necesse non erat.

*De falso intellectu scripturæ, quo Nouatianus errorem suum
 probare contēdit, quem author hic efficaciter reprobat ful-
 tus scripturæ sacræ testimoniis.*

CAP. VIII.

VOs quis ferat, qui putatis vobis opus non esse
 mundari per pœnitentiam, quia mundatos di-
 citis vos esse per gratiam, quasi iam peccare vobis
 impossibile sit? Sed dicent: Scriptum est: Si pecca-
 uerit homo in hominem, orabunt pro eo ad Domi-
 num: si autem in Dominum peccauerit homo, quis
 orabit pro eo? Primum, vt supra iam dixi, tunc te
 ista paterer obicere, si solis præuaricatoribus non
 relaxares pœnitentiam. Tamen quid scrupuli ista
 afferret quæstio? Non enim scriptum est: Nullus o-
 rabit pro eo, sed quis orabit? hoc est, quis ille sit, qui
 in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur.
Psalms 14. Denique habes in Psalmo decimoquarto: Domine
 quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requie-
 scet in mōte sancto tuo? Non enim nullus, sed pro-
 batus habitabit. Nec hoc dicit quod nemo requie-
 scat, sed requiescat electus: vt scias hoc esse verum,
 quod non multò post in Psalmo vigesimo tertio,
 ait: Quis ascendet in montem Domini, aut quis sta-
 bit in loco sancto eius? id est, nō quicumque de vul-
 go, nec plebeie vilitatis aliquis, sed vitæ egregie sin-
 gularisque meriti. Et vt scias quia cum dicitur, quis,
 nō intelligitur nullus, sed aliquis significatur. Cum
 dixisset: Quis ascendet in montē Domini? subiecit:
 Innocēs manibus & mundo corde, qui non accipit
 in vanū animam suā. Et alibi: Quis sapiens & intelli-
 get hæc? Nunquid dicit, quia nullus intelliget? Et in
 Euangelio: Quis fidelis dispensator & prudens, quē
 constituet Dominus super familiam suam, vt det il-
 lis in tempore tritici mensuram? Et vt comprehen-
 das quia de eo dixit, qui vtique est, non de eo qui
 nō est, subiūxit: Beatus ille seruus, quē cum venerit
 Dominus, inuenerit sic facientē. Et illud ita opinor
 dictum: Deus, quis similis tibi? non vtique nullus:
 quia imago patris filius est. Similiter igitur accipiē-

I. Reg. 2.

Psalms 14.

Osee 14.
Luc. 12.

Psalms 82.

dum: Quis orabit pro eo? hoc est, singularis vitæ ali-
 quis debet orare pro eo qui peccauit in Dominum,
 quia quò maior culpa, eò maiora sunt querenda suf-
 fragia. Non enim quicumque de vulgò pro Iudæo-
 rum populo, sed Moyses rogauit, quando vituli ca-
 put fidei immemores adorauerunt. Nunquid errauit
 Moyses? At certè quia non errauit, quod roga-
 uit, & meruit, & impetrauit. Quid enim talis affe-
 ctus non impetraret, quando se obiecit pro popu-
 lo, dicens: Et nunc si dimittis illis peccatum, di-
 mitte: sin autem, dele me de libro vitæ? Vides quia
 non tanquam deliciosus intercessor, & fastidij plen-
 us sibi consulat, ne offensionem contrahat: quod
 Nouatianus metuere se dicit: sed magis omniū mem-
 or, sui immemor, offendere non timebat ipse, vt
 plebem ab offensionis periculo exueret, & libera-
 ret. Meritò ergo scriptum est: Quis orabit pro eo,
 hoc est, talis qualis Moyses qui se offerat pro peccā-
 tibus: talis qualis Hieremias, cui cum esset dictum à
 Domino Deo nostro: noli orare pro populo isto: ta-
 mē orauit, & veniam promeruit. Denique interces-
 sione prophetica, & obsecratione tanti vatis inflex-
 us Dominus dicit ad Hierusalem: quoniā ea quo-
 que pœnitentiam pro delictis egerat, dicēs: Domi-
 ne omnipotens Deus Israël, anima in angustiis, &
 spiritus anxius clamat ad te: Audi Domine, & mise-
 rere. Et iubet luctus vestimenta deponi, & abiici ge-
 mitus pœnitentiæ. Sic enim scriptum est in fineli-
 bri: Exue te Hierusalem stola luctus, & vexationis
 tuæ, & indue te decorem eius, quæ à Deo tibi data
 est gloriæ in æternum.

*Qualiter intelligenda sint verba Ioannis in Canonica sua di-
 centis: Est peccatum ad mortem, non de illo dico vt orat
 quis: cum sanctus Ioannes non ignorauerit Moysen atque
 Hieremiam, atque Stephanum pro salute aliorum orasse,
 atque exauditos fuisse.*

CAP. IX.

TAles igitur precatores in delictis maximis sunt
 requirendi. Nam si quicumque de populo orent,
 non exaudiuntur. Vnde nec illa quæstio vestra quic-
 quam poterit afferre ponderis, quam sumitis de epi-
 stola Ioannis dicentis: Qui scit fratrem suum pecca-
 re peccatum non ad mortem, petat, & dabit illi vitā
 Deus: quia nō peccat ad mortem. Est peccatum ad
 mortem, non de illo dico vt orat. Nō enim ad Moy-
 sen & Hieremiam loquebatur, sed ad populum, qui
 suorum peccatorum alium precatorem deberet ad-
 hibere, cui fatis est si pro leuioribus delictis Deum
 precetur, grauiorem veniam iustorum orationibus
 referuandam putet. Nam quomodo Ioannes dice-
 ret non orandum pro delicto grauiore, qui legisset
 Moysen rogasse, & impetrasse, vbi erat præuaricatio
 voluntaria, qui sciret etiam Hieremiam rogasse?
 Quomodo Ioannes diceret, non orandum pro pec-
 cato quod esset ad mortem, qui ipse in Apocalypsi
 scripsit mandatum angelo ecclesie Pergami: Habes
 illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Ba-
 lach mittere scandalum coram filiis Israël, mandu-
 care immolata, & fornicari: ita & tu habes tenentes
 doctrinam Nicolaitarum, similiter age pœnitentiā,
 alioquin venio tibi: Vides quod Deus qui pœnitenti-
 am

Act. 3.

Ioan. 3.

1. Cor. 12.

Luc. 17.

Ioan. 3.

** amasse*

Philip. 1.

Ioan. 3.

Luc. 10.

tiam exigit, veniam polliceatur? Denique & tibi di-
 cit: Qui habet aures, audiat, quid spiritus dicat ec-
 clesiis: Vincenti dabo manducare manna. Nōne
 ipse Ioannes cognouerat Stephanum pro persecu-
 toribus suis, qui Christi nomen audire non poterāt,
 deprecatur, cum de ipsis à quibus lapidabatur, di-
 ceret: Domine, ne statuas illis hoc peccatum: cuius
 precationis effectum in Apostolo videmus? Paulus
 enim qui lapidantium Stephanum vestimenta ser-
 uabat, non multò postea per gratiam Christi factus
 Apostolus est, qui fuerat antè persecutor.

*De eo quod nullus fidem habens exclusus sit à venia. Quòd
 hi quoque qui post pœnitentiā coronam martyrij merue-
 runt, maius etiam donum fidei perceperunt. De forma quo-
 que pœnitentis in semiuino à latronibus relicto conueniē-
 ter expressa.*

CAP. X.

ERgo quia de Ioannis generali epistola sermo est,
 ipsius Ioannis in Euangelio scripta interroge-
 mus, vttrum cum vestra interpretatione cōueniant.
 Scribit enim dixisse Dominū: Quia sic dilexit Deus
 hunc mundum, vt filium suum vnigenitum daret,
 vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat
 vitam æternam. Si quem ergo lapsum reuocare cu-
 pias, vt credat: an vt non credat, hortaris? Vtique vt
 credat. Sed qui credit, iuxta Domini sententiam ha-
 bebunt vitam æternam. Quomodo ergo prohibebis
 orare pro eo, cui æterna vita debetur, cum diuinæ
 sit gratiæ fides, sicut Apostolus in diuisionibus gra-
 tiarum docet, quia alij datur in eodem spiritu fides:
 & discipuli Domino dicant: Adauge nobis fidem?
 Qui ergo fidem habet, habet vitam æternam: qui vi-
 tam habet, non est exclusus à venia: Omnis, inquit,
 qui credit in eum, non pereat. Cum omnis dicitur,
 nullus excluditur, nullus excipitur. Non enim exci-
 pit eum qui lapsus est, si tamen postea bene credat.
 Plurimos cōperimus se* reformasse post lapsum, &
 pro nomine Dei passos. Num possumus his marty-
 rum consortia negare, quibus Dominus Iesus non
 negauit? Audemus igitur dicere non esse his vitam
 redditam, quibus Christus coronam reddidit: Sicut
 ergo post lapsum plerisque, si patiantur, corona red-
 ditur: ita si credant, & fides redditur. Quæ fides Dei
 donum est, sicut habes scriptum: Quia à Deo vobis
 datum est, non solum vt credatis in eum, sed etiam
 vt pro illo patiamini. Nunquid is qui Dei donū ha-
 bet, potest non habere indulgentiam? Non vna au-
 tem, sed duplex gratia est, vt omnis qui credit, & pa-
 tiatur pro Domino Iesu. Habet igitur qui credit suā
 gratiam: habet autem alteram si fides eius passioni-
 bus coronetur. Neque enim priusquam pateretur
 Petrus, sine gratia fuit: sed vbi passus est, acquisiuit
 alteram. Et plerique qui non habuerunt gratiam vt
 pro Iesu paterentur, habuerunt tamen gratiam vt in
 Iesum crederent. Ideò dicitur: Vt omnis qui credit
 in eum non pereat. Omnis, inquit, hoc est, ex quo-
 cunque statu, ex quocumque lapsu, si credat, perire
 non timeat. Potest enim fieri vt aliquem de Hieru-
 salem descendente in Hiericho, hoc est, de mar-
 tyrij certamine relapsum, in istius vitæ cupiditate se-
 cularique gratia vulneratum à latronibus, hoc est, à

persecutoribus, & semiuinum relictum, euangelicus
 ille Samaritanus inueniat, qui nostrarum custos a-
 nimarum est. (Samaritanus enim custos dicitur,) &
 non prætereat eum, sed curet & sanet: fortasse ideò
 non præterit eum, quia aliquid in eo vitale agnoscit,
 vnde possit vitam resumere. Nōne vobis vide-
 tur ille qui lapsus est, semiuinus esse, si vitale ali-
 quid fides spiret? Nā qui pœnitens Deum ex suo cor-
 de abiicit, ille mortuus est: qui ergo non pœnitens ab-
 iecit, sed per impressionem tormentorum ad tem-
 pus negauit, semiuinus est. Aut si mortuus est, cur ei
 dicitis agendam pœnitentiam, qui iam curari non
 potest? Si semiuinus est, infunde vinum & oleum,
 nō vinum sine oleo, sed quod foueat & remordeat.
 Tolle eum in iumentum tuum, trade stabulario, duo
 æra ad eius curam impende, esto ei proximus. Pro-
 ximus autē esse non potes, nisi facias misericordiā.
 Nemo enim potest dici proximus, nisi qui curaue-
 rit, non occiderit. Si autem vis dici proximus, dicit
 tibi Christus. Vade & tu fac similiter.

*De aliis quibusdam scripturis quibus eliditur error Nouatia-
 ni veniam post lapsum negantis, cum Dominus Iesus ve-
 nerit in mundum non vocare iustos, sed peccatores ad pœ-
 nitentiam.*

CAP. XI.

Aliud simile consideremus. Qui credit in filiū,
 habet vitam æternam: qui autem non credit
 filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eū.
 Quod manet, vtique iam cœpit, & ex delicto aliquo
 cœpit, quia antè non credidit. Vbi ergo quis credit,
 ira Dei discedit, vita autem accedit. Credere ergo
 in Christum, lucrum vitæ est. Qui enim credit in eū,
 nō iudicatur. Sed referunt hoc loco, quoniā is qui
 credit in Christū, custodire debeat sermonem eius.
 Sic enim aiunt scriptum dicente Domino: Ego lux
 in hunc mundum veni, vt omnis qui credit in me,
 in tenebris non maneat: & si quis audierit sermonē
 meum, & custodierit eum, ego non iudico eum. Ille
 non iudicat, & tu iudicas: hoc est, & si fuit in te-
 nebris, non permaneat in eis, errorem emēdet, cul-
 pam corrigat, custodiat mandata mea. Dixi enim:
 Nolo mortem peccatoris sed conuersionem, dixi
 supra: Quoniam qui in me credit, non iudicatur: &
 hoc custodio. Non enim venit iudicem mundum,
 sed vt saluetur mundus per me. Libenter ignosco,
 promptè indulgeo, misericordiam malo quàm sa-
 crificium: quia per sacrificium, iustus commēdatur:
 per misericordiam peccator redimitur. Non veni
 vocare iustos, sed peccatores. In lege sacrificium, in
 Euāgelio misericordia est: lex per Moysen data est,
 per me gratia. Quid hoc euidentius? Denique & sub-
 ter ait: Qui spernit me, & non accipit verba mea, ha-
 bet qui iudicet eum. Num tibi videtur accipere ver-
 ba Christi, qui se non correxerit? Profectò non vi-
 detur. Qui ergo corrigit se, accipit verbū eius. Hoc
 est enim verbum eius, vt se vnusquisque reuocet à
 culpa. Aut excludas igitur necesse est hanc eius sen-
 tentiam: aut si negare non potes, acquiescas. Opor-
 tet eum quoque mandata custodire dominica, qui
 peccare desiit, delictis renunciauit. Non ergo de eo
 debes interpretari dictum, qui semper custodierit.

Ibidem.

Ioan. 3.

Ioan. 12.

Ezech. 33.

Ioan. 3.

Matth. 9.

Ioan. 1.

Ioan. 12.

Si enim hoc sensisset, addidisset, semper. Non addendo autem de eo pronunciauit, qui quod audiuit, custodierit. Audiuit autem, vt corrigeret errorem. Custodiuit igitur quod audiuit.

Quemadmodum testimoniis ipsius Dauid atque sancti Pauli reprobetur falsitas Nouatiani: quia castigat Deus omnem filium quem recipit, & quem castigat, morti non tradit.

CAPVT XII.

Quam verò durum sit vt ad pœnã vocetur perpetuam, qui vel postea custodit Domini madata, ipse te doceat qui etiam non custodientibus mandata sua veniam non negauit, sicut habes in Psalms 88. Et in flagellis delicta eorum, misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Omnibus igitur promittit misericordiam. Sed ne sine iudicio hanc esse misericordiam putes, est discretio inter eos qui perpetuam detulerint obedientiam mandatis cœlestibus, & inter eos qui aliquando vel errore, vel necessitate lapsi sint. Et ne nostro circumscribi te argumento putes, Christi iudicium accipe. Etenim ait: Si sciens seruus voluntatem Domini, & non fecit, vapulabit multis: si autem nesciuit, vapulabit paucis. Vterque igitur si credat, recipitur: Quia castigat omnem filium Deus quem recipit: & quem castigat, morti vtique non tradit, quia scriptum est: Castigans castigauit me Dominus, & morti nõ tradidit me. Denique Paulus docet non deferendos eos qui peccatum ad mortem fecerint, sed potius lachrymarum panibus, & potu coercendos flebili, ita tamen vt ipsa moderata esset tristitia. Hoc enim significat: Et potum dabis eis in lachrymis in mensura, vt ipsa mœstitia mensuram habeat, ne fortè abundantiore tristitia absorbeat, qui agit pœnitentiam. sicut scripsit ad Corinthios Paulus: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Sed nec virga grauis est, quoniam legerat: Tu quidem percuties eum virga, animam autem eius à morte liberabis. Quid esset in virga venire, docet inuectio fornicationis, accusatio incesti, reprehensio tumoris, quòd inflati essent, quos magis lugere oporteret: postremò condemnatio rei, vt tolleretur à consortio communionis, & traderetur aduersario, non ad interitum animæ sed carnis. Sicut enim Dominus in animam sancti Iob potestatem non dedit, sed in carnem eius permisit licentiam: ita & hic traditur Satanæ in interitum carnis, vt serpens terram eius lingeret, animæ non noceret. Moriarur ergo caro nostra cupiditatibus, sit captiua, sit subdita, nec legi mentis nostræ repugnet, sed bonæ seruituti subiecta moriarur, sicut in Paulo qui castigabat corpus suum, vt seruituti redigeret, quo probabilior fieret prædicatio, si lex carnis eius cum lege mentis congrueret & conueniret. Interit enim caro, cum sapientia eius transit in spiritum, vt iam non quæ carnis sunt sapiat, sed quæ sunt spiritus. Vtinam videam infirmari carnem meam, vtinam non trahar captiuus in legem peccati, vtinam nõ in carne viuam, sed in fide Christi. Et ideò maior in infir-

Psalms 88.

Luc. 12.

Hebr. 12.

Psalms 117.

Psalms 79.

1. Cor. 4.

Proverb. 23.

1. Cor. 5.

Roman. 7.

1. Cor. 9.

Roman. 8.

mitate corporis gratia, quam in salute. Denique & Paulum quem multum dilexit, noluit liberare ab infirmitate carnis, cui petenti vt discederet à se infirmitas, respondit: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Et Paulus plus sibi in infirmitatibus placet, dicens: Cum infirmior, tunc potes sum. Consummatur enim carnis in infirmitatibus, animæ fortitudo.

Quòd peccantes tradantur plerumque à Deo, atque ab eius ecclesia in potestatem diaboli, in afflictionem carnis vt spiritus saluetur. De custodia quoque oculorum seruanda, & velamine mulierum, atque exemplo Ioseph colloquia pudica esse seruanda.

CAP. XIII.

Explanauius Pauli sententiam, nunc verba ipsa consideremus, qua ratione dixerit, quòd tradiderit eum Satanæ in interitum carnis, quia tentator noster diabolus est. Nam debilitates membris singulis inferre, & egritudines toto solet mouere corpori. Denique percussit sanctum Iob vlcere malo à pedibus vsque ad caput, quia in potestatem acceperat interitum carnis eius, dicente Deo: Ecce trado tibi eum, tantummodò animam eius custodi. Hoc iisdem verbis Apostolus transtulit, dicens, quòd tradiderit huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Magna potestas, magna gratia, quæ imperat diabolo, vt se ipse destruat. Se enim destruit, cum hominem quem tentando supplare studet, ex infirmo fortiolem efficit: quia dum carnem debilitat, mentem eius corroborat. Aegritudo enim carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, vt se ipse morsu suo vulneret, & contra se armet, quem debilitandum putauit. Sic & sanctus Iob magis armauit posteaquam vulnerauit, qui totum corpus diris perfusus vlceribus, diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit. Et ideò bene ei dictum est: Adduces draconem in hamo, ludes eum sicut auem, ligabis eum sicut passerem, puer imponet super eum manum. Vides quemadmodum à Paulo illudatur, vt in cauernam eius sicut puer ille propheticus manum mittat, & nihil serpens noceat ei, de latebris eruat eum, de veneno eius faciat spiritale antidotum, vt quod venenum est, medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis, medicamentum sit ad salutem spiritus. Quod enim nocet corpori, iuuat spiritum. Manducet ergo terram meam serpens, dentem carni infigat, conterat corpus, dicat Dominus & de me, Trado tibi eum, tantummodò animam eius custodi. Quanta vis Christi, vt custodia hominis impeteretur, etiam ipsi diabolo, qui semper vult nocere. Dominum ergo Iesum nobis propitiemus. Imperante Christo & diabolo ipse sit prædæ suæ custos: Vel inuitus mandatis obsecundat cœlestibus, & quamuis immitis, tamen mansuetis obsequitur imperiis. Sed quid ego commendo obsequium eius? Sit ille semper malus, vt sit bonus Deus semper, qui malignitatem eius nobis in gratiam conuertit. Vult nocere ille, sed non potest, si Christus obstitat. Carnem vlcerat, sed custodit animam. Terram deuorat, sed re-

Genes. 3.

1. Cor. 7.

Proverb. 5.

Math. 5.

Proverb. 6.

Genes. 39.

seruat

seruat spiritum. Denique scriptum est: Tunc lupi & agni simul pascentur, leo & bos paleam manducabunt, serpens autem terram vt panem: & non nocentur, neque vastabunt in monte sancto meo, dicit Dominus. Damna enim serpentis hæc est sententia: Erit tibi terra cibus. Quæ terra? Ea vtique de qua dictum est: Terra es, & in terram ibis. Hanc terram serpens manducat, si propitius est nobis Dominus Iesus, vt non compatiatur anima carnis debilitati, non accendatur vapore corporis, & calore membrorum. Bonum est nubere magis quam vri. Est enim flamma quæ interna vrit. Vnde hunc ignem non alligemus in sinu mentis, & recessu pectoris, nec interioris nostri vramus exuuias, & forense hoc nostræ animæ vestimentum, velamenque carnale, edax libidinis flamma consumat, sed transeamus per ignem. Et si quod incidit amoris incendium, transfiliat, & non alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullos sibi nodos assidua nexu meditationis astringat, non intendat sæpius in formam mulieris meretricis, nec adolescentula ad vultum iuuenis oculos leuet. Et si fortuito aspexit, & capta est, quanto magis capiatur si curiosa aspexerit? Vel consuetudo nos doceat. Ideò velamine obnubit caput suum mulier, vt etiam in publico tuta verecundia sit: non facile vultus eius in adolescentis oculos occurrat, nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occuribus pateat ad vulnus vel alienum, vel suum, sed vtrumque suum vulnus est. Quod si tegmine caput velat, ne temerè aut videatur, aut videat (dum enim caput velatur, vultus absconditur) quanto magis velare se debet pudoris tegmine, vt etiam in publico habeat suum ipsa secretum? Verum esto incidit oculus, sed non intendat affectus. Non enim vidisse crimen est: sed cauendum ne origo criminis sit. Videt carnalis oculus, sed premat cordis oculus mentis verecundia. Habemus immortalem & indulgentem Dominum. Dixit quidem Propheta: Nolo intendas in formam mulieris fornicariæ. Sed tamen Dominus dixit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo. Nõ dixit: Si quis viderit, adulterauit: sed si quis ad concupiscendum viderit: non aspectum obligauit, sed affectum quæsiuit. Bonus tamen pudor qui ipsos corporis oculos sic premere consueuit, vt sæpè nõ videamus etiam quod videmus. Etenim specie aspiciere videmus quicquid occurrerit: sed si nõ misceatur animi intentio, hic quoque secundum carnis officium noster aspectus vanescit, ita plus videmus animo quam corpore. Et si viderit caro, ignem non alligemus in sinu: hoc est, in secreto mentis, animique arcano. Non implicemus ignem hunc offibus, non ipsi nobis nodos iniiciamus, non misceamus sermonem aliquem cum huiusmodi, vnde exæstuet ignis. Adulterinus sermo iuuenulæ, nodus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris. Vidit hunc ignem Ioseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est: voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum, sed pudicum virum ligare non potuit. Soluit enim vincula mulieris vox pudoris, sermo grauitatis, habena cautelæ, fidei custodia, castimoniam disciplina. Capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit

manum, & apprehendit vestem eius, vt nodum stringeret. Verba petulantis mulieris, cupiditatum retia sunt, manus eius amoris nodus est. Sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo, excussa vestis, solutus est nodus: & ideò quia non alligauit ignem in sinu mentis suæ, non combussit corpus suum.

De exhortatione ad castimoniam puritatem atque fomentum luxurie refecationem. Quòd Satan quoque author sit debilitatis, in cuius potestatem per excommunicationis censuram plerique dantur ad tempus, vt spiritus saluetur.

CAP. XIII.

Vides ergo, quia animus noster culpæ author est. Itaque innocens caro, sed plerumque peccati ministra. Ergo non te vincat formæ concupiscentia. Multa retia tenduntur à diabolo, multi laquei. Oculus meretricis laqueus amatoris est. Ipsi nobis oculi nostri retia sunt, & ideò scriptum est: Neque capiaris oculis tuis. Ipsi nobis ergo tendimus retia, quibus inuoluimur & implicamur. Ipsi nobis vincula necimus, sicut legimus: quia vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Et ideò transeamus ignem adolescentiæ, ardoremque iuuenilis ætatis, transeamus aquam, non remaneamus in aqua, ne flumina nos profunda concludant. Transeamus magis, vt & nos dicamus: Torrentem pertransiuit anima nostra. Qui enim transit saluus est. Denique Dominus sic ait: Si transeas per aquam, flumina te non concludent. Et Propheta dicit: Vidi impium superexaltatum ultra cedros Libani: & transiit, & ecce non erat. Transi secularia, & cecidisse aspicias altitudines impiorum. Moyses quoque transiens secularia flumina, vidit visum magnum, & ait: Transiens videbo hoc visum. Si enim fuisset in corporis vitiis & seculi istius lubricis voluptatibus, tanta non vidisset mysteria. Transeamus ergo & nos ignem hunc libidinis, quem timens Paulus, sed nobis timens, qui castigando corpus suum fecerat vt iam non timeret sibi, dicit nobis: Fugite fornicationem. Fugiamus ergo tanquam sequentem, quæ non post nos, sed in nobis sequitur. Nosmet ipsos ergo videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus. Volumus enim plerumque fugere, sed si nõ penitus eam de nostro excutimus animo, tollimus eam magisquam relinquimus. Transiliamus ergo eam ne nobis dicatur: Ambulate in igne flammæ vestræ, quam accendistis vobis: quoniam sicut ille qui alligat ignem in sinu, vestimenta comburit: sic qui ambulat super ignem, pedes comburat necesse est, quoniam scriptum est: Ambulabit quis super carbones ignis, pedes autem non comburent? Grauis ignis est, & ideò non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conuiuuiis, nutritur deliciis, vino acceditur, ebrietate flammatur. Grauiora his sunt fometa verborum, quæ vino quodam Sodomitanæ vitis mentem inebriat. Caucasus tamè & huius abundantiam vini. Vbi enim caro inebriatur, mens titubatur, animus vacillat, cor fluctuat. Ideò ad vtrumque vitæ præceptum est, quo monetur Timotheus his verbis: Vino modico vtere propter frequentes tuas infirmitates: Cū calet corpus, tradit vapor: cū alget

* nudum

Proverb. 5.

Psalms 123. Esaias 43. Psalms 36.

Exod. 3.

1. Cor. 6. Ibidem 6.

Esaias 50.

Prou. 6.

1. Tim. 6.

Psalm. 26.

2. Cor. 12.

1. Cor. 5.
Ibidem 4.

Ibidem 5.

Coloss. 3.

morbi frigore caro, refrigerio animam tuam: cum G dolet corpus tuum, tristis est mens tua, sed tristitia tua in gaudium veniet. Noli ergo timere si manducetur caro tua, anima tua non deuoratur. Ideo Dauid non timere se dicit, quia carnem eius non animam inimici edebant, sicut legimus: Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas: Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Ruinam igitur solam facit sibi serpens: ideo serpenti traditur, qui à serpente elisus est, ut quem deiecit, hunc erigat, & fiat ruina serpētis, hominis resurrectio. Satanam autem corporalis huius contritionis & carnalis authorem debilitatis scriptura ostendit, Paulo dicente: Datus est mihi stimulus carnis meae angelus Satanæ, ut me collaphizet, ut non extollar. Sic enim curare Paulus didicit, quemadmodum ipse sanatus est. Bonus itaque doctor dum promittit alterum de duobus, vtrumque donauit. Venit in virga, quia à communionem sacra conuictum remouit. Et bene dicitur tradi Satanæ, qui separatur à Christi corpore. Venit etiam in charitate spiritūque mansuetudinis: vel quia sic tradidit ut spiritum eius saluum faceret: vel quia eum quem ante sequestrauerat, postea sacramentis reddidit. Nam & sequestrari oportet grauius lapsum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat. Expurgandum est vetus fermentum, vel in singulis vetus homo, hoc est, exterior homo cum actibus suis, vel in populo inueteratus peccatis vitiiisque concretus. Bene dixit, expurgandum non proiciendum. Quod enim expurgatur, non totum iudicatur inutile. Ideo enim purgatur, ut vtile ab inutili separetur. Quod autem proicitur, nihil in se vtile habere creditur.

De ecclesie farina & fermentum peccatorum quemadmodum expurgetur, fermentumque hæreticorum quomodo in ecclesie farina abscondatur. De pascha quoque nostro Christo immolato pro peccatoribus, quos inuidus à tanta gratia exclusit Nouatianus.

C A P. X V.

1. Cor. 5.

Lucæ 13.

I Am tum igitur Apostolus addendum sacramentis iudicauit cœlestibus, si purgari se ipse vellet. Et bene ait: Expurgate. Velut operibus enim quibusdā totius populi purgatur, & plebis lachrymis abluuntur, qui orationibus & fletibus plebis redimitur à peccato, & in homine mūdatur interiore. Donauit enim Christus ecclesie suæ, ut vnum per omnes redimeret, quæ Domini Iesu meruit aduentum ut per vnum omnes redimerentur. Hic sensus Pauli est, quem verba obscuriora faciunt. Consideremus ipsum Apostoli sermonem: Expurgate, inquit, vetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azy-mi. Siue quod tota ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore est: & quasi fermentum eius se totam conspergat, ut per vniuersos ea quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiā agente, viritim misericordiæ aut cōpassionis velut collatiua quadam admixtione purgentur. Siue ut illa mulier euangelica docet, quæ typum præ-tendit ecclesie, eò quod fermentum abscondit in farina sua donec fermentetur totum, ut mundum

omne sumatur. Docuit me Dominus in Euangelio quid sit fermentum, dicens: Non intelligitis, quia non de pane dixi. Attendite à fermento Phariseorum & Sadduceorum. Tunc, inquit, intellexerunt, quia non dixit à panibus, sed à doctrina Phariseorum & Sadduceorum attenderent sibi. Hoc ergo fermentum, hoc est, doctrinam Phariseorum & disputationem Sadduceorum, abscondit ecclesia in farina sua, cum literam legis duriorum spirituali interpretatione molliuit, & velut mola quadam suæ disputationis infregit, proferens velut de folliculis literarum mysteriorum interna secreta, & resurrectionis fidem astruens, qua Dei misericordia prædicatur, qua reparari vita creditur mortuorum. Non absurda autem videtur ad hunc locum assumptio comparationis huius. Siquidem regnum cœlorum est peccatoris redemptio, & ideo farina ecclesie conspergamur omnes boni & mali, ut simus omnes in noua conspersione. Quis autem non vereretur, ne fermenti vitiosioris admixtio massam decoloraret? Ideo dixit: Ut sitis noua conspersio, sicut estis azy-mi: hoc est, tales conspersio vos reddat, qualis erat innocentie vestre pura sinceritas. Ita si misereamur, non fuscatur peccato alieno, sed redemptionem eius acquirimus nostræ gratiæ, ut qualis erat puritas, perseveret. Et ideo addidit: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: hoc est, passio Domini omnibus profuit, & peccatoribus donauit redemptionem, quos flagitij pœnituit admissi, Itaque epulemur bonum cibum penitentiam gerentes, lati redemptione. Nullus enim cibus est benevolentia & pietate dulcior, epulis nostris atque latitiæ nulla de peccatore seruato inuidia admisceatur, ne seipse à domo patris quemadmodum expositus in euangelio inuidus ille frater excludat, qui fratrem receptum doluit, quem in perpetuum gaudebat exclusum. Cuius vos similes esse Nouatianus non potestis negare, qui ideo (ut dicitis) in ecclesiam non conuenitis, quia per pœnitentiam tributa spes fuerat his qui lapsi sunt reuertendi. Sed hoc prætentum est specie, cæterum episcopatus amissi dolore succensus Nouatianus schisma composuit. Sed non intelligitis quia de vobis quoque prophetauit Apostolus & vobis dicit: Et vos inflati estis, & non magis lucrum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit? Vtique tunc penitus tollitur, cum aboletur peccatum eius. Non enim excludendum ab ecclesia dicit Apostolus, qui suadet esse purgandum.

De misericordia Domini Iesu. Et quemadmodum ij qui eius clementiam non imitantur, spiritus ipsius non sint. Et quod misericordia facta pœnitentibus in presenti, testimonium sit remunerationis futurae.

C A P. X V I.

C Vm igitur Apostolus peccatum remisit, qua vos autoritate dimittendū negatis? Quis reuertior Christi: Nouatianus, an Paulus? Sed nouerat Paulus Dominum misericordem, nouerat Dominum Iesum seueritate magis discipulorum offensum, quam misericordia. Deniq; Iacobum & Ioannē, dicentes quod ignē de cœlo peterēt, qui cōsumeret eos qui Dominum

Luc. 9.

Matth. 19.

Luc. 7.

Dominum recipere nolebant, confutauit Iesus, dicens: Nescitis cuius spiritus estis? filius enim hominis non venit animas hominum perdere, sed saluas facere. Et illis quidem dixit: Nescitis cuius spiritus estis, qui ipsius erant spiritus: vobis autem dicit, Non estis spiritus mei, qui meam clementiam non tenetis, qui meam refutatam misericordiam, qui excluditis pœnitentiam, quam ego per Apostolos meos prædicari volui in nomine meo. Frustrā enim dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Homines enim ad aliquod studium aut præmiis aut fructibus incitantur. Omne autem studium torpescit dilatione. Et ideo Dominus ut præsentium fructu cumularetur deuotio discipulorum, dixit quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum secutus esset, septies tantum reciperet & hinc, & in futurum. Prius hinc promissit, ut fastidia dilationis auferret: addidit & in futurum, ut hinc disceres credere in futurum quoque soluenda tibi præmia. Remuneratio igitur præsentium, testimonium futurorum est. Si quis igitur occulta crimina habes, propter Christum tamen studiosè pœnitentiam egerit: quomodo isthuc recipit, si ei communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur, obsecret: & cum secundo & tertio fuerit dilatata eius cōmunio, credat remissus se supplicasse, fletus augeat miserabilior, postea reuertatur, teneat pedes brachij, osculetur osculis, lauet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Iesus: Remissa sunt peccata eius multa, quoniam dilexit vultum lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus suum calcandum omnibus, ieiuno ore semper & pallido mortis speciem spiranti in corpore prætulisse.

Quibus indulgentia, quibus seueritas exhibenda.

C A P. X V I I.

Q Vid expectamus ut mortui mereantur veniam, qui mortem sibi intulerunt cum viuerent? Satis est, inquit, ei qui talis est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita ut e contrario magis donetis & consolimini, ne forte abundantiore tristitia absorbeat. Si satis ad condemnationem est obiurgatio quæ fit à pluribus, satis est quoque ad remissionem peccati obsecratio quæ fit à pluribus. Moralis magister, & nostræ fragilitatis conscius, & pietatis diuinæ interpretis vult donari peccatum, vult consolationem ad-

hiberi, ne tristitia pœnitentem tadio longæ dilationis absorbeat. Ideo ergo donauit Apostolus, nec solum donauit, sed etiam confirmari in cum charitatē voluit. Qui charus est, non habet duritiam, sed mansuetudinem. Nec solum donauit ipse, sed voluit etiā omnes donare, & se propter alios donasse dixit, ne omnes propter vnum diutius contristarentur. Si cui, inquit, donastis & ego: nam & ego propter vos in persona Christi, ut non circumueniamur à Satana: nec enim versutias eius ignoramus. Rectè potest serpente cauere, qui eius potest versutias non ignorare, quæ multæ ad nocendum sunt: vult enim semper nocere, semper circumuenire ut mortem inferat. Sed debemus cauere ne remedium nostrum fiat eius triumphus. Circumuenimur enim ab eo, si per nimiam tristitiam pereat qui potest liberari per indulgentiam. Et ut sciremus quia de baptizato dicit, addidit: Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis huius mundi. Et infra subiunxit: Nunc autem scripsi vobis, noni commisceri, si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens. Quos simul subiunxit ad pœnam, simul voluit etiam ad veniam pertinere. Si quis autem talis est, inquit, cum hoc nec cibum sumas. Quam seuerus pertinacibus, quam indulgens rogantibus. Aduersum illos Christi armatur iniuria, his Christi inuocatio suffragatur. At ne quis forte eo moueatur, quia scriptum est: Tradidi huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, & dicat: Quomodo potuit ad veniam pertinere, cuius omnis interierit caro, cum manifestum sit in vtroque redemptum hominem, in vtroque saluari, neque animam sine carne, neque carnem sine anima, cum sibi sint gestorum operum consortiis copulata, sine consortio vel pœnæ esse vel præmij? Is sibi responsum hoc habeat, quod interitus non consummatam absorptionem carnis significet, sed castigationem. Sicut enim mortuus peccato, Deo viuus: ita illecebra carnis interit, & cupiditatibus suis moritur caro, ut castitati cæterisque bonis operibus reuiuifcat. Et quod aptius exemplum quam de matre sumamus? Namque ipsa de qua assumpti sumus terra, intermisso exercitio cultūque videtur deserta, & aut vinetis quibus consitus est ager, aut oleis moritur, succum tamen proprium velut quandam sui animam non amittit. Denique repetita cultione, & creditis feminibus quibus habilis æstimatur, feracior affurgit fructibus. Non ergo alienum si etiam nostra caro interire sic dicitur, ut repressa magis quam assumpta credatur.

F I N I S.

Q ij

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, DE POENITENTIA,

LIBER SECVNDVS.

Quod poenitentia non solum sollicitè, sed & maturè sit agenda.
CAP. I.



TSI non pauca quæ ad cohortationem poenitentiae proficiant, scripta sint libro superiore, tamen cum adici possint complura, ne velut semel verborum nostrorum epulas reliquisset videamur, inceptum profequamur conuiuium. Agenda est enim poenitentia non solum sollicitè, sed etiam maturè: ne fortè euangelicus ille paterfamilias qui arborè ficum plantauit in vinea sua, veniat, & quærens fructum in ea, si non inuenerit, dicat cultori vinear: Succide illam: vt quid etiam terram occupat? Ei nisi cultor vineæ interueniat, dicens: Domine remitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam cophinum stercoris, excidatur ficulnea. Stercoremus ergo & nos agrum hunc quem possidemus, & imitemur laboriosos agricolas, quos non pudet fimo pingui satiari terram, & immundo cinere agrum aspergere, vt fructus vberiores colligant. Et quemadmodum stercoremus, docet Apostolus, dicens: Et aestimo omnia vt stercora, vt Christum lucrifaciam: qui per infamiam & bonam famam meruit Christo placere. Legerat enim quod Abraham dum se stercus & cinerem fatetur, summa humilitate inuenit Dei gratiam. Legerat quod Iob in stercore sedens, omnia quæ amiserat recuperauit. Legerat prophetantem Dauid quod Deus de terra suscitauit inopem, & de stercore erigit pauperem. Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est vt vnusquisque crimina sua prodatur. Sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas, sentes amputat, fructus adolet quos in te mortuos esse credebas. Sequere illum qui bene arando agrum suum fructus quæsiuit æternos: Maledicimur, inquit, & benedicimus: persecutionem patimur & sustinemus. Blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus. Si & tu sic araueris, seminabis spiritalia. Ara vt peccatum auferas, fructum acquiras. Ille arauit, vt persecutoris in se eradicaret affectum. Quid plus potuit nobis conferre Christus ad studium correctionis, quam vt conuerteret, & daret nobis ex persecutore doctorem?

De redargutorum hæreticorum obnisiu, autoritatem apostolicæ sententiæ suo errori suffragari iactantium: & defensionis illius repulsiõne, ex dictis Apostoli, qui sibi contrarius esse non potuit.

CAPVT II.

CVM igitur tam euidenti & ipsius Apostoli & scriptorum eius exemplo redarguantur, tamen adhuc obniti volunt, & autoritatem aiunt Apostolicæ sibi suffragari sententiæ, allegantes scri-

ptum ad Hebræos: Impossibile est enim hos qui semel illuminati sunt, & gustauerunt donum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, & bonum gustauerunt Dei verbum, virtutesque futuri seculi, lapsos iterum reuocari in poenitentiam, rursus crucifigentes filium Dei, & ostentatione triumphantes. Nunquid Paulus aduersus factum suum prædicare potuit? Donauit Corinthio peccatum per poenitentiam: quomodo hic potuit sententiam suam ipse reprehendere? Ergo quia non potuit quod ædificauerat destruere, non cõtrarium dixisse eum, sed diuersum aduertimus. Quod enim contrariu est, seipsum impugnat: quod diuersum est, distinctam solet habere rationem. Ita autem contrarium non est, vt alterum suffragetur alteri. Etenim quia de remittenda prædicauit poenitentia, debuit & de iis qui iterandum putant baptismum, non silere: & prius sollicitudinem nobis auferri oportuit, vt sciremus etiã post baptismum, si qui peccarent, donari eis posse peccatum, ne spe veniæ destitutos iterandi baptismatis opinio vana peruerteret. Deinde iterandum non esse baptismum, rationabili disputatione suadendum fuit. De baptisinate autem dictum verba ipsa declarant, quibus significauit impossibile esse lapsos renouari in poenitentiam. Per lauacrum enim renouamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, vt quemadmodu surrexit Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et alibi: Renouamini spiritu mentis vestrae, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est. Et alibi: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Quod etiam aquila cum fuerit mortua, ex suis reliquiis renascatur: sicut per baptismatis sacramentum cum fuerimus peccato mortui, renascimur Deo, ac reformamur. Vnum ergo baptismum docet, sicut alibi: Vna fides, vnum, inquit, baptismum. Illud quoque euidentis, quod in eo qui baptizatur, crucifigitur filius Dei: quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Iesu. Denique scriptum est: Quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et infra: Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, scientes quia vetus homo noster simul confixus est cruci. Et ad Colossenses ait: Consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis. Quod ideo scriptum est, vt credamus quia ipse crucifigitur in nobis, vt per illum peccata nostra mundentur, vt ipse chirographum nostrum affigat cruci, qui solus potest donare delicta. Ipse in nobis principatus & potestates triumphet: quoniam de ipso scriptum est: Principatus & potestates ostentauit triumphans eos in semetipso. Ergo quod ait in hac epistola quæ scribitur ad Hebræos: Impossibile esse lapsos renouari in poenitentiam, ac rursus crucifigentes filium Dei, & ostentatione triumphantes: eò spectat, vt de baptismo dictum

Luca 13.

Philip. 5.

Genes. 18.

Iob 42.

Psal. 112.

1. Cor. 4.

Hebr. 1.

1. Cor. 1.

ibidem.

Matth. 19.

4. Reg. 5.

De peccatoru remissione.

Roma.

Eph. 1.

Eph. 2.

Luc. 15.

Luc. 15.

Eph. 2.

Hebr. 11.

Hebr. 11.

etiam credamus, in quo crucifigimus filium Dei in nobis, vt per illum nobis mundus crucifigatur: quia quadam triumphamus specie, dum similitudinem mortis eius assumimus, qui principatus & potestates in sua cruce ostentauit ac triumphauit, vt in mortis eius similitudine nos quoque de principatibus, quorum iugum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel peccato mortuus, & ideo vnũ non plura baptismata. Quid quod & supra doctrinam baptismorum præmisit? Et quia multa erant baptismata in lege, meritò reprehendit illos qui perfecta dimittant, & principia verbi requirant. Docet nos scire oportere destructa esse vniuersa legis baptismata, vnum baptismum esse in ecclesia. Hortatur autem nos vt relinquentes initium verbi, ad perfectum tendamus. Et hoc faciemus, inquit, siquidem permiserit Deus. Non potest enim sine fauore Dei aliquis esse perfectus. Possẽ quidem etiam illud dicere ei, qui hoc de poenitentia dictum putat: quia quæ impossibilia sunt homini, possibilia sunt apud Deum: & potens est Deus quando vult donare nobis peccata, etiam quæ putamus non posse concedi. Et ideo quod nobis impossibile impetratu videtur, Deo donare possibile est. Nam & impossibile videbatur vt peccatũ ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod impossibile erat, fecit Deus possibile esse, qui tantam nobis donauit gratiam. Similiter impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est. Factum est igitur possibile, quod impossibile videbatur. Sed tamen de baptismo dictum, ne quis iteraret, vera ratione persuadet.

Quod Apostolus non venerit contra euidentem doctrinam Christi, qui de peccatore poenitentiam agente comparationem posuit filij prodigi, & quemadmodum ex hoc ad spe veniæ per poenitentiam prouocemur.

CAP. III.

NEQVE enim Apostolus contra euidentem Christi doctrinam veniret, qui de peccatore poenitentiam agente comparationem posuit, eò quod peregrè profectus acceptam à patre omnem substantiam deuorauerit viuẽdo luxuriosè, & postea panem patris desiderauit cum vesceretur filiquis, & meruit stolam, annulum, calceamentum, immolationem quoque vituli, quæ speciem habet passionis dominicæ, per quam cœlestis sacramentum nobis donatum est. Bene dicitur quia peregrè profectus est qui erat à sacris altaribus separatus: hoc est enim ab Hierusalem illa quæ in cœlo est, ciuico quodam & domestico sanctorum separari domicilio. Vnde & Apostolus ait: Ergo iam non estis aduenæ atque peregrini, sed ciues sanctorum, & domestici Dei. Et consumpsit, inquit, substantiam suam. Meritò consumpsit eam, cuius fides in operibus claudicabat. Fides enim eorum quæ sperantur substantia est, rerum argumentum non apparentium. Et bona substantia fides, in qua spei est nostræ patrimoniũ. Nec mirum si fame peribat, qui diuino alimento egebat,

cuius desiderio compulsius: Surgam, inquit, & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccavi in cœlum & coram te. Nonne aduertistis id euidenter iam nobis expositum, quod merendi gratia sacramenti ad precadum impellimur: & hoc auferre vultis propter quod agitur poenitentia? Tolle gubernatori perueniendi spem, & in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus iacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam, desinit iactare retia. Quomodo ergo potest qui famem patitur animæ suæ, studiosus Deum precari, si sacram desperet alimoniam? Peccavi, inquit, in cœlum, & coram te. Fatetur vtique peccatum ad mortem, ne quem vos agentem cuiuslibet criminis poenitentia iure excludi putaretis, quando is qui in cœlum peccauit, vel in regnum cœlestis, vel in animam suam, quod est peccatum ad mortem, & peccauit coram Deo, cui soli dicitur: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: tã citò veniam meretur, vt venienti & adhuc longè posito occurrat pater, & osculũ tribuat, quod insigne est sacræ pacis: stolam proferri iubeat, quæ vestis est nuptialis, quam si quis non habuerit, à cõuiuio nuptiali excluditur. Det annulum in manũ eius, quod est fidei pignus, & sancti Spiritus signaculum. Calceamenta deferri præcipiat, celebraturus enim pascha Domini, epulaturus agnum, tectum debet aduersus omnes incursum bestiarum spiritalium, morsusque serpentis habere vestigium. Vitulum præcipiat occidi, quia pascha nostrum immolatus est Christus. Etenim quotienscunque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotienscunque peccata donantur, corporis eius sacramentum sumimus, vt per sanguinem eius fiat peccatorum remissio. Ergo euidentissimè Domini prædicatione madatum est etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam. Vnde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est.

De spiritu blasphemiæ qui non remittetur hic, neque in futuro, & quomodo intelligatur illud de hæreticis atque schismaticis, qui ecclesiam separant, quibus indulgentia negatur, quandiu tanti criminis merita non deposuerint.

CAP. IIIII.

PERLATUM est tamen ad nos, etiam illud vos obicere solere, quod dicatis scriptũ esse: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus: Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritũ sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Quo exemplo omnis assertio vestra destruitur & absoluitur. Scriptum est enim: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus. Cur igitur non remittitis? Cur ligatis vincula quæ non soluitis? Cur nodos nectitis quos nõ relaxatis? Remittite cæteris, agite de iis quos peccatis in Spiritum sanctum euangelica autoritate in perpetuum adstringi putatis. Et tamen quos adstringat consideremus, repletentes superiora lectionis

Luc. 15.

Psal. 50.

Matth. 22.

1. Cor. 5. Ibidem 11.

Matth. 12.

Lucæ 11.

ipſius, vt euidentiſſe comprehendamus. Dicebant Iudæi: Hic non eiicit dæmonia niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Reſpondit Ieſus: Omne regnum diuiſum contra ſe deſtruetur, & omnis ciuitas vel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Si enim Satanſ Satanam eiicit, aduerſum ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? Quod ſi ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? De iis vtique expreſſum videmus, qui Dominum Ieſum in Beelzebub eiicere dæmonia loquebantur, quibus ſic reſpondit Dominus, quod Satanæ hæreditas in iis eſſet qui Satanæ compararent Saluatore omnium, & in regno diaboli conſtituerent Chriſti gratiã. Et vt cognoceremus quia de hac dixit blaſphemia, adiunxit: Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Hos ergo qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere. Denique Petrus Simoni, qui magicæ artis conſuetudine deprauatus putaret, quod gratiam Chriſti per impoſitionem manus, atque inſuſionem Spiritus ſancti compararet pecunia, ait: Non eſt tibi pars neque fors in hac fide, quia cor tuum non eſt rectum apud Deum. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & præcare Dominum, ſi fortè remittatur tibi recordatio cordis tui. In obligatione enim iniquitatis, & amaritudine fellis video te eſſe. Vides quod hunc magica vanitate blaſphemantem in Spiritum ſanctum, Apoſtolica authoritate condemnet, & eò magis quia puram conſcientiam fidei non habebat: & tamen non intercluſit ei ſpem veniæ, quem inuitauit ad pœnitentiam? Reſponſum eſt igitur à Domino blaſphemiam Phariſæorũ, & ideò hiſ poteſtatis ſuæ gratiam negat, quæ in remiſſionem peccatorum eſt, qui cœleſtem eius poteſtatem diabolico ſultam ſuffragio vindicarent. Eos quoque aſſerit, diabolico vti ſpiritu, qui ſepararent eccleſiam Dei: vt omnium temporum hæreticos & ſchiſmaticos comprehenderet, quibus indulgẽtiam negat: quod omne peccatum circa ſingulos eſt, hoc in vniuerſos. Soli enim ſunt qui volunt ſoluere Chriſti gratiam, qui eccleſiæ membra diſcerpunt, propter quã paſſus eſt Dominus Ieſus, Spirituſque ſanctus datus eſt nobis. Denique vt ſciatis quia de diſperſoribus dicit, ſic habemus ſcriptum: Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Et vt ſciremus de hiſ dictum, ſtatim ſubiunxit: Ideò dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemia non remittetur hominibus. Cum dicit, Ideò dico vobis: nõne euidenter hoc præ cæteris à nobis intelligi voluit? Meritoque adiunxit: Arbor bona bonos fructus facit, mala autẽ arbor malos fructus facit. Cõgregatio enim mala bonum facere fructum nõ poteſt. Arbor itaque congregatio eſt, fructus boni arboris, filij eccleſiæ ſunt. Et ideò reuertimini ad eccleſiam, ſi qui vos ſeparatiſ impiẽ. Omnibus enim conuerſis pollicetur veniam, quia ſcriptum eſt: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Denique etiam Iudæorum populus qui dicebat de Domino Ieſu: Dæmonium habet: qui dicebat: In Beelzebub eiicit dæmonia: qui crucifixit Dominũ Ieſum, Petri prædicatione vocatur ad baptiſmum, vt ſcleris tanti merita deponat.

Matth. 8.

Matth. 12.

Ioel. 2.

Ioan. 8.

De infructuoſa pœnitentia Iudæi, qui non coram Deo, ſed coram Iudæis pœnituit, quòdque pœnitentia debeat eſſe ſyncera, non dolofa. Et quomodo intelligenda ſint verba Apoſtoli Petri, quibus Nouatiani errorem ſuum defendunt. De differenti quoque acceſſu ad baptiſmũ atque pœnitentiam.

CAPVT V.

Sed quid mirum, ſi ſalutem negatis aliis, qui veſtram recuſatis? licet illi nihil deferant qui à vobis pœnitẽtiam petunt. Arbitror enim quòd etiam Iudas potuiſſet tanta Dei miſeratione non excludi à venia, ſi pœnitentiam non apud Iudæos, ſed apud Chriſtum egiffet. Peccaui, inquit, quòd tradiderim ſanguinem iuſtum. Reſponderunt: Quid ad nos? Tu videris. Quæ vox alia veſtra eſt cum etiam minoris peccati reus vobis factũ proprium conſitetur? Quid reſpondetis aliud niſi hoc, Quid ad nos? tu videris. Hunc ſermonẽ laqueus ſequitur: eò feralior eſt pœna, quòd culpa eſt minor. Sed ſi iſti non conuertuntur, vel vos reuertimini, qui lapſu vario de innocentia fideique præceſſo ſtaſtigio decidiſtis. Bonũ Dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per Prophetam vocauit, dicens: Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero, tu autem memor eſto, & iudicemur. Reſeruit tamen queſtionem de verbo Apoſtoli Petri: quia dixit: Si fortè, & putant non confirmari Petrum vt agentem pœnitentiam peccatum remitteret. Sed conſiderent de quo loquatur, hoc eſt, de Simone, qui non ex fide crederet, ſed dolum cogitaret. Denique & Dominus dicenti ei, cuius non plenam ſinceritatẽ videret, Sequar te, ait: Vulpes foueas habent. Quem ergo Dominus ante baptiſmũ prohibuit ſequi, quoniam fraudulentum videbat: miraris ſi poſt baptiſmum præuaricantem non abſoluit Apoſtolus, quẽ in obligatione iniquitatis manere pronunciat? Sed hoc illis reſponſum ſit. Ego autem nec Petrum dubitaſſe dico, nec verbis vnius præiudicio tãtam cauſam ſtrangulandam arbitror. Nam ſi putant dubitaſſe Petrum, nunquid & Deus dubitauit, qui ait ad Hieremiam Prophetam: Sta in atrio domus Domini, & reſponſum dabis omni Iudæ, iis qui veniunt adorare in domo Domini, omnia verba quæ conſtitui tibi reſpondere illis: noli auferre verbum, forſitã audient, & auertentur? Dicant ergo Dominũ ignorariſſe quid eſſet futurum. Sed non ignorantia eo verbo exprimitur: ſed in ſcripturis diuinis frequens huiusmodi conſuetudo aduertitur, eò quòd ſimplex ſit elocutio. Siquidem & ad Ezechiel dicit Dominus: Fili hominis mittam ego te ad domum Iſrael, ad eos qui me exacerbauerunt, ipſi & patres eorum vſque in hodiernum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus, ſi fortè audient & terrebuntur. Nefciebat ergo eos poſſe aut non poſſe conuerti? Non ergo ſemper dubitantiſ iſta eſt elocutio. Denique ipſi lapientes ſeculi, qui omnem gloriam ſuam ſtatuunt in expreſſione verborum, quod latinè fortè dicimus, græcè τὸ λαλῆναι non vbique pro dubitatione poſuerunt. Aiunt itaque dixiſſe primum ſuorum Poẽtam: ἢ τὰ λαλῆναι ἔσομαι, quod eſt, citò vidua ero. Et alibi: τὰ λαλῆναι ὅτι καὶ τὰ κενόσιν ἀρχαί οἱ πάντες ἐφορμηθέντες. Non enim dubitaret omnibus ſimul inſurgentibus,

Matth. 21.

Ioan. 8.

Pſal. 31.

Hierem. 31.

Tob 1.

Hierem. 31.

Exod.

Iud.

bus, vnũ facile ab vniuerſis poſſe proſterni. Sed nos noſtris magis quàm alienis vtamur. Denique habes in euangelio, quia ipſe filius de patre ait, cum miſiſſet feruos ad vineam ſuam, & occiſi eſſent, dixiſſe patrem: Mittam filium meum dilectiſſimum, forſitan ipſum verebuntur. Et alibi ex ſua perſona filius ait: Neque me ſcitis, neque patrem meum. Si enim me ſciretis, & patrem meum forſitan ſciretis. Si ergo hiſ verbis vſus eſt Petrus, quibus Dominus vſus eſt ſine præiudicio ſententiæ ſuæ, cur non accipiamus & Petrum hiſ vſum ſermonibus ſine ſuæ fidei præiudicio? Neque poterat dubitare de Chriſti munere, qui ſibi ſoluendorum peccatorum dederat poteſtatem, præſertim cum verſutiis hæreticorum locum non deberet relinquere, qui ideo volunt ſpẽ hominum deſtituere, vt iterandi baptiſmatis apud deſperantes facilius inducant perſuaſionem. Sed Apoſtoli hoc habentes ſecundum Chriſti magiſterium pœnitentiam docuerunt, ſpoſponderunt veniam, culpam relaxauerunt: ſicut & docuit Dauid, dicens: Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Vtrunque enim beatũ dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, nõ ſolum diluere lachrymis debet peccatum ſuum: ſed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta ſuperiora, vt non ei imputetur peccatum. Ergo tegamus lapſus noſtros poſterioribus factis, mundemus ſletibus, vt audiat nos Dominus Deus noſter ingemifcentes, ſicut audiuit lachrymantem Effrem, quemadmodum ſcriptum eſt, dicente deo: Audiens audiui Effrem lachrymantem. Et ipſa verba Effrem lamentantis expreſſit dicens: Caſtigati me, & caſtigatus ſum, ſicut vitulus non ſum edoctus. Vitulus enim ludit, & præſepe deſerit, & ideo Effrem ſicut vitulus non eſt edoctus lõgẽ poſitus à præſepi, quia præſepe Domini deſeruit, & Hieroboam ſecutus vitulos adorauit, quod propheta futurum per Aaron indicauerat, ſic lapſurum populum Iudæorum. Ideoque agens pœnitentiam dicit: Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus meus: quia in nouiſſimo captiuitatis meæ pœnitentiam egi, & poſtquam cognoui, ingemui ſuper dies confuſionis, & ſubiectus ſum tibi, quia accepi opprobrium & demonſtraui te.

De inſtructione atque exhortatione ad lamenta pœnitentiæ ex diuerſis ſacræ ſcripturæ ſententiis atque exemplis.

CAP. VI.

Aduertimus quomodo agẽda ſit pœnitentia, quibus ſermonibus, quibus ſletibus, vt peccati dies cõfuſionis appelletur. Cõfuſio eſt enim quãdo Chriſtus negatur. Et ideo ſubiiciamus nos deo, vt non ſubditi ſimus peccato, & delictorum noſtrum memoriam recenſentes tanquam opprobrium erubescamus, non velut quandam gloriam prædicemus, ſicut quidam expugnata pudicitia, oppreſſa iuſtitia gloriantur: & tanta fiat conuerſio, vt qui deũ non agnoſcebamus, ipſi eum iam aliis demonſtrems: motus autem Dominus tali conuerſione no-

ſtra reſpondeat: A iuuetute mea es tu filius dilectus mihi Effrem, vt puer in deliciis, quoniam eo quòd ſermones mei in ipſo ſunt, memoria memor ero ei, propterea feſtinaui ſuper illum, miſericordia miſerebor eius, dixit Dominus. Quam autem miſericordiam nobis polliceatur, infra oſtendit dicens: Inebriauit omnem animam ſitientem, & omnem animam eſurientem ſatiaui. Ideo exurrexi, & vidi: & ſomnus meus mihi dulcis eſt. Aduertimus quòd peccãtibz Dominus ſacramenta promittat ſua, & ideo omnes conuertamur ad Dominum. Si iſti non conuertuntur, vel vos reuertimini qui lapſu vario de innocentia fideique præceſſo ſtaſtigio decidiſtis. Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per Prophetã vocauit, dicens: Ego ſum, ego ſũ qui deleo iniquitates tuas, & memor nõ ero: tu autẽ memor eſto: vt iudicemur. Ego, inquit, memor nõ ero, tu autẽ memor eſto, hoc eſt, nõ reuoco illa: quæcunque delicta donauit tibi, velut quadam obliuione tecta ſint, tu autem memor eſto. Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor eſto propter correctionem: memor eſto vt ſcias donatum eſſe peccatum, ne glorieris quaſi innocens, ne te iuſtificando plus ingraueris: ſed ſi vis iuſtificari, fatere delictum tuum. Soluit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum. Vides quid à te exigat Deus tuus, vt memor ſis eius quam accepiſti gratiæ. Non glorieris quaſi non acceperis. Vides qua remiſſionis pollicitatione te prouocet ad conſitendum. Vide ne reluẽtando mãdatis cœleſtibus in deuotionem Iudæorum incidas, quibus dicit Dominus Ieſus: Cantauimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & nõ ploraſtis. Vilis ſermo, ſed non vile myſteriũ. Et ideo cauendũ ne quis vulgari quadã ſermonis huius deceptus interpretatione, putet nobis ſaltationis lubricæ hiſtrionicos motus, & ſcenæ deliramẽta mandari (hæc etiam in adoleſcẽtula ætate vitioſa ſunt) ſed ſaltationẽ eam mãdauit, qua ſaltauit dauid ante arcem Domini. Totum enim decet quicquid deſertur religioni, vt nullũ obſequiũ quod proficiat ad cultum & obſeruantiam Chriſti, erubescamus. Non ergo illa deliciarum comes, atque luxuriæ ſaltatio prædicatur: ſed qua vnusquisq; corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis ſinat torpere veſtigis. Saltabat ſpiritualiter Paulus cum ſe pro nobis extenderet, & poſteriora obliuiſcens, priora appetens, contenderet ad brauium Chriſti. Tu quoque cum ad baptiſmum venis, manus eleuare, pedes quibus ad æterna conſendas, velocioreſ habere admoneriſ. Hæc ſaltatio fidei ſocia, gratiæ comes. Hoc eſt ergo myſterium: Cantauimus vobis, noui vtique canticum teſtamenti, & non ſaltaſtis, hoc eſt, non eleuaſtis animum ad ſpiritalem gratiam. Lamentauimus, & non ploraſtis: hoc eſt, non egiſtis pœnitentiam. Et deo derelictus eſt Iudæorum populus, quia nec egiſt pœnitentiam, & gratiam reſutauit. Per Ioanem pœnitentia, per Chriſtum gratia. Iſtam quaſi Dominus donat, illam quaſi ſeruus annũciat. Vtrũque igitur eccleſia cuſtodit, vt & conſequatur gratiam, & non abiiciat pœnitentiam. Gratia enim munus largientis eſt, pœnitentia delinquentis remedium. Sciuit Hieremias magnum remedium eſſe

Hierem. 31.

* pœnitenti- bus.

Eſaiã 43.

Luc. 7.

2. Reg. 6.

Philip. 3.

Thre.1.

Ibidem 2.

Iona 3.

Luca 23.
2. Reg. 14.

Ezech. 2.

Eccles. 3.
Luca 6.

Esai. 43.

pœnitentiæ, quam in Threnis suis suscepit pro Hierusalem, & ipsam inducit agentem Hierusalem, dicens: Plorans ploravit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, nec est qui consoletur ab omnibus qui diligunt eam. Viæ Sion lugent. Et adiecit: in his ergo fleo, hinc oculi mei caligauerunt à fletu, quia elōgavit à me qui me consolabatur. Aduertimus quòd hunc malorum suorum acerbissimum cumulum arbitrabatur, quia deerat qui consolaretur mœrētē. Quomodo ergo vos ipsam consolationem aufertis, qui spem relaxandæ negatis pœnitentiæ? Sed audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimatorum concussione viscerum, qua cordis conuersione. Vide, inquit, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est à fletu meo, cōuersum est cor meum in me. Cognouisti intentionem animi, fidem mentis cognosce, & habitum corporis. Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram principes, virgines Hierusalem defecerunt in lachrymis, oculi mei caligauerunt. Turbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea. Sic fleuit & Niniue populus, & denunciaturū excidium ciuitatis euasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur suā Deus sententiam. In te est igitur vt euadas: vult rogari Dominus, vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari vt ignoscas, & putas deū tibi non roganti ignoscere? Ipse Dominus Hierusalem fleuit, vt quia ipsa flere volebat, domini lachrymis ad veniam pertineret. Ipse nos flere vult, vt euadere possimus sicut habes scriptum in euangelio: Filia Hierusalem nolite me flere, sed vos ipsas flete. Fleuit Dauid, & meruit vt mortem populi pereuntis diuina remoueret misericordia, quando tribus sibi propositis optionibus, eam tamen in qua maiorem Domini miserationē experiretur, elegit. Quid erubescis tu peccata tua flere, cum Deus etiam prophetas iusserit flere pro populis? Denique & Ezechiel iussus est flere Hierusalem, & accepit librum in cuius capite scripta erant, lamentatio, & melos, & vā: duo tristitia, & vnum delectabile: quoniam ille saluus erit in futurum, qui in hoc seculo plus fleuerit. Cor enim sapientum in domo luctus, & cor stultorum in domo epularū. Et ipse Dominus ait: Beati qui nunc fletis quia ridebitis.

De Lazaro suscitato, et fletu sororum eius. De lachrymatione quoque Iesu, vbi spiritalis resurrectio peccatorum innuitur. De inuidia quoque Iudæorum qui Lazarum interficere cogitabant, quorum duritiæ Nouatiani successores sunt, qui per pœnitentiam suscitatos interficere volunt.

C A P. V I I.

Fleamus igitur ad tempus, vt exultemus in æternum. Timeamus Dominum, præueniamus eum confitendo peccata nostra. Corrigamus lapsus nostros, emendemus errorem, ne & de nobis dicatur: Heu me anima, quia periit timor tuus à terra: & qui corrigat, in hominibus non est. Quid vereris apud bonum Dominum tuas iniquitates fateri? Dic, inquit, iniquitates tuas, vt iustificeris. Adhuc reo cul-

pæ, iustificationis præmia proponuntur. Ille enim iustificatur, qui proprium crimen sponte agnouerit. Denique iustus in exordio sermonis accusator est sui. Nouit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam: non vt puniat, sed vt ignoscat: non vult vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accusatorem tuum: si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris ipse, & si mortuus fueris reuiuifces. Veniet ad monumentum Christus, & si viderit flere pro te Martham boni fœminam ministerij, & flere Mariam quæ attentè audiebat verbum Dei, sicut sancta ecclesia quæ optimam partem sibi elegit: mouebitur misericordia, cum viderit in tuo obitu lachrymas plurimorum, & dicet: Vbi posuistis eum? hoc est, in quo reorum statu est, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fletis, vt lachrymis suis ipse me moueat. Videam si iam peccato ei cuius venia poscitur, defunctus est. Dicit plebs: Veni, & vide. Quid est veni? Hoc est, veniat peccatorum remissio, veniat defunctorum vita, mortuorum resurrectio, veniat & in hunc peccatorem regnum tuum. Veniet itaque, & leuari lapidem iubebit, quem ceruicibus peccatoris lapsus imposuit. Potuit remouere lapidem imperio sermonis. Iubenti enim Christo etiam insensibilis solet natura obedire. Poterat tacita vi operationis occulte transferre saxum sepulchri, in cuius passione motis subito lapidibus plurima defunctorum sepulchra patuerunt: sed hominibus iussit vt remouerent lapidem: in veritate quidem, vt increduli crederēt quod videbant, & aspicerent resurgentem mortuum. In typo autem, quod nobis donaret vt leuaremus delictorum onera, moles quasdam reorum. Nostrium est onera remouere, illius est resuscitare, illius educere de sepulchris exutos vinculis. Videns itaque graue onus peccatoris illachrymat Dominus Iesus: solam enim flere non patitur ecclesiam. Compatitur dilectæ suæ, & dicit defuncto: Veni foras: hoc est, qui iaces in tenebris consciētiae, & delictorum tuorum sordibus quodam reorum carcere, Exi foras, delictum proprium prode, vt iustificeris: ore enim confessio fit ad salutem. Si confessus fuerit à Christo vocatus, claustra rumpentur, & omnia soluentur vincula, etsi corruptela corporæ fœtor grauis sit. Quatruiduū enim habebat ille cuius fœtebat in tumulo caro: cuius autem caro non vidit corruptionem, triduo fuit in sepulchro. Carnis enim vitia nefciuit, quæ ex quatuor constat elementorum substantiis. Quantuilibet ergo mortui fœtor sit, aboletur omnis vbi sacrū redoleuerit vnguentum: & surgit defunctus, & soluere iubentur eius vincula, quæ adhuc in peccato sunt: tollere velamē de facie eius, quod veritatem gratiæ quam acceperat, obumbrabat. Sed quia venia donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim quod erubescat, cui peccatum remissum est. In tanta verò Domini gratia, tantoque diuini muneris miraculo, cum oporteret vniuersos lætari, commouebantur impij, & aduersus Christum concilium congregabant: Lazarum quoque interficere volebant. Nonne meritò eorum successores vos fore cognoscitis, quorum duritiæ hæredes istis? Nam & vos indignamini; & contra ecclesiam congregatis concilium: quia

Ibidem.

2. Cor. 13.

1. Cor. 5.
2. Cor. 2.

Ibidem.

Ioan. 12.

Luca 15.

Matth. 9.

Luc. 7.

quia videtis mortuos in ecclesia reuiuifcere, & peccatorum indulta venia resuscitari. Itaque, quod in vobis est, per inuidiā rursus vultis interficere suscitatos. Sed Iesus non reuocat beneficia, imo cumulo suæ liberalitatis amplificat. Reuifit iocunde resuscitatum, & celebratæ resurrectionis gratia lætus ad cœnam venit, quam ei sua præparauit ecclesia, in qua ille qui fuerat mortuus, vnus inter discumbentes cum Christo inuenitur. Tunc mirantur omnes qui vident puro vtique obtutu mentis, qui in flere non norunt. Tales enim ecclesia filios habet. Miratur (vt dixi) quomodo ille qui iacebat in tumulo heri & nudius tertius, vnus sit de discumbentibus eū Domino Iesu. Ipsa Maria mittit vnguentum in pedes Domini Iesu. Ideo fortè in pedes, quia vnus de infimis ereptus est morti. Omnes enim corpus Christi sumus, sed alij fortè superiora membra sunt. Os erat Christi Apostolus qui dicebat: Experimentum quaritis eius qui in me loquitur Christus? Os eius prophætæ per quos loquebatur futura. Vtinam ego pes eius esse merear, & mittat in me Maria vnguentum suum preciosum, & vngat, & peccata extergat.

De spiritalibus vnguentis, atque inibi auctor quaedam modestè de seipso subucit. C A P. V I I I.

Quod igitur de Lazaro legimus, in vnoquoque debemus conuerso peccatore credere, qui licet fœtorem habeat, tamen fidei preciosæ emendatur vnguento. Tantum enim gratiæ fides habet, vt vbi ante diem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus. Fœtebat Corinthia domus quando scriptum est de ea: Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes. Fœtor enim erat, quia modicum fermentum totam massam corruperat. Cœpit bene olere cum dicitur: Si cui quid donastis, & ego. Nā & ego quod donauī, propter vos in persona Christi. Itaque liberato peccatore factum est in eo gaudium magnum, & redoluit domus tota suauitate gratiæ. Vnde bene conscius apostolus quod omnes apostolicæ remissionis perfudisset vnguento, ait: Christi bonus odor sumus deo in his qui salui fiunt. Huius igitur effusione vnguenti lætantur omnes, solus Iudas contradicit. Ergo & nunc qui præuaricator est, contradicit: reprehendit qui proditor, sed à Christo ipse reprehenditur, qui dominicæ remedium mortis ignorat, & tamen mysterium sepulturæ non intelligit. Ideo enim & passus & mortuus est dominus, vt nos redimeret à morte. Hoc excellentissimum indicat precium suæ mortis, quo peccator absoluitur, & in nouam assumitur gratiam, vt veniat & mirentur omnes quomodo cum Christo recumbat, & laudantes Deum dicant: Manduceamus & epulemur, quia hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Si quis autem infidelis obiecerit, quare cum publicanis & peccatoribus manducet, respondetur ei: Non opus est sanis medicus, sed his qui malè habent. Ostende igitur medico vulnus tuum, vt sanari possis: & si non monstraueris, nouit: sed à te expectat audire vocem tuā. Absterge lachrymis cicatrices tuas. Sic peccatum mulier illa in euangelio fœtoremque sui erroris absternit, sic culpam diluit, dum Iesu pedes lachry-

mis lauit. Vtinam mihi quoque pedum tuorum luminum Iesu referues, quos dum in me deambulas, inquinaasti. Vtinam sordes vestigiorum tuorum deterendas mihi offeras, quas ego actu meo tuis affixi gressibus. Sed vnde mihi aqua viua, qua pedes tuos possim lauare? Si aquam non habeo, habeo lachrymas, quibus dum pedes tuos lauo, vtinam me ipsum diluam. Vnde mihi vt de me dicas: Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum? Plus debuisse me fateor, & plus dimissum mihi, qui de forensium strepitu iurgiorum, & à publicæ terrore administrationis, ad sacerdotium vocatus sum: & ideo vereor ne ingratus inueniar, si minus diligam, cui plus dimissum est. Sed non omnes mulierem istam æquare possunt, quæ etiam Simoni, qui prandium domino dabat, merito prælata est, quæ omnibus qui volunt veniam promereri, magisterium præstitit, osculando pedes Christi, lachrymis lauando, tergendocrinibus, vngendo vnguento. In osculo insigne charitatis est, & ideo dicit Dominus Iesus: Osculetur me ab osculo oris sui. Capilli quid significant, nisi vt mouearis inclinata omni infularum dignitate secularium ad obsecrandam indulgentiam, ad terram te ipse prosternas: vt humi iacens moueas misericordiam? Vnguento quoque bonæ conuersationis exprimitur odor. Rex nempe erat Dauid, & dicebat: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo. Et ideo tãtam gratiam meruit, vt ex eius familia virgo eligeretur quæ nobis partu proprio Christum ederet. Ideo & ista in euangelio prædicatur mulier. Tamen si hanc æquare nō possumus, scit Dominus Iesus & infirmis subuenire, vbi non est quæ possit parare cōuiuium, quæ deferre vnguentum, fontem aquæ viuæ secum portare. Venit ipse ad sepulchrum. Vtinam ergo ad hoc monumentum meum digneris accedere Domine Iesu, tuis me lachrymis laues, quoniam durioribus oculis non habeo tantas lachrymas, vt possim mea lauare delicta. Si illachrymaueris pro me, saluus ero: si dignus fuero lachrymis tuis, fœtorem abstergo delictorum omnium. Si fuero dignus vt paulisper illachrymes, vocabis me de monumento huius corporis, & dices: Exi foras: vt non intra corporis huius angustias inclusæ teneantur cogitationes meæ, sed egrediantur ad Christum, in lumine versentur, vt non cogitem opera tenebrarum, sed opera lucis. Qui enim peccatum cogitat, intra suam conscientiam studet se ipse includere. Voca ergo foras seruū tuum. Quamuis ligatus vinculis peccatorum meorum vincōs habeam pedes, innexas manus, & cogitationibus & operibus mortuis iam sepultus, te vocante liber egrediar, & inueniar vnus de discumbentibus in conuiuio tuo, & domus tua precioso repleatur vnguento, si quem redimere dignatus es, custodieris. Dicitur enim, Ecce ille non in ecclesiæ nutritus sinu, non edomitus à puero, sed raptus à tribunalibus, abductus à vanitatibus seculi huius, à præconis voce ad Psalmistæ assuefactus canticum, in sacerdotio manet nō virtute sua, sed Christi gratia, & inter conuiuas mensæ cœlestis recumbit. Serua Domine munus tuum, custodi donum quod contulisti etiam refugienti. Ego sciebam quòd non eram dignus vocari episcopus, quoniam dederam

Ibidem.

Cantic. 1.

Psalm. 6.

Ioan. 11.

Ioan. 12.

me seculo huic: sed gratia tua sum quod sum, & sum quidem minimus omnium episcoporum, & infimus merito: tamen quia & ego laborem aliquem pro sancta ecclesia tua suscepi, hunc fructum tuere, ne quem perditum vocasti ad sacerdotium, eum sacerdotem perire patiaris: ac primum ut condolere norimus peccantibus affectu intimo. Hæc enim summa virtus, quia scriptum est: Et non gaudebis super filiis Iuda in die perditionis eorum, & ne magna loquaris in die tribulationis eorum: sed quotienscunque peccatum alicuius lapsi exponitur, compatiar: nec superbè increpem, sed lugeam & desceam: ut dum alium fleo, me ipsum desceam dicens: iustificata est magis Thamar quàm ego. Fortasse adolescentula lapsa sit occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta ac præcipitata sit: peccamus & seniores. Repugnat in nobis lex huius carnis legi mentis nostræ & captiuos nos trahit in peccatum, ut faciamus quod nolumus. Illi de ætate suppetit excusatio, mihi iam nulla. Illa enim debet discere, nos docere. Ergo iustificata est magis Thamar quàm ego. Incusamus alicuius avaritiam, recordemur si nihil ipsi auarè fecimus: & si fecimus, quoniam radix est malorum avaritia, & tanquam sub terra occultè in nostro serpit corpore: dicamus singuli, iustificata est magis Thamar quàm ego. Si commoti fuerimus in quenquam grauius, leuiorem causam laicus habet quàm episcopus: eo quod commotus egerit aliquid, retractemus nobiscum, & dicamus: iustificatus est magis iste qui commotionis arguitur, quàm ego. Hæc enim si dicamus, ipsi nobis cauemus, ne dicat nobis Dominus Iesus, aut quisquam de discipulis eius: Festucam in oculo fratris tui vides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides? Hypocrita eice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Non ergo erubescamus dicere grauiorem nostram culpam esse quàm eius quem arguendum putamus, quia dixit hoc Iudas qui arguebat Thamar, & recordatus suam ipse culpam ait: Iustificata est magis Thamar quàm ego: in quo & altitudo mysterij est, & morale præceptum, & ideo culpæ eius deputatum non est, quia ipse se accusauit prius quàm ab aliis accusaretur. Non ergo gaudeamus super alicuius peccato, sed magis lugeamus: quia scriptum est: Noli supergaudere mihi inimica mea quia cecidi, sed resurgam: quoniam si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me. Iram Domini sustinebo, quia peccaui ei, donec iustificet causam meam, & faciat iudicium meum, & educat me ad lumen, & videbo iustitiam eius, & videbit inimica mea, & cooperietur confusione, quæ dicit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, & erit in conculcationem sicut lutum in via. Nec immeritò, quoniam qui lapsu alieno gaudet, diaboli gaudet victoria. Et ideo doleamus magis cum audimus periisse hominem, pro quo Christus mortuus est, qui nec in messe stipulam negligit. Atque vtinam hanc stipulam in messe, hoc est, inanem auenam fructus mei non abiiciat, sed colligat, sicut ait: Heu me quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & racemum in vindemia: ut vel primitiua manducet in me gratiæ suæ, cetera posteriora non approbem. Ergo &

Genes. 38.

1. Tim. 6.

Math. 7.

Michea 7.

Ibidem.

agendam pœnitentiam, & tribuendam veniam credere nos conuenit, ut veniam tamen tanquam ex fide speremus, non tanquam ex debito. Aliud est enim mereri, aliud præsumere. Tanquam ex syngrapha fides impetrat. Præsumptio autem arroganti est propior quàm roganti. Prius solue debitum, ut quod speraueris, impetrare merearis. Solue boni affectum debitoris, ut vsuram non facias: sed fidei tuæ censu contracti nominis fœnus euacues. Plura soluendi habet subsidia qui Deo, quàm is qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præsto est: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ vendat, habet quæ soluat. Oratio, lachrymæ, ieiunia, debitoris boni census est, multoque vberior quàm si quis ex precis fundorum pecuniam sine fide deferat. Denique pauper erat Ananias cum vendito agro pecuniam deferret ad apostolos, unde nec soluere se potuit, sed implicauit. Diues illa vidua quæ duo æra minuta in gazophylaciū misit, de qua dictum est: Hæc vidua pauperula plus omnibus misit. Non enim pecuniam Deus, sed fidem quærit.

De elemosyna qua intentione fieri debeat. De falsa quoque & infructuosa pœnitentiæ multiplicibus modis.

CAP. IX.

Neque ego abnuo liberalitatibus in pauperes factis posse minui peccatum, sed si fides commendet expensas. Quid enim prodest collatio patrimonij sine gratia charitatis? Sunt qui iactantiam solam decore largitatis affectent, ut eo se probatos vulgo velint, quod sibi nihil reliquerint: sed dum præsentis seculi mercedem requirunt, non reconduunt in futurum: & quia hic perceperunt mercedem suam, illic sperare non possunt. Sunt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuam, vbi ecclesiæ contulerunt, postea reuocandas putarunt: quibus nec prima merces rata est, nec secunda habuit sacrilegium. Sunt quos pœnitentiam agunt, hoc solum tibi pœnitere non debet, ne ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam. Nam plerique futuri supplicij metu, peccatorum suorum conscij pœnitentiam petunt: & cum acceperint, publicæ supplicationis reuocantur pudore. Hi videntur malorum petisse pœnitentiam, agere bonorum. Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint: hi non tam se soluere cupiunt, quàm sacerdotem ligare. Suam enim conscientiam non exuunt, sacerdotis induunt. Præceptum est: Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, hoc est, immundis impuritatibus tibi sacræ communionis non impertienda consortia. Itaque videas eos mutata veste incedere, quos lugere & gemere oportebat, quia vestem illam ablutionis & gratiæ sordidarunt: fœminas autem margaritis onerare aures, curuare ceruices, quas bene Christo, non auro inclinarent: quæ seipsas flere debebant,

bebant, quòd margaritâ quæ de cœlo est, perdidissent. Sunt etiam qui arbitrentur hoc esse pœnitentiam, si abstineant à sacramentis cœlestibus. Hi sæuiores in se iudices sunt, qui pœnâ præscribunt sibi, declinant remedium, quos vel pœnam suam conueniebat dolere, quia cœlesti fraudarentur gratia. Alij proposita spe agendæ pœnitentiæ licentiam sibi delinquendi propagatam putant, cum pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incentiuum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento: quia propter vulnus medicamentum quæritur, non propter medicamentum vulnus desideratur. Infirma deinde spes quæ committitur temporis, cum omne tempus incertum sit, non omni spes temporis sit ut superstes.

Quòd pœnitentia sit faciendâ cum humilitate & oratione atque fletu, quorum necessitas exemplis scripturæ probatur. De pœnitentiâ quoque publicâ in ecclesiâ non iterandâ, & de renuntiatione sui ipsius, atque pristinæ vitæ, atque crucis dominicæ baulatione pœnitentibus opportunis.

CAP. X.

An quisquam ferat ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem: & pudeat te Deo supplicare quem non lateas, cum te non pudeat peccata tua homini quem lateas confiteri? An testes precationis & cōscios refugis, cum si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres ut dignentur interuenire, ad genua te ipse prosternas, ofculeris vestigia, filios offeras culpæ adhuc ignaros paternæ etiam veniæ precatores? Hoc ergo in ecclesiâ facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrociniū tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, vbi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum omnes simus peccatores, vbi ille laudabilior qui humilior: ille iustior, qui sibi abieciō? Flet pro te mater ecclesiâ, & culpam tuam lachrymis lauet: videat te Christus mœrentem, ut dicat: Beati tristes, quia gaudebitis. Amat, ut pro vno multi rogent. Denique in euangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium eius resuscitauit. Ideo citius exaudiuit Iesus Petrum ut Dorcas resurgeret, quia pauperes mortem mulieris ingemiscebant. Ideo ipsi Petro statim dimisit, quia amarissimè fleuit. Et tu si amarissimè fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. Vfus enim doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ, disciplina innocentiam. Nil ergo te reuocet à pœnitentiâ, hæc tibi communis cum sanctis est. Vtinamque imitanda talis, qualis sanctorum deploratio. Dauid manducabat sicut panem cinerem, & potum suum lachrymis temperabat. Ideo nunc amplius gaudet, qui amplius fleuit. Per exitus aquarum descendunt, inquit, oculi mei. Ioannes multum plorauit, & reuelata sibi dicit Christi mysteria. At verò illa mulier quæ cum esset in peccatis, & deberet flere, gaudebat, & veste purpurea atque coccinea operiebatur, & auro se multo & preciosis lapidibus ornabat, nunc æterni fletus luget ærumnam. Meritò repre-

Luc. 6.
Luca 7.

Acto. 9.

Psalm. 101.

henduntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum. Facilius autem inueni qui innocentiam seruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam. An quisquam illam pœnitentiam putat, vbi acquirandæ ambitio dignitatis, vbi vini effusio, vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renunciandum seculo est, somno ipsi minus indulgendum quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspitiis, sequestrandus orationibus, viuendum ita, ut vitali huic moriamur vsui, seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur: sicut quædam adolescentem fabulæ ferunt post amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ, quæ vbi non interpellatam mirata putauerit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum: responderit ille: Sed ego non sum ego. Vnde bene Dominus ait: Qui vult post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim qui mortui & sepulti Christo sunt, non debent iterum velut viuentes de hoc mundo decernere. Ne tetigeritis, inquit, nec attaminaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu, eo quod ipse huius vitæ vsus corruptela sit integritatis.

Math. 16.

De non differendo pœnitentiam. Et de grauitate pœnæ conscientiam præteritorum peccatorum memoris, & qua ratione seipsam abscondere non possit. De motibus quoque sensitiuis menti repugnantibus quomodo ad petram Christi elidi debeant.

CAP. XI.

Bona ergo pœnitentia: quæ si non esset, omnes ad senectutem differret ablutionis gratiam. Quibus satis respōsi sit, quia melius est ut habeam quod farciam, quàm non habeam quo vestiari. Sed sicut semel affuta redintegantur, ita frequenter suta soluuntur. Eos autem qui pœnitentiam differunt, satis ipse Dominus admonuit dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Nescimus qua hora fur veniat, nescimus an proxima nocte à nobis reposcatur anima. Adam post culpam statim de paradiso Deus eiecit, non distulit, sed statim separauit à deliciis, ut ageret pœnitentiam, statim tunicam vestiuit pelliceam, non sericam. Quid enim est quod differas? An ut plura peccata cōmittas? Ergo quia Deus bonus est, ideo tu malus, & diuitias bonitatis eius & patientiæ contemnis? Sed bonitas Domini magis ad pœnitentiam te debet adducere. Ideo ad omnes sanctus Dauid dicit: Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploramus ante Dominum nostrum qui feci nos. De peccatore autem sine pœnitentiâ mortuo, quia nihil aliud superest nisi grauius mœrere, nisi flere, habes plorantem ipsum & dicentem: Filius meus Absalon, filius meus Absalon. Qui enim penitus est mortuus, sine vlla exceptione desletur. De his qui exules atque peregrini limitum paternorum, quos lex

Math. 3.

Genes. 3.

Roman. 2.

Psalm. 94.

2. Reg. 19.

Psal. 136.

Moyſi ſancta præſcripſit, mundanis implicabantur erroribus, audis canentem: Super flumina Babylo- nis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur Sion. Inducit enim lapſorum gemitus in ipſo tem- porum præſentium, & rerum labentium adhuc po- ſitos ſtatu debere reſpiſcere, eorum videlicet ex- plo qui propter peccati præcium deducti erant in captiuitatis ærumnam. Nihil eſt autem quod tam ſummo dolori ſit quàm ſi vnusquique poſitus ſub captiuitate peccati recordetur vnde lapſus ſit, atque vnde deciderit, eo quod ad corporea atque terrena ab illo ſpeciōſa ac pulchra diuinæ cognitionis intē- tione deſlexerit. Sic habes Adam abſcondentem ſe vbi Deum cognouit eſſe præſentem, & quæſitum latere voluiſſe, & vocatum à Domino ea voce quæ latentis morderet affectum, hoc eſt Adam vbi eſt hoc eſt, cur te abſcondis? Cur lateſ? Cur fugis eum quem videre deſiderabas? Ita grauis culpa eſt con- ſcientiæ, vt ſine iudice ipſa ſe puniat, & velare ſe cupiat, & tamen apud Deum nuda ſit. Et ideo nemo in peccato poſitus arrogare ſibi debet authoritatem aut vſurpationem ſacramentorum, quia ſcriptum eſt: Peccaſti, quieſce. Quod in præſenti psalmo Da- uid dicit: In ſalicibus in medio eius ſuſpēdimus or- gana noſtra. Et infra: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si enim caro menti re- pugnat, nec ſubdita eſt animi gubernaculo, & men- tis imperio, aliena eſt terra, quæ nō domatur exer- citio cultoris: & ideo non poteſt fructus charitatis patientiam pacis afferre. Melius eſt ergo tunc quie- ſcere, cum exercere non queas opera pœnitentiæ,

Gen. 3.

Gen. 4.
Psal. 136.

ne in ipſa pœnitentia fiat quod poſtea indigeat pœ- nitentia. Quæ ſi ſemel fuerit vſurpata, nec iure cele- brata: nec prioris fructum obtinet, & auferit vſum poſterioris. Sanè & cum caro repugnat, mens ad Dominum debet eſſe intenta: & ſi opera non ſe- quuntur, fides deſeruiat: & ſi impugnant vel carnis illecebræ, vel poteſtates aduerſariæ, maneat mens Deo dedita. Tunc enim maximè vrgemur cum ca- ro cedit, & ſunt qui vehementer incumbant miſeræ animæ, quærentes omne auferre præſidium. Vnde illud eſt: Exinanite exinanite vſque ad fundamen- tum in ea. Quam miſeratus Dauid ait: Filia Babylo- nis miſera. Miſera vtique, quæ Babylonis filia eſt, quæ Dei filia eſſe deſiuit. Cui tamen medicum in- uitat dicens: Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram, hoc eſt, qui infirmas & lubricas cogitationes elidat ad Chriſtum: qui omnes irratio- nables motus ſui reuerentia & diſceptatione com- minuat: vt ſi adulterino quis amore raptatur, exclu- dat ignem, copulamque meretricis, & ſe ſtudio ſuo abdicet, vt Chriſtum acquirat. Didicimus ergo & agendam pœnitentiam, & eo agendam tempore quo culpæ deſerueſcat luxuria, & in captiuitate pec- cati poſitos, reuerentiores nos, non vſurpatores eſſe debere. Nam ſi Moyſi propius accedere geſtienti, vt cognitionem myſterij cœleſtis hauriret, dicitur: Solue calceamentum pedum tuorum: quanto ma- gis nos animæ noſtræ pedes exuere vinculis corpo- ralibus, & greſſus omnes mundi iſtius nexu debe- mus abſoluere?

F I N I S.

DIVI AMBROSII AD Pœ- NITENTIAM AGENDAM EXHORTATIO.



AD MONEO vos fratres in cōſpectu Dei, timori veſtro adiungere timorem meū. Qui autem non timet, timentem me cō- temnit, ſed malo ſuo. Audite ergo quæ dicturus ſum. Certus ſum quia homo baptizatus, ſi vitam, non audeo dicere ſine peccato, ſed ſi vitam ſine crimine duxerit, & alia peccata ha- buerit, quæ quotidie dimittantur in oratione di- centi: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos di- mittimus debitoribus noſtris: & aliis faciat quod ſi- bi à Deo cupit fieri: quando diem finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam. Siue iſte vo- luntate ſua currat ad baptiſmum, ſiue in periculo conſtitutus baptizetur, & exeat: ad Dominum va- dit, ad requiem vadit. Baptizatus homo ſi poſtea deſertor violatōrque ſacramenti fuerit, peccat, & Deum repellit à ſe. Si autem agat pœnitentiam ex toto corde, vbi deus videt, ſaluabitur, ſicut vidit cor Dauid, quando increpatus à propheta grauitè poſt comminationes terribiles Dei exclamauit, dicens: Peccaui: & mox vt audiuit, abſtulit peccatum.

Matth. 6.

Matth. 7.

2. Reg. 12.

ſuum. Quantum valent tres ſyllabæ. Tres enim ſyl- labæ ſunt, Peccaui, ſed in tribus ſyllabis flamma ſacrificij cordis eius ad cœlum aſcendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à li- gamento quo erat conſtrictus, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, & poſt reconciliationem, cum deſunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, à regno Dei non priuabitur, & à populo diaboli ſeparabitur. Qui autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudi- nis ſuæ acceperit pœnitentiā, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id eſt, exit de corpore: fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumo di- cere quia bene hinc exit. Non præſumo, non pol- licor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene viuens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam dum ſanus eſt, & reconciliatus, ſi poſtea bene vixerit, ſecurus eſt. Sed dicis: quid eſt ſi bene vixerit? vel in hoc nos inſtrue ſacerdos bone, vt hoc ſciamus. Illud neſci- re te dicis, an ille qui infirmus & impotens eſt

pecca-

Matth. 12.

peccare, ſi pœnitentiam accipit, & mox tranſit, fa- cinora ſua relaxantur in die iudicij? Hinc nullam ſe- curitatem nobis das? Quid eſt bene viuere poſt pœ- nitentiā? doce nos. Dico vobis, abſtinere ab ebriofita- te, à cōcupiſcētia, à furto, à malo eloquio, ab ipſo immoderato riſu, à verbo ocioſo, vnde reddituri ſunt homines rationē in die iudicij. Ecce quàm leuia dixi, vt tacerem grauiā & peſtifera. Et aliud dico: Non ſolum poſt pœnitentiam ab iſtis intus homo obſeruare ſe debet, ſed & ante pœnitentiam dum ſanus eſt, quia neſcit ſi poſſit ipſam pœnitentiam acci- pere, & conſiteri Deo & ſacerdoti peccata ſua. Ecce quod dixi poſt pœnitentiam, dico ante pœniten- tiam melius. Agens verò pœnitentiam ad vltimū, & reconciliatus, ſi exierit, an ſecurus hinc exeat, ego non ſum ſecurus. Pœnitentiam dare poſſum, ſecu- ritatem dare non poſſum. Quod dico attēdite. Ego illud planius expono, ne aliquis me malè intelligat. Numquid dico damnabitur? non dico: ſed nec libe- rabitur dico. An aliud mihi dicis, ſancte epiſcope? Quid tibi dicam, neſcio. Dixi non præſumo, nō pro- mitto, præſumo neſcio de Dei voluntate. Vis te frater à dubio liberari, vis quod incertum eſt euadere? Age

A pœnitentiā dum ſanus es. Si enim agis veram pœ- nitentiam dum ſanus es, & inuenerit te nouiſſimus dies, ſecurus es. Ergo curre & reconcilicris. Si ſic a- gis, ſecurus es. Quare ſecurus? vis dicam tibi? Quia egifti pœnitentiam eo tempore quo & peccare po- tuifti. Ecce dixi quare ſecurus es. Si autem tunc a- gere vis ipſam pœnitentiam quando peccare iam non potes, peccata te dimiſerūt, nō tu illa. Sed vnde ſcis, inquit, ſi fortè Deus mihi miſereatur, & dimit- tat mihi peccata mea? Bene dicis frater, bene dicis, vnde ſcio: & ideo tibi do pœnitentiam, quia neſcio. At ille inquit: Ergo dimitte cauſam meam Deo. Quid tu me verbis affligis, & non iudici me Deo di- mittis? Illius iudicio te committo, eius iudicio me commendo. Nam ſi ſcirem nihil tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt, aut ignoſcetur tibi, aut non tibi ignoſcetur. Quid hor- rum tibi futurum ſit, neſcio, ſed do conſilium: Di- mitte incertum, & tene certum. Et dum viuus age pœnitentiam veram, vt cum veneris in iudicium Dei, non à Deo confundaris, ſed ab eo in regnum inducaris. Hoc præſtate Domino noſtro Ieſu Chri- ſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.

F I N I S.

LECTORI CHRISTIANO S.

Hunc librum in veteri quodā exemplari manuſcripto bibliothecæ Sorbonicæ reperimus inter. D. Ambroſij opera, hoc titulo: Liber primus de Pœnitentiā D. Ambroſij. Quo excitati nomine cum auidè & attentè legiſſemus, primū quidem animaduertimus non eſſe Ambroſij, & quod ſti- lus maiore ſtudio eſſet elaboratus, quanquam maximè Ambroſius elaborauit, & quod ipſo genere dicendi diſſimilis eſſet, & quod D. Ambroſius in Pſal. 37. duos tantum libellos ſcripiſſe ſe dicat de Pœnitentiā: & quod hic nulla mentio Nouatianorū, quos proſecto Ambroſius de eo argumēto ſcribens alicubi perſtrin- xiſſet: & quod ſcriptura aliam verſionem ſequatur quàm Ambroſius. Deinde ex duritiæ ſermonis, ex compositione anxie affectata, & quibusdam verbis quibus Africani maximè delectati ſunt, vt quod re- miſſam peccatorum dicat pro remiſſione: quaſi ex colore & vultu cognouimus eum qui ſcripiſſet Africa- num fuiſſe hominem. Cum autem in extremo libro legeremus: Nulla capiariſ obliuione Victoris: nomen illi fuiſſe victorem ſuſpicati ſumus. Cumque inueniremus apud Gennadium et Tritthemium, quorum elogia hic ſubiecimus, Victorem fuiſſe quendam Cartennensem Episcopum in Mauritania, qui de Pœni- tentia librum vnum composuiſſet: certo nobis perſuaſimus hunc illum eſſe Victorem, qui numquam in lu- cem antea prodiſſet. Tamen & quia inter Ambroſij opera repertus erat, et quia nec Ambroſio, nec ipſis illis præſtantiffimo ingenio Africanis authoribus Tertuliano, Cypriano, Optato, poſtponendus eſſe viſus eſt, nolimus ab Ambroſio diſſociare: quod te, ſtudioſè lector, conſidimus non eſſe improbatum. Vale.

GENNADIUS IN CATALOGO C Iohannes Tritthemius in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. virorum illuſtrium.

Victor Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis Episco- pus, ſcripſit aduerſum Arrianos librū vnum & longum: quem Genferico regi per ſuos audiendum obtulit, ſicut ex proœmio ipſius libri didici. Scripſit & de Pœnitentia Publicani librum: in quo & regu- lam viuendi pœnitentibus iuxta ſcripturarū autho- ritatem ſtatuit: & ad Baſilium quēdam ſuper morte filij conſolatorium libellum, ſpe reſurrexionis per- fecta inſtructione munitum. Homilias etiam com- poſuit multas, quas à fratribus ſalutis propriæ ſoli- citis in libris digeſtas ſeruari cognoui.

S. Ambr. tom. 4.

Victor Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis Episco- pus, in ſcripturis ſanctis doctus, & declamator ſermonū egregius, hæreticorū perſecutor inſignis, multa dicitur ſcripiſſe volumina, in quibus & popu- lum erudiuit deuotum, & errantes circa fidem for- titer contriuit: de quorum numero iſta feruntur.

Aduerſum Arrianos	lib. 1.
Aduerſum Donatiſtas	lib. 1.
Ad Baſilium conſolatorius	lib. 1.
De pœnitentia quoque	lib. 1.
Homiliarum ad populum	lib. 2.

Alia quoque non pauca edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Martiano Augu- ſto, anno Domini 450.

R

LIBER DE POENITENTIA.

CAPVT PRIMVM.

Poenitentię officia & merita narraturus, mihi, frater charissime, puto non verbis esse sed factis opus. Res enim salubris ac necessaria non tam dicenda est, quam docenda: quæ totum * habeat in situ amaritudinis actum, fructum perfert in effectu dulcedinis, & hæret faucibus, cum cordi impertit salutare remedium. Pœnitentia, inquam, est prioris æui damnatio, & in futuro promissa correctio: & velut in aliam vitam ducitur vsus viuendi, dum pia mens, ea quæ sunt à tergo, nō respicit. Hanc non ita dictis doceo, sicut gestis exerceo. Et quamuis iusti persona non competat, me tamen in initio mei sermonis accuso. Habet enim iustitiæ partem errati cauta confessio: quia licet, vt tu doces, Dei sit punire commissā, sententiam tantum cognitoris præuenit in humilitate exercita pœnitentia. Scriptum est enim: Pœnitentibus dedit partem iustitiæ, & corrogauit deficientes sustinere, & destinauit illos in sortem veritatis. Age pœnitens, propria scelera confitere, pande deo tuæ iniquitatis arcana, denuda secreta pectoris tui, & amoue internæ præuaricationis operculum. Nota sunt Deo cuncta quæ in occulto fecisti, quæ si nō dixerit lingua, non potest celare conscientia. Frustra te latenti consolatione deludis, & absconsum putas esse posse, quod sine teste commiseris. Patet deo omne quod clausum est, & in aperto lucet quicquid nox abstrusæ cogitationis intenebrat. Reum te tibi officio confessionis institue, causam tuam in conspectu tuo temetipso accusante compone, dicta in te sub seueritate sententiam, antequam iudicis sentias iracundiam. Et vt mulgeas misericordiam, exerce prior in te ipso censuram. Crede mihi totum quo suspectus es, sit illico veniabile, cum * iniuncta fuerit in te huiusmodi pœnitudo iustitiæ, scriptura dicente: Pœnitentibus autem dedit partem iustitiæ, & corrogauit deficientes sustinere, & destinauit illos in sortem veritatis. Expectat ecce Dominus confessionis munus, si confitentem non inuoluit reatus. Et cum sit nota diuinis sensibus hominum conscientia, mauult lingua prodere quod non possunt occulta cordis celare. Pœnitentia itaque vno actu officia diuersa congeminat. Hinc enim publicat confitentem, inde confessum reuocat innocentem: hinc reatum nūdinat, inde crimen excusat: hinc obicit propius peccata peccanti, inde indulgentiam exigit pœnitenti, nec permittit puniri confessum, qui pœnitentem noscit reuocare damnatum. O magnificentissimi diuinæ thesaurum! ô singulare clementissimi iudicis institutum! Ad hoc de reis vult cōfessionis exculpere vocem, vt non inueniat quod vltum iri debeat. Et cum apud seculi iudices confessus mox dirigatur ad pœnam: apud Dominum confitēs statim pergunt ad veniam. Nec hoc vllis elicit de confitente tormentis, cum patiens in semetipso officium videatur exercere tortoris. Lucra sunt enim pij iudicis gemitus cōfitentis: & gaudium cognitoris est sine quæstione cōfessio. Acquiritur Domino quod nō punitur inferno, & multum confer-

tur auctori si deputatus pœnæ, veniæ condonetur, cupit enim damnum esse vindictæ, quod non vult perire clementiæ. Nec optat vlcisci, qui paratus est misereri, ipso de se per Prophetā dicente: Nolo mortem morientis, quā vt conuertatur & viuatur. Quibus Sapientia concinens Salomonis: Deus, inquit, mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Iudicis ergo nostri clementia non optat reos perire vitæ, sed perire sententiæ: nec desiderat morientis exitium, sed festinat magis seruare cōfessum. Nolo, inquit, mortem morientis, sed vt reuertatur & viuatur. Ecce verus vitæ author, qui non vult morientis mortem, sed lamenta conuersi: & vult se semper in miseratione esse beneficium, ne iustitia teneat iudicatum.

CAPVT II.

Damnum ergo in moriente experitur, qui in vno perdit non lætatur, quia in donatore vitæ necesse est vt ex morte veniat causa tristitia, non quasi ex corporalium sensuum lege descendat, quod in perditio ac moriente contristat, cum in authore incorporeo non cadat omne quod venit è corpore. Sed cum nullam capiat ex pereūtis morte lætitiā, tristitiæ actus in prōptu est, vt sit miserantis affectio, non dolentis anxietas: & decurrens ex pietate tristitia, non de passione vlla externa perpessio. Consequēs ergo est vt doleat perditum, qui gaudet inuentū: & nō lætetur ex mortuo, qui gratulatur ex viuio. Hoc per parabolam Dominus in Euangelio manifestat, dicens: Gratulari & gaudere te oportet, quoniam frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est. Et iterum: Sic erit, inquit, gaudium in cœlo coram patre vestro & angelis eius super vno peccatore pœnitentiā agente. Vnde per Esaiā prophetam Dominus prouocat pœnitentem, dicens: Ego sum qui deleo iniquitates tuas & non memorabor: tu autem noli obliuisci, & iudicemur: dictu prior iniquitates tuas vt iustificeris. Quid oro hac sponsonie iucundius? quid potest hoc inuitamento dulcius inueniri, prouocare iudicem, dicere aduersum se reum pro se, non vt puniat, sed vt absoluat: non vt animaduertat in confessum, sed vt iustificet à seipso conuictum. Ego autem non memorabor, tu autem noli obliuisci. Hoc est dicere, non remanebit penes me memoria facti tui, si tu proprij non obliuiscaris errati. et delebitur infamia criminis tui, si eius recordatione compulsus non cesses meis auribus confiteri. Vides ergo Deum in flagitia peccatoris intentum, si nullum pœnitentiæ existat officium, & imminentem ceruicibus rei iram iusti iudicis cui nō placuerit gemitus confitentis: illa autem in obliuionem ducere quæ tu nō quiueris publicare, & aboleri criminis notā, si non t vulneres silentio conscientia. Ego sum, inquit, qui deleo iniquitates tuas & non rememorabor, tu autem noli obliuisci. Nullum voluit esse temporis punctum, nullum momenti momentum, quo in pectus tuum irrepit obliuio peccatorum, sed vt execreris quæ antè commiseras: non vt pristinorū oblectatione capiaris, & sit in te nō ex desiderio præteritorum, sed ex doloris recordatione suspi-

suspirium. Casum tuum semper ante oculos proponas & lugeas, & funera tua momentis omnibus planctas, mortuum te iugiter sentias, moriturumque sine dubitatione cognoscas. Hæc Dominus non impunitabit ad pœnam, sed detorquebit ad gloriam, & ita memorabitur tui, vt obliuiscatur eorum quæ antè in peccatis egisti, præbiturus tibi pro temporali luctu æterna atque infinita solatia, cum peccata tua euaserint impunita ipso dicente: Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Tu autem noli obliuisci & iudicemur. Interea iudicemur, ait: an numquid Dominus iudicabitur qui dicit, vt cum peccatore iudicetur absit. Iudicemur, inquit, tu cōfitens, ego dimittens: tu offerens debita, ego donādo peccata: tu dicens iniquitates, ego te absoluta pietate iustificans. Denique vide quod sequitur: Dic tu prior, inquit, iniquitates tuas vt iustificeris, non vt condemneris: vt maneat in te premium conuersi, non confessi supplicium: vt iudicium tecum comitetur iusti, non nota dānati. Et tunc carebis cunctis iniquitatibus tuis, cum aduersum te testis & accusator extiteris. Dic tu, inquit, prior iniquitates tuas, vt iustificeris. Sed numquid tanquam ignorans prouocat te, frater, vt confitearis iniquitates tuas, qui scit antequam fiant? Et tanquam nescius ex te optat audire, qui necdum natos solet ex presentia iudicare: Aut nescis in vtero sanctæ Rebeckæ geminum partum vno tempore conceptum eodēque progenitum præscientiæ notiore retulisse iudicium disparium meritorum?

CAPVT III.

Vlt ergo te magis nosse quid agatur in te, vt cum exponis medico vitium tuū, necessarium tibi propinet antidotum. Tunc enim potens perfectum consequi beneficium medicinæ, si non celes medico tuæ vulnera conscientia. Cæterum qualiter curandus eris, qui ea quæ sunt in te absconsa non pandis? Opinor enim nisi interpelletur medicus, non curatur ægrotus. Expectat ergo diu sibi ostendi doloris tui causas, vt medicinæ remedium iam curatus intelligas. Quid enim medico debeatur iusta æstimatione pensabis, si morbum tuum in te antè cognoueris. Et vt pluribus te non teneam, confessio tua pœnitens medicina est: ipsa te curat, ipsa te viuificat, nec patitur vulnus tuum tenere putredinem, sed mox vt ingemueris, superinducit inde notabilem cicatricem. Hodie si quisquam te morbus corporalis afficiat, & sentias artus tuos intestino grauari languore, aut vulnus tuum intelligas tabo & sorde putredinis cancerare, statim curris ad medicum, quæris de arte remediū, excubas antè ianuam dormientis, & antè fores eius matutinus saluator adfuitis, precibus orare, dona promittere, munera offerre & totum patrimonium pro tua cupis sanitate prodere. Et cum plerūque imperitia eius aut grauetur languor, aut certè in longa tempora differatur, nihilominus tamen in obseruatione assidua perseueras, & homo ab homine speras tarda remedia, nec desperas adiutorium profuturum, cum adhuc non sentias corroborationis effectum: & non curris ad Deum tuum gratuitum medicum, ad vltioneum pigmentarium, qui in curandis animæ tuæ

valetudinibus nullum nouit pati fastidium, nec expectat ex sanitate tua præmium, sed magis desiderat præmio munerare curatum? Et vtique temporalis medicus hoc solum curat quod ad corpus attinet. Cæterum Deus animam sanat, quam peccata conuulserant: & ille profert ad præsens profutura remedia, hic autem adhibet perpetuam medicinam. Et tamen homo nec seipsum potest iuuare medicus, nisi subuenerit Deus. Nam incassum laborat plerumque astutia medicinæ, si Deus ægroti viuendi tempus noluerit prolongare. Quos nec sibi videmus nōnumquam posse succurrere, cum præuenti corporalibus vitiis fraudantur beneficio sospitatis. Nullum ergo beneficium medicinæ erit, quando medico ipsi medicina non subuenit. Nemo te, crede mihi, melius reficit, quā qui fecit: nec alius iustificat, nisi qui flagellat & curat. Solus nouit operis sui sarcire ruinas, & limi nostri quassatam speciem in status pristini substantiam reformare, ipso per Prophetam dicente: Sicut lutum figuli, sic vos estis in manu mea. Neque hoc ipsum aliquo intervallo temporis operatur. Mox vt dixeris vitium tuum, illico impertit & adiutorium: imploranda subsidia & confitenda remedia, nullum prope modum tempus interuenit. Hoc tantum expectat, vt fatearis, mora non erit vt saneris. Dic tu, inquit, prior iniquitates tuas vt iustificeris. Hoc per Ezechielem prophetam idem Spiritus repromittit iniustis: Impius quacumque die conuersus fuerit ab iniustitia, & iustitiam fecerit, ipsa die peribunt omnes iniustitiæ eius: in sua iniustitia quam fecit non morietur. Et alibi: Cum conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis.

CAPVT IIII.

Sd forsitan dicas, non habeo conscium, & nulli somnino manifesta sunt quæ commisi. Quid ergo, si non habes conscium, saltem nescis præscium Deum conscientia tuæ incuitabilem conscium? Et si facta tua nemo hominum nouit, nempe Deus facta tua & adhuc futura prænoscit. Quid enim non videt, qui vbique & totum videt? ipso ad Iob dicente. Quis putet aliquid me latere? Da mihi locum in quo non sit Deus qui totus est * occultus, & erit in factis tuis, vt tu arbitraris occultus: sed Deus vbique est, & totus in toto est, ipso dicente: Cælum mihi sedes est, terra verò scabellum pedū meorum. & Cælum & terram ego impleo. Vnde & batissimus propheta David: Quò ibo, inquit, à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? Si ascendero in cælum, tu ibi es: si descendero in inferos, tu ibi venies. Si recepero pennas meas directas, vt inhabitem in nouissimo maris: etenim illuc manus tua Domine deducet me, & continebit me dextera tua. Frustrā ergo dicis non habere te conscium, cum audias Deum totum vbique, & per omnia maiestatis suæ ambitione diffusum, cui sit notum quicquid putatur absconditum. Sed non habeo, inquies, conscium. Hoc rectè dixisses, si exemplum Cain parricidarum principis nō haberes. Persuaserat ire secū in cāpū pio fratri parricidalis impietas, & nihil de fratre se custodire æstimās rudis adhuc & noua germanitas, præceptis eius

bono simplicitatis obtemperat. Gradiuntur vno pariter comitatu ambo germani, & parricida in faustus ad perficiendum nefarii sceleris cogitatum quasi locum eligit sine teste. Quasi verò si sibi hominem conscium non haberet, latere aliquid Dei oculo potuisset, aut cælare posset studio solitudinis, cum nihil obtutibus cæletur authoris. At vbi infandi facinoris artifex * primitus aptum indicauit locum perpetrando flagitio, insiliit in furorem, & patientissimum fratrem ac minimè repugnantem diabolo instigante interfecit. Res quidem in effectu euidens erat, sed quantum eam ratus fuerat, sine conscio admissa latebat. † Et credebat crudelissimus hominum sine teste aditum criminis non fateri, cum ob hoc ipsum crimen agnosceret, quod cupiebat occultare. Sed ecce rerum Dominus cui quicquid absconditum putatur in promptu est, & quem non potest latere quod in cogitationum occultis agitur, scriptura dicente: Cogitatio hominis confitebitur tibi. & iterum: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur. & iterum: Scrutans corda & renes Deus, vnde propheta Dauid: Cogitationes, inquit, meas à longè vidisti: parricidam voce indignantis appellat. Et sciens ferocis facti atrocem spiritum quem gesserat negaturum, vt reatum cumulatè impij parricidæ, simulat se veluti quod admissum fuerat, ignorare. Et dixit, inquit, Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Et dixit Cain: Nescio: numquid custos fratris mei sum ego? O insaniam detestabilem! ô audaciam singularem! fidus negat quod sine teste commiserat. Et credidit sine conscio crimen publicari non posse, † cum ipso negotio reatum magis proderet consciëntiæ. Quid agis Cain infelix? Non habes vllum hominem testem: ecce habes effusum sanguinem proditorem, ipse te publicat & accusat. Vox eius aduersum te interpellat authorem, & facit cruor diffusus inuidiam, ne latentem prætereat vltio parricidam. Quid, inquit, fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Verum vbi parricida sensit proditum quod putabat occultum, & sanguine teste conuictus frustrâ finxisse contumaces insidias, facinus confitetur: exoptat in se acrius dictari iudicium cum excusare non posset conscientia parricidium perpetratum. Sed differtur interim seuerior pœna, vt tanti facinoris authorem diutius trucidaret lenta sententia, † vt celeritas interrogati supplicij compedium magis videretur addicti, & fieret pœnali diuturnitate longæuior quod † latrocinij moriendi extenuaret facinus parricidij. Quid ergo tibi super eo blandiris, quod non habeas conscium: cum videas testimonio sanguinis innocentis Cain fuisse conuictum pariter & punitum.

CAPVT V.

Sed conscium, inquires, non habeo, qui mea facta diuulget. Rogo dicas mihi, si non habes conscientiam, non habes conscientiam testimonium? aut respicere potes effugere, & † conscium declinare? Conscientia, inquam, apud quam non moritur omne quod gerimus, quæ nos in factis nostris accusat & iudicat. Quæ cum non habeat loquendi vsum, nescit tamen tenere silentium. Potest conscium morte

*vel, primitiuus.

†legerem, Et quarebat crum delissimus hominũ sine teste reatum criminis non fateri. Psalm. 75. Ibidem 138. Ibidem 7. Psal. 138. Genes. 4.

† forte, ipsa negatio.

† ne

† quoad lenitidine moriendi estimaret facinus parricidij.

† puto legendum, consciam.

† subduci, potest tibi ad tempus prodesse testis conscientia. Nec rectum superest, & sine te non est, hæret pectori, nec vnquam te deserit, & velut quædam pedissequa nullo abs te temporis interuallo discedit, tenet te reum, & in sua semper ditione captiuum, si quando mentem tuam lætior secundarum rerum actus auocarit, & sensus tuos cœperit facti delectatione iucunditas: subitò te illa stimulat, illa medullitus pulsat & interpellat sensum, interruptit gaudiũ, & totam pectoris regionem mœstis suspiriis inquitat: * atque vulnerata opprobrio teneatur, non inuenitur † bonum remedium quo curetur. Semper enim offenditur cū alius castigatur, & in alieno vulnere primò ipsa percutitur. Deinde vis nosse quata sit seueritas conscientiam? potest tibi conscium auro corrumpi, potest pecunia comparari. Conscientia nihil corruptionis admittit, manet integrum eius testimonium tota fidei firmitate vallatũ: quinetiam aduersus conscium conducitur patrocinium, & defensionis ingenio argumenta versutiæ conquiruntur, & testimonij veritas loquelæ impudentis calliditate peruertitur: iudex quoq; redimitur, vt facti qualitas excusetur. Vacant hæc omnia vbi mentem conscientia † & cum homo moriatur, conscientia certè non moritur, quæ post mortem corporis in anima iudicatur. Et putas prodesse tibi te non habere conscium, cum conscientiam quotidianum sentias perpetuumque iudicium? Sed planè eum non comitabitur vltio diuina, quem propria iudicauerit conscientia: vacet enim ibi necesse est potestas iudicis, vbi conscium sibi reus aduersum se testis & accusator extiterit. Nam proculdubio geminabitur causa peccati, si contumax cōscientia facta sua noluerit confiteri. Tunc enim ex peccatore fit impius, qui in peccatis suis fatendis extiterit induratus, vt & flagitia perstringat digna sententia, & contumaciæ pœnas luat peruicax conscientia. Frangitur enim commotio iudicis, vbi pœnitudinis & seueritatis enixa districtio confessionis oppugnatione lenitur. Depromptum indignatione iudicium, satisfatione percellitur, & comminantis intentio orationis humillimæ verecundia temperatur. Hoc ex Niniuitis addisce quorum cōfessione deleta est iam dicta sententia, & auersa imminens ira, ne inanis fieret confitens pœnitentia. Pendebat super miseram ciuitatem cœlitus iam vibrata sententia, & animaduersionis diuinæ securis ceruicibus infelicium perurgebat. Iam productus fuerat cœlestis gladius evaginata, & in vltione perpetratorum criminum vehemens ira feruebat. Vox præconis interitum populis minitabatur, & denuntiabat cunctis proximis perituris Prophetæ clamor exitium. Post triduum, inquit, & Niniue ciuitas subuertetur. Heu quid de deo exigitis scelera, quid peccata mercamini? Ipsam Dei nostri clementissimam præuenistis pietatem, de quo tam propinquã & ante tempus † exigitis vltionem. Videre itaque mihi videor quanta miseris artabat angustia, & qualis perstrinxerat in tremore necessitas. Consilium metus amiserat, remedium desperatio non habebat. Ita enim fuerat temporis præcipitata celeritas, vt ne spatij quidem attributa diram suspicionem criminis relaxaret. Post triduum, inquit, Niniue ciuitas subuertetur. Et quam fuerat

† indicatur

† contumida

† induunt

* conspiratio confessa, vel, conspirata cōfessio

Esai. 41.

Psal. 31.

fuerat illa subuersio, quæ † inducitur perituris? Non vtique hostilem significabat incursum, non armorum strepitum, nec clangorem terribilem buccinarum, quibus forsitan poterant resistetium obuiare † agmina, aut præliis promulgatis partium conferri certamen, aut fugæ præsidis sortem proicere captiuorum. Sed diuinæ indignationis & vindictæ cœlestis interitus prædicatur, cui puniendus nec fuga subducitur, nec bellicis artibus defendendi cura datur. Quis enim posset irrogatum exitium declinare, quod ætherius fragor incipiebat effundere?

CAPVT VI.

At ecce miseros nō deserit in pauore cōsilium, & inuenit remedium ex periculo desperatio. Ad seipos redeunt conscientias suas vice iudicantis interrogant, currunt ad propugnaculum pœnitentiæ, & confessionis scuto opposito declinant sagittam. Itur ab omnibus in curatione criminum fatendorum, & in satisfationis officium exposita morti turba conspirat. Inducunt sibi necessarium perituri ieiunium ipsis corporibus, animas humilitatis flagello castigant. † Inducunt pro veste cicilium & cinere pro vnguentis aspergunt, ac prostrati humo puluerem lambunt. Mortem suam lachrymis funerant, & vitam plangimonis prosequuntur: reatum suum gemitibus publicant, & actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis ætas & sexus indiscretè lugubribus se aptat officii: depositus omnis cultus, deiectus ornatus. Sed planè illæ sordes corporis ornamenta fuerant pœnitentiæ, & virtus habitudinis summum fuit decus confessionis: negata quoque sunt ipsis alimenta lætentibus, & ætas necdum propriis peccatis infecta, onera sustinuit aliena. Cibus suum mutum pecus esuriuit, & naturalia pabula brutum animal non accipit. Vnus audiebatur per mœnia ciuitatis eiulatus disparium naturarum, & per omnia tecta vrbis flebilia resonabant lamenta plangentium, & vt semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat. Sed & astra ipsa voce pœnitentiæ personabant. Impletum est quod scriptum est: Oratio humiliantis se nubes penetrauit. Denique sic placuit offensum Deum, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum: & mucronem vltionis in techa recondidit, quia cōscientiam de se iudicium indicauit. Eripuit reos pœnæ confessio, & vindictæ iam deditos pœnitentia sibi metu dicauit. Deletum est statim condemnationis elogium lachrymis cōfitentium, & absoluti obnoxios pœnæ * speratio confessa de crimine. Vidit pius Deus tulisse in se iudicium pœnitentes, & errata suæ conscientiam ea stipulatione damnantes, continuo donauit veniæ quos destinauerat pœnæ. Et ideo pepercit afflictis, vt exempli supplicio, lucra fieret pietatis. Probatum est testimonium prophetiæ, quod in superioribus paulò antè disposuimus: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & nō rememorabor: tu autè noli obliuisci & iudicemur. Dic tu, inquit, prior iniquitates vt iustificeris, & iterum: cum conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis, & iterum: Conuertimini ad dominum deum vestrum, quia misericors & pius est: patiens & multæ miseri-

cordiæ, & qui sententias flectat aduersum malitias irrogatas. Vnde & beatissimus Dauid: Peccatum, inquit, meum * & sciui, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, Confitebor aduersum me iniquitatem meam domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei, & iterum: Quia iniquitatem meam ego scio, & peccatum meum coram me est semper. Vides ergo quotidiano in se peccanti opus esse iudicio, quomodo conscientia * operitur, & cum publicatur operitur. Et licet notum sit Deo omne quod gerimus, nec occultatur sensibus eius antequam fiât, maulltamen cordis tui nudare secretum & facinora prodere conscientiam, vt indulgentiam suam dono operiat turpitudinis nuditatem. Quomodo vult spoliatum venia dimittere confitentem? De talibus Propheta beatissimus cecinit, dicens: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata. Quamquam hoc euidentiùs pertinet ad renatos, quorum & iniquitates & crimina Baptismo operiuntur & teguntur. Fidelem enim veniæ locum tenet non infida confessio, & in tuto est pœnitens conscientia, si indulgentiam remissionem non dubitet.

CAPVT VII.

At è cōtrario peccati cumulus erigitur si quod committitur, id negatur: quod in facto Cain supra memorauimus, qui dum putauit auctori suo facinus abnegare, seipsum pœnæ non est † remissus eximere, vt cōscientia in facti atrocitate publicum frustraret ei ex negatione fructum pœnitentiæ. Negans enim est conuictus, non ex voluntate confessus: & punita est in scelere contumacia, quia interrogationem non subsecuta est confitens pœnitentia. Liber igitur pedetim hic illius vindictæ septemplicem aperire rationem, & quænam causa coegerit tam duram coaccruari sententiam euidentiùs rei probatione monstrare, ne enormitate vindictæ pateat ad suspicionem iniustitiæ via calumniæ: quamquam noui * fœderis inuentum, vehemens debeat comitari supplicium, quod † longioribus esset posteris in exemplum. Errat enim qui putat vno teneri crimine parricidam, cum eiusmodi sceleris testimonio constipata sint omnia facinora. Audio enim Dominum dixisse: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota virtute tua: & diliges proximum tuum tanquam seipsum, vnde, in his, inquit, duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Cum ergo duobus his præceptis pendeat omne quod legis est, videamque Cain nec Deum dilexisse, cuius primùm fabricam violauit: & germanum vehementer odisse, quem instinctu impietatis occidit, apparet illum adduc munus soluisse vindictæ, in cuius facto cuncta inueniuntur crimina conuenire. Et iure in illo exertum septiforme supplicium, in quo vniuersa tenebant scelera principatum. Et tamen specialiter septem in illo deprehēdo flagitia, quibus singulis singula sunt deputata tormenta. Primum enim crimen est, quia non rectè diuisit, hoc est, de primitiis terræ fructibus, primò comedit antequam obtulit. Secundum est * quia cum muneris sui dignum videretur accepisse repudium, contumacem * spiritum: & cum nulla reiecitæ

* ego sciui Psal. 50.

* forte aperitur

Psal. 31.

Genes. 4.

† permittit

* sceleris

† longina Matih. 22.

* qui videtur legendum, contumacem cōcepit spiritum

oblationis culpa pij fratris existeret quasi vindican- dum se infaustus credidit de authore, si pro hoc fra- trem Deo probatum videretur occidere. Tertium crimen est, quod inuidiæ felle suffectus & lioris a- maritudine venenatus, innocentissimum zelauit trul- culenta animositate germanum. Quartum est, quod dolo sefellit obsecundantem sibi, vt pariter comita- rentur in campū in quo iustus iniaret sub ouis sim- plicitate martyrium, parricidio terrā macularet in- iustus. Quintum est quod fratrem nefarius* crude- litatis occidit. Sextum, quod cum scelus perficeret, insuper & negauit, & putauit Deum alicuius facti ignarum, quem conscientia suā secretum mulctasse H perfererat, cum competens retulisset in oblationis suā reprobatione repudium. Septimum crimen est, quod post mortem se non credidit proditus, parri- cidio puniri, cum ob infamiā criminis publicati ad præsens tempus sese postulauit occidi. Merito ergo in Cain septulum vindicatum est, in quo totidem prerogata sunt tormenta, quot crimina. Cui tantæ inflictae sunt plagæ, quantæ numerantur & causæ, vt nec iustitia modum vltionis excederet, nec nume- rum criminum vindicta cōpetens præteriret. Quod I idcirco iterum posui ne insinuatae expositionis præ- teriret occasio.

CAPVT VIII.

CAPVT IX.

I Am diu me à proposito inchoati operis sentio deuiasse, & in aliam detorsisse partem cursum ce- lerem dictionis. Sed facilis est ad omnia recursio, & citò repetitur trames declinatae materiae, cum à fini- bus eius interiecta probationis non exorbitat ar- gumentum. Peccatum ergo, inquit, meum sciui, & iniquitatem meam non cooperui. Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti iniquitatem meam. Quia iniquitatem meam ego scio, & peccatum meum coram me est semper. Hoc non solum verbis deouit, sed & factis impleuit: quia non sufficit ad consummationem sapientia spiritualis, verbis præferre virtutem, nisi doctrina ornatur ex rebus. Tunc enim demum tribuitur competens autoritas † magisterio, si proprio innitur exemplo. Denique Dominus in Euā- gelio: Qui fecerit, inquit, & sic docuerit, maximus vocabitur in regno caelorum: vt & facto doctrina firmeretur, & factorum fides ex doctrina accipiat testimonium. Alioquin non erit nixis viribus fundata doctrina, quæ verborum phaleris gloria virtutis abutitur. Erit enim facundia locuples lingua, non erit plena operum diuitis conscientia: & priuabitur merito suo, qui priuilegio fruitur alieno. Videamus ergo quid gesserit qui ista cantauit. Vno igitur tempore duo regi peccata subreperant, & pellexerat principē in facinoris perpetrationem regni licentia. Cum enim vult adulterium coope- riri, crimen incidit homicidij. Perfecit tamen vtrū- que non violentia regij stemmatis nec ambitione potestatis: quia licet de incesti licentia descenderet adulterium, tamen non ex odio fuerat homicidium perpetratum. Mittitur ergo à Domino Propheta, qui apud eum causas adulterij & cædem peroraret occisi, & sub quodam colore compositæ fabulæ eli- ceret de nefciēte iudicium. Sed vbi Propheta quod

Liud quoque in sancto Dauid poenitentiae aperi- mus exemplum. Ita enim Rex hic egregius vitæ mutabilis institutor, diuinis se cultibus fidei feru- itio mancipauerat, vt relinqueret nobis suorū mo- rum non exempla sed monumenta. Contra interd- ctum namque populum numerari mandauerat, & voluerat nosse cuncti exercitus quantitatem. Obse- cundatum est voluntati regali, & renuntiata est to- tius agminis dinumerata collectio, atque inclytè cœpit scire quod nocuit: foelicitatem suam popula- ribus extulit incrementis, & lucra multiplicati exer- citus inter principalia gaudia numerauit. Mox ad eum alius Propheta dirigitur, & non ei, vt primo a- ctum est, subtiliter peccati causa præteritur, sed iam pro facto proponitur poenalis electio. Et factū est verbum Domini ad Gad Prophetam, dicens: Vade ad Dauid, & loquere: Hæc dicit Dominus: Tria ego tollo in te: elige tibi vnum ex ipsis, & faciam tibi. Et venit Gad ad Dauid, & nuntiauit ei, di- cens: Elige tibi quid fieri velis è tribus: siue famem triennio super terram: aut tribus mensibus fugere te à facie inimicorum tuorum, vt ipsi persequantur te: aut tribus diebus fieri mortem in terra: & nunc scito & vide quid respondeam ei qui misit ad te verbum. Quanam ergo est nunc in animo eius versata pugna consilij? Quæ cogitationis fuit in electione turba- tio? Hinc inimicorum metus, hinc famis vastitas, in- de diuinæ animaduersionis plaga terrebat. Nihil ho- rum vellet incidere, sed offensa non poterat inulta remanere. Inter ipsas tantum electionis angustias, cum vtriusque periculi vallaretur articulo, præce- dētis veniæ doctus exemplo: acrius eligit in ipsa vo- luntate supplicium, & contulit se ad maiorem poe- nam, vt posset prouocare clemētiam. Lenitur enim rigor iustitiæ, cum de miseratione præsumitur, & a- pud clementissimum iudicem prima pietatis causa

* videtur de- esse, auctor

Psalm. 31.

Psalm. 50.

† vel, magi- stro

Matth. 5.

2. Reg. 11.

ibidem.

ibidem.

Psalm. 31.

† potius, sug- gillat

Luc. 7.

2. Timot. 2.

† aut

tractatur. Qui enim errata confitentibus donat, per- uicaces non de voluntate condemnat. Et ideo rex iste deuotus cum deliberationis fluctuat tempesta- te, non dimisit anchoram poenitentia, & fidus de pietate terrentis, magnitudinem non contemplatus est vltionis. Et dixit, inquit, Dauid ad Gad: Angu- stia mihi valde in iis tribus: sed melius mihi incide- re in manus Domini, quia magna est misericordia eius valde, quam in manus hominum incidam. Se- quitur illico vindicta confessum, & electionem pla- cabilem placabilis poena comitatur. Et strages in- numera peremptorum, & multitudo populi Ange- lica percussione maectatur: percutiuntur septuagin- ta millia de exercitu & acerbis perurgebat dulcem animum miserabilis ruina castrorum. Obiicit se au- thorem facti telo supplicij, & induit contra sæuien- tem iustitiæ machæram confessionis lorica, pu- niendum se magis instans inter punitos exclamat, & optat in se deriuari sententiam, vt possit à populo reuocare fracturam. Ecce sum ego, inquit, ego pa- stor peccauit, & ego male feci: grex autem hic quid fecit? In me manum tuam conuerte, & in domum patris mei. Ecce satisfactionis officio poenā percel- litur, & in armis confessionis indignatio propugna- tur: vt nec in eum vlterius vindicta procederet, & erga populum quassatio caelitus effusa quiesceret: vno actu poenitentia & sibi mercatus est pietatem, & à populo suspendit protinus vltionem, vt merito veniæ condonatus cantauerit, dicens: Dixi, confi- tebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: quia cum adsi- steret sub desperatione conuicti, dignus reputari meruit, expiari. Sed premit te tuorum enormitas peccatorum, & eorum ditione captius in cœ- lum oculos non audes attollere. Probo quidem cō- scientiæ metum, non laudo consilium: sed malo te super indulgentiæ consecutione suspectum, non de salutis reparatione poenitus desperatum.

CAPVT X.

Tenet enim quandam confessionis partem sup- plicandi confusio, quæ suorū conscia pecca- torum non de authoris remissione dubitat, sed de magnitudine sui sceleris erubescit. Reatum enim a- gnouisse confessionis initium est, & proximum fit veniæ quod † simulat poenitudo. Sed retrò agit me meorum, inquit, abundantia peccatorū. Quinimo tantò magis insistendum est confessionis officio, quātò peccatorum sarcinis es oneratus: vt quod per amicitiam non es dignus exigere, per impudentiam valeas obtinere. Audis enim in Euāgelio Dominum dixisse: Quia cui pusillum dimittitur, minus diligit. Deinde impium facis Deum, si putas eum repudiare conuersum: & affectum negare redeunti, à quo scias perditos effectu commiserationis inquiri. Hoc A- postolus probat dicens: Et si nos infideles extiteri- mus, ipse fidelis perseuerabit, negare seipsum non potest. † An nefcis nouies tētatum in cremo Domi- num distulisse vindictam, nec ipsa decima tentatio- nis vice damnare potuisse, si de præteritis nouē cul- pis egisset populus poenitentiam? ipso dicente: Ec- ce iam decies exacerbant me in deserto hoc. Lege

ibidem.

ibidem.

Psalm. 31.

† potius, sug- gillat

Luc. 7.

2. Timot. 2.

† aut

A librum Iudicum, & inuenies innumeris vicibus fi- lios Israël coram Domino fecisse malum, & traditos incurfibus nationum. Sed iterum conuersum po- pulum per electos duces de captiuitatibus variis li- beratum, nec vindicari potuisse commissa, si toties factum sequeretur competens poenitentia. Quia li- cet poenalis correctio non deesset, non erat tamēn proditiōnis abscissio, sed conuersionis oratio. Cum enim castigatus filius recipit affectum, admonitum eum constat ad satisfactionis officium non punitum: nec odij videtur esse correctio sed amoris, cum re- uerso identidem post flagellum non negantur iura pietatis. Denique audi Dominum per Prophetam increpantem huiusmodi verberē † fornicariam, & probrosis deditam inquinatamque cōtagiis voluit se sibi iure conuersionis asciscere. Et dixi, inquit, postquam fornicata es hæc omnia, Ad me reuerte- re: & non es reuerta in composita Iuda. Quod idem Dominus in Euangelio manifestat, cum induratos increpat, dicens: Hierusalem Hierusalem quæ inter- ficis Prophetas, & lapidas missos ad te: quoties vo- luit congregare filios tuos sicut galina cōgregat pul- los suos sub alas suas, & noluit? Vltimum crede, vi- tæ nostræ actum Dominus expectat, & in quo nos exit finalis inuenerit, in eo iudicabit, si scilicet mul- tiplicibus septus erratis circunuolet supra caput tuum vmbra facinorum, oculos tuos scelerum cali- go pernubilet, & peccati iugum tuum crucem in- curuet, atque intra conscientie penetrale † flagitium probrum subinde vulnus exulceret, si animam tuam nō in desperationis proieceris vilitatem, cum vnum circuncordialis secreti effuderis in confessione ser- monem, non negabit remedium veniæ, qui venit a- nimas saluare non perdere: quia qui non vult mor- tem morientis, conuersum proculdubio suadet ad vitam: ipso Domino dicente: Filius hominis nō ve- nit animas hominum perdere, sed saluare; & iterum: Venit enim filius hominis saluare & quærere quod perierat. Nisi quia præpotentem facis diabolium, si putas quia de faucibus eius Dominus non potest e- ruere captiuatum: aut quemadmodum ille vigilat semper vt perdat, non ita latagit Dominus vt acqui- rat.

CAPVT XI.

I N hac igitur te veluti præsentis loci fiducia vlti- ma confessio latronis inducat, & spem maximam tribuat nouissima desperati non desperantis in cruce confessio. Omne igitur vitæ suæ actum ille latro- ciniis cruentaerant, & egerat semper in seculo dia- bolicæ feritatis armigerum, nunquam Dei memi- nerat, nulla legis audierat mandata, aut certè si au- dierat, procliuor ad facinora non curabat, totam spem in desperatione versabat, & exercebat crude- litatem more sceleratorum satellitum: ob hoc nam- que damnatus in cruce, & cum ipsis criminibus suis affixus ligno pendebat. Tandem perditus resipi- uit, & in ipso supplicio constitutus magnū sibi mer- catus est ex morte compendium. Deum enim cum quo pendebat agnouit, iudicem futurum cui adhæ- rebat intremuit, conscientia suæ crimina explica- uit, Baptismum sanguinis perfusione protinus ac- quisit, & cum Domino in paradysum purpuratus

† forte, ver- bis

Matth. 23.

† forte flagi- torum

Luc. 9.

Matth. 18.

Luc. 23.

confessor intrauit. Hæc vera consultatio pœnitentia, hoc præcipuum prœmaticum consistendi, si filium Dei quem non ignores authorem, credas & iudicem, ipso dicente: Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio, & ad spem salutis perpetuæ capeffendam, non præfenti vitæ consulere, sed de futuro iudicio cogitare. Primo enim in conspectu iudicis sese damnatus exposuit, & confessus de criminibus suis impleuit officium pœnitentis. Deinde cum crucis cerneret pœnam, intellexit iudiciū affixo commune esse, non causam. Deū tamen tunc credidit, quando eum Iudæa pertinaciter abnegauit, & futuri non immemor in cruce iudicij, memoriam sui cōmendabat iudicio regnaturi. Hoc Evangelium manifestat: respondens autem, inquit, alius latro corripiebat illum, dicens: Non times Deum qui in eadem damnatione es? Nos quidē iuste quædammodum egimus & percipimus, hic autem nihil mali admisit. Et dicebat ad Iesum: Domine memēto mei cum veneris in regnum tuum. Sed vide repente quod meruit quod ex ore veritatis audiuit, quod ex gratia iudicantis accepit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

CAPVT XII.

Ed ais mihi: Peccata peccatis adieci, & qui iam scadens erectus fueram, iterū cecidi: & conscientia meæ vulnus iam penē curatum peccati exulceratione cruduit. Quid trepidas? quid vereris? Idem semper est, qui antē curauit, medicum non mutabis. Non laborabit explorare valetudinis tuæ causam, nec tentabit erga te nouiter medicaminis virtutem examinare, noto te curabit antidoto. Experimentum adiutorij non expectat, qui langoris tui nouit originem. Vnde dudum curatus fueras, inde iterum curaberis: nec tu eris de remedio medelę suspectus, & medicus de reparatione tua securus. Castigabit planē intemperantiam tuam, & dura obiurgatione impatientiam verberabit. Sed non negabit auxilium, qui non contaminat ægrotum. Audi Prophetam dicentem: Numquid qui dormit non adiciet vt resurgat? aut qui naufragauit, non itidem nauigat? aut qui messē perdidit, numquid semel desperatus non iterum aut arat aut seminat? Cursus hic noster in quodam salo mundi iactatur. Nauigandum nobis est & malorum tendiculis vela insinuanda sunt. Procella sæuit, ventus consurgit, tempestas insanit. Si ita clauum tenueris, vt manus tuæ retinacula nō amittas ad portum illibatis mercibus tendes: sin verò fluctibus aduersis illis scopulis implicantibus, ac flatibus præpeditis inter freta rixantia tumidi gurgitis naufragaueris, redeundum est ad saburram, reficiendum primo nauigium, merces emenda, rursus pericula subeunda, & præteriti casus referendi per causas. Et vt liceat perdita reparare, non dubitabis te prisco discrimini sub spe incerta committere. Nam procul dubio mendicabis si post naufragium ad negotiandi vsum reuerti nolueris: nec de egestate atque ærumnis tuis queri postmodum poteris, si captus forte naufragij sub ignauia stupore afficiaris calamitate mendici. Et si mundani negotiatoris hæc cura est, vt plerumque

post naufragij iacturam non desperet præterita sua damna industriæ emolumento sarciri, nec expoliatus incurfibus detegi suam patitur nuditatem, sed studet magis è paruo concrefcere, & spebus dubiis aucupatur potiora lucra peccato lenocinante conquirere: quantò magis tibi animæ tuæ damna cogitanda sunt, & in vestigio reparanda perditio, in qua futuræ spei damna munerant & vitæ perpetuæ infeliciter quæstus amittitur.

CAP. XIII.

Endum tibi est ad armarium idonei largitoris, & scœnore pœnitentiæ ac satisfactiois oblati vsuris cōscribe syngrapha, mitte chirographa: eme tibi ab illo aurum ignitum de idoneo, qualibuscunque, si non preciosis mercibus imple nauigium. Cæsum tuum in comparando illam pretiosam margaritam depende, ex qua animæ tuæ turpitudinē possis ornare: vt cum ad ciuitatem magnā delatis mercibus veneris lucris dignioribus & mercibus beatissimis amplior sis. Nam si te segnitia stupor inuaserit, & Dominari sensibus cœperit corporis ignauia, nec vlla animæ tuæ reficiendi argumenta quæsieris, subiicieris cruciatibus creditoris, obnoxius scœnori detineberis. Dicitur liberalis illa sententia quam non valebis tui conscius euadere, aut appellationis interiecta voce suspendere. Omni habenti dabitur & abundabit: ab eo autem qui non habet; & quod habet auferetur ab eo. Et seruuum superuacuum expelle foras in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunicam tuam vilissimi operis lanificio confectam non pateris induere. Horret tibi vestis tua quæ fit deformis ex macula, & non tibi horret anima tua quæ fit peccati forde & sceleris inquinatio polluta? Nisi quia eodem momento tunicam festinas eluere, vt possis eam mundam & sine villo nœuo sceditatis induere, animæ verò tuæ infectum squalore criminum non desideras recuperare candorem: nec optas dilui conscientiam tuam quam scias flagitiorum illuue & contaminatione scelerum cœnolentam. Quis rogo cadit, & non quærit surgere? quis infirmatur, & non desiderat conualescere? quis periclitatur, & non optat euadere? quis pauper effectus patrimonium non cupit reparare? Hæc si rerum patitur natura, vt istiusmodi mergētibus casibus quispiam redire nequeat ad statum pristini qualitatem, æmulare priora vt deteriora percipias, demitte manus, & semiuigiles oculos stoliditate inuolue, obdormisce numquam euigilaturus, iace nūquam surrecturus, & hebetem mentem stupore soporis elide. Pœnitebit te postmodum tarditatis, cum nihil quod vtilitati animæ tuæ proficiat cogitaueris. Eris semper iacens infirmus, nudus, paupertate confectus, & vt ita dixerim, somnibrietate temulentus, clogium illud quo numquam careas auditorus: Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt. Exurge frater, exurge, & malè sani consilij pelle torporem: vigila semper vigila, & esto pro tua salute sollicitus, non vt dormias desperatus. Caue nocturnum furem, ne domus tuæ perfodiat parietem & meridianum iaculatorem sagittæ volātis euita. Patet enim incurfibus incauta securitas, sed

sed facile dormienti subripitur vt lætaliter feriat. In vigilante fiducia est, in dormiente nihil tutum. Conuenit sobriæ menti somnum seruum habere non Dominum. Refugit hostis quem non inuenerit dormientem, & beatus seruus erit, quem adueniens Dominus inuenerit vigilantem: quia dicit, Surge qui dormis, exurge à mortuis & accinge Christum.

CAPVT XIII.

Sed non audeo, inquires, orare, quia me reuocat conscientia: non enim semel sed sæpius & frequenter erraui. At ego dicam: Si te orandi reuocat verecundia, peccandi desinat pertinacia, & fiet beneficium timoris non desperationis causa quod metuis. Reuereri enim potestatem iudicis non erit verecundiæ, sed pudoris. Quia licet frequens sit peccandi licentia, excusabilis tamen efficitur conscientia quam pertulit in peccati recordatione timiditas. Exemplum Achab illius impiissimi regis te doceat: hic namque Naboth Iezrahelitæ vineam concupiuerat, quod suæ esset possessioni confinis. Offert precium aut certè vicariam vineam quæritatem. Ille neglexit asserens hæreditariam se rem nulla in alterum posse ratione transcribere. Hac repulsa compunctus tristis domum reuertitur, quod appetitus sui libido recidisset incassum. Tum eius mulier sacrilega Iezabel tristitiæ mariti causas requirit. Quibus compertis veluti saucio cordis eius fomite consolationis infecit, quo ars cum plura concinnatis falsitate calumniis cōsilio impuræ mulieris Naboth innocens lapidatus occiditur, & funesti voti sui mulier impleto flagitio velut victrix ad maritum ingreditur, interempti exitio narratura letitiam. Quæ ne sola teneretur in crimine, egit astutia mulieris primitiæ vt maritum ad conscientiam sceleris obligaret, & vtrōsque iugales conscios vna facinoris catena vinciret. Surge, inquit, posside vineam Naboth Iezrahelitæ, qui noluit tibi eam dare precio, quia ecce mortuus est. At ille dolens materiam se præbuisse mortis, facinoris nuntia perhorrescit, & mortis eius causam flebili dolore lucrificat. Discissis enim regalibus indumētis, accingit se vestitu funereo, non tam conscientia reatui quàm pœnitentiæ primæ cogitationis attestans. Et factum est quomodo audiuit, inquit, Achab quia mortuus est Naboth Iezrahelites, dirupit vestimenta sua & accinxit se sacco. Vacare ergo potuit Achab effusi sanguinis culpa, quia de concepto non de parricidio egerat pœnitentiam, & remanserat in prophana muliere impietas homicidij, quæ precio quodam cruoris effusi putauit se vineam debuisse mercari. Sed ecce sicut canis reuersus ad vomitum suum odibilis fit, oblitus Achab pœnitentiæ suæ statim exposito luctu pergat perempti vineam possidere. Et perdit innocentia meritum qui vinea cupiditate pellectus, innexuit interfecti occisioni consensum. Mox ad eum venerandus Helias propheta mandatur, & sententiā, in eum cum indignatione depromitur, vt acta dudum pœnitentia frustraretur, & vindicta occasione tribueret sceleris geminata præsumptio. Et ait Helias ad Achab: Hęc dicit Dominus: Ecce ego superduco super te mala,

& incidam post te & exterminabo de Achab gentem ad parietem, & contemptum & derelictum in Israël, & dabo domum Achab sicut domum Ieroboam filij Naboth, & quomodo domum Baasa filij Achia, pro omnibus quibus irritasti Deum & fecisti declinare Israël. Verum ille cum sententiæ ictum non valeret effugere, ad priorem pœnitentiam conuertit repente consilium, reatum fletibus confitetur, cilicio deiecit regium potentatum, saccum induit pœnitentiæ, & reueritus faciem comminantis tacito gemitu publicabat offensam, non excusabat conscientiam. Factum est, inquit, quomodo audiuit Achab sermones hos, reueritus est à facie Domini, & ibat flens & scidit vestimenta sua & accinxit se sacco. Tunc dixit Dominus ad Heliam: Vidisti quemadmodum reueritus est Achab à facie mea, non adiciam adducere mala in diebus eius, sed in diebus filij eius adducam. Et quonam perduxit timidum reuerentia? & quantum seueritatis motum fregit metus? Non orationis pompa, nō sermonis ornatu, nec eloquij copia placuit Deo, sed multis precibus lachrymarum. Os tacuit, sed cor ingemuit: oculus fleuit, sed conscientia planxit, & verecundiam pœnitentiæ pietas laudauit authoris. Parum fuit reum debitum euasisse supplicium, nisi accepisset reuerentia probabilis testimonium. Et probatus est in timore, qui damnabatur in crimine: nec prius quod mortem luxit occisi, inane fuit, sed repetitam identidem culpam iterata lamentatione purgavit.

CAPVT XV.

Nec Manasses quoque rex filius Ezechie tacendus est, qui cunctorum prætergressus audaciam prophanorum, manus tetendit impias contra Deum & paternis moribus degenerans, ex toto prædiuinis cultibus idolorum caput erexit insanum. Hic sacrilego furore possessus in domo Dei execranda superstitionis aras instituit, simulachris dæmonum funestauit, templi sacra altaria lapideis figmentis impleuit, captauit auguria, vitam suam maleficiis inquinavit, populum ad idolorum obseruationes induxit, ceremoniis polluit, diabolo mancipauit, & omnia quæ diuinis cultibus prohibentur, vltra omnem insolentiam desperatæ mentis exercuit. Pro his tot tantisque flagitiis ductus in prædam, & vinculis innexus grauatūque cōpedibus pertulit captiui supplicium, atque in Babyloniam transportatus, impietatis suæ pœnas luit, vt diuinam vltionem sentiret addictus, cuius nūquam antea meminerat induratus. Denique cōgruo correptus flagello conuertitur, & Deum in pœna constitutus agnouit, quem in regno positus antea non quæsiuit. Profuit afflictio desperato, & correctæ est in agnitione de stimulo correctionis improbitas. Fuit vindicta illa mētis perditæ medicina, & multum salutis contulit castigatio, quæ ideo verberauit impium, vt Deo faceret acceptum quem diabolus per impotentiam fecerat alienum. Et animæ sanitati profuit, quod inflictum fuerat vanitati. Hoc scripturæ dominicæ fides admittit. Et loquutus est, inquit, Dominus aduersum Manassen & aduersum populum, & non

Ioan. 5.

Luca 23.

Psal. 40.

Matth. 24.
Luc. 12.
Ephes. 5.

† forte, percussis.

3. Reg. 21.

† forte legendū, qua arte compluribus concinnatis: aut, quod ardeat compluribus

† forte, luctificat

3. Reg. 21.

† Achia

2. Paral. 33.

audierunt: & induxit super illos Dominus principes G virtutum Assyriorum, & comprehenderunt Manassen, & alligauerunt vinculis & compedibus, & adduxerunt eum in Babyloniam: & mox afflictus quæsiuit Dominum Deum suum, & humiliatus est nimis ante faciem dei patrum suorum, & orauit ad Deum, & exaudiuit illum Dominus & reuocauit illum in Hierusalem in regnum eius. Et cognouit Manasses quia Dominus Deus ipse est. Ecce quantum repentinae lamentationis ex corde conuerso, peccatum suum fleuit & diluit, & lachrymis terfit quod nefas insecerat. Oravit tamē conficius reatus sui, & veniā meruit satisfactione mercari, vsque adeo vt illa sacra quæ dudum profani actus contaminatione polluerat, in pristinum restitueret veneramen, & in cultum timoris Dei cuncta reponeret. Consummatione conuersi impletum propheticum illud diuini oraculum: Cum conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis.

CAPVT XVI.

Sed quid ego eorum regum faciam mentionem, quos electi generis origo laudabilis non sinebat ab vrbe sacra religionis pessima persuasionem discedere: cum Nabuchodonosor ille feralis & alienigena † principalis diuina animaduersione multatus sit: vt per emendationem vindictæ cogere agnosceret, quem † sacrilegium fuerat abnegasse, & virtutibus eum crederet quem per ferociam spiritus antè nescisset, vsque adeo vt qui elatus spiritu peruicaci Deum se non timuerat antea prædicari, non audeat postmodum super eius incomparabili maiestate mentiri, cum ingenti in se facti admiratione correctus, non desit solum Deum verum ex toto corde decretisque præconantibus confiteri. Sed si malè tibi conscius reuereris orare, habes magisterium Publicani, & si suspectum geris, ne cum pro peccatis tuis oraueris non merearis audiri? Ingressus ille templum fuerat peccatorum mole decurruata ceruice, & oculorum palpebris graui morbo iniquitatis compressis, cælum non audebat aspicere: retrò gradum timidus reuocat, & extremum se non tam loco quam iudicio conscientia sistit, nec ad supplicandum irreuerenter pedem incitat promptus audacia, sed vestigiis modum subtrahit, publicat se verecundia reum, peccatum pectoris percussione crebro commemorat, & cor conscius pugni admonitione contundit. Audiebantur oris eius non verba, sed gemitus: & quinque tantum sermonibus celebrata est tota confessio. Hoc Dominus in Euangelio manifestat homines duos ascendisse in templum adorare, vnus Phariseus, & alter Publicanus. Phariseus autē cum stetit, talia apud se precabatur, dicens: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, quomodo & Publicanus iste: ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Publicanus autem de longè stabat, & neque oculos in cælum volebat leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Sed aduerte quid de inspectore cordis exegerit reuerens supplicatio, verecundia mercede munifica sensit Deum quem cupiebat habere pro-

pitium. Et statim meruit iustificari verecundia, quæ probata est in humilitate confessa, Domino dicente: Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam, magis quam ille Phariseus, quia omnis qui se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit exaltabitur.

CAP. XVII.

Vbi deinde ponis exemplum mulieris illius peccatricis, quæ crimina sua non verbis visa est exposuisse, sed lachrymis: cuius cum orando tacuerit lingua pœnitentiæ officio confessa est conscientia. In domo namque Pharisei cuiusdam dominus recumbebat, & præparauerat velut homini temporaneum inuitator ille conuiuium. Hoc reperiens mulier prostituta Pharisei domum audacter ingreditur, atque ad pedes Domini recubentis afflitit: lauat lachrymis sancta vestigia, capillis extergit, osculatur incessabiliter plantas, & precioso pedes madefacit vnguento, atque omnibus penè membris quibus antè peccauerat, scelerum suorum maculas expiabat. Tunc Dominus apud quem ossa nostra dispersa sunt, Propheta dicente: Omnia ossa mea dispercent, Domine, quis similis tui? Obrectantis Pharisei murmur obuenterat, occultam mulieris cogitationem, sed manifestam fidem admirabili probatione collaudat: & præfert apparatus inuitantis confitentis obsequium, magis delectatus mulieris factio quam prandio: cui plus fuit conuersione delectari, quam pasce, vt qui cibi desiderio minimè ducebatur, confessionis epulis pasceretur. Vides, inquit, hanc mulierem? Intraui in domum tuam, osculum mihi & aquam pedibus meis non dedisti: Hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem vnguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi remittentur ei peccata multa, quia dilexit multum. Et conuersus ad mulierem dixit: Dimissa sunt tibi peccata tua. Paruum est hoc? Postmodum autem vide quid audiat: Filia, fides tua te saluam fecit, vade in pace. Dudum peccatrix, absoluta mox filia, & in Domini pace confestim absoluta dimittitur, quæ suorum bello criminum vastabatur. Hoc est illud propheticum oraculum: Cum conuersus fueris & ingemueris, tunc saluaberis. & Dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris. Cum ergo tot ac talibus documentis agnoscas delectari pœnitentiæ sacrificio, nec contriti cordis & humiliati spiritus apud pium iudicem verearis perire mercedem, scriptura dicente: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit: nec de profundo luxuria & de mundana voluptatis gurgite festinas emergere, atque ad pœnitentiæ officia capessenda ex temulentis actibus respirare: nec putes quod te ab ipso adeo elongaueris, aurem tibi eius obcludi: mox vt pulsaueris fores aperiet, & in septa cohortis suæ miserandum misereatus includet, tantum est vt doloris tui querela fleat. Quando tu procul abcesseris, tantò celerius proximabit, propheta dicente: Proximus est Deus tribulatis corde, & humiles spiritu saluos faciet. De quibus Dominus in Euangelio: Beati, inquit, plangentes quia ipsi consolabuntur.

Sed aspera tibi fortassis videtur post voluptates seculi pœnitentia. Verum est, sentio valetudinis tuæ vitium, video animi tui morbum. Sed si curari desideras, medelæ impetum non attendas, nec expauescas remedium cum admouerit tuo vulnere feramentum, celerior cura sectionis officitur. Nam pessimè sedulitas medendi palpatur, cum non continuo superata labes abscinditur. Amarus est gustus antidoti, sed vitale ac salutare est quod est faucibus insuauē. Curat nos Dominus non vt exteros, extraneos sibi seruat quoscunque sanauerit delinquentes. Omni hora, omni die in curandis intentus, nec retardatur tempore, nec vllis morarum obstaculis impeditur, cum inuentus fuerit qui curetur. Vacet enim necesse est beneficium Domini, cum non extat cui debeat misereri. Aspera est castigatio pœnitentiæ, sed lenior efficitur si modus culpæ tractetur. Iam pridem mundialis pompæ oblectabat ambitio, & in seruum sibi dominatus seculi vindicabat nunc in luxuria remissum, nunc in vinolētia demersum. Hi te modo exercitio aliæ intentum viderunt, alij ad gaudendum, alij in scortum proiectum, isti lupanaribus mancipatum, vnguentis oblitum, aromatibus delibutum & peregrinis cernebant oculis infectum. Splēdebas vestibus, auro fulgebās, gemmis & preciosissimis margaritis ornabaris. Vicem ergo vici restitue, & sero saltem compensationem temporum temporibus redde. Reciprocā vitam tuam in vtroque actu æquali moderatione partire. Fuisti tunc diaboli, esto nunc Dei: imò verò esto iam tuus qui dudum fueras alienus. Et forsitan si consideres multum temporis decoxisti, vt id quod residuum est breue tēpus angustet. Vaca iam tibi non tempori: vaca dixi, non vt torpeas, sed vt negotio confessionis insistas. Reuertere in viam à cuius semitis aberraueras, damna quæ gesseras, quære quod fueras. Primò te ipsum inueni, vt quod quæris inuenias: & si te inuenieris abs teipso, nihil quæras. Saccum indue, cinerem asperge. In ieiunio semper ora, in oratione ieiuna. Preciosa magis hæc sunt quibus corpus afficitur, vt pulchritudo animi reparetur. Horret humilis vestis, sed hoc valde decet, quod Deo non displicet. Vilis est corporis cultus, sed ipse præcipuus sanitatis ornatus. Et adhuc de indignitate forsitan quereris indumenti, qui nuptialem tunicam perdidisti. Et cum appareas scditatis tuæ nuditate deformis, non cogitas qualiter identidem vestiariis. Non metuis quæso, ne cum illo qui ad regiam cœnam vocatus intrauit, à conuiuio recumbentium simili exprobratus damnatione pellaris, & audias dici tibi: Amice quomodo huc venisti, non habens vestem nuptialem? Et cum argumentum non repereris excusandi, dicat: Tollite eum ligatis manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi erit ploratio & stridor dentium. Et vtique ille quia non quæsierat aut non acceperat, dicitur abiectus. Vocatus enim intrauit, sed non vestitus accubuit. Si ergo is qui nunquam habuit taliter quia non quæsiuit, exiuit, qualiter iam puniendus erit, qui tunicam & accepit & perdidit, vestiari non potuit?

Sed credo dubitas amissum non posse repeti vestimentum, aut ab eo qui nuper dederat cum petieris, posse negari. Intuere in Euangelio filium iuniorē perditō patrimonio mendicantem vsque eò fuisse perductum, vt egestatis impulsu pastor vellet esse porcorum. Is summa inopia & egestate confectus, cum nec porcorum vesci partibus sineretur, reuersus ad pristinam mentis propriæ sanitatem, prioris aui cœpit desiderio conflagrare, & æternę domus abundantiam cogitans, reatum suum conuersionis animaduersione damnare. Habito igitur tandem pœnitendi tractatu & secum in corde satisfactionis arcano loquutus, velut post liminū ad lares patrios nudus exulque reuertitur. Tum ille pariter * qui cogitantis viderat in corde consilium, antequam verba perditus filius in confessione profunderet, affectum dolentis anticipat, & misericorditer suscipit redeuntem. In collum eius irruit, osculis reconciliat, & adhuc trepidum nihilque loquentem pater mirè confirmat. Sed ille consultissimus pœnitens & confessor egregius de voto patris securus, atque adhuc de sua satisfactione suspectus meditatam confessionis ordinem pandit, & verbis explicat, quod corde ruminauerat. Pater, inquit, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Placatus itaque pater precibus confitentis stolam primam mandat afferri, & statim nudum præcipit amisso nuper in dumento vestiri. Dare iubet & anulum, symboli reparat sigillum, pedes includit munimine præceptorum, & in reparatione eius mactari iubet vitulum saginatum, hoc est pro reconciliato offerri imperat gratissimū sacrificium quod esset acceptum & cœlo & exercitibus angelorum. Erexerat in germani odium fratris seuerior pertinacia exprobrans crimina * recepti, maior filius contradicit. Non reuocatur, * pietas patris non mutatur, frater eius asferitur, filius nuncupatur. Et plenum patris in se prouocauit affectum, qui perfectum habuit in pœnitendo consilium. Iucundatus inquit, sum & gavisus, quia hic frater tuus mortuus fuerat & reuixit: perierat, & inuentus est. Vides ergo conuerso filio stolam pristinam pœnitentiæ mercimonio restitutam, & votis omnibus celebrasse patrem reditum confitentis. Patrimonium enim perditum baptismi insinuat sacramentum, in quo sunt cuncta ædificia cœlestium constituta regnorum. Hoc ille filius, hoc est, fidelis Christianus libertatem patris indeptus libidinis ac luxuriæ contagione perdidit, & longè à Deo suo positus probrosus se actibus tota scditate polluerat, ac diabolo mancipatus cui se perditissima conuersatione dederat, porcorum, hoc est immundorum spirituum cœpit exercere pasturam, quorum non permetteretur cibo depasci: quia per carnis obtentum * dæmonicis non poterat inagitari vtrobique desertus, & vndique destitutus bonæ frugis inopia defessus desudabat. Sed reuersus, omne illico quo fuerat priuatus accepit, & in concordiam patris reputata substantia prioris possessionis remansit. Reuertere ergo & tu frater, reuertere, & ex mortuo reuiuifce, & ex perditō reparare.

Quod si inueniri post dilationem temporis omnino non posset, conuulsa in futuro radicibus exaresceret, hoc est, futuro abscissa iudicio tanquam ligni inutilis abiecta materies pabulum effecta aeterni ignis arderet: quanquam hoc de Christo possit in plebe Iudaica subaudiri.

CAP. XXI.

Redo tuis sensibus his probationibus paruisse quae studio de infirmis unguentis ad erigendum animum tuum suscitandumque protulimus, abundeque claruisse ita Deum misericordiae fontem nolle interitum peccantium, sed flagitiosum magis habere correctum, ut quantae numerantur offensae, tanta sit actio poenitentiae. Non desperet reditus sui reformationem celerem, quia audiat ipsum Dominum peccatori poenitentiam suadentem. Hoc expressius Apocalypsis beatissimi Ioannis exponit: in qua Ecclesiarum angelos increpat ut pristinis fraudatis erroribus ad poenitentiae lamenta curucentur. Nam probatur sic Dominus nullius desiderare ruinae, qui cadenti ingerit poenitentiam. Angelo denique ecclesiae Ephesi: Memento, inquit, unde cecideris, & age poenitentiam, & fac prima opera: si autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo nisi poenitentiam egeris. Et ecce tamen angelus dicitur, cui poenitentiae cura conuersioque mandatur, & ad priora opera perficienda suadet, ut nihil admisisse ex totis suis meritis intimeretur. Grauius tamen minatur admonitio poenitentiam non agenti, si contumaciam pertulerit indurati. Erit enim inexcusabilis seueritas ultionis, si ceruicem indomitam non flexerit prima correctio, & malo suo peribit qui comminantis autoritate praemonitus, satisfactionis iugo peruiacia colla non subiicit. Rediturum enim sanè ad statum praeteritum proficitur, qui ad verum stadium decurrendum digna confessionis humilitate corrigitur. Hoc vberius paulo posterus declaratur, cum angelus ecclesiae Thyatirae obiurgationis verbere castigatur. Habeo, inquit, aduersum te multa, quia dimittis mulierem Iezabel quae se dicit prophetissam, & docet & seducit seruos meos fornicari & manducare de idololatriis, & dedi illi tempus ut poenitentiam ageret, & noluit poenitere a fornicationibus suis, & mittam illam in lectum, & qui moechantur cum ea in tribulatione magna erunt, nisi poenitentiam egerint ab omnibus operibus suis, & filios eius interficiam gladio, & scient omnes Ecclesiae, quia ego sum scrutator cordis & renum, qui reddo unicuique secundum facta sua. Quid verò potest humanius, quid clementius dici? Et dedi, inquit, illi tempus ut poenitentiam ageret, & noluit poenitere. Non habes peccator, non habes quod excuses, non est quod cum causa dubites, non est quod sine causa desperes: his te ad confitendum exemplis accingere, his ad poenitentiam armare.

CAP. XXII.

Differt enim Dominus poenitentiam, ut inueniat poenitentiam: & moratur utens spatium, protelat patientiam, ne amittat clementia quod debuit fieri censura. Non praeterita mala expectat, nec errata computat, sed correctam collaudat. Habes promissum ad poenitentiam suadentis tibi, si non poenitueris, imputabit. Et dedit illi, inquit, tempus ut poenitentiam ageret, & noluit poenitere. Huic simile propheticum illud: Et dixi postquam fornicata es omnia haec, ad me reuertere. Et noluit ad me reuerti. Caeterum si te in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus abieceris, aut itineris tui dubitaueris represso gradu extirpare congeriem, vel sinistrae mentis prolapsu declinior in prouum vergentia adducas lubrica exercitatione vestigia, illico tibi spes amissae reparationis adimitur, rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum, claudentur oculi tui nocte peccati, ne veri luminis videantur radium permicantem, mortis secessitas opponet, & per ludum quandam huc atque illuc te circumducent angeli deceptores. Fient igitur grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitus adlubescet: tenebit te diabolus suae libertati addictum, ut sit tibi liberum peccare non viuere. Nec sinet te respiscere ante qui fueras cum blandimento peccandi, dulcedine te criminum fallacissimus auocauerit. Et ut semel dixerim, ita te pereundi suauitate decipiet, ut delectabilius tibi met videatur perire potius quam redire. Omne namque peccatum absque sui delectatione non geritur. Nec aliàs inescare animum poterit, nisi suauitate desiderij illiciat quem deceperit. Dulcis enim mixtura, & suauis sit necesse est faucibus laetis poculi funesta confectio, ne amaritudinis prima libatio reuocet haurientem. Sic denique visum est mulieri primitiuum bonum esse ad aspectum & dulce ad cibum arboris illius venenum, cuius postquam mentita est suauitas labri comedentis, infecit mortientis haustus violenta subtilitas, quod vigenas ac viuidum manebat extinxit, & in contrarium per intemperantiam recidentibus votis ad exilium mundi & spectaculum seculi de paradiso beatitudinis & praedio securitatis eiecit.

CAP. XXIII.

Pro te frater haec metuas, fugias & expauescas, nec patiaris inimicum de tua perditione gaudere, & in conspectu Dei supercilium efferre victoris. Caue reditum septem spirituum immundorum, quibus se ducem malorum omnium sociavit octauus. Et cum vnum nemo patiat diabolus, quis sustinere valeat dominatum? Domino dicente: Cum immundus spiritus exierit ab homine, pertransit loca inaquosa, quaerens quietem & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam a qua exieram. Et reuersus inuenit eam vacantem, mundatam scopis & compositam. Tunc vadit & adducit secum alios septem spiritus nequiores se, & ingressi habitabunt illic, & fient nouissima illius hominis peiora prioribus. Si te obsidione bellica septimum manus accepisset hostilis, & sub incurfione barbarica tenuisset praedonis vrna captiuum, quos fletus ederes, quos eiulatus dares, quae lamenta iactares? Ageres omni die noctumque suspirium, non cibum quem

S. Ambr. tom. 4.

patientiam, ne amittat clementia quod debuit fieri censura. Non praeterita mala expectat, nec errata computat, sed correctam collaudat. Habes promissum ad poenitentiam suadentis tibi, si non poenitueris, imputabit. Et dedit illi, inquit, tempus ut poenitentiam ageret, & noluit poenitere. Huic simile propheticum illud: Et dixi postquam fornicata es omnia haec, ad me reuertere. Et noluit ad me reuerti. Caeterum si te in desperationis gurgitem enormitate tuorum scelerum circumactus abieceris, aut itineris tui dubitaueris represso gradu extirpare congeriem, vel sinistrae mentis prolapsu declinior in prouum vergentia adducas lubrica exercitatione vestigia, illico tibi spes amissae reparationis adimitur, rapiet te sorbens in abruptum vorago facinorum, claudentur oculi tui nocte peccati, ne veri luminis videantur radium permicantem, mortis secessitas opponet, & per ludum quandam huc atque illuc te circumducent angeli deceptores. Fient igitur grata cuncta flagitia, & peccandi licentia tibi penitus adlubescet: tenebit te diabolus suae libertati addictum, ut sit tibi liberum peccare non viuere.

Apoc. 2. Hierem. 3

† forte, ut sis ante qui etc.

Genes. 3.

ibidem.

† legitur p. 1.

Zuc. 11.

reris, potum non desiderares, exhaustus & famelicus, sola in te asperae cutis auuiditas & rugosa macies appareret, rigeret concreta sordibus coma, & hirsuta caesaries squaleris verticis, promissaeque barbae impressi actus horrent, patrimonium redemptoris sub gladio, districtus ambulans nudus, pauper atque omni censu euolutus quaesisses euadere. Aut si fugae aditus praebetur, sub maximo incertus discrimine, meditareris periculum superare: captiuum te tenet auctor scelerum vinculis non ferreis sed catenis habet criminum te ligatum, compedes tibi libidinis imposuit, & vndique te sepit arctiori custodia: Legem tibi dedit ut licitum putes omne quod non licet, viuam te aeternae mortis fouea demersit, & non ingemiscis salutis tuae damnum, spei aeternae dispendium & vitae perpetuae detrimentum? Incedis comptus ornatu vestium, celebras opulentibus cibis refectioes, vino mades, pinguis epulis quotidianis animam, & torosi corporis excolere non quiescis ingluuiem, ut interim de caeteris criminibus taceam, putas etiam putas & hoc non esse animaduersionis diuinam, ut nescias quemadmodum debeas de tuis sceleribus poenitere, Apostolo probante, qui ait. Propter quod non habuerunt Deum in notitia, tradidit eos in reprobum sensum, facere inconuenientiam. & iterum: Pro eo quod dilectum veritatis non receperunt ut saluarentur, misit Deus illis operationem erroris, ut iudicentur qui non crediderunt veritati. De talibus denique metuit ne veniens Corinthum lugeret multos ex his qui non egerunt poenitentiam ex immunditiis quas fecerunt & fornicationibus & libidine.

† vel, impressi artus horrentes

Rom. 1.

CAPVT XXIII.

Cogita diuitis illius opiparas cenas & copiosarum dapum huberem affluentiam, purpura, murice pinguiori & textilibus inclusi serici nitoris, totum de spe praesentis temporis nihil tamen de futuro tractantis. Quid illi post ista omnia reputatur, ausculta. Post purpuram flamma, post epulas egestas, ut aquae guttulam quaereret, qui guttam antea preciosi nectaris ebibisset, & ab eo peteret, nec tamen acciperet, summitatis digiti humentis solatium, cui in seculo micas suarum negauerat epularum. Confitere quales cuncta quibus reum te memineras. Confitere & faciem Dei prauei satisfactionis officio, humilia ante eum cor tuum, & in conspectu eius curua ceruicem: flecte genua & eliso vultu terrae prosternere. Suscipiet gemitum tuum caelestis ille protinus aduocatus, & non praetermittet pro te interpellare patrem suum, qui fidum praebere consuevit poenitentibus patrocini. Causam suam non arguentis & praescriptum genus ne patientiae perorabit. illico imperaturus veniae beneficium qui de superato non expectat aliquod honorarium. Hoc Apostolus probat, dicens: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnat? Christus qui mortuus est, verum etiam & surrexit, qui est in dextera Dei, qui & interpellat pro nobis.

Zuc. 16.

* forte, ad praescriptum genus eloquentiae perorabit. aut, et praescriptum genere sapientiae perorabit. Rom. 8.

Luc. 15.

ibidem.

Matth. 9.

Luc. 15.

Rom. 4.

Luc. 13.

1. Ioan. 1.

Concinens Ioanes Apostolus beatissimus in epistola sua ponit & dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confelsi fuerimus peccata nostra, & fidelis & iustus est Deus qui nobis peccata dimittat, & mundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quia non peccamus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Filioli mei hec scribo vobis vt non peccetis. Et si quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem, Iesum, & ipse exorat pro peccatis nostris. Omne quod Dei Filius Dominus Iesus Christus, qui est via, veritas & vita loquutus est, lex est. Et sub exemplo sui fieri docuit quod nobis in scripto mandauit. Neque enim a nobis fieri aliquid vellet, quod aut ipse non fecerit, aut quod ei nobis facientibus non placeret. Sed nec displicere posset quod ipse mandasset, quia qui mandasset, ipse antea fecisset. Inanis enim fieret doctrina mandati, si in facto doctoris non praeretur auctoritas. Sed quicquid Dominus praecipit & fecit, inane non erit quod sub imitatione sui faciendum esse mandauit. Iam ergo Dominus discipulis haec custodienda proposuit. Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, dimitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies reuertatur ad te, dicens: Poeniter me, dimitte illi & dimittetur tibi. Atque cum sancto Apostolo Petro fuisset in causa consultus, & diceret: Domine, si peccauerit in me frater meus, quoties dimittam illi? vsque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Qui ergo ad dimittenda septies fratrum nos peccanti debita nobis donare imperat, erga nos formam praeccepti sui non feruat? Aut qui dixit: Misericordiam plus volo quam sacrificium, misericordiam nobis potest negare thesaurum? Hoc est quod exorata prius venia dixerim, credere Dominum Iesum cuncta quae docuit fuisse mentitum, si circa nos formam custodire suorum noluerit praecceptorum.

CAP. XXV.

Matth. 18.

ET bene quod repente aptat huic sententiae de comparatione parabolam duorum scilicet seruulorum: de quibus vnus cum ob debitum numerosum aere decocto vna cum vxore & filiis distrahi iuberetur, & patientiam Domini prostratus eius pedibus exoraret, vt tributo sibi spatio omne debitum reddidisset, meruissetque misericordia Domini cum eta sibi donari, qui sub conditione tali adsciscitatus detinebatur addictus, ipse conseruo suo debitori noluit misereri, quia oblitus collati sibi nuperrime beneficii statim tortoribus traditur, vt de eius cruciatibus idem quod dudum fuerat donatum exigatur. Inde est quod Dominus huiusmodi orandi ordinem posuit, dicens: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: vt tantum scias posse tibi dimitti, quantum tu proprio dimiseris debitori: imò verò vt tibi parcere videaris, cum alij obsecratus ignoueris: nam iudicio tuo proculdubio iudicaberis, si dimitti tibi ipse cupiens, alii dimittere nolueris, Domino dicente: In quo iudicio iudicaueritis, in eodem iudicabitur de vobis: & in qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur

† Fortè, red deret. † Fortè ad cruciatum.

Matth. 6.

Luc. 6.

de vobis. Legas volo intentius prophetae Zachariae principium, & illic quo robustius animeris inuenies. Iratus est, inquit, Dominus ad patres nostros ira magna. Quis non hoc audiens contremiscat? quis non huius vocis concitu perterritus arefuerit? aut quem sensum non haec indignatio intimata turbaret? Quis enim status teneri poterat sanitatis, vbi tam vehemens ira denuntiabatur authoris? Et parum fuit dixisse iram, nisi denunciaretur & magna, quasi si non esset magna, sustineri eius posset vel lentior iracundia. Sed videamus quem exitum pronunciet tanta commotio. Credo, dixit, bellicis vos inquietabo tumultibus, & captiuitatis vos saeva ditioe mulctabo, fame vos afficiam, morbo quatiã, morte consumam, ferarum atque bestiarum rapiet inopinata vastatio, profugos & vbique dispersos agitat bit exilium. Hoc enim intellectui relinquatur, vt iram magnam vehemētiorem vindicta sequatur. Iratus est, inquit, Dominus ad patres nostros ira magna, dicens ad eos. Quid dixerit audiamus: Conuertimini ad me, & conuertat ad vos. O indignationem de pietate minantem: o magnam iram quae infert misericordiam. Rogo quis sic irascitur, quemadmodum irascitur? Aut si ita miseretur, quemadmodum indignatus irascitur? Hoc alius Propheta proloquitur: Reuertere Israël ad Dominum tuum, propterea quod infirmatus es in iniquitatibus tuis. Dicite ei: Potens es remittere peccata nostra, non vt accipiatis iniquitatem, sed vt accipiatis bona. Et reddite ei fructus labiorum vestrorum, & epulabitur in bonis cor vestrum. Et alibi: Reddite, inquit, filij desertores, dicit Dominus. Et iterum: Reuertimini filij reuertentes, & sanabo tribulationem vestram. His consona Dauid beatus peccatorum solatia decantauit, dicens: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius.

CAP. XXVI.

NEC hoc dixerim, vt latiores admodum videar habenas dedisse licentiae & sub veniae diuinitus tribuendae praetextu peccandi magis fomitem authoris poenitentiam praebuisse. Hoc enim sermone meo cadentem erigo, stantem non impello: nec praed iudico innocentiae, qui exhortor ad poenitentiam peccatorem. Si quidem, vt supra iam diximus, innocentia exigit de Deo debitum vitae suae praemium: poenitentia verò expectat misericordiae beneficium. Non peccata enim timere est, poenitere verò plus quam timere. Nam plerumque offensionibus subiacet secura felicitas, cautior tantum ad euitanda praeterita efficitur, quem metus emendat: quia sollicitior semper erit qui cauet ne identidem ibi incidat, vbi iam antea cecidit. Sic gubernatorem faciunt pericula experta sollicitum, & in offensos portus nonnunquam veretur intrare, qui vel semel incurrit ex securitate naufragium. Denique scriptura diuina, Qui non tentatus est, inquit, qualia scit? Vt ostenderet per tentationis causam tentatum semper effici cautioem, & per timorem magis corrigi, qui incautus antea fuerit tentationis scientia. Vsque adeo autem peccantibus Dominus optat ignoscere, qui non vult mortem morientis,

quantum

quantum vt reuertatur & viuat: vt quos pro facinoribus suis aliquoties destinat poenae, interpellans poenitentia illico festinet absolueret: & vt recondat in vagina machaeram, commutat animaduersionis satisfactione sententiam.

CAP. XXVII.

ET quanquam hoc ex Niniuitarum facto superius sit probatum, tamen etiam Hieremiae prophetae super eo accipe testimonium, vt ex testimonio plenius tibi probetur exemplum: Sermo, inquit, qui factus est a Domino ad Hieremiam, dicens: Exurge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse opus faciebat super lapides, & cecidit vas quod ipse faciebat in manibus suis. Et iterum fecit teum vas aliud, sicut placuit coram ipso facere. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Sicut figulus iste non potero vos facere domus Israel? Ecce sicut lutum figuli vos estis in manibus meis: & tantum si loquar super gentem aut super regnum vt tollam eos & vt perdam eos. Et si conuersa fuerit gens illa a malis suis cogitationibus, poenitentiam agam pro malis quae cogitabam vt facerem eis, & non faciam: & tamen si loquutus fuero super regnum aut gentem vt reedificetur & circumplantetur, & fecerit iniqua in conspectu meo, vt non exaudiat vocem meam, poenitentiam agam pro bonis quae loquutus sum vt facerem eis, & non faciam. Et nunc dic ad viros Iuda & inhabitantes Hierusalem: Ecce ego fingo mala super vos, & cogito super vos, cogitationem. Conuertatur vnusquisque a via sua maligna, & meliores facite cogitationes vestras. Suadet ergo figulus noster a viis pessimis & cogitationibus nos malignis auerti, vt conuersio poenitentiae in aliud vas possit fracturas nostras vitiaque plasmare. Et vult operis sui substantiam non perire in poenitentiam, ne sententia reum teneat quem confelsio excusat. Huic conscia sapientia Salomonis: Sed misereris, inquit, Domine omnium, quia omnia potes, & negligis peccata hominum propter poenitentiam: Subest enim tibi cum voles posse, & cum sis omnium Dominus, omnibus te parcere facis. Conuertamur ergo & confitemur Domino, cum in hoc seculi degimus commertu, & iudici nostro poenitentiae viaticum praeparemus. Non sint temporis nostri otiosa curricula, nec nos nati ad peccandum, sed ad bene agendum conuiuamus. Aut si peccato fuerimus obnoxij, quoniam deesse non potest in hoc mundi theatro quin peccemus, reminiscamur nostri vt euadere gehennae praecipitium capiamus. Poeniteamus ergo ex fide, oremus ex corde, ploremus ex viscere. Et sicut Propheeta dicit: Adoremus & procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia qui seruit in lachrymis, in gaudio metent. Felix heu nimium felix officium lachrymarum, quo futuro tempore colliguntur praemia. Et beatum seminis incrementum quod in fletu profunditur, vt in laetitia metatur. Scriptum est enim: Felix homo qui agnoscit vlulatum suum. Leuemus oculos nostros ad montes, vnde veniet auxilium nobis: quia sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: & sicut oculi ancilla

Hier. 18.

† Fortè, illud.

ibidem.

† Poeniteamus.

* Huic conscia. Sapient. 11.

Psalm. 94.

Psalm. 120.

ad manus dominæ suae: sic & oculi nostri ad dominum Deum nostrum vsque dum misereatur nobis.

CAP. XXVIII.

NEQUE ita conuersionis nostrae consilium temporis delectationibus prolongemus, vt sub scientia peccandi & delectatione pereundi vsque ad extremam atatem nos in voraginem criminum demergamus, cum viuendi nobis vsus a diuina dignatione collatum qui terminus claudat habeatur incertum. Et forsitan hoc quod aut primum putatur, aut medium imminentis occidui meta iam limitet, sitque debitus finis indignantis Domini ex conuersionis tarditate vocatio: quandoquidem ex admonitione rumpendarum in conuersione morarum propositum videatur oraculum: Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim venit ira eius, & in tempore vindictae disperdit te. Filij, peccasti, ne adicias iterum, sed & de pristinis deputare, vt sibi dimittantur, & ne adicias peccatum super peccatum, & dicas: Misericordia Dei magna est. Misericordia enim & ira ab illo, & iterum: Nec nos vsque ad mortem fieri mancipia patiamur, & demus corpora nostra scelerum ditioe, sed obediamus Apostolo dicenti: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediat ei: vt quia peccata deesse non possunt, certe non regnent, hoc est, ne sine respectu euadendi fiat abrupta licentia peccandi. Aut certe si putat aliquis restare sibi tempus vt peccet, & satiata libidine cum iam imperassent animo corporis vires, tunc ad poenitendi redire iudicium, vltimum vitae suae mihi tempus edicat quo calculante didicerit, quo insinuante cognouerit, vt iure sibi, vt ita dicam, de temporis spatio blandiatur. At cum nobis inopinatus sit exitus terminalis, & vitae nostrae dubia sint ex mortis ignorantia curricula, quando sibi quisque superesse ad confitendum tempus existimat, qui temporis sui tempus ignorat, cum vtique audiat dicentem scripturam: Viuens & sanus fateberis & laudabis Deum, & in partem vade seculi sancti cum viuus & dantibus confessionem. Dilatio enim temporis confessionem creet & non desperationem generet, quia exaggeratur in dilato damnatio, qui diuinam patientiam pertinaci animositate cogitat, quod sancti Noe temporibus docetur effectum, cum per centum annos pertracta patientia implacabilem per mundi ambitum fudit cataclysmum inundante censura. Vnde beatus Apostolus ait: An nunquid opulentiam bonitatis eius & longam patientiam contemis, ignorans quod Dei bonitas ad poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum facta sua.

CAP. XXIX.

Volo dicas mihi, quae rerum praesentium gloria, qui sint huius temporis fructus, quae utilitas ca-

† Corporis aut
animæ, finis
salutis.

† desistit.

ducorum. Regni potentia, dixi, morte finitur, potestatis ambitio successione dirimitur, diuitiarum copia viuis nobis plerumque subtrahitur, voluptatis effectio tristitia interueniente corrumpitur, iucunditas gaudiorum metus formidine violatur, & omne quod capitur desiderio aut corpus † aut anima finis calce succiditur. Nec potest perfectum priuilegium beatitudinis obtinere, quod æternitatis nō circumuallat infinitas. Caducū enim sit neceffe est, quod indeuitabili necessitate † metitur. Obnoxium & inconstans atque infirmum proculdubio remanebit, cuius vitam nonnunquam fortuitus euentus intercipit. His ergo cunctis morte finitis, nostrum in ipsa morte quid propriū? Si nihil quod boni operis incremento conscientia subsarcinetur habebimus, & si nihil boni ex nobis habere potuimus, quid nobiscum remeantes ad patriam deferemus? Quam nuda atque deformis anima nostra remanebit, si nos eam saltem pœnitentiæ velaminibus & confessionis amictibus non obtegamus, nisi quia turpitudinem festinamus abscondere & animæ operire non contendimus nuditatem, cuius cum sit naturaliter inuisibilis pulchritudo, visibilis fiet peccatorum forde deformitas.

CAP. XXX.

ILLA sunt occupanda commercia, illę complectenda diuitiæ, illa captanda potentia quam non tēpus eripit, non locus subtrahit, non persona subducit, quæ manet statu perpetuo, quæ priuilegio seruatur æterno, quę fini non subducitur, quæ mortis iugo nec premitur nec vrgetur. Ibi enim bona tuta sunt conscientia, vbi iam non licebit post pœnitentiæ seculi mala peccare, vbi diabolo nullus accessus, vbi tenebrarum non est locus, sed neque qui decipit, neque qui decipi possit penitus inuenitur. Illie bona omnia, illic cuncta fœlicia, illic prospera vniuersa: non dies lucis incremento mutabilis, non Sol lentior in ortu, in fulgendo clarior, in occasu fuscior apparebit. Nox omnino vacabit, Luna non erit, nec siderum micatæ ardentior rutilabit. Famen nemo sentiet, lachrymæ detergentur, timor nullus, metus ex nihilo, iucunditas omnia, pax totum, gaudium quicquid obnoxium tristitiæ fuerat, possidebunt. Omnia Propheta Esaias euidenter exponit. Quæ tunc ibi gloria fœlicium, quæ supplicia miserorum, qui gemitus, quæ suspiria peccantiū, quæ beatitudo Sanctorum: his cum Deo consortium, illis donari gehennalium cruciamenta flammarum: hos incomparabili perfrui refrigerio, illos incendio indomitabili trucidari: hos paradisi fontibus nemorūque verticibus à riuulis indefessos amœnari, illos stagno ignis effluentatos, incendij atque atræ noctis tenebris obsessos pœnis inextricabilibus perurgeri: ad postremum hos bonis cœlestibus vti, illos totius gehennæ & æternæ mortis edacitate cōsumi.

CAP. XXXI.

Si nunc quantum ad secundum, quispiam paupertatis labe defectus, in promptu non habeat vnde

qualicumque victu famelicam sustentare possit esuriam, videatque alios opimis dapibus mentas onerare ac refertos epulis bibere gemma, & protrahere longè apparatus ambitione peregrinis saporibus pigmentata conuiuia, quæ putas eum ducere ab vltima viscerum parte suspiria? Quas edere intestino dolore querelas? Interdum etiā lachrymas fundere, cum paulò amplius ac magis sentiat ex desiderio inefficax desiderium. Quinam ergo tunc erunt gemitus infelicium, quod *inconsonabili luctu in illa comparatione tormētū, cum cœlestibus copiis, perennibus diuitiis perfrui fœlicium viderit agmen animarum, & se stillicidio rorantis digiti defraudari, & perferre in super inextinguibilem flammā, cum nulla spe referretur ad veniam? Solis ardorem ferre non possumus, balneares æstus minimè toleramus, sentimus incendia fornacum & longè secedimus: quis ferat fluctuantem gehennam & caminis tartareis æstuantem pati strepitum fumantis baratri; & sustinere infernarum globos tenebrarum, vbi solus auditur vlulatus ardentium, & eiulatus resonat crudeliter punitorum? Hæc oro quam fugienda sunt, quam cauenda, ac totis viribus & omni anima ac mente declinanda.

CAP. XXXII.

CVm patent igitur ianuæ veniales, cum fluctuantibus & criminum tempestate iactatis pœnitentiæ portus offertur, cum mentibus promittitur cura languentibus, & fauciatas vitalem pollicetur vltro neus artifex medicinam, cum misericordia habetur in promptu, antequam iustitia capulo tenus extrahat pugionem, sumamus arma pœnitentiæ, & iudicis rigorem satisfactionis officio mulceamus. Certum enim habet donum veniæ, qui permittit pœnitere. Nam proculdubio confiteri non finitur, cui pietas nulla seruatur. Hoc probat inueterati serpētis in ipsa origine mūdi dānatio, quem inauditū sententię fulmē excussit: & non † peroptatum absolute seueritas status sui possessione deiecit. Hoc Sodomæ & Gomorrhæ cœlesti incendio concremata perhibet regiones, erga quas ob excessum facinorū nihil reseruatū est pœnitentiæ, ne fortassis admoniti possent vltionis iustitiā declinare. Hoc Pharaonis in Exodo clamat interitus: hoc Chore, Datham & Abiron inexpertum testatur exitium: hoc Antiochi & Herodis supplicia proloquuntur: hoc Ananię & Saphiræ indicat repētina animaduersione naufragium: quos ad præsens tempus vindicta nō distulit, & negata venia seueritas comitata truncauit. Non nos imparatos dies abscissionis inueniat, nec intra castra diabolica hiemis illius aut sabbati tempus includat. Vigilemus contra hostis antiqui fraudulentas insidias & apertas minas. Erga conuersos enim acrius excitatur, & refugos suos seuerior tanquam irrisus insequitur. Tunc cum deciperet, blādimentis illexerat, nunc tentationibus & credulitatibus inquietat. Tunc fuerat vt amicus, nunc inimicus irascitur, & per casum elisum effecit cautiorem, sed elidentem aliquoties solet elisus elidere. Fugiamus pomposas illecebras mundi & ambitionibus

1. Ioan. 2.

Esa. 2.

psalm. 50.

417

nibus eius demus repudium: hoc Ioannes Apostolus persuadet, dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Siquis diligit mundum, nō est charitas Patris in eo, quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi quæ non est à patre, sed ex concupiscentiā mundi est, & mundus transibit & concupiscentia eius. Qui verò facit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum. Lauemur Baptismo pœnitentiæ vt possimus Dominum mundo corde videre. Auferamus nequitas ab animis nostris à conspectu oculorum Dei, discamus iustitiam facere, inquiramus iudicium, eripiamus iniuriam accipiētē, iudicemus pupillo, iustificemus viduam, & cum Domino disputabimus. Et si fuerint peccata nostra vt Phœnicium, vt niuem dealbabit: si autem vt coccinum, vt lanam candidam efficiet. Et quia asperget hyssopo & mundabimur, lauabit nos & super niuem candidiores erimus.

CAP. XXXIII.

TRia sunt quæ erga nos Dominus arbitrio suo constituta conseruat. Bonitatem dico, misericordiam atque iustitiam. Bonitas est qua esse iam cœpimus. Misericordia, qua ad pœnitentiam prouocamur. Iustitia, qua futuro tēpore iudicabimur. Hæc interim ordinē temporum in sese custodiunt: præteritum, præsens & futurum. Præteritum, quo Domino authore creamur & nascimur. Præses, quo

conuersi misericordiam promeremur. Futurū, quo iuxta opera nostra iustitia distribuyente munerabimur. Itaque cum misericordia regnum habemus in manibus, & in arbitrio nostro sunt posita dona pietatis: Hic purgemus conscientias nostras ab omni iniquatione, & spiritualibus nos deinceps per bonam conuersationem instrumentis aptemus. Euitemus desideria quæ militant contra animas nostras, & prophanam conscientiam nullatenus patiamur. Consequemur omnia quę ex fidē credimus, si iustis nos actibus & vita inuituperabili componamus. Mereremur remissam omnium peccatorum, resurgemus in vitam æternam in resurrectione credentium: & ne amplius loquēdi præsumat audacia, in regna cœlorum cum iustis intrabimus, cum quibus partem per pœnitentiam habere meruimus, scriptura dicente: Pœnitētibus autem dedit partē iustitiæ & corrogauit deficientes sustinere & destinauit illos in sortem veritatis. Hæc amantissime frater, quibus tecū pariter ad exercendam pœnitentiam cohortarer, quantum ex dominicis lectionibus colligere mediocritas ingenij mei potuit, exaravi. Quæ si iam vt arbitror animi studio è proprio instituto sectaris, & curribus cōfessionis infidens tendis ad veniā, accipe me tecum in hac cogitatione cōsortē, vt adiūcto communi comitatu ad metas indulgentię properemus: aut si pigritiæ inertia præpeditus pernicitatem tuā sequi non potero, memento mei, & cum præmium de Dei largitione merueris, quæso vt in orationibus tuis nulla capiaris obliuione Victoris.

Eccles. 17.

FINIS TOMI QVARTI.

S iij

Episcopi proprium munus, docere populum.	Cap. I.
Tacendo fugimus periculum, et discimus rectè dicere.	Cap. II.
Taciturnitatem moderandam esse, et quòd in ira silendum sit.	Cap. III.
Orationem non affectus promat, sed ratio. Hinc enim insidias loquenti tendit hostis invisibilis.	Cap. IIII.
Quòd etià carnales inimicos cum nos instinctu diaboli ad còvicia prouocāt, patientia superare debeamus.	Cap. V.
Exemplum patientiæ David.	Cap. VI.
Quòd psalmus 38. non solum silentij laude, sed etiam contemptu rerum valde sit mirabilis.	Cap. VII.
Quòd nomen officij non solum philosophis, sed etiam nostris vsitatum sit.	Cap. VIII.
Officij diuisio, et honestum atque utile unde metiantur Christiani.	Cap. IX.
De decore, et quòd primum officium sit linguæ moderatio.	Cap. X.
Officium omne aut medium aut perfectum esse.	Cap. XI.
Non externis sed internis et aternis bonis aestimatur felicitas.	Cap. XII.
Deum, etiam cum non putatur, regere omnia quæ creauit.	Cap. XIII.
Deum nihil præerire, et scripturarum testimoniis, et Solis comprobatur exemplo.	Cap. XIII.
His quibus displicet quòd bonis male, et malis sit bene, satisfacere debere Lazari et Pauli exempla.	Cap. XV.
Commemoratis beatitudinibus de Euang. hinc laborem dicit esse, mercedem in cælo.	Cap. XVI.
Adolescentis officia, et exempla huic ætati proposita.	Cap. XVII.
De bono verecundiæ, quòd maxime in sancta Dei eminuit genitrice, et quòd gestus exterioris hominis persæpe qualitatem interioris ostendat.	Cap. XVIII.
In omnibus actis viriliter agendum, nec quicquam affectatum aut fæmineum attentandum.	Cap. XIX.
Intemperantium hominum consortia, mulierum quoque commercia vitanda.	Cap. XX.
De iracundia in se reprimenda, et in aliis mitiganda.	Cap. XXI.
De cogitationibus et apertu, et decore sermonis in confabulando et in disceptando.	Cap. XXII.
Quòd ioca, quæ philosophi ponunt inter officia, penitus ab ecclesia sint remouenda.	Cap. XXIII.
De tribus quæ in vita actiua necessario sunt obseruanda, et quòd apertu rationi cedere còueniat.	Cap. XXIII.
Quòd virtutes quatuor principales in patribus nostris non mediocriter sint consummata.	Cap. XXV.
Quid in veritatis inuestigatione seruandum sit.	Cap. XXVI.
Quòd virtutes quatuor ita perplexæ sint, ut ab inuicem separari nequeant.	Cap. XXVII.
Primum quòd philosophi dicunt et secundum iustitiæ munus apud nos excludi, tertium verò à nostris mutuatum.	Cap. XXVIII.
Iustitiæ et fidem hostibus etiam exhibendam.	Cap. XXIX.
De beneficentia.	Cap. XXX.
De reddendo beneficio.	Cap. XXXI.
Benevolentiam liberalitate potiore esse.	Cap. XXXII.
Benevolentiam in ecclesia maxime, et earundem virtutum hominibus perseverare.	Cap. XXXIII.
Laus benevolentie.	Cap. XXXIII.
De fortitudine.	Cap. XXXV.
Fortitudinem maxime in animo et contemptu rerum constare labentium.	Cap. XXXVI.
Mala æquanimitè toleranda, et interdum etiam declinanda.	Cap. XXXVII.
Quòd prouidentia magnum munimen fortitudinis sit.	Cap. XXXVIII.
Fortitudinem aduersus omnia vitia dimicare debere.	Cap. XXXIX.
Virtutem bellicam nostris etiam non inusitatam.	Cap. XL.
Fortitudinem non solum in vincendo, sed etiam plus in tolerando constare.	Cap. XL.
Potestates non irritandas, et adulationibus non attendendum.	Cap. XLII.
De temperantia, et eius partibus.	Cap. XLIII.
Officio sibi congruo quemque studere debere.	Cap. XLIII.
De pulchro et honesto.	Cap. XLV.
Quòd pulchra et honesta sint naturalia, turpia vero contra naturam.	Cap. XLVI.
Quarum passionum restrictione pulchrum illud possit acquiri.	Cap. XLVII.
De tribus generibus hominum iniurias accipientium.	Cap. XLVIII.
De vanitate calcanda.	Cap. XLIX.
Quòd officiorum gratia ministros altaris maxime deceat.	Cap. L.




DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS OFFICIORVM

LIBER PRIMVS.

Episcopi proprium munus, docere populum.
CAP. I.



NON arrogans videri arbitrator, si inter filios suscipiam affectum docendi, cum ipse humilitatis magister dixerit: Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos. In quo licet et humilitatem verecundiæ eius inspectare, et gratiã. Dicendo enim, timorem Domini qui communis videtur esse omnibus, expressit insigne documentum verecundiæ. Et tamen cum ipse timor initium sapientiæ sit, et effector beatitudinis, quoniam timentes Deum beati sunt: præceptorem se sapientiæ edocenda, et demonstratorem beatitudinis adipiscenda, * euidenter significauit. Et nos ergo ad imitandam verecundiam seduli, ad conferendam gratiam non vsurpatores, quæ illi spiritus infudit sapientiæ, ea per illu nobis manifestata, et t vfu comperta atque exemplo, vobis quasi liberis tradimus, cum iam effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotij necessitudo. Dedit enim Deus quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem * pastores et doctores. Nō igitur mihi apostolorum gloriã vindico. Quis enim hoc, nisi quos ipse filius elegit Dei? Non prophetarum gratiam, non t virtutem euangelistarum, non pastorum circumspectionem, sed tantummodo intentionem et diligentiam circa scripturas diuinas opto assequi, quam vltimam posuit Apostolus inter officia sanctorum, et hanc ipsam, vt docendi studio possim discere. Vnus enim verus magister est, qui solus non didicit quod * omnes doceret. Homines autem discunt prius quod doceant, et ab illo accipiunt quod aliis tradant. Quod ne ipsum quidem mihi accidit. Ego enim raptus * de tribunalibus atque administrationis infulis ad sacerdotium, docere vos cœpi quod ipse nō didici. Itaque factum est vt prius docere inciperem, quàm discere. Discendū igitur mihi simul & docendum est, quoniam non * vacui ante discere. Et quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non egeat dum viuat.

Tacendo fugimus periculum, et discimus rectè dicere.

CAP. II.

Ambr. tom. 5.

Quid autem præ cæteris debemus dicere quàm tacere, vt possimus loqui, ne prius me vox condemnnet mea, quàm absoluat aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus est igitur vt properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quæquam tacendo. Ideoque tacere nosse quàm loqui, difficilius est. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi loqui nihil proficit. Sapiens est ergo qui nouit tacere. Denique sapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguam eruditionis, vt sciam quando oporteat sermonem dicere. Meritò ergo sapiens, qui a domino accepit quo tempore sibi loquendum sit. Vnde bene ait scriptura: Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. Idco sancti Domini qui sciebant quia vox hominis plerumque peccati * annuncia est, et initium erroris humani sermo est hominis, amabant tacere. Denique sanctus Domini ait: Dixi, custodiã vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Sciebat enim & legerat diuinæ esse protectionis, vt homo à linguæ suæ flagello absconderetur, & à conscientie suæ testimonio. Verberamur enim tacito cogitationis nostræ opproprio, & iudicio conscientie: verberamur etiam vocis nostræ verberare, cum loquimur ea quorum sono cæditur animus noster, & mēs cõfauciatur. Quis enim est qui mundum cor à peccatorum habeat colluione, aut non delinquat in lingua sua? Et ideo quia neminẽ sciebat castum os seruare posse ab immunditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentie, vt tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Audiamus ergo cautionis magistrum: Dixi, custodiã vias meas: Hoc est, tacito cogitationis præcepto indixi mihi vt custodirem vias meas. Aliæ sunt viæ quas debemus sequi, aliæ quas custodire. Sequi vias Domini, nostras custodire, ne in culpã dirigatur. Potes autem custodire, si non citò loquaris. Lex dicit: Audi Israel Dominum Deum tuum. Non dicit loquere, sed audi. Ideo Eua lapsa est, quia locuta est viro quod non audierat à Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi: Audi. Si audias, custodis vias tuas: & si lapsus es, citò corrige. In quo enim corrigit iunior viam suam, nisi in custodiendo verba Domini? Tace ergo prius, & audi, & non delinques in lingua tua. Graue malum, vt aliquis ore suo condemnnetur. Etenim si pro ocioso verbo reddet vnusquisque rationem: quantò magis pro verbo impu-

S iij

ritatis & turpitudinis? Grauiora sunt enim verba G precipitationis, quam ociofa. Ergo si pro ociofo ver bo ratio poscitur: quanto magis pro sermone im pietatis poena exoluitur?

Taciturnitatem moderandam esse, & quod in ira silendū sit. CAP. III.

dita fit. Restringatur habenæ vinculis, franos ha beat suos, quibus reuocari possit. Ad mēsuram ser mones proferat libra examinatos iustitig, vt sit gra uitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.

Orationē non affectus promat, sed ratio. Hinc enim insidias loquenti tendit hostis invisibilis. CAP. IIII.

Quid igitur? Mutos nos esse oportet? Minimè. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde si pro ociofo * verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus & pro ociofo silentio. Est enim magnum & negociosum silentium, vt erat Su fannæ, quæ plus egit tacendo, quam si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo. Nec vllum maius indicium suæ castitatis inuenit, quam silentium. Conscientia loquebatur vbi vox non au diebatur: nec quærebat pro se hominum iudicium, quæ habebat Domini testimonium. Ab illo igitur volebat absolui, quæ sciebat nullo modo posse fal li. Ipse Dominus in euangelio tacens operabatur sal utem * hominum. Rectè ergo Dauid non silentiū sibi indixit perpetuum, sed custodiā. Custodiamus ergo cor nostrū, custodiamus os nostrū. Vtrumque enim scriptū est hīc, vt os custodiamus. Alibi tibi di citur: *Omni custodia serua cor tuū. Si custodiebat Dauid, tu nō custodies? Si immunda labia habebat Esaias, qui dixit: O miser ego, quoniam cōpunctus sum, quia cūm sim homo, & immunda labia habeā: si, inquam, propheta Domini immunda habebat labia, quomodo nos munda habemus? Et cui, nisi vniciuque nostrum scriptum est: Sepi possessionem tuā spinis, & aurum & argentū tuū alliga, & ori tuo fac ostiū & vectē, & verbis tuis iugū & statera? Pos sessio tua, mens tua est. Aurum tuum, cor tuum est. Argentū tuum, eloquium tuum est. Eloquia Domini, eloquia casta, argentū igne examinatum. Bona etiā possessio, mens bona. Denique possessio † preciofa, homo mundus. Sepi ergo hanc possessionem, & circunvallato cogitationibus, munito * spinis sollicitudinibus, ne in eam irruant & captiuā ducant ir rationabiles corporis passiones, ne incurserint motus graues, ne * diripiant vindemiam eius transeuntes viam. Custodi interiorem hominē tuum. Noli eum quasi vilē negligere ac fastidire, quia preciofa pos sessio est. Et meritō preciofa, cuius fructus nō caducus & tēporalis, sed stabilis atque aternæ salutis est. Cole ergo possessionē tuam, vt sint tibi agri. Alliga sermonē tuū, ne luxuriet, ne lasciuiat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coer ceatur. Cito lutum colligit amnis exundans. Alliga sensum tuū, * non sit remissus ac defluus, ne dicatur de te: Non est malagma ponere, * neque oleum, ne que alligaturam. Habet suas habenas mētis sobriet as, quibus regitur & gubernatur. Sit ori tuo ostiū, vt claudatur vbi oportet: & obseretur diligētius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependans contumeliæ. Audisti hodie lectum: Irascimini, & nolite peccare. Ergo & si irasci mur, quia affectus naturæ est, non potestatis: malū sermonem nō proferamus de ore nostro, ne in culpam ruamus. Sed iugū sit verbis tuis & statera, hoc est, humilitas atque mēsurā, vt lingua tua mēti sub-*

Eccles. 3. Sermone.

Daniel. 13.

Omniū.

Prover. 4. Esai. 6.

Eccles. 28.

Psal. 11.

† Bona.

Pis solici tudinibus.

* Dirumpat.

* ne.

Esai. 1. Apponere.

Psal. 4.

Hæc si custodiat aliquis, fit mitis, mansuetus, modestus. Custodiendo enim * os suū, retinēdo linguam suam, nec prius loquendo quam interro get, & expendat, atque examinet verba sua, si dicendum hoc, si dicendum aduersus hunc, si tempus sermonis sit huius, is profectō exercet mode stiam, ac mansuetudinem, & patientiam: vt non ex indignatione & ira in sermonem erumpat, non ali cuius passionis indicium det in verbis suis, non ardorem libidinis flammare in sermone suo indicet, & inesse dictis suis stimulos iracundiæ: postremō ne sermo qui commendare interiora debet, vitium ali quod esse in moribus aperiat & prodat. Tunc enim maximè insidiatur aduersarius, quando videt nobis passiones aliquas generari: tunc fomites mouet, la queos parat. Vnde nō immeritō (sicut audistis hodie legi) Propheta dicit: Quia ipse liberauit me de la queo venantium, & a verbo aspero. Symmachus ir ritationis verbū dixit, alij perturbationis. Laqueus aduersarij est sermo noster, sed etiā ipse nō minus ad uersarius est nobis. Loquimur plerumque quod ex cipiatur inimicus, & quasi nostro gladio nos vulneret. Quantō tolerabilius est, alieno gladio quam nostro perire? Explorat ergo aduersarius nostra arma, & cō cutit sua tela. Si viderit moueri me, inserit aculeos suos, vt seminaria iurgiorū excitet. Si emisero ver bum indecorum, laqueum suum stringit. Interdum mihi quasi escam proponit vindictæ possibilitatem, vt dum vindicare cupio, ipse me inferam laqueo, & nodum mortis astringam mihi. Si quis ergo hunc aduersarium sentit præsentem esse, tunc magis cus todiā adhibere debet ori suo, ne det locum aduer sario. Sed non multi hunc vident. Sed etiam ille cauendus est, qui videri potest, quicumque irritat, quicumque incitat, quicumque exasperat, quicumque incentiuus luxuriæ aut libidinis suggerit.

Quod etiam carnales inimicos cūm nos instinetus diaboli ad conuicia prouocant, patientia superare debeamus. Huius rei exemplum inducitur Dauid laceffitus a Semei. CAP. V.

Qvando ergo aliquis nobis conuiciatur, laceffit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non e rubescamus. Peccator est enim qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? Loquere si audes. Sed non audes: mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur, vitium sese putat, irrisum, posthabitu, atque illu sum. Si respondeas, superiorem se factum arbitra tur, quia parem inuenit. Si enim taceas, dicitur: Il le conuiciatus est huic, contempsit iste. Si referas

Cor.

Psal. 91. Symmachus.

Psal. 38.

1. Reg. 16.

contu-

contumeliam, dicitur: Ambo conuicati sunt. V- A terque condemnatur, nemo absoluitur. Ergo illius est studium, vt irritet, vt similia illi loquar, similia agā. Iustus est autē dissimulare, nihil loqui, tenere bonæ fructū conscientia, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentia, contentū esse grauitate morū suorū. Hoc est enim filere a bonis, quia bene sibi cōscius, falsis non debet moueri, nec æstimare plus ponderis in alieno esse cōuitio, quam in suo testimonio. Ita fit, vt etiā humilitatem custo diat. Si autē nōlit humilior videri, talia tractat, & di cit ipse secum: Hic ergo me contemnat, & in conspectu meo loquatur talia aduersum me, quasi non possim ego ei aperire os meum? Cur non etiam ego dicam, In quibus eum mœstificare possim? Hic er go mihi iniurias faciat, quasi vir non sim, quasi vindicare me non possim? Hic me criminetur, quasi ego non possim grauiora in eum componere? Qui ta lia dicit, non est mitis atque humilis, non est sine tē tatione. Tantator eum exagitat, ipse ei tales opinio nes inserit. Pierunque adhibet hominem atque ap ponit nequam spiritus qui hæc illi dicat. Sed tu im petra fixum vestigium tene. Et si seruus conuictum dicat, iustus tacet. Et si infirmus cōtumeliam faciat, iustus tacet. Et si pauper criminetur, iustus non respōdet. Hæc sunt arma iusti, vt * cedēdo vincat. Si cut periti iaculandi cedentes solent vincere, & fu gientes grauioribus sequentem vulnerare icibus.

Exemplum patientiæ Dauid. CAP. VI.

Quid enim est opus moueri, cūm audimus con uictia? Cur non imitamur dicentem: Obmutui, & humiliatus sum, & filii a bonis? An hoc dixit tā tūmodo, non etiā fecit Dauid? Imō & fecit. Nā cūm ei cōuitiaretur Semei filius Gemini, tacebat Dauid: & quamuis leptus armatis, non retorquebat conuictum, non vltionem quærebat, eoque vt dicente sibi Saruizæ filio quod vindicare in eū vellet, nō per miserit. Ibat ergo tanquam mutus & humiliatus, i bat tacēs: nec mouebatur, cūm vir appellaretur san guinis, qui erat conscius propriae māfuetudinis. Nō ergo mouebatur conuictis, cui abundabat bonorū operum conscientia. Itaque is qui citō iniuria mo uetur, facit se dignū videri contumelia, dum vult ea indignus probari. Melior est itaque qui contemnit iniuriā, quam qui dolet. Qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit: qui autem dolet, quasi sen serit torquetur.

Quod psalmustrigesimo et auus non solum silentij laude, sed etiā contemptu rerum valde sit mirabilis. CAP. VII.

Neque improvidè ad vos filios meos scribēs, hu ius psalmi prooemio vsus sum, quem psalmum propheta Dauid sancto Idithum canendū dedit. Ego vobis tenēdū suadeo, delectatus eius sensu pro fundo & virtute sententiarum. Aduertimus enim ex his quæ breuiter libauimus, & si cōdi patientiam, & opportunitatē loquēdi, & in posterioribus con temptum diuitiarum, quæ maxima virtutum fun damenta sunt, hoc psalmo doceri. Dū igitur hunc psalmum considero, succēssit animo de officiis scri-

bere. De quibus etiā si quidā philosophiæ studētē scripserunt, vt Panætius & filius eius apud Græcos, Tullius apud Latinos, non alienū duxi a nostro mu nere, vt & ipse scriberem. Et sicut Tullius ad crudi cūdum filium, ita ego quoque ad vos informandos fi lios meos. Neque enim minus vos diligo quos in Euāgelio genui, quam si coniugio suscepissem. Nō enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia. Plus certè diligere debemus quos perpetuō nobiscum putamus futuros, quam quos in hoc tan tūm seculo. Illi degeneres nascuntur frequēter, qui dedeçant patrem: vos autē elegimus vt diligamus. Itaque illi necessitate diliguntur, quæ non satis ido nea atque diuturna est ad perpetuitatem diligendi magistra: vos iudicio, quo magnum charitati pon dū ad vim diligendi adiungitur, probare quos dili gas, & diligere quos elegeris.

Quod nomen officij, non solum philosophis, sed etiam nostris vfitatum sit. CAP. VIII.

Ergo quoniam personæ conueniunt, videamus vtrum res ipsa conueniat scribere de officiis, & vtrum hoc nomen philosophorū tantūmodo scho læ aptum sit, an etiam in scripturis reperiat diuini. Pulchrè itaque dum legimus hodie euāgelium (quasi adhortaretur ad scribēdum Spiritus sanctus) obtulit nobis lectionem, qua confirmaremur etiam in nobis officium dici posse. Nam cūm Zacharias sa cerdos obmutuisset in templo, & loqui non posset, factum est, inquit, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domū suā. Legimus igitur officiū dici a nobis posse. Nec ratio ipsa abhorret, quādoquidē offi cium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium: sed propter decorē sermonis vna immutata litera, officium nuncupari. Vel certè, vt ea agas, quæ nulli officiant, prosint omnibus.

Officij diuisio, & honestum atque vtile vnde metiantur Christiani. CAP. IX.

Officia autē ab honesto & utili duci existimaue rūt, & de iis duob' eligere quid præstet. Deinde incidere vt duo cōcurrant honesta, & duo vtilia, & quæratur quid honestius, & quid vtilius. Primū igitur in tres partes officium diuiditur, honestum & v tile, & quid præstātius. Deinde hæc tria in quinque genera diuiserunt: in duo honesta, & duo vtilia, & eligendi iudiciū. Prima igitur pertinere dicūt ad deus honestatēque vitæ. Secunda ad vitæ commo da, copias, opes, facultates. De iis eligendi subesse iudiciū. Hæc illi: nos autem nihil omnino nisi quod deceat & honestum sit, futurorū magis quam præ sentij metimur formula: nihilque vtile, nisi quod ad vitæ illius aternæ prosit gratiam definimus, non quod ad delectationem præsentis. Neque aliqua cō moda in facultatibus & copiis opum cōstituimus, sed incōmoda hæc putamus, si non reiiciantur, eā que oneri magis cūm sint æstimari, quam di spēdio cūm erogantur. Non superfluum igitur scriptionis nostræ est opus, quia officium diuersa æstimamus regula, atque illi æstimauerunt. Illi seculi commoda in bonis ducunt, nos hæc etiam in detrimētis: quo-

Panætius Cicero.

Luc. 11.

officiū vtilitatis.

Inc. 16

niam qui hinc recipit bona, ut ille diues, illic cruciatur, & Lazarus qui mala hinc pertulit, illic consolationem inuenit. Deinde qui illa non legunt, nostra legent si volent, qui non sermonum supellectilem, neque arte dicendi, sed simpliciter rerum exquirunt gratiam.

De decore, & quod primum officium sit lingue moderatio.

CAP. X.

Decorum autem in nostris scripturis primo constitui loco (quod Græcè πρῶτον dicitur) instrui-mur & docemur, & legentes: Te decet hymnus Deus in Sion. Vel Græcè σοὶ τῷ πρῶτῳ ὁ θεὸς εὐσιδῶν. Et Apostolus ait: Loquere quæ decent sanam doctrinam. Et alibi: Decebat autem eum per omnia, & propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducere salutis eorum per passionem consummari. Nūquid prior Panætius, nunquid Aristoteles, qui & ipse disputauit de officio, quæ Dauid: cum & ipse Pythagoras qui legitur Socrate antiquior, prophetam secutus Dauid, legem silentij dederit suis? Sed ille, ut per quinquennium discipulis vsu inhiberet loquendi: Dauid autem non ut naturæ munus imminueret, sed ut custodiam proferendi sermonis doceret. Et Pythagoras quidem, ut non loquendo loqui doceret: Dauid, ut loquendo magis disceremus loqui. Quomodo enim sine exercitio doctrina, aut sine vsu profectus? Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu positus præludit prælium, & velut coramposito præterit hoste: atque ad peritiam viris que iaculandi, vel suos explorat lacertos, vel aduersariorum declinat ictus, & vigilanti exit obtutu. Qui nauim in mari regere gubernaculis studet, vel remis ducere, prius in fluuio præludit. Qui canendi suauitatem & vocis affectant præstantiam, prius sensim canendo vocem excitant. Et qui viribus corporis legitimoque luctu certamine coronam petunt, quotidiano vsu palestra durantes membra, nutriendas patientiam, laborem assuescunt. Necnon ipsa natura nos in paruulis docet, quod prius sonos meditantur loquendi, ut loqui discant. Itaque sonus, exercitatio quædam & palestra vocis est. Ita ergo qui volunt discere cautionem loquendi, quod naturæ est non negent, quod custodiæ est exerceant: ut qui in specula sunt, speculando intendant, non dormiendo. Omnis enim res propriis ac domesticis exercitiis augetur. Ergo Dauid tacebat, non semper, sed pro tempore: non iugiter neque omnibus, sed irritanti aduersario, prouocanti peccatori non respondebat. Et sicut alibi ait: Loquentes vanitatem & cogitantes dolum, non audiebat quasi surdus, & quasi mutus non aperiebat illis os suum. Quia & alibi habes: Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis illi fias. Primum igitur officium est, loquendi modus. Hoc sacrificium laudis Deo dependitur, hoc reuerentia exhibetur, cum scripturæ diuinæ leguntur, hoc honorantur parætes. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi non proficit loqui. Sapiens ut loquatur, multiprius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est ergo & tacendi & loquendi modus. Est etiam facti modus. Pulchrum est igitur tenere mensuram officij.

Psal. 54. Titum. 2. Hebr. 2.

Pythagoras Socrate antiquior. Psal. 38.

Psal. 37.

Prover. 26. Loquendi modus officium primum.

* In factis. Eccl. 3.

Officium omne, aut medium, aut perfectum esse.

CAP. XI.

Officium autem omne, aut medium, aut perfectum est: quod æquè scripturarum autoritate probare possumus. Habemus etenim in euangelio dixisse Dominum: Si vis in vitam æternam venire, serua mandata. Dicit ille: Quæ? Iesus autem dixit illi: Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimoniū dices, Honora patrem & matrem. Et diliges proximum tuum sicut teipsum. Hæc sunt media officia, quibus aliquid deest. Denique dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende bona tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. Et supra habes scriptum, vbi diligendos inimicos, & orandum dicit pro calumniantibus & persequentibus nos, & benedicere maledicentibus. Hoc nos facere debemus, si volumus perfecti esse, sicut pater noster qui in cælo est, qui super bonos & malos solem suum iubet radios suos effundere, & pluuia & rore terras vniuersarum sine vlla discretionem pinguescere. Hoc est igitur perfectum officium quod Græcè τελειότητα dixerunt Græci, quo corriguntur omnia, quæ aliquos potuerunt lapsus habere. Bona etiam misericordia, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum patrem. Nihil tam commendat Christianam animam, quàm misericordia. Primum in pauperes, ut communes iudices partus naturæ, quæ omnibus ad vsu generat fructus terrarum: ut quod habes, largiaris pauperi, & consortem & conformem tuum adiuues. Tu nūmum largiris, ille vitam accipit. Tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat. Tuus denarius cæsus illius est. Ad hæc plus ille tibi confert, cum sit debitor salutis. Si nudum vestias, teipsum induis iustitiam. Si peregrinum subtectum inducas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquirat sanctorum amicitias & æterna tabernacula. Non mediocris ista gratia. Corporalia seminas, & recipis spiritualia. Miraris iudicium Domini de sancto Iob: mirare virtutem eius, qui poterat dicere: Oculum eorum cæcorum, & pes claudorum. Ego eram infirmorum pater, velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus: ostium meum omni venienti patebat. Beatus planè, de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exiuit. Neque enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. In die iudicij habebit salutem à Domino, quem habebit suæ debitoris misericordiam.

Non externis, sed internis et æternis bonis æstimatur felicitas.

CAP. XII.

Sed plerique reuocantur ab officio dispensatricis misericordiam, dum putant hominis actus non curare Dominum, aut nescire eum quid in occultis geramus, quid teneat nostra conscientia: aut iudicium eius nequaquam iustum videri, quando peccatores diuitiis abundare vident, gaudere honoribus.

ribus, sanitate, liberis: contra autem iustos inopes degere, inhonoros, sine liberis, infirmos, corpore, luctu frequenti. Nec mediocris ea quaestio, quando quidem tres illi reges amici Iob, propterea eum peccatorem pronūciabant, quia inopem factum ex diuite, orbatum liberis ex fecundo parente, perfusum vlcibus, inhorrentem vibicibus, exaratum vlcibus à capite vsque ad pedes videbant. Quibus hanc sanctus Iob proponit assertionem: Si ego propter peccata mea hæc patior, cur impij viuunt? Inueterauerunt autem, & in diuitiis semen eorum secundum voluntatem, filij eorum in oculis, domus eorum abundant, timor nusquam, flagellum autem à Domino non est in ipsis. Hæc vidēs infirmus corde exagitat, & studium auertit suum. Cuius dicturus sermones, antè sanctus præmisit Iob, dicens: Portate me, ego autem loquar, deinde ridete me. Nam & si arguor, quasi homo arguor. Portate ergo onus sermonum meorum. Dicitur enim sum, quod non probo, sed ad vos redarguendos proferam sermones iniquos. Aut certè, quia ita est versus. Quid autem? Nunquid ab homine arguor? hoc est, homo me non potest redarguere, quia peccaui, & si argui dignus sum: quia non ex euidenti culpa me arguitis, sed ex iniuriis æstimatis merita delictorum. Videns ergo infirmus abundare iniustos successibus prosperis, se autem atteri, dicit Domino: Discede à me, vias tuas scire nolo. Quid prodest, quia seruumus es? Aut quæ utilitas, quia occurrimus ipsi? In manibus eorum omnia bona, opera autem impiorum non videt. Laudatur in Platone, quod in Politia sua posuit eum, qui contra iustitiam disputandi partes receperat, postulare veniam dictorum quæ non probaret, & veri inueniendi atque examinanda disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eoque Tullius probauit, ut ipse in libris quos scripsit de Republica, eam sententiam dicendam putauerit. Quanto antiquior illis Iob, qui hæc primus reperit? Nec eloquentiæ phalerandæ gratia sed veritatis probandæ præmittenda æstimauit. Statimque ipse quaestionem enodem reddidit, subiiciens, quod extinguat lucerna impiorum, & futura sit eorum euerfio. Non falli Deum doctorem sapientiæ & disciplinæ, sed esse veritatis iudicem. Et ideo non secundum forensam abundantiam æstimandam beatitudinem singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium, & flagitiosorum merita discernit, vera atque incorrupta pœnarum præmiorumque arbitra. Moritur innocens in potestate simplicitatis suæ, in abundantia propriæ voluntatis, sicut adipe repletam animam gerens. At verò peccator quamuis foris abundet, & delitiis diffluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit, & vltimum diem claudit, nihil secum eorum quæ epulatus fuerat referens, bonorum nihil secum auferens, nisi precia scelerum suorum. Hæc cogitans, nega, si potes, diuini esse iudicij remunerationem. Ille suo affectu beatus, hic miser: ille suo iudicio absolutus, hic reus: ille in exitu lætus, hic mœrens. Cui absolui potest qui nec sibi innocens est? Dicite, inquit, mihi vbi est protectio tabernaculorum eius? Signum eius non inuenietur. Vita etenim facinorosi, ut somnium. Aperuit ocu-

los, transfuit requies eius, euauit delectatio: licet ipsa quæ videtur etiam dum viuunt, impiorum requies in inferno sit. Viuentes enim in inferna descendunt. Vides conuiuium peccatoris, interroga eius conscientiam. Nonne grauius omnibus foetet sepulchris? Intueris lætitiā eius, & salubritatem miraris corporis, filiorum atque opum abundantiam. Introspecte vlcera & vibices animæ eius, cordisque mœstitudinem. Nā de opibus quid loquar, cum legeris: Quia non in abundantia est vita eius, cum scias quia & si tibi videatur diues, sibi pauper sit, & tuum iudicium suo refellat? De multitudine quoque filiorum, & de indolentia quid loquar, cum se ipse lugeat, & sine hærede futurum iudicet, cum imitatores sui successores suos esse nolit: Nulla enim hæreditas peccatoris. Ergo impius ipse sibi pœna est, iustus autem ipse sibi gloria. Et vtrique aut bonorum aut malorum operum merces ex seipso soluitur.

Psal. 54.

Deum, etiam cum non putatur, regere omnia quæ creauit.

CAP. XIII.

Sed reuertamur ad propositum, ne diuisionem factam præteruisse videamur, quia occurrimus opinioni eorum qui videntes sceleratos quosque diuites, lætos, honoratos, potentes, cum plerique iustorum egeant, atque infirmi sint, putant vel nihil Deum curare de nobis, ut Epicurei dicunt, vel nescire actus hominum, ut flagitiosi putant: vel si scit omnia, inquam esse iudicem, ut bonos egere patiat, abundare improbos. Nec superfluum velut quidam excursus fuit, ut opinioni huiusmodi ipsorum affectus responderet quos beatos iudicant, cum ipsi se miseros putent. Arbitratus enim sum, quod ipsi sibi facilius quàm nobis crediderint. Quo decurso, procliuè æstimo, ut refellam cætera. Et primò eorum assertionem, qui Deum putant curam mundi nequaquam habere, sicut Aristoteles asserit, vsque ad lunam eius descendere prouidentiam. Et quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat & destituat, quod ipse condendum putauit? Si iniuria est regere, nonne est maior iniuria fecisse: cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit: non curare quod feceris, summa inclementia? Quod si aut Deum creatorè suum obnegant, aut ferarum & bestiarum se haberi numero censent, quid de illis dicamus, qui hac se condemnant iniuria, ut omnia Deum ire ipsi asserant, & omnia in virtute eius consistere, vim & maiestatem eius per omnia elementa penetrare, terras, cælum maria: & putant iniuriam eius, si mentem hominis, qua nihil nobis ipse præstantius dedit, penetret, & diuinæ maiestatis ingrediatur scientia? Sed horum magistrum velut ebrium, & voluptatis patronum, ipsi qui putantur sobrij irident philosophi. Nā de Aristotelis opinione quid loquar, qui putat Deum suis contentum esse finibus, & præscripto regni modo degere, ut poetarum loquuntur fabulæ, qui mundum in tres ferunt esse diuisum, ut alij cælum, alij mare, alij inferna coercenda imperij sorte obuenerint, eosque cauere, ne vsurpata alienarum partium sollicitudine, inter se bellum

excitent. Similiter ergo afferit, quod terrarum curam non habeat, sicut maris vel inferni non habet: Et quomodo ipsi excludunt, quos sequuntur poetas.

Deum nihil præterire & scripturarum testimoniis, & Solis comprobatur exemplo qui licet creatura sit, tamen vel lumine, vel calore cuncta penetrat.

CAP. XIII.

Sequitur illa responsio, vtrum Deum, si operis sui cura non præterierit, prætereat scientia. Ergo qui plantavit aurem, non audit? qui finxit oculum, non videt, non considerat: Non præterit hæc vana opinio sanctos prophetas. Denique Dauid inducit eos loquentes, quos superbia inflatos asserit. Quid enim tam superbum, quam cum ipsi sub peccato sint, alios indignè ferant peccatores vivere, dicentes: Vsq̄quo peccatores Domine, vsq̄quo peccatores gloriabuntur? Et infrà: Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Quibus respondet Propheta, dicens: intelligite nunc incipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audit? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Qui ea quæ vana sunt deprehendit, ea quæ facta sunt nescit, & ignorat quod ipse fecit? Potest opus suum ignorare artifex? Homo est, & in opere suo latentia deprehendit, & Deus opus suum nescit? Altius ergo profundum in opere quam in authore. Et fecit aliquid quod supra se esset, cuius meritum ignoraret author, cuius affectum nesciret arbiter? Hæc illis. Ceterum nobis satis est ipsius testimonium qui ait: Ego sum scrutans corda & renes. Et in euangelio quod ait Dominus Iesus: Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Sciebat enim quod cogitarent mala. Denique euangelista testatur, dicēs: Sciebat enim Iesus cogitationes eorum. Quorum non poterit factis mouere opinio, si facta eorum cōsideremus. Nolunt supra se esse iudicem, quem nihil fallat. Nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi. Sed etiam Dominus sciens opera eorum, tradidit eos in tenebras. In nocte, inquit, erit fur. Et oculus adulteri seruabit tenebras, dicens: Non considerabit me oculus, & latibulum personæ opposuit suæ. Omnis enim qui lucem fugit, diligit tenebras, studens latere: cum Deum latere non possit, qui intra profundum abyssi, & intra hominum mentes, non solum tractata, sed etiam voluenda cognoscit. Denique & ille qui dicit in ecclesiastico: Quis videt me? & tenebræ cooperiunt me, & parietes, quem vereor? quamuis in lecto suo positus hæc cogitet, vbi non putauerit comprehenditur. Et erit, inquit, dedecus, quod non intellexerit timorem Dei. Quid autem tam stolidum quam putare, quod Deū quicquam prætereat: cum sol qui minister luminis est, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus vel secreta cōclauia vis caloris eius irrumpat? Quis negat verna temperie tepesieri interiora terrarū, quas glacies hiberna constrinxerit? Norunt ergo arborū occulta vim caloris vel frigoris, adeo vt radices ar-

borum aut vrantur frigore, aut fotu solis virecant. Denique vbi clementia cœli arriserit, varios terra se fundit in fructus. Si igitur radius solis fundit lumen suum super omnem terram, & in ea quæ clausa sunt se inserit, nec vestibus ferreis aut grauiū valuarum obicibus, quo minus penetrat impeditur: quomodo non potest intelligibilis Dei splendor in cogitationes hominum & corda semet (quæ ipse creauit) inserere? sed ea quæ ipse fecit, non videt, & fecit vt meliora sint quæ facta sunt, & potentiora quam ipse est qui ea fecit, vt possint quando volunt cognitionem sui operatoris latere? Tātam ergo virtutem & potestatem inseruit mentibus nostris, vt eam comprehendere cum velit ipse non possit?

His quibus displicet quod bonis malè, & malis sit bene, satis facere debere Lazari & Pauli exempla. CAP. XV.

Dvo absoluimus, & vt arbitramur nõ incōgruè nobis huiusmodi cecidit disputatio. Tertiu genū quæstionis residet huiusmodi: Cur peccatores abundent opibus & diuitiis, epulentur iugiter, sine mœrore, sine luctu, iusti autem egeant, & afficiantur aut coniugum amissione, aut liberorum. Quibus satisfacere debuit illa euangelij parabola, quod diues bysso & purpura induebatur, & epulas copiosas exhibebat quotidie: pauper autem plenus vlceribus de mēsa eius colligebat reliquias. Post obitum verò vtriusque, pauper erat in sinu Abrahæ requiem habens, diues in suppliciis. Nōne euidentis est, meritum aut præmia aut supplicia post mortem manere? Et rectè, quia in certamine labor est, post certamen aliis victoria, aliis ignominia. Nunquid priusquam cursus conficiatur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? Merito Paulus certamen, inquit, bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruauit: * quod reliquum, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. In illa, inquit, die reddet, non hic. Hic autem in laboribus, in periculis, in naufragiis, quasi athleta bonus decertabat: quia sciebat, quoniam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ergo non potest quis præmium accipere, nisi legitime certauerit. Nec est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina.

Commemoratis beatitudinibus de euangelio, hic laborem dicit esse, mercedem in cœlo, ponens exemplum athletarum & spectatorum. CAP. XVI.

Nōne iniustus est, qui antè quærat præmium quam certamen fuerit absolutū? Ideoq; Dominus in euangelio ait: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cœlorū. Non dixit, Beati diuites, sed pauperes. Inde incipit beatitudo iudicio diuino, vbi æterna estimatur humano. Beati qui esuriunt, quia ipsi saturabuntur. Beati qui lugent, quoniam ipsi cōsolationē habebunt. Beati misericordes, quoniam ipsis miseretur Deus. Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnū cœlorū, Beati estis, cum vobis maledicent homines & persequentur,

& persequentur, & dicent omne malum aduersum vos, propter iustitiam. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Futuram, non presentem: in cœlo, non in terra: mercedem promisit esse reddendam. Quid alibi poscis, quod alibi debetur? Quid præproperè coronam exigis, antequam vincas? Quid detergere puluerem? quid requiescere cupis? Quid epulari gestis antequam stadium soluatur? Adhuc populus spectat, adhuc athlete in stemmate sunt, & tu iam ocium petis? Sed fortè dicas: Cur impij lætantur? Cur luxuriantur? Cur etiam ipsi non mecum laborant? Quoniam qui non subscripserint ad coronam, non tenentur ad laborē certaminis. Qui in stadium non descenderint, non se perfundunt oleo, non obliniunt puluere. Quos manet gloria, expectat iniuria. Vnguentati spectare solent, non decertare: non solem, æstus, puluerem, imbrēque perpeti. Dicant ergo & ipsis athlete: Venite, nobiscum laborate. Sed respondebunt spectatores: Nos hic interim de vobis iudicamus, vos autem sine nobis coronæ (si viceritis) gloriam vindicabit. Isti igitur qui in delitiis, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus, studia posuerunt sua, spectatores magis quam præliatores sunt. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Fouent ocium, astutia & improbitate aggerant diuitiarum acervos, sed exoluent (seram licet) nequitie suæ pœnam. Horum requies in inferno, tua verò in cœlo. Horum domus in sepulchro, tua in paradiso. Vnde pulchrè, vigilare eos in tumulo Iob dixit: quia soporem quietis habere non possunt, quem ille dormiuit, qui resurrexit. Noli igitur vt paruulus sapere, vt paruulus loqui, vt paruulus cogitare, vt paruulus, vt vendicare ea quæ sunt posterioris ætatis. Perfectorum est corona. Expecta, vt veniat quod perfectū est, quando non per speciem & in ænigmatē, sed facie ad faciem formam ipsam redoptatæ veritatis possis cognoscere. Tunc qua causa ille diues fuerit, qui erat improbus & raptor alieni, qua causa potens alius, qua causa ille abundauerit liberis, ille fultus honoribus: reuelabitur. Fortasse vt dicatur raptori, diues eras, qua causa aliena rapiebas? Egestas non compulit, inopia non coegit. Nōne ideo te diuitem feci, vt excusationem habere non possis. Dicatur etiam potenti: Cur non affuisti viduæ, orphanis quoque iniuriam patietibus? Nunquid tu infirmus eras: Nunquid non poteris subuenire? Ideo te feci potentem, vt non inferres violentiam, sed repelleres. Nōne tibi scriptum est: Eripe iniuriam patientem? Nōne tibi scriptum est: Eripte pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate? Dicatur etiam abundantis liberis: Honoribus cumulauit te: salubritatem corporis concessit tibi, cur nõ secutus es præcepta mea? Famule meus quid feci tibi, aut quid contristauit te? Nōne ego tibi liberos dedi, honores contuli, salutē donauit? Cur me negabas? Cur æstimabas quod ad scientiam meam quæ gereres non peruenirent? Cur tenebas dona mea, dispiciebas mandata mea? Denique de Iuda proditore hæc colligere licet, qui & apostolus inter duodecim electus est, & oculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, commissos habebat, ne videretur, aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse. Et ideo vt iusti-

ficaretur in eo Dominus, hæc ei contulit, vt non quasi iniuria exasperatus, sed quasi præuaricatus gratiam, maiori esset offensæ obnoxius.

Adolescentis officia & exempla huic ætati propofita.

CAP. XVII.

Quoniam igitur & pœnam improbitati, & virtuti fore præmium, satis claruit: de officiis agrediamur dicere, quæ nobis ab adolescentia spectanda sunt, vt cum ætate accrescant simul studia bonorum actuum. Est igitur bonorum adolescentium timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reuerentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quæ ornamento sunt minori ætati. Vt enim in senibus grauitas, in iuuenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ. Erat Isaac Deum timens, vtpote Abrahæ indoles, honorem deferens patri vsque eo, vt aduersus paternam voluntatem nec mortem recusaret. Ioseph quoque cum somniasset quod sol & luna & stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferbat patri: castus ita vt ne sermonem quidem audire vellet nisi pudicum: humilis vsque ad seruitutem, verecundus vsque ad fugam, patiens vsque ad carcerem, remissor iniuriæ vsque ad remunerationem. Cuius tanta verecundia fuit, vt comprehensus à muliere, vestem in manibus eius fugiens mallet relinquere, quam verecundiam deponere. Moyses quoque & Hieremias electi à Domino, vt oracula Dei prædicarent populo, quod poterant per gratiam, excusabant per verecundiam.

De bono verecundie, quod maxime in sancta Dei emiuit genitrice, & quod gestus exterioris hominis persape qualitatem interioris ostendat.

CAP. XVIII.

Pulchra igitur virtus verecundiæ, & suaui gratia, quæ non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis, plerumque in verbis refulget. Ipsum vocis sonum libret modestia, ne cuiquam offendant aurem vox fortior. Denique in ipso canendi genere, prima disciplina verecundiæ est, imò etiam in omni vsu loquendi, vt sensim quis aut psallere, aut canere, aut postremò loqui incipiat, vt verecunda principia commendent processum. Silentium quoque ipsum in quo est reliquarum virtutum ocium, maximus actus verecundiæ est. Denique si aut infantia putatur, aut superbia, probro datur: si verecundiæ, laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, & grauius verecundiæ, quam vitæ damnum esse putabat, nec arbitratur periculo pudoris tuendam salutem. Deo soli loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virosum. Est enim & in oculis verecundia, vt nec videre viros scemina, nec videri velit. Neque verò quisquam solius hanc laudē castitatis putet. Est enim verecundia pudicitie comes,

Psal. 93.

Ibidem.

Hier. 17. Luca. 5.

Luca. 6.

Iob. 24.

Eccles. 23.

Iob 21.

1. Cor. 13. vindicare.

1. Cor. 13.

Eccles. 4. Psalm. 81.

Michea 6.

Luca. 16.

1. Tim. 4.

* in rom.

Matth. 14.

Matth. 5.

Genes. 21. Gen. 37.

Genes. 39.

cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes: qui si se præ-tendat ad ea quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples, dignam quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quod in cubiculo, quod sola, quod salutata ab angelo tacet, & mota est in introitu eius, quod ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus virginis. Itaque quamuis esset humilis, præ verecundia tamen non relutavit, nec vllum responsum retulit, nisi vbi de suscipienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem effectus disceret, non vt sermonem resfelleret. In ipsa quoque oratione nostra multum verecundia placet, multum conciliat gratiæ apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit publicanum, & commendauit eum qui nec oculos audebat ad cælum leuare? Ideò iustificatur magis Domini iudicio, quàm ille Pharisæus, quem deformauit præsumptio. Ideoque oremus in incorruptione quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples, vt ait Petrus. Magna igitur modestia, quæ cum sit etiam sui iuris remissior, nihil sibi vsurpans, nihil vindicans, & quodammodo intra vires suas contractior, diues est apud Deum, apud quem nemo diues. Diues est modestia, quia portio Dei est. Paulus quoque orationem deferri præcepit cum verecundia & sobrietate. Primam hanc & quasi præuiam vult esse orationis futuræ, vt non gloriatur peccatoris oratio, sed quasi colore pudoris obducta, quod plus defert verecundiæ de recodatione delicti, eò vberiore mereatur gratiam. Est etiam in ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis, in corporis statu cernitur. Hinc homo cordis nostri absconditus, aut leuior, aut iactantior, aut * turbidior: aut contra grauior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus. Meministis filij quendam amicum cum fedulis se videretur commendare officiis, hoc solo tamen in clerum à me non receptum, quod gestus eius plurimum dedecet. Alterum quoque cum in clero reperissem, † iubere me ne vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos. Idque dixi, cum redderetur post offensam muneri. Hoc solum excepi, nec sefellit sententia. Vterque enim ab ecclesia recessit, vt qualis incessu prodebat, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit, alter pecuniæ studio, ne iudicium subiret, sacerdotem se nostrum negauit. Lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum percurfantium. Sunt etiam qui sensim ambulando imitantur histrionicos gestus, & quasi quædam fercula pomparum, & statuarum motus nutantium, vt quotienscunque gradum transferunt, modulos quosdam seruare videantur. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas. Nam plerunque festinantes anhelos videmus torquere ora, quibus si causa desit festinationis necessariæ, nauus iustæ offensionis est. Sed non

de his dico, quibus rara properatio ex causa nascitur, sed quibus iugis & continua in naturam vertitur: nec in illis ego tanquam simulachrorum effigies probo, nec in istis tanquam excussorum ruinas. Est etiam gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen * si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex (nihil enim fucatum placet (motum natura informet. Si quid sanè in natura vitij est, industria emendet, vt ars desit, non desit correctio. Quod si etiam ista spectantur altiùs, quantò magis cauendum est, ne quid turpe ore exeat. Hoc enim grauius coinquinat hominem. Non enim cibus inquinat hominem, sed iniusta obtrectatio, sed verborum obscœnitas. Hæc etiam vulgo pudori sunt: In nostro verò officio, nullum verbum quod inhonestè cadat, non incutit verecundiam. Et non solum nihil ipsi indecorum loqui, sed ne aurem quidem debemus huiusmodi præbere dictis: sicut Ioseph ne incongrua suæ audiret verecundiæ, veste fugit relicta: quoniam quem delectat audire, alterum loqui prouocat. Intelligere quoque quod turpe sit, pudori maximo est. Spectare verò si quid huiusmodi fortuito accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, nunquid potest in seipso placere? Hæc ipsa natura nos docet, quæ perfectè quidem omnes partes nostri corporis explicauit, vt & necessitati consuleret, & gratiam venustaret. Sed tamen eas quæ decoræ aspectu forent, in quibus formæ apex quasi in arce quadam locatus, & figuræ suauitas, & vultus species emineret, operandique vsus esset paratior, obuias atque apertas reliquit. Eas verò in quibus esset naturalis obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spectaculum, partim tanquam in ipso * emendauit atque abscondit corpore, partim docuit & suasit tegendas. Nonne igitur ipsa natura est magistra verecundiæ? Cuius exemplo modestia hominum (quam à modo scientiæ quid deceret appellatam arbitror) id quod in hac nostri corporis fabrica abditum reperit, operuit & textit, vt ostium illud tegebatur, quod ex transverso faciendum in arca illa Noë iusto dictum est, in qua vel ecclesiæ, vel nostri figura est corporis, per quod ostium egeruntur reliquiæ ciborum. Ergo naturæ opifex, sic nostræ studuit verecundiæ, sic decorum illud & honestum in nostro custodiuit corpore, vt velut ductus quosdam aquæ, exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret, atque ab aspectu nostro auerteret, ne purgatio ventris † vsus oculorum offenderet. De quo pulchrè Apostolus ait: Quæ videntur, inquit, membra corporis infirmiora, necessariora sunt. Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his abundantiorum honorem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorum habent. Etenim imitatione naturæ industria auxit gratiam. Quod alio loco etiam altiùs interpretati sumus, vt non solum abscondamus ab oculis, verum etiam quæ abscondenda accepimus, eorum indicia vsusque membrorum suis appellationibus nuncupare indecorum putemus. Denique si casu aperiantur hæ partes, confunditur verecundia: si studio, impudentia æsti-

æstimatur. Vnde & filius Noë Cham offensam retulit, quia nudatum videns patrem risit. Qui autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiæ. Ex quo mos vetus & in vrbe Roma, & in plerisque ciuitatibus fuit, vt filij cum parētibus puberes, vel generi non lauarent, ne paternæ reuerentiæ authoritas minueretur: licet plerique se & in lauacro quantum possunt tegant, ne vel illic vbi nudum totum est corpus, huiusmodi intecta portio sit. Sacerdotes quoque veteri more, sicut in Exodo legimus, brachias accipiebant, sicut ad Mosen dictum est à Domino: Et facies illis brachias lineas, vt tegatur turpitudine pudoris, à lumbis vsque ad femora erunt, & habebit eas Aaron & filij eius, cum intrabunt in tabernaculum testimonij, & cum accedent sacrificare ad aram sancti, & non inducent super se peccatum, ne moriantur. Quod nonnulli nostrorum seruare adhuc feruntur: plerique spiritali interpretatione ad cautionem verecundiæ, & custodiam castitatis dictum arbitrantur.

In omnibus actis viriliter agendum, nec quicquam affectatum aut fœmineum attendendum.

CAP. XIX.

Delectauit me diutiùs in partibus demorari verecundiæ, quia ad vos loquebar, qui aut bona eius ex vobis recognoscitis, aut damna ignoratis. Quæ cum sit omnibus ætatibus, personis, temporibus & locis apta, tamen adolecentes, iuuenilisque annos maximè decet. In omni autem seruandum ætate, vt deceat quod agas, & conueniat, & quadret sibi ordo vitæ tuæ. Vnde Tullius etiam ordinem putat in illo decoro seruari oportere, idque positum dicit, in formositate, ordine, ornatu, ad actionem apto. Quæ difficile ait loquendo explicari posse, & ideo fatis esse intelligi. Formositatem autem cur posuerit, non satis intelligo, quamuis ille etiam vires corporis laudet: nos certè in pulchritudine corporis locum virtutis non ponimus, gratiam tamen non excludimus, quia verecundia & vultus ipsos solet pudore perfundere, gratiorisque reddere. Vt enim artifex in materia commodiore melius operari solet, sic verecundia in ipso quoque corporis decore plus eminet, ita tamen, vt etiam ipse non sit affectatus decor corporis, sed naturalis, simplex, neglectus magis quàm expetitus, non preciosis & albetibus * adiutus vestimentis, sed communibus, vt honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitori. Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans, qualem multi grauitatis specie simulare consueverunt, sed formam quandam & regulam ac succum virilem reseruans. Hoc est enim pulchritudinem viuendi tenere, conuenientia cuique sexui & personæ reddere. Hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. Sed vt molliculum & infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem ac rusticum. Naturam imitemur. Eius effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est.

Intemperantium hominum consortia, mulierum quoque commercia vitanda.

CAP. XX.

Habet sanè suos scopulos verecundia, nò quos ipsa inuehit, sed quos sæpe incurrit, si intemperantium incidamus consortia, qui sub specie iocunditatis venenum infundunt bonis: hi si assidui sint, & maximè in conuiuio, ludo, ac ioco, eneruant grauitatem illam virilem. Cauemus itaque ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum. Vltus enim citò inflectit naturam. Vnde quod prudenter facitis conuenire Ecclesiasticis, & maximè ministrorum officii arbitror, declinare extraneorum conuiuia, vel vt ipsi hospitales sitis peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus sit opprobrio locus. Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequenter de seculo ac voluptatibus, claudere aures non potes: prohibere, putatur superbiæ: surrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius est tuæ domui semel excuses, quàm alienæ frequenter, & vt ipse sobrius surgas, tamen ex aliena insolentia condemnari non debet præsentia tua. Viduarum ac virginum domos, nisi visitandi gratia, iuniores adire non est opus: Et hoc cum senioribus, hoc est, vel cum Episcopo, vel si grauior est causa cum presbyteris. Quid necesse est, vt demus obtrectandi locum secularibus? Quid opus est, vt illæ quoque visitationes crebræ accipiant authoritatem? Quid si aliqua illarum fortè labatur? Cur alieni lapsus subeas inuidiam? Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspitioni? Cur non illa tempora quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum reuisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur cum oramus, illum audimus, cum diuina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Vna est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus. Humiles nos esse decet, mites, mansuetos, graues, patientes, modum tenere in omnibus, vt nullum vitium esse in moribus, vel tacitus vultus, vel sermo annunciet.

De iracundia in se reprimenda, & in aliis mitiganda.

CAPVT XXI.

Cauetur iracundia: aut si præcaueri non potest, cohibeatur. Mala enim lex peccati indignatio est, quæ ita animum perturbat, vt rationi non relinquat locum. Primum est igitur, si fieri potest, vt morum tranquillitas vsu quodam affectionis proposito in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerunque motus infixus est naturæ ac moribus, vt cuelli atque * cuitari non queat: si præuideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici ac prouideri potuerit, ne occuparetur: medita-

re quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste irę si potes, cede si non potes: quia scriptum est: Date locum irę. Iacob fratri indignanti pię cessit, & Rebecca, id est, patientię instructus consilio abesse maluit & peregrinari, quęm excitare fratris indignationem, & tunc redire, cum fratrem mitigatum putaret. Et ideo tãtam apud deum inuenit gratiam. Quibus deinde obsequiis, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliauit sibi, vt ille pręreptę benedictionis non meminisset, meminisset delatę satisfactionis. Ergo si pręuenit & pręoccupauerit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquant locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis mouerit, & peruersitas impulerit ad indignationem: si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic enim scriptum est: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Deinde inquire pacem, & sequere eam. Pacem illam sancti Iacob vide, qua primum sedato animum. Si non pręualueris fręnos linguę impone tuę: Deinde reconciliationis studiũ nõ prętermittas. Hęc oratores seculi de nostris vsurpata in suis posuere libris. Sed ille sensus huius habet gratiam, qui prior dixit: Vitemus ergo aut temperemus iracundiam, ne sit eius aut in laudibus exceptio, aut in vitiis exaggeratio. Non mediocre est, mitigare iracundiam, non inferius quęm omnino non commoueri. Hoc nostrum est, naturę illud. Illę denique commotiones in pueris innoxie sunt, quę plus habent gratię, quęm amaritudinis. Et si citò pueri inter se mouentur, facillè sedantur, & maiori suauitate in se recurrunt. Nesciunt se subdolè artificiosę tractare. Nolite hos contemnere pueros, de quibus Dominus ait: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cęlorum. Itaque & ipse Dominus, hoc est, Dei virtus, sicut puer cum malediceretur, non remaledixit: cum percuteretur, nõ repercutit. Ita ergo te cõpara, vt quasi puer iniuriam non teneas, maliciam non exerceas, omnia à te innocenter proficiantur. Non consideres quid ab aliis in te referatur, locum tuum serua, simplicitatem & puritatem tui pectoris custodi. Noli respondere irato ad iracundiam eius, * siue imprudenti ad imprudentiam eius. Citò culpa culpam excutit. Si lapides teras, nõne ignis erumpit? Ferunt Gentiles, vt in maius omnia verbis extollere solent, Archytę Tarentini dictum philosophi, quod ad villicum suum dixerit: O te infelicę, quęm te afflictarem nisi iratus essem. Sed etiam Dauid, & armatam dexteram in indignatione compresserat, & quantò plus est non remaledicere, quęm nõ vindicare? Et bellatores aduersus Nabal ad vltionem paratos, Abigail deprecatione reuocauerat. Vnde aduertimus, tempestiuus quoque intercessionibus non solum cedere nos, sed etiam delectari oportere. Eousque autem delectatus est, vt benediceret interuenientem, quod ab studio vindictę reuocatus foret. Iam dixerat de inimicis suis: Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Audiamus turbatus in ira quid dixerit: Quis dabit mihi pennas sicut columbę, & volabo & re-

quiescam? Illi ergo ad iracundiam prouocabant, hic tranquillitatem eligebat. Iam dixerat: Irascimini & nolite peccare. Moralis magister, qui naturalem affectum insectedum magis ratione doctrinę, quęm extirpandum nouerat, moralia docet. Hoc est: Irascimini vbi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, vt non rerum indignitate moueamur: alioquin non virtus, sed lenitudo & remissio iudicatur. Irascimini ergo ita, vt à culpa abstineatis. Vel sic: Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certè sic: Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam iustam probare, plus inflammatur, & citò in culpam cadit. Melior est autem secundum Salomonem, qui iracundiam cõtinet, quęm qui urbem capit, quia ira etiam fortes decipit. Cauere igitur debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quęm animos nostros ratio componat. Exanimat enim mentem plerunque aut ira, aut dolor, aut formido mortis, & improuiso percellit ictu. Ideo pręuenire pulchrum est cogitatione, quę voluendo mentem exercent, ne repentinis excitetur commotionibus, sed iugo quodam rationis & habenis constructa mitefcant.

De cogitationibus, & appetitu, & decoro sermonis in consabulando, & in disceptando.

CAP. XXII.

Sunt autem gemini motus, hoc est, cogitationum & appetitus, alteri cogitationum, alteri appetitus, non confusi, sed discreti & dispares. Cogitationes verum exquirere, & quasi emolere muneris habent: appetitus ad aliquid impellit agendum atque excitat. Itaque ipso genere naturę suę, & cogitationes tranquillitatem sedationis infundunt, & appetitus motum agendi excutit. Ita ergo informati sumus, vt bonarum rerum subeat animum cogitatio: appetitus autem rationi obtemperet (si verè vt illud decorum custodiamus, animum volumus intendere) ne rationem excludat rei aliquid affectus, sed ratio quid honestati conueniat, examinet. Et quoniam ad conseruationem decori spectare diximus, vt sciamus in factis dictisve quis modus, prior autem ordo loquendi quęm faciendi est, sermo in duo diuiditur, in colloquium familiare, & in tractatum disceptationemque fidei atque iustitię. In vtroque seruandum ne sit aliqua perturbatio, sed tãquam mitis & placidus, & benevolentię plenus & gratię, sine vlla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio: quęstiones enim magis excitare inanes, quęm vtilitatis aliquid afferre solet. Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Et sicut in omni actu vitę id cauere debemus, ne rationem nimius animi motus excludat, sed teneamus consilij locum: ita etiam in sermone formulam eam tenere conuenit, ne aut ira excitetur, aut odium, aut cupiditatis nostrę, aut ignauię aliqua exprimamus indicia. Sit igitur sermo huiusmodi de scripturis maximè. Quid enim magis nos oportet loqui, quęm de conuersatione optima,

ma, adhortatione obseruationis, disciplinęque custodia? Habeat caput eius ratione, & finis modum. Sermo enim tædiosus iras excitat. Quęm verò indecorum, vt cum omnis confabulatio habere soleat incrementũ gratię, habeat nõuum offensionis. Tractatus quoque de doctrina fidei, de magisterio continentię, de disceptatione iustitię, de hortatione diligentię, non vnus semper, sed vt se dederit lectio, nobis & arripiendus est, & prout possumus prosequendus: neque nimium prolixus, neque citò interruptus, ne vel fastidium derelinquat, vel desidiã prodat atque incuriam. Oratio sit pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena grauitatis & pōderis, non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.

Quod ioca quę philosophi ponunt inter officia, penitus ab ecclesia sint remouenda.

CAP. XXIII.

Multa pręterea de ratione dicendi dant pręcepta seculares viri, quę nobis prętereunda arbitror, vt de iocandi disciplina. Nam licet interdum honesta ioca ac suauia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula: quoniam quę in scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum vsurpare possumus? Cauendum est etiam in fabulis, ne inflectant grauitatem seuerioris propositi. Væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus: & nos ridendi materiam requirimus, vt hęc ridentes: illic fleamus? Non solum profusos, sed omnes etiam iocos declinandos arbitror, plenum tamen suauitatis & gratię sermonem esse non indecorum. Nam de voce quid loquar, quam simplicem & puram esse satis arbitror? Canoram autem esse, naturę est, non industria. Sit sanè distincta prononciationis modo, & plena succi virilis, vt agrestem ac subrusticum fugiat sonum, non vt rithmum affectet scenicum, sed mysticum * seruet.

De tribus quę in vita actiua necessario sunt obseruanda, & quod appetitum rationi cedere conueniat.

CAP. XXIII.

De ratione dicendi satis dictum puto, nunc de actione vitę quid congruat consideremus. Tria enim in hoc genere spectanda cernimus. Vnum, vt rationi appetitus non reluctetur. Hoc enim solummodo possunt officia nostra illi decoro cõuenire. Si enim appetitus rationi obediat, facillè id quod deceat in omnibus officiis conseruari potest. Deinde ne maiore studio quęm res ipsa est quę suscipitur, vel minore, aut paruam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videamur. Tertium de moderatione studiorum, operumque nostrorum. De ordine quoque rerum, & de opportunitate temporum, non dissimulandum puto. Sed primum illud quasi fundamentum est omnium, vt appetitus rationi pareat. Secundum & tertium, idem est, hoc est, in vtroque moderatio. Vacat enim apud nos speciei liberalitas, quę pulchritudo habetur, & dignitatis contemplatio. Sequitur de ordine rerum, & de opportunitate temporum. Ac per hoc tria sunt, quę videamus, vtrum in aliquo sanctorum consummata possimus docere. Primum igitur ipse

A pater Abraham, qui ad magisterium futurę successionis informatus & instructus est, iussus exire de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, nõne multiplicitate necessitudinis perstrictus affectu, tamen appetitum rationi obedientem prębuit? Quem enim terrę suę, cognationis, domus quoque proprię gratia, non delectaret? Et hunc ergo mulcebat suorum suauitas, sed imperij cęlestis & remunerationis æternę consideratio mouebat amplius. Nõne considerabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiã insolentium, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quę excusare consultius diiudicauit. Deinde cū descenderet in Ægyptum, monuit, vt diceret se sororem esse, non vxorem ipsius. Aduerte quanti appetitus. Timebat vxoris pudori, timebat proprię saluti, suspectas habebat Ægyptiorum libidines, & tamẽ pręualuit apud eum ratio exequendę deuotionis. Considerauit enim quod Dei fauore vbique tutus esse posset: offenso autem Domino, etiam domi non posset illæsus manere. Vicit igitur appetitum ratio, & obedientem sibi pręstitit. Capto nepote, non perterritus, neque tot regum turbatus populis, bellum repetiit: victoria potitus, prędę partem cuius ipse fuit author, recusauit. Promisso quoque sibi filio, cum cõsideraret emortui corporis sui vires depositas, sterilitatem coniugis, & supremam senectutem: etiam contra vltimam naturę Deo credidit. Aduerte conuenire omnia. Appetitus non defuit, sed repressus est: animus æqualis gerendis, qui nec magna pro viliibus, nec minora pro magnis duceret. Moderatio pro negociis, ordo rerum, opportunitas temporum, mensura verborum. Fide primus, iustitia pręcipuus, in pręlio strenuus, in victoria non auarus, domi hospitalis, vxori sedulus. Sanctum quoque eius nepotem Iacob delectabat domi securum degere, sed mater voluit eum peregrinari, vt daret fraternę iracundię locum. Vicit appetitum, consilij salubritas. Exul domo, profugus à parentibus, vbique tamen conuenientem mensuram negociis tenuit, & temporibus opportunitatem reseruauit. Acceptus domi parentibus, vt alter maturitate prouocatus obsequij benedictionem daret, alter amore pio propenderet. Fraternali quoque iudicio prælatus, cum cibum suum fratri cedendum putasset, delectabatur vtique alimento secundum naturam, sed secundum pietatem cessit petito. Pastor domino gregis fidus, focero gener sedulus, impiger in labore, in conuiuio parcus, in satisfactione pręuius, in remuneratione largus. Denique sic fraternam mitigauit iracundiam, vt cuius verebatur inimicitias, adipisceretur gratiam. Quid de Ioseph loquar, qui vtique habebat cupiditatem libertatis, & suscepit seruitij necessitatem? Quam subditus in seruitute, quęm in virtute constans, quęm benignus in carcere, sapiens in interpretatione, in potestate moderatus, in vbertate prouidus, in fame iustus, ordinem laudis rebus ~~agens~~; & opportunitatem temporibus ~~pa~~quitatem populis officij sui moderatione dispensans? Iob quoque iuxta secundis, atque aduersis rebus irreprehensibilis, patiens, gratus deo, atque acceptus, vexabatur doloribus, sed se conso-

labatur. David etiā fortis in bello, patiens in aduersis, in Hierusalem pacificus, in victoria mansuetus, in peccato dolens, in senectute prouidus, rerū modos, vices temporum, per singularum sonos seruauit ætatum: vt mihi videatur non minus viuendi genere, quā canendi suauitate prædulcis * moralem Deo sui fuisse meriti cātilenā. Quod his viris principalem virtutum officium defuit? Quarum primo loco constituerunt prudentiam, quæ in veri inuestigatione versatur, & scientiæ plenioris infundit cupiditatem. Secundo iustitiam, quæ suum cuique tribuit, alienum non vendicat: vtilitatem propriam negligit, vt communem equitatem custodiat. Tertio fortitudinem, quæ & in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, & domi eminet, corporisque præstat viribus. Quarto temperantiam, quæ modum ordinemque seruat omnium, quæ vel agenda vel dicenda arbitramur.

Quod virtutes quatuor principales, in patribus nostris non mediocriter sint consummate.

CAP. XXV.

Hæc forsitan aliquis dicat primo loco ponit oportuisse, quoniam ab his quatuor virtutibus nascuntur officiorum genera. Sed hoc artis est, vt primo officium definiatur, postea certa in genera diuidatur. Nos autem artem fugimus, exempla maiorū proponimus, quæ neque obscuritatem afferunt ad intelligendum, neque ad tractandum versutias. Sit igitur nobis vita maiorum, disciplinæ speculum non calliditatis commentarium: imitandi reuerentia, non disputandi astutia. Fuit igitur in sancto Abraham primo loco prudentia, de quo dicit scriptura: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Nemo enim prudens, qui Deum nescit. Denique insipiens dixit: Quia non est Deus. Nam sapiens non diceret. Quomodo enim sapiens, qui non requirit authorē suum, qui dicit lapidi, Pater meus es tu: qui dicit diabolo, vt Manichæus, Author meus es tu? Quomodo sapiens, vt * Arrianus, qui mauult imperfectum authorem habere atque degenerem, quā verum atque perfectum? Quomodo sapiens, vt Marcion atque Eunomius, qui malunt Deum malum quā bonum habere: Quomodo sapiens, qui Deum suum non timet? Initiū enim sapientiæ timor Domini. Et alibi habes: Sapientes non declinant de ore Domini, sed tractant in confessionibus suis. Simul quoque dicendo scriptura. Reputatum est ei ad iustitiam: alterius virtutis gratiam ei detulit, Primum igitur nostri definirūt prudentiam in veri consistere cognitione. Quis enim illorum ante Abraham, David, Salomonem? Deinde iustitiam spectare ad societatem generis humani. Denique David ait: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Iustus miseretur, iustus commodat. Sapienti & iusto, totus mundus diuitiarum est. Iustus communia pro suis habet, sua pro communibus. Iustus seipsum priusquam alios accusat. Ille enim iustus, qui nec sibi parcat, & occulta sua latere non patitur. Vide quā iustus Abraham. In senectute susceperat filium per reprobationem, repositenti Domino negandum ad sacrificium (quam-

* immortalē.

Genes. 15.
Rom. 4.

Psal. 52.

* Arrianus.

Eccles. 1.

Rom. 4.

Psal. 111.

Proverb. 18.

Genes. 15. & 18.

uis vnicum) non putauit. Aduerte hīc omnes virtutes quatuor in vno facto. Fuit sapientiæ, Deo credere, nec filij gratiam anteferre authoris præcepto. Fuit iustitiæ, acceptum reddere. Fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat deuotionem. Accedit & quarta virtus temperantia. Tenebat iustus & pietatis modum, & executionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit: hoc immolandi ordine meruit, vt filium reseruaret. Quid sapientius sancto Iacob, qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid iustius, qui ea quæ acquirerat oblati muneribus cū fratre diuisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius, qui modestiam ita & locis & temporibus deferebat, vt filia iniuriam malet prætexere coniugio quā vindicare, eo quod inter alienos positus amori potius consulendum, quā odia colligēda censebat? Noë quā sapiens, qui tantam fabricauit arcam? Quā iustus, qui ad semen omnium reseruatus, solus ex omnibus & præteritæ generationis superstes est factus, & author futuræ, mundo potius & vniuersis magis quā sibi natus? Quam fortis, vt diluuiū vinceret? Quam temperans, vt diluuium toleraret? quādo introiret, qua moderatione degeret, quando coruum, quando columbam dimitteret, quando reciperet reuertentes, quando exeundi opportunitatem captaret, agnosceret?

Quid in veritatis inuestigatione seruandum sit.

CAPVT XXVI.

Itaque tractant in veri inuestigatione tenendum illud decorum, vt summo studio requiratur quid verum sit, non falsa pro veris ducere, non obscuris vera inuoluere, non superfluis vel implexis atque ambiguis occupare animum. Quid tam indecorum, quā venerari * signa quæ ipsi faciunt? Quid tam obscurum, quā de Astronomia & Geometria tractare quod probant, & profundi aëris spacia metiri, cælum quoque & mare numeris includere: relinquere causas salutis, errores quærere? An non ille eruditus in omni sapientia Ægyptiorum Moyses probauit ista? Sed illam sapientiam detrimētum & stultitiam iudicauit, & auersus ab ea, intimo Deū quæsiuit affectu. Ideoque vidit, interrogauit, audiuit loquentem. Quis magis sapiens, quā ille quem docuit Deus, qui omnem sapientiam Ægyptiorum, omniumque artium potentias operis sui virtute euacuauit? Non hic incognita pro cognitis habebat, hisque temerē assentiebatur. Quæ duo in hoc maxime naturali atque honesto loco vitanda dicunt, qui sibi nec contra naturam esse, nec turpe iudicant saxa adorare, & à simulacris auxilium petere, quæ nihil sentiunt. Quanto igitur excelsior virtus est sapientia, tanto magis enitendum esse arbitror nobis, vt assequi eam possimus. Itaque ne quid contra naturam, ne quid turpe atque indecorum sentiamus: duo hæc, id est, & tempus & diligentiam ad consi-

Genes. 22.

Genes. 22.

Math. 7.

Tullius lib. 1. de origine hominis ex quatuor fontibus

* hęc

derationem rerum examinandi gratia conferre debemus. Nihil est enim magis quo homo cæteris animantibus præstet, quā quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui authorem inuestigandum putat, in cuius potestate vitæ necisque nostræ potestas sit, qui mundum hunc suo nutu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostrorum actuum. Nihil est enim quod magis proficiat ad vitam honestam, quā vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent. Omnibus igitur hominibus inest secundum naturam humanam verum inuestigare, quod ad studium cognitionis & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem. In quo excellere vniuersis pulchrum videtur, sed paucorum est assequi, qui voluendo cogitationes, consilia examinando, non mediocrem impendunt laborem, vt ad illud beatè honestèque viuendū peruenire possint, atque operibus appropinquare. Non enim qui dixerit, inquit, mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit ea quæ dico. Nam studia scientiæ sine factis, haud scio an etiam inuoluant magis.

Quod virtutes quatuor ita perplexæ sint, vt ab inuicem separari nequeant.

CAP. XXVII.

Primus igitur officij fons prudentia est. Quid enim tam plenum officij, quā deferre authori studiū atque reuerentiam? Qui tamen fons & in virtutes deriuatur cæteras. Neque enim potest iustitia sine prudentia esse, cum examinare quid iustum, quidve iniustum sit, non mediocris prudentiæ sit. Summus in vtroque error. Qui enim iustū iudicat iniustum, iniustum verò iustum, execrabilis erit apud Deum. Vt quid abundant iustitiæ imprudenti, Salomō ait? Neque iterum prudentia sine iustitia est. Pietas enim in Deum, initium intellectus. Quo aduertimus illud ab huius seculi translatum magis quā inuentum sapientibus, quia pietas fundamentum est omnium virtutum. Iustitiæ autem pietas est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes. Item in omnes, quæ & ipsa secundum naturæ est magisterium. Siquidem ab ineunte ætate vbi primum sensus infundi cœperit, vitam amamus tāquam Dei munus, patriam parentisque diligimus. Deinde æquales quibus sociari cupimus. Hinc charitas nascitur quæ alios sibi præfert, non quærens quæ sua sunt, in quibus est principatus iustitiæ. Omnibus quoque animantibus innascitur, primum salutem tueri, cauere quæ noceant, expetere quæ profint: vt pastum, vt latibula, quibus se à periculis, imbribus, sole defendat, quod est prudentiæ. Succedit quoque vt omnium genera animantium, congregabilia natura fiat, primo generis sui ac formæ consortibus, tum etiam cæteris: vt videmus boues armentis, equos gregibus, & maxime pares paribus delectari. Ceruos quoque ceruis, & plerūque hominibus adiungi. Iam de procreandi studio & sobolis, vel etiam generantium amore, quid loquar, in quo est forma iustitiæ præcipua? Liqueat igitur & has & reliquas cognatas sibi esse virtutes. Siquidem & fortitudo quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit in-

firmos, vel à latronibus socios, plena sit iustitiæ: & scire quo consilio defendat atque adiuuet, captare etiam temporum & locorum opportunitates, prudentiæ ac modestiæ sit: & temperantia ipsa sine prudentia modum scire non possit, opportunitatem noscere, & secundum mensuram reddere, sit iustitiæ. Et in omnibus istis magnanimitas necessaria sit, & quædam fortitudo mentis, plerumque & corporis, vt quis quod velit possit implere.

Primum quod Philosophi dicunt, & secundum iustitiæ munus apud nos excludi, tertium verò à nostris mutuatum.

CAP. XXVIII.

Iustitia igitur ad societatem generis humani, & ad cōmunitatem refertur. Societatis enim ratio diuiditur in duas partes, iustitiam & beneficentiam, quam eandem liberalitatem & benignitatem vocant. Iustitia mihi excelsior videtur, liberalitas gratior. Illa censuram tenet, ista bonitatem. Sed primū ipsum quod putant Philosophi iustitiæ munus, apud nos excluditur. Dicunt enim illi eam primam esse iustitiæ formam, vt nemini quis noceat nisi laceffitus iniuria. Quod Euangelij autoritate vacuatur. Vult enim scriptura, vt sit in nobis spiritus filij hominis, qui venit conferre gratiam, non inferre iniuriam. Deinde formam iustitiæ putauerunt, vt quis communia, id est publica pro publicis habeat, priuata pro suis. Nec hoc quidem secundum naturam. Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari iussit omnia, vt pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quædam communis possessio. Natura igitur ius cōmune generauit, vsurpatio ius fecit priuatum. Quo in loco aiunt placuisse Stoicis, quæ in terris gignantur, omnia ad vsus hominum creari. Homines autē hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se aliis alij prodesse possint. Vnde hoc, nisi de nostris scripturis dicendum sumpserunt? Moyses enim scripsit, quia dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram, & secundum similitudinem, & habeat potestatem piscium maris, & volatiliū cœli, & pecorum, & omnium reptantium super terram. Et David ait: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris. Ergo omnia subiecta esse homini de nostris didicerunt, & ideò censent propter hominem esse generata. Hominem quoque hominis causa generatum esse in libris Moyse reperimus, dicente Domino: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Ad adiumentum ergo mulier data est viro, quæ generaret, vt homo homini adiumento foret. Denique antequam mulier formaretur, dictum est de Adam: Non est inuentus adiutor similis illi. Adiumentum enim homo nisi de homine habere non poterat. Ex omnibus igitur animantibus nullum animal simile, & vt absolutè dicamus, nullus adiutor hominis similis inuentus est. Muliebris igitur sexus adiutor expectabatur. Ergo secundum Dei voluntatem, vel naturæ copulam, inuicem nobis esse auxilio debemus, certare officiis, velut in medio omnes vtilitates ponere, & vt verbo scripturæ vtar, adiumentum ferre

Genes. 1.

Psal. 8.

Genes. 2.

alter alteri, vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo, ut inter nos societatis augetur gratia, nec quisquam ab officio vel periculi terrore reuocetur, sed omnia sua ducat, vel aduersa vel prospera. Denique sanctus Moyses pro populo patriae bella suscipere graua non reformidauit, nec regis potentissimi trepidauit arma, nec barbaricae immanitatis expauit ferociam, sed abiecit salutem suam, ut plebi libertatem redderet. Magnus itaque iustitiae splendor, quae aliis potius nata quam sibi, communitatem & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, ut suo iudicio omnia subiecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis arcem tenere, nisi prima auaritia infirmaret atque inflecteret tantae virtutis vigorem? Etenim dum augere opes, aggerare pecunias, occupare terras possessionibus cupimus, praestare diuitiis: iustitiae formam exuimus, beneficentiam communem amittimus. Quomodo enim potest iustus esse, qui studet eripere alteri quod sibi quaerat? Potentiae quoque cupiditas, formam iustitiae virilem effeminat. Quomodo enim potest pro aliis interuenire, qui alios sibi subiicere conatur, & infirmo aduersus potentes opem ferre, qui ipse grauem libertati affectat potentiam?

Iustitiam & fidem hostibus etiam exhibendam.

CAP. XXIX.

Quanta autem iustitia sit, ex hoc intelligi potest quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quae etiam hostibus reseruatur: ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies praelio, aduersus iustitiam putetur, aut loco praenire, aut tempore. Interest enim vtrum aliquis pugna aliqua & conflictu graui capiat, an superiore gratia, vel aliquo euentu. Siquidem vehementioribus hostibus & infidis, & his qui amplius laeserint vehementior refertur ultio: ut Madianitis, qui per mulieres suas plerosque peccare fecerant ex plebe Iudaeorum, unde & Dei in populum patrum iracundia effusa est. Et ideo factum est, ut nullum Moyses victor superesse pateretur: Gabaonitas autem qui fraude magis quam bello tentauerant plebem patrum, non expugnaret Iesus, sed conditionis impositae afficeret iniuriis: Syros vero Helisaeus quos obsidentes in ciuitatem duxerat momentaria caecitate percussos, cum quod ingrederentur videre non possent, volenti regi Israel percutere non acquiesceret, dicens: Non percuties quos non captiuasti in laecea & in gladio tuo, pone eis panem & aquam ut manducent & bibant, & remittantur, & eant ad dominum suum, ut humanitate prouocati gratiam repraesentarent. Denique postea in terram Israel venire piratae Syriae destiterunt. Si ergo etiam in bello iustitia valet, quanto magis in pace seruanda est? Et hanc gratiam Propheta his detulit, qui ad eum corripiendum venerant. Sic enim legimus, quod in obsidionem eius miserat rex Syriae exercitum suum, cognitio quod Helisaeus esset, qui consiliis & argumentationibus eius obuiaret omnibus. Quem videns exercitum Giezi seruus Prophetae, de salutis periculo trepidare coepit. Cui dixit

Num. 31.

Iosue 9.

4. Reg. 6.

G Propheta: Noli timere, quonia plures nobiscum sunt, quam cum illis. Et rogatae Propheta ut aperirentur oculi seruo suo, aperti sunt. Vidit itaque Giezi totum motem equis repletum & curribus in circuitu Helisaei. Quibus descendentibus ait Propheta: Percutiat Dominus caecitate exercitum Syriae. Quo impetrato dixit ad Syros: Venite post me, & ducam vos ad hominem quem quaeritis. Et viderunt Helisaeum, quem corripere gestiebant, & videntes tenere non poterant. Liqueat igitur etiam in bello fidem & iustitiam seruari oportere, nec vllum decorum esse posse, si violetur fides. Denique etiam aduersarios molli veteres appellatione nominabant, ut peregrinos vocarent. Hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod aequum etiam ipsum de nostris assumptum docere possumus. Aduersarios enim suos Hebraei allophylos, hoc est alienigenas, latino appellabant vocabulo. Denique in libro Regnorum primo sic legimus: Et factum est in diebus illis, conuenerunt alienigenae in pugnam ad Israel. Fundamentum ergo est iustitiae fides. Iustorum enim corda meditantur fidem, & qui se iustus accusat, iustitiam supra fidem collocat. Nam tunc iustitia eius apparet, si vera fateatur. Denique & Dominus per Esaiam: Ecce, inquit, mitto lapidem in fundamentum Sion, id est, Christum, in fundamentum ecclesiae. Fides enim omnium Christus. Ecclesia autem quaedam forma iustitiae est, commune ius omnium. In commune orat, in commune operatur, in commune tentatur. Denique qui seipsum sibi abnegat, ipse iustus, ipse dignus Christo est. Ideo & Paulus fundamentum posuit Christum, ut supra eum opera iustitiae loceremus, quia fides fundamentum est. In operibus autem aut malis iniquitas, aut bonis iustitia est.

De beneficentia.

CAP. XXX.

Sed iam de beneficentia loquamur, quae diuiditur etiam ipsa in benevolentiam & liberalitatem. Ex his igitur duabus constat beneficentia, ut sit perfecta. Non enim satis est benevelle, sed etiam benefacere. Nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiatur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam si iniustus facis, quae tibi merces est? Unde Apostolus generaliter, inquit: Si volens hoc ago, mercedem habeo: si iniustus, dispensatio mihi credita est. In Evangelio quoque multas disciplinas accepimus iustae liberalitatis. Pulchrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio, ut profis, non ut noceas. Nam si luxurioso ad luxuriae effusionem, adultero ad mercedem adulterij largiedum putes, non est beneficentia ista vbi nulla est benevolentia. Officere enim istud est, non prodesse alteri: si largiaris ei qui conspiret aduersus patriam, qui congregare cupiat tuo sumptu perditos, qui impugnent ecclesiam. Non est haec probabilis liberalitas, si adiuues eum qui aduersus viduam & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur. Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat: si iniuste quaerat, & iuste dispensandum putet: nisi forte, ut ille Zachaeus, reddas quadruplum prius ei quem fraudaueris: & gentilitatis vitia fidei studio

1. Reg.

Esai.

1b. 29.

Luc. 21.

3. Reg. 19.

Luc. 19.

studio & credentis operatione compenses. Fundamentum igitur habeat liberalitas tua: hoc primum quaeritur, ut cum fide conferas, fraudem non facias oblati, ne dicas te plus conferre, & minus conferas. Quid enim opus est dicere? Fraus promissi est, in tua potestate est largiri quod velis. Fraus fundamentum soluit, & opus corrumpit. Nunquid Petrus ita indignatione efferbuit, ut Ananiam extingui vellet, vel uxorem eius? Sed exemplo eorum noluit perire ceteros. Nec illa perfecta est liberalitas, si iactantiae causa magis quam misericordiae largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo a te proficiatur, sic aestimatur. Vides quam moralem iudicem habeas? Te consulit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat. Nesciat, inquit, sinistra tua quid faciat dextra tua. Non de corpore loquitur, sed etiam vnanimus tuus frater tuus quod facis nesciat, ne dum hic mercedem quaeris iactantiae, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occulte subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua. Deinde perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commodatur, ut primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, arumnam perpeti, qui praesertim egere erubescat: si in causam ceciderit, aut captiuitatis suorum, aut calumniae, & non adiuues: si sit in carcere, & poenis, & suppliciiis propter debitum aliquod iustus excrucietur: (nam etsi omnibus debetur misericordia, tamen iusto amplius:) si tempore afflictionis suae nihil a te impetret, si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. De quo pulchre Iob dixit: Benedictio perituri in me veniebat. Personarum quidem Deus acceptor non est, quia nouit omnia. Nos autem omnibus quidem debemus misericordiam. Sed quia plerique fraude eam quaerunt, & fingunt arumnam, ideo vbi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus vrget, largius se debet profundere misericordia. Non enim auarus Dominus est, ut plurimum quaerat. Beatus quidem qui dimittit omnia, & sequitur eum. Sed & ille beatus est, qui quod habet ex affectu facit. Denique duo ara viduae illius diuitum muneribus praetulit: quia totum illa quod habuit contulit, illi autem ex abundanti partem exiguam contulerunt. Affectus igitur diuitem collationem aut pauperem facit, & precium rebus imponit. Ceterum Deus non vult simul effudi opes, sed dispensari, nisi forte ut Helisaeus qui boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relicti omnibus in disciplinam se prophetica daret. Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim ut ipse subuenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati, non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu posses conferre inopibus. Causa enim praestat, non gratia. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos diuites facias, sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, & precio miserationis peccata redimas tua. Putant se pa-

Act. 5.

Math. 6.

1b. 29.

Luc. 21.

3. Reg. 19.

rum poscere: precium tuum quaerunt, vitae tuae fructum adimere contendant. Et accusat quod cum diuitem non feceris, cum te ille velit aeternae vitae fraudare mercede? Consilium praemisimus, autoritate petamus. Primum igitur neminem debet pudere, si ex diuite pauper fiat, dum largitur pauperi, quia Christus pauper factus est cum diues esset, ut nos sua inopia ditaret. Dedit regulam quam sequamur ut bona ratio sit exinaniti patrimonij, si quis pauperum famem repulit, inopiam subleuauit. Unde & consilium in hoc do, Apostolus dicit: Hoc enim vobis vtile est, ut Christum imitemini. Consilium bonis datur, correptio errantes coereat. Denique quasi bonis dicit: Qui non tantum facere sed & velle cepistis ab anno praeterito. Perfectorum vtrumque est non pars. Itaque docet & liberalitatem sine benevolentia, & benevolentiam sine liberalitate non esse perfectam. Unde ad perfectum hortatur, dicens: Nunc ergo & facere consummate, ut quemadmodum prompta est in vobis voluntas faciendi, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod non habet. Non enim ut aliis refectio sit, vobis autem angustia, sed ex aequalitate in hoc tempore vestra abundantia sit ad illorum inopiam, ut & illorum abundantia sit ad vestram inopiam, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est: Qui multum non abundauit: & qui modicum non minoraui. Aduertimus quemadmodum & benevolentiam, & liberalitatem, & modum comprehendit, & fructum atque personas: ideo modum, quia imperfectis dabat consilium. Non enim patiuntur angustias, nisi imperfecti. Sed & si quis ecclesiam nolens grauari in sacerdotio aliquo constitutus, aut ministerio, non totum quod habet conferat, sed operetur cum honestate quantum officio satis est, non mihi imperfectus videtur. Et puto quod hic angustiam non animi sed rei familiaris dixerit. De personis autem puto dictum, ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, & illorum abundantia ad vestram inopiam: id est, ut populi abundantia sit bonae operationis ad illorum subleuandam alendo inopiam: & illorum abundantia spiritalis, adiuuet in plebe inopiam meriti spiritalis, & conferat ei gratiam. Unde exemplum optimum posui: Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minuit. Bene hortatur ad officium misericordiae omnes homines istud exemplum: quoniam & qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est quicquid in hoc seculo est: & qui exiguum habet non minuit, quia nihil est quod amittit. Res sine dispendio est, quae tota dispendium est. Est etiam sic intellectus bonus. Qui plurimum habet, & si non donat, non abundat: quia quantumuis acquirat, eget semper qui plus concupiscit. Et qui exiguum habet, non minuit, quia non multum est quod pauperem pascit. Similiter ergo & ille pauper qui confert spiritalia pro pecuniariis, & si plurimum habeat gratiae, non abundat. Non enim onerat gratia, sed alleuat mentem. Sed etiam sic potest intelligi: Non abundas o homo. Quantum est enim quod accepisti, etsi tibi multum est? Ioannes quo nemo maior est inter natos mulierum, inferior tamen erat eo qui minor est in regno caelorum. Potest & sic

2. Cor. 8.

Ibidem.

Exod. 16. 2. Cor. 8.

Ibidem.

Luc. 7.

intelligi: Non abūdat Dei gratia corporaliter, quia G spiritualis est. Quis eius potest aut magnitudinem aut latitudinem comprehendere quam non videt? Fides si fuerit sicut granum sinapis, montes trans-
 * Non
 ferre potest, & non tibi datur ultra granum sinapis, Si in te abundet gratia, * est verendum ne mens tua tanto munere incipiat extolli: quia multi sunt qui ab altitudine cordis sui grauius corruerunt, quā si nullam habuissent Dei gratiā. Et qui parum habet, non minuit, quia non est corporeum vt diuidatur: & quod parum videtur habenti, plurimum est cui nihil deest. Consideranda etiam in largiendo atas H atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales, vt senibus plus largiaris, qui sibi labore iam non queunt victum querere. Similiter & debilitas corporis, & hæc iuuanda prōptius. Tum si quis ex diuitiis cecidit in egestatem, & maximè si non vitio suo, sed aut latrocinii, aut pro-
 Luc. 11.
 scriptione, aut calumniis quæ habebat amisit. Sed fortè dicat aliquis: Cæcus vno loco sedet & præteritur, & iuuenis validus frequenter accipit. Verum est quia obrepit propter importunitatem. Non est illud iudicij, sed tædij. Nam & Dominus ait in Euā-
 Luc. 11.
 gelio, de eo qui iam clauserat ostium suum, si quis ostium eius procacius pulsset, quia surgit & dat illi propter importunitatem.

De reddendo beneficio. CAP. XXXI.

Plurimum quoque est, propensioem eius haberi rationem, qui tibi aut beneficium aliquod, aut munus contulit, si ipse in necessitate incidit. Quid enim tam contra officium, quā non reddere quod acceperis? Nec mensura pari, sed vberiore reddendum arbitror, & vsum pensandum beneficij, vt tātō subuenias, quantō eius ærumnam repellas. Etenim superiorem non esse in referendo, quā in cōferendo beneficio, hoc est minorem esse: quoniam qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior. Vnde imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatori solet numero reddere quā acceperit. Ideo est tibi scriptum: Sicut agricultura est homo inspiens, & tanquam vinea homo egens sensu. Si reliqueris eum, desolabitur. Sicut agricultura ergo etiam sapiens, vt tanquam scenerata sibi maiore mensura semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit ac reddit. Vtrumque debes quodam hæreditario vsu parentis, ne relinquare sicut infœcundus ager. Esto tamen vt aliquis excusare possit quod nō dederit, quomodo excusare potest quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet. Ideo pulchrè Salomon ait: Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige ea quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens quòd oportet te talia præparare. Si autem infatiabilis es, noli concupiscere escas eius, hæc enim obtinent vitam falsam. Quem nos imitari cupiētes, sententias scripsimus. Conferre gratiam, bonum est: at qui referre nescit, durissimus. Humanitatis exemplum ipsa terra suggerit. Spontaneos fructus ministrat quos non feueris, multiplicatum quoque red-

dit quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet acceptam non referre gratiā? In Prouerbiis quoque habes, quod ita plurimum redhibitio ista gratiæ apud Deum consuevit valere, vt etiam in die ruinæ inueniat gratiam, quādo possunt præponderare peccata. Et quid aliis vtar exemplis, cum Dominus ipse remunerationē vberiore sanctorum meritis in Euangelio polliceatur, atque exhortetur vt operemur bonum opus, dicēs: Dimittite, & dimittetur vobis: date & dabitur vobis: mensuram bonam, commotam, supereffluentē dabunt in sinum vestrum? Itaque & illud conuiuij Salomonis, non de cibis, sed de operibus est bonis. Quo enim melius epulantur animi, quā bonis factis? Aut quid aliud tam facilè potest iustorum explere mentes, quā boni operis conscientia? Qui autem iocundior cibus quā facere voluntatem Dei? Quem cibum sibi solum Dominus abundare memorat, sicut scriptum est in Euangelio: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui est in cœlo. Hoc cibo delectemur, de quo ait Propheta: Delectare in Domino. Hoc cibo delectatur qui superiores delectationes mirabili ingenio comprehendunt, qui possunt scire, qualis sit illa munda & intelligibilis mentis delectatio. Edamus ergo panem sapientiæ, & saturemur in verbo Dei: quia non in solo pane, sed in omni verbo Dei vita est hominis facti ad imaginem Dei. De poculo verò satis expressè dicit sanctus Iob: Sicut terra expectans pluuiam, sic & isti sermones meos.

Benevolentiam liberalitate potiore esse. CAP. XXXII.

Plurimum est ergo vt diuinarum scripturarum humescamus alloquio, & quasi ros sic in nos dei verba descendant. Cum igitur sederis ad illam mensam potentis, intellige quis sit iste potens: & in paradiso delectationis positus, atque in conuiuio sapientiæ collocatus, considera quæ apponuntur tibi. Scriptura diuina, conuiuium sapientiæ est: singuli libri, singula sunt fercula. Intellige prius quæ habeantur in ferculis dapes, & tunc mitte manum, vt ea quæ legis vel quæ accipis à Domino Deo tuo, operibus exequaris, & collatam in te gratiam officiis repræsentes: vt Petrus & Paulus, qui euangelizando vicem quandam largitori muneris reddiderunt, vt possint singuli dicere? Gratia autem Dei sum id quod sum, & gratia eius in me egena non fuit, sed habundantius illis omnibus laboraui. Alius ergo fructum accepti beneficij, vt aurum auro, argentum argento rependit: alius laborem: alius, haud scio an etiam locupletius, solum restituit affectum. Quid enim si reddendi nulla facultas suppetit? In beneficio reddendo plus animus quā census operatur: magisque præponderat benevolentia, quā possibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipso quod habetur refertur. Magna igitur benevolentia, quæ etiam si nihil conferat, plus exhibet: & cum in patrimonio nihil habeat, largitur pluribus: idque facit sine vlllo suo dispendio, & lucro omnium. Et ideo præstat benevolentia supra ipsam liberalitatem. Dicitior hæc moribus, quā illa muneribus. Plures enim

nim sunt qui indigent beneficio, quā qui abundant. Est autem benevolentia coniuncta liberalitati, à qua ipsa liberalitas proficiscitur: cum largitatis affectum sequitur largiendi vsus & separata atque descreta. Vbi enim deest liberalitas, benevolentia manet communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit & copulat, in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus mœsta, vt vnusquisque benevolentis se magis quā sapientis credat consilio: vt Dauid cum esset prudentior, Ionathæ tamen iunioris consiliis acquiescebat. Tolle ex vsu hominum benevolentiam, tanquam solem è mundo tuleris, ita erit: quia sine ea vsus hominum esse nō potest, vt peregrinanti monstrare viam, reuocare errantem, deferre hospitium. Aquam de aqua profuente dare, lumen de lumine accendere. Non igitur mediocris virtus, de qua sibi plaudebat Iob dicens: Foris autem non habitat hospes, ianua mea omniventi patebat. Benevolentia itaque in his est omnibus, tanquam fons aquæ reficiens sitientem, tanquam lumen quod etiam in aliis luceat, nec illis desit, qui de suo lumine aliis lumen accenderint. Est etiam illa benevolentia liberalitas, vt si quod habes debitoris chirographum, sciens restituas, nihil à debitore consecutus debiti. Quod exemplo sui facere nos debere Iob sanctus admonet. Nam qui habet, non mutuatur: qui non habet, non liberat syngrapham. Quid igitur etiam si ipse non exigas, avaris hæredibus referuas, quam potes cum benevolentia laude sine damno pecuniæ repræsentrare? Atque vt plenius discutiamus, benevolentia à domesticis primum profecta personis, id est, à filiis, parentibus, fratribus, per coniunctionum gradus in ciuitatum peruenit ambitū, & de paradiso egressa mundum repleuit. Denique cum in viro & fœmina benevolentem Deus posuisset affectum, dixit: Erunt ambo in vna carne, & in vno spiritu. Vnde se Eua serpenti credidit, quoniam quæ benevolentiam acceperat, esse malevolentiam non opinabatur.

Benevolentiam in ecclesia maximè, & earundem virtutum hominibus perseverare. CAP. XXXIII.

Avgetur benevolentia cœtu ecclesiæ, fidei cōsortio, initiandi societate, percipiendæ gratiæ necessitudine, mysteriorum communionem. Hæc enim etiam appellationes necessitudinum, reuerentiam filiorum, auctoritatem & pietatem, germanitatem fratrum sibi vendicant. Multum igitur ad cumulandam spectat benevolentiam necessitudo gratiæ: adiuuant etiam pariū studia virtutum: siquidem benevolentia etiam morum facit similitudinem. Denique Ionathas filius regis imitabatur sancti Dauid mansuetudinem, propter quod diligebat eum. Vnde & illud: Cum sancto sanctus eris, non solum ad conuersationem, sed etiam ad benevolentiam deriuandum videtur. Nam vtique & filij Noë simul habitabant, & non erat in his morum concordia. Habitabant etiā in domo patris Esau & Iacob, sed discrepabant: non enim erat benevolentia inter eos, quæ sibi præferret alterum, sed magis contetio, quæ præriperet benedictionem. Nam cum alter prædu-

rus, alter māsuetus esset, inter dispares mores & studia compugnancia, benevolentia esse non poterat. Adde quia sanctus Iacob paternæ degenerem domus virtuti præferre non poterat. Nihil autem tam confociabile, quā cum æquitate iustitia, quæ velut compar & focia benevolentia, facit vt eos quos pares nobis credimus, diligamus. Habet autem in se benevolentia etiam fortitudinem. Nam cum amicitia ex benevolentia fonte procedat, non dubitat pro amico graua vitæ sustinere pericula. Et si mala mihi, inquit, euenerint, per illum sustineo.

Laudes benevolentia. CAP. XXXIII.

Benevolentia etiam gladium iracundiæ extorque confuevit. Benevolentia facit vt amici vulnera vtilia magis, quā voluntaria inimici oscula sint. Benevolentia facit vt vnus fiat ex pluribus, quoniam et si plures amici sint, vnus fiunt, in quibus vnus spiritus & vna sententia est. Simul aduertimus etiam correptiones in amicitia gratas esse, quæ aculeos habent, dolorem non habent. Compungimur enim censoriis sermonibus, sed benevolentia delectamur sedulitate. Ad summam, non omnibus eadē semper officia debentur, nec personarum semper, sed plerumque causarum & tēporum prælationes sunt, vt vicinum quis interdum magis quā fratrem adiuuerit. Quoniam & Salomon dicit: Melior est vicinus in proximo, quā frater longè habitans. Et ideo plerumque amici se benevolentia quisque committit, quā fratris necessitudini. Tantum valet benevolentia, vt plerumque pignora vincat naturæ.

De fortitudine, quam sine iustitia virtutem non esse, manifestis declaratur indicij. CAP. XXXV.

Satis copiosè iustitia loco honesti naturam & vim tractauimus. Nunc de fortitudine tractemus, quæ velut excelsior cæteris, diuiditur in res bellicas & domesticas. Sed bellicarum rerum studium à nostro officio iam alienum videtur, quia animi magis quā corporis officio intendimus, nec ad arma iam spectat vsus noster, sed ad pacis negotia. Maiores autem nostri, vt Iesus Naue, Hieroboal, Samson, Dauid summam rebus quoque bellicis retulere gloriam. Est itaque fortitudo velut excelsior cæteris, sed nunquam incommitata virtus. Non enim seipsam committit sibi, alioquin fortitudo sine iustitia, iniquitatis materia est. Quò enim validior est, eò prōptior est, vt inferiorem opprimat: cum in ipsis rebus bellicis iusta bella, an iniusta sint, spectandum putetur. Nunquam Dauid, nisi lacescit, bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prælio. Nam & aduersus Goliath immani mole corporis virum, singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur respuit. Virtus enim suis lacertis magis quā alienis integumentis nititur. Deinde e minus, quò grauius feriret, ictu lapidis hostē interemit: postea nunquā nisi consulto Domino bellū adorsus est. Ideo in omnibus victor præliis, vsque ad summam senectutem manu promptus, bello aduersus Titanas suscepto, ferocibus bellator miscebatur

Matth. 17.

* Non

Luc. 11.

Prou. 23.

Luc. 6.

1. Reg. 19.

Iob. 31.

Ioan. 4.

Psal. 1.

Deuter. 8.

Matth. 4.

Genes. 1.

Iob 29.

Genes. 2.

1. Reg. 19.

Psal. 17.

Eccles. 22.

Prouerb. 17.

Ibidem.

2. Reg. 17.

** hominibus* * agminibus, gloriae cupidus, incuriosus salutis. Sed non haec sola praecleara fortitudo est, sed etiam illorum gloriosam fortitudinem accipimus, qui per fidem magnitudine animi obstruxerunt leonum ora, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate fortes, qui non comitatu & legionibus succincti, communem cum multis victoriam, sed nuda virtute animi singularem de perfidis retulerunt triumphum. Quam insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expauit leones. Fremebant bestiae, & ille epulabatur.

Fortitudinem maximè in animo & contemptu rerum

constare labentium.

C A P. XXXVI.

Non igitur in viribus corporis & lacertis tantummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi. Neque in inferenda, sed in depellenda iniuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Vnde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicae fortitudinis. Nam cum vidisset Hebraeum ab Aegypto iniuriam accipientem, defendit ita ut Aegyptium sterneret, atque in arena abscederet. Salomon quoque ait: Eripe eum qui ducitur ad mortem. Vnde igitur hoc vel Tullius, vel etiam Panætius, aut ipse Aristoteles transtulerint, apertum est satis, quamquam etiam his duobus antiquior dixerit Iob: Saluum feci pauperem de manu potentis, & pupillum cui adiutor non erat, adiui. Benedictio perituri in me veniebat. Nonne hic fortissimus, qui tam fortiter pertulit impetus diaboli, & vicit eum in virtute mentis suae? Neque verò de eius dubitandum fortitudine, cui dicit Dominus. Accinge sicut vir lumbos tuos, suscipe altitudinem & virtutem, omnem autem iniuriosum humiliato. Apostolus quoque ait: Habetis fortissimam consolationem. Est ergo fortis qui se in dolore aliquo consolatur. Et reuera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificētius, quam exercere mentem, afficere carnem & in seruitutem redigere, ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem? Haec igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò ut externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis quam expetenda ducat. Secundò, ut ea quae summa sunt, omnēsque res in quibus honestas & illud *ὀρετρον* cernitur, praecleara animi intentione vsque ad effectum persequatur. Quid enim tam praeclearum, quam ut ita animum tuum informes, ut neque diuitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras? Quod cum ita affectus animo fueris, necesse est ut illud honestum ac decorum praepōndum putes, illique mentem ita intendas tuam, ut quicquid acciderit quo frangi animi solent, aut patrimonij ambitio, aut ho-

noris imminutio, aut obrectatio infidelium, quasi superior non sentias. Deinde ut te salutis ipsius pericula pro iustitia suscepta non moueant. Haec vera fortitudo est, quam habet Christi athleta: qui nisi legitimè certauerit non coronatur. An mediocre tibi videtur praecceptum fortitudinis? Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem. Vide quot certamina, & vna corona. Quod praecceptum non dat, nisi qui est confortatus in Christo Iesu, cuius caro requiem non habebat, afflictio vndique: foris pugnae, intus timores. Et quamuis in periculis, in laboribus plurimis, in carceribus, in mortibus positus, animo tamen non frangebatur, sed praeliabatur, ad eò ut potentior suis fieret infirmitatibus. Itaque considera quemadmodum eos qui ad officia ecclesiae accedunt, despicientiam rerum humanarum habere debere doceat. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Nec tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quae sunt omnia ad corruptelam ipso viu. Et infra: Si ergo confurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite. Et iterum: Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram. Et haec quidem adhuc omnibus fidelibus, tibi autem filii contemptum diuitiarum, prophanarum quoque & anilium fabularum suadet declinationem, nihil permittens nisi quod te exerceat ad pietatem: quia corporalis exercitatio nulli rei vsui est, pietas autem ad omnia utilis. Exerceat ergo te pietas ad iustitiam, continentiam, mansuetudinem, ut fugias iuuenilia opera, confirmatus & radicans in gratia, bonum fidei subeas certamen: non te implicēs negotiis secularibus, quoniam Deo militas. Etenim si is qui imperatori militat, à susceptionibus litium, actu negotiorum forensium, venditione mercium prohibetur humanis legibus: quātomagis qui fidei exercet militiam, ab omni vsu negotiationis abstinere debet, agelluli sui contentus fructibus, si habet: si non habet, stipendiorum suorum fructu? Siquidem bonus testis est, qui dicit: Iuuenis fui, & senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. Ea est enim tranquillitas animi & temperantia, quae neque studio quaerendi afficitur, neque egestatis metu angitur.

Mala aequanimiter toleranda, & interdum etiam declinanda.

C A P. T XXXVII.

Est etiam quae dicitur vacuitas animi ab angoribus, ut neque in doloribus molliores simus, neque in prosperis elatiores. Quod si hi qui ad capefendam rempublicam adhortamur aliquos, haec praeccepta dant: quāto magis nos qui ad officium ecclesiae vocamur, talia debemus agere quae placeant Deo, ut & praetendat in nobis virtus Christi, & ita simus nostro probati imperatori, ut membra nostra arma iustitiae sint, arma non carnalia in quibus peccatum regnet, sed arma fortia Deo, quibus peccatum destruat. Moriatur caro nostra, ut in ea omnis culpa moriatur, & quasi ex mortuis viuentes, nouis resurgamus operibus ac moribus. Haec sunt plena honesti & decori officij stipendia fortitudinis. Sed

quia

Matth. 10.

quia in omnibus quae agimus, non solum quid honestum, sed etiam quid possibile sit quaerimus, ne forte aggrediamur aliquid quod non possimus exequi: vnde nos tempore persecutionis de ciuitate in ciuitatem cedere, imò ut ipsius verbo utar, fugere vult Dominus: ne temerè aliquis dum martyrij desiderat gloriam, offerat se periculis, quae fortasse caro infirmior aut remissior animus ferre ac tolerare non queat.

Quòd prouidentia magnum munimen fortitudinis sit.

C A P. XXXVIII.

Nec rursus propter ignauiam cedere quis ac deserere fidem debet metu periculi. Quia gratia praeparandus est animus, exercenda mens, stabilenda ad constantiam: ut nullis perturbari animus possit terroribus, nullis frangi molestiis, nullis suppliciiis cedere. Quae difficile quidem sustinentur. Sed quia omnia supplicia grauiorum suppliciorum vincuntur formidine, idè si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas diuini iudicij metum, perpetui supplicij tormēta, potes animi subire tolerantiam. Hoc igitur diligentiae est, ut quis ita se comparet: illud ingenij, si quis potest vigore mentis prauidere quae futura sunt, & tanquam ante oculos locare, quid possit accidere: & quid agere debeat, si ita acciderit, definire: interdum duo & tria simul voluere animo, quae coniciat, aut singula aut coniuncta accidere posse, & aut singulis aut coniunctis disponere actus quos intelligat profuturos. Fortis ergo est viri, non dissimulare cum aliquod imminet, sed praetendere & tanquam explorare de specula quadam mentis, & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, ne forte dicat postea: Idè ista incidi, quia non arbitrabar posse euenire. Denique nisi explorentur aduersa, cito occupant. Ut in bello improuisus hostis vix sustinetur, & si imperator inueniat facile opprimat: ita animum mala inexplorata plus frangunt. In his ergo duobus illa est animi excellētia, ut primùm animus tuus bonis exercitatus cogitationibus, mundo corde quod verum & honestum est videat: Beati enim mundo corde, quia ipsi etiam Deum videbunt: atque id quod honestum est, solum bonum iudicet. Deinde nullis perturbetur occupationibus, nullis cupiditatibus fluctuet. Neque verò id quisquam facile facit. Quid enim tam difficile, quam despiciere tanquam ex arce aliqua sapientiae opes, aliaque omnia, quae plerisque videntur magna & praecelsa? Deinde ut iudicium tuum stabili ratione confirmes, & quae iudicaueris leuia, tanquam nihil profutura contemnas. Deinde, ut si quid acciderit aduersi, idque graue & acerbum putetur, ita feras, ut nihil praeter naturam accessisse putes, cum legeris: Nudus sum natus, nudus exibo: quae Dominus dedit, Dominus abstulit: & vtique & filios amiserat & facultates, seruēque in omnibus personam sapientis & iusti, sicut ille seruauit qui ait: Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Et infra: Sicut vna insipientium mulierum locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, quae mala sunt non sustinebimus?

S. Ambr. tom. 5.

A Fortitudinem aduersus omnia vitia dimicare debere, praecipue aduersus auaritiam.

C A P. XXXIX.

Non est igitur mediocris nec discreta à ceteris animi fortitudo, quae bellum cum virtutibus gerat, sed quae sola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia custodiat, & quae inexpiabili praelio aduersus omnia vitia decernat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec (ut dicitur) aue dicat, pecuniam negligat, auaritiam fugiat tanquam labem quandam quae virtutem effoeminet. Nihil enim tam contrarium fortitudini, quam lucro vinci. Frequenter pulsus hostibus, inclinata in fugam aduersariorum acie, dum exuuiis caesorum capitur praelior, inter ipsos quos strauit miserandus occubuit: & triumphis suis deiectae legiones dum spoliis occupantur, hostem in se reuocarunt qui fugerat. Fortitudo igitur tam immanem pestem repellat & proterat, nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu, quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia, tanquam virtutis venena: iracundiam velut quibusdam propulset armis, quae tollit consilium, & tanquam aegritudinem vitet. Gloria quoque caueat appetentiam, quae frequenter nocuit immoderatus appetita, semper autem usurpata. Quid horum sancto Iob, vel in virtute defuit, vel in vitio obrepit? Quomodo laborem aegritudinis, frigoris, famis, pertulit? Quomodo despexit salutis periculum? nunquid rapinis diuitiae coaceruatae, de quibus tanta in opibus affluebant? Nunquid auaritia, census, aut voluptatis studia cupiditateque excitauit? Nunquid trium regum iniuriola contentio, vel seruorum contumelia in iram excussit? Nunquid gloria sicut leuem extulit, qui imprecabatur grauiam sibi, si vnquam vel non voluntariam celauisset culpam, vel reueritus esset multitudinem plebis, quominus annuncieret eam in conspectu omnium? Neque enim consentaneae sunt vitii virtutes, sed sibi constant. Quis igitur tam fortis quam sanctus Iob? Cui secundus adiudicari potest, qui parem vix reperit?

Virtutem bellicam nostris etiam non inuisitat.

C A P. XL.

Sed fortasse aliquos bellica defixos gloria tenet, ut putent solam esse praeliam fortitudinem, & idè me ad ista deflexisse, quia illa nostris deforet. Quam fortis Iesus Naue, ut vno praelio quinque reges captos sterneret cum populis suis? Deinde cum aduersum Gabaonitas surgeret praelium, & vereretur ne nox impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamauit: Stet sol, & stetit dum haec victoria consummaretur. Gedeon in decem viris, de ingenti populo & acerbis hoste reuexit triumphum. Ionathas adolescens virtutem fecit in magno praelio. Quid de Machabeis loquar? Sed prius de populo dicam patrum, qui cum essent parati ad repugnandum pro templo Dei, & pro legitimis suis, dolo hostium die lacesiti sabbati, maluerunt

Iosue 10.

Judic. 7.

1. Reg. 14.

1. Mach. 2.

1. Mach. 6.

vulneribus offerre nuda corpora, quàm repugnare, G ne violarent sabbatum. Itaque omnes læti se obtulerunt morti. Sed Machabæi considerantes quòd hoc exemplo gens omnis possit perire, sabbato etiam, cum ipsi in bellum prouocaretur, vlti sunt innocentium necem fratrum suorum. Vnde postea stimulatus rex Antiochus, cum bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Gordiam, ita cum Orientalibus suis & Assyriis attritus est copiis, vt quadraginta & octo milia in medio campi à tribus milibus prosternerentur. Virtutem ducis Iudæ Machabæi de vno eius milite considerate. Namque Eleazarus cum supereminente cateris elephantè lorica vestitum regia aduerteret, arbitratus quod in eo esset rex, cursu concito in medium legionis se prorupit, & abiecto clypeo vtraque manu interficiebat bestiam, atque intrauit sub eam, & subiecto gladio interemit eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi, primò vt mortem non timeret, deinde vt circumfusis legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulnerata molem bestie subiret ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniore feriret ictu, cuius ruina inclusus magis quàm oppressus, suo est sepultus triumpho? Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incurfare non ausi, post casum ruentis bestie sic trepidauerunt, vt impares se omnes vnus virtuti arbitrarentur. Denique rex Antiochus Lysie filius, qui cum centum viginti milibus hominum armatus venerat, & cum triginta duobus elephantis, ita vt ad ortum solis per singulas bestias velut montes quidam armorum corusco tãquam lampadibus ardentibus refulgerent, vnus territus fortitudine pacem rogaret. Itaque Eleazarus hæredem virtutis sue pacem reliquit. Sed hæc triumphorum sint.

Fortitudinem non solum in vincendo, sed etiam plus in tolerando constare.

CAP. XLII.

1. Mach. 9.

Verum quia fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam aduersis probatur, spectemus nunc Iudæ Machabæi exitum. Is enim post victum Nicanorem regis Demetrii ducem, securior aduersus viginti milia exercitus regis, cum nongentis viris bellum adorsus, volentibus his cedere ne multitudine opprimerentur, gloriosam magis mortem, quàm turpem fugam suavit. Ne crimen, inquit, nostræ relinquamus gloriæ. Itaque commissio prælio, cum à primo ortu diei in vesperâ dimicaretur, dextrum cornu in quo validissimam manum aduertit hostium, aggressus facile auertit. Sed dum fugietes sequitur, à tergo vulnere locum præbuit: ita gloriosam mortem inuenit. Quid Ionathan fratrem eius attexam, qui cum parua manu aduersus exercitus regis pugnavit, desertus à suis, & cum duobus tantum relictis, reparauit bellum, auertit hostem, fugitantes suos ad societatem reuocauit triumphi? Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocri honesti ac decori forma est, quod mortē

seruituti præferat ac turpitudini. Quid autē de martyrum dicam passionibus? Et ne longius euagemur, non minorem de superbo rege Antiocho Machabæi pueri reuexerunt triumphum, quàm parentes proprii: siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt. Stetit inuicta septem puerorū cohors regis cincta legionibus, defecerunt supplicia, cesserunt tortores, non defecerunt martyres. Alius corio capitis exutus, speciem mutauerat, virtutem auxerat. Alius linguam iussus amputandam promere, respondit: Non solos dominos audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quàm voces omnium. Lingua flagellum times, flagellum sanguinis non times? Habet & sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamauit in Abel. Quid de matre loquar, quæ spectabat læta filiorum quot funera tot trophæa, & morientium vocibus tanquam psallentiū cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyre numero dulciorem? Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt, quàm sensu naturæ? Quid de sancta Agne, quæ in duarum maximarum rerum posita periculo, castitatis & salutis, castitatem protexit, salutem cum immortalitate commutauit? Non prætereamus etiã sanctum Laurentium, qui cum videret Sixtum episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remanionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progredieris sine filio, pater? Quò sacerdos sancte, sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergo displicuit pater? num degenerem probasti? Experire certè vtrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic confortium tui sanguinis negas? Vide ne periclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid quod illustres & præstantes viri discipulorum certaminibus magis quàm suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit. Et tu pater ostende in filio virtutem tuam, offer quem erudisti, vt securus iudicij tui comitatu nobili peruenias ad coronam. Tunc Sixtus: Non ego te filii relinquo ac defero, sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnae cursum recipimus, te quasi iuuenem manet gloriosior te tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequeris. Inter sacerdotem & Leuitam hic medius numerus decet. Nō erat tuū sub magistro vincere, quasi adiutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatem eius dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur, vt vincant sine magistro, qui iam non indigent magisterio. Sic & Helias Helisæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem. Talis erat contentio, digna sanè, de qua certarent sacerdos & minister, quis prior pateretur pro Christi nomine. In fabulis feruntur tragicis, excitatos theatri magnos esse plausus, cum se Pylades Orestem diceret: Orestes vt erat, Orestē se esse asseueraret: ille vt pro Oreste necaretur,

tur, Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari. Sed illis non licebat viuere, quòd vterque esset parricidij reus, alter qui fecisset, alter qui adiuuisset. Hic Laurentiū sanctum ad hoc nullus urgebat nisi amor deuotionis, tamen & ipse post triduum, cum illuso tyranno impositus super craticulam exuraretur, ** Assum est, inquit, versa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam.*

Potestates non irritandis, & adulationibus non attendendum.

CAP. XLII.

Cauendum etiam reor, nedum aliqui nimia gloria ducuntur cupiditate, insolentius abutantur potestatibus, & plerumque auersos à nobis animos gentilium, in studia persecutionis excitent atque inflamment ad iracundiam. Itaque vt illi perseverare possint, & supplicia vincere, quantos perire faciunt? Prospiciendum etiam, ne adulationibus aperiamus aurem. Emolliri enim adulatione, non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignauitæ videtur.

De temperantia & eius partibus.

CAP. XLIII.

Quoniam de tribus virtutibus diximus, restat vt de quarta virtute dicamus, quæ temperantia ac modestia vocatur: in qua maximè tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur & quæritur. Ordo igitur quidam vitæ nobis tenendus est, vt à verecundia prima quædam fundamenta ducantur: quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, proteruiam fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fouet, decorum illud requirit. Sequatur cōuersationis electio, vt adiungamur probatissimis quibusque senioribus. Nāque vt æqualium vsus dulcior, ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque si hi qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt, quanto magis adolescentibus cum senibus debent nouum sibi iter vitæ aggredi, quominus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pulchrius, quàm eodem & magistris vitæ & testes habere. Quarendū est etiã in omni actu, quid personis, quid temporibus conueniat atque ætatibus, quid etiam singulorum ingenijs sit accommodum. Sæpè enim quod alterum decet, alterum non decet. Aliud iuueni aptum, aliud seni: aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Salsit ante arcam Domini Dauid, non saltauit Samuel. Nec ideo ille reprehensus, sed magis iste laudatus. Mutauit vultum coram rege, cui nomen Achis. At hoc si fecisset remota formidine quominus cognosceretur, nequaquam leuitatis reprehensione carere potuisset. Saul quoque vallatus choro Prophetarum, etiam ipse prophetauit: & de solo quasi indigno memoratum est: Et Saul inter Prophetas.

Officio sibi congruo quemque studere debere.

CAP. XLIII.

Vnusquisque igitur suum ingenium nouerit, & ad id se applicet quod sibi aptum elegerit. Itaque quid sequatur, prius cōsideret. Non solum nouerit bona sua, sed etiam vitia cognoscat: æqualemque se iudicem sui præbeat, vt bonis intendat, vitia declinet. Alius distinguenda lectio aptior, alius psalmo gratior: alius exorcizandis qui malo laborat spiritu sollicitior: alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet sacerdos, & quid cuique congruat, id officij deputet. Quò etenim vnumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id maiore implet gratia. Sed id cum in omni vita difficile sit, tum in nostro actu difficillimum est. Amat enim vnusquisque sequi vitam parentum. Denique plerique ad militiam feruntur, quorum militauerunt parentes, alij ad actiones diuersas. In Ecclesiastico verò officio nihil rarius inuenias, quàm eum qui sequatur institutum patris: vel quia graues deterrent actus, vel quia in lubrica ætate difficilior abstinentia: vel quia alacri adolescentiæ videtur vita obscurior: & ideo ad ea conuertuntur studia, quæ plausibilia arbitrantur. Præsentia quippe plures quàm futura præferunt. Illi autem præsentibus, nos futuris militamus. Vnde quò præstantior causa, eò debet esse cura attentior.

De pulchro & honesto.

CAP. XLV.

Teneamus igitur verecundiam, & eam, quæ totius vitæ ornatum attollit, modestiam. Non enim mediocre est rebus singulis modum seruare atque impartiri ordinem, in quo verè præluet illud quod decorum dicitur, quod ita cum honesto iungitur vt separari non queat. Siquidem & quod decet, honestum est: & quod honestum est, decet: vt magis in sermone distinctio sit quàm in virtute distinctio. Differre enim ea inter se intelligi potest, explicari non potest. Et vt conemur aliquid erueri distinctio, honestas velut bona valetudo est, & quædam salubritas corporis: decus autem tanquam venustas & pulchritudo sit. Sicut ergo pulchritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, & tamen sine his esse non potest, neque vilo separari modo, quoniam nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse ac venustas non potest: sic honestas decorum illud in se continet, vt ab ea profectum videatur, & sine ea esse non possit. Velut salubritas igitur totius operis actusque nostri honestas est, & sicut species est decorū, quod cum honestate consultum opinione distinguitur. Nā etsi in aliquo videatur excellere, tamē in radice est honestatis, sed flore præcipuo, vt sine ea decidat, in ea floreat. Quid enim est honestas, nisi quæ turpitudinem, quasi mortem fugiat? Quid verò in honestum, nisi quod ariditatem ac mortem afferat? Virente igitur substantia virtutis, decorum illud tãquam flos emicat, quia radix salua est. At verò propositi nostri radice vitiosa, nihil germinat. Habes hoc in nostris aliquanto expressius. Dicit enim Dauid: Dominus regnavit, decorem induit. Et Apostolus ait: Sicut in die, honestè ambulate. Quod

*Psalm. 92.
Rom. 13.*

Græcè dicitur εὐσχημίας. Hoc autem propriè significat, bono habitu, bona specie. Deus ergo primum hominem cum conderet, bona habitudine, bona membrorum compositione formauit, & optimam ei speciem dedit, remissionem non dederat peccatorum: sed posteaquam renouauit eum spiritu, & infudit ei gratiam, qui venerat in serui forma, & in hominis specie, assumpsit decorem redemptionis humanæ. Et ideò dixit Propheta: Dominus regnauit, decorem induit. Deinde alibi dicit: Te decet hymnus Deus in Sion. Hoc est dicere. Honestum est vt te timeamus, te diligamus, te precemur, te honorificemus. Scriptum est enim: Omnia vestra honestè fiant. Sed possumus & hominem timere, diligere, rogare, honorare. Hymnus specialiter Deo dicitur. Hoc tanquam excellentius ceteris credere est decorum, quod deferimus Deo. Mulierem quoque in habitu ornato orare conuenit, sed specialiter eam decet orare velatam, & orare promittentem castitatem cum bona conuersatione.

Quod naturalia pulchra sint & honesta: Turpia uerò contra naturam.

CAPVT XLVI.

Est igitur decorum quod præminet, cuius diuisio gemina est. Nam est decorum quasi generale, quod per vniuersitatem funditur honestatis, & quasi toto spectatur corpore. Est etiam speciale, quod in parte aliqua enitet. Illud generale ita est, ac si æquabilem formam atque vniuersitatem honestatis in omni actu suo habeat concinentem, cum omni sibi eius vita consentit, nec in vlla aliqua re discrepat. Hoc speciale, cum aliquem actum in suis habet virtutibus præminentem. Simul illud aduerte, quod & decorum est, secundum naturam viuere, secundum naturam degere, & turpe est quod fit contra naturam. Ait enim Apostolus quasi interrogans: Decet mulierem non velatam orare Deum: nec ipsa natura nos docet. Quod vir quidem si comam habeat, ignominia est illi, quoniam contra naturam est. Et iterum dicit: Mulier uerò si capillos habeat, gloria est illi: est enim secundum naturam, quoniam quidem capilli pro velamine sunt. Hoc est enim naturale velamen. Personam igitur nobis & speciem natura ipsa dispensat, quam seruare debemus: vt inamque & innocentiam eius custodire possimus, nec acceptam nostra malitia mutaret. Habes hoc decorum generale, quia fecit Deus mundi istius pulchritudinem. Habes & per partes, quia cum faceret Deus lucem, & diem noctemque distingueret, cum conderet cælum, cum terras & maria separaret, cum solem, & lunam, & stellas constitueret lucere super terram, probauit singula. Ergo decorum hoc, quod in singulis mundi partibus elucebat, in vniuersitate resplenduit, sicut probat sapientia, dicens: Ego eram cui applaudebat, cum lætaretur orbe perfecto. Similiter ergo & in fabrica humani corporis grata est vniuscuiusque membri portio. Sed plus in communie compositio membrorum apta delectat, quod ita sibi quadrare & conuenire videantur.

Quarum passionum restrictione pulchrum illud possit acquiri.

CAP. XLVII.

Si quis igitur æquabilitatem vniuersæ vitæ, & singularum actionum modos seruet, ordinem quoque & constantiam dictorum atque operum, moderationemque custodiat, in eius vita decorum illud excellit, & quasi in quodam speculo elucet. Accedat tamen suavis sermo, vt conciliet sibi affectum audientium, gratumque se vel familiaribus, vel ciuibus, vel si fieri potest, omnibus præbeat: neque adulantem se, neque adulandum cuiquam exhibeat. Alterum enim calliditatis est, vanitatis alterum. Nō despiciat quid de se vnusquisque & maximè vir optimus sentiat. Hoc enim modo discit bonis deferre reuerentiam. Nam negligere bonorum iudicia, vel arrogantiam vel dissolutionis est: quorum alterum superbiam ascribitur, alterum negligentiam. Caveat etiam motus animi sui. Ipse enim sibi & obseruandus & circumspiciendus est, & vt aduersum se cauendus, ita etiam de se tuendus. Sunt enim motus in quibus est appetitus ille qui quasi quodam prorumpit impetu. Vnde Græcè ὄρμη dicitur, quod vi quadam se repente proripiat. Non mediocris in his vis quædam animi atque nature est. Quæ tamen vis gemina est: vna in appetitu, altera in ratione posita, quæ appetitum refrænct, & sibi obedientem præstet, & ducat quod velit, & tanquam sedulo magisterio edoceat quid fieri, quid euitari oporteat, vt bonæ dominatrici obtemperet. Solliciti enim debemus esse, ne quid temerè aut incuriosè geramus, aut quicquam omnino cuius probabilem non possumus rationem reddere. Actus enim nostri causa, etsi non omnibus redditur, tamen ab omnibus examinatur. Nec uerò habemus in quo nos possumus excusare. Nam etsi vis quædam nature in omni appetitu sit, tamen idem appetitus rationi subiectus est lege nature ipsius, & obedit ei. Vnde boni speculatoris est ita prætereundum animo, vt appetitus neque præcurrat rationem, neque deserat: ne præcurriendo perturbet atque excludat, eamque deferendo desituat. Perturbatio tollit constantiam, destitutio prodit ignauiam, accusat pigritiam. Perturbata enim mente latius se ac longius fundit appetitus, & tanquam efferato impetu frænos rationis non suscipit, nec vlla sentit aurigæ moderamina, quibus possit reflecti. Vnde plerumque non solum dum animus exagitur, amittitur ratio: sed etiam inflammatur vultus, vel iracundia, vel libidine, pallefcit timore, voluptate se non capit, & nimia gestit lætitia. Hæc cum fiunt, abiicitur illa naturalis quædam celsura, grauitasque morum: nec teneri potest illa quæ in rebus gerendis atque consiliis sola potest auctoritatem suam, atque illud quod deceat tenere, constantiam. Grauior autem appetitus ex indignatione nimia nascitur, quam acceptæ plerumque accendit iniuriæ dolor. De quo satis nos Psalmi quem in præfatione posuimus, præcepta instruunt. Pulchrè autè & hoc accidit, vt scripturi de officiis, ea præfationis nostræ assertionem vteremur, quæ & ipsa ad officij magisterium pertineret.

De tribus

De tribus generibus hominum iniurias accipientium.

CAP. XLVIII.

Sed quia supra, vt oportebat, perstrinximus, quæ admodum vnusquisque cauere possit ne excitetur accepta iniuria, verentes ne præfatio prolixior fieret, nunc de eo vberius disputandum arbitrator. Locus enim opportunus est, vt in partibus temperantiam dicamus, quemadmodum reprimatur iracundia. Tria itaque genera esse hominum iniuriam accipientium, in scripturis diuinis demonstrare volumus, si possumus. Vnum est eorum quibus peccator insultat, conuitiatur, inquietat. Iis quia deest iustitia, pudor crescit, augetur dolor. Horum similes plurimi de meo ordine, de meo numero. Nam mihi infirmo si quis iniuriam facit, forsitan, licet infirmus, donem iniuriam meam. Si crimè obiciat, non sum tantus, vt sim contentus conscientia mea, etiam si me eius obiecti alienum nouerim, sed cupio abluere ingenui pudoris notam, tanquam infirmus. Ergo oculum pro oculo, & dentem pro dente exigo, & conuictum conuictio rependo. Si uerò is sum qui proficiam, etsi nondum perfectus, non retorqueo contumeliam: & si inluat ille conuictis, & inundet aures meas contumeliis, ego taceo, & nihil respondeo. Si uerò perfectus sim (verbi gratia loquor, nam veritate infirmus sum) si ergo perfectus sim, benedico maledicentem, sicut benedicebat & Paulus, qui ait: Maledicimur & benedicimus. Audierat enim dicentem: Diligite inimicos vestros, orate pro calumniatibus & persequentibus vos. Ideò Paulus persecutionem patiebatur & sustinebat, quia vincebat & mitigabat humanum affectum propositæ mercedis gratia, vt filius Dei fieret, si dilexisset inimicum. Tamen & sanctum David in hoc quoque genere virtutis impare Paulus non fuisse edocere possumus: Qui primò quidem cum malediceret ei filius Semel & crimina obiiceret, tacebat & humiliabatur, & si lebat à bonis suis, hoc est, bonorum operum conscientia: deinde expetebat maledici sibi, quia maledicto illo diuinam exquirebat misericordiam. Vide autem quomodo & humilitatè, & iustitiam, & prudentiam emerendæ à Domino gratiæ referuauerit. Primò dicit: Ideò maledicit mihi, quia Dominus dixit illi, vt maledicat. Habes humilitatè, quia ea quæ diuinitus imperabantur, æquanimiter quasi seruus ferenda arbitrabatur. Iterum dixit: Ecce filius meus qui exiit de ventre meo, quærit animam meam. Habes iustitiam. Si enim à nostris grauiorapatimur, cur indignè ferimus quæ inferuntur ab alienis? Tertio ait: Dimitte illum vt maledicat, quoniam dixit illi Dominus, vt videat humiliationem meam, & retribuet mihi Dominus pro maledicto hoc. Nec iam solum conuictantem pertulit, sed etiam lapidantem & sequentem illæsum reliquit, quinetiam post victoriam petenti, veniam libenter ignouit. Quod eò inserui, vt Euangelico spiritu sanctum David non solum inoffensum, sed etiam gratum fuisse conuictanti docerem, & delectatum potius quam exasperatū iniuriis, pro quibus mercedem sibi reddendam arbitrabatur. Sed tamen quamuis perfectus, adhuc perfectiora quærebat. Incalescebat iniuriæ dolore quasi homo, sed vincebat spiritu, quasi bonus mi-

les. Tolerabat quasi athleta fortis, patientiæ autem finis promissorū expectatio, & ideò dicebat: Notū fac mihi Domine finem meum, & numerum dierū meorum, qui est, vt sciam quid desit mihi. Finem illum quærit promissorum cœlestium, vel illum quædo vnusquisque surget suo in ordine, primitiæ Christi, deinde hi qui sunt Christi, qui in aduētum eius crediderunt, deinde finis. Tradito enim regno Deo & patri, & euacuat omnibus potestatibus, vt Apostolus dixit, perfectio incipit. Hic ergo impedimentum, hic infirmitas etiam perfectorū, illic plena perfectio. Ideò & dies illos requirit vitæ æternæ qui sunt, non qui prætereunt, vt cognoscat quid sibi desit, quæ terra sit repromissionis, perpetuos fructus ferens, quæ prima apud patrem mansio, quæ secunda, quæ tertia, in quibus pro ratione meritorum vnusquisque requiescit. Illa ergo nobis expetenda in quibus perfectio, in quibus veritas est. Hic umbra, hic imago, illic veritas. Umbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.

De vanitate calcanda.

CAP. XLIX.

Ergo dum hic sumus, seruemus imaginem, vt ibi perueniamus ad veritatem. Sit in nobis imago iustitiæ, sit imago sapientiæ, quia veniemus ad illum diem, & secundum imaginem æstimabimur. Non inueniat in te aduersarius imaginem suam, non rabiem, non furorem. In his enim imago nequitie est. Aduersarius enim diabolus sicut leo rugiens quærit quem occidat, quem deuoret. Non inueniat auri cupiditatem, non argenti aceruos, non vitiorum simulachra, ne auferat tibi vocem libertatis. Vox enim libertatis illa est, vt dicas: Veniet huius mundi princeps, & in me inueniet nihil: Itaque si securus es, quod nihil in te inueniat, cum venerit perscrutari, dices illud quod dixit ad Laban Iacob Patriarcha: Cognosce si quid tuorum apud me est. Meritò beatus Iacob, apud quem nihil Laban suum potuit reperire. Absconderat enim Rachel simulachra deorum eius aurea & argentea. Itaque si sapientia, si fides, si contemptus seculi, si gratia tua abscondat omnem perfidiam, beatus eris, quia non respicis in vanitates & insanias falsas. An mediocre est tollere vocem aduersario, vt arguendi te non possit habere auctoritatem? Itaque qui non respicit in vanitates, non conturbatur: qui enim respicit, conturbatur, & vanissimè quidem. Quid est enim cōgregare opes, nisi vanum? quia caduca quærere, vanum est satis. Cum autem congregaueris qui scias, an possidere liceat tibi? Nōne vanum est vt mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quò aggerare possit thesauri aceruos, merces congerat, conturbetur ad precium, ne fortè minoris vendat quàm emerit, aucupetur locorum pretia, & subito aut latro nes in se inuidia fa-

mosa negotiationis excitet, aut non expectatis senioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragiū impatiens moræ incidat? An non conturbatur etiā ille vanè, qui summo labore coaceruat, quod nefciat cui hæredi relinquat? Sæpè quod auarus summa congefferit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus: & diu quæsit, turpis heluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. Sæpè etiam speratus successor inuidiam partæ acquirat hæreditatis, & celeri obitu extraneis aditæ successione transcribit compendia. Quid ergo vanè araneam texit, quæ inanis & sine fructu est, & tanquam casses suspendis inutiles diuitiarum copias, quæ etsi fluant, nihil profunt, imò exuunt te imaginem Dei, & induunt terreni imaginem? Si tyranni aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi? Tu deponis imaginem æterni imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Eū magis de ciuitate animæ tuæ imaginem diaboli, & attolle imaginem Christi. Hæc in te fulgeat in tua ciuitate, hoc est in anima resplendeat, quæ obliterat vitiorum imagines. De quibus ait Dauid: Domine, in ciuitate tua, ad nihilum deduces imagines eorum. Cū enim depinxerit illam Hierusalem Dominus ad imaginem suam, tunc aduersariorum omnis imago delebitur.

Quod officiorum gratia ministros altaris maxime deceat, quod testimonio Leuitici comprobatur.

CAP. I.

Quod si Euangelio Domini etiam populus ipse ad despiciendam opum informatus atque institutus est, quanto magis vos leuitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio est? Nam cū diuideretur à Moyse possessio terrena patrum populo, excepti Leuitas Dominus à terrena possessione confortio, quod ipse illis esset funiculus hæreditatis. Vnde ait Dauid: Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Denique sic appellatur, Leuita ipse meus, vel ipse pro me. Magnū ergo munus eius, vt de eo Dominus dicat, ipse meus. Vel quemadmodum Petro dixit de statere in ore piscis reperto: Dabis eis pro me & pro te. Vnde & Apostolus cū episcopum dixisset debere esse sobrium, pudicum, ornatum, hospitem, docibilem, non auarum, non litigiosum, domui suæ bene præpositū: addidit, diaconos similiter oportet esse graues, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primū, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Aduertimus, quanta in nobis requirantur, vt abstinens sit à vino minister Domini, vt testimonio bono fulciatur, nō solum fidelium, sed etiam ab his qui foris sunt. Decet enim actuum operumque nostrorum testem esse publicam existimationem & attestationem, ne derogetur muneri: vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, authorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales seruos habeat. Laus enim Domini, vbi munda possessio, & innocens familiaris disciplina. De castimonia autem quid

loquar, quando vna tantum, nec repetita permittitur copula? Et in ipso ergo coniugio lex est, non iterare coniugium, nec secundæ coniugis fortiri coniunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiā ante baptismū iterarij coniugij ad electionē muneris & ordinationis prærogatiuam impedimenta generentur, cū etiam delicta obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In coniugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur: quod legis est, in coniugio non soluitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit? Inoffensum autem exhibendum & immaculatum ministerium, nec vllō coniugali coitu violadum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis. Quod eo non præterij, quia in plerisque abditioribus locis cū ministerium gerent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt, & id tanquam vñ veteri defendunt, quādo per interualla dierū sacrificium deferbatur, & tamen castificabatur etiam populus per biduum aut per triduum, vt ad sacrificium purus accederet, vt in veteri testamento legimus: Et lauabat vestimenta sua. Si in figura tanta obseruantia, quanta in veritate? Disce sacerdos atque Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimētorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mēte pariter & corpore, audes pro aliis supplicare, audes pro aliis ministrare? Non mediocre officium Leuitarum, de quibus dicit Dominus: Ecce eligo Leuitas de medio filiorum Israël pro omni primogenito aperiente vuluam in filiis Israël: redemptiones eorum erunt isti, & erunt Leuitæ mihi. Mihi enim sanctificauit primogenitum in terra Ægypti. Cognito uimus, quia non inter cæteros Leuitæ computantur, sed omnibus præferuntur, qui eliguntur ex omnibus, & sanctificantur, vt primogenita fructuum atque primitiæ quæ Domino deputantur, in quibus est votorum solutio, & redemptio peccatorum. Nō accipies, inquit, eos inter filios Israël, & constitues Leuitas super tabernaculū testimonij, & super omnia vasa eius, altare & super quæcunque sunt ipso. Ipsi tollāt tabernaculū, & omnia vasa eius, & ipsi ministrent in eo, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituent, & promouendo, tabernaculum ipsi deponant Leuitæ: & constituendo castra, rursum ipsum tabernaculum ipsi statuunt. Alienigena quicumque accesserit morte moriatur. Tu ergo electus ex omni numero filiorum Israël, inter sacros fructus quasi primogenitus æstimatus, præpositus tabernaculo, vt præendas in castris sanctitatis & fidei, ad quæ si alienigena accesserit, morte morietur, positus vt operias arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur à Leuitis, ne videant qui videre non debent, & sumant qui seruare non possunt. Moyses denique circumcisionem vidit spiritalem, sed operuit eam vt in signo circumcisionem præscriberet. Vidit & azyma synceritatis & veritatis, vi-

dit passionem Domini, operuit azymis corporalibus azyma veritatis: operuit passionem Domini, agni vel vituli immolatione: & boni Leuitæ seruauerunt mysterium fidei suæ sub hoc tegmine, & tu mediocre putas, quod commissum est tibi? Primū vt alta Dei videas, quod est sapientiæ: deinde vt excubias pro populo deferas, quod est iustitiæ: castra defendas, tabernaculūq; tucaris, quod est fortitudinis: te ipsum continentem ac sobrium præstes, quod est temperantiæ. Hæc virtutum genera principalia constituerunt etiam hi qui foris sunt: sed communitatis superiorem ordinem quàm sapientiæ iudicauerunt, cum sapientia fundamentum sit, iustitia opus sit, quod manere non potest nisi fundamentum habeat. Fundamentum autem Christus est. Prima ergo fides, quæ est sapientia, vt Salomon dicit, secutus patrem: Initium sapientiæ timor Domini. Et lex dicit: Diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum. Pulchrum est igitur, vt gratiam tuam atque officia in societatem humani generis conferas. Sed primum illud decorum est, vt quod habes preciosissimum, hoc est, mētem tuam (qua nihil habes præstantius) Deo deponas. Cū solueris auctori debitum, licet vt opera tua in beneficentiam & adiumenta hominum conferas, atque opem feras necessitatibus, aut pecunia, aut officio, aut etiā quocunque munere: quod latè patet in vestro ministerio. Pecunia, vt subuenias, debito obligatum liberet. Officio, vt seruanda suscipias, quæ metuit amittere, qui deponēda credidit. Officium est igitur depositum seruare ac reddere. Sed interdum commutatio fit, aut tempore, aut necessitate, vt non sit officium reddere quod acceperis: Vt si quis contra patriam opem Barbaris ferens pecuniam apertus hostis reposcat, aut si cui reddas cū assit qui extorqueat, si furenti restituas cum seruare non queat, si insanienti gladium depositum non neges quo se ille interimat, nonne soluisse contra officium est? Si furto quæsit sciens suscipias, vt fraudetur qui amiserat, nonne contra officium est? Est etiam contra officium nonnumquam soluere promissum, sacramentum custodire: vt Herodes, qui iurauit quoniā quic-

quid petitus esset, daret filia Herodiadis, & necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret. Nam de Iepte quid dicam, qui immolauit filiam, quæ sibi victori prima occurrerat, quo votum impleret quod sponderat, vt quicquid sibi primum occurrisset, offerret Deo. Melius fuerat nihil tale promittere, quàm promissum parricidio soluere. Hæc quati cōsiliij sit prospicere, non ignoratis. Et ideo eligitur Leuita, qui sacrarium custodiat, ne fallatur consilio, ne fidem deserat, ne mortem timeat, ne quid intemperantius gerat, vt specie ipsa grauitatem præferat: nec solum animum, sed etiam oculos continentes habere quem deceat, ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursum: Quoniam qui viderit mulierem ad cōcupiscēdum eam, adulterauit eam in corde suo. Ita adulterium non solum facti colluione, sed etiam aspectus intentione committitur. Magna hæc videntur, ac nimis seuera, sed in magno munere non superflua, quando tanta est Leuitarum gratia, vt de his Moyses in benedictionibus diceret: Date Leui veros eius, date Leui manifestos eius, date Leui sortem suffragij sui, & veritates eius viro sancto, quem tentauerunt in tentationibus, maledixerunt super aquam contradictionis. Qui dicit patri suo & matri suæ, non noui te: & fratres suos non cognouit, & filios suos abdicauit: hic custodit verba tua, & testamentum tuum obseruabit. Illi ergo veri eius, & manifesti eius, qui nihil in corde doli habeant, nihil fraudis occultent, sed verba eius custodiant, & in corde suo conferant, sicut conferebat & Maria: qui suos parentes officio suo non nouerint præferendos, qui violatores oderint castitatis, pudicitia vlciscantur iniuriam, nouerint officiorum tempora, quod maius, quod minus sit, quod cuique aptum sit tempore, & vt id solum sequantur quod honestum est. Sanè vbi duo honesta, id quod honestius est, præponendum putent. Hi iure benedicti. Si quis ergo manifestet iustitias Dei, & incensum ponat, benedic Domine virtutem ipsius, opera manuum eius suscipe, vt gratiam prophetica benedictionis inueniat apud eum qui viuunt & regnat in secula seculorum. Amen.

FINIS.

Capita libri secundi Officiorum.

Honestate vitam acquiri beatam.

Cap. I.

Beatitudinem multis & diuersis modis philosophos æstimasse, sed iuxta nostros in cognitione diuina solummodo & bonis operibus constare.

Cap. II.

Omnia philosophorum apud nos argumenta vanescere, qui aut in sola rerum scientia, aut voluptate, aut commoditate corporis & externa beatitudinem constituere.

Cap. III.

Beatitudinem doloribus & necessitatibus adipisci, exempla de patribus,

Cap. IIII.

Quæ putantur bona, plerunque impedimento esse ad beatam & æternam vitam: & quæ mala, materias quasdam esse virtutum & æternarum beatitudinum.

Cap. V.

De utili non quæstioso illo, sed iusto & honesto.

Cap. VI.

Utilitatem præcipue fide & dilectione & aequitate metiendam: exempla de Dauid & Moysè, qui idcir-

- co maximè diligebantur à populis, quia pro ipsis sese obiectarent periculis.
 Consilia plurimum ad conciliationem valere aliorum, quod claruit in Salomone.
 Virtutes omnes indiuiduas, sed opinione vulgi seiunctas, nec tamen apud ipsum vulgus alteram sine altera comprobari, non solum à philosophis, sed plus etiam intimatur à nostris.
 Mystica interpretatio super Salomone & regina Saba.
 Quòd à probis viris consilium sit requirendum: exempla de patribus.
 Improbos homines, licet prudentes videantur, fugiendos.
 Sapientiam vitiosos homines sibi vendicare non debere, quippe quæ nullum consortium cum vitiis potest habere.
 Quod prudentia omnibus virtutibus sit associata, maximè in cupiditate calcanda.
 De liberalitate quæ non solum facultatum dispersione, sed & benevolentia constat & consilio. Cap. XV.
 De sobrietate quæ et temperantia, in liberalitate seruanda, exemplum de Ioseph & eius prudentissimo per interpretationem somnij consilio. Cap. XVI.
 A qualis meriti viro consilium sit requirendum. Introducuntur Paulus & Ioseph. Cap. XVII.
 Quod mali consiliarij sepe fiant in ruinam. Introducitur Roboam consilio iuuenum deceptus. Cap. XVIII.
 Iustitia & benevolentia & affabilitate non fucata plurimos posse conciliari. Cap. XIX.
 Ad commendationes hominum plurimum valere si probatis adhæreant. exempla de patribus: & disparet etiam etate, vitæ delectari similitudine. exemplum ponitur de Petro & Joanne. Cap. XX.
 De laude miserationis & hospitalitatis, et malo prodigalitatis & inanis fauoris, & hoc maximè in sacerdotibus reprehenditur, qui omnia ornate & ordinate agere debent. Cap. XXI.
 De modo inter remissionem & seueritatem conseruando, & quod simulata remissio grauiore aliquando causas adoriatur, exemplum de Absalon. Cap. XXII.
 Quòd pecunia redempti non diu fidem custodiant. Cap. XXIII.
 Bonis tantum artibus ad honores nitendum, maximè Ecclesiasticos, nec inferiores ordines simulatis virtutibus episcopo derogare, nec item episcopum clero esse inuidum, sed iustum in omnibus maximè in iudicando. Cap. XXIII.
 Fauores & beneficia plus pauperibus quam diuitibus eroganda, quia de eo quod diues forte dedignatur, pauper maximam tibi habet gratiam, & quod beneficia non sola pecunia fiant. Cap. XXV.
 De malo auaritia. exempla de Balaam, & Acham, & Dalila. Cap. XXVI.
 De benignitate, & quod excommunicatio tardius sit exerenda. Cap. XXVII.
 De bono compassionis, & quod sacris ecclesiarum thesauris non sit parcendum tempore necessitatis. C. XXVIII.
 Exempli causa inducitur Laurentius, & ipse Ambro. C. XXVIII.
 Deposita viduarum, imo omnium fidelium in ecclesia cum sui etiam periculo conseruanda. exemplum de Onia & Heliodoro, & seipso, & Ticinensi episcopo. Cap. XXIX.
 Qui fugiendi, & qui sint in bono zelandi. Cap. XXX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, OFFICIORVM

LIBER SECVNDVS.

Honestate vitam acquiri beatam.

CAPVT I.

SUPERIORE libro de officiis tractauimus, quæ conuenire honestati arbitrabamur, in qua vitam beatam positam esse minimè dubitabamus, quam scriptura appellat vitam æternam. Tantus enim splendor honestatis est, vt vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiae. Et ideo sicut exortus sol, lunæ globum & cætera

stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis: vbi vero & incorrupto vibrat decore, cætera quæ putantur bona secundum voluptatem corporis, aut secundum seculum clara & illustria, obumbrat. Beata planè, quæ non alienis æstimatur iudiciis, sed domesticis percipitur sensibus, tãquam sui iudex. Neque enim populares opiniones pro mercede aliqua requirit, neque pro supplicio pauet. Itaque quò minus sequitur gloriam, eò magis super eam eminent. Nam qui gloriam requirunt, his ea merces presentium, umbra futurorum est, quæ impediatur vitam æternam:

Math. 6.

471

æternam: quod in Euangelio scriptum est: Amen A dico vobis, receperunt mercedem suam: de his scilicet qui velut tuba canendo vulgare liberalitatem suam quam faciunt circa pauperes, gestiunt. Similiter & de ieiunio quod ostentationis causa faciunt. Habent, inquit, mercedem suam. Honestatis igitur est vel misericordiam facere, vel ieiunium deferre in abscondito, vt mercedem videaris à solo Deo tuo querere, non etiam ab hominibus. Nam qui ab hominibus quærit, habet mercedem suam: qui autem à Deo, habet vitam æternam, quàm præstare non potest nisi author æternitatis, sicut illud B est: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Vnde expressius scriptura vitam æternam appellauit eam quæ sic sit beata, vt non hominum opinionibus æstimanda relinqueretur, sed diuino iudicio committeretur.

Beatitudinem multis & diuersis modis philosophos æstimasse, sed iuxta nostros in cognitione diuina solummodo & bonis operibus constare.

CAP. II.

ITaque philosophi vitam beatam, alij in non dolendo posuerunt, vt Hieronymus: Alij in rerum scientia, vt Herillus, qui audiens ab Aristotele & Theophrasto mirabiliter laudatam esse rerum scientiam, solam eam quasi summum bonum posuit, cum illi eam quasi bonum, non quasi solum bonum laudauerint. Alij voluptatem dixerunt, vt Epicurus. Alij, vt Calipho, & post eum Diodorus, ita interpretati sunt, vt alter ad voluptatem, alter ad vacuitatem doloris, consortium honestatis adiungerent, quòd sine ea non possit esse beata vita. Zenon stoicus, solum & summum bonum quod honestum est: Aristoteles autem & Theophrastus & cæteri Peripatetici, in virtute quidem, hoc est, in honestate vitam beatam esse, sed compleri eius beatitudinem etiam corporis voluptatibus atque externis bonis asseruerunt. Scriptura autem diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique vtriusque assertionis Euangelicum suppetit testimonium. Nam & de scientia ita dicit Dominus Iesus: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Et de operibus ita respondit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Sed ne æstimetur hoc recens esse, & prius tractatum à philosophis, quàm in Euangelio prædicatum: anteriores Euangelio philosophi, id est, Aristoteles, & Theophrastus vel Zenon atque Hieronymus, sed posteriores prophetis, accipiant, quàm longè antequam philosophorum nomen audiretur, per os sancti Dauid vtrumque apertè videatur expressum. Scriptum est enim: Beatus homo quem tu crudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Habemus & alibi: Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis eius cupiet nimis. Docuimus de cognitione, cuius præmium æternitatis fructum esse commemorauit, adiiciens prophe-

17.
Math. 19.

Psal. 93.
Psal. 111.

ta, quia sint in domo huius timentis Dominum, vel eruditi in lege, & cupientis in mandatis diuinis: gloria, inquit, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in seculum seculi. De operibus quoque in eodem psalmo subiunxit, vitæ æternæ suppetere præmium viro iusto. Denique ait: Beatus vir qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio, quia in seculum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus. Et infra: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum. Habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur. Nam & si exercitatus sit in sermonibus, & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit: & grauius est scire quid facias, nec fecisse quod faciendum cognoueris. Contra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est ac si vitioso fundamento pulchra culminum velis eleuare fastigia: quod quò plus struxeris, plus corrui: quia sine munimento fidei bona opera non possunt manere. Infida statio in portu nauem perforat, & arenosum solum citò cedit, nec potest impositæ ædificationis sustinere onera. Ibi ergo plenitudo præmij, vbi virtutum perfectio, & quædam in factis atque dictis æqualitas est sobrietatis.

Omnia philosophorum apud nos argumeta vanescere, qui aut in sola rerum scientia, aut voluptate, aut commoditate corporis & externa beatitudinem constituere.

CAP. III.

ET quoniam sola rerum scientia explosa est, vel quasi inanis secundum philosophiæ disputationes superflua, vel quasi semiperfecta sententia: cõsideremus quam enodem de eo diuina scriptura absoluat sententiam, de quo tam multiplices & implicatas atque confusas videmus esse quæstiones philosophiæ. Nihil enim bonum scriptura nisi quod honestum asserit, virtutemque in omni rerum statu beatam iudicat, quæ neque augeatur bonis corporis, vel externis, neque minuatur aduersis: nihilque beatum, nisi quod à peccato alienum sit, plenum innocentiae, plenum gratiæ Dei. Scriptum est enim: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit, sed in lege Domini fuit voluntas eius. Et alibi: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Innocentia igitur & scientia beatum faciunt. Bonæ quoque operationis mercedem esse beatitudinem vitæ æternæ, superius aduertimus. Restat igitur, vt spreto patrocinio voluptatis, aut doloris metu (quorum alterum quasi infractum & molliculum, alterum quasi euiratum & infirmum despuitur) in ipsis doloribus vitam beatam eminere demonstrare. Quod facillè doceri potest, cum legerimus: Beati estis, cum vobis maledicent & persequantur, & dicent omne malum aduersum vos, mentientes propter iustitiam. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo. Sic enim persecuti sunt & prophetas ante vos. Et alibi: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Psal. 1.

Psal. 118.

Math. 5.

Math. 16.

Beatitudinem doloribus & necessitatibus adipisci, exempla de patribus.

CAP. IIII.

Quae putantur bona, plerunque impedimento esse ad beatam & aeternam vitam: & quae mala, materias quasdam esse virtutum & aeternarum beatitudinum.

CAP. V.

Exod. 14. Hebr. 11.

Est ergo beatitudo & in doloribus, quos plena suauitatis virtus comprimit & coercet, ipsa sibi domesticis opibus abundans, vel ad conscientiam vel ad gratiam. Neque enim parum beatus Moyses, cum Aegyptiorum vallatus populis, & mari clausus, per fluctus sibi & populo patrum, pedestrem viam piis meritis inuenisset. Quando autem fortiam, quam tunc erat Moyses, cum extremis circumuentus periculis, non desperabat salutem, sed exigebat triumphum? Quid Aaron, quando se beatiorem credidit, quam tunc quando medius stetit inter viuos ac mortuos, & obiectu sui statuit mortem, ne ad viuorum transfret agmina a cadaueribus mortuorum? Quid de puero Daniele loquar, qui tam sapiens erat, vt inter leones fame exasperatos, nulla bestialis sauitiae formidine frangeretur: ita alienus a metu vt posset epulari, nec vereretur: ne ad pastum exemplo sui feras prouocaret? Est ergo & in dolore virtus, quae sibi bonae suauitatem exhibeat conscientiae: & ideo indicio est, quod non minuat dolor virtutis voluptatem. Sicut ergo nulla virtuti decessio beatitudinis per dolorem, ita etiam nulla accessio per voluptatem corporis, aut commodorum gratia. De quibus pulchre Apostolus ait: Quae mihi lucra fuerunt, haec duxi propter Christum detrimenta esse. Et addidit: Propter quem omnia duxi damna, & aestimo vt sterco- ra, vt Christum lucrificiam. Denique Moyses damnum suum credidit thesauros esse Aegyptiorum, & opprobrium dominicae crucis praetulit, nec tunc diues cum abundaret pecunia, nec postea pauper cum egeret alimento: nisi forte tunc alicui minus beatus videtur fuisse, cum in deserto quotidiana alimonia sibi & populo suo deforet. Sed quod summi boni ac beatitudinis nemo negare audeat, manna ei, hoc est, panis angelorum ministrabatur e caelo, carnes quoque quotidiana pluuia totius plebis epulis redundabant. Heliae quoque sancto panis ad victum deerat, si quaereretur: sed non videbatur deesse, quia non quaerebatur. Itaque diurno coruorum obsequio, mane panis, caro ad vesperam deferebatur. Nunquid ideo minus beatus, quia pauper erat sibi? Minimè. Imò eò magis beatus, quia Deo diues. Aliis enim quam sibi diuitem esse praestat, vt iste erat, qui tempore famis cibum a vidua petebat, largiturus ei vt hydria farinae per triennium & sex menses non deficeret, & per quotidianos vsus olei vas viduae inopi sufficeret ac ministraret. Merito ibi volebat Petrus esse, vbi istos videbat. Merito in monte cum Christo in gloria apparuerunt, quia & ipse pauper factus est, cum diues esset. Nullum ergo adminiculum praestant diuitiae ad vitam beatam. Quod euidenter Dominus in Euangelio demonstrat, dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati qui nunc fletis quia ridebitis. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quae putantur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adiumento, euidentissime pronunciatum est.

Num. 16.

Dan. 14.

Philip. 3.

Hebr. 11.

Exod. 16.

3. Reg. 17.

Ibidem.

Matth. 17.

2. Cor. 8.

Luca 6.

Sed & illa quae videtur bona, diuitias, satietatem, stultitiam experte doloris, detrimento esse ad fructum beatitudinis, dominico declaratum iudicio liquet, cum dicitur: Vae vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis. Et illis qui ridet, quia lugebunt. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam, corporis aut externa bona, sed etiam dispendio sunt. Inde enim beatus Nabuthe: etiam cum lapidaretur a diuite, quia pauper & infirmus aduersus opes regias solo erat affectu & religione diues, vt pecunia regali non commutaret paternae vineae hereditatem, eoque perfectus, quia sanguine proprio defenderet iura maiorum suorum. Inde quoque miser Achab, etiam suo iudicio, quia pauperem necari fecerat, vt eius possideret vineam. Certum est, solum & summum bonum esse virtutem, eamque abundare solam ad vitae fructum beatam, nec externis aut corporis bonis, sed virtute sola vitam praestari beatam, per quam vita aeterna acquiritur. Vita enim beata fructus praesentium, vita aeterna spes futurorum est. Sunt tamen qui in hoc corpore tam infirmo, tam fragili, impossibilem vitam beatam putant, in quo necesse est angere, dolere, deplorare, aegrescere: quasi verò ego in corporis exultatione dicam vitam beatam consistere, & non in altitudine sapientiae, suauitate conscientiae, virtutis sublimitate. Non enim in passione esse, sed victorem esse passionis beatum est, nec frangi temporalis motu doloris metuendum, accidere haecque grauiora ad vim doloris feruntur, ceccitate, exilium, famem, stuprum filiae, amissionem liberorum. Quis neget beatum Isaac, qui non videbat in senectute, & beatitudines suis benedictionibus conferebat? An non beatus Iacob, qui profugus patria, domo, mercenarius pastor exilium sustinuit, filiae pudicitiam ingemuit esse temeratam, famemque pertulit? Non ergo beati, quorum fide Deus accipit testimonium, cum dicitur: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob? Misera est seruitus, sed non miser Ioseph, imò planè beatus, cum dominum libidines in seruitute positus coerceret. Quid de sancto Dauid loquar qui trium filiorum deplorauit obitum, Amnon & Absalon, atque infantuli ex ea quae fuit Vriae nati: & quod his durius, incestum filiae Thamar? Quomodo non beatus, de cuius successione beatitudinis auctor exortus est, qui plurimos fecit beatos? Beati enim qui non viderunt & crediderunt. Fuerunt & ipsi in sensu infirmitatis, sed coualuerunt de infirmitate fortes. Quid laboriosius autem sancto Iob, vel in domus incendio, vel filiorum decem interitu momentario, vel doloribus corporis? Nunquid minus beatus, quam si illa non pertulisset, in quibus magis probatus est? Esto tamen fuisse in illis aliquid acerbitatis: quem virtus animi non abscondit dolorem? Neque enim profundum mare negauerim, quia vadosa sunt littora: Neque caelum lucidum, quia interdum obtexitur nubibus: neque terram foecundam, quia aliquibus locis ieiuna glareae est: aut laetas segetes, quia

Ibidem.

3. Reg. 11.

1. Tim. 4.

1. Cor. 6.

Genes. 29.

4. Reg. 2.

Matth. 27.

1. Cor. 7.

Ioan. 10.

Hebr. 11.

Tobias.

Psal. 118.

quia intermixtam solent habere sterilem auenam. Similiter puta beatam messem conscientiae interpellari aliquo acerbo dolore. Nonne totius manipulis vitae beatae, si quid forte accidit aduersi atque amaritudinis, tanquam sterilis auena absconditur, aut tanquam lolij amaritudo frumentum suauitate obducitur? Sed iam ad proposita pergamus.

De vtili, non quaestioso illo, sed iusto & honesto.

CAP. VII.

Superiore libro ita diuisionem fecimus, vt primo loco esset honestum ac decorum, a quo officia ducerentur: secundo loco quid vtile. Et quemadmodum in primo diximus, quia inter honestum & decorum est quaedam distinctio, quae magis intelligi quam explicare possit: sic & cum vtile tractamus, considerandum videtur quid vtilius. Vtilitatem autem non pecuniarij lucri aestimatione subducimus, sed acquisitione pietatis, sicut Apostolus ait: Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitae praesentis & futurae. Itaque in scripturis diuinis, si diligenter quaeramus, saepe inuenimus quod honestum est, vtile vocari. Omnia mihi licent, sed non omnia vtilia sunt. Supra de vitii loquebatur. Nunc ergo dicit: Licet peccare, sed non decet. In potestate sunt peccata, sed non sunt honesta. Luxuriari proptum est, sed non iustum. Non enim Deo esca, sed ventri colligitur. Ergo quia quod vtile, id etiam iustum: iustum est, vt seruiamus Christo, qui nos redemit. Ideo iusti qui pro eius nomine morti se obtulerunt. Iniusti qui declinauerunt, de quibus dicitur: Quae vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Id est, quis iustitiae meae profectus? Vnde & illi: Alligemus iustum, quia inutile est nobis, id est, iniustus qui nos arguit, condonat, corripit. Licet hoc possit etiam ad auaritiam hominum impiorum deriuari, quae perfidiae vicina est. Sicut in Iuda proditore legimus, qui auaritiae studio & pecuniae cupiditate, laqueum proditoris incurrit atque incidit. De hac igitur tractandum est vtilitate, quae sit plena honestatis, sicut ipsis verbis definiti Apostolus dicens: Hoc autem ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum iniiciam vobis, sed ad id quod honestum est. Liqueat igitur quod honestum est, vtile & iustum esse: & quod vtile, honestum & iustum: & quod iustum, vtile & honestum. Neque enim mihi ad mercatores lucri cupidine auaros, sed ad filios sermo est, & sermo de officiis, quae vobis (quos elegi in ministerium domini) inculcare gestio atque infundere, vt ea quae mentibus ac moribus vestris vsu atque institutione inolita atque impressa sunt, etiam sermone ac disciplina aperiantur. Itaque de vtilitate dicturus, vt ar illo versiculo prophético: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam: ne vtilitatis sonus excitet pecuniae cupiditatem. Denique aliqui habent: Declina cor meum in testimonia tua, & non ad vtilitatem: hoc est, illam quaestuum nundinas aucupantem vtilitatem, illam vsu hominum ad pecuniae studia infle-

xam ac deriuatam. Vulgo enim hoc solum dicunt vtile, quod quaestuosum. Nos autem de ea tractamus vtilitate, quae damnis quaeritur, vt Christum lucremur, cuius quaestus est pietas cum sufficientia. Magnus profecto quaestus quo pietate acquirimus, quae apud Deum diues est, non caducis facultatibus, sed muneribus aeternis: in quibus non tentatio lubrica, sed constans & perpetua sit gratia. Est ergo vtilitas, alia corporalis, alia pietatis, sicut diuisit Apostolus. Corporalis enim exercitatio ad modicum inquit vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est. Quid autem tam honestum, quam integritas? Quid tam decorum, quam immaculatum seruare corpus, & inuiolatum atque incontaminatum pudorem? Quid etiam tam decorum, quam vt vidua vxor defuncto coniugi fidem seruet? Quid etiam hoc vtilius, quo regnum caeleste acquiritur? Sunt enim qui se castrauerunt propter regnum caelorum.

1. Tim. 6.

Ibidem 4.

Matth. 19.

Vtilitatem praecipue fide ac dilectione & equitate metiendam exempla de Dauid & Moysse, qui idcirco maxime diligebantur a populis, quia pro ipsis sese obiectarent periculis.

CAP. VII.

Est igitur non solum familiare cotubernium honestatis & vtilitatis, sed eadem quoque vtilitas quae honestas. Ideo & ille qui regnum caelorum volebat omnibus aperire, non quod sibi vtile quaerebat, sed quod omnibus. Vnde ordo quidam nobis & gradus faciendus est, etiam ab his vsitatus & communibus ad ea quae sunt praecellentia, vt ex pluribus vtilitatis colligamus profectum. Ac primum nouerimus nihil tam vtile quam diligere, nihil tam inutile quam non amari. Nam odio haberi, exitiale ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni sedulitate commedemus existimationem opinionemque nostram, ac primum placiditate mentis & animi benignitate influamus in affectum hominum. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea si mansuetudine morum ac facilitate animi, moderatione praeccepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiaeque adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solum in priuatis, sed etiam in ipsis regibus, quantum facilitas blandae affabilitatis profecerit, aut superbia verborumque obfuerit tumor, vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret. Iam si quis consilio, vsu, ministerio, officiis popularem comprehendat gratiam, aut si quis periculum suum pro vniuersa plebe offerat, non est dubium quod tantum charitatis a plebe in cum refundatur, vt populus salutem eius & gratiam sibi praeferat. Quantas Moyses a populo illatas absorbebat contumelias, & cum dominus in insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinae plebem subduceret. Quam mihi sermone post iniurias appellabat populum, consolabatur in laboribus, delinibat oralibus, fouebat operibus. Et cum Deo constanter lo-

Exod. 32.

Exod. 34.

Deuter. 34.

1. Reg. 16.

2. Reg. 2.

Ibidem. 5.

2. Reg. 24.

Psalm. 101.

2. Reg. 5.

queretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat. Merito aestimatus est supra homines, ut & vultum eius non possent intedere, & sepulturam eius non repertam crederent: quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, ut plus cum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur. Quid eius imitator sanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam, quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu? Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus aequabat suam militiam, & partiebatur laborem, fortis in praelio, mansuetus in imperio, patientis in conuitio, ferre magis promptus quam referre iniurias. Ideo tam charus erat omnibus, ut iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & resistens cogere, senex ne praelio interesset a suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus. Ita sibi gratis officiis plebem obligauerat. Primum ut in discordiis populi exulare in Hebron mallet, quam in Hierusalem regnare. Deinde ut etiam in hoste positam virtutem diligeret: iustitiam etiam his qui arma contra se tulerant, aequè ac suis praestandam putaret. Denique fortissimum aduersae partis propugnatorem Abner ducem, & inferentem praelia miratus est, & orantem pacis gratiam, non aspernatus honorauit conuiuio: interemptum insidiis, doluit & fleuit: prosequutus exequias, honestauit: mortem vltus, conscientiae fidem praestitit, quam filio inter haereditaria iura transcripsit, magis sollicitus, ne innocentis mortem inultam relinqueret, quam quo suam mortem doleret. Non mediocre istud, praesertim in rege, sic obire humilitatis munia, ut communem se exhiberet etiam infimis, alieno periculo cibum non quaerere, potum recusare, peccatum fateri, seque ipsum pro populo offerre morti, ut in se diuina indignatio conuerteretur, cum ferenti angelo offerens se diceret: Ecce sum ego qui peccaui, & ego pastor malum feci, & iste grex quid fecit? Fiat manus tua in me. Nam quid alia dicam, quod dolum meditantibus os suum non aperiebat, & tanquam non audiens, nullum sermonem referendum putabat? Non respondebat conuitiis, cum sibi derogaretur orabat, cum malediceretur benedicebat. Ambulans in simplicitate, & superbiorum fugitans arrogantiam, sectator extitit immaculatorum. Qui cinerem miscebat alimentis suis, cum peccata propria deploraret, & potum suum temperabat fletibus. Merito sic expetitus est ab vniuerso populo, ut venirent ad eum omnes tribus Israel dicentes: Ecce nos ossa tua & caro tua sumus: & heri & nudiustertius cum esset Saul & regnaret super nos, tu eras qui producebas & inducebas Israel. Et dixit tibi Dominus: Tu pasces populum meum. Et quid plura de eo dicam, de quo huiusmodi Dei processit sententia, ut de eo diceret: Inueni Dauid seruum meum secundum cor meum? Quis enim in sanctitate cordis & iustitia sicut iste ambulauit, ut impleteret voluntatem Dei? Propter quem & delinquentibus posteris eius venia data,

& prerogatiua est referuata haeredibus. Quis igitur non diligeret eum, quem videbat ita charum amicis, ut quia ipse syncerè amicos diligebat, aequè diligi se à suis amicis arbitraretur? Denique parentes eum filiis suis, filij praeferebant parentibus. Vnde grauius indignatus Saul, percutere Ionathan filium suum hasta voluit, quia plura apud eum valere Dauid amicitiam iudicabat, quam vel pietatem vel auctoritatem paternam. Etenim ad incentiuum charitatis communis plurimum proficit, si quis vicem amantibus reddat, nec minus redamare se probet, quam ipse amatur, idque amicitiae fidelis patet exemplis. Quid enim tam populare quam gratia? Quid tam insitum naturae, quam ut diligentem diligas? Quid tam inolitum atque impressum affectibus humanis, quam ut eum amare inducas in animum, à quo te amari velis? Merito Sapiens dicit: Perde pecuniam propter fratrem & amicum. Et alibi: Amicum salutare non erubescam, & à facie illius non me abscondam. Siquidem vitae & immortalitatis medicamentum in amico esse, Ecclesiasticus sermo testatur. Et summum in charitate praesidium nemo dubitauerit, cum Apostolus dicat: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam cadit. Ideo Dauid non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à subiectis quam timeri maluit. Timor enim temporalis tutaminis seruat excubias, nescit diurnitatis custodiam. Itaque vbi timor decesserit, audacia obrepit: quoniam fidem non timor cogit, sed affectus exhibet. Prima ergo ad commendationem nostri est charitas. Bonum est ergo testimonium habere de plurimorum dilectione. Hinc nascitur fides, ut committere se tuo affectui non vereantur etiam alieni, quem pluribus charum aduerterint. Similiter etiam per fidem ad charitatem peruenitur: ut qui vni aut duobus praestiterit fidem, tanquam influat in animos vniuersorum, & omnium acquirat gratiam.

Consilia plurimorum ad conciliationem valere aliorum, quod claruit in Salomone.

CAP. VIII.

DVo igitur haec ad commendationem nostri plurimum operantur, charitas & fides, & tertium hoc, si habeas quod in te admiratione dignum plerique existiment, & iure honorandum putent. Et quia consiliorum vsus maximè conciliat homines, ideo prudentia & iustitia in vno quoque desiderantur, & ea expectantur à pluribus: ut in quo ea sint illi deferatur fides, quo possit vtile consilium ac fidele desideranti dare. Quis enim ei se committat, quem non putet plus sapere, quam ipse sapiat qui quaerit consilium? Necessè est igitur, ut praestantior sit à quo consilium petitur, quam ille est qui petit. Quid enim consulas hominem, quem non arbitraris posse melius aliquid reperire, quam ipse intelligis? Quod si cum inueneris qui viuacitate ingeni, mentis vigore atque

atque auctoritate praestet, & accedat eò ut exemplo & vsu paratior sit, praesentia soluat pericula, prospiciat futura, denunciaret imminentià, argumenta expediat, remedium ferat in tempore, paratus sit non solum ad consulendum, sed etiam ad subueniendum: huic ita fides habetur, ut dicat qui consilium petit: Et si mala mihi euenerint, per illum sustineo. Huiusmodi igitur viro salutem nostram & existimationem committimus, qui sit (ut supra diximus) iustus & prudens. Facit enim iustitia, ut nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, ut nulla erroris suspicio sit. Promptius tamen nos iusto viro quam prudenti committimus, ut secundum vsu vulgi loquar. Ceterum sapientum definitione, in quo vna virtus est, concurrunt caeterae, nec potest sine iustitia esse prudentia. Quod etiam in nostris inuenimus. Dicit enim Dauid: Iustus autem miseretur & foenerat. Quid foeneret iustus, alibi dicit: Iocundus vir qui miseretur & foenerat, disponet sermones suos in iudicio. Ipsum illud nobile Salomonis iudicium nonne sapientiae plenum ac iustitiae est? Itaque spectemus illud si ita est. Duæ, inquit, mulieres in conspectu regis Salomonis steterunt, & dixit vna ad eum: Audi me Domine: Ego & hæc mulier in vno habitantes cubiculo, ante diem tertium partu edito singulos filios suscepimus, & eramus vna, arbiter nullus Domi, nec vlla alia foemina nobiscum nisi nos solæ: & mortuus est filius eius hac nocte, ut obdormiuit super eum, & surrexit media nocte, & accepit filium meum de sinu meo, & collocauit eum in sinu suo, & filium suum mortuum posuit in sinu meo. Et surrexi mane ut lactarem paruulum, & inueni eum mortuum. Et consideravi illum diluculo, & non erat filius meus. Et respondit altera: Non, sed filius meus est hic qui viuit, filius autem tuus qui mortuus est. Et hæc erat contentio, cum vtraque filium sibi vendicaret superstitem, defunctum autem suum negaret. Tunc rex iussit afferri machæram, & infantem diuidi, & singulas partes dari singulis, dimidiam vni, & dimidiam alteri. Exclamauit mulier quæ vero erat affectu percita: Nequaquam Domine infantem diuidas, detur potius illi & viuat, & non interficias eum. At respondit altera: Neque meus, neque huius sit infans, diuidite eum. Et statuit rex dari infantem ei mulieri quæ dixerat: Nolite interficere eum, sed date eum illi mulieri: quia mota sunt, inquit, viscera eius in filio suo. Itaque non immerito aestimatus est intellectus Dei in eo esse, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius, quam internorum viscerum testimonia, in quæ sapientis intellectus velut quidam pietatis descendit arbiter, & velut quandam genitalis alui vocem eruit, quæ maternus patuit affectus, qui elegerat filium suum vel apud alienam viuere, quam in conspectu matris necari? Sapientia igitur fuit, latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem, & velut quadam machæra ita spiritus gladio penetrare, non solum vteri, sed etiam animæ & mentis viscera. Iustitiae quoque, ut quæ suum neca-

S. Ambr. tom. 5.

uerat, alienum non tolleret, sed vera mater reciperet suum. Denique etiam scriptura hoc pronunciat. Audiuit, inquit, omnis Israel hoc iudicium, quod iudicauit rex: & timuerunt à facie regis, eo quod intellectus Dei in eo esset, ut faceret iustitiam. Denique & ipse Salomon ita poposcit sapientiam, ut daretur sibi cor prudens audire & iudicare cum iustitia.

Virtutes omnes indiuiduas, sed opinione vulgi seiunctas, nec tamen apud ipsum vulgus alteram sine altera comprobari, non solum à philosophis, sed plus etiam intimatur à nostris.

CAPVT IX.

LIquet igitur etiam secundum scripturam diuinam quæ antiquior est, sapientiam sine iustitia esse non posse: quia vbi vna earum virtutum, ibi vtraque est. Daniel quoque quam sapienter alta interrogacione fraudulentæ accusationis deprehendit mendacium, ut calumniatorum sibi responsio non conueniret? Prudentiae igitur fuit vocis suæ testimonio reos proderet. Iustitiae quoque nocentes supplicio dare, innocentem subducere. Est ergo indiuiduum sapientiae atque iustitiae conturbamentum, sed vulgi vsu diuiditur vna quædam forma virtutum: fortitudo spectetur in laboribus & periculis, prudentia in delectu bonorum, sciens comoda & aduersa distinguere: iustitia quæ sit bona custos iuris alieni, & vindex proprietatis, suum cuique conseruans. Sit igitur nobis communis opinionis gratia, quadripartita hæc facta diuisio, ut ab illa subtili disputatione philosophiae sapientiaeque, quæ limandæ veritatis causa quasi ex adyto quodam eruitur, retrahentes pedem, forenses vsu ac popularem sensum sequamur. Hac igitur diuisione seruata, reuertamur ad propositum. Prudentissimo cuique causam nostram committimus, & ab eo consilium promptius quam à caeteris poscimus. Praestat tamen fidele iusti consilium viri, & sapientissimi ingenio frequenter praeponderat. Vtiliora enim vulnera amici, quam alienorum oscula.

Mystica interpretatio super Salomone & regina Saba.

CAPVT X.

Denique quia iusti iudicium est, sapientis autem argumentum: in illo censura disceptationis, in hoc calliditas inuentionis. Quod si vtrumque connectas, erit magna consiliorum salubritas, quæ ab vniuersis spectatur admiratione sapientiae & amore iustitiae, ut omnes quaerant audire sapientiam eius viri, in quo vtriusque virtutis copula sit: sicut quaerebant omnes reges terræ videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius, ita ut & Saba regina veniret ad eum, & tentaret eum in quaestionibus. Et venit, inquit, & omnia locuta est quæ habebat

X

in corde suo, & audiuit omnem sapiētiam Salomonis, nec vllum verbum prateriuit eam. Quæ sit ista, quam nihil pratereat, nec sit aliquid quod ei non annunciauerit verus Salomon, cognosce o homo ex his quæ audis loquentem. Verus est, inquit, fermo quem audiui in terra mea de sermonibus tuis, & de prudentia tua, & non credidi his qui dicebant mihi, donec veni, & viderunt oculi mei, & nunc non est nec dimidia quidem pars secundum ea quæ annunciabantur mihi. Apposui bona super omnia quæ audiui in terra mea. Beata mulieres tuæ, & beati pueri tui qui assistunt tibi, qui audiunt omnem prudentiam tuam. Intellige conuiuium veri Salomonis: & quæ apponuntur in eo conuiuium, intellige sapienter, & considera in qua terra congregatio nationum audierit famam sapiētiae veræ atque iustitiæ, & quibus eum viderit oculis, contemplantibus vtique quæ non videntur. Quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Quæ sunt beatæ mulieres, nisi illæ de quibus dicitur: Quia multa verbum Dei audiunt & pariunt? Et alibi: Quicumque enim verbum Dei fecerit, ipse meus frater & soror & mater est. Qui etiam pueri tui beati qui assistunt, nisi Paulus qui dicebat: Vtque in hunc diem sto protestans minori ac maiori: & Simeon qui expectabat in templo vt videret consolationem Israel? Quomodo ergo dimitti posceret, nisi quia assistens Domino, discedendi habere facultatem non poterat: nisi voluntatem Domini adeptus esset? Exempli causa propositus est nobis Salomon, à quo certatim vt audiretur eius sapiētia postulabatur.

2. Cor. 4.

Matth. 12.

Luc. 2.

Quod à probis viris consilium sit requirendum: Exemplum de patribus.

CAPVT XI.

Gene. 40. & 41.

Daniel. 2. 7. & seq. capitibus.

Ezech. 28.

Ioseph quoque nec in carcere feriatu erat, quominus de rebus incertis consuleretur. Cuius consilium Ægypto vniuersæ profuit, vt non sentiret se ptem annorum sterilitatem, aliósque populos miseræ famis leuaret ieiunio. Daniel ex captiuus regaliū consultorum arbor factus, consiliis suis emendauit præsentia, annunciauit futura. Ex his enim quæ frequenter interpretatus ostenderat veri se esse annuncium, fides ei in omnibus deferebatur. Sed etiam tertius locus de his qui admiratione digni æstimarentur, Ioseph, Salomonis & Danielis exemplo decursus videtur. Nam quid de Moyse loquar, cuius omnis Israel quotidie consilia præstolabatur, quorum vita fidem faciebat prudentiæ, admirationemque eius augebat? Quis se non committeret consilio Moyfi, cui seniores si qua supra suum intellectum & virtutem esse arbitrarentur diiudicanda seruabant? Quis Danielis consilium refugeret, de quo ipse Deus dixit: Quis Daniele sapiētiore? Aut quomodo dubitare homines de eorum mentibus possent, quibus Deus tantam conferebat gratiam? Moyfi consilio bella conficiebantur, Moyfi meritis de cælo affluebat alimonia,

potus è petra. Quàm purus Danielis animus, vt mulceret Barbaros mores, mitigaret leones? Quæ in illo temperantia? quanta animi & corporis continentia? Nec immeritò mirabilis factus omnibus, quando (quod vehementer admirantur homines,) regalibus fultus amicitiiis, aurum non quærebat, nec delatum sibi honorem pluris faciebat quàm fidem. Quinetiam periclitari malebat pro lege domini, quàm pro gratia hominis inflecti. Nam de sancti Ioseph, (quem penè præterieram,) castimonia & iustitia quid dicam: quarum altera illecebras heriles respuit, altera mortem contempsit, metum repulit, carcerem præoptauit? Quis hunc priuata causæ ad consulendum idoneum non iudicaret, cuius ferax animus & mens fertilis, temporis sterilitatem quodam consiliorum & cordis vberè fecundauit?

Improbos homines licet prudentes videantur, fugiendos.

CAP. XII.

Aduertimus igitur, quod in acquirendis consiliis plurimum adiungat vitæ probitas, virtutum prærogatiua, benevolentia vsus, frugalitatis gratia. Quis enim in cæno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluionem? Quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? Quis non eum omni studio declinet? Quis verò, quamuis instructum ad consilij opem, difficilem tamen accessu, ambiat, in quo sit illud, tanquam siquis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapiētiā, si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, vt nec aliis influat, nec tibi proficit. Pulchrè autem & de illo conuenit, qui habens prudentiam, commaculat eam vitiorum fordibus, eo quod aquæ exitum contaminet. Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo qui mihi det consilium, quod non dat sibi: & mihi eum vacare credam, qui sibi non vacet: cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia subiuguet, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilij locus, vbi nullus quieti? Admirandus mihi & suspiciendus consiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit, offensus abstulit. Huius imitator debet esse, qui potest consilium dare, & alienam à vitis custodire prudentiam, quia nihil inquinatum in illam incurrit.

Sapientiam

Sapientiam vitiosos homines sibi vendicare non debere, quippe quæ nullum consortium cum vitis potest habere.

A

CAPVT XV.

CAP. XIII.

Vis igitur tantam vultu speciem præferat pulchritudinis, & beluinis posterioribus ac ferinis vnguibus formæ superioris dehonestet gratiam: cum tam admirabilis & præclara forma virtutum sit, & specialiter pulchritudo sapiētiæ, sicut feris scripturæ indicat? Est enim hæc speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem luci comparata inuenitur purior. Lucem etenim hanc suscipit nox, sapiētiā autem non vincit malitia. Diximus de eius pulchritudine, & scripturæ testimonio comprobauimus: superest vt doceamus scripturæ autoritate nullum ei contubernium cum vitis esse, sed indiuiduam cum cæteris virtutibus coniunctionem, cuius spiritus est difertus, sine inquinamento, certus, sanctus, amans bonum, acutus, qui nihil vetet benefacere, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.

Quod prudentia omnibus virtutibus sit associata, maximè in cupiditate calcanda.

CAPVT XIII.

Omnia igitur operatur prudentia, cum omnibus bonis habet consortium. Nam quomodo potest vtile consilium dare, nisi habeat iustitiam, induat constantiam, mortem non formidet, nullo terrore, nullo reuocetur metu, nulla adulatione à vero desectendum putet: exilium non refugiat, quæ nouerit sapiēti patriam mundum esse: egestatem non timeat, quæ nihil deesse sapiēti sciat, cui totus mundus diuitiarum est? Quid enim præcelsius illo viro, qui auro moueri nesciat, contemptum habeat pecuniarum, & velut ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? Quod qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur. Quis est, inquit, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quomodo enim non admirandus, qui diuitias spernit, quas plerique saluti propriæ prætulerunt? Decet igitur omnes censura frugalitatis, continentia autoritas, & maximè eum qui honore præstet, ne præminentem virum thesauri possideant sui, & pecuniis seruiat, qui præstet liberis. Illud magis decet, vt supra thesaurum sit animo, & infra amicum obsequio. Humilitas enim gratiam auget. Hæc plena laudis & digna primario viro, non communem cum Tyriis negociatoribus & Galatis mercatoribus habere turpis lucri cupidinem, nec omne bonum locare in pecunia, & tanquam mercenario munere quotidianos numerare quæstus calculari compendio.

De liberalitate, quæ non solum facultatum dispersione, sed & benevolentia constat & consilio.

Quod si ab his sobrium gerere animum, laudabile est: quantò illud præstantius si dilectionem multitudinis liberalitate acquiras, neque superflua circa importunos, neque restricta circa indigentes? Plurima autem genera liberalitatis sunt, non solum quotidiano sumptu egentibus, quo vitam suam sustinere possint, disponere ac dispensare alimoniam: verum etiam his qui publicè egere verrecundantur, consulere ac subuenire, quatenus communis egenorum alimonia non exhauriatur. De eo enim loquor qui præstet alicui muneri, vt si officium sacerdotis gerat, aut dispensatoris, vt de his suggerat Episcopo, nec reprimat si quem positum in necessitate aliqua cognouerit, aut deiectum opibus ad inopiæ necessitatem redactum, maximè si non effusione adolescentiæ, sed direptione alicuius & amissione patrimonij in eam reciderit iniuriam, vt sumptum exercere diurnum non queat. Summa etiam liberalitas, captiuos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, & maximè fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, ciues patriæ restituere. Nota sunt hæc nimis Illyrici vastitate & Thraciæ, quanti vbique venales erant toto captiuo orbe: quos si reuoces, vnus prouinciæ numerum explere non possint. Fuerunt tamen qui etiam quos ecclesiæ redemerunt, in seruitutem reuocare vellent, ipsa grauiore captiuitate, qui inuiderent alienam misericordiam. Ipsi si in captiuitatem venissent, seruirent liberi: si venditi fuissent, seruitutis ministerium non recusarent: & volunt alienam libertatem rescindere, qui suam seruitutem non possent rescindere, nisi fortè precium recipere emptori placeret: in quo tamen non rescinditur seruitus, sed redimitur. Præcipua est igitur liberalitas, redimere captiuos, & maximè ab hoste Barbaro, qui nihil deserat humanitatis ad misericordiam, nisi quod auaritia reseruauerit ad redemptionem: as alienum subire, si debitor soluendo non sit, atque artetur ad solutionem, quæ sit iure debita, & inopia destituta: enutrire paruulos, pupillos tueri. Sunt etiam qui virgines orbatas parentibus tuenda pudicitia gratia connubio locent, nec solum studio sed etiam sumptu adiuuent. Est etiam genus illud liberalitatis quod Apostolus docet, si quis fidelis habet viduas, subministret illis, vt earum alimoniis ecclesia non grauetur, vt his quæ verè viduæ sunt, sufficiat. Vtilis igitur huiusmodi liberalitas, sed non communis omnibus. Sunt enim plerique etiam viri boni, qui tenues sunt censu, contenti quidem exiguo ad sui vsum, sed non idonei ad subsidium leuanda paupertatis alienæ. Tamè suppetit aliud beneficentiæ genus, quo iuuare possint inferiorè. Est enim duplex liberalitas, vna quæ subsidio rei adiuuat, id est, vsu pecuniæ: altera quæ operarum collatione impenditur, multò frequenter splendidior, multòque clarior. Quantò illustrius Abraham captum armis victricibus recepit nepotem, quàm si redemisset? Quantò vtilius regem Pharaonem sanctus Ioseph consilio prouidentia

X ij

iuuit, quàm si contulisset pecuniam? Pecunia enim vnus ciuitatis non redemit vbertatem, prospicientia totius Ægypti per * quinquennium famem repulit. Facile autem pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc vsu augentur, pecunia minuitur, & citò deficit, atque ipsam destituit benignitatem: vt quò pluribus largiri volueris, eò pauciores adiuues, & sæpe tibi desit quod aliis conferendum putaueris. Consilij autem operis collatio, quò in plures diffunditur, eò redundantior manet, & in suū fontem recurrit. In se enim refluit vbertas prudentiæ: & quò pluribus fluxerit, eò exercitius fit omne quod remanet.

Gen. 41.
* Septennium.

De sobrietate, quæ & temperantia, in liberalitate seruanda. Exemplum de Ioseph, & eius prudentissimo per interpretationem somnij consilio.

CAPVT XVI.

Liquet igitur debere esse liberalitatis modum, I ne fiat inutilis largitas: cuius sobrietas tenenda est, maximè sacerdotibus, vt non pro iactantia, sed pro iustitia dispensent. Nusquam enim maior auiditas petitionis. Veniunt validi, veniunt nullam causam nisi vagandi habentes, & volūt subsidia vacuare pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, maiora quæerunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitates incrementa quæstuum. His si quis facilè deferat fidem, citò exhaurit pauperum alimoniis profutura compendia. Modus ad sit largiendi, vt nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperū in spolia fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, vt neque humanitas deferatur, nec destituatur necessitas. Plerique simulat debita: sit veri examen. Exutos se per latrocinia deplorant: aut iniuria fidem faciat, aut cognitio personæ, quo propensius iuuentur. Ab ecclesia relegatis sumptus impartendus, si desit eis alendi copia. Itaque qui modum seruat, auarus nulli, sed largus omnibus est. Non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperi. Neque verò fieri potest, vt non extorqueat amplius importunitas vociferantium, sed non semper impudentiæ locus sit. Videndus est ille qui te non videt, requirèdus ille, qui erubescit videri. Ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest. Quo plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio plerosque sacerdotes, quò plus contulerunt, plus abundasse: quoniam quicumque bonum operarium videt, ipsi confert, quod ille suo officio dispenset, securus quod ad pauperem sua perueniat misericordia. Nemo enim vult, nisi pauperi proficere suam collationem. Nam si quem aut immoderatum aut nimis tenacem dispensatorem viderit, vtrumque despiciet, si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat facculis.

Sicut igitur modus liberalitatis tenendus est, ita etià calcar plerumque adhibendum videtur: Modus ideo, vt quod benefacis, id quotidie facere possis, ne subtrahas necessitati quod induleris effusioni. Calcar propterea, quia melius operatur pecunia in pauperis cibo, quàm in diuitis sacco. Cave ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tantquam in tumulis sepelias vitam pauperum. Potuit donare Ioseph totas opes Ægypti, & effundere thesauros regios: noluit tamen de alieno effusus videri: maluit frumenta vendere, quàm donare esurientibus: quia si paucis donasset, pluribus defuisset. Eam libertatem probauit, quæ abundaret omnibus. Patrefecit horrea vt omnes emerēt subsidium frumentarium, ne gratis accipiendo cultus terrarum relinquerent: quoniam qui alieno vtitur, suum negligit. Itaque primum omnium coaceruauit pecunias, deinde instrumenta cætera, ad postremum iura terrarum regi acquisiuit: non vt omnes exueret suo, sed fulciret, publicum tributum constitueret, quo sua tutius habere possent. Quod ita fuit gratum omnibus quibus terras ademerat, vt non venditionem sui iuris, sed redemptionem salutis putarent. Denique dixerunt: Sanasti nos, inuenimus gratiam in conspectu Domini nostri. Nam & de proprietate nihil amiserāt, qui ius receperant: & de vtilitate nihil perdidierant, qui acquisierant perpetuitatem. O virum magnum, qui non largitatis superflua temporalem captauit gloriam, sed perpetuam commoditatem constituit prouidentia. Fecit enim vt tributis populi se iuuaret suis, nec in tempore necessitatis aliena subsidia desiderarent. Melius enim fuit conferre aliquid de fructibus, quàm totum de iure amittere. Quintam portionem collationis statuit, & in prouidendo perspicacior, & in tributo liberalior. Denique nunquam postea Ægyptus huiusmodi famem pertulit. Quàm præclare autè collegit futura: Primum quàm argutè regalis interpres somnij veritatem expressit. Somnium regis primum hoc fuit. Septem iuuentæ ascendeant de flumine visu decoræ, & pingues corpore, & ad oram pascebantur fluminis. Aliæ quoque vitulæ visu deformes ac icinæ corpore, post illas iuuentæ ascendeant de flumine, & iuxta eas in ipso riparum thoro pascebantur: & visæ sunt hæ vitulæ tenues atque exiles deuorare illas quæ præstabant & forma, & gratia. Et somnium secundum hoc fuit: Septem spicæ pingues, electæ & bonæ de terra surgebant: & post eas septem spicæ exiles & vento corruptæ ac marcidæ se subiicere moliebantur: & visum est quòd lætas & vberes spicas, steriles spicæ & tenues deuorauerūt. Hoc somnium ita aperuit sanctus Ioseph, eo quòd septem iuuentæ septem anni forent, & septem spicæ similiter septem anni forent ex fœtu & fructu interpretatus tempora. Fœtus enim iuuentæ annum exprimit, & fructus segetis annum consummat integrum. Quæ ideo ascendeant de flumine, quòd dies, anni ac tempora fluminis prætereunt modo & cursim labuntur. Annos itaque septem priores vberes, terræ fertiles ac fecundos declarat futuros. Posteriores autem alios septem annos steriles atque infœcundos, quorū sterilitas assumptura foret vbertatè superiorū. Quæ gratia prospici-

Gen. 49.

Deut. 33.

Gen. 47.

1. Corin. 7.

Gen. 39.

Pharao nium.

prospiciendum admonuit, vt vberioribus annis congregaretur subsidium frumentarium, quod sustentare posset inopiam futura infœcunditatis. Quid primum mirer? Ingenium quo in ipsum veritatis descendit cubile, an consilium quo tam graui atque diuturnæ prospexit necessitati: an vigilantiam atque iustitiam: quarum altera imposito sibi tanto munere congregauit tam multiplices commeatus, altera æqualitatem per omnes seruauit? Nam de magnanimitate quid loquar? quod venditus à fratribus in seruitutem non retulit iniuriam, sed famem depulit: Quid de suauitate qua dilecti fratris presentiam pia fraude quæsiuit, quem simulato per elegantiam furto reum statuit rapinæ, vt obsidem teneret gratiæ? Vnde meritò ei à patre dicitur: Filius ampliatus meus Ioseph, filius meus ampliatus, zelotes filius meus, & benedicat te benedictione cœli à summo, benedictione terræ habētis omnia propter benedictiones patris tui & matris tuæ. Præualuit super benedictiones mortium manentiū, & desideria collū æternorum. Et in Deuteronomio: Qui visus est, inquit, in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem ipsius, honorificus inter fratres suos primitiuus: tauri decus eius, cornua vnicornis cornua ipsius. In ipsis gentes ventilabit simul vsque ad extremum terræ. Ipsi decem milia Effraim, & ipsi milia Manasses.

Aqualis meriti viro consilium sit requirendum, Introducuntur Paulus & Ioseph. CAPVT XVII.

Talis itaque debet esse qui consilium alteri det, D vt seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. Talis erat Paulus, qui consilium dabat virginibus, magisterium sacerdotibus, vt primum seipsum præberet nobis formam ad imitandum. Ideo & humiliari sciebat, sicut sciuit & Ioseph, qui summo ortus patriarcharum genere, non dedignatus degenerem seruitutē, exhibebat eam obsequiis, illustrabat virtutibus. Sciuit humiliari, qui & venditores & emptorem passus est, & Dominum appellabat cum. Audi humiliantem se: Si Dominus meus præter me nihil scit in domo sua, & omnia quæcumque habet, dedit in manus meas, neque subtractum est à me quicquam præter te, quæ vxor illius es, quomodo faciam verbum malum hoc, & peccabo coram Domino? Plena vox humilitatis, plena castimonia. Humilitatis, quia Domino deferebat honorificentiam, quia referebat gratiam. Plena quoque castimonia, quia turpi flagitio contaminari, graue peccatum putabat: Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contemnantur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ maliciose possunt in noxam serpere: vt si is qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit precio mutari, si iniurius, hic fugitur ac de-

clinatur. Qui verò voluptarius, intemperans, & si alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur. Quod enim specimen industria, quem fructum laboris edere potest, quam recipere animo curam ac sollicitudinem, qui se torpori dederit atque ignauia? Ideo boni vir consilij dicit: Ego autem didici, in quibus sum sufficiens esse. Sciebat enim omnium malorum radicē esse auaritiam, & ideo suo contentus erat, alienum non requirebat. Satis mihi, inquit, est, quod habeo, siue parum siue plurimum habeam, mihi plurimum est. Expressius aliquid dicendum videtur. Signato verbo vsus est. Sufficit mihi, inquit, in quo sum: id est, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quero amplius. Non superfluit, quia non soli mihi habeo, sed pluribus. Hoc de pecunia. Cæterum de omnibus dici potest, quia sufficiebant illi presentia: hoc est, non honorem maiorem, non obsequia vberiora desiderabat, non gloriæ immodicæ cupidus, aut gratiam indebitè quærebat, sed debiti finem certaminis, patientis laboris, securus meriti præstolabatur. Scio, inquit, & humiliari. Non ergo indocta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam & scientiam, laudatur. Est enim humilitas formidinis, est & imperitiæ atque ignorantia. Ideo & scriptura ait: Et humiles spiritu saluabit. Præclare ergo dixit: Scio & humiliari, id est, quo in loco, qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere. Nesciuit Phariseus humiliari, ideo deiectus est: sciuit publicanus, ideo iustificatus est. Sciebat & abundare Paulus, qui animum habebat diuitem, & si thesaurum diuitis non habebat. Sciebat abundare, quia non quærebat datum in pecunia, sed requirebat fructum in gratia. Possumus & sic intelligere, quia sciebat abundare, qui poterat dicere: Os nostrum patet ad vos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est. In omnibus erat imbutus, & saturari & esurire. Beatus qui sciebat saturari in Christo. Non ergo illa corporalis, sed spiritalis est saturitas, quam operatur scientia. Et meritò scientia opus est, quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Ergo qui sic sciebat saturari & sic esurire, sciebat vt semper noua quæreret, esurire & sitire Dominum. Sciebat esurire, qui sciebat, quia esurientes mādūcabūt: sciebat & poterat abundare, qui nihil habebat & possidebat omnia.

Quod mali consilij sæpe fiant in ruinam, Introducitur Roboam consilio iuuenum deceptus. CAP. XVIII.

EGregiè itaque viros alicui præidentes muneri commendat iustitia, e contra iniquitas destituit atque impugnat. Exemplo nobis est scriptura quæ dicit: Cum populus Israel post mortem Salomonis rogasset filium eius Roboam, vt releuaret ceruices eorum à seruitute dura, & paterni imperij temperaret austeritatem, illum spreto senili consilio de suggestionem adolescentium responsum dedisse huiusmodi, quod & onus ad iiceret super patris iugum, & leuiora grauioribus suppliciis mutaret. Quo responso exasperati populi responderunt: Non est nobis portio cum Dauid, neque hæreditas in filiis Iesse. Reuertere vnusquisque in tabernacula tua Israel, quoniam hic homo neque in principem, neque

Philip. 4.
1. Timot. 6.

Philip. 4.

Psal. 33.
Luc. 18.

Philip. 4.

1. Cor. 8.

Deut. 8.
Matth. 4.

2. Reg. 12.

in ducem erit nobis. Itaq; desertus à populo ac de-
stitutus, vix duarum tribuum propter Dauid meri-
tum habere potuit societatem.

*Iustitia & benevolentia & affabilitate non fucata plu-
rimos posse conciliari.* CAPVT XIX.

CLaret ergo quoniam & equitas imperia confir-
met, & iniustitia dissoluat. Nam quomodo po-
test malicia regnum possidere, quæ ne vnam quidem
priuatam potest regere familiam? Summa igitur be-
nignitate opus est, vt non solum publica guberna-
cula, sed etiam priuata iura tueamur. Plurimum
iuuat beneuolentia, quæ omnes studet beneficiis am-
plecti, deuincire officii, oppignerare gratia. Affabi-
litate quoque sermonis diximus, ad conciliandam
gratiam valere plurimum. Sed hanc volumus esse
synceram ac sobriam sine vlla adulatione, ne sim-
plicitatem ac puritatem alloquij dedecet sermo-
nis adulatione. Forma enim esse debemus cæteris, non
solum in opere, sed etiam in sermone, in castitate, ac
fide. Quales haberi volumus, tales simus: & qualem
affectum habemus, talem aperiamus. Neque dica-
mus in corde nostro verbum iniquum, quod absco-
di putemus silentio ab eo qui audit in occulto dicta,
qui occulta facit, & cognoscit secreta viscerum, qui
sensum visceribus infudit. Ergo tanquam sub oculis
constituti iudicis, quicquid gerimus, in luce positum
putemus, vt omnibus manifestetur.

*Ad commendationes hominum plurimum valere si probatis
adhæreant: Exempla de patribus: & dispares etiam ætate,
vitæ delectari similitudine: Exemplum ponitur de Petro &
& Ioanne.* CAPVT XX.

Plurimum itaque prodest vnicique bonis iun-
gi. Adolescentibus quoque vtile, vt claros & sa-
pientes viros sequantur: quoniam qui congregitur
sapientibus, sapiens est: qui autem cohæret impru-
dentibus, imprudens agnoscitur. Et ad instructio-
nem itaque plurimum proficit, & ad probitatis te-
stimonium. Ostendunt enim adolescentens eorum se
imitatores esse, quibus adhæserint: & ea conualescit
opinio, quod ab his viuendi acceperint similitudi-
nem cum quibus conuersandi hauserint cupidita-
tem. Inde tantus Iesus Naue, quod eum non solum
erudiuit ad legis scientiam Moyse copula, verum etiã
sanctificauit ad gratiam. Denique cum in eius taber-
naculo diuina resplenderet præsentia, & videretur ma-
iestas Domini, solus erat in tabernaculo Iesus
Naue. Moyses cum Deo loquebatur: Iesus pariter
nube sacra tegebatur. Presbyteri & populus deor-
sum stabant: Iesus cum Moyse ad accipiendam le-
gem ascendebat. Omnis populus intra castra erat:
Iesus extra castra in tabernaculo testimonij. Cum
columna nubis descenderet, & loqueretur cū Moy-
se, quasi fidus astabat minister. Nec exibat de taber-
naculo iuuenis, cum seniores longè positi diuina tre-
pidarent miracula. Vbiq; igitur inter admiranda
opera & reuerenda secerata sancto Moyse indiuiduus
adhærebat. Vnde factum est, vt qui fuerat socius cõ-
uersationis, fieret successor potestatis. Merito vir
huiusmodi euasit, vt sisteret fluminum cursus, dice-

Prover. 13.

Deut. 31.

Iosue, 10.

Gret: Stet sol, & staret Sol quasi eius spectator victo-
riæ, nocte differret, diem produceret: & quod Moy-
si negatum est, solus eligeretur, vt populum intro-
duceret in terram repromissionis. Magnus vir fidei
miraculis, magnus triumphis. Illius augustiora ope-
ra, huius prosperiora. Vterque igitur diuina subni-
xus gratia, vltra humanam processit conditionem.
Ille mari, hic cælo imperauit. Pulchra itaque copula
seniorum atque adolescentium. Alij testimonio, alij
solatio sunt, alij magisterio, alij delectationi. Omitto
quod Abraham sit Loth adolescentulus etiam profi-
ciscienti, ne fortè hoc propinquitatis magis fuisse
existimetur, & necessaria potius quam voluntaria
adiunctionis. Quid de Helia atque Helisæo loqua-
mur? Licet enim non expressè Helisæum iuuenem
scriptura significauerit, aduertimus tamen & colligi-
mus iuniorem fuisse. In Actibus Apostolorum
Barnabas Marcum assumpsit, Paulus Silan, Paulus
Timotheum, Paulus Titum. Sed illis superioribus
videmus diuina officia, vt seniores consilio præuale-
rent, iuueniores ministerio. Plerumque etiam virtu-
tibus pares, dispares ætatibus, sui delectantur copu-
la, sicut delectabantur Petrus & Ioannes. Nam ado-
lescentem legimus in euangelio Ioannem & sua vo-
ce, licet meritis & sapientia nulli fuerit seniorum se-
cundus. Erat enim in eo senectus venerabilis mor-
um, & cana prudentia. Vita enim immaculata, bo-
næ senectutis stipendium est.

*De laude miserationis & hospitalitatis, & malo prodigali-
tatis & inanis fauoris, & hoc maxime in sacerdotibus re-
prehenditur, qui omnia ornate & ordinate agere debent.* CAPVT XXI.

Adiuuat hoc quoque ad profectum bonæ exi-
stimationis, si de potētis manibus eripias ino-
pem, de morte damnatū eruas, quātum sine pertur-
batione fieri potest, ne videamur iactantia magis
causa facere, quam misericordiae, & grauiora inferre
vulnera, dum leuioribus mederi desideramus. Iam si
oppressum opibus potentis, & factione magis quam
sceleris sui precio grauatum liberaueris, egregia cõ-
ualefcit opinionis testimonium. Commendat ple-
rosque etiam hospitalitas. Est enim publica species
humanitatis, vt peregrinus hospitio non egeat, su-
scipiatur officiose, pateat aduenienti ianua. Valde id
decorum totius est orbis existimatione, peregrinos
cum honore suscipere, non deesse mensæ hospitali-
tatis gratiam, occurrere officii liberalitatis, explo-
rare aduentus hospitem. Quod Abrahæ laudi est da-
tum, qui ante ianuam suam speculabatur, ne fortè
præteriret peregrinus aliquis, & diligenter præten-
debat excubias vt occurreret, vt præueniret, vt ro-
garet, ne transfret hospes, dicens: Domine, si inueni
gratiam ante te, ne præterieris puerū tuum. Et ideo
pro hospitalitatis mercede fructum posteritatis re-
cepit. Loth quoque nepos eius, non solum genere,
sed etiam virtute proximus, propter hospitalitatis
affectum, Sodomitana à se suisque supplicia detor-
sit. Decet igitur hospitalem esse, benignum, iustum,
non alieni cupidum, imò de suo iure cedentem po-
tius aliqua si fuerit laceffitus, quam aliena iura pul-
santem: fugitantem litium, abhorrentem à iurgiis,
redimen-

Sapient.

Genes. 18.

Genes. 19.

redimentem concordiam & tràquillitatis gratiam. **A**
Si quidè de suo iure virum bonum aliquid relaxare,
non solum liberalitatis, sed plerumque etiam com-
moditatis est. Primum dispendio litis carere, non
mediocre est lucrum. Deinde accedit ad fructum
quo augetur amicitia, ex qua oriuntur plurimæ cõ-
moditates, quæ contēnenti aliquo in tempore post-
ea fructuosæ sint. In officiis autem hospitalibus
omnibus quidem humanitas impartienda est, iustis
autem vberior deferenda honorificentia. Quicum-
que enim iustum receperit in nomine iusti, mercedem
iusti accipiet, vt Dominus pronuntiauit. Tanta
autem est apud Deum hospitalitatis gratia, vt ne po-
tus quidè aque frigidæ à præmiis remunerationis im-
munis sit. Vides quia Abraham Deū recepit hospicio
dū hospites quærit? Vides quia Loth angelos susce-
pit? Qui scis an & tu cum suscipis hospitem, suscipias
Christum? Licet in hospite sit Christus, quia Chris-
tus in paupere est, sicut ipse ait: In carcere eram, &
venistis ad me: nudus eram, & operuistis me. Suaue
est igitur non pecuniæ, sed gratiæ studere. Verum
hoc malum iam dudum humanis influxit mētibus,
vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum
admiratione capiatur. Inde se immerfit auaritia, ve-
luti quædam bonorum ariditas officiorum, vt ho-
mines damnatum putet, quicquid præter morem im-
penditur. Sed etiam in hoc aduersus auaritiam, ne
quod afferre possit impedimentum, prospexit scri-
ptura venerabilis, dicens: Quia melior est hospitali-
tas cum oleribus. Et infra: Melior est panis in suauitate
cum pace. Non enim prodigos nos docet esse
scriptura, sed liberales. Largitatis enim duo sunt ge-
nera. Vnum liberalitatis, alterū prodigæ effusionis.
Liberale est hospitio suscipere, nudum vestire, re-
dimere captiuos, non habentes sumptum iuuare.
Prodigum est, sumptuosus affluere conuiuuiis, &
vino plurimo. Vnde legisti: Prodigum est vinum,
& contumeliosa ebrietas, Prodigum est popula-
ris fauoris gratia exinanire proprias opes. Quod
faciunt qui ludis circensibus vel etiam theatrali-
bus & muneribus gladiatoris, vel etiam venatio-
nibus patrimonium dilapidant suum, vt vincant
superiorum celebritates, cum totum illud sit inane
quod agunt. Quandoquidem etiam bonorum ope-
rum sumptibus immoderatum esse nõ debeat. Pul-
chra liberalitas erga ipsos quoque pauperes mensu-
ram tenere, vt abundes pluribus, non conciliandi
fauoris gratia vltra modum fluere. Quicquid ex af-
fectu puro ac sincero promittitur, hoc est decorum,
nõ superfluas adificationes aggredi, nec prætermi-
tere necessarias. Et maxime sacerdoti hoc conuenit,
ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc
cultu aula Domini resplendeat, impensas misericor-
diæ conuenientes frequentare, quantum oporteat
largiri peregrinis, non superflua, sed competentia: **F**
non redundantia, sed congrua humanitati, ne sum-
ptu pauperum aliena sibi quærat gratiam, ne restric-
torem erga clericos aut indulgentiorem se præ-
beat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigū,
si aut sumptus desit necessitati eorum, quos à sordi-
dis negociationis aucupiis retrahere debeas, aut vo-
luptatis superfluat.

Matth. 10.

Matth. 25.

Prover. 15.

Prover. 20.

*De modo inter remissionem & seueritatem conseruando, &
quod simulata remissio grauius aliquando causas ado-
riatur, exemplum de Absalon.* CAPVT XXII.

QVinetiam verborum ipsorum & præceptorum
esse mensuram conuenit, ne aut nimia remissio
videatur, aut nimia seueritas. Plerique enim remis-
siores malunt esse, vt videantur boni. Sed nihil simu-
latum & fictum veræ virtutis esse certum est, quin-
etiam diuturnum esse nõ solet. In principio vernat:
in processu tanquam flosculus dissipatur & soluitur,
quod autem verum ac sincerū alta radice fundatur.
Et vt exēplis assertiones nostras probemus (quoniã
quæ simulata sunt diuturna esse non possunt, sed tã-
quam ad tempus virentia citò decidunt) ex ea fami-
lia ex qua nobis plurima ad virtutis profectum ex-
empla accersimus, vnum simulationis & fraudis
proferamus testimonium. Absalon erat Dauid regis
filius, decore insignis, egregius forma, præstans iu-
uenta, ita vt vir talis in Isracl non reperiretur, à vesti-
gio pedis vsque ad verticem immaculatus. Is fecit
sibi currus, & equos, & viros quinquaginta, qui præ-
currerent ante eum. Surgebat diluculo, & stabat an-
te portam in via: & si quem aduertisset regis iudicia
quærentem, accedebat ad eum, dicens: Ex qua ciui-
tate es tu? Respondit ille: Ex vna tribu sum de tribu-
bus Isracl seruus tuus. Referebat Absalon: Verba
tua bona sunt & directa: & qui te audiat non est tibi
datus à rege. Quis constituet me iudicem? Et quis-
quis ad me veniet, cuiusque fuerit iudicium ne-
cessarium, iustificabo illum. Talibus delinibat sin-
gulos sermonibus. Et cum accederent adorare eū,
extendens manus suas, apprehendebat atque oscu-
labatur eos. Sic conuertit in se corda omnium, dum
blanditiæ huiusmodi intimorum tangunt viscerum
sensum. Sed delicati isti & ambitiosi elegerunt ho-
norabilia & grata ad tempus & iocunda. Vbi autem
parua processit dilatio, quam prudēs omnium pro-
pheta paulisper cedendo interponendam putauit,
non potuerunt tolerare ac sustinere. Denique non
dubitans de victoria Dauid, commendabat filium
dimicaturis, vt ei parcerent. Ideoque nec prælio in-
teresse maluit, ne vel referre arma parricidæ, licet vi-
deretur, sed tamen * filio. Liqueat igitur ea esse perpetua
ac solida, quæ vera sunt, & quæ syncerè potius
quam dolo congregantur. Ea verò quæ simulatione,
atque assentatione parta sunt, non posse diu perse-
uerare.

2. Reg. 17.

* filio.

*Quod pecunia redempti non diu fidem custodiant, quia quos
semel pecunia redemeris, semper se remissione & adula-
tione putant redimendos.* CAP. XXIII.

Quis igitur vel illos qui pecunia ad obedientiam
redimuntur, vel eos qui assentatione inuitatur,
fidem sibi arbitretur? Nam & illi frequenter se ven-
dere volunt, & isti imperia dura ferre non possunt.
Leui assentatiuncula facile capiuntur: si perstrin-
xeris verbo, immurmurant, deserunt, infesti
abeunt, indignantes relinquunt, imperare malunt
quam obedire. Quasi obnoxios beneficio, subiectos
sibi debere esse existimant, quos præpositos sibi ha-
bere debeant. Quis igitur sibi fideles putet, quos vel

adulatione sibi obligandos crediderit? Nam & ille qui pecuniam acceperit, vilem se & despectum iudicat, nisi sæpe redimatur, itaque frequenter expectat precium suum: & ille qui obsecratione ambitus videtur, vult semper rogari.

Bonis tantum artibus ad honores nitendum, maxime ecclesiasticos, nec inferiores ordines simulatis virtutibus episcopoderogare, nec item episcopum clero esse inuidum, sed iustum in omnibus, maxime in iudicando.

CAPVT XXIII.

ERgo bonis artibus & sincero proposito nitendum ad honorem arbitror, & maxime ecclesiasticum: vt neque resupina arrogantia, vel remissa negligentia sit, neque turpis affectatio, & indecora ambitio. Ad omnia abundat animi directa simplicitas, satisque seipsa commendat. In ipso vero munere neque seueritatem esse duram conuenit, nec nimiam remissionem: ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur. Enitendum quoque vt beneficiis atque officiis obligemus plurimos, & collatam referuemus gratiam: ne iure beneficij fiant immemores, qui se grauius læsos dolent. Sæpe enim vsu venit, vt quos gratia foueris vel aliquo superiore cumulaueris gradu, auertas, si indigne aliquem eis preponendum iudices. Sed & sacerdotem beneficiis suis vel iudiciis fauere conuenit, vt æquitatem custodiat, & presbytero vel ministro deferre vt parati. Neque eos, qui semel probati sunt, arrogantes esse oportet, sed magis tanquam memores gratiæ, humilitatem tenere: neque offendi sacerdotem, si aut presbyter, aut minister, aut quisquam de clero, aut misericordia, aut ieiunio, aut integritate, aut doctrina, aut lectione existimationem accumulet suam. Gratia enim ecclesiæ, laus doctoris est: bonum opus alicuius predicari, ita tamen si nullo studio fiat iactantiæ. Laudent enim vnumquemque proximorum labia, & non os suum, & commendent opera non studia sua. Cæterum si quis non obediat episcopo, extollere atque exaltare sese desiderans, obumbrare merita episcopi simulata affectatione doctrinæ, aut humilitatis, aut misericordiæ, is à verò deuius superbit: Quoniam veritatis ea est regula, vt nihil facias commendandi tui causa, quo minor alius fiat: neque si quid boni habeas, id ad deformationem alterius & vituperationem exerceas. Non defendas improbum, & sancta indigno committenda arbitreris: neque iterum vrgeas & impugnes, cuius crimen non deprehēderis. Nam cum in omnibus iniustitia citò offēdat, tum maxime in ecclesia, vbi æquitate esse oportet, vbi æqualitatem haberi decet, vt nihil sibi potētior plus vindicet, nihil vsurpet ditior. Siue enim pauper, siue diues, in Christo vnum sunt: nihil sanctior plus sibi arroget. Ipsum enim par est esse humiliorem. Sed nec personam alterius accipiamus in iudicio, gratia absit, causam merita decernant. Nihil sic opinionem, imò fidem grauat, quam si in iudicando potentiori dones causam inferioris, vel pauperem innocentem arguas, diuitem excuses reum culpæ. Pronum quippe est genus hominum fauere honoratioribus, ne læsos se putent, ne victi doleant. Sed primum si

Prouer. 27.

Iacob. 2.

offensam vereris, non recipias iudicium: si sacerdos es, aut si quisquam alius, non laceffas. Licet tibi filere in negotio dumtaxat pecuniario, quanquam sit constantiæ adesse æquitati. In causa autem Dei, vbi communionis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leue.

Fauores & beneficia plus pauperibus quam diuitibus eroganda, quia de eo quod diues forte dedignatur, pauper maximam tibi habet gratiam: & quod beneficia non sola fiant pecunia.

CAPVT XXV.

Quid autem tibi prodest fauere diuiti? An quia citius amantem remuneret? His enim fauimus frequentius, à quibus referendæ vicem speramus gratiæ. Sed eo magis infirmo & inopi nos studere conuenit, quia pro eo qui non habet, remunerationem speramus à Domino Iesu: qui sub specie conuiuij generalem virtutis edidit formam, vt his potius nostra conferamus beneficia qui nobis ea non possunt repræsentare, dicens, ad conuiuium atque epulas non eos qui diuites sunt, sed pauperes inuitandos. Diuites enim rogari videntur, vt ipsi quoque nobis reddant conuiuium. Pauperes (quia non habent quod restituant) cum acceperint, remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro paupere obligandum obtulit. Ad ipsum quoque seculi vsum collatio beneficij facta in pauperes magis quam in locupletes, plus iuuat: quia diues dedignatur beneficium, & pudet eum debitorem esse gratiæ. Quinetiam id quod collatum est sibi, meritis suis erogat, quod vel vt debitum acceperit, vel ideo datum sit, eo quod is qui dedit, reddendum sibi à diuite vberius existimauerit. Ita in accipiendo beneficio, eo ipso quod acceperint diuites, dedisse se magis quam accepisse existimant. Pauper verò & si non habet vnde reddat pecuniam, refert gratiam. In quo certum est, quod plus reddat quam acceperit. Pecunia enim nummo soluitur, gratia nūquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecunia, gratia autem & habendo soluitur, & soluendo retinetur. Deinde quod diues refugit, pauper fatetur, quod sit obligatus debito, sibi que subuentum, non honori suo delatum putat: donatos sibi arbitratur filios, vitam redditam, seruatam familiam. Quanto igitur melius, apud bonos, quam apud ingratos locare beneficium? Vnde Dominus ad discipulos ait: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, qua velut falce, pullulantem in pectoribus humanis succidit auaritiā. Petrus quoque claudo (qui ex vtero matris sue portabatur) ait: Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo do tibi: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula. Itaque pecuniam non dedit, sanitatem dedit. Quanto melius est salutem habere sine pecunia, quam pecuniam sine salute. Surrexit claudus, quod non sperabat: pecuniam non accepit, quam sperabat. Sed hæc vix in sanctis Domini reperiuntur, vt diuitiæ contemptui sint.

De malo auaritiæ, exempla de Balaam, & Acham, & Dalila.

CAPVT XXVI.

Cæterum ita incubuerunt mores hominum ad admirationem diuitiarum, vt nemo nisi diues honore

honore dignus putetur. Neque hic recens vsus, sed iam dudum, quod peius est inoleuit hoc vitium humanis mentibus. Siquidem cum Hierico magna ciuitas tubarum sacerdotium sono corruisset, & Iesus Naue potiretur victoria, cognouit infirmatam esse virtutem populi per auaritiā, atque auri cupiditatem. Nam cum de spoliis vrbs incensæ, sustulisset Acham vestem auream, & ducenta argenti didrachmata, & linguam auream, oblatu Domino negare non potuit, sed prodidit furtum. Vetus igitur & antiqua auaritia est, quæ cum ipsis diuinæ legis cœpit oraculis, imò propter ipsam reprimendam lex Dei data est. Propter auaritiā Balac putauit Balaam præmiis posse tentari, vt malediceret populum patrum: & vicisset auaritia, nisi Dominus à maledicto eum abstinere vetuisset. Et propter auaritiā præcipitatus Acham, in exitium deduxerat totam plebem parentum. Itaque Iesus Naue, qui potuit solē sistere ne procederet, auaritiā hominum non potuit sistere ne serperet. Ad vocem eius sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaque stante confecit Iesus triumphum, auaritia autē procedente, penè amisit victoriam. Quid? fortissimū omnium Samson, nonne Dalilæ mulieris auaritia decepit? Itaque ille qui rugientem leonem manibus discerpserit suis, qui victus & alienigenis traditus, sine vllo adiutore solus dissolutis vinculis, mille ex his peremit viros, qui funes intextos neruis velut mollia sparti fila dirupit, is super genua mulieris inflexa ciruice truncatus inuicti criminis ornatum, prærogatiuam suæ virtutis amisit. Influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia. Feralis igitur auaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non iuuat. Esto tamen vt aliquando adiuuet pecunia, inferiorem tamē & ipsum desiderantem. Quid ad eum, qui non desiderat, qui non requirit, qui auxilio eius non indiget, studio non flectitur? Quid * vt aliis sit ille copiosior qui habet? Numquid, idcirco honestior quia habet quo honestas plerumque amittitur, quia habet quod custodiat, magis quā quod possideat? Illud enim possidemus quo vtimur: quod autem vltra vsum est, non vtique habet possessionis fructum, sed custodiæ periculum.

1. 6. 7.

Num. 22.

Judicium. 14.

Idem 16.

ad alios si

De benignitate, & quod excommunicatio tardius sit exerenda.

CAP. XXVII.

AD summam nouimus quod pecuniæ contemptus iustitiæ forma sit: & ideo auaritiā declinare debemus, & omni studio intendere, ne quid faciamus vnquam aduersus iustitiā, sed in omnibus gestis & operibus custodiamus eam. Si volumus commendare nos Deo, charitatem habeamus, vnanimes simus, humilitatem sequamur, alter alterum existimantes superiorem sibi. Hæc est enim humilitas, si nihil sibi quis arroget, sed inferiorem se esse existimet. Episcopus vt membris suis vtatur clericis, & maxime ministris qui sunt verè filij: quem cuique viderit aptum muneri, ei deputet. Cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono abscinditur. Sic episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentiā au-

ferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere, postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Vnde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, vt cogitemus non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum. Hoc enim modo nihil erit, quod vel irati nostro indulgeamus affectui, vel fauentes nostræ plus iusto tribuamus aliquid voluntati.

Philip. 2.

De bono compassionis, & quod sacris ecclesiarum thesauris non sit parcendum tempore necessitatis, exempli causa inducitur Laurentius & ipse Ambrosius.

CAP. XXVIII.

Hoc maximum incitium misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quam prætere in clementiam: vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus: quod Arrianis displicere poterat, nec tã factum displicere, quā vt esset quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur à morte, scemina ab impuritatibus Barbarorum, quæ grauiore morte sunt: adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum cõtagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamē ita in populo profecuti sumus, vt confiteremur, multoque fuisse cōmodius astrueremus, vt animas Domino quam aurū seruaremus. Qui enim sine auro misit apostolos, & ecclesias sine auro congregauit. Aurum ecclesia habet, non vt seruet, sed vt erogat, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrij sustulerint? Nonne melius constat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quam sacrilegus contaminata asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum, vt ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium sunt, nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viuentium seruare, quam metallorum. His non posset responsum referri. Quid enim diceret? Timui ne templo Dei ornatus decisset? Responderet: Aurum sacramenta non quarunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa preciosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tunc vas dominici sanguinis agnosco, cum in vitroque videro redemptionem, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quam pulchrum vt cum agmina captiuorum ab ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit: Ecce aurum quod probari potest, ecce aurum vtile, ecce aurum Christi quod à morte liberat, ecce aurum quo redimitur pudicitia, seruatur castitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quam aurum referuare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præstantior est, quā species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum redemptoris, vt redimeret periclitantes,

Ecclesia quæ re habeat aurum.

Sacramentorum ornatus.

Thesaurus Domini.

Agnosco infusum auro sanguinem Christi, non solum irrutilasse, verum etiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. Tale autem sanctus martyr Laurētius Domino reseruauit, a quo cum quærentur thesauri ecclesie, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri ecclesie: & verè thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me. Et infra: Quod enim vni horum fecistis, mihi fecistis. Quos meliores Iesus habet thesauros, quàm eos in quibus amat videri? Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & vicit, quod eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Ioachim qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimonie comparandæ: & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem perducere. Laurentius qui aurum ecclesie maluit erogare pauperibus, quàm persecutori reseruare, pro singulari interpretationis viuacitate sacram martyrij accepit coronam. Numquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros ecclesie, vasa sacramentorum vendere? Opus est, vt quis fide sincera & perspicaci prouidentia munus hoc impleat. Sanè si in sua aliquis deriuat emolumenta, crimen est: Sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper viuuit? Nemo potest queri, quia captiuus redempti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spacia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum, requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa ecclesie etiam iniuncta confringere, conflare, vendere licet. Opus est vt de ecclesia mystici poculi forma nõ exeat, ne ad vsus nefarios sacri calicis ministeriũ transferatur. Ideo intra ecclesiam primum quæsitã sunt vasa quæ iniuncta non essent: deinde cõminuta, postremò cõflata, per minutas erogationes dispensata egentibus, captiuorum quoque precisi profecerunt. Quod si defunt noua, & quæ nequam iniuncta videantur: in huiusmodi vsus, quos supra diximus, arbitror omnia piè posse conueri.

Theauri ecclesie pauperes.
2. Cor. 4.
Matth. 25.

4. Reg. 25.
2. Paral. 36.

Vasa ecclesie confringenda sunt tribus generibus.

2. Mach. 3.

Deposita viduarum, imò omnium fidelium in ecclesia cum sui etiam periculo conseruanda. Exemplum de Onia & Heliodoro, & seipso, & Ticinensi episcopo.
CAPVT XXIX.

Illud sanè diligenter tuendum est, vt deposita viduarum intemerata maneant, sine vlla seruētur offensione: nec solum viduarum, sed etiam omnium. Fides enim exhibēda omnibus, sed maior est viduarum causa & pupillorum. Denique hoc solo viduarum nomine (sicut in libris Machabæorum legim⁹) commendatum templo omne seruatum est. Nam cum indicium factum esset pecuniarum, quas in templo Hierosolymis maximas reperiri posse Simon nefarius Antiocho regi prodidit, missus in Hierusa-

lem Heliodorus, ad templum venit, & summo sacerdoti aperuit indicij inuidiã, & aduentus sui causam. Tunc sacerdos deposita esse dixit viduarum victualia & pupillorum, quædam autem Hircani Tobie viri sancti: eaque demonstrauit, Argenti talēta quadringenta erant, auri verò ducenta. Quæ cum Heliodorus ereptum ire vellet, & regis vendicare commodis, sacerdotes ante altare iactauerunt se, induti sacerdotales stolas, & Deum viuum qui depositis legem dederat, flentes inuocabant custodem se præceptorum præstare suorum. Vultus verò & color summi sacerdotis immutatus, declarabat dolorem animi, & metis intentæ sollicitudinem. Flebant omnes, quod in contemptum locus venturus foret, si nec in Dei templo tuta fidei seruaretur custodia: accinctæque mulieres pectus, & clausæ virgines pulsabant ianuas, ad muros alij currebant, per fenestras alij prospectabant, omnes ad cœlũ tendebant manus, orantes, vt suis Dominus adesset legibus. Heliodorus autem nec his territus, quod intenderat, vrgebat, & satellitibus suis ærarium sepserat, cum subito apparuit illi terribilis eques armis præfulgens aureis: equus autem eius erat insigni ornatus opertorio. Alij quoque duo iuuenes apparuerunt in virtute incluta, decore grato, cum splendore gloriæ, speciosi amictu, qui circum steterunt eum, & vtraque ex parte flagellabant sacrilegum, sine vlla intermissione continuo verbere. Quid multa? Circumfusus caligine in terram concidit, & euidenti diuinæ operationis indicio examinatus iacebat, nec vlla spes in eo residebat salutis. Oborta est lætitia metuentibus, metus superbis, deiectique ex amicis Heliodori quidam rogabant Oniam vt vitam posceret ei, quoniam supremum gerebat spiritum. Rogante itaque sacerdote summo, iidem iuuenes iterum Heliodoro apparuerunt, iisdem amictu vestibus, & dixerunt ad eum: Onie summo sacerdoti gratias age: propter quem tibi vita est reddita. Tu autem expertus flagella dei, vade & nuncia tuis omnibus, quantum cognoueris templi religionem, & Dei potestatem. His dictis nõ comparuerunt. Heliodorus itaque recepto spiritu, hostiam Domino obtulit, Oniæ sacerdoti gratias egit, & cum exercitu ad regem reuertitur, dicens: Si quem habes hostem, aut insidiatorem rerum tuarũ, illuc eum dirige, & flagellatum recipies eum. Seruanda est igitur filij depositis fides, adhibenda diligentia. Egregiè hinc vestrũ enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis quam vel vidua vel orphanus tolerare non queant, ecclesie subsidio cohibeatur, si ostendatis plus apud vos mandatum Domini, quàm diuitis valere gratiã. Meministis ipsi quotiens aduersus regales impetus pro viduarum, imò omnium depositis certamen subierimus. Commune hoc vobiscum mihi, recens exemplum ecclesie Ticinensis proferam, quæ viduæ depositum quod susceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo qui sibi illud imperiali rescripto vendicare cupiebat, clerici non tenebant authoritatem, honorati quoque & intercessores dati, non posse præceptis imperatoris obuiari ferebant. Legebatur rescripti forma, directio Magistris officiorum statuta. Agens in rebus imminēbat. Quid plura? Traditum erat. Tamè communicato mecum consilio, obsecit sanctus

sanctus episcopus ea conclauia, ad quæ translatum illud depositum viduæ cognouerat. Quod vbi non potuit auferri, receptũ sub chirographo est. Postea iterum flagitabatur ex chirographo: Præceptũ imperator iterauerat, vt ipse per semetipsum nos conueniret. Negatum est, & exposita diuinæ legis auctoritate, & serie lectionis, & Heliodori periculo, vix tandem, rationem imperator accepit. Post etiam tentata fuerat obreptio, sed præuenit sanctus episcopus vt redderet viduæ quod acceperat. Fides interim salua est, oppressio nõ est formidini, quia iam res non fides periclitatur.

Qui fugiendi, & qui sint in bono zelandi.
CAPVT XXX.

Filij fugite improbos, cauete inuidos. Inter improbum & inuidum hoc interest: Improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quàm qui malè omnibus. Filij ante factum cogitate: & cum diutius cogitaueritis, tunc

1. Tim. 5.

facite quod probatis. Laudabilis mors cum occasio datur, rapienda est illico. Dilata gloria fugit, nec facile comprehenditur. Fidem diligite, quoniam per fidem & deuotionem Iofias magnum sibi ab vniuersis amorem acquisiuit: quoniam celebravit pascha Domini, cum esset annorum decem & octo, quem admodum nemo ante eum. Zelo itaque vt vicit superiores, ita & vos filij zelum Dei sumite, Exquirat vos Dei zelus & deuoret, vt vnusquisque vestrum dicat: Exquisiuit me zelus domus tuæ. Apostolus Christi zelotes dictus est. Quid de Apostolo dico? Ipse Dominus ait, Zelus domus tuæ comedit me. Sit ergo inter vos Dei zelus, non iste humanus quem inuidia generat: Sit inter vos pax, quæ super omnem sensum est. Amate vos inuicem. Nihil charitate dulcius, nihil pace gratius. Et vos ipsi scitis, quod præcæteris vos semper dilexi & diligo: Quasi vnus patris filij, coaluistis in affectum germanitatis. Quæ bona sunt tenete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum in Domino Iesu, cui est honor, gloria, magnificentia, potestas, cum spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

4. Reg. 22.
2. Paral. 35.
3. Esdr. 1.

Ioan. 2.

Psal. 68.

Philip. 4.

F I N I S.

Capitula libri tertij Officiorum.

- Quod sancti & in quiete maxima operentur et mira, ostenditur ex Moyse & Heliseo.* Cap. I.
- Honestum & utile apud Christianos vnum esse, qui non commoda temporalia sequimur, sed æterna.* Cap. II.
- De calumnia reprimenda, & beneficentia cunctis exhibenda. Exemplum de harmonia membrorum, quæ singula singulis obsequuntur.* Cap. III.
- Alienis incommodis nostra lucra non querenda.* Cap. IIII.
- Nihil à sapientibus nisi quod honestum sit expetendum, & honestati salutem quoque postponendam, in quo Dauid maximè commendatur, & Ioannes.* Cap. V.
- Famis tempore subueniendum, nec auarè partis incubandum, vel precia captanda. Exempla de Ioseph, et diuite auaro in euangelio.* Cap. VI.
- Peregrinos tempore famis vrbe non arcendos: quod non solum inhonestum, sed et inutile, præpositis comprobatur exemplis.* Cap. VII.
- Honestatem saluti quoque prælatam à Deo comprobari. Exempla de Iosue & Caleb et cæteris exploratoribus.* Cap. VIII.
- Fraudes & turpia lucra clericos maximè dedecere, & omnes honestatem Dauid & Nabuthæ imitari debere.* Cap. IX.
- Vitia virtutibus obliterari, & perfidis etiam ac fraudulentis fidem oportere custodiri: quod Iosue Gabonitis intimatur exhibuisse.* Cap. X.
- Auaros & fraudulentos interdum cupitis fraudari, semper autem apud Deum malevolentia reatu obnoxios teneri. Fabula de quodam Syracusano, et paradigma de Doech Idumæo, & Anania.* C. XI.
- De malo temerarij iuramenti, paradigma de Herode et Iepte: & quod filia eius sponte sua die conducta reuersa, fidem illorum præcellat Pythagæorum, qui se vades inuicem dederunt.* Cap. XII.
- Quantum periculum Iudith honestatis intuitu subierit.* Cap. XIII.
- Quod semper honestatem sequatur utilitas, quod licet apud homines aliter sepe contingere videatur, apud Deum tamen perpetuo ita esse comprobatur multis exemplis.* Cap. XIII.
- Laus honestatis, magnanimitate Hester, & fide Ionathæ commendatur et Abimelech.* Cap. XV.
- De moderamine amicitie conseruanda, clauditur volumen.* Cap. XVI.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS OFFICIORVM
LIBER TERTIVS.

Quod sancti & in quiete maxima operentur & mira,
ostenditur ex Moyse & Heliseo.
CAPVT I.

DAVID propheta docuit nos tanquam in ampla domo deambulare in corde nostro, & conuersari cum eo tanquam cum bono contubernali: vt ipse sibi diceret, & loqueretur secum, vt est illud: Dixi custodiã vias meas. Salomon quoque filius eius ait: Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum fontibus, hoc est, tuo consilio vttere. Aqua enim alta, consilium in corde viri. Nemo, inquit, alienus particeps sit tibi, fons aquæ tuæ sit tibi proprius: & iocundare cum tua vxore, quæ est tibi à iuuentute. Ceruus amicitia, & pullus gratiarum confabuletur tecum. Non ergo primus Scipio sciuit solus non esse, cum solus esset: nec minus negociosus, cum ociosus esset. Sciuit ante ipsum Moyse, qui cum taceret, clamabat: cum ociosus staret, præliabatur: nec solum præliabatur, sed etiam de hostibus quos non contigerat, triumphabat. Adeo ociosus, vt manus eius alij sustinerent: nec minus quam cæteri negociosus, qui ociosis manibus expugnabat hostem, quem non poterat vincere qui dimicabant. Ergo Moyse & in silentio loquebatur, & in ocio operabatur. Cuius autem maiora negocia, quam huius ocia, qui quadraginta diebus positus in monte, totam legem complexus est, & in illa solitudine qui cum eo loqueretur non defuit? Vnde & David ait: Audiam quid loquatur in me Deus. Et quantum plus est, sicum aliquo Deus loquatur, quam ipse secum? Transibant apostoli, & umbra eorum curabat infirmos. Tangebantur vestimenta eorum, & sanitas deferebatur. Sermonem locutus est Helias, & pluuia stetit, nec cecidit super terram tribus annis, & sex mensibus. Iterum locutus est, & hydria farina non defecit, & vas olei toto famis diuturnæ tempore non est exinanitum. Et quoniam plerisque delectant bellica: Quid est præstantius magnis exercitus lacertis, an suis meritis confecisse prælium? Sedebat Heliseus in vno loco, & rex Syria magnam belli molem inferebat populo patrum, diuersisque consiliorum acerbabat fraudibus, & circumuenire insidiis moliebatur, sed omnes eius apparatus propheta deprehendebat, & vigore mentis per gratiam Dei vbique præsens, cogitationes hostium suis annunciabat, & monebat quibus cauerent locis. Quod vbi regi Syria manifestatum est, misso exercitu clausit prophetam. Oravit Heliseus, & omnes illos cæcitate percuti fecit, & captiuos intrare Samariam, qui venerant obsidere eum. Conferamus hoc ocium cum aliorum ocio. Alij enim requiescendi causa abducere animum à negociis solent, & à conuentu cœtûque hominû subtrahere sese, aut ruris petere secretum, captare agrorum solitudines, aut intra urbem vacare animo, indulgere quieti & tranquillitati. Heliseus autem, aut

In solitudine Iordanem transitu suo diuidit, vt pars defluat posterior, superior autem in fontem recurrat: aut in Carmelo resoluta difficultate generandi, inopina sterilem cœceptione fecundat, aut resuscitat mortuos, aut ciborum temperat amaritudines, & facit farina admixtione dulcescere: aut decem panibus distributis reliquias colligit plebe saturata: ferrum securis excussum, & in fluuij Iordanis mersum profundo, misso in aquas ligno facit supernatare: aut emundatione leprosum, aut siccitatem imbribus, aut famem mutat fecunditate. Quando ergo iustus solus est, qui cum Deo semper est? Quando solitarius est, qui nunquam separatur à Christo? Quis nos, inquit, separabit à dilectione Christi? Confido quia neque mors, neque vita, neque angelus. Quando autem feriat à negotio, qui numquam feriat à merito, quo consummatur negocium? Quibus autem locis circumscriptur, cui totus mundus diuitiarum possessio est? Qua æstimatione definitur, qui numquam opinione comprehenditur? Etenim quasi ignoratur & cognoscitur, quasi moritur & ecce viuit, quasi tristis & semper lætior: vt egenus & largus, vt qui nihil habeat, & possideat omnia. Nihil enim spectat vir iustus, nisi quod constans & honestum est. Et ideo etiam si alij videatur pauper, sibi diues est, qui non eorum quæ caduca, sed eorum quæ æterna sunt, æstimatione censetur.

Honestum & vtile apud Christianos vnum esse, qui non commoda temporalia sequimur, sed æterna.
CAPVT II.

ET quoniam de duobus superioribus locis diximus, in quibus honestum illud & vtile tractauimus, sequitur vtrum honestatem & vtilitatem inter se comparare debeamus, & quærere quid sit sequendum. Sicut enim supra tractauimus, vtrum honestum illud an turpe esset, & secundo loco, vtrum vtile an inutile: similiter hoc loco, vtrum honestum sit an vtile, nonnulli requirendum putant. Nos autem monemus, ne hæc inter se velut compugnantia inducere videamur, quæ iam supra vnum esse ostendimus: nec honestum esse posse nisi quod vtile, nec vtile, nisi quod honestum: quia non sequimur sapientiam carnis, apud quam vtilitas pecuniariæ istius commoditatis pluris habetur, sed sapientiam quæ ex Deo est, apud quam ea quæ in hoc seculo magna æstimantur, pro detrimento habentur. Hoc enim catorthoma quod perfectum & absolutum officium est, à vero virtutis fonte proficiscitur. Cui secundum est commune officium, quod ipso sermone significatur, non esse arduæ virtutis ac singularis, quod potest plurimis esse commune. Nam pecuniæ compendia captare, familiare multis: elegantiori conuiuio & suauioribus delectari epulis vsitatum est. Ieiunare autem & continentem esse paucorum est: & alieni cupidum non esse, rarum. Contrà autem detrahere velle

Psal. 38.
Prouer. 5.
Exod. 17.
Ibidem 24.
Psal. 48.
Actuum 5.
3. Reg. 17.
4. Reg. 6.
4. Reg. 7.

velle alteri & non esse contentum suo. Nam in hoc cum plerisque consortium est. Alia igitur prima, alia media officia. Prima cum paucis, media cum pluribus. Denique in iisdem verbis frequenter discretio est. Aliter enim bonum Deum dicimus, aliter hominem: aliter iustum Deum appellamus, aliter hominem. Similiter & sapientem Deum aliter dicimus, aliter hominem. Quod & in euangelio docemur: Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester qui in cœlis est, perfectus est. Ipsum Paulum lego perfectum & non perfectum. Nam cum dixisset: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequar autem sic vt comprehendam, statim subiecit: Quicumque ergo perfecti sumus, duplex est enim forma perfectio nis: alia medios, alia plenos numeros habens. Alia hic, alia ibi. Alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram. Deus autem iustus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus. Inter ipsos quoque homines distantia est. Aliter Daniel sapiens, de quo dictum est. Quis Daniele sapientior? aliter alij sapientes. Aliter Salomô, qui repletus est sapientia super omnem sapientiam antiquorum, & super omnes sapientes Egypti. Aliud est enim communiter sapere, aliud sapere perfectè, Qui communiter sapit, pro temporalibus sapit, pro se sapit, vt alteri aliquid detrahat, & sibi adiugat. Qui perfectè sapit, nescit sua spectare commoda, sed ad illud quod æternum est, quod decorum atque honestum toto affectu intendit, quærens non quod sibi vile est, sed quod omnibus. Itaque hæc sit formula, vt inter duo illa honestum atque vtile errare nequeamus: eò quod iustus nihil alteri detrahendum putet, nec alterius incommodum suum commodum augeri velit. Hanc formam tibi præscribit Apostolus dicens: Omnia licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Hoc est, nemo commodum suum quærat, sed alterius: nemo honorem suum quærat, sed alterius. Vnde & alibi dicit: Alter alterum existimantes superiorem sibi, non quæ sua sunt singuli cogitantes, sed quæ aliorum. Nemo etiã suam gratiam quærat, nemo suam laudem, sed alterius. Quod euidenter etiam in Prouerbiis declaratum esse aduertimus, dicente sancto per Salomonem spiritu: Fili si sapiens fueris, tibi sapiens eris & proximis: si autem malus euaseris, solus hauries mala. Sapiens enim aliis consulit sicut iustus, quandoquidem consors sui est vtriusque forma virtutis.

De calumnia reprimenda, & beneficentia cum cæcis exhibenda. Exemplum de harmonia membrorum, quæ singula singulis obsequuntur.

CAP. III.

Si quis igitur vult placere omnibus per omnia, quærat non quod sibi vtile est, sed quod multis, sicut quærebat & Paulus. Hoc est enim conformari Christo, alienum non quærere, nihil alteri detrahere vt acquirat sibi. Christus enim Dominus eum esset in forma Dei, exinaniuit se vt formam susciperet hominis, quam operum suorum locupletaret virtutibus. Tu ergo spoliâs quem Christus induit? Tu exuis, quem vestiuit Christus? Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augeri expetis. Considera ô homo, vnde nomen sumptis: ab humo vtique quæ nihil cuiquam eripit, sed

Math. 5.
Philip. 3.
Ibidem.
Ibidem.
Ezechiel. 28.
3. Reg. 4.
Philip. 2.
1. Cor. 10.
Philip. 2.
Ibidem.

omnia largitur omnibus, & diuersos in vsum omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quæ consortem adiuuet. Ipsa te doceat forma tui corporis, membrorumque vsus. Nunquid membrum tuum alterius membri officia sibi vendicat, vt oculus officium oris, aut os oculi officium sibi vendicat, aut manus pedum ministerium, aut pes manuum? Quinetiam ipsæ manus dextra ac sinistra dispartita habet officia pleraque, vt si vsum commutes vtriusque, aduersum naturam sit, priusque totum hominem exuas, quam membrorum tuorum ministeria conuertas, si aut de sinistra cibum suggeras, aut de dextera fungaris ministerio sinistra, vt reliquias ciborum abluas: nisi forte poscat necessitas. Finge hanc & da oculo virtutem, vt possit detrahare sensum capiti, auditum auribus, menti cogitationes, odoratum naribus, ori saporem, & sibi conferat, nonne omnem statum dissolues naturam? Vnde pulchre Apostolus ait: Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Omnes ergo vnum corpus sumus & diuersa membra, sed omnia corpori necessaria. Non enim potest membrum membro dicere, non es mihi necessarium: quinetiam ipsa quæ videntur infirmiora membra esse, multo magis necessaria sunt, & maiorem plerumque tuendi se requirunt sollicitudinem. Et si quid dolet membrum vnum, compatiuntur ei membra omnia. Vnde quàm graue est vt detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet: & cui debemus consortium ministerij, ei fraudi & noxæ simus? Hæc vtique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, vt alter alteri tanquam vnus partes corporis inuicem deferamus. Nec detrahendum quicumque putemus, cum contra naturæ legem sit, non iuuare. Sic enim nascimur vt consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequatur sibi mutuo ministerio. Quod si vnum desit officio suo, impediuntur & cætera: vt si eruat oculum manus, nonne sibi operis sui vsum negauit? Si pedem vulneret, quantorum sibi actuum profectum inuiderit? Et quâto grauius est totum hominem quàm vnum membrum detrahi? Iam si in vno membro totum corpus violatur, vtique in vno homine communio totius humanitatis soluitur, violatur natura generis humani, & sanctæ ecclesiæ congregatio, quæ in vnum connexum corpus atque compactum vnitæ fidei & charitatis assurgit. Christus quoque Dominus qui pro vniuersis mortuus est, mercedem sanguinis sui euacuatam dolebit. Quid quod etiam ipsa lex Domini hanc formam tenendam edocet, vt nihil alteri detrahas tui comodi seruandi gratia, cum dicit: Non transferas terminos antiquos, quos statuerunt patres tui, cum vitulum errantem fratris tui redudendum præcipit, cum furem mori iubet, cum vetat mercenariû debita mercede fraudari, cum pecuniã sine vsuris reddendam censet? Subuenire enim non habenti humanitatis est, duritiæ autem plus extorquere quàm dederis. Etenim si ideo inops auxilio tuo eguit, quia non habuit vnde de suo redderet, nonne impium est, si sub humanitatis simulatione amplius ab eo poscas? qui non habebat vnde minus solueret? Absolutis igitur, alteri debitorem,

1. Corin. 12.
Exod. 23.
Deut. 22.
Tob. 4.

S. Ambr. tom. 5.

vt condemnes tibi: & hanc humanitatem vocas, vbi est iniquitatis auctio. Hoc præstamus cæteris animantibus, quod alia genera animantium conferre aliquid nesciunt. Feræ autem eripiunt, homines tribuunt. Vnde & Psalmista ait: Iustus miseretur & tribuit. Sunt tamen quibus & feræ cõferant. Siquidem collatione sobolem suam nutriunt, & aues cibo suo pullos satiant suos: homini autem soli tributum est, vt omnes tanquam suos pascat. Debetur illud ipso naturæ iure. Quod si nõ licet nõ dare, quomodo detrahere licet? Nec ipsæ leges nos docent, quæ ea quæ detracta sunt alicui cum iniuria personæ, aut rei ipsius cumulo, restitui iubent: quo furem a detrahendo, aut pœna deterreant, aut multa reuocent. Pone tamẽ quod aliquis possit aut pœnam non timere, aut multatẽ illudere. Nunquid dignum est vt aliqui alteri detrahant? Seruile hoc vitium, & familiare vltimæ conditioni, adeo contra naturam, vt inopia magis hoc extorquere videatur, quàm natura suadere. Seruorum tamen occulta furta, diuitũ rapinæ publicæ. Quid autem tam contra naturam, quàm violare alterum tui commodi causa, cum pro omnibus excubandum, subeundas molestias, suscipiendum laborem naturalis effectus persuaheat, & gloriosum vnicuique ducatur, si periculis propriis quærat vniuersorum tranquillitatem: multo quæ sibi vnusquisque arbitretur gratius excidia patriæ repulisse, quàm propriæ pericula: præstantiũque esse existimet, quod operam suam patriæ impenderit, quàm si in ocio positus tranquillam vitam voluptatum copiiis functus egisset?

Alienis incommodis, nostra lucra non quærenda.

CAP. IIII.

Hinc igitur colligitur, quod homo qui secundum naturam formatus est directionem, vt obediat ei, nocere non possit alteri. Quod si cui noceat, naturam violat: neque tantum esse commodi quod adipisci sese putet, quatum incommodi quod ex eo sibi accidat. Quæ enim pœna grauior, quàm interioris vulneris cõscientiæ? Quod seuerius iudiciũ quàm domesticum, quo vnusquisque sibi est reus, seque ipse arguit quod iniuriam fratri indignè fecerit? Quod nõ mediocriter scriptura cõdēnat, dicens: Ex ore stultorum beculus contumeliæ. Stultitię igitur condēnatur, qui cõtumeliã facit. Nõne hoc magis fugiendum, quàm mors, quàm dispēdium, quàm inopia, quàm exilium, quàm debilitatis dolor? Quis enim vitium corporis, aut patrimonij damnum non leuius ducat vitio animi, & existimationis dispēdio? Liqueat igitur id expetendum & tenendũ omnibus, quod eadem singulorum sit vtilitas, quæ sit vniuersorum, nihilque iudicandum vtile, nisi quod in commune proficit. Quomodo enim potest vni prodesse, quod inutile sit omnibus? Mihi certè non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi vtilis esse posse. Etenim si vna lex naturæ omnibus, vna vtique vtilitas vniuersorum. Quod si vna vtilitas vniuersorum, ad consulendum vtique omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo eius qui consultum velit alteri secundum naturam, nocere ei aduersus legem naturæ. Etenim si hi qui stadio currunt, ita ferun-

tur præceptis informati atque instrui, vt vnusquisque celeritate nõ fraude contendant, cursuque quantum potest ad victoriam properet, supplantare autem alterum aut manu deicere non aulit: quanto magis in hoc cursu vitæ istius, sine fraude alterius & circumscriptiõne quærenda nobis victoria est? Quærent aliqui, si sapiens in naufragio positus insipienti naufrago tabulam extorquere possit, vtrum debeat. Mihi quidem, & si præstabilius communi videatur vsui, sapientem de naufragio quàm insipientem euadere: tamen non videtur quod vir Christianus, & iustus, & sapiens quærere sibi vitam aliena morte debeat, vt pote qui etiam si in latrone armatum incidat, ferientem referre non possit: ne dum salutem defendit, pietatem contamine. De quo in euangelij libris aperta & euidentis sententia est: *Reconde gladium tuum.* Omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur. Quis latro detestabilior, quàm persecutor qui venerat vt Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare. Cur enim te potior altero iudices, cum viri sit Christiani præferre sibi alterum, nihil sibi arrogare, nullum sibi honorem assumere, non vendicare meriti sui precium? Denique cur non tuum tollerare potius incommodum, quàm alienum commodum diripere assuecas? Quid tam aduersus naturam, quàm non esse contentum eo quod habeas, aliena quærere, ambire turpiter? Nam si honestas secundum naturam (omnia enim fecit Deus bona valde) turpitudine vtique contraria est. Non potest ergo honestati conuenire & turpitudini, cum hæc inter se discreta naturæ lege sint.

Nihil a sapientibus nisi quod honestum sit expetendum, & honestati salutem quoque postponendam: In quo David maximè commendatur.

CAP. V.

Sed iam vt etiam in hoc libro ponamus fastigiũ, sin quo velut in fine disputationis nostræ dirigamus sententiam, vt nihil expetendũ sit, nisi quod honestũ. Nihil nanque agit sapiens nisi quod honestum sit, nisi quod cõ sinceritate sine fraude sit: neque quicquã facit, in quo se crimine quoquã obliget, etiã si latere possit. Sibi enim est reus priusquã ceteris, nec tã pudēda apud eũ publicatio flagitij, quã conscientia est. Quod non fictis fabulis, vt Philolophi disputant, sed verissimis iustorum virorum exemplis docere possumus. Non igitur ego simulabo terræ hiatum, quæ magnis quibusdam diffusuerit soluta imbribus, in quem descendisse Gyges, atque ibi fabularem illum equum æneũ offendisse à Platone inducitur, qui in lateribus suis fores haberet: quas vbi aperuit, animaduertisse anulum aureum in digito mortui hominis, cuius illi exanime corpus iaceret, aurique auarum sustulisse anulum. Sed cum se ad pastores recepisset regios, de quorum ipse numero foret, casu quodam, quod palam eius anuli ad palmam conuerterat, ipse omnes videbat, atque à nullo videbatur: deinde cum in locum suum reuocasset anulum, videbatur ab hominibus. Cuius solers factus miraculi, per anuli opportunitatem reginæ stupro potitus, necein regi intulit, ceterisque interem-

interemptis quos necandos putauerat, ne sibi impedimento forent, Lydiæ regnum adeptus est. Da, inquit, hunc anulum sapienti, vt beneficio eius possit latere, cum deliquerit. Non minus fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia est. Denique lex non iusto est posita, sed iniusto: quia iustus legem habet mentis suæ, & æquitatis ac iustitiæ suæ normam. Ideoque non terrore pœnæ reuocatur à culpa, sed honestatis regula. Ergo vt ad propositum redeamus, non fabulosa pro veris, sed vera pro fabulosis exempla proferamus. Quid enim mihi opus est fingere hiatum terræ, equum æneum, anulumque aureum in digito defuncti repertũ: cuius anuli tanta sit vis, vt pro arbitrio suo qui eum sit indutus, appareat cum velit: cum autem nolit, conspectui se præsentium subtrahat, vt præsens nõ possit videri? Nempe eò tendit istud, vtrum sapiens etiã si isto vtatur anulo, quo possit propria flagitia celare & regnum assequi, nolit ne peccare, & grauius ducat sceleris contagiũ, pœnarum doloribus: an verò spe impunitatis vtatur ad perpetrandũ scelus. Quid, inquam, mihi opus est figmento anuli, cum possim docere ex rebus gestis, quod vir sapiens cum sibi in peccato non solum latendum, sed etiam regnandũ videret, si peccatum admitteret, cõtra autẽ periculũ salutis cerneret, si declinaret flagitium: eligeret tamen magis salutis periculũ vt vacaret flagitio, quàm flagitium quo sibi regnum pararet? Denique David cum fugeret à facie regis Saul, cum eum rex cõtribus milibus virorum electorum ad inferendam necẽ in deserto quæreret, ingressus in castra regis, cum dormientem offendisset, non solum ipse nõ percussit, sed etiam protexit, ne ab alio qui simul ingressus fuerat, perimeretur. Nam cum diceret ei Abisai: Cõclutit hodie Dominus inimicum tuum in manibus tuis, & nunc occidam eum: respondit: Non consumas illum, quoniam quis iniiciet manum suam in Christum Domini, & purus erit? Et addidit: Viuit Dominus, quia nisi Dominus percussisset illum, aut nisi hora illius venerit vt moriatur, vel in pugna descenderit, & apponatur mihi, non sit à Domino iniicere manum meam in Christum Domini. Itaque non permisit necari eum, sed solum lanceam, quæ erat ad caput eius, & lenticulam tulit aquæ, dormientibus cunctis. Egressus de castris transiit in cacumen montis, & coarguere cœpit stipatores regios, & præcipuè principem militiæ Abner, quod nequam fidam custodiam regi & Domino suo adhiberet. Denique demonstraret, vbi esset lancea regis, vel lenticula quæ erat ad caput eius. Et appellatus à rege lanceam reddidit: & Dominus, inquit, restituat vnicuique iustitias suas, & fidem suam: sicut tradidit te Dominus in manus meas, & nolui iniicere manum meam in Christum Domini. Et cum hoc diceret, timebat tamen insidias eius, & fugit, sedem exilio mutans. Nec tamen salutem prætulit innocentia, cum iam secundo facultate sibi tributa regis necandi nõoluisset vti occasionis beneficio, quæ & securitatem salutis metuenti, & regnum offerebat exuli. Vbi opus fuit Ioanni Gygeõ anulo, qui si tacuisset, non esset occisus ab Harode? Præstare hoc illi potuit silentium suum, vt & videre-

tur & non occideretur. Sed quia non solum peccare se propter salutis defensionem passus non est, sed ne alienum quidem peccatum ferre ac perpeti potuit, ideo in se causam necis excitauit. Certè hoc negare non possunt potuisse fieri vt taceret, qui de illo Gyge negant potuisse fieri vt anuli beneficio absconderetur. Sed fabula, & si vim non habet veritatis, hanc tamen rationem habet: vt si possit celare se vir iustus, tamen ita peccatum declinet, quasi celare non possit: nec personam suam indutus anulum, sed vitam suam Christum indutus abscondat, sicut Apostolus ait: Quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Nemo ergo hic fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se iactet. Nolebat se Christus hic cognosci, nolebat prædicari in euangelio nomẽ suũ cum in terris versaretur, venit vt lateret seculum hoc. Ergo & nõs simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus iactantiam, prædicari non expetamus. Melius est hic esse in humilitate, ibi in gloria. Cum, inquit, Christus apparuerit, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria.

Famis tempore subueniendum, nec auarè partis incumbendũ, vel precia captanda. Exempla de Ioseph, & diuite auarõ in euangelio.

CAP. VI.

Non vincat igitur honestatẽ vtilitas, sed honestas vtilitatem. Hanc dico vtilitatem, quæ æstimatur secundum vulgi opinionem. Mortificetur auaritia, moriatur concupiscentia. Sanctus in negotiationem introisse se negat: quia preciorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. Et alius ait: Captans precia frumẽti, maledictus in plebe est. Definita est sententia, nihil disputationi relinquens, quale controuersiarum genus solet discendi esse, cum alius aleget agriculturã laudabilem apud omnes haberi, fructus terræ simplices esse triplos, plus qui seminauerit, eũ probatiorem fore, vberiores redditus industriæ non fraudari, negligentiam magis & incuriam ruris inculti reprehendi solere. Araui, inquit, studiosius, vberius seminaui, diligentius excolui, bono collegi prouentu, sollicitius recondi, seruaui fideliter, prouidẽ custodiui. Nunc in tempore famis vendo, subuenio esurientibus, vendo frumentum non alienum, sed meum, non pluris quàm ceteri, imo etiam minori precio. Quid hic fraudis est, cum multi possent periclitari si non haberent quod emèrent? Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num prouidentia vituperatur? Fortasse dicat: Et Ioseph frumenta in abundantia collegit, in caritate vendidit. Num carius aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur emptori? Omnibus deferatur emendi copia, nulli irrogatur iniuria. His igitur quatum cuiusque fert ingenium disputatis, exurgit alius, dicens: Bona quidem agricultura, quæ fructus ministrat omnibus, quæ simplici industria accumulat terrarum fecunditatem, nihil doli, nihil fraudis interserens. Denique siquid vitij fuerit, plus dispendij est: quia si bene aliquis seuerit, melius metet: & si syncerum tritici granũ seminauerit, puriorẽ ac synceram messem colliget. Fœcunda terra multiplicatum reddit quod acceperat, fidelis ager fœneratos solet restituere prouetus. De redditibus igitur vberis

glebæ expectare debes tui mercedem laboris, de G fertilitate pinguis soli iusta sperare compendia. Cur ad fraudem conuertis naturæ industriam & indulgentiam? Cur inuides vñibus hominū publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cùm enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante precium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quàm te de fame publica negociari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, vberis soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quâdo sterilior prouentus sit, quâdo exilior partus: votis tuis gaudes arrisisse maledictum, vt nihil vsquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria congeris opes, & hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ qualiditatis versutia, quæ astutia fraudis est: & hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitia. Latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur precium tanquam forte cumulatam fœnoris, quo periculum capitis aceruatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur vñura, tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctonaris. Quid imprecaris malè omnibus, quia maior futura sit fames, quasi nihil frugum superfit, quasi infœcundior annus sequatur? Luctum tuum, damnū publicū est. Ioseph sanctus omnibus apperuit horrea, non clausit: nec precia captauit annonæ, sed perenne subsidium collocavit: nihil sibi acquisiuit, sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, prouida ordinatione disposuit. Legisti quemadmodum hunc frumentarij precij captatorem exponat in euangelio Dominus Iesus, cuius possessio diuites fructus attulit, & ille quasi egens dicebat: Quid faciam? non habeo quò congregem. Destruam horrea mea, & maiora faciam: cùm scire non posset, vtrum sequenti nocte anima sua ab eo repeteretur. Nesciebat quid faceret, quasi ei alimēta deessēt, hebrebat ambiguo. Nō capiebant horrea annonam, & ille se egere credebat. Rectè igitur Salomō: Qui cōtinet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam auaritiæ emolumētum ad successorum iura non peruenit. Quod non legitimè acquiritur, quasi ventis quibusdam ita extraneis diripientibus dissipatur. Et addidit: Captans annonam maledictus in plebe est, benedictio autē in capite eius qui participat. Vides ergo quod largitorem frumenti esse deceat, non precij captatorē. Non est igitur ista vtilitas, in qua plus honestati detrahitur, quàm vtilitati adiungitur.

Peregrinos tempore famis vrbe non arcendos, quòd non solum inhonestum, sed & inutile propositis cōprobatur exēplis. M
CAP. VII.

Sed & illi qui peregrinos vrbe prohibent, nequam probandi: expellere eo tempore quo deberēt iuuare, separare à commerciis communis parētis, fufos omnibus partus negare, inita iam consortia viuendi* auerruncare: cum quibus fuerint com-

munia iura, cum his nolle in tempore necessitatis subsidia partiri? Feræ non expellunt feras, & homo excludit hominem: Feræ ac bestia communiem putant omnibus victum, quem terra ministrat. Ille etiā conformem sui generis adiuuant: homo impugnat, qui nihil à se alienū debet credere quicquid humani est. Quanto ille rectius, qui cùm iam prouecta processisset ætate, & famem toleraret ciuitas, atque (vt in talibus solet) peterent vulgo, vt peregrini vrbe prohiberentur, præfecturæ vrbanae curam cæteris maiorem sustinens, conuocauit honoratos, & locupletiores viros poposcit vt in medium confulerent, dicens: Quàm immane esset peregrinos eiici, quàm hominem exueret, qui cibum morienti negaret. Canes ante mensam impastos esse non patimur, & homines extrudimus? Quàm inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficeret tabes: quantos vrbi suæ perire, qui solerent adiuuato esse, vel in cōferendis subsidiis, vel in celebrandis commerciis, neminem fame aliena iuuari: protrahere vt plurimum diem posse, non inopiam repellere: imò tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidentibus, occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre confuerunt? Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni atate pauperunt? Quanta sunt quæ ab ipsis nobis hoc ipso tempore ministrantur? Non in solo pane viuūt homo. Nostra illic familia, plerique etiam nostri parentes sunt. Reddamus quod accepimus. Sed veremur, ne cumulemus inopiam. Primum omnium misericordia nunquam destituitur, sed adiuuatur. Deinde subsidia annonæ quæ his impartienda sunt, collatione redimamus, reparemus auro. Nūquid his deficientibus, non alij nobis redimendi cultores videntur? Quanto *vilius *vilius est pascere quàm emere cultores? Vbi etiam repares? Vbi inuenias quem reformes? Adde: si inuenias quem ignarum, & alieni vsus: numero possis substituere, non cultui. Quid plura? Collato auro, coacta frumenta sunt. Ita nec abundantiam vrbis minuit, & peregrinis alimoniam subministravit. Quatā hoc commedationis apud Deum fuit sanctissimo seni? Quantæ apud homines gloriæ? Hic magnus verè probatus, qui verè potuit imperatori dicere, demonstrans prouinciæ totius populos: Hos tibi omnes reseruauī, hi viuunt beneficio tui senatus, hos tua curia iam morti abstulit. Quanto hoc vtilius, quàm illud quod proximè Romæ factum est, eiectos esse vrbe amplissima, qui iam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut ciuibus amoliendum exilium deploraret, interruptas complurium necessitudines, diremptas affinitates. Et certè arriserat anni fœcunditas, inuectitio vrbs sola egebat frumento: potuisset iuuari, si peterent ab Italis frumentum, quorum filij expellebantur. Nihil hoc turpius excludere quasi alienum, & exigere quasi suum. Quid illum eiicis, qui de suo pascitur? Quid illū eiicis qui te pascit? Seruum retines, tridis parentem? Frumentum suscipis, nec affectum impartis? Victum extorques, nec rependis gratiam? Quàm deforme hoc, quàm inutile? Quomodo enim potest vtile esse quod non deceat? Quantis corporatorum subsidiis dudum Roma fraudata

fraudata est? Potuit & illos non amittere, & euadere famē, expectatis ventorum opportunis flatibus, & speratarum comœtu nauium. Quàm verò illud superius honestum atque vtile? Quid enim tam decorum atque honestum, quàm collatione locupletum iuuare egētes, ministrare victum esurientibus, nulli cibum defore? Quid tam vtile, quàm cultores agrorum reseruari, non interire plebem rusticorum? Quod honestum igitur, vtile: & quod vtile, honestum. E contra, quod inutile, indecorum: quod autem indecorum, id etiam inutile.

Honestatē saluti quoque prælatā à Deo comprobari: Exēpla de Iosue, & Caleb, & cæteris exploratoribus. CAP. VIII.

Quâdo maiores nostri seruitio exire potuissent, nisi id nō solum turpe, sed etiā inutile credidissent, regi seruire Ægyptiorum? Iesus quoque & Caleb missi ad explorandam terram, vberem quidem terram, sed à ferocissimis inhabitari gentibus nunciauerūt. Terrore belli populus infractus, recusabat terræ eius possessionem. Suadebant missi exploratores Iesus & Caleb terram esse vtilem: indecorum putabant cedere nationibus: lapidari potius eligebant, quod minabatur populus, quàm decedere de honestate. Dissuadebant alij, plebs reciamabat, diceas aduersus diras & asperas gentes bellum fore, cadendum sibi in prælio, mulieres suas & pueros direptioni futuros. Exarsit Domini indignatio, vt omnes vellet perdere, sed rogante Moysē temperauit sententiam, vltionem distulit: satis esse perfidis supplicij iudicans, vt si parceret interim, nec perciret incredulos, ad eam tamen terram quam recusauerant, propter incredulitatis suæ precium nō peruenirent: sed pueri & mulieres qui non immurmurauerant, vel sexu, vel etate veniabiles caperent eius terfē promissam hæreditatem. Denique quicumque erant à vicesimo anno & supra, in deserto eorū mēbra ceciderunt, sed aliorum dilata est pœna. Qui autem ascenderunt cum Iesu, & dissuadendum putauerunt, plaga mala statim mortui sunt. Iesus verò & Caleb cum innoxia ætate vel sexu in terram promissionis intrarunt. Pars igitur melior gloriam prætulit, deterior salutem honestati. Diuina autē sententia eos probauit, qui honesta vtilibus præstare arbitrabantur. Eos verò condēnauit, apud quos ea quæ videbantur saluti potius quàm honestati accommoda, præponderabant.

Fraudes & turpia lucra clericos maximè dedecere, & omnes honestatem David et Nabuthæ imitari debere. CAP. IX.

Nihil itaque deformius quàm nullum habere amorem honestatis, & vsu quodam degeneris mercaturæ quæstu sollicitari ignobili, avaro æstuarie corde, diebus ac noctibus inhiare in alieni detrimēta patrimonij, non eleuare animū ad honestatis nitorem, non considerare veræ laudis pulchritudinē. Hinc nascuntur aucupia quæsitæ hæreditatis, continentia atque grauitatis simulatione captatæ, quod abhorret à proposito Christiani viri. Omne enim quod arte elicatum, & fraude compositum est, caret

merito simplicitatis. In ipsis qui nullū ecclesiastici ordinis officiū receperint, incongrua iudicatur affectatæ ambitio hæreditatis. In supremo sine vitæ positos, suum habere iudicium, vt liberè testentur quod sentiunt, qui postea non sunt emēdaturi: cū honestum non sit compēdia aliis vel debita, vel parata auertere, cū vel sacerdotis vel ministri sit prodesse si fieri potest omnibus, obesse nemini. Denique, si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum. Idcōque in causis pecuniariis interuenire non est sacerdotis, in quibus non potest fieri quin frequenter lædatur alter qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur. Sacerdotis est igitur nulli nocere, prodesse velle omnibus: posse autem solius est Dei. Nam in causa capitis nocere ei quæ iuuare debeas periclitantem, non sine peccato est graui. In causa autem pecuniæ odia quærere, insipientia est: cū pro salute hominis graues frequenter fiant molestiæ, in quo etiam periclitari gloriosum sit. Proposita igitur forma in sacerdotis officio tenetur, vt nulli noceat, ne laceffitus quidem, & aliqua iniuria offensus. Bonus enim est vir qui dixit: Si reddidi retribuētibus mihi mala. *Psal. 71.* Quæ enim est gloria si cum non lædimus qui nos non læserit? Sed illa virtus est, si læsus remittas. Quàm honestum, quod David, cum potuisset regi inimico nocere, maluit parcere? Quàm etiam vtile, quia successori hoc profuit, vt dicerent omnes fidei regi proprio seruare, nec vsurpare imperium, sed vereri? Itaque & honestas vtilitati prælata est, & vtilitas secuta est honestatem. Parum est quod pepercit: addidit, quòd etiam in bello doluit occisum, & flebiliter deplorauit dicens: Mōtes qui estis in Gelboe, neque ros, neque pluuia cadat super vos. Montes mortis, quoniam ibi sublata est protectio potentium, protectio Saul. Non est vnctus in oleo, sed sanguine vulneratorum, & ex adipe belligerantium. Sagitta Ionathæ non est retro reuerfa, & gladius Saul non est reuersus vacuus. Saul & Ionathas speciosi & charissimi, inseparabiles in vita sua, & in morte non sunt separati. Super aquilas leuiore, super leones potentiores. Filia Israel plorate super Saul, qui vestiebat vos vestimēta coccinea cum ornamento vestro, qui imponebat aurum super vestimenta vestra. Quomodo ceciderunt potētes in media pugna? Ionathas in morte vulneratus est. Doleo in te frater Ionatha, speciosus valde. Ceciderat amor tuus in me, sicut amor mulierū. Quomodo ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiscenda? Quæ mater vnicum sic deseret filium, quemadmodum hic desieret inimicum? Quis gratiæ auctorem tantis profequeretur laudibus, quantis iste profecutus est infidiatorem capitis sui? Quàm piè doluit, quanto ingemuit affectu? Aruerunt mōtes prophético maledictō, & diuina vis sententiam maledictōis impleuit. Itaque pro regiæ necis spectaculo pœnā elementa soluerunt. Quid verò sancto Nabuthæ, quæ fuit causa mortis, nisi honestatis contemplatio? Nam cū ab eo vineam rex posceret, pecuniam daturum se pollicēs, indecorum precium pro paterna recusauit hæreditate: maluitque morte declinare huiusmodi turpitudinem. Non mihi, inquit, *3. Reg. 21.*

fiat à Domino, vt dem tibi hæreditatē patrum meorum. Hoc est tantum mihi opprobrium non fiat: nō permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non vtique de vitibus dicit: (neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spacio) sed de iure loquitur patrum. Potuit vtique & aliam vineam de vineis regis accipere, & in amicis esse, in quo non mediocris seculi huius utilitas æstimari solet: sed quod turpe erat, iudicauit quidem non videri vtile: maluitque periculum cum honestate, quàm utilitatē cum opprobrio. Vulgarem utilitatem loquor, nō illam in qua etiam honestatis gratia est. Denique & ipse rex potuit extorquere, sed impudens arbitratur: sed occisum doluit. Dominus quoque mulieris immanitatem, quæ honestatis immemor, turpe antetulit lucrum, congruo supplicio plectendam annunciauit. Turpis est itaque omnis fraus. Denique etiam in rebus vilibus execrabilis est staterē fallacia, & fraudulenta mensura. Si in foro rerum venalium in vso commerciorum fraus plectitur, potest ne irreprehensibilis videri inter officia virtutū? Clamat Salomon: Pondus magnum & exiguum, & mensuræ duplices, immunda sunt apud Deum. Suprà quoque ait: Statera adultera, abominatio est Domino: pondus autem æquum, acceptabile est illi.

Vitia virtutibus obliterari, et perfidis ac etiam fraudulentis fidem oportere custodiri: quod Iosue Gabanonitis intimatur exhibuisse.

CAP. X.

IN omnibus igitur decora est fides, iustitia grata, mensura æquitas iocunda. Quid autē loquar de contractibus cæteris, ac maximè de coemptione prædiorum, vel transactionibus, atque pactis. Nonne honestatis formulæ sunt, dolum malum abesse: eumque cuius dolus fuerit deprehensus, duplici pœnæ obnoxium fore? Vbiq̄ue igitur honestatis præponderat cōsideratio, quæ dolum excludit, fraudem eiicit. Vnde rectè generalem Dauid propheta prompsit sententiam, dicēs: Nec fecit proximo suo malum. Non solū itaque in contractibus (in quibus etiam vitia eorum quæ veniunt, prodi iubetur: ac nisi intimauerit venditor, quāuis in ius emptoris transcripserit, doli actione vacuantur) sed etiā generaliter in omnibus dolus abesse debet: aperiēda simplicitas, intimanda veritas est. Veterem autem istā de dolo non iurisperitorum formulam, sed patriarcharum sententiam scriptura diuina euidenter expressit in libro testamenti veteris, qui Iesu Naue inscribitur. Nam cum exisset fama per populos, siccatum esse mare in Hebræorum transitu, fluxisse aquā de petra, de cælo diurnam ministrari alimoniam tot milibus populi abundantem, corruisse muros Hierico, sacro tubarum sono ictos, & vlulatu plebis arietatos. Gethæorum quoque regem victum, & suspensum in ligno vsque ad vesp̄eram: Gabonitæ metuentes validam manum, venerunt cum ver-

From. 20.

Isalm. 14.

Ios. 3. Ibidem 6.

Ios. 9.

malet societatem. Et quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognouit fraudes eorum, neque Dominum interrogauit, sed citò credidit. Adeo sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos posse nō crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui ceteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant: fallere quid sit ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere quod non sunt. Hinc Salomon ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. Hoc est, innocētem esse, ignorare quod noceat: & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamē bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hæc igitur mentis sue* deuotione inclinatus vt crederet, testamētum disposuit, pacem dedit, cōfirmavit societatem. Sed vbi in terras eorum ventū est deprehensa fraude, quod cum essent finitimi, aduēnas se esse simulauerunt, circumscriptum sese populū patrum indignari cœpit. Iesus tamen pacem quam dederat reuocandam nō censuit, quia firmata erat sacramenti religione: ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solueret. Multauit tamen eos vilioris obsequio ministerij. Clementior sententia, sed diuturnior. Manet enim officiis pœna veteris astutiæ hæreditario in hunc diem ministerio deputata.

Auaros et fraudulentos interdum cupitis fraudari, semper autem apud Deum maleuolentia reatu obnoxios teneri. Fabula de quodam Syracusano, et paradigma de Docch Idumæo, & Anania.

CAP. XI.

NON ergo in hæreditatibus aduendis digitorum percussiones, & nudi successoris salutationes notabo (nam hæc etiam vulgo notabilia) nō similitate piscationis compositas copias, vt emptoris illiceretur affectus. Cur enim tā studiosus luxuriæ ac deliciarū repertus est, vt huiusmodi fraudem pateretur? Quid mihi tractare de Syracusano illo amœno secretoque secessu, & de Siculi hominis caliditate: qui cū peregrinū aliquē reperisset cognito quod cupidus esset hortorū venalium, ad cœnam in hortos rogauit, promissit inuitat⁹ postridie se venire. Veniēs offendit illic magnam piscatorū multitudinē, exquisitis copiis adornatum conuiuium, in prospectu cœnantium ante hortulos compositos pisces, vbi nūquam ante iaciebant retia: vnusquisque quod ceperat, certatim offerebat epulantibus: supra mēsam pisces ingerebantur, oculos recubentium resiliētes verberabant. Mirari cœpit hospes tantam copiam piscium, tantūque numerum cymbarum. Responsum quærenti, a quationem illic esse, dulcis aquæ gratia innumerabiles eō pisces conuenire. Quid multa? Pellexit hospitem, vt sibi extorqueret hortos: vendere volens cogitur, precium grauatim suscipit. Sequenti die ad hortos emptor cum amicis venit, nauigium nullum inuenit. Percontanti nū aliqua piscatoribus eo esset die feriarum solemnitas, respondetur, nulla, nec v̄mquam illic præter hesternum diem piscari solitos. Quàm hic redarguendū haberet auctoritatem doli, qui tam turpe captarit aucupium deliciarū? Qui enim alterum peccati arguit,

Proph.

Du. 1. 5.

Matth. 8. Gal. 15.

Reg. 22.

Thes. 5.

Matth. 14.

Iudic. 11.

guit, ipse à peccato debet alienus esse. Nō ergo huiusmodi nugas ego in hanc ecclesiasticā censionis auctoritatem vocabo, quæ generaliter condemnat omnem lucri turpis appetentiam, breuique sermonis compendio excludit leuitatē ac versutiam. Nā de illo quid loquar, qui de eo testamento quod ab aliis licet factum falsum tamen cognouerit, hæreditatem sibi aut legatum vendicet, & lucrum querat alieno crimine: cum etiam leges publicæ cum qui sciens falso vtitur, tanquam reum astringant facinoris? Regula autem iustitiæ manifesta est, quod à vero declinare virum non deceat bonum, nec damno iniusto afficere quenquam, nec doli aliquid annectere, fraudisve componere. Quid euidentius eo, quod Ananias, quia fraudauit de precio agri sui quē ipse vendiderat, & portionē precij tanquā summæ totius numerum ante pedes posuit apostolorum, sicut reus fraudis interit? Licuit vtique illi nihil offerre, & hoc sine fraude fecisset. Sed quia fraudem admiscuit, non liberalitatis gratiam reportauit, sed fallaciæ pœnam exoluit. Et Dominus in euangelio cū dolo accedentes repudiavit, dicens: Vulpes focas habet: quoniam in simplicitate cordis & in innocētia nos iubet viuere. Dauid quoque ait: Sicut nouacula acuta fecisti dolum: nequitia arguens proditorum, eo quod instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plerumque vlcerat. Siquis igitur præterdat gratiam, & dolum nectat, Docch proditoris exemplo, vt cum quem celare & protegere debeat, prodat ad mortem: instrumētū istius cōparatione censetur, quod ebriæ mentis & titubantis vitio manus vulnerare consuevit. Sicut istæ malitiæ ebrius vino, per funestæ proditionis indicium Achimelech sacerdoti necem detulit, eo quod prophetam hospitio suscepisset, quem rex inuidiæ accēsus stimulis persequebatur.

De malo temerarij iuramenti, paradigma de Herode & Iepte, & quod filia eius sponte sua die condita reuersa fidem illorum præcellat Pythagoræorum, qui se vades inimicem dederunt.

CAP. XII.

PVRUM igitur ac syncerum oportet esse affectum, vt vnusquisque simplicem sermonē proferat, vas suum in sanctificatione possideat, nec fratrem suū circumscriptione verborum inducat, nihil promittat inhonestum: aut si promiserit, tollerabilis est promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. Sæpe plerique confringunt seipfos iurifurandi sacramento: & cum ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramenti tamen cōtemplatione faciūt quod spoponderunt: sicut de Herode supra scripsimus, qui saltatrici præmiū turpiter promissit, crudeliter soluit. Turpe, quod regnū pro saltatione promittitur, crudele quod mors prophetæ pro iurifurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset periuriū sacramēto? si tamē periuriū possit dici, quod ebrius inter vina iurauerat, quod euiratus inter saltantiū choros promiserat. Infertur disco prophetæ caput: & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentia fuit. Neque v̄mquam adducar vt credam non incautē principem promississe Iepte, vt immolaret Deo quicquid sibi reuertēti intra limē domus

suæ occurreret, cū & ipsū voti pœniterit sui, postquā filia occurrit sibi. Denique conscidit vestimenta sua, & dixit: Heu me filia, impedisti mihi, impedisti mihi, in stimulū dolorum facta es mihi. Qui licet pio metu ac formidine acerbiter duræ solutionis impleuerit, tamē luctū annuū etiā posteris deplorandū statuit ac dereliquit. Dura promissio, acerbior solutio, quā necesse habuit lugere etiā ipse qui fecit. Denique factū est præceptum & decretū in Israel ex diebus in dies. Ambulabūt, inquit, filia populi Israel, lugentes filia Iepte Galaditæ quatuor diebus in anno. Non possum accusare virum qui necesse habuit implere quæ vouerat: sed tamē miserabilis necessitas quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere, quàm vouere, id quod sibi cui promittitur nolit exolui. Denique in Isaac habemus exēplū, pro quo arietem Deus statuit immolari sibi. Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Denique ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam, sicut scriptura indicat. Nam & in eo libro qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte, & perdere populū: sed postea rogatus à Moysē, reconciliatus est populo suo. Et iterum ad Moysē & Aaron ait: Diuidite vos de medio synagoga, & consummabo eos simul. Quibus discedentibus à cœtu, Dathan & Abiron, atque Chore subito impios terra prærupto soluta hiatu absorbit. Præcellentius & antiquius istud exemplum de filia Iepte, quàm illud quod memorabile habetur apud philosophos de duobus Pythagoreis. Quorum alter cū à tyrāno Dionysio capitis damnatus esset præscripto mortis die, poposcit vt domum pergendi ei facultas daretur, quo commendaret suos. Ac ne reuertendi nutaret fides, vadem mortis obtulit ea conditione, vt si ipse deforet ad constitutum diem, vas eius sibi pro eo moriendū agnosceret. Nec qualitatem spōsionis qui auferebatur recusauit, constantique animo diem necis præstolabatur. Itaque alter se non subtraxit, alter ad diem repedaui. Quod eouque fuit mirabile, vt tyrannus eos sibi in amicitiam adscisceret, quorum vrgebat periculum. Quod ergo in spectatis & cruditis viris plenum miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur, quæ ingemiscenti patri ait: Fac mihi vt exiuit de ore tuo. Sed spacium duorum poposcit mensum, vt cum æqualibus conuentum ageret in montibus, quæ virginitatem eius prædestinata neci pio affectu prosequerentur. Nec flectus æqualium mouit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitrati spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.

Quantum periculum Iudith honestatis intuitu subicit.

CAP. XIII.

ECcet tibi Iudith se offert mirabilis, quæ formidatū populis virum Holofernem adiit, Assyriorum triumphali septum caterua. Quem primo formæ gratia & vultus decore percudit, deinde sermonis circumscripsit elegancia. Primus triumphus eius

Genes. 22.

Numer. 14.

Ibidem 16.

Iudic. 11.

Iudith 11. 12. 13.

fuit, quod integrum pudorem de tabernaculo hostis reuexit. Secundus, quod femina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo. Horruerunt Persae audaciam eius. Vtique (quod in illis Pythagorae duobus mirantur) non expauit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est grauis bonis feminis: non vnus ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum femina, inter victricia arma, secuta mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit, quantum ad fidem, dimicatura. Honestatem igitur secuta est Iudith: & dum eam sequitur, vtilitatem inuenit. Honestatis enim fuit prohibere, ne populus Dei se prophanis dederet, ne ritus patrios & sacramenta proderet, ne sacras virgines, viduas graues, puellas matronas Barbaricae subiceret impuritati, ne obsidionem deditioe solueret. Honestatis fuit se malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo. Quanta honestatis autoritas, vt consilium de summis rebus femina sibi vendicaret, nec principibus populi committeret? Quanta honestatis autoritas, vt Deum adiutorem praesumeret: quanta gratia vt inueniret?

Quod semper honestatem sequatur utilitas: quod licet apud homines aliter saepe contingere videatur, apud Deum tamen perpetuo ita esse comprobatur multis exemplis.

CAP. XIII.

Quid vero Helisaeus nisi honestatem secutus est, cum exercitum Syriae, qui ad obsidendum eum venerat, captiuum introduxit in Samariam, cuius oculos caecitate obduxerat, & dixit: Domine, aperi oculos eorum, vt videant: & viderunt? Itaque cum rex Israel percutere ingressos vellet, eamque sibi dari a propheta facultatem posceret, respondit non percutiendos, quorum captiuitatem non esset manu operatus, armisque bellicis: sed magis subsidio alimentorum iuuandos. Denique epularibus refectioni copiis, nunquam postea in terram Israel pirate Syriae reuertendum putarunt. Quanto hoc sublimius quam illud Graecorum: quod cum duo populi aduersum se de gloria imperioque decertarent, & alter ex his haberet copiam, quemadmodum naues alterius populi clanculo exureret, turpe credidit: maluitque minus posse honeste, quam plus turpiter. Et isti quidem sine flagitio haec facere nequibat, vt eos qui consummandi belli Persici gratia in societatem conuenerant, hac fraude deciperet: quam licet possent negare, non possent tamen non erubescere. Helisaeus autem non fraude, deceptos licet, sed potestate Domini percussos: maluit tamen seruare quam perdere: quia decorum foret hosti parcere, & aduersario donare vitam, quam potuisset auferre: nisi pepercisset. Liqueat igitur id quod decorum est, semper esse vtile. Nam & Iudith sancta decoro contemptu propriae salutis soluit obsidionis periculum, & publicam honestate propria acquisiuit vtilitatem. Et Helisaeus gloriosus ignouit quam perculit, & vtilius reseruauit hostes, quam coeperat. Quid autem aliud Ioannes, nisi honestatem considerauit, vt inhonestas nuptias etiam in rege non posset perpeti, dicens: Non licet tibi illam uxorem habere: Potuit tacere, nisi indecorum sibi iudicasset mortis metu verum non dicere, inclinari regi, prophetica autoritate ad-

lacione subtexere. Sciebat utique moriturum se esse, quia regi aduersabatur, sed honestatem saluti praetulit. Et tamen quid vtilius quam quod passionis viro sancto aduexit gloriam? Sancta quoque Susanna denunciato falsi testimonij terrore, cum hic se videret vgeri periculo, inde opprobrio, maluit honesta morte vitare opprobrium, quam studio salutis turpem vitam subire ac sustinere. Itaque dum honestati intendit, etiam vitam reseruauit: quae si id quod sibi videbatur ad vitam vtile, praepotauisset, non tantam reportasset gloriam: imo etiam id quod non solum inutile, sed etiam periculosum foret, poenam criminis forsitam non euasisset. Aduertimus igitur, quia id quod turpe est, non potest esse vtile: neque rursus id quod honestum est, inutile: quia complex honestatis est semper vtilitas, & vtilitatis honestas. Memorabile ferunt rethores, quod dux Romanorum cum ad eum aduersarii regis medicus venisset, pollicens daturum se regi venenum, vinetum cum ad hostem remiserit. Et reuera praclarum, vt qui virtutis certamen susceperat, nollet faude vincere. Non enim in victoria honestatem ponebat, sed ipsam, nisi honestate quaesitam, victoriam turpem pronuntiabat. Redeamus ad nostrum Moysen, atque ad superiora reuertamur: vt quanto praestantiora, tanto antiquiora promamus. Nolebat Aegypti rex populum dimittere patrum. Dixit Moyses sacerdoti Aaron, vt extenderet virgam suam super omnes aquas Aegypti. Extendit Aaron, & conuersa est aqua fluminis in sanguinem, & nemo poterat bibere aquam: omnesque Aegyptij siti peribant, syncera autem fluentia patribus abundabant. Inactauerunt fauillam in caelum, & facta sunt vlcera, & vesicae cadentes in hominibus & quadrupedibus. Deduxerunt grandinem in igne flammeo, contrita erat super terram omnia. Rogauit Moyses & vniuersa in suam gratiam reuerterunt. Grando sedata est, sanata vlcera, solitos potus flumina praebuerunt. Iterum caligantibus tenebris operata erat terra per triduum, ex quo Moyses manum leuauerat, & tenebras infuderat. Moriebatur omne primogenitum Aegyptiorum, cum Hebraeorum omnis esset inoffensa progenies. Rogatus Moyses, vt his quoque finem exitiis daret, orauit & impetrauit. In illo praedicandum, quod a fraudis confortio temperauit: in hoc mirabile, quoniam diuinitus intenta supplicia, virtute propria etiam ab hoste detorsit. Verum nimium, sicut scriptum est, mansuetus & mitis, sciebat quod fidem rex non seruaret promissi, tamen honestum putabat vt rogatus oraret, laesus benediceret, appetitus remitteret. Proiecit virgam, & serpens factus est, qui deuorauit serpentes Aegyptiorum: significans quod verbum caro fieret, quae serpentis diri venena vacuaret per remissionem & indulgentiam peccatorum. Virga est enim verbum directum, regale plenum potestatis, insigne imperij. Virga serpens facta est, quoniam qui erat filius Dei, ex Deo patre natus, filius hominis factus est natus ex virgine: qui quasi serpens exaltatus in cruce, medicinam vulneribus infudit humanis. Vnde & ipse Dominus ait: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Denique & alterum signum ad Dominum Iesum pertinet, quod

Exod. 32. Tob. 2.

ibidem 7.

Exod. 7.

ibidem 3.

ibidem 11.

2. Mach. 11.

Num. 11.

Exod. 7.

Ioan. 3.

Exod. 4.

fecit Moyses. Manum suam misit in sinum, & protulit eam, & facta est manus eius sicut mixtura. Iterum misit & protulit eam, & erat sicut carnis humanae species: significans Domini Iesu primum fulgorem diuinitatis, postea susceptionem carnis, in qua fide credere omnes gentes populosque oporteret. Merito manum misit, quia dextera Dei Christus est, in cuius diuinitatem & incarnationem si quis non crediderit, quasi reprobus flagellatur: sicut iste rex, qui quoniam signis non credidit euidentibus, postea flagellatus orabat, vt veniam mereretur. Quatus igitur honestatis affectus esse debeat, ex his probatur, & eo maxime quod se obicebat pro populo dicens: vt remitteret populo Deus, aut certe de libro viuentium se deleret. Tobias quoque formam expressit honestatis euidentius: cum relicto conuiuio mortuos sepeliret, & ad cibos pauperis mensam inuitare inopes. Raguel praecipue, qui contemplatione honestatis, cum rogaretur, vt filiam suam in coniugium daret, vitia quoque filiae non tacebat, ne circumuenire petitorum videretur tacendo. Itaque cum Tobias filium Tobiae posceret vt sibi daret puellam, respondit: lege quidem ipsi eam deberi tanquam propinquo, sed dedisse se eam iam sex viris, & omnes eos esse mortuos. Iustus itaque vir plus alienis timebat, & malebat inuptam sibi manere filiam, quam propter nuptias eius extraneos periclitari. Quam breuiter absoluit omnes quaestiones philosophorum. Illi de vitis tractant domorum, tegenda an prodenda a venditore videantur: hic noster, nec filiae vitia celanda arbitratus est. Et certe non ipse affectabat vt eam traderet, sed rogabatur. Quanto vtiq; iste honestior sit illis, dubitare non possumus, si conferamus quanto praestantior sit filiae causa quam rei venalis pecunia. Consideremus aliud quod in captiuitate gestum summum tenuit honestatis decorem. Nullis enim aduersis honestas impeditur, quae in his eminet, & magis praecellit quam in prosperis. Inter vincula itaque, inter arma, flammam, seruitutem (quae liberis omni supplicio grauior est) inter poenas morientium, excidia patriae, viuorum formidinem, sanguinem peremptorum, non excidit tamen cura honestatis maioribus nostris, sed inter euerse patriae cineres & fauillas, in affectibus piis resplendit & refulsit. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, qui tunc Dei omnipotentis cultores erant, acceptum ignem de altari sacerdotes Domini occulte in valle absconderunt. Erat illic velut patens puteus, aquae secessu infrequens, nec populari vsui patens, ignoto & ab arbitris remoto loco: ibi obsignauerunt indicio sacro pariter ac silentio ignem reconditum. Non illis studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod seruarent posteris suis: sed inter extrema sua honestatis curam habentes, sacrum ignem seruandum putauerunt: ne eum vel impuri contaminarent, vel defectorum sanguis extingueret, vel deformium ruinam aceru aboleret. Abierunt itaque in Persidem sola religione liberi, quoniam sola illis per captiuitatem extorqueri nequiuit. Post plurimum vero temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem regi Persarum vt instaurari in Iudaea templum, & legitimos reparari Hierosolimis ritus iuberet. Cuius gratia muneris Neemiae sacerdotem rex Persarum direxit. At ille secum deduxit illorum sacerdotum nepotes, qui profecturi de

patrio solo, sacrum (ne periret) ignem absconderat. Venientes autem, vt patrum sermone est proditum, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et cum deesset ignis quo adolerent altaria, haurire eos aquam Neemias sacerdos sibi que deferre, & aspergere super ligna iussit. Tunc, visu mirabile, cum esset caelum intextum nubibus, sol repente illuxit, accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tam euidenti Domini gratia factum stupentes, laetitia perfunderentur. Orabat Neemias, psallebant sacerdotes hymnum Deo: vtque consumptum est sacrificium, iussit iterum Neemias residua aqua maiores perfundi lapides. Quo facto flamma accensa est, lumen autem refluxens ab altari consumptum illico est. Hoc patefacto indicio, rex Persarum eo loco in quo ignis fuerat absconditus, & postea reperta est aqua: templum fieri mandauit, cui inferebantur dona plurima. Appellauerunt autem illud qui erant cum sancto Neemia, Epathar, quod interpretationem habet purificationis: a plurimis Nephthe vocatur. Inuenitur autem in descriptionibus Hieremiae prophetae, quod iusserit accipere de igne eos qui postea essent futuri. Hic est ignis qui cecidit super sacrificium Moysi, & consumpsit illud, sicut scriptum est: Quia exiuit ignis a Domino, & consumpsit vniuersa quae erant super altare holocausta. Hoc igne oportebat sanctificari sacrificium. Ideoque & in filios Aaron qui alienum ignem inferre voluerunt, exiuit iterum ignis a Domino, & consumpsit eos, ita vt mortui extra castra proiicerentur. Veniens autem Hieremias in locum, inuenit domum in modum speluncae, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & obstruxit ostium. Quod cum hi qui simul venerant, curiosius perscrutarentur, vt notarent sibi locum, nequaquam comprehendere atque inuenire potuerunt. Vt autem cognouit Hieremias quod affectassent, dixit: Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi & propitius fiat. Tunc Deus ostendet haec, & apparebit maiestas Domini. Congregationem populi tenemus, propitiationem Domini Dei nostri agnoscimus, quam propitiator in sua operatus est passione. Arbitror quod nec ignem istum possimus ignorare, cum legerimus, quia baptizatus Dominus Iesus in spiritu sancto & igni, sicut in euangelio dixit Ioannes. Merito consumebatur sacrificium, quoniam pro peccato erat. Ille autem ignis typus Spiritus sancti fuit, qui descensus erat post Domini ascensionem, & remissurus peccata omnium: qui quasi ignis inflammat animum ac mentem fidelum. Vnde ait Hieremias accepto spiritu: Et factum est in corde meo vt ignis ardens, flammigerans in ossibus meis: & dissolutus sum vndique, & ferre non possum: Sed in Actibus apostolorum cum decidisset super apostolos Spiritus sanctus, & plerosque qui expectabant promissa Domini: tanquam ignem dispersas esse linguas legimus. Denique sic vaporabatur singulorum animus, vt multo repleti esse aestimarentur, qui acceperant linguarum diuersitatem. Quid ergo sibi vult, quod ignis aqua factus est, & aqua ignem excitauit, nisi quia spiritalis gratia per ignem exurit, per aquam mundat peccata nostra? Eluitur enim peccatum, & exurit. Vnde & Apostolus ait: Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Et in-

ibidem 2.

Leuitic. 9.

ibidem 10.

2. Mach. 2.

Ioan. 1.

Hier. 20.

Acto. 2.

1. Cor. 3.

4. Reg. 6.

Iudith. 11. 13.

Marc. 6.

frā: si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Quod ideo posuimus, vt probarem per ignem exuri peccata. Notum est ergo hunc esse vere ignem sacrum, qui tūc in typo futuræ remissionis peccatorum descendit super sacrificium. Hic igitur ignis absconditur captiuitatis tempore, quo culpa regnat: tempore autem libertatis promitur. Et licet in aquæ speciem mutatus, tamen seruat ignis naturam, vt consumeret sacrificium. Nec mireris, cum legeris, quia pater Deus dixit: Ego sum ignis consumens. Et alibi: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Ipse quoque Dominus Iesus quasi ignis inflammat audientium corda, quasi fons refrigerat. Nam ipse in euāgelio suo dicit, quod ideo venerit vt ignem in terras mitteret, & potum sitientibus aquæ viuæ ministraret. Helię quoque tempore descendit ignis, quando prouocauit prophetas gentium vt altare sine igne accenderent. Et cum illi nequissent facere, hostiam suā tertio ipse perfudit aqua, & manabat aqua in circuitu altaris, & exclamauit, & cecidit ignis à Domino de cœlis, & cōsumpsit holocaustum. Hostia illa tu es. Considera tacitus singula: in te descendit vapor Spiritus sancti, te videtur exurere cum tua peccata consumit. Denique quod consumptum est sacrificium Moysi tempore, sacrificium pro peccato erat. Vnde Moyses ait, sicut in Machabæorum scriptum est libro, eo quod non sit manducatum quod erat pro peccato, consumptum est. Nōne tibi cōsumi videtur, quando in baptismatis sacramento interit homo totus exterior? Vetus homo noster exterior crucifixus est cruci, Apostolus clamat. Illic, sicut patrum exempla te docent, Ægyptius demergitur: Hebræus resurgit sancto renouatus spiritu, qui etiam per mare rubrum inoffenso transiit vestigio, vbi baptizati sunt patres sub nube, & in mari. In diluuiō quoque Noë tempore mortua est omnis caro, iustus tamē cum sua progenie seruatus est. An non consumitur homo, cum absorbetur mortale istud à vita: Denique exterior corrumpitur, sed interior renouatur. Nec solum in baptismate, sed etiā in pœnitentia fit carnis interitus ad profectum spiritus, sicut apostolica docemur autoritate, dicente sãcto Paulo: Iudicauit vt p̄sens eū qui sic operatus est, tradere huiusmodi sathanę in interitū carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi. Prolixior excursus admirãdi gratia mysterij factus videtur, dum studemus reuelatum plenius sacramentum pandere, quod eousque plenum honestatis est, vt sit plenum religionis. Quanta autem honestatis cura maioribus fuit, vt vnus mulieris iniuriam stupro illatam intemperantium, bello persecerentur, & victo populo tribus Benjamin obtestarentur in coniugium se eis proprias filias non daturōs? Remanserat tribus sine vllō posteritatis subsidio, nisi fraudis necessariā accepisset licentiã. Quæ tamen indulgentia congruo intemperantię supplicio non videtur vacare, quando illis hoc solum permissum est, vt raptu inirent coniugia, non nubij sacramento. Et reuera dignum fuit, vt qui alienum contubernium soluerant, ipsi nuptiarum amitterent solemnitatem. Quàm plena autem miserationis historia? Vir, inquit, Leuita acceperat sibi

iugalem (quam à concubitu concubinam appellatam arbitror) quæ aliquanto post quibusdam (vt fieri solet) offensa rebus, ad patrem se contulit, & fuit illic quatuor mēsis. Exurrexit vir eius, & abiit ad foceri sui domum, vt cum sua iugali repararet gratiam, & reuocaret eam, ac reduceret. Occurrit mulier, atque in domum patris sui introduxit maritū. Lætatus adolescentulæ pater venit obuiam, & sedit cū eo tribus diebus, & epulati sunt, & quieuerūt. Et sequenti die surrexit Leuita diluculo, & retentus est à focero, vt rã citò nō desereret conuiuij iocunditatem. Et alio & tertio die nō permisit pater adolescentulæ profisci generum suum, donec lætitia & gratia inter eos omnis consummaretur. Sed die septimo cum iam ad vesperum declinaret dies, post mensas & læta cōuiuia, cum prætereret finitimæ noctis viciniam & apud suos potius, quàm apud extraneos requiescendum putaret, nequiuit tenere, & dimisit vnã cum filia sua virum. Verum vbi facta est aliqua progressio, cum vesper iam propior vrgeret, & appropinquandum foret ad urbem Iebusæorum, dicente seruulo, vt ad eam Dominus suus deflecteret, non acquieuit Dominus suus, quia non erat ea ciuitas filiorum Israel: sed intendit peruenire vsque Gabaa, quæ habitabatur à populo tribus Benjamin. Nec erat quisquam qui aduenientes reciperet hospitio, nisi vir peregrinus progressa ætate. Qui cum aspexisset eos, interrogauit Leuitam: quò vadis, vel vnde venis? quo respondente quò esset viator, & repeteret montem Effrem, & non esset qui colligeret eum, hospitium obtulit, adornauit cōuiuium. At vbi satietas epulandi facta est, & mensæ remotæ, irruentes pestilentes viri circunierunt domum. Tunc senior filiam suam virginem, & coæqualem eius cū qua cubitare solita esset, offerebat viris iniquitatis, tantum ne vis irrogaretur hospiti. Verum vbi parū ratio processit, & vis præualuit, cessit Leuites iugalem suam. Et cognouerunt eam, & tota nocte illuserūt ei. Quæ atrocitate vel dolore victa iniuriæ, ante ostium hospitij quo vir suus diuerterat, proiecit se atque exhalauit spiritum, supremo licet vitæ munere affectum bonæ coniugis seruans, vt exequias saltem sui funeris marito referuaret. Quo cognito (ne multis morer) omnis propè populus Israel in bellū exarsit, dubioque euentu cum anceps maneret prælium, tertia tamen præliandi vice traditus est populus Benjamin populo Israel, & diuina iudicatus sententia pœnas intemperantię luit. Condemnatus quoque ne quis ei ex numero patrum filiam suam daret in vxorem. Id confirmatum iurisiurandi sacramento est. Sed compuncti quòd tam acerbam in fratres tulissent sententiam, ita seueritatem eius temperauerunt, vt orbatas parentibus virgines in coniugium sibi asciscerent, quorum patres pro delicto perempti forent, vel raptu copulam sociarent: quia pro tam turpis commissi facinore, qui alieni matrimonij ius violauerant, indignos se impetrãdo exhibuere matrimonio. Sed ne periret vna populo tribus, fraudis indulta est conuiuentia. Quanta igitur honestatis cura maioribus fuerit, hinc proditur, vt quadraginta milia virorum stringerent gladium aduersus fratres suos de tribu Benjamin, dum vlcisci volunt iniuriam impudicię, quia temeratores

Deuter. 4.
Hebr. 11.
Hier. 2.

Luce 12.
Joan. 7.
8. Reg. 18.

2. Mach. 2.

Rom. 6.

2. Cor. 4.

Gen. 7.

1. Cor. 5.

Iudic. 19.

tores castitatis non sufferebantur. Itaque eo bello cęsa sunt vtrinque sexagintaquinque milia bellatorū, & exustæ vrbes. Et cum inferior primò fuisset populus Israel, tamen nec aduersi metu belli percitus vindicandæ castitatis sequestrauit dolorem. Rucebat in prælium, vel sanguine suo parans commissi flagitij diluere notam. Et quid mirum si populo Dei decorum illud atque honestum curæ fuit, quando etiã leprosis (sicut in libris Regnorum legimus) honestatis non defuit consideratio? Fames erat magna in Samaria, quia obsederat eam Syrorum exercitus. Rex militares excubias supra murum sollicitus reuisebat, interpellauit eum mulier dicens: Persuasit mihi hæc mulier vt afferrem filium meum, & attuli, & coximus, & comedimus eum, & promisit vt & ipsa post ea filium suum afferret, & carnes illius simul manducarem. Nunc autem filium suum abscondit, & non vult eum afferre. Motus rex quòd non solū humanis, sed etiam parricidalibus cadaueribus mulieres pastę viderentur, & tam atrocis calamitatis exemplo percitus, Helisæo prophetæ mandauit necem, cuius in potestate fore crederet, vt obsidionem solueret, propulsaret famem, vel quia non permisit regi vt percuteret Syros quos cæcitate perfuderat. Sedebat Helisæus cum senioribus in Bethel, & prius quã introiret ad eum regis nuncius, ait ad seniores viros: Si vidistis, quoniam filius homicidæ illius misit auferre caput meum? Et introiuit nuncius, & mādātum regis pertulit, denūcians præsens capitis periculum. Cui respōdit propheta: Hac hora dici crastina, mensura similaginis siclo, & duæ mēsuræ hordei siclo in porta Samariæ. Et cum missus à rege nūcius non credidisset, dicens: Si pluerit Dominus de cœlo abūdantiam frumenti, ne sic quidem id posse effici. Dixit ad eum Helisæus: Quia non credidisti, oculis videbis tuis, & non manducabis. Et factus est subito in castris Syriæ velut quadrigarum sonus, & vox multitudinis, & vox magnæ virtutis, atque ingens belli tumultus: & arbitrati sunt Syrij, quòd rex Israel in societatem aduocasset prælij regem Ægypti, & regem Amorrhæorum: & fugerunt diluculo, relinquentes tabernacula sua, quoniam verebantur ne improviso aduētu nouorum opprimerentur hostiū, & coniunctis regum viribus non possent resistere. Id incognitum Samariæ erat, * quoniã victi metu, & fame tabidi, nec prætere audere audebant. Erāt autē leprosi quatuor ad portam ciuitatis, quibus vita erat supplicij, & mori lucrum, & dixerunt ad se inuicem: Ecce nos hic sedemus, & morimur. Si ingredimur urbem, moriemur fame: si manemus hęc, nullum subsidium viuendi suppetit nobis. Eamus in castra Syriæ, aut compendium mortis erit, aut salutis remediū. Perrexerunt itaque, & intrauerunt castra: & ecce omnia nuda hostium. Ingressi tabernacula, primum repertis alimentis fugauerunt famē, deinde auri & argeti quantum potuerūt diripuerūt. Et cum soli possent prædæ incubare, elegerunt tamen regi nunciare fugisse Syrios: quia id honestum arbitrabantur, quàm represso indicio fouere fraudis rapinam. Quo indicio egressus est populus, & diripuit castra Syriæ, & commeatus hostium: abundantiam fecit annonæ, vilitatem reddidit, vt secundum propheticum dictum mensura similaginis siclo, &

duæ mensuræ hordei pari precio constarent. In hac lætitia plebis nūcius ille in quo quiescebat rex, cęstitutus in porta, inter exeuntium festinationem & remeantium exultationē, conculcatus à plebe mortuus est.

Laus honestatis, magnanimitate Hester, & fide Ionathæ commendatur & Achimelech. CAP. XV.

Quid Hester regina, nōne vt populū suum periculo erueret (quod erat decorum atque honestum) morti se obtulit, nec immitis regis trepidauit furorem? Ipse quoque rex Persarum ferox atque tumido corde, tamen decorum iudicauit indici infidiarum quæ sibi paratæ forent, gratiam repræsentare neci, nec parcere neci eius qui tam indecora fuisset. Denique quem secundum se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod dehonestatum se eius fraudulentis cōsiliis aduertisset. Ea enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferenda sanè opibus, honoribus, potestatibus: honestati verò præferri nō solet, sed honestatem sequi. Qualis fuit Ionathæ, qui pro pietate nec offensam patris, nec salutis periculum refugiebat. Qualis fuit Achimelech, qui pro hospitalis gratiæ officiis necem potius sibi, quàm proditiōem fugientis amici, subeundam arbitrabatur.

De moderamine amicitie conseruandæ, clauditur volumen. CAP. XVI.

Nihil igitur præferendum honestati: quæ tamen ne amicitie studio prætereatur, etiam hoc scriptura admonet: Sunt enim pleræque philosophorū quæstiones, vtrum amici causa quisquã contra patriam sentire necne debeat, vt amico obediat: vtrū oporteat vt fidem deserat, dum indulget atque intendit amici commoditatibus. Et scriptura quidem ait: Claua & gladius & sagitta ferrata, sic homo est testimoniū dās falsum aduersus amicū suū. Sed cōsidera quid astruat. Non testimonium reprehendit dictum in amicum, sed falsum testimonium. Quid enim si Dei causa, quid si patriæ cogatur aliquis dicere testimonium? Nunquid præponderare debet amicitia religioni, præpōdere charitati ciuium? In his tamen ipsis rebus requirēda est veritas testimonij, ne amicus appetatur amici perfidia, cuius fide absolui debebat. Amicus itaque neque noxio gratificari debet, neque innocēti insidiari: Sanè si necesse sit dicere testimonium, si quid in amico vitij cognouerit, corripere occulte: si nō audierit, corripere palam. Sunt enim bonæ correptiones, & plerūque meliores, quàm tacita amicitia. Et si lædi se putat amicus, tu tamen corripe. Et si amaritudo correptionis animum eius vulneret, tu tamen corripere ne verearis. Tolerabiliora sunt enim amici vulnera, quàm adulantium oscula. Errantem igitur amicum corripe, innocētem amicum ne deseras. Cōstans enim debet esse amicitia, perseuerare in affectu, nō puerili modo amicos mutare vaga quadā debemus sētētia. Aperi peccus tuū amicum, vt fidelis sit tibi, & capias ex eo vitę tuę iocūditatē. Fidelis enim

* Offerebantur.
4. Reg. 6.
Ibidem 7.
Multa equum.
Quoniam iam.
Iteuam.

Hester. 1.
& sequent.

2. Reg. 21.

Prou. 25.

Prou. 27.

amicus medicamentum est vitæ & immortalitatis gratia. Defer amico, & equali nec te pudeat ut prouenias amicum officio. Amicitia enim nescit superbiam. Ideo Sapiens dicit: Amicum salutare non erubescas. Nec deferas amicū in necessitate, nec derelinquas eum, neque desituias, quoniam amicitia vitæ adiumentum est. Ideo in ea onera nostra portemus, sicut Apostolus docuit. Dicit enim his quos eadem complexa est charitas. Etenim si amici secundæ res amicos adiuuant, cur non & in aduersis amici rebus amicorum adiuuētum suppetat? Iuuenus consilio, conferamus studia, compatiamur affectu. Si necesse est, toleremus propter amicum etiā aspera. Plerunque inimicitia subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpe obtreccationes, si restiteris vel responderis cum amicus arguitur & accusatur: nec te poeniteant eiusmodi offensiones. Iusti enim vox est: Et si mala mihi euenerint propter amicum, sustineo: In aduersis enim amicus probatur. Nam in prosperis amici omnes videntur. Sed ut in aduersis amici patientia & tolerantia necessaria, sic in prosperis authoritas cōgrua est, ut insolentiam extollentis se amici reprimat & redarguat. Quam pulchrè in aduersis positus Iob dicit: Misere-mini mei amici mei, misere-mini. Non quasi abiecta vox ista est, sed quasi censoria. Nam cum iniuste argueretur ab amicis, respondit: Misere-mini mei amici, hoc est, misericordiam debetis facere. Opprimitis autem vos & impugnat is hominem, cuius ærūnis cōpati pro amicitia vos oportebat. Seruate igitur filij ininitam cum fratribus amicitia, qua nihil est in rebus humanis pulchrius. Solatium quippe vitæ huius est, ut habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum peccatoris, ut colloques tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus cōpatiatur, in persecutionibus adhortetur. Quam boni amici Hebræi pueri quos à sui amore nec fornacis ardentis flamma diuisit? De quo loco, ut superius diximus, bene ait sanctus Dauid; Saul & Ionathas speciosi & charissimi, inseparabiles in vita sua, & in morte non sunt separati. Hic est amicitia fructus, non ut fides propter amicitiam deferatur. Non potest enim homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amicitia est, & equalitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat equalē, inferior superiori. Inter dispares enim mores nō potest esse amicitia: & ideo conuenire sibi vtriusque debet gratia. Nec auctoritas desit inferiori, si res poposcerit, nec humilitas superiori. Audiat quasi parem, quasi æqualem, & ille quasi amicus moneat; obiurgat non iactantia studio, sed affectu charitatis. Neque monitio aspera sit, neque obiurgatio contumeliosa. Sicut enim adulationis fugitas amicitia debet esse, ita etiam aliena insolentia. Quid est enim amicus, nisi confors amoris; ad quem animū tuum adiungas atque applies, & ita misceas, ut vnum velis fieri ex duobus, cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui causa inhonestū petas? Non enim vectigalis amicitia est, sed plena decoris, plena gratiæ. Virtus est enim amicitia, nō questus: quia non pecunia quæritur, sed gratia, nec licitatione preciorum, sed concertatione benevolentia. Denique meliores amicitia sunt in opum plerūque quam diuitum: & frequenter diuites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est enim vera amicitia, ubi est fallax adulatio. Diuitibus itaque plerique assentatoriē gratificantur, erga pauperē nemo assentator est. Verum est, quicquid deferatur pauperi: huius amicitia inuidia vacat. Quid amicitia preciosius, quæ angelis communis & hominibus est? Vnde & Dominus Iesus dicit: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui recipiant vos in æterna tabernacula sua. Ipse nos Deus amicos ex seruulis facit, sicut ipse ait: Iam vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Dedit formam amicitia quam sequamur, ut faciamus amici voluntatem, ut aperiamus secreta nostra amico quæcunque in pectore habemus, & nos illius arcana non ignoremus. Ostendamus illi nos pectus nostrum, & ille nobis aperiat suū. Ideo, inquit, vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Nihil ergo occultat amicus si verus est, effundit animum suum, sicut effundebat mysteria patris Dominus Iesus. Ergo qui facit mandatum Dei, eius amicus est, & hoc honoratur nomine. Qui est vnanimis, ipse amicus est: quod vnitatis animorum in amicis sit, neque quisquam detestabilior, quam qui amicitiam læserit. Vnde in proditore Dominus hoc grauisimum inuenit quo eius condemnaret perfidiam, quod gratia vicem nō representauerit, & conuiuuii amicitia venenum malitia miscuerit. Itaque sic ait: Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos: hoc est, non potest sustineri istud, quia vnanimis appetisti eum, qui tibi donauerat gratiam. Nam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & ab eo qui me oderat, absconderem me. Inimicus vitari potest, amicus non potest si insidiari velit. Illum cauemus cui non committimus consilia nostra: hunc cauere non possumus, cui commisimus. Itaque ad acruandam peccati inuidiam non dixit: Tu verò seruus meus, apostolus meus, sed vnanimis meus: hoc est, non meus, sed etiam tuus proditor es, qui vnanimum prodidisti. Dominus ipse cum à tribus regibus offensus esset, qui sancto Iob honorem non detulissent, ignoscere his per amicum maluit, ut amicitia suffragium remissio fieret peccatorum. Itaque rogauit Iob, & Dominus ignouit. Profuit illis amicitia, quibus obfuit insolentia.

HÆc apud vos deposui filij, quæ custodiat is vnanimis vestris: quæ vtrū aliquid profectus habeant, vos probabit. Interim copiam multam exemplorum afferunt. Nam prope omnia maiorum exempla, plurima quoque dicta his tribus inclusa libris tenentur, ut etsi sermo nihil deferat gratia, series tamē vetustatis quodam compendio expressa, plurimum instructionis conferat.

OFFICIORVM FINIS.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, AD MARCELLINAM

SOROREM SVAM, DE VIRGINIBVS.

LIBER PRIMVS.

SI iuxta cœlestis sententiæ veritatis, verbi totius, quodcunque ociosum fuerimus locuti, habemus prestare rationem: vel si vnusquisque seruus credita sibi talenta gratia spiritualis (quæ nummulariis diuidenda forent) ut crescentibus multiplicaretur vsuris, intra terram suam vel quasi timidus scenerator, vel quasi auarus possessor absconderit, non mediocrem Domino reuertente offensam incidet: iure nobis verendum est, quibus licet ingenium tenue, necessitas tamen maxima, eloquia Dei credita populi scenerare mentibus, ne vocis quoque nostræ poscat vsuram, præsertim cum studium à nobis Dominus non profectum requirat. Vnde scribendi aliquid sententia fuit. Maiore siquidem pudoris periculo auditur vox nostra quam legitur. Liber enim non erubescit. Equidem ingenio diffusus, sed diuinæ misericordiæ prouocatus exemplis, sermonem meditari audeo. Nam volente Deo etiam asina locuta est. Quod si mihi sub istius seculi oneribus constituto assistat angelus, ego quoque mutadiu ora laxabo. Potest enim soluere impedimenta imperitiæ, qui in illa asina soluit naturæ. In arca veteris testamēti virga floruit sacerdotis: facile Deo est, ut in sancta Ecclesia de nostris quoque nodis flos germinet. Cur autem desperādum quod Dominus loquatur in hominibus, qui est locutus in sentibus, nec rubum est dedignatus? Atque vtinam meas quoque illuminet spinas. Erunt fortasse qui etiam in nostris sentibus aliquem mirentur lucere fulgorem, erunt quos spina nostra non vrat, erunt quibus de rubo audita vox nostra soluat de pedibus calciamentum, ut impedimentis corporalibus exuatur mentis incessus. Sed hæc sanctorum merita virorum. Vtinam me sub illa infructuosa adhuc ficu iacentem ex aliqua Iesus parte respiceret, ferret quoque post triennium fructus & nostra ficus. Sed vnde tantum peccatoribus spei? Vtinam saltem ille Euangelicis dominicæ cultor vineæ ficum nostram fortasse iam iussus excidere, dimittat illam & hoc anno, vsque dū fodiat, & mittat cophinum stercoris: nam fortè de terra suscitetur inopem, & de stercore erigat pauperem. Beati qui sub vite & olea equos suos alligat, laborem cursuum suorum paci & latitiæ consecrantes, ne ficus adhuc, id est, illecebrosa deliciarum obumbret prurigo mūdi, humilis ad altitudinem, fragilis ad laborem, mollis ad vsum, sterilis ad fructum. Ac fortasse miretur aliquis, cur scribere audeo qui loqui nequeo. Attamen si repetamus quæ legimus in Euangelicis scripturis, & sacerdotilibus factis, ac nobis sanctus Zacharias propheta documento sit: inueniet esse quod vox non explicet, stilus signet. Quod si nomē Ioannis reddidit patri vocem, ego quoque desperare nō debeo, quin vocem licet mutus accipiam, si loquar Christum, cuius quidem generationem iuxta propheticum dictum quis enarrabit? Et ideo quasi seruus Domini familiam prædicabo. Immaculatus enim Dominus, immaculatam sibi familiam etiam in hoc pleno colluionum fragilitatis humanæ corpore consecrauit. Et bene procedit, ut quoniam hodie natalis est virginis, de virginibus sit loquendum, & ex prædicatione liber sumat exordium. Natalis est virginis, integritatem sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctæ Agnes, mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cuius ne nomen quidem est vacuum luce laudis? Fuit deuotio supra ætatem, virtus supra naturam, ut mihi videatur non hominis habuisse nomē, sed oraculum martyris, quæ indicauit quid esse futura. Habeo tamen vnde mihi subsidium comparatur. Nomen virginis titulus est pudoris. Appellabo martyrem. Prædicauit satis, proluxa laudatio est quæ non queritur, sed tenetur. Facebant igitur ingenia, eloquentia cōticefcant. Vox vna præconium est. Hanc senes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo est laudabilior, quā qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones qui martyrem prædicant dum loquuntur. Hæc duodecim annorū martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas quæ nec minusculæ pepercit ætati. Imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ toruos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnicum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata vel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focus trophæum Domini signare victoris: nunc ferratis colla manūsq; ambas inserere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus. Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ, certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ad supplicij locum, læta successu, gradu festina virgo processit, non intorto crine caput compta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique quod tam facile vitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere vniuersi, quod iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit denique ut ei de Deo crederetur, cui de hominē adhuc non crederetur: quia quod ultra naturam est, de authore naturæ est. Quanto terrore egit carnifex ut timeretur, quantis blanditiis ut suaderet, quætorum vota ut sibi ad nuptias proueniret. At illa: Et

hæc sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet: quid percussor moraris? Pereat corpus, quod amari potest oculis quibus nolo. Stetit, oravit, ceruicem inflexit. Cerneret trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dextram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo. Habebis igitur in vna hostiaduplex martyrium, pudoris & religionis. Et virgo permanfit, & martyrium obtinuit. Inuitat nunc integritatis amor, & tu soror sancta vel mutis tacita moribus, vt aliquid de virginitate dicamus, ne veluti transitu quodam præstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres faciat. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quæ nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce cõplecti, quod supra vsum naturæ sit? E cœlo arcessiuit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò viuendi sibi vsum quæsiuit è cœlo, quæ sponsum sibi inuenit in cœlo. Hæc nubes aëra angelos sideraque transgrediens, verbum Dei in ipso sinu patris inuenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum cum inuenit relinquit boni? Vnguentum enim exinanitum est nomen tuum. Propterea adolescentulæ dilexerunt te & attraxerunt te. Postremò non meum est illud, quoniam quæ non nubunt neque nubentur, erunt sicut angeli Dei in cœlo. Nemo ergo miretur si angelis comparètur, quæ angelorum Domino copulantur. Quis igitur neget hanc vitam fluxisse de cœlo, quam non facile inuenimus in terris? Nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit: tunc in vtero virgo concepit, & verbum caro factum est: vt quod caro factum est, caro fieret Dei. Dicit aliquis: Sed etiã Helias nullis corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur: Ideo ergo curru raptus ad cœlum, ideo cū Domino apparet in gloria, ideo dominiciventurus est præcursor aduentus. Et Maria sumens tympanum pudore virgineo choros duxit. Sed considerate cuius illa speciem tunc gerebat. Nõne Ecclesiæ, quæ religiosos populi cœtus qui carmina diuina concinerent, immaculato virgo spiritu copulauit? Nam etiam templo Hierosolymis fuisse legitimis virginibus deputatas. Sed quid Apostolus dicit: Hæc autem in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum. Figura enim in paucis est, vita in pluribus. At verò posteaquam Dominus in corpus hoc veniens, contuberniũ diuinitatis & corporis sine vlla concretæ confusionis labe sociauit, tunc toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cœlestis vsus inoleuit. Hoc illud est quod ministrâtes in terris angeli decantarunt futurum genus, quod ministeriũ Domino immaculati corporis obsequiis exhiberet. Hæc est cœlestis illa militia, quam laudatium exercitus angelorũ promittebat in terris. Habemus ergo auctoritatem vetustatis à seculo, plenitudinem professionis à Christo. Certè non est hoc mihi commune cum gentibus, non populare cum Barbaris, non cum ceteris animantibus vsitatũ, cum quibus & si vnum eundemque vitalem aëris huius carpinus spiritum, vulgarem terreni corporis participamus statum, generandi quoque nõ discrepamus vlu: hoc solo tamen naturæ parilis conuitia declina-

Cantic. 1.

Matth. 22.

Ioan. 1.

4. Reg. 2. Exod. 15.

1. Cor. 10.

Lucæ 2.

mus, quòd virginitas affectatur à gentibus: sed consecrata violatur, incurfatur à Barbaris, nescitur à reliquis. Quis mihi præterdit Vestæ virgines & Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morum pudicitia sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati. Ipsi docent virgines suas nõ debere perseuerare nec posse, qui virginitati finem dederunt. Qualis autem est illa religio, vbi pudicæ adolescentes iubètur esse, impudicæ anus? Sed nec illa pudica est quæ lege tenetur, & illa impudica quæ lege dimittitur. O mysteria, ò mores, vbi necessitas imponitur castitati, auctoritas libidini datur. Itaque nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta quæ mercede conducitur, nec pudor ille, qui intemperantium oculorum quotidiano expositus conuitio flagitiosis aspectibus verberatur. Conferuntur immunitates, offeruntur precia, quasi non hoc maximum petulantia sit indicium, castitatem vendere. Quod precio promittitur, precio addicitur, & precio remuneratur. Nescit redimere castitatem quæ vedere solet. Quid de sacris Phrygiis loquar, in quibus impudicitia disciplina est, atque vtinam sexus fragilioris? Quid de Orgiis Liberi, vbi religionis mysterium est incentiuum libidinis? Qualis igitur potest ibi vita esse sacerdotum, vbi colitur stuprum Deorum? Non habent igitur sacram virginem. Videamus ne fortè aliquam vel philosophiæ præcepta formauerint, quæ magisterium sibi omnium solent vendicare virtutum. Pythagoræa quædam vna ex virginibus celebratur fabulis: quæ cum à tyranno cogereetur secretum prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem vel tormentis liceret, mortu linguam abscidisse fertur, atque in tyranni faciem despuisse: vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet quam interrogaret. Eadem tamen forti animo, sed tument vtero, exemplum taciturnitatis, & proluuium castitatis, victa est cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequiuit. Igitur quæ mentis potuit tegere secretum, corporis non textit opprobrium. Vicit naturam, sed non tenuit disciplinam. Quàm vellet in voce munimentum sui pudoris existere? eò fortasse erudierat illam pœnitentia, vt culpam negaret. Non igitur inuicta vndique. Nam & tyrannus licet non potuerit inuenire quod interrogabat, tamen quod non interrogabat inuenit. Quanto nostræ virgines fortiores, quæ vincunt etiam quas non vident potestates: quibus non tantum de carne & sanguine, sed etiam de ipso mundi principe secularique rectore victoria est. Ætate vtique Agnes minor, sed virtute maior, triumpho numerosior, constantia confidentior, non sibi linguam propter metum abstulit, sed propter trophæum reseruauit. Nihil enim habuit quod prodi timeret, cuius non erat criminosa sed religiosa confessio. Itaque illa secretum tatummodo celauit, hæc probauit Deum: quem quia ætas nondum poterat confiteri, natura confessa est. In laudationibus solet patria prædicari & parentes, vt in commemoratione authoris dignitas successione exaggeretur. Ego licet laudationem non susceperim virginitatis, sed expressione, ad rem tamè pertinere arbitror, vt quæ sit ei patria, quis author

1. Cor. 10.

ibidem 7.

Rom. 14. 1. Cor. 7.

ibidem.

* peccat.

thor appareat. Ac prius vbi sit patria definiamus. Si enim ibi est patria, vbi genitale domicilium: in cœlo profecto est patria castitatis. Itaque hic aduena, ibi incola est. Quid autem est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque eius auctorem quem possumus existimare nisi immaculatum Dei filium, cuius caro non vidit corruptionem, diuinitas non est experta contagionem? Videte igitur quanta virginitatis merita sint. Christus ante virginem, Christus ex virgine, à patre quidem natus ante secula, sed ex virgine natus ob secula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ vtilitatis est. Illud erat semper, hoc voluit. Spectate aliud virginitatis meritum. Christus virginis sponfus, & si dici potest, Christus virginæ castitatis. Virginitas enim Christi, nõ virginitatis est Christus. Virgo est ergo quæ nupsit, virgo quæ nos suo vtero portauit, virgo quæ genuit, virgo quæ proprio lacte nutriuit. De qua legimus, quanta fecit virgo Hierusalem. Non deficiunt de petra vbera, neque nix à Libano, aut declinauit aqua valida vento quæ portatur. Qualis est hæc virgo quæ trinitatis fontibus irrigatur, cui de petra fluunt aquæ, non deficiunt vbera, mella funduntur? Petra autem est iuxta Apostolum Christus. Ergo à Christo non deficiunt vbera, claritas à Deo, flumen à spiritu. Hæc est trinitas quæ Ecclesiam suam irrigat, pater, Christus, & spiritus. Sed iam à matre descendamus ad filias. De virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Si doctor gètium non habuit, habere quis potuit? Et præceptum quidem non habuit, sed habuit exemplũ. Non enim imperari potest virginitas, sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quàm in magisterio sunt. Sed volo vos, inquit, sine sollicitudine esse. Nam qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & ipiritu. Nam quæ nupta est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat viro. Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed virginitatis attexo beneficium. Qui infirmus est, inquit, olera manducet. Aliud exigo, aliud admior. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? ne quæsieris vxorem. Hoc præceptum est copulatis. De virginibus autem quid ait? Et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Illa non peccat, si nubat: hæc si non nubat, æterna est. Ibi remedium infirmitatis, hic gloria castitatis. Illa non reprehenditur, ista laudatur. Conferamus si placet bona mulierum cum vltimis virginum. Iactet licet fœcundo se mulier nobilis partu, quo plures generauerit, plus laborat. Numerat solatia filiorũ, sed numeret pariter & molestias. Nubit, & plorat. Qualia sunt vota quæ stètur? Concipit & grauescit. Prius vtique impedimentum fœcunditas incipit afferre, quàm fructum. Parturit & ægrotat. Quàm dulce pignus quod à periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum quàm voluptati. Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi & copulandi? Felicius sunt istæ miseræ: Habet mater hæredes, sed auget dolores. Nam de aduersis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi contremiscant. Vide mi soror quam

græue sit pati quod non oportet audiri. Et hæc in præsentī seculo. Venient autem dies, quando dicat: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt. Filia enim huius seculi generantur & generant, filia autem regni abstinet à voluptate viri & à voluptate carnis, vt sit sancta corpore & ipiritu. Quid ego famulatus graues & addicta viris seruitia replicem fœminarum, quas ante iussit Deus seruire, quàm seruos? Quæ eò prosequor, vt indulgentius obsequantur. Quibus hoc si probæ sunt, merces est charitatis: si improbæ, pœna delicti. Hinc illa nascuntur in centiua vitiorum, vt quæritis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, & de adultério vultus meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amètia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere, & dum verentur maritale iudicium, prodere suum? Prior enim de se pronunciat, quæ cupit mutare quod nata est. Ita dum alij studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem iudicem mulier veriorum requirimus deformitatis tuæ, quàm te ipsam quæ videri times? Si pulchra es, quid absconderis: Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientia, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere: & irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur? Malè magistra es iniuriæ tuæ. Lenocinari refugit etiam quæ passa lenonem est? Ac licet vilis mulier, non alteri tamen sed sibi peccat, tolerabilioraque propè modum in adultero crimina sunt. Ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Iam quanto precio opus est, ne etiam pulchra displiceat. Hinc preciosa collo dependent monilia, inde per humum vestis trahitur aurata. Emitur igitur hæc species an habetur? Quid quod etiam odorum variæ adhibentur illecebriæ, gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur? Quid ibi remanet suum, vbi tam multa mutantur? Sensus suos amittit mulier, & viuere posse se credit: Vos verò beatæ virgines quæ talia tormenta potius quàm ornamenta nescitis, quibus pudor sanctus verecunda suffusus ora, & bona castitas est decori: non humanis addicæ oculis, alieno errore merita vestra pensatis. Habetis sanè & vos vestra militiam pulchritudinis, cui virtutis militat forma non corporis, quam nulla extinguet ætas, nulla eripere mors potest, nulla ægritudo corrumpere: solus formæ arbiter petitur Deus, quæ etiam in corpore minus pulchro diligit animas pulchriores. Non vteri onus notum, non dolor partus, & tamen numerosior soboles piæ mentis, quæ omnes pro liberis habet: fœcunda successoribus, sterilis orbitatibus, nescit funera, nouit hæredes. Sic sancta Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo est castitate, mater est prole. Parturit itaque nos virgo, non viro plena, sed ipiritu. Parit nos virgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudiis angelorum. Nutrit nos virgo, non corporis lacte sed Apostoli, quo infirmam adhuc crescentis populi lactauit ætatem. Quæ igitur nupta plures liberos habet quàm sancta Ecclesia, quæ virgo est sacramentis, mater est populis, cuius fœcunditatem etiam scriptura testatur dicens: Quoniam plures filij deserta magis quàm eius quæ habet virum? Nostra virum non habet, sed habet sponsum, eo quod siue Ecclesia in popu-

Luca 23.

1. Cor. 7.

Esaias 4.

lis, siue anima in singulis, Dei verbo, sine vlllo flexu pudoris, quasi sponso innubit æterno, effœta iniuriæ, scœta rationis: Audistis parentes quibus erudire virtutibus, quibus instituere disciplinis filias debeatis, vt habere possitis quarum meritis vestra delicta redimantur. Virgo Dei donum est, munus parentum, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis diuina placatur. Virgo indiuiduum pignus parœtum, quæ non dote sollicitet, non emigratione destituat, non offendat iniuria. Sed nepotes aliquis habere desiderat, & aui nomen acquirere. Primum suos tradit, dum quærat alienos. Deinde certis defraudari incipit, dum sperat incertos: confert opes proprias, & adhuc poscitur, nisi dotem soluat exigitur. Si diu viuat, onerosus est. Emerere istud est generum, non acquirere, qui parentibus filiæ vendat aspectus. Ideo ne tot mensibus gestatur vtero, vt in alienam transeat potestatem? Ideo commendandæ virginis cura suscipitur, vt citius parentibus auferatur. Dicit aliquis: Ergo dissuades nuptias? Ego verò suadeo, & eos damno qui dissuadere consueverunt, vt pote qui Saræ ac Rebeckæ & Rachel cæterarumque veterum coniugia fœminarum pro documentis singularium virtutum recensere soleam. Qui enim copulam damnat, damnat & filios, & ductâ per successionem seriem, generis societatem damnat humani. Nam quemadmodum duratura in seculum atas succedere possit ætati, nisi gratia nuptiarum procreandę studium sobolis incitaret? Aut quomodo prædicari potest quod immaculatus Isaac ad altaria Dei victima paternæ pietatis accessit, quod Israël humano situs in corpore Deum vidit, & religiosum populo dedit nomen, quorum originem damnat? Vnum sanè licet sacrilegi homines habent, quod in his etiam à sapientissimis proberetur: qui coniugia damnando profitentur, ipsi non debuissent nasci. Non vti que dissuadeo nuptias, si fructus sacræ virginittatis numero. Paucarum quippe hoc munus est, illud omnium. Nec potest esse virginittas, nisi habeat vnde nascatur. Bona cum bonis cõparo, quo facilius quid præster eluceat. Neque meam sententiam affero, sed eam repeto, quã edidit spiritus sanctus per prophetam. Melior est, inquit, sterilitas cum virtute. Primum enim quod nupturæ præ cæteris concupiscunt, vt sponsi decore se iactent, eo necesse est impares sacris se fateantur esse virginibus, quibus solis contingit dicere: Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Quis est iste sponsus? Non vilibus addictus obsequiis, non caducis superbus diuitiis, sed cuius sedes in seculum seculi, filiæ regum in honore eius. Astitit regina à dextris eius in vestitu deaurato, varietate circumamicta virtutum. Audi igitur filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, quoniam concupiuit rex speciem tuam, quia ipse est Deus tuus. Et aduerte quantum tibi spiritus sanctus scripturæ diuinæ testificatione detulerit. Regnum, aurum, pulchritudinem. Regnum, vel quia sponsa es regis æterni, vel quia inuictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiua habetis, sed quasi regina dominaris. Aurum, quia sicut illa materies examinata igne preciosior est, ita corporis species

Genes. 12.
Gen. 28. 32.

Psal. 44.

virginalis spiritu consecrata diuino, formæ suæ acquirat augmentum. Pulchritudinem verò quis potest maiorem æstimare decore eius quæ amatur à rege, probatur à iudice, dicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper inuicta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor? Hæc profectò vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire à domino: Tota es formosa proxima mea, & reprehensio non est in te. Veni huc à Libano, veni huc à libano transibis & pertransibis à principio fidei à capite Sanir & Hermon, à latibulis leonum, à montibus pardorum. Quibus indicis ostenditur perfectæ & irreprehensibilis virginalis animæ pulchritudo, altaribus consecrata diuinis, inter occursum & latibula spiritualium bestiarum non inflexa mortalibus, sed intenta mysteriis Dei meruisse dilectum, cuius vbera plena lætitiæ. Vinum enim lætificat cor hominis. Et odor, inquit, vestimentorum tuorum super omnia aromata. Et infra: Et odor, inquit, vestimentorum tuorum sicut odor Libani. Vide quæ nobis tribuas virgo processum. Primum enim odor tuus super omnia aromata quæ in saluatoris missa sunt sepulturam: & mortuos corporis motus, membrorumque redolet obisse delicias. Secundus odor tuus sicut odor Libani dominici corporis, integritatē virginæ florem castitatis exhalat. Fauum itaque mellis tua opera componat. Digna enim virginittas quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apes, nescit cõcubitus, mella cõponit. Ros quoque virginis est sermo diuinus: quia sicut Ros Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura. Partus virginis fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suauitatis: in cõmune labor, cõmunis est fructus. Quam te velim filia imitatricem esse huius apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore cõponitur. Hæc imitare tu filia, verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis inuolucrum: vt & puritatem habeant, & plena grauitatis sint. Meritorum quoque tuorum tibi æterna posteritas tuo ore pariat. Nec soli tibi, sed etiam pluribus congreges. Quis scit enim quando à te anima tua reposcatur? Nec receptacula horreorum frumentis coaceruata dimittens, nec vitæ tuæ vsui profutura, nec meritis rapiaris eò quò thesaurum ferre non possis. Diues igitur esto, sed pauperi, vt naturæ participes tuæ, participes sint etiam facultatum. Florem quoque tibi demonstro carpendum, illum vti que qui dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium, tanquam lilium in medio spinarum: quod est euidentis indicij, spiritualium nequitiarum sentibus virtutes obsideri, vnde nemo fructum referat, nisi qui cautus accedat. Sume igitur alas virgo, sed spiritus, vt superuoles vitia, si contingere cupis Christum. In altis habitat, & humilia respicit. Et species eius sicut cedrus Libani, quæ comam nubibus, radicem in terris inserit. Principium enim eius in cœlo, posteriora eius in terris, fructus cœlo proximos ediderunt. Scrutare diligentius tam bonum florem, nec vbi que eum in pectoris tui conualle reperies: humilibus enim frequenter inhalatur. Amat generari in hortis, in quibus eum Susanna dum deambularet inuenit, mori prius quàm violari parata. Qui sint autem

Cantic.

Genes. 27.

Psal. 103.

Cantic.

Psal. 140.

Cantic. 5.

Isa. 19.

Cantic. 4.

Cantic.

Psal. 118.

Eph. 1. 4.

Daniel.

tem

535

tem horti, ipse demonstrat dicens: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus sponsum signatus: eo quod in hortis huiusmodi impressam signaculis imaginem Dei, synceri fontis vnda respicere deat, ne volutabris spiritualium bestiarum, sparso cœno fluenta turbentur. Hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinã. Itaque sicut hortus furibus inaccessus vitem redolet, fragrat oleam, rosam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginittatis inoleat. Hic est odor quem Iacob patriarcha fragrauit, quãdo meruit audire: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Nam licet plenus omnibus ferè fructibus patriarchæ sancti fuerit ager: ille tamen fruges maiore virtutis labore generauit, hic flores. Accingere itaque virgo, & si vis huiusmodi tibi vt hortus aspires, prophetis eum claude præceptis. Pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis: vt etiam tu possis dicere: Tanquam malus in lignis nemoris, ita fraternus meus in medio filiorum. In umbra eius concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus meis. Inueni quem dilexit anima mea, tenui eum, & non relinquam eum. Descendat fraternus meus in hortum suum & manducet fructum pomorum suorum. Veni fraterne mi, exeamus in agrum, pone me vt sigillum in cor tuum, & velut signaculum super brachium tuum. Fraternus meus candidus & rubeus. Decet enim vt plenè noueris virgo quem diligis, atque omne in eo & ingenitæ diuinitatis & assumptæ mysterium incorporationis agnoscas. Candidus meritò, quia patris splendor: rubeus, quia partus est virginis: color in eo fulget & rutilat vtriusque naturæ. Memento tamen antiquiora in eo diuinitatis insignia, quàm corporis sacramenta: quia non cœpit à virgine, sed qui erat venit in virginem. Ille discretus à militibus, ille lancea vulneratus, vt nos sacri vulneris cruore sanaret, respondebit tibi profectò, est enim mitis & humilis corde, blandus aspectu. Exurge aquilo, & veni auster, aspira hortum meum, & fluant aromata mea. Ex omnibus enim partibus mundi odor sanctæ religionis adoleuit, dilectæ quo virginis membra fragrarunt. Formosa es proxima mea, vt bona opinio, pulchra vt Hierusalem. Non caduci itaque corporis pulchritudo vel morbo peritura vel senio, sed nullis obnoxia casibus opinio bonorum nunquam moritura meritorum virginibus est decori. Et quoniam non humanis iam sed cœlestibus, quorum vita viuus in terris, digna es comparari: accipe à Domino præcepta quæ serues. Pone me vt sigillum, inquit, in cor tuum, & velut signaculum super brachiũ tuum: quo signatiora prudentiæ tuæ factorumque documenta promantur, in quibus figura Dei Christus eluceat, qui paternæ ambitum exæquans naturæ, totum quicquid à patre diuinitatis assumpsit, expressit. Vnde etiam apostolus in spiritu nos dicit esse signatos: quoniam patris imaginem habemus in filio, sigillum filij habemus in spiritu. Hac trinitate signati caueamus diligētius, ne quod accepimus pignus in cordibus nostris, aut morum leuitas, aut vilius adulterij fraus resignet. Sed faceat hic sacris virginibus metus, quibus tanta præsidia tribuit primũ Ecclesia, quæ teneræ proliis sollicita successu, ipsa quasi murus abundantibus

Cantic. 4.

Genes. 27.

Psal. 140.

Cantic. 5.

Isa. 19.

Cantic. 4.

Cantic.

Psal. 118.

Eph. 1. 4.

Daniel.

in modum turrium increfcit vberibus, donec soluto obsidionis hostilis incurfu, pacem validæ iuuentutis maternæ præsidio virtutis acquirat. Vnde & propheta ait: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Tum ipse pacis Dominus postquam validioribus brachiis commissa sibi vineta complexus, palmites suos gemmare conspexerit, vultu præfulentibus fructibus auras temperat, sicut ipse testatur dicens: Vinca mea est in conspectu meo. Mil-le Salomoni & duceti qui seruant fructum eius. Supra ait, Sexaginta potentes in circumitu propaginis eius strictis armatos telis, & eruditos præliaribus disciplinis, hic mille ducentos. Creuit numerus vbi creuit & fructus: quia quò sanctior quisque, eò munitionior. Sic Helisæus propheta exercitus angelorum præsidio sibi adesse monstrauit. Sic Iesus Naue du-cem militiæ cœlestis agnouit. Possunt igitur fructum in nobis custodire, qui possunt etiam militare pro nobis. Vobis autem virgines sanctæ speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini seruatis cubile. Neque mirum si pro vobis angeli militant, quæ angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam meretur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim angelos fecit. Qui eam seruauit angelus est, qui perdidit diabolus. Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo est quæ Deo nubit. Meretrix quæ Deos fecit. Nam de resurrectione quid dicam, cuius præmia iam tenetis? In resurrectione autem neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli, inquit, in cœlo. Quod nobis promittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum vsus apud vos est. De hoc mundo estis, & non estis in hoc mundo. Seculum vos habere meruit, tenere non potuit. Quàm præclarum autem angelos propter intemperantiam suam in seculum cecidisse de cœlo, virgines propter castimoniam in cœlum transisse de seculo? Beatæ virgines, quas non illecebra sollicitat corporum, non colluuiò præcipitat voluptatum. Cibus parsimoniam, potus abstinentiam, docet vitia nescire, qui docet causas nescire vitiorum. Causa peccandi etiam iustos sæpe decepit. Hinc populus Dei postquam sedit bibere, Deum negauit. Hinc Loth concubitus filiarum ignorauit & pertulit. Hinc inuertis vestigiis filij Noë patri quondam pudenda texerunt, quæ procax vidit, modestus erubuit, pius texit, offensurus si & ipse vidisset. Quanta vis est vini, vt quem diluuium non nudauerunt, vina nudarent? Quid illud? Quantæ felicitatis est quod nulla vos habendi cupiditas inflammat? Pauper quod habes poscit, quod non habes non requirit: fructus laboris tui thesaurus est inopi: & duo æra si sola sint, census est largientis. Audi ergo soror quantis careas. Nam caue quid debeas. Nec meum est docere, nec tuum discere. Perfectæ enim virtutis vsus magisterium non desiderat, sed informat. Cernis vt pomparum ferculis similis incedat, quæ se componit vt placeat, omnium in se vultus & ora conuertēs, eo ipso quo studet placere, deformior. Prius enim populo displicet, quàm placeat viro. At in vobis reiecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum quod vos non ornatis, ornatus est. Certè lacera vulneribus aures, & depressæ onerã

Psal. 127.

Cantic. 7.

4. Reg. 6.
Ios. 5.

Matth. 22.

Exod. 32.

Genes. 19.

Ibidem. 9.

miseræ ceruicis, non sunt alleuamenta pœnarum, sed discrimina metallorum. Hinc collum catena constringit, inde pedem compes includit. Nihil refert, auro corpus oneretur an ferro. Si ceruix premitur, si grauat inaccessus, nil precium inuat: nisi quod vos mulieres ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid interest, vtrum aliena sententia, an vestra vos damnet? Hinc vos etiam miserabiliores quàm qui publico iure damnantur: quod illi optant exui, vos ligari. Quàm verò miserabilis illa cōditio, quod tanquam mancipij forma venalis nuptura licitatur: & qui precio vicerit, emat. Tolerabilius tamē mancipia veniunt, quæ sæpe sibi Dominos legunt. Virgo si eligat, crimen est: si non eligat, contumelia. Quæ quanuis pulchra sit & decora, & timet videri, & cupit. Cupit, vt se charius vendat: timet, ne hoc ipsum dedecet quod videtur. Quanta autem votorum ludibria, & ad procorum euentus suspecti metus, ne pauper illudat, ne diues fastidiat, ne pulcher irrideat, ne nobilis spernat. Dicit aliquis: Tu nobis quotidie virginum canis laudes: quid faciam qui eadem quotidie cantito, & proficio nihil? Sed non mea culpa. Denique de Placentino sacrandæ virginis veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, vt hic velentur: magnam rem videtis: hic tracto, & alibi persuadeo. Si ita est, alibi tractemus vt vobis persuadeamus. Quid? quod etiam qui me non audiunt sequuntur: qui audiunt, non sequuntur? Nam pleraque virgines cognoui velle, & prohiberi etiam prodire à matribus, & quod est grauius viduis, cū quibus hic mihi sermo est. Nempe si hominem amarent filia vestra, per legem possent eligere quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? Contuemini quàm dulcis pudicitia fructus sit, qui Barbaricis quoque inoleuit effectibus. Ex vltimis infra vltimamque Mauritaniae partibus deductæ virgines hic sacrari gestiunt: & cum sint omnes familie in vinculis, pudicitia tamen nescit esse captiua. Profitetur regnum æternitatis, quæ mœret iniuriam seruitutis. Nam quid de Bononiensibus virginibus loquar, fœcundo pudoris agmine, quæ mundanis se deliciis abdicantes sacrarium virginitatis incolunt sine contubernali sexu, contubernali pudore prouectæ ad vicenarium numerum, & centenarium fructum, relictoque parentum hospitio tendunt in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis? Nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent. Liberalitatis quoque subsidium manu quærunt. Quod si inuestigandæ virginitatis inoleuerit odor, (nanque præ cæteris speculandi venatum pudoris explorat,) totis curarum vestigiis prædam latentem vsque ad ipsa cubilia persequuntur: aut si liberior alicuius volatus affulserit, totis omnes videas assurgere alis, concrepare pennas, emicare plausu, vt casto pudicitia choro cingant volantem, donec albæi delectata comitatu, in plagas pudoris & indaginem castitatis, domus patriæque oblita succedat. Bonum itaque si virgini studia parentum quasi flabra pudoris aspirēt. Sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis, etiam

G sine veteribus nutrimentis sponte se rapiat in fomitē castitatis. Dotem negabunt parentes? sed habes diuitem sponsum, cuius contenta thesauro, patriæ successione emolumenta non quæras. Quanto dotalibus præstat compendiis casta paupertas: & tamen quam audistis aliquando propter studium integritatis legitimæ factam successione * extorrem? * Extorrem? Contradicunt parentes, sed volunt vinci, resistunt primo, qui * credere timent. Indignantur frequenter, vt discas vincere: abdicationem minantur, vt tentent, si potes damna seculi non timere. Quæstis blandiuntur illecebris, vt videant si variarum molli-
H re te non queat blanditia voluptatum. Excerceris virgo dum cogaris. Et hæc tibi prima certamina anxia parentum vota proponunt. Vince prius puella pietatem. Si vincis domum, vincis & seculum. Sed esto, maneat vos damna patrimonij. Nonne caducarum & fragilium dispendium facultatum, futura cœli regna compensant? Quanquam si verbis cœlestibus credimus, nemo est qui reliquerit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat septies tantum in hoc tempore, in seculo autem venturo vitam æternam possidebit. Crede fidem tuam Deo, quæ homini pecuniam credis: fœnerare Christo. Bonus depositæ spei custos, multiplicatis fidei tuæ talentum soluit vsuris. Non fallit veritas, non circumscribit iustitia, non decipit virtus. Quod si non creditis oraculo, vel exemplis credite. Memoria nostræ puella dudum nobilis in seculo, nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quod enim melius virgo recurreret, quàm vbi sacrarium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ. Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ, ac summum altari subiecta verticem. Num melius, inquit, mater tu me quàm altare velabis, quod sanctificat ipsa velamina? Plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur. Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo. Sponsum offeris? meliorem reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate. Habeo eum cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo. Si talem habetis non refuto optionem: si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. Silentibus cæteris vnus abruptius, Quid si, inquit, pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pietate: & ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset asferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probauit exitio. Ita cæteri eadem quisque metuentes, fauere cœperunt qui impedire quærebant: nec dispendium debitarum attulit virginitas facultatum, sed etiam emolumentum integritatis accepit. Habetis puellæ deuotionis præmium, parentes caueat offensiois exemplum.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE VIRGINIBVS

LIBER SECVNDVS.



UPERIORE libro quantum virginitatis munus sit, euoluimus (non enim potuimus explicare) vt per se cœlestis gratia muneris inuitet legentem. Secundo libro virginem institui decet, & tanquam competentium præceptorum magisteriis erudiri. Sed quoniam non sumus ad monendum sumus, & impares ad docendum, (debet enim is, qui docet supra eum qui docetur excellere:) ne vel susceptum deseruisse munus, vel nobis arrogasse amplius videremur, exemplis potius quàm præceptis putauimus imbuendam, licet amplius proficiat exemplo: quoniam nec difficile quod iam factum est exultatur, & vtile quod probatum, & religiosum quod hæreditario quodam paternæ virtutis vsu, in nos est successione transfusum. Quod si quis nos præsumptionis arguit, arguat potius sedulitatis: quia rogantibus virginibus ne hoc quidem putauimus negandum. Malui enim me in periculum deduci pudoris, quàm non obsequi voluntati earum, quarum studiis etiam Deus noster placido se indulget assensu. Sed neque præsumptio notari potest, quoniam cum haberent unde discerent, affectum potius quàm magisterium quæsuerunt meum. Et excusari sedulitas non potest, quoniam cum haberent auctoritatem martyris ad obseruantiam disciplinæ, non superfluum iudicauimus, si nostri sermonis blanditiam deriuarent ad professionis illecebram. Ille docere facilius, qui seuerio vitia coercet affectu: nos qui docere non possumus, blandiamur. Et quoniam pleræque absentes nostri desiderabant sermonis vsum, volumen hoc condidi, quo profectæ ad se vocis meæ munus tenentes, deesse non crederent quem tenerent. Sed propolita persequamur. Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitæque beatæ Mariæ, & quæ velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa prohibitis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilior Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit: quid castius ea quæ corpus sine corporis cōtagione generauit? Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcius, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, veracunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit humilē? quando derisit debilem? quando vitauit inopem?

A eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum: vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiæ: alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quàm necessitas fuit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in fomnis aut lecta reperit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. C Domesticum operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode quàm seipsa: quæ incessu affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret: & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet, quia quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem angelus reperit, talē Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quæ digna fuit ex qua Dei filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionē abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetae? Denique & Gabriel eam vbi reuisere solebat inuenit, & angelum Maria, quasi viri specie mota, trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos veracundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit: sed quæ primo titubauerat aspectu, postea promisit obsequium. Quàm verò religiosa in propinquas fuerit, scriptura diuina significat: nam & humilior facta est vbi se à Deo cognouit electam, & statim ad cognationem

Ibidem.

Ibidem 2.

Ibidem 17.

Ibidem.

Exod. 15.

Psal. 42.
Psal. 49.

tam suam in montana processit, non utique ut exemplo crederet, quæ iam crediderat oraculo: Beata enim, inquit, quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti enim interuallo temporis non fides queritur, sed pietas exhibetur. Et hoc postea quæ in vtero parentis exiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos deuotionis quam naturæ. Inde tot sequentibus signis, cum sterili pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simcon, sydera nunciarent: Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: conseruabat, inquit, hæc omnia in corde suo. Quæuis mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat: & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat. Quid quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solemnem die Pasche, & ibat cum Ioseph? Vbi que in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Hæc est imago virginitatis: talis enim fuit Maria, ut eius vnus vita omnium disciplina sit. Si igitur author non displicet, opus probemus: ut quæcunque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna virgine species virtutum emicant. Secretum verenditiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurreret, quæ tam complexa ad Dominum traheret dicens. Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore. Quemadmodum eas ipse Dominus commendabit patri, nimirum illud & repetens suum: Pater sancte, istæ sunt quas seruauit tibi, in quibus filius hominis caput reclinans quieuit, pe-
to ut vbi ego sum, & ipsæ sint mecum. Sed non solum sibi debent prodesse, quæ non solæ vixerunt sibi, hæc parentes redimat, hæc fratres. Pater iuste, mundus me non cognouit, istæ autem me cognouerunt, & mundum cognoscere noluerunt. Quæ pompa illa, quæ gratia, quanta angelorum lætitia plaudentium, quod habitare mereatur virgo in cælo, quæ cælestem vitam vixit in seculo? Tunc etiam Maria tympanum fumens choros virginales excitabit cantantes Domino, quod per mare seculi sine secularibus fluctibus transferunt. Tunc vnaquæque exultabit dicēs: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Immolo Deo sacrificium laudis & reddo altissimo vota mea. Neque enim dubitauerim vobis patere altaria, quarum mentes altaria Dei confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus immolatur. Nam si corpus virginis Dei templum est, animus quid est, qui tanquam membrorum cineribus excitatis, sacerdotis æterni redopertus manu vaporem diuini ignis exhalat? Beatæ virgines, quæ tam immortalis spiritalis gratia, ut horti floribus, ut templa religione, ut altaria sacerdote. Ergo sancta Maria disciplinam vitæ informet, Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptialem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutauit. Namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sæuo offerret leoni, fecit

vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referent. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum virginis corpus violare non posset. Ergo adorabat prædam suam bestia, & propria oblita nature, naturam induerat quam homines amiserant. Videres quadam nature transfusione homines feritatem indutos sauitiam imperare bestia, bestiam exosculatam pedes virginis docere quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur. Non impastos cibum flexit, non citatos impetus rapuit, non stimulos ira exasperauit, non vsus deceptis asuetos, non feros natura possedit. Docuerunt religionem, dum adorant martyrem: docuerunt etiam castitatem, dum virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur, demersis in terram oculis, tanquam verecundantibus ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret. Dicit aliquis: Cur exemplum attulisti Mariæ, quasi reperiri queat, quæ matræ Domini possit imitari? Cur etiam Theclæ, quam gentium doctor instituit? Da huicmodi doctorem, si disciplinam requiris huiusmodi. Recens vobis exemplum profero, ut intelligatis Apostolum non vnus esse doctorem, sed omnium. Antiochiæ nuper virgo quadam fuit fugitans publici vsus aspectum, sed quod magis virorum euitabat oculos, eo amplius incendebat. Pulchritudo enim audita nec visa plus desideratur, duobus stimulis cupiditatum, amoris cognitionis: dum & nihil occurrit quod minus placeat, & plus putatur esse quod placeat, quod non iudex oculus explorat, sed animus amator exoptat. Itaque sancta virgo ne diutius alerentur potiendæ spe cupiditatis, integritatem pudoris professa, sic restinxit improborum faces, ut non iam amaretur, sed produceretur. Ecce persecutio. Puella fugere nescia, certè pauida ne incideret in insidiatores pudoris, animum ad virtutem parauit: tam religiosa, ut mortem non timeret: tam pudica, ut expectaret. Venit coronæ dies, maxima omnium expectatio, producitur puella, duplex professa certamen, & castitatis, & religionis. Sed vbi viderunt constantiam professionis, metum pudoris, paratam ad cruciatum, erubescerem ad aspectum, excogitare cœperunt, quemadmodum specie castitatis religionem tollerent, ut cum id abstulissent quod erat amplius, etiam id eriperent quod reliquerant. Aut sacrificare virginem, aut lupanari prostitui iubent. Quomodo deos suos colunt, qui sic vindicant? aut quemadmodum ipsi viuunt, qui ita iudicant? Hic puella, non quod de religione ambigeret, sed de pudore trepidaret, ipsa secum: Quid agimus? hodie aut martyr, aut virgo: altera nobis inuidetur corona. Sed nec virginis nomen agnoscitur, vbi virginitatis author negatur. Nam quemadmodum virgo si meretricem colas: quemadmodum virgo, si adulteros diligas? quemadmodum virgo, si amorem petas? Tolerabilius est enim mentem virginem quam carnem habere. Vtrumque bonum, si liceat: si non liceat, saltem non homini castæ, sed Deo simus. Et Raab meretrix fuit, sed postquam Deo credidit, salutem inuenit. Et Iudith se, ut adultero placeret, ornauit: quæ tamen quia hoc religione non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicauit. Bene successit

Math. 10.

Dan. 14.

Dan. 13.

Gen. 19.

cessit exemplum. Nam si illa quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit & patriam: fortassis & nos seruando religionem, seruabimus etiam castitatem. Quod si Iudith pudicitiam religioni præferre voluisset perdita patria etiam pudicitiam perdidisset. Itaque talibus informata exemplis, simul animo tenens verba Domini quibus ait: Quicumque perdidit animam suam propter me, inueniet eam, fleuit, tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret, nec pudoris elegit iniuriam, sed Christi recusauit. Existimate vtrum adulterare potuerit corpus, quæ nec vocem adulterauit? Iamdudum verecundatur oratio mea, & quasi audire gestorum seriem criminofam atque explanare formidat. Claudite aurem virgines Dei, ducitur puella Dei ad lupanar: sed aperite aurem virgines Dei, virgo prostitui potest, adulterari non potest. Vbi cunque Dei virgo est, Dei templum est: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Ingens petulantium concursus ad fornicem. Discite martyrum miracula sanctæ virgines, dediscite locorum vocabula. Clauditur intus columba, strepunt accipitres foris, certant singuli qui prædam primus inuadat. At illa manibus ad cælum leuatis, quasi ad domum venisset orationis, non ad libidinis diuerforium: Christe, inquit, qui domuisti Danieli virgini feros leones, potes etiam domare hominum feras mentes. Chaldæis rorauit ignis: Iudæis se vnda suspendit misericordia tua, non natura sua. Susanna ad supplicium genu fixit, & de adulteris triumphauit. Aruit dextera quæ templi tui dona violabat, nunc templum ipsum attrectatur tuum, ne patiaris incestum sacrilegij, qui non passus es furtum. Benedicatur & nunc nomen tuum, ut quæ ad adulterium veni, virgo discedam. Vix compleuerat precem, & ecce vir militis specie terribilis irrupit. Quemadmodum cum virgo ut vidit, tremuit, cui populus tremens cessit: Sed non illa immemor lectionis: Et Daniel, inquit, supplicium Susannæ, spectaturus aduenerat: & quam populus damnauit, vnus absoluit. Potest & in hoc lupi habitu ouis latere. Habet & Christus milites suos, qui etiam legiones habet. Aut fortasse percussor intrauit, ne vereare anima, talis solet martyres facere. O virgo, fides tua te saluam fecit. Cui miles: Ne quæso paucas soror. Frater huc veni saluare animam, non perdere. Serua me, ut ipsa serueris. Quasi adulter ingressus, si vis martyr egrediar. Vestimenta mutemus, conueniunt mihi tua, & mea tibi, sed vtraque Christo. Tua vestis me verum militem facit, mea te virginem: Bene tu vestieris, ego melius exuar, ut me persecutor agnoscat. Sume habitum qui abscondat sceminam, trade qui consecret martyrem. Induere chlamydem quæ occultet membra virginis, seruet pudorem. Sume pileum qui tegat crines, abscondat ora. Solent erubescere qui lupanar intrauerint. Sanè cum egressa fueris, ne respicias retrò, memor vxoris Loth, quæ naturam suam, quia impudicos licet castis oculis respexit, amisit. Nec vereare ne quid peccet sacrificio. Ego pro te hostiam Deo reddo, tu pro me militem Christo, habens bonam militiam castitatis, quæ stipendius militat sempiternis, loricam iustitiæ, quæ spiritali munimine corpus includat: scutum fidei, quo vulnus repellas, galeam salutis. Ibi

enim est præsidium nostræ salutis, vbi Christus est: quoniam mulieris caput vir, virginis Christus. Et intra hæc verba chlamydem exiit, suspectus tamen adhuc habitus & persecutoris & adulteri. Virgo ceruicem, chlamydem cœpit miles offerre. Quæ pompa illa, quæ gratia, cum in lupanari de martyrio certarent? Addantur personæ, miles & virgo, hoc est, dissimiles inter se natura, sed Dei miseratione conformes, ut compleatur oraculum, Tunc lupi, & agni simul pascentur. Ecce agna & lupo non solum pascentur simul, sed etiam immolantur. Quid plura? Mutato habitu euolat puella de laqueo, iam non suis alis, utpote quæ spiritalibus ferebatur: & (quod nulla vnquam viderit secula) egreditur de lupanari virgo, sed Christi. At illi qui videbāt oculis & non videbāt, seu raptores ad agnæ, lupi fremere ad prædam. Vnus qui erat immodestior, introiuit. Sed vbi haufit oculis rei textum: Quid hoc, inquit, est? puella ingressa est, vir videtur. Ecce non fabulosum illud, cerua pro virgine, sed quod verum est, miles ex virgine. At etiam audieram & non credideram, quod aquas Christus in vina conuertit, iam mutare cœpit & sexus. Recedamus hinc dum adhuc qui fuimus sumus. Nūquid & ipse mutatus sum, qui aliud cerno quam credo? Ad lupanar veni, cerno vadimonium: & tamen mutatus egrediar, pudicus exibo, qui adulter intraui. Indicio rei, quia debebatur tanto corona victori, damnatus est pro virgine qui pro virgine comprehensus est. Ita de lupanari non solum virgo, sed etiam martyres exierunt. Fertur puella ad locum supplicij cucurrisse, certasse ambo de nece, cum ille diceret: Ego sum iussus occidi, te absoluit sententia, quando me tenuit. At illa clamare cœpit: Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optaui. Si pudor quaritur, manet nexus: si sanguis exposcitur, fideiussor non desidero, habeo vnde dissoluam. In me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Certè si pecuniæ te fideiussorem dedissem, & absente me iudex tuum censum sceneratori adiudicasset, eadem me sententia conuenires, meo patrimonio soluerem tuos nexus: si recusarem, quis me indignam morte censeret? Quanto maior est capitis huius vsura? Moriar innocens, ne moriar nocens. Nihil hic mediū est, hodie aut rea ero tui sanguinis, aut martyr mei. Si citò redij, quis me audeat excludere? Si moram feci, quis audeat absolueret? Plus legibus debeo rea non solum fugæ meæ, sed etiam cædis alienæ. Sufficiunt membra morti, quæ non sufficiebant iniuriæ. Est in virgine vulnere locus, qui non erat contumeliæ. Ego opprobrium declinaui, non martyrium tibi cessi. Vestem non professionem mutaui. Quod si mihi præripis mortem, non redemisti me, sed circumuenisti. Caue ne quæso contendas, caue ne contradicere audeas. Noli eripere beneficium quod dedisti. Dum mihi hanc sententiam negas, illam restituisti superiori: sententia enim sententia superiore mutatur. Si posterior me non tenet, superior tenet. Possumus vterque satisfacere sententiæ, si me prius patiaris poenam. In te non habent aliam quam exerceant poenam, in virgine obnoxius pudor est. Itaque gloriosior eris, si videaris de adultera martyrem fecisse, quam de martyre adulteram reddidisse. Quid expectatis? Duo contenderunt, & ambo vicerunt:

nec diuisa est corona, sed addita. Ita sancti martyres inuicem sibi beneficia conferentes, altera principiu martyrio dedit, alter dedit effectum. At etiam Philo-
 sophorum gymnasia Damonem & Pythiam Pythagoros in coelum ferunt, quorum vnus cum esset morti adiudicatus, commendandorum suorum tempus poposcit. Tyrannus autem astutissimus, quod reperiri non posse existimaret, petiuit vt sponso-
 rem daret qui pro se feriretur, si ipse faceret mora. Quid de duobus praclarus, nescio: vtrumque praclaru. Alter mortis vadem inuenit, alter se obtulit. Itaque cum reus moram supplicio faceret, fideiussor vultu
 fereno mortem non recusauit. Cum duceretur, amicus reuersus est, ceruicem substituit, colla subiecit. Tunc admiratus tyrannus chariorem Philo-
 sophis amicitiam quam vitam fuisse, petiuit vt ipse ab his quos damnauerat, in amicitiam reciperetur. Tanta virtutis est gratia, vt & tyrannum inclinaret. Digna laude, sed minora nostris: nam illic ambo viri, hic vna virgo, quae primò etiam sexum vinceret. Illi amici, isti incogniti: illi tyranno vni se obtulerunt, isti tyrannis pluribus, hoc etiam crudelioribus, quod ille pepercit, isti occiderunt. Inter illos in vno obnoxia necessitas, in his amborum voluntas libera. Hoc quoque isti prudentiores, quod illis studij sui finis amicitiae gratia, istis corona martyrij: illi enim certauerunt hominibus, isti Deo. Et quoniam rei istius fecimus mentionem par est contexere quid de diis suis senserit, quo magis infirmos iudicetis, quos irridet sui. Namque is cum venisset in templum Iouis, amictum aureum quo operiebatur simulachru eius, detrahi iussit, imponi lanceum, dicens, aurum huius frigidum, aestate onerosum esse. Sic Deum irrisit suum, vt nec onus ferre posse, nec frigus putaret: item cum Aesculapij barbam vidisset auream, tolli imperauit, incongruum esse appellans vt filius barbam haberet, cum Apollo pater eius adhuc non haberet. Item simulachris tenentibus aureas pateras ademit, allegans accipere se debere quod dii darent: Quoniam haec sunt vota, inquit, hominum, vt a diis quae bona sunt adipiscamur. Nihil autem auro melius: quod tamen si malum est, habere deos non debere. Si malum non est, habere magis homines debere qui vti scirent. Ita ludibrio habitus sunt, vt neque Iupiter vestem suam defendere potuerit, nec barbam Aesculapius, nec Apollo pubescere adhuc coeperit, neque omnes qui dicuntur dii retrahere potuerit pateras quas tenebant, non tam fur-
 ti reatum timentes quam sensum non habentes. Quis igitur eos colat, qui nec defendere se quasi dii, nec abscondere quasi homines possunt? At in templo Dei, nonne cum Hieroboam rex sceleratissimus dona quae pater eius posuerat auferret, ac super sanctu altare libaret idolis, dextera eius qua tetendit aruit, nec sua ei quae inuocabat idola profuerunt. Deinde conuersus ad Dominum rogauit veniam, statimque manus eius quae aruerat sacrilegio, sanata est religio-
 ne. Tam maturum in vno & misericordiae diuinae & indignationis exemplum extitit, vt sacrificanti subito dextera adimeretur, poenitenti venia daretur. Hec

ego vobis sancte virgines nondum triennalis sacerdos munuscula parauit, licet vsu indoctus, sed vestris edoctus moribus. Quantus etenim adolescere vsus potuit, in tanta parua initiatae religionis aetate? Si quos hic flores cernitis, de vestrae vitae collectos legite sinu. Non sunt haec praeccepta virginibus, sed de virginibus exempla. Vestrae virtutis effigiem nostra depinxit oratio, vestrae grauitatis imaginem quasi in speculo quodam sermonis istius cernitis resulgere. Vos si quam nostro gratiam inhalastis ingenio, vestru est quicquid iste redolet liber. Et quonia quot homines, tot sententiae, si quid defecatum est in sermone nostro, omnes legant: si quid decoctum, maturiores probent: si quid modestum, peccatoribus inhaereat, genas pingat: si quid florulentum, atas florulenta non improbet. Debuimus sponsum citare amorem. Scriptum est enim: Diliges Dominum Deum tuum. Debuimus in nuptiis calamistris quibusdam crines saltem orationis ornare. Scriptum est enim: Plaudite manu, & percutite pede. Debuimus perpetuos spargere thalamos rosas: Etiam & in his coniugijs temporalibus nubenti prius plauditur, quam imperatur: ne ante dura offendant imperia, quam blanditijs amor fetus inolefcat. Equorum vis plausae fonitum discit amare ceruicis, ne recuset iugum. Denique prius assuescitur vei bo lasciuiae, quam verberare disciplinae. Aft vbi colla subdiderit iugo, & habena constringit, & stimulus vrget, & compares trahunt, & iugalis inuitat. Sic etiam virgo nostra debuit prius amore pio ludere, aurea thori regni caelestis fulcra mirari, in ipso vestibulo nuptiaru, & postes frodium sertis cernere coronatos, & chori strepentis interius haurire delicias, ne se prius dominico iugo timefacta subduceret, quam vocata inclinaret. Veni igitur huc a Libano sponsa, veni huc a Libano, transibis & pertransibis. Saepius enim nobis iste versiculus recantandus est, vt vel dominicis vocata verbis, sequatur, si qua non credit humanis. Hoc nos magisterium non inuenimus, sed accepimus, sic instituit mystici carminis doctrina caelestis. Osculetur me ab osculo oris sui, quia bona vbera tua super vinum, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Vnguetum exinanitum est nomen tuum. Totus iste deliciarum locus ludu sonat, plausum excitat, amorem prouocat. Ideo, inquit, adolescentulae dilexerunt te, & attraxerunt te. Retro in odore vnguentorum tuorum curramus. Induxit me rex in tabernaculum suum. Ab oculis cepit vt ad tabernaculum perueniret. Atque illa tam patiens duri laboris, exercitataeque virtutis, vt aperiat manu claustra, in agrum exeat, in castellis maneat, in principio tamen retro odorem currit vnguenti, mox cum in tabernaculum venerit, vnguentu mutatur a castellis. Denique quod euadat videre. Si murus inquit est, aedificemus super eum turres argenteas. Quae ludebat oculis, iam turres erigit, vt preciosis sanctorum turrita fastigijs, non solum hostiles frustretur incurfus, verum etiam bonorum propugnacula struat tuta meritorum.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
 MEDIOLANENSIS, DE VIRGINIBVS
 LIBER TERTIVS.



VONIAM quae habuimus digessimus superioribus libris duobus, tempus est soror sancta, ea quae mecum conferre soles, beatae memoriae Liberij praeccepta reuoluere, vt quod vir sanctior, eod sermo accedat gratior. Namque is, cum in Saluatoris natali ad Apostolum Petrum, virginittis professione, vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quae virgo posteritatem acquisiuit) atque astantibus etiam puellis Dei compluribus quae certarent inuicem de tua societate: bonas, inquit, filia nuptias desiderasti. Vides quantus ad natalem sposti tui populus conuenerit, & nemo impastus recedit? Hic est qui rogatus ad nuptias aquam in vina conuertit: in te quoque syncerum sacramentum confere-
 ret virginittis, quae prius eras obnoxia vilibus naturae materialis elementis. Hic est qui quinque panibus & duobus piscibus quatuor milia populi in deserto pavit. Sed plures pauisset, si iam tuc qui pascerentur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocauit. Sed iam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur e caelo. Hodie quidem secundum hominem homo natus ex virgine, sed ante omnia generatus ex patre, qui matrem corpore, virtute referat patre. Vnigenitus in terris, vnigenitus in caelo. Deus ex Deo, partus ex virgine. Iustitia de patre, virtus de potente, lumen ex lumine. Non impar generanti, non potestate discretus, non verbi extensione aut prolatione cofusus, aut cum patre mixtus. Sed vt a patre generationis iure distinctus sit, ipse est fraternus tuus, sine quo nec caelestia, nec marina, nec terrena consistunt. Verbum patris bonu, quod erat in principio. Habes eius aeternitatem. Et erat, inquit, apud patrem. Habes indiscretam a patre inseparabilemque virtute. Et Deus erat verbum. Habes ingenitae eius diuinitatem. De compedio enim tibi fides est haurienda. Huc filia dilige, quia bonus est. Nemo enim bonus nisi solus Deus. Si enim non dubitatur quia Deus filius, Deus autem bonus: vtique non dubitatur quia bonus filius Deus. Hunc inquam dilige. Ipse est quem pater genuit ante luciferum vt aeternu, ex vtero generauit vt filiu, ex corde eructauit vt verbu. Ipse est in quo complacuit pater: ipse est patris brachiū, quia creator est omnium. Patris sapientia, quia ex Dei ore processit. Patris virtus, quia diuinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo. Quem pater ita diligit vt in sinu portet, ad dexteram locet, vt sapientiam dicat, virtutem nouerit. Si igitur virtus Dei Christus, nunquid aliquando sine virtute Deus? Nunquid aliquando sine filio pater? Si semper vtique pater, vtique semper & filius. Perfecti ergo patris perfectus est filius: nam qui virtuti derogat, ei derogat cuius est virtus: inaequalitatem non recipit perfecta diuinitas. Dilige igitur quem pater diligit, honorifica quem honorificat pater. Qui enim non honorificat filium, non honorificat patrem: & qui

negat filium, nec patrem habet. Haec quantum ad fidem. Sed interdum etiam cum fides tuta est, iuuentus suspecta est. Modico itaque vino vtere, ne infirmitate corporis augeas, non vt voluptate excites. Incendunt enim pariter duo, vinu & adolescentia. Infrant etiam teneram aetatem ieiunia, & parsimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates. Ratio reuocet, mitiget spes, restringat metus. Nam qui moderari nescit cupiditatibus, sicut equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur. Quod aliquando iuueni ob amorem Dianae contigisse proditur. Sed poetis mendacijs coloratur fabula, vt Neptunus praelati riuallis dolore incitatur, equis dicatur furorem immisisse, quo eius magna potentia praedictur, quod iuuenem non in virtute vicit, sed fraude decepit. Vnde etiam sacrificium quotannis instaurant Dianae, vt equus ad eius immoletur aras. Quam virginem dicunt, quae (id quod etiam meretrices erubescere solent) amare potuit non amantem. Sed habeant per me licet fabulae suam auctoritatem, quasi non, licet scelestum vtrumque, minus tamen sit iuuenem amore adu-
 lterae sic flagrasse vt periret, quam duos (vt ipsi dicunt) deos de adulterio certasse: Ioue autem dolore scortantis filiae in medicum, vindicasse adulteri, quod eius curasset vulnera, qui Dianam in syluis adulterasset, venatricem sane optimam non ferarum, sed libidinum, sed ferarum etiam vt nuda, venetur. Dent igitur Neptuno dominatum furoris, vt adstruat crimen incesti amoris. Dent Dianae regnum in syluis quas incolebat, vt confirmet adulterium quod gerebat. Dent Aesculapio quod mortuum reformauerit, dummodo profiteantur quod fulminatus ipse non euaserit. Dent etiam Ioui fulmina quae non habuit, vt testificentur quae habuit opprobria. Sed a fabulis ad proposita reuertamur. Eicis quoque omnibus quae gignant membris calorem, parce vtendum puto. Carnes enim etiam aquilas volantes deponunt: in vobis quoque ales interior illa de qua legimus, Renouabitur sicut aquilae iuuentus tua: sublimis tenens, virgineo praepes volatu superfluae carnis nesciat appetentiam. Conuiuiorum deuitandae celebritates, fugiendae salutationes. Ipsas visitationes in iunioribus esse pauciores volo, si forte defendendum sit parentibus aut aequalibus. Teritur enim officijs pudor, audacia emicat, risus subrepat, modestia soluitur: dum affectatur vrbantitas interroganti non respondere, infantia: respondere, fabula est. Deesse igitur sermonem virgini, quam superesse malo: nam si mulieres etiam de rebus diuinis in ecclesia iubentur tacere, domi viros suos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornatur aetatem, taciturnitas commendat pudorem? An vero mediocre pudoris exemplum est, quod Rebecca cum veniret ad nuptias, & sponsum vidisset, velamen accepit, ne prius videretur, quam iun-

3. Reg. 12. 13.

1. Tim. 5.

Matth. 15.

1. Cor. 1.

Luc. 18.

Psal. 109. Psal. 44. Matth. 17.

Col. 2.

1. Cor. 1.

1. Cor. 5.

1. Tim. 5.

Psal. 102.

1. Cor. 14.

Gen. 24.

Genes. 29.

Prover. 10. Genes. 4.

Lucas 2.

geretur? Et utique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel? quemadmodum extorto osculo fleuit & genuit? nec flere desisset, nisi proximum cognouisset. Ita & pudoris seruauit officium, & pietatis non amisit affectum. Quod si viro dicitur virginem non consideres, ne quando scandalizet te: quid dicendum sacrae virgini, quae si amet, animo peccat: si amatur, & facta? Maxima est virtus tacendi, praesertim in ecclesia. Nulla te diuinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoueas, vocem premas. Nullum ex ore verbum quod reuocare velis, proferas, sed parcius loquedi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum. Homicidae dictum est: Peccasti, quiesce: ne peccaret amplius. Sed virgini dicendum est, quiesce ne pecces. Conseruabat enim Maria, ut legimus, omnia in corde suo quae de filio dicebantur: & tu cum legitur aliquid quo Christus aut venturus annunciat, aut venisse ostenditur, noli fabulando obstrepere, sed mentem admo- ue. An quicquam est indignius, quam oracula diuina circumstrepere ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur: circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum Gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt? Vnde illud exemplum proditur. Alexandro sacrificante Macedonum rege, puerulum barbarum qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem prodidisse gemitu, nec tacito poenam indicasse fletu: tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiae, ut naturam vinceret: atque ille non deos, qui nulli erant, sed regem timebat. Quid enim timeret eos, qui, si idem ignis eos contigisset, arsisset? Quid quod quidam in conuiuio patris adolefcens iubetur, ne meretricios amores iudicis insolentibus prodat? Et tu in ministerio Dei virgo gemitus, excreatus, tuffes, risus abstine. Quod ille in conuiuio potest, tu in ministerio Dei non potes? Vocis virginitas prima signetur, claudat ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam. Virginitatem mihi prius grauitas sua nunciet, pudore obui- o, gradu sobrio, vultu modesto, & praenuncia integritatis anteeant signa virtutis. Non satis probabilis virgo est quae requiritur cum videtur. Frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religio- sae auribus plebis obstrepent, sacerdotem Dei precepisse ut conticerent, ac reuerentiam sacrae deferrent orationi, tunc subito circumfusos strepitus quie- uisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt? Et irrationale animal per reuerentiam recognoscit, quod per naturam ignorat: hominum tantam esse immodestiam ut plerique deferre nesciant metium religioni, quod deferunt aurium voluptati? Hac tecum sanctae memoriae Liberius, quae apud alios maior verbis, apud te minora exemplis, ita omnem discipulam non solum virtute adaequasti, sed etiam aemulatione vicisti. Namque ieiunium in praecipis habemus, sed singulorum dierum. Tu autem multiplicatis noctibus ac diebus innumera tempora sine cibo transigis: & si quando rogaris ut cibum sumas, paulisper deponas codicem, respondeas illico: Non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei. Ipse epularum usus cibis obuius, ut edendi fa-

Math. 4.

stidio ieiunium desideretur, potus e fonte, fletus in prece, somnus in codice. Hac iunioribus conueni- re annis, donec mens aevi matura canesceret. Ast vbi domiti trophaeum corporis virgo sustulerit, moderandum labori, ut magistra suppari seruetur ata- ti. Citò fecundis onerata palmitibus emeritae ata- tis vitis crepat, nisi aliquando reprimatur. Eadem tamen donec adolescit exuberat, & inueterata am- putatur, ne syluiscat sarmentis, aut foetu nimio ex- inanita moriatur. Bonus agricola optimam vitem & fotu terrae cohibet, & defendit a frigore, & ne meridiano sole vratur, explorat. Agrum quoque vi- cibus exercet, vel si non paritur otiosum, diuersa al- ternat semina, mutatis ut foetibus arua requiescant. Tu quoque virgo veterana peccatoris tui colles di- uersis saltem feminibus fere: nunc alimonis medio- cribus, nunc ieiuniis parciorebus, lectione, opere, prece, ut mutatio laboris, induciae sint quietis. Non totus messes generat ager. Hinc de collibus vineta confurgunt, illinc purpurascens cernas oliuas, hic olentes rosas. Sepè etiam relictae aratri ipse validus agricola digito solum scalpit, ut florum deponat ra- dices, & asperis manibus quibus lucentes inter vi- neta fleat iuuenos, molliter ouium pressat vbera. Eo quippe melior ager, quò numerosior fructus. Ergo & tu boni agricolae exemplum secuta, non perè- nibus ieiuniis tanquam depressis vomeribus humum tuam findas. Floreat in hortis tuis rosa pudoris, liliu- mentis, & irriguum sacri sanguinis violaria bibant fontem. Vulgò hoc ferunt: Quod velis prolixè face- re, aliquando ne feceris. Debet esse aliquid quod Quadragesimae diebus addatur, sed ita, ut nihil o- stentationis causa fiat, sed religionis. Oratio quo- que nos Deo crebra commendat. Si enim Prophe- ta dicit: Septies in die laudem dixi tibi: qui regni e- rat necessitatibus occupatus, quid nos facere oportet qui legimus: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem? Certè solennes orationes cum gratiarum actione sunt deferenda, cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sum- perimus, & hora incensi, cum denique cubitum per- gimus: sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum o- ratione dominica frequenti contexas vice, vel cum euigilaueris, vel antequam corpus sopor irriget, ut te in ipso quietis exordio rerum secularium cura li- beram, diuina meditantem somnus inueniat. Deni- que etiam ille philosophiae ipsius qui nomen inue- nit, quotidie priusquam cubitum iret, tibicinem iu- bebat molliora canere, ut anxia curis secularibus corda mulceret. Sed ille, sicut is qui laterem lauat, secularia secularibus frustra cupiebat abolere. Magis enim se oblinebat luto, qui remedium a voluptate quaerebat. Nos autem terrenorum vitiorum collu- uione deterfa, ab omni inquinamento carnis men- tium interna mundemus. Symbolum quoque spe- cialiter debemus tanquam nostri signaculum cor- dis antelucanis horis quotidie recensere. Quod etià cum horremus aliquid, animo recurrendum est. Quando enim sine militiae sacramento miles in ten- torio, bellator in praelio? Iam illud quis non ad no- stram institutionem dictum intelligat, quod ait san- ctus Propheta: Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo? Nam siue

psalm. 18.

Math. 16.

Colos. 3.

Mar. 6.

psalm. 6.

Lucas 6.

Cantic. 3.

psalm. 40.

Roman. 7.

1 Tim. 11.

1 Tim. 19.

Roman. 12.

Colos. 3.

siue lectum iuxta literam intelligas, tantam, vber- tatem ostendit profundi oportere lacrymarum, ut lauetur lectus, stratum rigetur fletibus obsecran- tis, fletus enim praesentium, merces est futurorum. Quoniam beati qui fletis, ipsi enim ridebitis. Siue pro corpore accipiamus propheticum dictum, deli- cta corporis poenitentiae lacrymis abluiamus. Fecit enim sibi lectum Salomon ex lignis Libani, colum- nae eius argenteae erant, acclinatorium eius aureum, dorsum eius gemmatu stratum. Quis est iste lectus, nisi nostri corporis species? Nanque in gemmis aer specie fulgoris ostenditur, in auro ignis, aqua in ar- gento, terra per lignum: ex quibus corpus humanu quatuor constat elementis, in quo nostra recubat anima, si non aspero montium, non humi arido ex- pers quietis existat, sed sublimis a vitis ligno sulca requiescat. Vnde & David dicit: Dominus opem fe- rat illi super lectum doloris eius. Nam lectus doloris esse qui potest, cum dolere non possit qui non habet sensum? Corpus autè doloris, sicut corpus est mor- tis. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Et quoniam versiculum induximus, in quo dominici corporis fecimus mentionem: ne quem fortè perturbet legentem, quod Dominus corpus suscepit doloris, recordetur quia Lazari mor- tem doluit & fleuit, & in passione est vulneratus, at- que ex vulnere sanguis & aqua exiuit, spiritumque exhalauit. Aqua ad lauacrum, sanguis ad potum, spiritus ad resurrectionem. Vnus enim est Christus nobis spes, fides, charitas. Spes in resurrectione, fi- des in lauacro, charitas in sacramento. Tamè ut cor- pus suscepit doloris, ita etiam stratum in infirmitate versauit, quia conuertit in commodum carnis hu- manae. Nam passione infirmitas est soluta, mors re- surrectione: & tamen morere pro seculo gaudere deberis in Domino, tristes ad poenitentiam, alacres ad gratiam: licet & flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus, oportere gentium doctor saluta- ri praeeptione praescripserit. Verum qui penitus e- nodare cicatricem omnem desiderat quaestionis, ad eu- dem confugiat Apostolu. Omne enim, inquit, quod- cunque facitis in verbo aut in facto, omnia in no- mine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo patri per ipsum. Omnia ergo dicta nostra fa- ctaque referamus ad Christum, qui vitam fecit ex morte, lucem creauit ex tenebris. Namque ut cor- pus aegrotum nunc calidioribus fouetur, nunc frigi- dioribus temperatur, remediorumque mutatio si iuxta praeeptum fiat medici, salutaris est: si con- tra mandatum vsurpetur, laeueris augmentum est: ita medico nostro quicquid penditur Christo, reme- dium est: quicquid vsurpatur, incommodum. De- bet igitur bonae conscientiae mentis esse latitia, non inconditis comestationibus, non nuptialibus exci- tata symphoniis. Ibi enim intuta verecundia, ille- cebra suspecta est, vbi comes deliciarum est extre- ma saltatio. Ab hac virgines Dei procul esse deside- ro. Nemo enim, ut dixit quidam secularium doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. Quod si iuxta sapien- tiam secularem, saltationis, aut temulentia author est, aut demetia: quid diuinarum scripturarum cau- tum putamus exemplis, cum Ioannes praenuncius Christi saltatricis optione iugulatus exemplo sit,

S. Ambr. tom. 5.

plus nocuisse saltationis illecebram, quam sacrilegi furoris aemiam? Et quoniam talis viri non strictim praetereunda est recordatio, interest, ut quis, & a qui- bus, & quam ob causam, quomodo, & quo tempore sit occisus, aduertere debeamus. Ab adulteris ius- tus occiditur, & a reis in iudicem capitalis sceleris poena conuertitur. Deinde praemiu saltatricis, mors est Prophetae. Postremo, quod etiam omnes Barba- ri horrere consueverunt, inter epulas atque conuiuia consummandae crudelitatis profertur edictum. Et a conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obsequium. Quanta in vno facinore sunt crimina? Extruitur regifico luxu ferale conuiuium, & explorato quando maior solito turba conuenerit, reginae filia intimis mandata secretis, in conspectum virorum saltatura produci- tur. Quid enim potuit filia de adultera matre disce- re, nisi damnus pudoris? An quicquam est tam pro- num ad libidines, quam inconditis motibus ea quae vel natura abscondit, vel disciplina velauit, mem- brorum operta nudare, ludere oculis, rotare ceruicem comam spargere? Merito inde in iniuriam diuinita- tis proceditur. Quid enim ibi verecundiae potest esse vbi saltatur, strepitur, concrepatur? Tunc rex, inquit, delectatus dixit puellae, ut peteret de rege quod vellet. Deinde iurauit, quod vel dimidium regni si petisset, concederet. Vide quemadmodum seculares ipsi de secularibus suis iudicent potesta- tibus, ut pro saltatione etiam regna donentur. Puel- la autem admonita a matre sua, poposcit afferri sibi in disco caput Ioannis. Quod dicit, Rex contrista- tus est: non poenitentia regis, sed confessio iniquita- tis est, quam diuinae habet consuetudo sententiae, ut qui gesserunt impia, ipsi propria confessione se dam- nent. Sed propter discumbentes, inquit: Quid in- dignius quam ut homicidium fieri iuberet, ne discumbentibus displiceret? Et propter ius, inquit, iu- randum: O religionem nouam: tolerabilius peccas- set. Vnde non immerito Dominus in Euangelio iu- bet non esse iurandum, ne sit causa periurij, ne sit necessitas delinquendi. Itaque ne iurandum vio- laretur, percutitur innocens. Quid prius horrescam nescio. Tolerabiliora periuria quam sacramenta sunt tyrannorum. Quis non cum e conuiuio ad car- cerem cursari videret, putaret Prophetam iussum esse dimitti? Quis, inquam, cum audisset natalem esse Herodis, solenne conuiuium, puellae optionem eligedi quod vellet datum, missum ad Ioannem ob- solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cu de- litiis? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad po- nam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali praeepto, quo non cuperet vel absolui: perimitur gladio, ca- put eius offertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo infatiata epulis feritas vesceretur. Intuere rex acerbissime tuo spectacula digna coui- uio. Porridge dexteram, ne quid sauitie tuae desit, ut in- ter digitos tuos riuus defluant sacri cruoris. Et quo- niam non exaturari epulis fames, non restingui pocu- lis potuit inaudita sauitie fitis, bibe sanguinem scatu- rietibus adhuc venis execti capitis profluentem. Cer- ne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina, non ta- mortis necessitate, quam horrore luxuria. Os aureu

Math. 5.

illud exangue, cuius sententiam ferre non poterat, G conticescit, & adhuc timetur. Lingua tamen, quæ solet etiam post mortem officium seruare uiuentis, palpitante licet motu damnabat incestum. Portabatur hoc caput ad Herodiadem, lætatur, exultat, quasi crimen euaserit, quia iudicem trucidauit. Quid dicitis vos sanctæ foeminae? Videtis quid docere, quid etiã dedocere filias debeatis? Saltet, sed adulteræ filia. Quæ verò pudica est, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationē. Vos autem graues & prudentes viri, discite detestabiliū hominum epulas euitare. Talia sunt conuiuia, qualia iudicia perfidorū. Iam ad finē orationis vela pādenti bene suggeris soror sancta, quid super eorum meritis existimandum sit, qui se precipitauerunt ex alto, vel in fluuiū demerserunt, ne persecutorū inciderent manus, cū scriptura diuina vim sibi Christianū prohibeat inferre. Et quidē de virginibus in necessitate custodiae cōstitutis enodem habemus assertionem, cū martyrij extet exēplum. Sancta Pelagia apud Antiochiam quondam fuit, annorum ferè quindecim, soror virginum, & ipsa virgo. Hæc primo domi classico persecutionis inclusa, cū se à prædonibus fidei vel pudoris circumfederi videret, absente matre, & sororibus, vacua præsidio, sed Deo plenior: quid agimus, inquit, nisi prospicias captiua virginitas? Et votum est, & metus est mori, quia mors non excipitur, sed adsciscitur. Moriamur scilicet, vel si nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides ableuat. Certè si vim ipsam nominis cogitemus, quæ vis voluntaria: illa magis est vis mori velle, nec posse. Nec difficultatē veremur. Quis enim est qui vult mori, & non possit, cū sint ad mortem tam procliuēs viæ? Iam enim sacrilegas aras præcipitata subuertam, & accensos focos cruore restinguam. Non timeo ne dextera deficiens non peragat ictum, nec pectus se dolore subducat. Nullum peccatum carni relinquam, non verebor ne desit gladius. Possumus mori nostris armis, possumus mori sine carnificis beneficio. Matris in gremio fertur ornasse caput, nuptialem induisse vestem, vt non ad mortem ire diceret, sed ad sponsū. Ast vbi detestadi persecutores creptam sibi viderunt prædam pudoris, matrem & forores cœperunt quærere. Verum illæ spirituali volatu iam campum castitatis tenebant, cū subito hinc persecutoribus imminētibus, inde torrente fluuio exclusæ à fuga, inclusæ ad coronam, quid veremur? inquit. Ecce aqua, quis nos baptizari prohibet? Et hoc baptismus est, quo peccata donantur, regna quæruntur. Et hoc baptismus est, post quod nemo delinquit. Excipiat nos aqua quæ regenerare consuevit. Excipiat nos aqua quæ virgines facit. Excipiat nos aqua quæ cœlum aperit, infirmos tegit, mortem abscondit, martyres reddit. Te rerum conditor precamur Deus, ne examinata spiritu corpora vel vnda dispergat, ne mors separet funera, quarum vitam nō separauit affectus, sed sit vna constantia, vna mors, vna etiam sepultura. Hæc effata, & suspensæ paululum, incincto sinu quo pudorē tegerent, nec gressum impedirent, consertis manibus tanquam choros ducerent, in mediū progrediuntur alueum, vbi vnda torrentior, vbi profundum abruptius, illò vestigia dirigentes. Nul-

la pedem retulit, nulla suspendit incessum, nulla tētauit vbi gressum figeret, anxie cum terra occurreret, offensa vado, læta profundo. Videres piam matrem stringentem nodo manus, gaudere de pignore, timere de casu, ne sibi filias vel fluctus auferret. Has tibi, inquit, hostias Christe immolo, præfules castitatis, duces itineris, comites passionis. Sed quis iure miretur tantam viuentibus fuisse constantiam, cū etiam defunctę immobilem stationem corporum vindicauerint? Non cadauera vnda nudauit, nō rapidi cūrsus flumine volutarunt. Quin etiam sancta mater licet sensu carens pietatis, tamen adhuc seruabat amplexum: & religiosum quę strinxerat nodum, nec morte laxabat: vt quæ religioni debitum soluerat, pietate hærede mereretur. Nam quas ad martyrium iunxerat, vsque ad tumulum vindicabat. Sed quid alienigenis apud te soror vtor exemplis, quam hæreditariæ castitatis inspirata successio, parentis infusione martyris erudiuit? Vnde enim didicisti, quæ non habuisti vnde disceres, constituta in agro, nulla socia virgine, nullo informata doctore? Non ergo discipulam (quod fieri sine magistro non potest,) sed hæredem virtutis egisti. Qui enim fieri posset, vt sancta Soteris tibi non esset mentis author, cui author est generis, quæ persecutionis ætate feruilibus quoque cōtumeliis ad fastigium passionis euecta, etiam vultum ipsum qui inter cruciatus totius corporis liber esse consuevit iniuriæ, & spectare potius tormenta quàm perpeti, carnifici dedit: tam fortis & patiens, vt cū teneras pœnæ offerret genas, prius carnifex cædendo deficeret, quàm martyr iniuriæ cederet. Non vultum inflexit, non ora conuertit, non gemitum, non lachrymam dedit. Denique cū cætera pœnarum genera vicisset, gladium quem quærebat inuenit. Nobile apud veteres Salomonis illud fertur fuisse iudicium, cum à duabus litigantibus mulieribus interpellatus esset: quarum altera conuersa per somnum cū infantem oppressisset suum, postulabat alienum. Altera veri amoris conscia, & culpæ nescia, filium iure propriū vindicabat. Vtraque igitur perseveranter nitente, cognitoris hæsit intentio. Non enim poterat Salomon arbiter esse interioris arcani, cū petentis vtriusque mens esset occultior. Euentu conuentus ambiguus macharam promi iussit, mandatōque ministris quo simularent triste ministerium, diuidi iussit infantem, vt singulæ mulieres singulas partes adipiscerentur. Quo audito, illa quæ petebat alienum, nō solum acquieuit, sed etiam diuisionem paruuli depoposcit, nullo affectu * conuenta materno. Illa quæ suum sciebat infantem, non vinci metuens sed orbari, nec iam solatio proprio, sed pignori suo consulens, orate ocepit, vt incolumis magis puer traderetur alienæ, quàm sectus in partes matri propriæ redderetur. Vnde Salomon qui non maiestate diuina, sed argumētis vt homo interiorem interrogabat affectum, illi potius iudicauit paruulum esse reddendum, quàm veram matrem dolor proprius prodidisset. Illam verò quam morituri paruuli misericordia non mouebat, exortem pronunciauit esse naturæ, quam exortem vidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationē alterius fluctuauit. Diūque etiam bona mater euentu hæsit ambiguo

1. Cor. 10.

Matth. 10.

Luc. 3.

Ebr. 4.

Indic. 11.

3. Reg. 3.

* comm.

Gen. 22.

ambiguo, dum iudicij periclitatur incerto. Hæc licet in figura superioribus sint facta temporibus, scripta sunt tamen ad correptionem nostram, vt intelligamus prodi omnia posse quæ facta sunt, & omnia composita reuelari. Duæ igitur istæ, quoniam propositum est nobis hoc loco non tractare de mulieribus: Duæ, in quâ, istę, fides est atque tentatio. Tentatio, in quâ, communis ab initio author erroris, quę postquã posteritatem suam carnalis vitio conuersationis, & somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machæra Christi latentes distinguat affectus. Quę est hæc machæra Christi? Illa de qua scriptū est: Gladium veni mittere in terrā. Est enim gladius de quo scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce. Verbum, inquit, acutum & validum, & penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque, & medullarum. Bonus gladius verbum Dei, bonus gladius, vtpote scrutator cordis, & renis, qui mendacium à veritate discernat, atque eos quorum animam pertransierit, non interficiat, sed referuet. Hæc igitur de regnorum dicta sint libro assumpta de causa, de historia recensita, de cōscientia vsurpata, & fide prompta. Nunc decursæ ex libro Iudicum inspiciamus seriem lectionis. Non enim ociosis parricidium fuit auribus audiendum. Itaque repetamus historiam. Iepthe iudex Iudæorū fuit. Is euentu belli consiliatus ambiguo, præliorūque veritus incerta, votum vouit huiusmodi, si aduersarios depulisset, vt quicquid ei primum intra domus suæ limen occurrisset, hostiam immolaret Deo suorum præfiliū triumphorū. Itaque bello positus, fufisque hostibus domum rediit: cui in ipso vestibulo filia memor pietatis, ignara oblationis occurrit. Sed recordatus illic pater, & propriæ sponsonis admonitus, ingemuit soluendi muneris sponsones. Heu me, inquit, filia, perdidisti me. Ego enim aperui os meum de te ad Dominū. Tum illa: O pater, si in me aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi ita vt exiit de ore tuo. Duorum tamen tantum mensium inducias postulauit, donec in montē ascenderet, & super virginitatē suam fletet. Deinde duobus post exactis mensibus remeavit ad patrem. Votum ille compleuit. His enim verbis vtendum est, quando scriptura diuina effectum rei non prodidit, sed refugit parricidij mentionem. Quid igitur hoc probamus? Minimè verò gentium. Sed tamen etsi parricidium non probo, aduerto præuaricandæ metum, & formidinē sponsonis. Denique ad Abraham dictum est, Nunc scio quia amas Dominum Deum tuum, quia nō pepercisti vnico filio tuo. Habes igitur indicium quo docetur præuaricandum temerè non esse promissum. Verum Deo parricidium non probari, in eadē asseritur lectione, cū pro filio ouis subiicitur, vt ipsa potius quàm filius feriretur. Habuit igitur Iephte quod sequeretur exemplum, quia Dominus sanguine non delectaretur humano. In vno enim oraculo ad Abraham præpto docuit filiorum salutem religionis obsequio posthabendā, offerri à parentibus Deo debere filios, non debere iugulari. Certè cū hæc filia tam sollicita fuerit de pa-

tris voto, cur pater non dubitauerit de filia parricidio: & cū illa paternum caueret mendacium, iste filia non cauerit interitum? Dicet aliquis: Quæ ratione illic Deus nō permisit parricidium fieri, hinc sit passus impleri? Nunquid acceptor personarum Deus? Non, sed meritorū atque virtutū. Certè dū consilium esset ambiguum, signare debuit oraculū, quid ad præsens factū, & in reliquum conueniret exemplo. Vbi verò iam præcessisset exemplū, necessarium non iudicauit oraculū, cū facti forma veteris quid fieri oporteret ostenderit. Aut fortasse quia non vna forma meritorum, idē non vna forma factorū. Pater doluit, fleuit filia, vterque de Dei miseratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec consuluit parentis affectum. Vbi audiuit diuinitatis oraculum, non distulit sacrificiū, sed maturauit obsequium. Non dubitauit Isaac, cū imparibus sequeretur patrem passibus. Nō fleuit cū ligaretur, non dilationem poposcit, cū offerretur. Et idē misericordia largior, vbi fides promptior. Et bene non fleuit factum patris, quia risus est matris. Pro qua deuotionis exultatione ouis pro illo iussa est immolari, quia se ipse non distulerat immolandum, nec de Dei miseratione ambiguus, nec de sui deuotione sollicitus. Nemo igitur inuentus est, qui tam cruentum patris reuocaret affectum, quia omnis promissio muneris conueniebat officio. Sacrificium itaque sanguinis immolatur, & nemo est qui resistat. Sacrificium castitatis offertur, & qui prohibeat non inuenitur. Pater parricidium promissit, & soluitur. Pater integritatē filiaē vouit, & tam pia oblationis nō inuidetur affectus. Illic filia dolens sanguinem suum obtulit pro patria sponsonē. Hic tam pium promissum nec hæreditatio munere, nec propria soluitur voluntate. Quo in negotio etiam nos vocamus in culpam. Quam tandem? Quia nuptias prohibuimus illicitas: Vocent ergo in eandem culpam etiam Ioannem Baptistam. Et cum aliud nihil fortè habeamus quod probetur in nobis, hoc solum condemnatur in nobis quod probatum est in Propheta. An erubescendum protulimus authorem? Quæ vero causam aliam habuit ille martyrij, repetite animo. Causa illius passionis certè hæc fuit. Non licet, inquit, tibi eam vxorem habere. Si hoc de vxore hominis, quanto magis de virgine Deo consecrata? Si hoc dictum est regi, quanto magis dicendum est priuatis? Gratias itaque diuinitati quod hic nullus Herodes, atque vtinam nulla Hefodias. Non licuit ergo pro virginitate sermonem dicere? Et cur scriptum est: Iudicate pupillo, & iustificate viduam? Et cur scriptum est: Patris orphanorū, & iudicis viduarum? Ergo castimonie & integritati deditas deseremus, aut etiam condemnabimus? At certè ipsis gentilibus inter aras, & focos venerabilis solet esse virginitas: & in quibus nulla meritorū est pietas, nulla mentis integritas, in iis tamen carnis virginitas prædicatur. A prophanis igitur cremoniis virgines nemo prohibebit, ab ecclesia dei virginitas arcebitur? Illic coguntur quod non docentur, hic interdicitur quod non licet nō doceri. Illic præmiis reuocatur à nuptiis, hinc ad nuptias coarctabuntur iniuriis? Illic violentia fit vt capiantur, hinc fiet violentia ne profiteantur? Et potest esse patientia sacerdotum, vt non

Matth. 14.

Psal. 81.

Psal. 67.

vel morte oblata, si ita necesse est, integritatis sacrificiū vindicetur. Considerate quia virgines præ Apostolis resurrectionē Domini videre meruerūt. Certè hoc docuit hodierna quæ decursa est lectio. Nam cum in nouo monumento (sicut Ioannes dixit) corpus positum esset Domini Iesu, in suo autem monumento (sicut est secundum librum Euangelij Matthæi) posuisset Ioseph Domini corpus, obseruabāt virgines. Bene & Matthæus monumētum dixit nouum, ne ex monumēto veteri resurrexisset alius crederetur. Bene etiam secundum spiritum iusti in monumentum positum est, quia Christus à mortuis in nouo iusti resurgit affectu. Bene etiam secundum litteram alienum monumentum fuit, quia suum monumentum Dominus non quæsiuit. Habeant tumulum qui sub lege sunt mortis. Victor mortis suum tumulum non habebat. Non enim ille sepulchrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat. Vidit ergo Maria resurrectionē Domini, & prima vidit, & credidit. Vidit & Maria Magdalena, quāuis adhuc ista nutaret. Hoc loco non mediocrē aduertite quæstionē, ne sub dubitare de resurrectione Domini virgines debeatis. Videte quod meritū. Non sola carnis virginem facit, sed etiam mentis integritas. Denique Maria Magdalena Dominū prohibetur tangere, quia nutabat de resurrectionis fide. Illa igitur tangit Christum, quæ fide tangit. Magdalena autem stabat ad monumētum foris plorās. Quæ foris est, plorat: nam quæ intus est, plorare non nouit. Plorat autem quia corpus non videt Christi, & perisse putat, quia ipsa non cernit. Ergo Maria foris, sed non Petrus, non Ioannes foris. Denique illi currentes intrauerunt, & idē non plorauerunt, & gratulantes recesserunt. Illa quæ non introiuit, fleuit, non credidit, fraude sublatum putauit, nec cum angelos cerneret, credendum arbitrabatur. Et idē dicunt ei angeli: Mulier quid ploras? quem quæris? Hoc angeli dicunt, & Dominus postea iisdem verbis repetiuit, vt sciatis quia angelorum verba mandata sunt Domini. Denique eadem (vt dixi) etiam Dominus verba repetiuit, dicens: Mulier quid ploras? quem quæris? Quæ non credit, mulier est: nam qui credit, in virum perfectū resurgit, in mensurā ætatis plenitudinis Christi. Mulier, inquit, nō de sexu, sed de cunctatione conuuium est. Et bene mulier quæ nutabat, quia virgo iam crediderat. Quid ploras? hoc est, tu tibi es causa plorandi, tu tibi es author flendi, quæ es Christi incredula. Ploras quia non vides Christum, crede, & videbis. Adest Christus, nec vnquam iis à quibus quæritur deest. Quid ploras? hoc est, non lachrymis opus est, sed fide prompta, & Deo digna. Noli cogitare mortalia, & non plorabis: noli cogitare peritura, & flendi causam habere non poteris. Cur inde ploras, vnde alij gratulantur? Quem quæris? hoc est. Non vides quia adest Christus? non vides quia Christus est Dei virtus, quia Christus est Dei sapientia, quia Christus est sanctitas, quia Christus est castitas, quia Christus integritas, quia Christus natus est ex virgine, quia Christus ex patre, & apud patrem, & in patre semper, natus non factus, nec degener, sed semper verus Deus ex Deo vero? Tulerunt, inquit, Dominum de monumento, & nescio vbi posue-

runt eum. Erras mulier quæ putas ab aliis Christum de monumento esse sublatū, & non potestate propria resuscitatum. Sed nemo tulit Dei virtutem, nemo tulit Dei sapientiam, nemo tulit venerabilem castitatem. Non tollitur Christus de monumento iusti, nec de suæ virginis secreto, & piæ mentis arcano: & si qui volunt tollere, auferre non possunt. Tunc ait illi Dominus: Maria, respice ad me. Quando non credit, mulier est: quando conuerti incipit, Maria vocatur, hoc est, nomen eius accipit quæ parturit Christum. Est enim anima quæ spiritualiter parit Christum. Respice, inquit, ad me. Qui Christum respicit, emendatur: errat autem quæ Christum non videt. Et idē illa conuersa respexit, & dixit: Rabbi, quod interpretatur magister. Quæ respexit, conuertitur: quæ conuertitur, plenius intuetur: quæ videt, proficit. Et idē magistrum appellat, quem mortuum esse credebatur. Alloquitur quem putabat amissum. Noli, inquit, me tangere: hoc est, etsi correptionis tentamenta sunt, non tangit tamen Christum nutantis affectus. Noli, inquit, me tangere, hoc est, noli tangere Dei virtutem, Dei sapientiā, reuerendam integritatem, honorabilem castitatem. Sed vade ad fratres meos. Quid est aliud dicere, nisi iam noli foris flere? Vade ad electos, & ad obseruantissimos sacerdotes, & dic illis: Ascēdo ad patrem meū, & patrem vestrum, Deum meū, & Deum vestrū. Quid est aliud dicere, nisi ne mulier hinc moueas quæstionē: certè à perfectioribus quære, dicent tibi, quæ distinctio sit inter patrem meū, & patrē vestrum. Nam qui iuxta diuinā generationē pater mihi est, is iuxta adoptionem pater vester est. Patrem meum dicendo, à creaturis se Dei filius separauit. Patrem vestrum dicendo, adoptionis spiritalis gratiam designauit. Ita & Deum meum dicendo, mysterium suæ incarnationis ostendit, vt quem patrem naturaliter habet, Deum appellet propter suscepti corporis sacramentum. Deum quoque vestrum cum dicit, profectum in nobis suæ operationis ostēdit. Et verè Deus noster factus est nobis, ex quo passus est Christus, quando vt alia omittā, pro integritate seruāda mori virgines sunt paratæ. Nihil de causa, nihil de persona loquor. Vbi enim Domini gratia, ibi debet esse pax Domini. Nec quemquā publicis arguo, sed meipsum defensatum venio. Accusati enim sumus: & nisi fallor, accusatores nostri plerique de vobis sunt. Horum ego affectus redarguere malo, quàm personas prodere. Criminis autē inuidia hæc est, quia suadeo castitatem. Qui hoc nō libeter accipit, ipse se prodit. Virginitatē, inquit, doces, & persuades plurimis. Vtinam conuincerer, vtinam tanti criminis probaretur effectus. Non verer inuidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque vtinam me exemplis potius argueretis, quàm sermonibus caderetis. Sed vereor ne præuaticatores mihi apposuisse videar, qui me alienis commendat laudibus. Initiatas, inquit, sacris mysteriis, & consecratas integritati puellas nubere prohibes. Vtinam potuisssem reuocare nupturas: vtinam possem flammam nuptiale pio integritatis velamine mutare. An indignum videtur, vt sacratæ virgines à sacrosanctis altaribus non abducantur ad nuptias? Et quibus licet spōsum eligere, non licet Deū præferre? In

me ergo facti conditio mutatur, vt pro opprobrio mihi cedat quod semper spectauit ad gratiam facerdotum, iacere semina integritatis, & virginitatis studia prouocare. Quæro enim vtrum quasi improbum hoc, an quasi nouum, an quasi inutile reprehendatur? Si quasi improbū, improba ergo vota sunt omnium, improba vita est Angelorum, quam gratia resurrectionis imitatur. Qui enim non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli in cælo: qui hoc vti que reprehendit, resurrectionis vota condemnat. Itaque improbum videri non potest, quod hominibus pro præmio constitutū est. Nec potest eius rei species displicere, cuius veritas & in fructu est, & in voto. Sed esto, nō sit improbū, nunquid nouum est? Nos enim noua omnia quæ Christus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus nō docuit quod docemus, etiam nos id detestabile iudicamus. Discutiamus ergo vtrum Christus integritatem docuerit, an repudiādam putauerit? Et sunt, inquit, spadones, qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum. Est ergo præclara militia quæ regno cælorū militat. Itaque iam tūc Dominus docuit, esse debere intemerata studia castitatis. Vnde & Apostoli eā ceteris præeminere cernentes, si ita est causa, aiunt, viri cum vxore, non expedit nubere. Quo dicto & grauiora iudicauerunt onera vinculi coniugalis, & veræ integritatis gratiam prætulerunt. Sed Dominus qui sciret prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis: nō omnes, inquit, capiunt verbum istud, sed quibus datū est, hoc est, nō est communis plurimis, & vulgaris integritas, nec pro infirmitate permittitur, sed pro virtute conceditur. Denique cum dixisset: Et sunt spadones qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum: vt ostenderet hoc non mediocris esse virtutis, Qui potest, inquit, capere, capiat. Et idē post hoc verbum offeruntur pueri ad benedicendum, qui corruptelæ expertes, integritatis munus immaculata ætate seruarent. Talium enim est regnum cælorum, qui in puerilem castimoniam tanquam in naturam infantium corruptelæ ignorantia remeauerint. Est ergo etiam cælesti voce probata virginitas, dominici que expetēda præceptis. Quo loco magisterium diuinę vocis imitemur. Nam cum in superioribus coniugium memorauerit non esse soluendum nisi ex causa fornicationis, in posterioribus integritatis gratiam donūque contexuit: vt doceret non damnandas esse nuptias, sed probandas, nuptiis tamen ipsis integritatis studia præferēda. Quis enim tam auersus à vero qui nuptias damnet? Sed quis tam alienus à ratione, qui coniugij onera non sentiat? Etenim mulier innupta & virgo, cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu. Nam quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Et præter has molestias quamuis nubendo non peccet, contritionem tamē habebit carnis huiusmodi. Grauis enim partus labor est, grauis creandorum, & erudiendorum liberorum molestia. Quibus antè præscripsit, ne quis huiusmodi auerteretur iniuriis. Multæ enim in partus doloribus constitutæ, coniugio se renunciare dicunt. Multi etiam matrimonij onera non ferentes, alieno ab vxore auertuntur affectu. Et idē Apo-

stolus antè præmisit: Iunctus es vxori? noli quærere solutionem. Et bene ait: Iunctus es. Quodam enim vir & vxor nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam inuicem sibi habentis amoris adstricti sunt. Bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula: & si vincula, tamen vincula charitatis. Bonum coniugium, sed tamen à iugo tractum, & iugo mundi, vt viro potius cupiat placere, quàm Deo. Bona etiam vulnera charitatis, & osculis præferenda. Vtiliora enim vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Deniq; Petrus vulneratur, Judas osculatur. Illius oscula condemnant, hunc vulnera emēdant. Illius osculis proditiōnis * vulnera funduntur, istius lachrymis culpa lauatur. Itaque vt ostenderet sermo propheticus bona vulnera charitatis, ecclesia dicit in Canticis Canticorum: Quia vulnerata charitate ego sum. Nemo ergo vel qui coniugium elegit, reprehendat integritatem: vel qui integritatem sequitur, condemnet coniugium. Namque huius sententiæ aduersarios interpretes damnauit iam dudū ecclesia, eos scilicet qui audeāt soluere copulā coniugalem. Audite enim quid dicat sacrosancta ecclesia: Veni frater meus, exeamus in agrum, requiescimus in castellis, diluculo surgamus in vineas, videamus si floruit vitis. Multos ager fructus habet, sed ille melior est qui & fructibus redundat, & floribus. Est ergo ecclesię ager diuersis fecundus copiis. Hic cernas germina virginitatis flore vernantia, illic tanquam in campis syluæ viduitatem grauitate pollentem, alibi tanquam vberi fruge coniugij ecclesiæ fegetem replentem mundi horrea, ac veluti maritatæ vineæ fœtibz torcularia Iesu Domini redundantia, in quibus fidelis cōiugij fructus exuberat. Nec improbum igitur nec nouum integritatis est studium. Videamus ne fortè inutile iudicetur. Nonnullos enim dixisse audiui quod periit mundus, defecit genus hominum, coniugia labefactata sunt. Quæro quis tandem quæsiuit vxorem, qui non inuenit? Quando fuerint bella pro virgine? Quis vnquam pro virgine sit peremptus? De coniugiis autem ista nascuntur, vt perimatur adulter vxoris, raptor præliis appetatur. Ista reipublicæ vixor damno fuerunt. Pro virgine sacra nemo damnatus est, quia castitatem non poena cohibet, sed religio auget, fidelique conseruat. Si quis igitur putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia vbi pauca virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse maiorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis & Africana ecclesia quotannis sacrare consueuerint. Pauciores hinc homines prodeunt, quàm illic virgines consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum vsu non inutilis virginitas existimatur, præsertim cum per virginem salus venerit orbem fecundatura Romanum. Quod si quis hoc prohibet, prohibeat igitur pudicas vxores degere, quia frequentius possunt parere incontinentes. Nulla peregrinanti marito fidem seruet, ne damnum faciat prolis futuræ, & partus frequentioris amittat ætatem. Sed difficilior sit via adolescentibus ad nuptias impetrandas. Quid si fortè commodior? Quæro enim cum his aliquem habere tractatum, qui arcendæ virginitatis sententiam

gerunt: itaque qui sunt isti, discutere debemus, G
vtrum qui vxores habent, an qui non habent. Si qui
habent, timere non debent, vxores eorum iam vir-
gines esse non possunt. Si qui non habent, non sibi
iniuriam faciāt, quod eius tantum nuptias speraue-
rint, quæ nuptura non esset. An fortasse patres pro
filiarum coniunctione solliciti, molestè ferunt virgi-
nes consecrari? Nec hi quod vereantur habēt, si se-
quātur consilium. Inter paucas suæ citius eligentur.
Aiunt etiā plerique maturioris ætatis virgines esse
velandas. Neque ego abnuo, sacerdotalis esse cau-
tionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet
planè, spectet ætatē sacerdos, sed fidei vel pudoris.
Spectet & maturitatem verecundiæ, examinet gra-
uitatis caniciem, morum senectam, pudicitie annos,
animos castitatis. Tamē deinde si matris tuta custo-
dia, comitum sobria sedulitas, si hæc præsto sunt, nõ
deest virgini longæua canicies: si hæc desunt, diffe-
ratur puella moribus quàm annis: non ergo ætas re-
iicitur florentior, sed animus examinatur. At certè
Theclam non senectus sed virtus probauit. Et hinc
quid plura contexam, cum omnis ætas habilis Deo,
perfecta sit Christo? Denique non virtutem ætatis
appendicem dicimus, sed virtutis ætatem. Nec mi-
rere in adolescentulis professionem, cum legeris in
paruulis passionem. Scriptum est enim: Ex ore in-
fantium & lactentium perfecisti laudem. An dubi-
tamus, si eum vsque ad continentiam sequatur ado-
lescentia, quem vsque ad mortem confitetur infan-
tia? Et quasi incredibile putamus, si puellæ nobiles
Christum sequantur ad regnum, quem etiam pueri
sequebantur in desertum? Sicut legimus, quia satura-
rata sunt de quinque panibus quatuor milia homi-
num, exceptis, inquit, pueris & mulieribus: nolite
ergo à Christo arcere infantes, quia & ipsi pro Chri-
sti nomine subiēre martyrium: talium est enim re-
gnum cælorum. Vocat eos Dominus, & tu prohibes?
De ipsis enim Dominus ait: Sinite eos venire
ad me. Nolite adolescentulas arcere, de quibus scri-
ptum est: Propterea adolescentulæ dilexerunt te ni-
mis, & introduxerunt te in domum matris suæ. No-
lite postremò à Christi charitate etiam paruulos se-
parare, quem etiam intra matris vterum adhuc po-
siti exultatione prophetica fatebantur. In ipsis ad-
huc ecclesiæ principiis turbæ requirebant eum. Qua
ratione? Quia manus, inquit, imponēs curabat eos.
Nec tempus ad sanandum, nec locus queritur. Om-
nibus enim locis omnibusque temporibus non est
prætermittenda medicina. Intra domum Maria ab
Angelo benedicitur: intra domum Dauid vngitur
in Prophetam. Vbique Iesus curat, vbique sanat, in
itinere, in domo, in deserto. In itinere curatur quæ
fimbriam tetigit. In domo principis synagogæ filia
resuscitatur. In deserto turba sanatur. Denique sic
habes. Cum sol autem occidisset, omnes qui habe-
bant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad
eum. At ille singulis manus imponens curabat eos.
Sanabat ergo & in deserto, & occidente iam sole, &
sanabat imponens manus, vt & Deum se, & homi-
nem demonstraret. Non immeritò igitur facta iam
die turbæ requirebant eum. Vide ordinem. Sole oc-
cidente ægri deferuntur ad Christum, facta autem
die turbæ requirebant eum. Quando enim nisi per

diem quæritur Christus? Nam qui in luce ambulat,
non recedit à Christo. Itaque nox habebat adhuc
ægotantium gemitus, dies iam fidem plebis, iam
lætitiā sanatorum: vt quod scriptum est, comple-
retur: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matu-
tinum lætitiā. Quæ enim turbæ maior gratia, quàm
vt etiam in desertum locum Christum sequatur? In
quo ille docet, à perfecto abesse debere iactantiam.
Non enim sanandorum copiam, sed operum iac-
tantiam declinabat. Et nos igitur si salui esse desi-
deramus, vel si iam meremur sanitatem, procul à
luxuria, procul à lasciuia, tanquam in arido vitæ i-
stius, & ieiuno solo quadam sit corporis fugitan-
tem deliciarum Christum sequamur. Sequamur
per diem. Adest ecclesiæ dies, quem Abraham vi-
dit, & gauisus est. Sequamur ergo per diem Chri-
stum: non enim in noctibus reperitur: In cubili, in-
quit, meo, in noctibus quæsiui quem dilexit anima
mea: quæsiui eum, & non inueni eum: vocaui eum,
& non obaudiuit me. Non in foro, non in plateis
Christus reperitur. Denique nec illa eū in foro, & in
plateis potuit reperire, quæ dixit: Exurgam, ibo, &
circūibo in ciuitate, in foro, & in plateis, & quæram
quem dilexit anima mea. Quæsiui eum, & non in-
ueni eum. Vocaui eum, & non obaudiuit me. Ne-
quaquam igitur ibi quæramus Christum, vbi inue-
nire non possumus. Non est Christus circumfora-
neus. Christus enim est pax, in foro lites. Christus
iustitia est, in foro iniquitas. Christus operator est,
in foro inane ocium. Christus charitas est, in foro
obtrectatio. Christus fides est, in foro fraus atque
perfidia. Christus in ecclesia est, in foro idola. Et
vt illa vidua quam in alio perstrinximus libro, cog-
noscat non obtrectandi me locutum illa studio,
sed monendi, meque non asperum, sed sollicitum:
gratiam reconciliationis accipiat. In ecclesia vidua
iustificatur, in foro circumuenitur. Fugiamus ergo
forum, fugiamus plateas. Prudentiam autem no-
tam assume tibi, & custodias te à muliere aliena. Per
fenestram enim de domo sua in plateis prospicit.
Fugiamus plateas. Non enim iniuria tantummo-
dò est non inuenisse quem quæras, sed etiam ple-
rumque vbi non oportet quæsisse vulnus est, quæ-
sisse in domibus virorum qui sibi falsò doctorum
nomen assumunt, quæsisse procacius quàm vere-
cundius. Ergo caueamus exemplo ecclesiæ illius,
ne qui nos custodes inueniant qui circumeunt ciui-
tatem. Inuenerunt, inquit, me custodes qui circum-
eunt ciuitatem: percusserunt & vulnerauerunt me,
& tulerunt pallium meum à me custodes murorum.
Non in se filiæ, non, inquam, in se filiæ, sed in nobis
vulneratur ecclesia. Caueamus igitur ne lapsus no-
ster, vulnus ecclesiæ fiat: ne quis à nobis pallium au-
ferat, hoc est, amiētum prudentiæ, insigne patien-
tiæ, quo mollioris ambitio vestis exiuit. Qui enim
mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum
sunt. Nobis autem pallium dedit Christus, quo
Apostolos suos, & corpus suum ipse vestiuit. Quod
denique iubet te dare si quis à te tunicam petat, vt
dimittas ei & pallium, id est, insigne philosophiæ
tuæ tradas, & quasi amiētum prudentiæ tuæ eum qui
ante nudus fuerat, circumuestias. Ibi igitur filiæ
Christum quæramus, vbi quærit ecclesia, in monti-
bus

bus boni odoris, qui excelsorum sublimitate factu-
rum, suauem vitæ odorem pro meritorum vertici-
bus exhalant. Fugit enim plateas, fugit conuentus,
& strepitus fori, iuxta quod scriptum est: Fuge fra-
ternus meus, & similis efficere ceruo aut hinnulo
cerui in montes aromatum. Serpentinis enim inui-
sus colubris, effugitans canum, atque humi reptan-
tibus infestus serpentibus, nescit habitare nisi in su-
blimitate virtutum, nescit commorari nisi in talibus
Ecclesiæ filiabus quæ possunt dicere: Christi enim
bonus odor sumus Deo: sed quibusdam odor mor-
tis in mortem, in iis qui pereunt: quibusdam odor
vitæ in vitam, in iis vtique qui odorem resurrectio-
nis dominicæ viuida fide sperāt. Isti sunt aromatum
montes, qui Domini corpus Iesu acceperunt, & in
linteis cum aromatis ligauerunt. Quicūque enim
crediderunt quia Iesus mortuus est, & sepultus est,
& resurrexit: hi excelsum veræ cacumen fidei virtu-
tum fastigiis extulerūt. Vbi ergo Christus quæritur?
In pectore prudētis scilicet sacerdotis. Et quoniam
de deserto tractatus hic sumitur: vbi quærendus sit,
etiam ipse mōstrat, dicens: Ego flos campi, & lilium
conuallium, tanquam lilium in medio spinarum. Ec-
ce alius locus, in quo solet Dominus diuersari, imò
non in vno loco, sed in pluribus. Ego, inquit, flos cā-
pi: quia patentem simplicitatem puræ mentis fre-
quentat. Et lilium conuallium. Flos enim humilita-
tis est Christus, non luxuriæ, non voluptatum atque
lasciuia, sed flos simplicitatis, flos humilitatis, tan-
quam lilium in medio spinarum. Nonne inter aspe-
ritates laborum, contritionesque animorum boni
flos odoris assurgit, quia contrito corde Deus pla-
catur? Hoc est desertum filiæ, quod ducit ad regnū.
Hoc est etiam desertum quod floret vt lilium, iuxta
quod scriptum est: Lætare sterilis, & exulta desertū,
& floreat vt lilium. In hoc deserto filiæ, arbor illa
bona fructifera, quæ bonos fructus facit, incipit
brachia factorum suorum diffundere, verticem di-
uinitatis attollere. Iuxta quam nostræ ligna * syluæ
frutescant: quia sicut arbor mali inter ligna syluæ,
ita frater meus inter medium filiorum, vt vidēs hoc
Ecclesia lætetur, & gaudeat dicens: In vmbra eius
concupiui & sedi, & fructus eius dulcis in faucibus
meis. Videns, inquam, hoc Ecclesia, & fidei nostræ
iam læta successu dicat: Inducite me in domo vini,
& ordinate in me charitatem. Charitas non potest
esse sine fide. Tres enim sunt velut vades Ecclesiæ,
spes, fides, charitas. Cum spes præcesserit, fides fun-
data fuerit: ordinatur charitas, Ecclesia copulatur.
Didicisti ergo vbi Christum requiras, disce etiam
quemadmodum possis mereri, vt illic te quærat. Ex-
cita spiritum sanctum, dicens: Exurge aquilo, & ve-
ni auster, aspira hortum meum, & profluant aromata
mea. Descendat frater meus in hortum suum, &
manducet fructum pomiferarum suarum. Hortus
verbi, animæ vernantis affectus est, & in pomiferis
virtutis est fructus. Venit ergo: & siue manduces si-
ue bibas, si Christum inuocas, adest, dicens: Venitè
manducate panes meos, & bibite vinum meum: siue
etiam dormias, pulsat ad ianuam. Venit, inquam, fre-
quenter, & per prospectum mittit manum suam, sed
non semper nec ad omnes, sed ad eam animam quæ
potest dicere: Noctē exui me tunicam meam. Ete-

nim in hac seculi nocte prius tibi corporalis vitæ a-
miētus est exuendus. Exiit enim se carne Dominus,
vt pro te de dominationibus & potestatibus mundi
istius triumpharet. Quomodo induam illam? Vide
anima Deo deuota quid dicat. Sic se actus corporis
& terrenos exiit mores, vt nesciat quomodo, etiam
si velit rursus possit induere. Quomodo induam illā?
Hoc est, qua verecundia? quo pudore? qua postre-
mò memoria? Consuetudo enim boni, vsus prauitatis
veteris amisit. Laui pedes meos, quomodo in-
quinabo illos? Didicisti in Euangelio, quod pedes
lauare, fidei mysterium, humilitatis insigne sit, iuxta
quod scriptum est: Si ego laui pedes vestros Domi-
nus & magister, quantomagis vos debetis alter alteri
pedes lauare? Sed hoc ad humilitatem pertinet.
Quantum vero ad mysterium, pedes debet lauare
suos qui vult partem habere cum Christo. Si enim
non lauero, inquit, tibi pedes, non habebis partem
mecum. Cum hoc Petro dicitur, quid de nobis cen-
setur? Qui lauit igitur pedes, non necesse habet ite-
rum lauare: & ideo caueat ne inquinet eos. Et bene
sancta Ecclesia dicit: Laui pedes meos. Non dicit,
quomodo iterum lauabo eos? sed quomodo iterum
inquinabo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita
contagij. Admonet igitur in ministerio corporali,
quemadmodum spirituale debeamus actuum no-
strorum diluere vestigium. Itaque pedes cum semel
laueris æterni fontis irriguo, & mysterij mundaueris
sacramento, caue iterum corporeæ cupiditatis illu-
uiem, ne lutulenti actus fordibus inquinentur. Isti
sunt pedes quos Dauid lauit in spiritu, qui te docet
quemadmodum eos inquinare non possis, dicens:
Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem.
Vtique hic non corporis, sed animi intellige pedes.
Quomodo enim terrenus homo in cælo haberet
corporis pedes? Hierusalem enim, sicut Paulus te
docuit, in cælo est. Et idem te docuit quemadmo-
dum in cælo stare possis, cum dicit: Nostra autem
conuersatio in cælis est. Conuersatio morum, con-
uersatio factorum, conuersatio fidei. Quisquis sic vi-
uit, potest dicere: Frater meus misit manum suā per
prospectum, & venter meus turbatus est ad illum:
surrexi aperire fratri meo. Bonum est vt ad aduen-
tum Domini interiora turbentur. Si ad angeli ad-
uentum Maria turbata est, quantomagis ad Christi
nos turbamur aduentum? Influente quippe di-
uini, corporeus peregrinatur affectus, & vsus ille
exterioris hominis exolefcit. Et tu turbare, & tu fe-
stina. Festinantes illi agnum manducare præcipiun-
tur. Surge, aperi, ad ianuam Christus est, vestibula
domus tuæ pulsat: si aperueris, introibit, & introibit
cum patre. Nec solum cum ingressus fuerit, merce-
dem relinquit, sed etiam prius quàm ingrediatur,
mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, ad-
huc parietes domus suæ palpat, adhuc ostium quæ-
rit vbi Christus est, adhuc soluit vinculum carnis, &
corporis claustrum, adhuc Christus foris pulsat. Ma-
nus, inquit, meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei
pleni in manibus clausuræ. Quam myrrham stillant
animæ manus, nisi illam quam obtulit iustus ille Ni-
codemus magister in Israël, ille qui meruit lauari
primus audire mysterium, qui attulit mixturā myr-
rhæ, & aloes quasi libras centum, & misit in corpus
A A iij

Psal. 8.

Matth. 14.

Ibidem 19.

Can. 1.

Luca 1.

Luc. 8.

Ibidem 4.

Psal.

Cantic. 2.

2. Cor. 2.

Ioan. 8.

Ioan. 19.

Cantic. 1.

Cantic. 2.

Esa. 35.

Matth. 7.

Prim. 1.

* filia.

Cantic. 2.

Cantic. 1.

Matth. 11.

Ibidem 5.

Prim. 9.

Cantic. 5.

Ioan. 13.

Psal. 121.

Philipp. 3.

Luca 1.

Exod. 12.

Cantic. 5.

Ioan. 19.

Psal. 15.

Iesu? Perfectum utique odorem fidei attulit. Hunc odorem fragrat anima quæ Christo aperire incipit: ut accipiat primum odorem dominicæ sepulturæ, & credat quia caro eius non vidit corruptionem, nec odore aliquo mortis emarcuit, sed æterni illius floris, & semper virentis odore condita surrexit. Quomodo enim poterat vel in carne marcescere, cuius nomen vnguentum exinanitum est? Exinaniuit se, ut spiraret tibi. Semper vnguentum hoc erat, sed erat apud patrem, erat in patre: olebat tantum angelis & archangelis, tanquam intra vas cœli. Aperuit os pater dicens: Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. Descendit filius, repleta sunt omnia nouo odore verbi. Eructauit cor patris verbū bonū, fragrauit filius, Spiritus sanctus exhalauit, atque per omnium corda diffudit. Diffusa est enim charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Ipse Dei filius in corpore tanquam in vase odorem primo cohibebat suum, operiens tempus: sicut ait: Dominus dat mihi linguam eruditionis, ut sciam quando oporteat me dicere sermonem. Venit hora, aperuit os, exiuit vnguentum, quando virtus exhibat de eo. Hoc vnguentum exinanitum est supra Iudæos, & collectum est à gentibus. Exinanitum in Iudæa: & redoluit in omnibus terris. Hoc vnguento vncti sunt tres pueri, & humorem iis flamma rorauit. Hoc Daniel vnctus est, & leonum ora molliuit, feritatemque permulsi. Fluit hoc vnguentum quotidie, & nunquam deficit. Accipe vas tuum virgo, & accede, ut possis hoc vnguento repleti. Accipe vnguentum æstimatum trecentis denariis, sed gratis datum, non venditum, ut omnes haberent. Gratis virgo vngere, noli contristari sicut Iudas, quia hoc vnguentum effunditur, sed conspeli te in Christum. Claude sanè vas tuum, ne vnguentum effluat. Claude integritatis clauē, loquendi verecundia, abstinentia gloriandi. Hoc quæ habet vnguentum, Christum recipit. Et ideo quæ habebat, ait: Aperui, inquit, fratri meo: frater meus transiuit. Quomodo transiuit? id est, mentis interna penetravit, sicut dictum est Mariæ: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Viuum enim verbum Dei sicut gladius acutus penetrans corporalium repagula cogitationum, cordis interna rimatur. Et tu igitur anima vna de populo, vna de plebe: neque enim Christus stupet aliqua secularium discriminatum, nec auratam vestem, aut monile preciosum, aut nobilia coruscantium gemmarum ferta miratur, quorum dispendiis sæpe lis mouetur in Ecclesia, pax fugatur. Certè tu vna de virginibus, quæ corporis tui gratiam splendore mentis illuminas. (Propior enim es quæ Ecclesiæ compareris.) Tu inquam, in cubiculo tuo, & nocturno tempore constituta, semper meditare Christum, & eius aduentum omnibus sperato momentis. Si tardare tibi videtur, exurge. Tardare videtur cum diu dormis, tardare videtur cum ab oratione vacas, tardare videtur cum vocem non excitas psalmis. Primitias vigiliarum tuarum Christo dicato, primitias actuum tuorum Christo im-

Esaiæ 49.

Rom. 5. Psal. 44.

Esaiæ 50.

Ioan. 12.

Cantic. 5.

Luca 2. Heb. 4.

G mola. Audisti in superioribus quia vocauit te dicens: Veni à Libano sponsa, veni à Libano, transibis & pertransibis à principio fidei. Transibis in seculum certatura, pertransibis ad Christum triumphatura de seculo. Audisti quia te à leonum & pardorum, id est, à spiritualium nequitiarum incurfionibus separauit. Audisti quia placet ei tuarum pulchritudo virtutum. Audisti quia vestimentorum tuorum aromata, hoc est, bonum odorem integritatis omnibus odoribus prætulit. Audisti quia hortus es clausus, suauium pomiferarum refertus fructibus. Pete igitur ut aspiret tibi Spiritus sanctus, spiret supra cubile tuum, atque odorem piæ mentis, & gratiæ spiritalis accumulet: Respondebit tibi: Ego dormiui, & cor meum vigilat. Audis vocem pulsantis ad ianuam, & dicentis: Aperi mihi soror mea, surge proxima mea, columba mea, perfecta mea, charitate proxima, simplicitate columba, virtute perfecta, quia caput meum plenum est rore. Sicut enim ros cœli nocturnas amouet siccitates, ita ros domini nostri Iesu Christi nocturnis, & secularibus tenebris æternæ vitæ stillauit humorem. Hoc est caput quod æstu mundi nesciuit ardescere. Vnde ait: Quia si in humido hoc faciunt, in arido quid faciunt? Hoc igitur caput rorat aliis, sibi abundat. Et bene abundat caput Christi, quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna deficit largitate. In hoc caput ferrum non ascendit, quod est instrumentum belli, insigne discordiæ. Nunc expecta, & vide, ros ille qualis sit, scilicet non vulgaris humoris. Cincinni autem sunt in eo guttarum noctis. Noli proxima mea accipere cincinnos corporalium capillorum. Non illa ornamenta, sed crimina sunt. Lenocinia formæ, non præcepta virtutis. Alios cincinnos Nazareus habet, in quibus ferrum non ascendit, quos nemo præcidit, qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplices crispantes virtutum nitentium gratia refulserunt. Disce in historia quales Nazareus cincinnos habeat, quos quandiu Samson habuit intactos, nunquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum virtutis amisit. Audita igitur virtute verbi, quam exueras tunicam nocte, ne quesieris quemadmodum induas eam. Offeritur enim, & frequenter offeritur per nequitiam spiritali. Quemadmodum, inquam, induas eam, obliuiscaris, & nescias: & quasi iam Dominus assistat, exors corporalium vinculorum turbata confurgas, internam orationibus præpares mentem dum surgis, ut ex humilibus ad superna contendas, & studeas fores tui cordis aperire: dum manus tuas tendis ad Christum, fidelem tua gesta spirabunt odorem. Admoue igitur manus naribus tuis, & odorem actuum tuorum indefessa ac peruigili alacritate mentis explora. Mulcebit te odor dextræ tuæ, & fragrantiam resurrectionis tua membra redolebunt, myrrham digiti tui sudabunt, hoc est, fidei veræ gratiam spiritalia gesta fragrabunt. Capis ergo virgo ex interiore tuo corpore voluptatem, & ipsa tibi dulcis, ipsa tibi suavis es, ipsa tibi (quod peccantibus sæpe contingit, non incipis displicere. Plus enim tibi placebit nuda simplicitas corporeæ fraudis exuta tegminibus. Talem te Christus desiderauit, talem te Christus elegit.

Cantic. 4.

Cantic. 5.

Luca 4.

Cantic. 5.

Luca 2.

Iudic. 16.

Cantic. 8.

Mult. 28.

elegit. Aperto itaque ingreditur ostio. Neque enim potest fallere, qui se ingressurum esse promisit. Cōplere igitur quem quæristi, accede ad ipsum, & illuminaberis: tene illum, roga ne citò abeat, obsecra ne recedat. Verbum enim Dei currit, fastidio non capitur, negligentia non tenetur. Obeat anima tua in verbo eius, & cœlestis sermonis insiste vestigio, citò enim transit. Denique quid ait illa? Quæsiui eum, & non inueni illum: vocaui eum, & non obaudiuit me. Ne putes displicere te, quæ vocasti, quæ rogasti, quæ aperuisti, quod tam citò abiit. Sinit nos sæpe tentari. Denique turbis rogantibus ne recederet, quid ait in Euangelio? Et alii ciuitatibus oportet me Euangelizare verbum Dei, quia ideo missus sum. Sed etiam si tibi ille abiisse videtur, tu rursus explora: noli iam Deo deuota illos metuendos circumforaneos intelligibiles timere custodes, noli timere eos qui circumeunt ciuitatem, noli vulnera formidare, quæ sequentibus Christum nocere non possunt. Etiam si corpus tuū, hoc est, vitam corporis tui auferant, vicinus est Christus: quem cum inueneris, vbi cum eodem commorari debes agnosce, ne fortè ante discedat. Citò enim deserit negligentes. Quis igitur te nisi sancta Ecclesia debet docere quemadmodum Christum teneas? Imò iam docuit, si quæ legis intelligas. Quam modicum, inquit: fuit cum transij ab ipsis, donec inueni quem dilexit anima mea, tenui eum, & non relinquam eum. Quibus igitur Christum tenetur? Non iniuriæ nexibus, non testium nodis, sed vinculis charitatis, mentis habenis stringitur, & animæ tenetur affectu. Si vis & tenere Christum, quære iugiter, nec pœnam metuas. Inter enim supplicia frequenter corporis, inter ipsas persecutorum manus Christus melius inuenitur. Quam modicum, inquit, fuit, cum transiui ab ipsis. Exiguo enim spacio breuique momento cum persecutorum manus euaseris, nec succubueris potestatis mundi, tibi Christus occurrit, nec te diu tētari patitur. Quæ sic Christum requirit, quæ Christum inuenit, potest dicere: Tenui eum, nec relinquam eum, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum eius quæ me concepit. Quæ est domus matris tuæ, & cubiculum eius, nisi internum tuæ secretumque naturæ? Hanc domum serua, huius domus mundato penetralia, ut cum immaculata domus fuerit, nec vllius adulterinæ conscientie sordibus inquinata, spiritalis domus in sacerdotium sanctum lapide angulari coaugmentata confurgat, & Spiritus sanctus habitet in ea. Quæ sic Christum requirit, quæ sic Christum obsecrat, non relinquitur ab eo, imò etiam frequenter reuisitur. Est enim nobiscum usque ad consummationem mundi. Ergo Christus repertus est, & tenetur, & repertus est ille qui per fenestram tuam manum misit. Quæ est fenestra nostra, nisi per quam opera Christi videmus, oculus scilicet animi, & mentis obtutus? Et ideo virgo per fenestram tuam Christus introcat, Christus manum suam mittat per fenestram, tibi veniat verbi nõ corporis amor. Si igitur per fenestram tuam manum mittit Dei verbum, vide quemadmodum fenestras tuas præpares, vide quemadmodum ab omni puluere delictorum detergere debeas. Nihil tetrum habeat, nihil adulterinum fenestra virgi-

nis. Procul stibium, & cæteras affectati nugæ decoris, procul adulterini amoris illecebras. Similis aurium causa est, quibus non suspendenda onera, non findenda vulnera, sed vnus ornatus est, audire quod proficit. Ianuam quoque tuam disce temporibus obferare nocturnis, non facillè quisquam patentem reperiat. Sponsus ipse vult clausam esse cum pulsatur. Ianua nostra os nostrum est. Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiat nisi ante pulsauerit Dei verbum. Denique ideo scriptum est: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Nec facillè aperiat os suum, ne vulgari designet alloquio. Neque de ipsis diuinis decet nisi verbo Dei interpellata respondeas. Quid tibi cum cæteris? Soli Christo loquere, soli fabulare Christo. Si enim mulieres in Ecclesia taceant, quanto magis nõ decet patere virginis ianuam, non decet viduæ patere fores? Citò insidiator pudoris obrepit, citò verbum excidit quod reuocare desideres. Si Euæ clausa fuisset ianua: nec Adam deceptus fuisset, nec respōdisset interrogata serpenti. Introiuit mors per fenestram, hoc est, per Euæ ostium. Ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremò si vbi non oportet loquaris. Clausæ sint igitur labiorum fores tuorū, & obseratum maneat vocis vestibulum, tunc fortasse referadum cum audieris Dei vocem, cum audieris Dei verbum. Tunc tibi myrrha sudabit, tunc tibi baptismatis aspirabit gratia, ut ab elementis mundi commoriare cum Christo, & cum Christo resurgas. Quid adhuc, inquit, velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quæ sunt ad corruptionem ipsorum. Corruptela enim abesse debet à castis. Itaque carnis & mundi sæpelite curam: quia cum Christo resurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est. Cum Christum quæritis, patrem Deum videtis. Christus enim in dextera Dei sedet. Sed ea quæ Christum requirit, non debet esse vulgaris, non debet esse in foro, non in plateis voce querula, gressu lubrica, facili auditu, vilis aspectu. Terrenum tibi apostolus cōfortium negat, & ultra naturæ propemodum terminos alis ad cœlum docet spiritalibus euolandum. Quæ sursum sunt, inquit, sapite, non quæ super terram. Sed quia hoc impossibile erat in hoc corporis velut claustro reclusis, & quia defunctis corporibus anima fertur ad superiora reuolare, alligata dum viuimus, quadam nostræ lege naturæ, ideo addidit: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Si abscondita est cum Christo in Deo, non appareat mundo. Christus enim mortuus est mundo, viuuit Deo. Vide nunc quemadmodum desiderari amet Christus, confabulationes non amet. Aperuit virgo illa suas fores Dei verbo: sed transiuit, inquit, & exiuit anima mea in verbo eius. Exiuit à mundo, exiuit à seculo, remansit in Christo. Quæsiui, inquit, eum, & non inueni eum. Amat enim Christus diu requiri. Inuenerunt illam custodes muros. Fortasse sunt, & alij custodes, quos magis intelligere debeamus. Est enim ciuitas quæ portas muros clausas non habet, de qua dictum est: Et portæ eius non claudentur per diem. Nox enim non erit amplius in ea, afferent gloriam & honorem gen-

Cantic. 4.

2. Cor. 14.

Hier. 9.

Colof. 2.

Colof. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Roman. 6.

Cantic. 5.

Apo. 21.

tes in illam. Illa est ergo ciuitas Hierusalem quæ in cælo est, intra quam iam quasi perfecta & immaculata seruaris. Non enim intrat in eam omne commune. Communis castitas non est, communis pudicitia non est, quæ in libro vitæ scribitur. Si igitur inuenimus ciuitatem, ingrediamur in eam, videamus lumen eius, videamus muros, videamus tribus, videamus fundamenta muralia, videamus etiam custodes murorum. Sed quomodo ingrediamur in eam? In hac ciuitate vita est, & vna est via quæ ducit ad vitam. Via ergo Christus est. Ergo Christum sequamur. Sed ipsa in cælo est ciuitas. Quomodo igitur ascendamus ad cælum, docet te Euangelista qui dicit: Et eduxit me spiritus in montem magnum & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cælo. Ascendamus ergo spiritu, quia caro ascendere ad eam non potest. Ascendamus nos interim ad cælum, vt ad nos postea de cælo illa descendat, in qua lumen est simile lapidis preciosissimi, vt lapidis iaspidis & crystalli. Habet murum magnum & altum. Didicisti lumen, didicisti murum: disce portas, disce custodes. Habet, inquit, portas duodecim, & in portis angelos duodecim, in quibus duodecim tribuum filiorum Israël super scripta sunt nomina. In portis patriarcharum nomina continentur, in muro Apostolorum. Fundamenta enim ciuitatis apostoli, & lapis angularis est Christus, in quo omnis structura confurgit. Deus extra, Deus intus, Deus vbique est. Habet enim, inquit, ciuitas maiestatem Dei. Ergo & vos sanctæ virgines, & quicumque iusti estis, & immaculatam animæ geritis castitatem, ciues sanctorum estis, & domestici Dei. Sed tunc nobilitatem istam patriæ possidebitis, si Christum intra ciuitatis huius septa quæritis, ingressi per fidem, actusque preciosos patriarcharum, clarificati lumine, fundati super Apostolos, versantes inter angelos. Quomodo igitur isti custodes angeli sunt, qui castæ animæ pallium tollunt? Aliud pallium virginum est, aliud adolescentiæ circumforanæ. Illa quæ in foro Christum requirit, pallium etiam quod habebat amisit. Prudentia enim non in foro & in plateis, sed in Ecclesia possidetur. Et fortasse, vt cum ipsis quoque veniamus in gratiam, atque omnium misericordem Deum esse doceamus, quia & illi Christum aliquando reperiunt, si tamen iugiter quærant: pallium hoc amictus corporis est. Ergo qui quæsiuit in cubili Christum, si tamen sic quæsiuit, sicut ille qui dixit: Sic memor fui tui super stratum meum. Si quæsiuit iuxta quod scriptum est: In noctibus extollite manus vestras in sancta. Si quæsiuit in ciuitate, in foro, & in plateis, in ciuitate Dei nostri. In foro fortasse in quo iudex ille diuini iuris sedet. In plateis vnde collecti sunt, qui ad cœnam dominicam conuenerunt. Potest custodientibus ciuitatem Dei angelis dum diu quærit occurrere. Quinetiam ex cœlesti custodum natura cœlestem intelligere possumus ciuitatem, cœleste forum iustitiæ sempiternæ, non viles plateas, sed fortasse in quibus superfluere fons ille consuevit, de quo scriptum est: Superfluant tibi aquæ de tuo fonte, & in plateis tuis diffundantur tuæ aquæ. Qui sic ergo Christum requirit, ad angelos peruenit. Sed si bonis ad angelos meritis peruenitur: cur qui peruenit

vulneratur? Est & gladius bonus, cuius gladij bonum vulnus. Vulnerat Dei verbum, sed non vlcerat. Est vulnus boni amoris, sunt vulnera charitatis. Ideoque dixit: Vulnerata charitatis ego sum. Quæ perfecta est, vulneratæ charitatis est. Bona sunt igitur verbi vulnera, bona sunt amantis vulnera. Vtiliora enim vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Vulneratæ charitatis Rebecca est, quæ derelictis parentibus migravit ad sponsum, vulneratæ charitatis Rachel, quæ zelauit sororem, amauit maritum. Sorori enim quod abundaret filiis, ipsa adhuc sterilis inuidebat, quia typum gerebat Ecclesiæ, cui dicitur: Lætare sterilis quæ non paris: erumpe, & clama quæ non parturis. Inuenerunt ergo custodes, & vulnerauerunt eam, & tulerunt ei pallium, hoc est actus corporales: inuolucrum sustulerunt, vt nuda mentis simplicitas quæreret Christum: quia nemo potest amictu vestitus philosophiæ, in habitu scilicet sapientiæ secularis Christum videre. Et bene tollitur ei amictus philosophiæ, ne quis eam per philosophiam deprædetur. Bene tollitur ei pallium quæ ad Christum propinquat, vt Deum visura mundo corde gradiatur. Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt. Denique vbi mundauit cor, verbum repetit, Deum vidit. Quære ergo illum virgo, Imò quæramus omnes: anima enim sexum non habet. Sed ideo fortasse scemineum nomen accepit, quod eam violentior æstus corporis angit. Ipsa autem impetus carnis amore sui molli quadam, & blanda ratione demulcet. Ergo orationibus, & obsecrationibus Deum inuitare debemus, vt quasi bonus auster afflare dignetur, verbi que nobis auram cœlestis aspiret, quæ fructiferas arbores non turbare veni-
Kto graui, sed leni spiramine statûque molli consuevit agitare. Vnde scriptum est: Posuit me currus Aminadab: eo quod anima nostra coniungitur corpori, vt velut quidam equorum frementium currus rectorum sui quærat aurigam. Aminadab enim pater Naafô fuit, sicut in Numeris legimus, qui erat princeps populi Iudæ. Cuius figura refertur ad Christum, qui verus populi princeps animam iusti velut currum agitator ascendens, verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim eius velut quatuor equi, quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas, timor. Quibus furribus cum cœperit agi, nequaquam se ipsa cognoscit. Corruptibile enim corpus animam grauat, & tanquam irrationabilium animalium cursus inuitam rapit, voluentibus curis velut quodam impetu proruentem, donec memoratæ corporis passiones verbi virtute mitescant. Hæc verbi tanquam boni agitatoris est prouidentia, ne illi animæ quæ in se non est morti obnoxia, corpus mortale coniunctum agitationem sui faciat esse difficilem. Primò igitur hos veloces motus corporis domitet, & nexu rationis infranet: dein caueat ne dispari motu se velut equi implicent, vt bonum aut improbus decolorer, aut tardus impediatur, aut turbidus inquietetur. Fremit enim equus maliciæ, seseque iactando curram lædit, grauat iugalem. Hunc bonus auriga demulcet & in capum veritatis mittit, fraudis declinat anfractus. Tutus ad superiora cursus est, periculosus ad inferiora descensus. Inde quasi emeriti qui bene porta-

portauerint iugum verbi, vsque ad Domini præsepe ducuntur, in quo non scœnum est esca, sed panis qui descendit è cælo. Huius currus rotæ sunt, de quibus dixit propheta: Et spiritus vitæ erat in rotis, eo quod currus animæ teres, & rotundus sine vlla offensione voluatur. Sed ne longius labamur, inuitatur Dei verbum in hortum nucis, in quo fructus prophetiæ lectionis, & sacerdotalis est gratiæ, quæ amara in tentationibus, dura in laboribus, in virtutibus interioribus fructuosa est. Vnde etiam virga Aaron nuca floruit, non iam natura sua, sed virtute secreta. Descendat ergo in hortum suum, vt vindemiet fidem, capiat odores, pabulum cœlestis reperiat, suauitatem nostri mellis epuletur, dicens: Vindemiaui myrrham meam cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo. Quod diuersarum virtutum concretum floribus, illarum apum, quæ sapientiam prædicant, consono opere congregatum, sancta Ecclesia in fauis condit, vt cibus Christi sit. Omnia igitur habemus in Christo, omnis anima accedat ad eum, siue corporalibus ægra peccatis, siue clauis quibusdam secularis cupiditatis infixæ, siue imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, siue multis aliqua sit iam perfecta virtutibus, omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si grauaris iniquitate, iustitia est. Si auxilio indiges, virtus est. Si mortem times, vita est. Si cælum desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est. Gustate igitur & videte, quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo. Sperauit in eo illa quæ fluxu sanguinis laborabat, & continuo sanata est: sed quia fidelis accessit: & tu cum fide filia vel simbriam eius attinge. Iam secularium fluxus volutatam modo torrentis exundans, verbi salutaris calore siccabitur, si tum fide accedas tamen, si pari deuotione diuini sermonis extremam saltem simbriam comprehendas, si tremens procidas ante Domini pedes. Vbi sunt pedes verbi, nisi vbi est corpus Christi? O thesauris omnibus opulentior fides. O virtutibus corporis omnibus fides fortior. O medicis omnibus salutarior. Simul vt accessit mulier, virtutem sensit, medicinam impetrauit: vt si oculus lumini admoueas, illuminatur antequam sentias, & operatio lucis præuenit apparatus. Passio inueterata, passio immedicabilis, quæ & artis omnem vicerat excogitationem, & pecuniarum subministrationem, solo simbriæ curatur actu. Illius igitur scemine tibi virgo, & in adeundo seruanda verecundia, & in fide imitanda deuotio est. Quanta verò illa gratia, quod ea quæ videri erubescerat, vitium tamen non erubuit confiteri? Noli ergo lapsus occultare tuos, fatere quod ille iâ nouit, noli erubescere quod non erubuerunt propheta. Audi Hieremiam dicentem: Sana me domine & sanabor. Sic & illa dixit cum tangeret simbriam: Sana me Domine, & sanabor: salua me Domine, & salua bor, quia gloria mea tu es. Sola enim sana est, quam tu sanaueris. Siquis tamen tibi dicat, (quia sic plerunque tentantur fideles,) Vbi est verbum Domini? veniat. Dicitum est enim de Domino: Descendat nunc de cruce, & credimus ei: confidit in Deo,

liberet nunc cum si vult. Si quis ergo tibi insultando hoc dixerit, & te in fabulas voluerit euocare, noli respondere ei. Noluit enim talibus respondere Christus. Solum Christum interroga. Illis enim si dixeris, non credent: si interrogaueris, non respondebunt tibi. Dic soli verbo: Non laboraui sequens post te, & diem hominis non concupiui. Hoc dixit illa mulier, & stetit sanguis. Quauis fatigata, quauis ægra quæ diu quæsierat Christum, dixit tamen: Non laboraui sequens post te. Neque enim laborat quæ Christum sequitur, cum laborantes ad se vt requiescant euocet. Ergo ipsum sequamur. Quandiu ipsum sequimur, non laboramus: quia non est labor in Iacob. Et in Esaia: Qui expectant Dominum current, & non laborabunt. Deinde cum quæreret Christus, quis tetigisset eum, nonne tibi videtur illa dixisse, quid interrogas? Domine tu fcis, quæ prodeunt per labia mea, ante faciem tuam sunt. Et ideo non confundor peccata propria confiteri. Confundantur qui persequuntur me, & non confundar ego. Non confusus est Petrus dicere: Exi à me Domine, quia peccator sum ego. Vir enim sapiens & grauis, in quo esset Ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius sibi esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentu. Et ideo: Exi inquit, à me Domine. Non rogat vt deseratur, sed ne infletur. Paulus quoque carnis stimulo gloriatur, quod sibi ne extolleretur, prouisum est. Illecebrosa iactantia est, quam etiam Paulus veretur. Lubrica, quæ etiam in Paulo cauetur. Sed non iste facili mobilis casu, qui reuelationibus timebat extolli. Et ideo quasi fortis athleta lætatur, quod vulnere corporis emere didicerat animæ sanitatem. Ergo & tu si munera diuina superfluere in te, & redundare cognoueris, tuam metire virtutem, gratiam Deo reddere, contemplationemque corporis, velut nauis saburram suscipe, ne te in tantis mundi fluctibus iactantia alicuius aura circumferat. Apes illa sapiens cum aëris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per inania se librat nubila, ne leue alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Paulus & Barnabas putauerunt se grauari, cum cernerent se adorari. Et tu caue virgo illius apiculæ modo ne alarum tuarum volatum aura mundi huius extollat. Habet enim anima volatus suos. Et ideo dictum est: Qui sunt isti qui sicut nubes volant, & sicut columbæ cum pullis suis? Habet ergo anima spirituales volatus, quæ breui momento totum percurrit orbem. Liberæ enim sunt cogitationes prudentium. Quanto ad altiora, & diuiniora se subrigunt, tantò magis sine villo terrenæ molis impedimento feruntur. Itaque adhærēs Deo, & imaginis in se referens cœlestis effigiem, vbi cursus suos ab equorum perturbatione placidauerit, in illum æthereum purumque locum plausu spiritualium euecta pennarum despicit omnia, quæ in hoc mundo sunt, & æternis intenta virtutibus supra mundum labitur. Supra mundum enim iustitia est, supra mundum charitas, supra mundum castitas, supra mundum bonitas, supra mundum est sapientia: & si in hoc mundo sit, supra mundum tamen est. Supra mundum erat iustitia, cum omnia regna mundi & vniuersam eius gloriam diabolus offerret. Supra mundum fuit, quæ de

Ioan. 14.

Apocal. 21.

Ephes. 2.

Psalm. 62.
Psalm. 113.

Luca 14.

Pruerb. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Galat. 4.

Cantic. 5.

Cantic. 5.

Colos. 3.

Matth. 5.

Psalm. 33.

Matth. 5.

Sap. 9.

Hier. 17.

Ezech. 1.

Matth. 27.

Hier. 17.

Esaia 40.

Hier. 17.

Luca 5.

2. Cor. 12.

Actuum 14.

Esaia 60.

Matth. 4.

Ioan. 14. 1. Cor. 6.

Ioan. 15.

Ibidem. 17.

Ezech. 1.

mundum nihil attigit. Denique ait: Venit huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Discite ergo in hoc mundo supra mundum esse: & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. Supra mundum est ille qui tollit Deum in corpore suo. Sed Deum imitari non possumus, imitemur Apostolos quos mundus odio habuit, quia non erant de hoc mundo. Hos imitare, hos sequere. Sed arduum putashumana virtute supra mundum ascendere. Bene affertis: Nam & Apostoli non quasi confortes, sed quasi discipuli sequendo Dominum supra mundum esse meruerunt. Et tu esto Christi discipula, Christi æmula: & pro te rogat, qui pro illis rogauit. Non enim pro Apostolis tantum, inquit, rogo, sed & pro iis qui credent per sermonem eorum in me, ut omnes vnum sint. Vnum igitur nos esse vult Dominus, ut supra mundum simus omnes, ut vna sit castitas, vna voluntas, vna bonitas, vna gratia. His enim alitur, & augetur anima volatus. Ergo non pigrescamus deferere terrena. Ea est enim natura pennarum, ut agitando se virtutem capiat: eo iuuatur volatus, quo anima delectatur. Quæ si semper Deum sequatur, atque in domo Domini habitare desideret, & eius delectatione pascatur, ac miraculis virtutum alatur celestium: foris relinquet inuidiam, quæ extra chorum est angelorum, foris cupiditates corporis, quæ templum Dei maculare non debent. Et ideo quoniam templum Dei sumus, materiales à nobis sollicitudines abdicemus. Ac ne forte philosophica alicui aut poetica vsurpasse videamur, ut currus, equos, alas animæ diceremus, quæ illi magis assumpserunt de nostris: domesticis nos vsos subsidiis, prophetica series lectionis ostendit, quæ in hunc modum à sancto Ezechiele scripta est: Et facta est illic super me manus Domini, & vidi, & ecce spiritus vrgens veniebat ab aquilone, & nubes magna erat in eo, & ignis refulgens, & lumen in eo, & in medio sicut lumen electri in medio ignis, & lumen in eo, & in medio sicut similitudo quatuor animalium. Vides igitur animalia iam quatuor esse descripta. Cuiusmodi sint animalia ista, debemus aduertere. Similitudo, inquit, vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris illorum quatuor, & facies vituli à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor, & alæ eorum extensæ. Hic quoque animam describi accepimus, cuius quatuor animalia, quatuor affectiones sunt, sed non ita ut illæ quas supra descripsimus. Adhuc enim illæ erudiuntur animæ, processumque accipiunt, hæc iam perfecta describitur. Denique illæ inuitantur ad cælum, hæc in cælo est cum Dei verbo. Habet autem quatuor affectiones, id est similitudini hominis, leonis, vituli, & aquilæ comparandas. Quas formas librorum Euangelicorum proprietate accepimus figuratas. Et ideo hic quoque in homine rationalis, in leone impetibilis, in vitulo concupiscibilis, in aquila visibilis, per figuras animalium species affectionis expressa est. Nam in omni sapiente viro prudentes Græciæ esse memorauerunt, λογιστικοί, θυμικοί, βίβημιμητικοί, διορατικοί. Latini verò prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque iustitiam. Prudentia enim rationis humanæ est. Fortitudo vim quandam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum. Temperantia sacratæ vin-

culo charitatis, mysteriorumque contemplatione celestium negligit corporis voluptates. Iustitia in alto quodam suggestu locata videt exploratque omnia: quæ aliis potius nata quam sibi, non tam suas utilitates quam publica emolumenta rimatur. Meritoque anima operata iustitiam, formam aquilæ accipit, quod terrena defugiens, totaque celesti sublimis & intenta mysterio, resurrectionis gloriam precio æquitatis adipiscitur. Propter quod ad eam dictum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Est ergo & iuxta David, alis spiritualibus anima fulta, quam eousque volucrum nobis voluit declarare, ut alibi quoque diceret: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Et alibi: in Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montes sicut passer? Habet igitur alas anima suas, quibus se possit libera leuare de terris. Alarum autem remigium non materialis compago pennarum, sed continuus ordo bonorum factorum est: qualis ille dominicus, cui benedicitur: In vmbra alarum tuarum sperabo. Non solum enim manus Domini affixæ cruci in modum volantis extensæ, sed etiam facta celestia, velut vmbra refrigerante salutis æternæ, mundi feruentis incendia temperant. Ergo quia volandi nobis data est copia, excitet in se vnusquisque gratiam Dei, ac posteriora obliuiscens, priora appetens, ad destinata contendat. Procul à militiæ honoribus, procul ab æstibus mundi: ne quod fabulæ ferunt, æstu solis cera resoluta Icareos volatus penna relabente destituat. Nam licet grauitas dictorum absit, poetico tamen sale declarare voluerunt, prudentium maturitati tutos volatus esse per * seculum, iuuenilem verò leuitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, refluentibus pen- nis, & per obliuia veritatis meritorum compage resoluta, maiore pernicie in terram relabi. Haud facilis volatus omnibus, difficilis etiam discordantibus in terris animalibus vitæ cursus humanæ est. At si sibi actus nostri ordo conueniat, videbit & in nobis propheta rotam illam vnâ super terram coniunctam animalibus quatuor. Videbit ergo rursus Ezechiel. Videt enim adhuc & viget, & vigebit. Videbit, inquam, totam in medio rotæ super terram sine offensione labentem. Rota enim super terram, vita est corporis ad animæ aptata virtutem, & ad Euangelicum coherentem cursu formata præceptum. Rota autem in medio rotæ, veluti vita intra vitam: quod sanctorum sibi vita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis: vel quod in hac vita corporis, vitæ voluatur vsus æternæ. Cum ista congruerint, tunc diuina vox resultet, tunc super similitudinem throni, similitudo sicut species hominis apparebit. Hic homo, verbum est: quia verbum caro factum est. Hic homo nostrorum est agitator animalium, nostrorum rector est morum, qui pro nostrorum ratione meritorum, aut currum plerunque aut montem ascendit aut nauem, sed nauem in qua aut Apostoli nauigant, aut piscatur Petrus. Nec enim vilis est nauis quæ ducitur in altum, hoc est, ab incredulis separatur. Cur enim nauis eligitur in qua Christus sedeat, turba doceatur, nisi quia nauis Ecclesia est quæ pleno dominicæ crucis velo sancti

Psal. 110.

Psal. 110.

Psal. 55.

Ibidem.

Math. 4.

Ioan. 4.

Luc. 1.

Roma. 11.

Psal. 76.

Math. 15.

Ibidem. 12.

Ioan. 1.

Luc. 5.

Luc. 5.

Math. 13.

Ibidem.

flatu spiritus in hoc bene nauigat mundo? In hac naui piscatur Petrus, & nunc retibus, nunc hamo piscari iubetur. Grande mysterium. Spiritualis enim videtur esse piscatio, qua doctrinæ hamum mittere iubetur in seculum, ut primum illum martyrem Stephanum de mari verrat, qui censum Christi in interioribus contineret. Martyr enim Christi, thesaurus ecclesiæ. Martyr igitur ille qui de mari cælum primum ascendit, captus à Petro, minister altaris, non reti, sed hamo leuatus, ut riuo sui sanguinis eleuaretur. Cuius in ore thesaurus erat, cum Christum in confessione loqueretur. Qui enim thesaurus in nobis est, nisi Dei verbum? Ergo & de retibus & hamo piscatur perfectior, ut reti concludat, hamo adurat. Sed reti turba concluditur, hamo singularis eligitur. O si mihi liceret illum hamum vorare, qui adureret os meum, & leui daret salutem vulnere. Intrate igitur filiæ in apostolorum retia, quæ non hominis autoritate, sed Dei voce laxantur. Rete enim sapientiæ spiritualis atque doctrinæ regnū cælorum est, quia scriptum est: Simile est regnū cælorum reti misso in mare. Audistis hodie dicentem Dominum Iesum Simoni: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Antè non ducebat in altum Petrus, quando piscabatur in stagno. Et si mare erat, altum non erat. Altum mare scriptura nescit. Quid ergo sit altum, accipe. Aqua alta, concilium in corde viri. Altum cor viri est, vbi nihil vadosum est. Duc ergo in altum disputationis tuæ fideique remigiū: duc in cor viri. Per parabolam hinc vocat ad ecclesiam Petrum, quem secundum Matthæum simplici vocauit sermone, dicens: Venite, & faciam vos piscatores hominum. Est & aliud mysterium. Duc in altum: quia antè in arena erat quando in synagoga erat, alta non erat aqua Iudææ. Denique Samaritana & puteum altum putabat, dicens: Et puteus altus est, unde mihi aquam viam habes dare? Non ergo ducere in altum poterat, quādo cum Iudæis credebatur, qui etiam de puteo aquam haurire non poterant. Ideo dicitur Petro: Duc in altum, hoc est, duc ad Christum. Altus enim Christus, de quo dicitur ad Ioannem à patre: Et tu puer propheta altissimi vocaberis. Duc ergo ad Christum. Et bene altum, in quo est altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei. Duc in altum, quia altos super altū custodiet, & exaltabit. Ibi ergo altæ aquæ vbi Christus est, hoc est, fides, altæ aquæ, quæ timent Deum, quales illæ: Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. Apud Iudæos aqua alta non erat in corde viri. Ideoque Dominus ait: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. In corde amat esse Christus. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Denique, ut scias quia de fide dicit, Duc in altum: ait Petrus: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo retia. Noctem habebat Petrus antequam Christum videret. Nondum ei venerat dies, quia veram non viderat lucem. Synagoga nox est, dies ecclesia est. Unde & Paulus dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Bona lux quæ perfidiæ excussit caliginem, fidei diem fecit. Dies factus est Petrus, dies, Paulus.

Ideoque hodie natali eorum Spiritus sanctus increpuit, dicens: Dies diei eructat verbum: hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi. Et bonus vterque dies, qui nobis verum lumen euomit. Hæc in euangelio legimus: Et fortasse in cælo hodie de nobis Christi & Petri iste sit sermo. Quotidie piscatur Petrus, quotidie ei dicit Dominus: Duc in altum. Videor mihi audire dicentem Petrum: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. Nox fuit cum pauciores ad vigilias conuenerunt. Laborat in nobis Petrus, quando nostra laborat deuotio. Laborat & Paulus. Denique audistis dicentem hodie: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Nolite facere ut pro vobis laborent Apostoli. Ergo dicunt ei: Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Nullus certè de ditioribus ieiunauit. Quibus hodie bene respondit Petrus: In timore hoc incolatus vestri tempus conuersamini, scientes quod non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi Iesu. Non ergo aurum & argentum vos liberauit, sed probatio fidei multo preciosior auro quod perit. Bonus seruus precium studet reparare Domino, quod pro se solutum est. Noli aurum parare filia, noli argentum, Non diuitiis istis te Christus redemit. Paratum habeto precium: non semper exigeris, sed semper debes. Sanguinem soluit, sanguinem debes. Ille pro te soluit, tu pro te redde. Erasmus oppignerati malo creditori, peccatis. Contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Iesus, suum pro nobis sanguinem obtulit. Sed non potes sanguinem reddere. Bonus quidem seruus debet precium suum reparare Domino suo. Sed si non potest precium reddere: vel hoc faciet, ne precio videatur indignus. Ergo & tu dignum te gere tali precio, ne veniat Christus qui te mundauit, qui te redemit: & si te in peccato inuenit, dicat tibi: Quæ utilitas in sanguine meo? Quid profeci tibi, dum descendendo in corruptionem? Sed ne mireris quomodo descendit in corruptionem: cuius caro (ut alibi scriptum est) non vidit corruptionem. Descendit quidem in locum corruptionis, qui penetrauit inferna, sed corruptionem incorruptus exclusit. Verum (ut iam ad superiora redeamus) rogate, ut & mihi dicatur: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Quis enim est qui sine Deo piscetur hanc plebem, præsertim cum tantæ tempestates & procellæ mundi huius obsistant? Sed quando vult Dominus, iubet laxare retia, & capitur multitudo piscium. Nec solum vna, sed etiam altera nauis impletur, quia plures ecclesiæ immaculata plebe complentur. Et bene accidit, quia nos laboratos Dominus sciebat, & auxilium de sociis ministravit. Adest piscator ecclesiæ Bononiensis aptus ad hoc piscandi genus. Da Domine pisces, quia dedisti adiutores. Nec tamen nostris, sed apostolicis vtimur retibus. In illos finus & quosdam apostolicarum disputationum recessus vestrum (ô filiæ) cogatur agmen. Viuificet vos Petrus filiæ, qui & pro vidua interuenit, quanto magis pro virgine? Qui diuiti viduas flere non passus, motus earum lachrymis suscitauit altricè. Viuificet

Psal. 118.

Luc. 5.

2. Cor. 11.

1. Petr. 1.

Psal. 29.

Acto. 2.

1. Corin. 7.

Matth. 19.

vos Paulus, qui vos præcepit honorari, qui ait: Bonum est si sic maneant sicut & ego. Honore prouocat, magisterio docet, inuitat exëplo. Viuificet ille, qui relictis suis omnibus secutus est Dominum: secutus est Petrus, secutus est Ioannes. Vide quid piscator etiam iste profecerit: dum in mari lucrū suum quærit, vitam inuenit omnium. Lembum deseruit, Deum repperit. Scalmum requirit, verbum inuenit. Lina laxauit, fidem vinxit. Plicauit retia, homines eleuauit. Mare spreuit, cœlum acquisiuit. Hic ergo piscator, dum ipse turbato agitur salo, mobili mētes statione nutantes fundauit in petra. Adstruamus igitur piscatoris artem frequētius, vt plenius de virtute credamus. Fuerit minister ignobilis, vt sit euangelista nobilior. Paupertate egenus, vt virtute locupletior. Vilis ad honorem videtur, sed pretiosus ad fidem. Quāto minus creditur piscatori, tantō amplius creditur, quia non sua, sed diuina sunt quæ locutus est. Obsequitur plebeia cōditio, expectationē aufert sapientiæ secularis, opinionem auget sapientiæ spiritualis. Qui legem non didicit, & quæ legis

gunt, sapit, ipse sibi lex est. Qui legem non didicit, & vltra legem loquitur, ab eo accipit à quo ipsa lex venit. Quæ tam repentina dignitas? Piscatores duo in monte Domini, vni latori legis, executori alteri cōferuntur. Videte qualis iste piscator sit. Moyses quidē terrena omnia & mundanæ sapiētiae altitudinem supergressus, vsque ad cœlum, & sidera prudentia mentis ascendit. Piscatoris istius mens non nubibus caligatur, non temporibus includitur, non mysteriis naturæ cœlestis excluditur: sed omnem corporalem materiam supergressa, verbum apud Deum vidit, & quod verbum ipsum Deus esset, aspexit. Nec obtutu carnis in Petro infirmata trepidauit, sed Dei filium etiam in homine deprehendit vt assumptio corporis ad ius diuinitatis assumptis adscita, in nomē trāfiret auctoris. Et Moyses quidem cum dicit: Et dixit Deus, & fecit Deus: patrem filiūque signauit. Sed ille nō ignorabat: ego adhuc ignorabā. Deniq; post legem populus errauit, post euangelium credidit. Magna in diuersis virtutibus Dei gratia. In illo, quia mundum descripsit: in isto, quia mūdum ignorauit.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS AD VIRGINES

EXHORTATIO.



VI ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta secum referre consueuerūt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuū, vbi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ referuauit. Apophoreta autem solent habere triūphos principum, & hæc apophoreta triumphalia sunt. Christi enim nostri principis triumphus sunt martyrum palma. Nec verò huc dirigebam iter, sed quia petitus à vobis sum, debui mecum deferre quæ aliis parabatur, ne minor ad vos venirem: vt quod in me minus est, quàm præsumebatur, in martyre plus inueniretur. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis seruus fuit antè, nunc confors & collega martyrij. Præcessit seruus vt prouideret locū: secutus est Dominus, securus quod fide seruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Passio enim serui, Domini disciplina est. Hic instituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodo enim minui potest quod Christus donauit? Egregiè & ille qui homini seruiuit, seruiendo didicit, quomodo Christo placeret. Hic tamen geminam laudem acquisiuit: in illo magisterij, in se martyrij. Certauerunt tamen inter se inuicem beneficiis, postquam æquales esse meruerunt. Hic illum ad martyrium præmisit, * iste illum accersit. Nullum ergo ad commendationem hominis conditio affert impedimentum, nec dignitas pro sapia meritum, sed fides affert. Siue seruus siue liber, omnes in Christo vnum sumus: & vnusquisq; quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. Nec seruitus derogat, nec libertas adiuuat. Vide

ad eam rem quàm nihil in conditione momenti sit. Seruus, inquit, vocatus es: nō sit tibi cura. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Vide, inquā, vim Apostoli. Plus putatur dedisse ei qui seruus, quàm ei qui liber vocatus est. Ex seruo enim libertus Christi fit, ex libero seruus. Sed nulli plus dedit, verum vtriq; æqualem mensurā diuisit. Apud Christum enim seruitus & libertas æqua lance penduntur, nec vllō discerniculo bonæ seruitutis & libertatis merita diuiduntur, quia nulla maior est dignitas quàm seruire Christo. Denique Paulus seruus Christi Iesu. Hæc enim seruitus gloriosa est, in qua gloriatur & Apostolus. An non summa gloria est, quando tali precio æstimati sumus, vt sanguine Domini redimeremur? Sed pergamus ad cætera. Cūmq; sanctus Vitalis cogere tur à persequētibus vt Christū negaret, & ille amplius profiteretur Dominū Iesum Christū, omnia tormētōrū genera in eum exercentes, vt non esset in corpore eius sine vulnere locus, orationem fudit ad Dominū, dicens: Domine Iesu Christe saluator meus, & Deus meus, iube suscipi spiritū meum: quia iam desidero vt accipiā coronā, quā angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione emisit spiritū. Sanctus verò Agricola mitior habebatur moribus, vt ab ipsis etiā inimicis diligeretur. Ideoque differebāt eius passionem. Sed hæc persecutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior, quia inuidebat martyrium. Denique vbi non acquieuit sanctus Agricola, crucifixus est, vt aduertamus illas blanditias eorum non

sedulitatis fuisse, sed fraudis. Supplicio serui, Dominum terrere voluerunt. Vertit hoc Christus in gratiam, vt martyrio serui, Dominus inuitaretur. Vtrique nomen aptum martyrio, vt designati ad martyrium ipsis vocabulis viderentur. Ille Vitalis dictus est, quasi qui contemptu istius vitæ, veram illam vitam æternam sibi haberet acquirere: Iste Agricola, qui bonos fructus spiritualis gratiæ seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritorum suorum omnium virtutumque rigaret plantaria. Sepulti autem erant, Agricola & Vitalis, in Iudæorum solo, inter ipsorum sepulchra. Iudæi ambierunt cum seruulis sepulturæ habere confortium, quorum Dominum negauerunt. Sic & aliquando Balaam dixit: Moriatur anima mea pro animis iustorum: & tamen non communicauit eorum operibus cum viueret, quorum in animis cupiebat mori. Et isti quos viuentes persecuti sunt, mortuos honorabant. Illic igitur martyr exuuias requirebamus, tanquam inter spinas rosam legentes: circumfundebamur Iudæis, cum sacræ reliquæ eueherētur. Aderat populus ecclesiæ cum plausu & lætitia. Dicebant Iudæi: Flores vixi sunt in terra, cum viderent martyres. Dicebant Christiani: tempus incisionis adest. Iam qui merit, mercedem accepit. Alij seminauerūt, & nos metimus martyrum fructus. Iterum audientes Iudæi voces plaudentis ecclesiæ, dicebant inter se: Vox turturis audita est in terra nostra. Vnde bene lectum est, Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat sciētiam. Dies diei, Christianus Christiano. Nox nocti, Iudæus Iudæo. Iudicabant ergo Iudæi quod haberent scientiam martyrum, sed non sciētiam verbi: id est, non secundum illam solius boni, & solius veri scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam, & volentes se iustificare, iustitiam Dei non receperunt. Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cuius gratiā in operibus agnoscitis. Certè & ipsi dæmones confitētur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latentibus eruant venis. Legant preciosa monilia sarta. Temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, & plura fuerunt vulnera quàm membra. Clamare autem diceret ad populū Iudæorum, E cum clauos eius colligeremus. Mitte manus tuas in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc sanctæ viduæ negare non potuimus postulatū. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua sancta est Iuliana, quæ hoc Domino templum parauit atque obtulit, quod hodie dedicamus, digna tali oblatione, quæ in sobole sua templa iam Domino pudicitiae atque integritatis sacrauit. Dum Iulianam volui dicere, Iudæam dixi. Non errauit lingua, sed desinuit. Iudæa enim est anima quæ Christum fatetur. Denique notus in Iudæa Deus, Id est, vbi agnoscebatur Deus, non vbi negabatur. Est ergo in spiritu Iudæa, vbi maior portio intellectus & syncerior: quia salus ex Iudæis est. Linguae igitur error testimonium sanctitatis inuenit. Honoremus ergo hæc viduam, quia scriptum est: Viduas honora, quæ verè viduæ sunt. Licet verborum nostrorum honorem non ambiat,

quæ apostoli mandatum adæquauerit, habens in bonis operibus testimonium, quæ bene filios educauerit, melius instituerit. Quis hanc non vt destitutam & miserabilem deplorauit, quando amisit maritum? At ista ministrum sacris ereptum altaribus amplius ingemuit, quàm sibi coniugem aut patrem filiis. Nā et si præsidio esset mariti viduata & solatio, tamen apud piā mentem causa ecclesiæ præponderabat. Succinxit itaque mentis viscera, & circumfusam se videns numero filiarum trium, & vnus filij, quo solent terri cætera, hoc fortior facta, tali filios alloquio conuenit. Filij amisistis patrem, matrem habetis. Melior quidem fuisset illa commutatio, si pater viueret, mater deesset. Tamen infirma licet & desolata ostendo vobis, si vultis sequi, quo arbitramini patrem vobis non decessisse. Habetis enim meliorem de cœlo parentem. Ille est qui & hos suffulsi patres. Quid enim aliud iam superest spei? Pater vobis fuit diues gratia, non pecunia, opulentus ministerio, non patrimonio: cuius hereditas fides est locuples Deo, sed egena seculo. Satis vos diuites reliquit, si propositum eius sequamini. Sola est fides vtrique indiscreta sexui, census virorum, dos virginum. Et tu quidem fili aliquantō propior patri, agnosce quæ matri debeas, quod domui vocabulum reddas. Etas te excusat, sed hæreditas vocat. Iocundentur fili pater & mater in te. Noli matrem contemnere quasi imprudentem. Regis admonitio, inquit, quem erudiuit mater sua. Quid seruabis fili? Dictiones Dei. Primogenite tibi dico fili. Quid filij mei vtrius? Quid natus meorum orationum? Ne dederis mulieri tuam honestatem. Audis quid Sapiens dicat, quid scriptura asserat. Considera quis te vt nasceris iuerit, filius es vtorū magis quàm dolorum meorum. Considera cui te muneri pater tali nomine designauerit qui vocauit Laurentium. Ibi vota deposuimus, inde nomen assumpsimus. Vota effectus secutus est, redde martyri quod debes martyri. Ille te nobis impetrauit, tu restitue quod de te huiusmodi nominis appellatione promissimus. Quid autem est fili aliud quod eligēdum putes, nisi Deum patrum tuorum? ipse enim pauperes & diuites facit, humiles & excelsos facit. Suscitat à terra pauperem, & de stercore inopem, & sedere eum facit cum potentatibus in tribunali honoris & hæreditatis. Dat votum optanti, & benedicet annos iusti. Quid hoc fili præcellentius, aut quid est vita hominis in hac terra, nisi leuis cursor? En transiuimus & nihil vidimus. Atque vtinam hunc cursor rem imitemur; vt nihil videremus, & nulla portarem onera. Sed quod est grauius, cursor vacuus, & onera inania. Inania quidē sed nō leuia, neq; delicti vacua: quia graue fœnus peccati est: vnde clamat sanctus Iob: Nōne tentatio est vita hominis in terra? aut sicut mercenarij quotidiani vita eius, & sicut seruus timens Dominū suum, qui vmbra inuenit, & sicut mercenarius expectās mercedē suam, sic ego expectaui in vacuū. Noctes autem dolorum daræ sunt mihi. Si dormiero, dico, quando dies cum surrexero, iterum quādo vesper? Plenus solūm dolorum à vespere vsq; mane. Vita autē mea leuior quàm fauilla. Perit autem in vana spe. Nihil igitur est homo, nisi tu Domine intendas in eum, & visitationē eius facias vsque mane,

& in requiem eum inducas. Arbor si excidatur, repullulat, & floret ab aquæ odore. Homo cum ceciderit, nihil est, ingruunt super eum dolores. Hanc igitur tentationem tantarum necessitatum, si vultis filij vitæ, integritas corporis expetenda vobis est: quam ego pro consilio suadeo non pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest. Res magis voti, quam præcepti. Quod enim gratiæ est, non iubetur, sed desideratur, electionisque magis est, quam seruitutis. Vnde & Apostolus dicit: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino. Le gerat enim dixisse Dominum spadonibus: Quicumque custodierint præcepta mea, & elegerint quæ ego volo, & amplectentur testamentum meum: dabo illis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, meliorem filiorum & filiarum, nomen æternum dabo illis, & non deficiens. Meliorem, inquit, locum vobis dabo, spadonibus dicit: iis videlicet, qui se resecta genitali parte absciderint. Ipsi sunt ergo qui habent in cælo præmia ceteris præstatiora. Hoc in euangelio suo prædicat Dei filius. Dicentibus enim Apostolis, quia si ita est causa viri, ut non liceat illi vxorem dimittere, nisi ex sola causa fornicationis, non expedit nubere, respondit Dominus: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Hoc est, non capit hoc conditionis humanæ infirmitas, ut omnibus pateat: sed illis solis facile est ad capiendum, quibus diuina refulsit gratia, ut castrare se possint, quo regnum cælorum adipiscantur. Audistis filiarum quantum sit præmium integritatis. Regnum acquirit, & regnum cæleste, vitam angelorum exhibet. Hoc vobis suadeo, quo nihil pulchrius, ut inter homines angeli sitis, qui nulla sibi ligantur nuptiali copula. Quoniam quæ non nubunt, & qui vxores non ducunt, sicut angeli in terris sunt, ut tribulationem carnis non sentiant, seruitutem ignorent, à mundana cogitationis ableuentur contagio, diuinis rebus mentem intendunt: ut tanquam exuti corporis infirmitate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei sunt, cogitent. Considerate filiarum si velitis nubere, quantum vobis desit, quibus pater deest. Deest opima dos: quod ipsum tamen si abundaret, timeretis magno precio seruitutem. Nunc verò quis non despiciat destitutas patre? Quod confugietis? Vnde auxilium postulabitis aduersus virorum iniurias? Quanta in ipsis coniugiis incommoda sunt? Quam graues plerumque contumeliæ? Quanta vincula? Primum ipsum coniugium vinculum est, quo alligatur viro nupta, & ei in subiectionem astringitur. Bonum quidem charitatis vinculum est, sed tamen vinculum: de quo cum velit se exuere nupta, non possit: nec liberum sui habere arbitrium. Denique apostolus dicit: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Et quid mirum de muliere, quando quidem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier? Si qui fortior est, potestatem non habet, quanto minus infirmior? Non ergo absoluit mulierem communis seruitus, sed grauius adstringit. Videte itaque quid scriptura dicat, quid Apostolus suadeat. Quis vobis potest melius consilium dare, quam ille vas dominicæ electionis?

Quid igitur dicat, percipite auribus: Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum. Et iterum dicit de non nuptis & viduis: Bonum est illis, si sic maneat, sicut & ego. Volo vos imitatrices esse tanti apostoli, ut vitam eius sequamini, qui coniugij vinculum refugit, ut vinculus esset Christi Iesu. Non potuisset ad tantam apostolatus sui peruenire gratiam, si fuisset alligatus coniugij contubernio. Quod si ille qui & doctrina præstantissimus erat, & tantum Christi donum habebat, iudicauit tantum momenti esse si abstineret ab vfu copulæ coniugalis, & ideo sic mansit, ne plurimum suo muneri decerperetur: quod neque orationi vacare semper liceret, neque semper diuinis intendere mandatis, quem coniugij cura reuocaret, ut placere vxori esset necesse: quid utique vos eligere oportet, quibus sola virginitas potest libertatem dare? Quoniam quæ nupsit, ad seruitutem pecunia sua venditur. Meliori conditione mancipia quam coniugia comparantur. In illis meritum emittitur seruitutis, in istis præciū ad seruitutem additur. Nupta venalis auro grauat, auro æstimatur. Experta sum filiarum labores copulæ, coniugij indignitates. Et sub bono coniuge, nec tamen sub bono marito libera fui: seruiebam viro, & laborabam placere. Mueratus est Dominus, & fecit ministrum, continuoque & mihi & vobis, raptus est. Et fortasse miserante Domino, ne diceretur maritus. Videtis filiarum longuam matrem doloribus, & adhuc immaturam viduitatis stipendiis. Videtis amissum omne præsidium & ornamentum. Nec auxilium viri habeo, nec virginitatis gratiā. Et de me leuis cura. Vos mæreo: vos cōsidero. Remiserunt mihi onera coniugij, abiere adiumenta. Quanto mallem in hos numquam venisse vfu. Potestis tamen excusare patrem, abluere matrem. Si quid in nobis amissum est, in vobis præsentetur. Hoc solo nos coniugij non pœnitebit, si vobis labor noster profecerit. Proximum putabo matrem esse virginum, ac si virginitatem tenerem. Considerate filiarum quam sibi veniens in has terras Dominus Iesus matrem elegerit, salutem mūdo daturus. Per virginem venit, & mulieris lapsus partu virginis soluit. Vestra quoque integritas meos soluat errores. Quid boni sit virginitas, considerate: destitutam me esse certum est, præsidio egere. Sed si vuleritis sic manere, nullius opem requiram, abundabit mihi ad omnem opitulationem vestræ integritatis corona. Quis non dicet beatam, quam nunc miseram putant? Quis non honorabit tot virginum matrem? Quis non venerabitur aulam pudoris? Multas fœminas scriptura diuina in lucem euexit, palmam tamen publicæ salutis solis virginibus dedit. In veteri testamento terra ac mari clausum Hebræorum populum virgo per maria pedes duxit. In euangelio authorem mundi & redemptorem virgo genuerit. Virgo est ecclesia, quam studuit Apostolus virginem castam assignare Christo. Virgo est filia Sion. Virgo est ciuitas illa Hierusalem quæ in cælo est, in quam nihil commune intrat atque immundum. Virgo est & illa quam vocat Iesus, cui & dixit: Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano, transibis & pertransibis. A principio fidei non solum transit virgo, sed etiam pertransit, quæ festinat ad sponsum. Transit seculum, pertransit ad Christum: vel

vel quia ea quæ Christo se dicauerit, transeundo ad cœlestia, terrena pertranseat. Nam & ipse sponsus sic venit ad sponsam suam, ut saliat super montes, transfiliat super colles. Addit adhuc ad laudem virginitatis: Hortus clausus soror mea sponsa, hortus clausus, fons signatus: quod meliores afferat fructus claustrum pudoris septa virginitas, in qua intemerata permaneant castitatis signacula. Hunc hortum animæ vestræ, hunc fontem seruate puri liquoris, ut eum in vobis nemo perturbet, nemo relignet, quem genitalis in vobis origo signauit. Nemo auferat animæ vestræ vineam, & vilia olera ferat. Vineam enim quidam fructus virginalis est: Coniugia velut olerum plātaria sunt, in quibus frequens zelus est: & ideo sicut olera herbarum, citò cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat senectus, aut ad perfectum vehat continentia. Non veniat ergo in vobis Achab, qui concupiscat vineam vestram delere & extinguere. Nec veniat in vobis Iezabel, vanum illud & seculare profluuium: hoc enim significatur vocabulo, vana & vacua redundantia. Sed veniat Nabuthe, qui venit à patre, sicut indicat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, & pro ea mortem offerat. Hic est qui lapidatus pro nobis est, pro nobis mortuus, pro nobis falsis appetitus testimoniis. Qui pauper huc venit, cum diues esset, ut vos eius inopia ditaremini. Hic est vitis, qui redundantibus gratiæ suæ fructibus repleuit vniuersum orbem terrarum. Hic in vestris pectoribus alta maneat defixus radice, ut & fructus vester exuberet, & liquore gratiæ spiritualis corporei vaporis incendia temperentur. Hic est qui venit in nube leui, sicut dixit propheta: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum. Significans quod in Ægyptum, id est, in afflictionem istam mundi huius veniret per virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat: leuem, quia virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij. Ipsa est virga germinans florem, quia pura & ad Dominum libero corde directa virginitas, quæ nullis in hoc seculo curarum anfractibus reflectatur. Ideo illam Dominus de cruce discipulo suo dilectissimo sibi tradidit sancto Ioanni, qui dixit patri & matri suæ, non no ui vos. Denique vocatus à Christo reliquit patrem verbum secutus. Huic traditur virgo, qui suos nesciat: huic traditur virgo, qui de pectore Christi hauriat sapientiam: huic traditur virgo, qui fratres suos non cognouit, & filios suos non sciuit. Ideoque benedicit eum lex: Date Leui veros eius, date Leui fortes eius. Vnde & matrem Domini ipse suscepit. Scriptum enim habemus, quia ex illa hora suscepit eam discipulus in sua. Quid est in sua, cum reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Aut quomodo in sua, cum ipsi apostoli dixerint: Ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes, qui mundana & secularia non habebat, quia de mūdo non erat? Quæ ergo habebat sua, nisi ea quæ à Christo acceperat: Bonus verbi sapientiæque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ apostoli à Christo acceperint: Accipite, inquit spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorum detinueritis, detenta. Neque enim mater

Domini Iesu nisi ad possessorem gratiæ demigraret, vbi Christus habebat habitaculum. Date ergo & vos filij mei vero illi Leui veros eius. Estote nubes, sed leues. Eritis profecto si abluet virginitas onera conditionis, & tenebras huius limosæ carnis illuminet. Ideo dicit illa: Nigra sum, & decora, filia Hierusalem. Nigra per carnem, decora per virginitatem. Nubes itaque sunt, & graues nubes, quæ nupsit. Namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror, Denique operiuntur & nubes, cum acceperint nupturæ velamina. Et verè graues nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonij. Nam etiam grauari aluo feruntur, cum semina conceptionis acceperint. Date ergo Leui veros eius. Quid tam verum quam intemerata virginitas, quæ signaculum pudoris & claustrum integritatis genitale custodit? At verò cum vfu coniugij iuencula defloratur, amittit quod suum est, quando ei miscetur alienum. Illud ergo verum quod nascimur, non in quod mutamur: quod à creatore accepimus, non quod de contubernio assumpsimus. Date ergo vero illi Leui, illi sacerdotum principi, vero Aaron, vero Melchisedech veros eius, quales ipse condidit, non quales seculi huius vfu efficit: ut opus suum in vobis & illud genitale signaculum inuiolatum atque integrum recognoscat. Date illi & exhibete illum Adam qui fuit ante peccatum, illam Euam quæ fuit antequam lubricum serpentis hauriret venenum, priusquam eius supplantarentur insidiis, quādo non habebant quo confunderentur. Nam utique nūc, licet bona sint coniugia, tamen habent quod inter se ipsi coniuges erubescant. Tales ergo estote filij, quales Adam & Eva in paradiso fuerunt. De quibus scriptum est, quod postea quādo de paradiso est eie ctus Adam, cognouit Euam vxorem suam, & illa concepit, & peperit filium, cui nomen Abel. Melior itaque secundus, quādo prior fructus: quia iste immaculatus, ille maculosus. Iste adhærens Deo, & totus à Domino, ille mundana & terrena possessio. Denique in isto mundi redemptio annunciat, ab illo mundi ruina. In hoc Christi sacrificium, in illo diaboli parricidium. Nihil ergo vobis sit filij cum possessione seculi, nec terrenæ vobis & Iudaicæ possessionis vllos vindicandos esse fortitus arbitremini. Legimus quidem quia Moyses, id est lex, terras bello & cæde quæsit, sorte distribuēdas Hebræorum populo censuerit, quarum possessionem sibi Salphæ filia postularunt, sed quia Salphæ filia. Tamen idem Moyses Leuitis non diuisit terram, quorum nō erat terrenus, sed superior incolatus. Sed iis sine Labore terreno sacri stipendia ministerij deputauit. Salphæ autem filia quid sunt quæ terram petunt, nisi (ut interpretatio docet) oris obumbratio? quæ utique in illis est, quibus non est verbum in ore ipsorum, nec in sermone eorum veritas: sicut in populo Iudæorum, qui nolunt Christum Deum Dei filium confiteri. Tales igitur terram requirunt, & huiusmodi postulant possessionem, in qua tota vitæ suæ ætate desident, & pro fructibus spinas curarum & solitudinum metant. Fugite ergo filiarum vmbra oris, quæ in lumē æternum creditis, quod illuminat omnem hominem, quæ non tanquam in vmbra Christi, sed in lumine consistemini. Populus qui sedebat

in umbra mortis, lux orta est illis. Fuimus ergo in umbra, sed nunc iam non sumus, qui Christum fatemur. Atque utinam licuisset & mihi dicere, qui Christo profiteremur. Et tamen profiteamur, ego viduitatem, vos virginitatem. Fiat in vobis ore ad salutem confessio. Date ergo Leui illi saluari nostro fortes eius. Sors eius Leuitica est, sors eius virginitas est, sors eius viduitas est: quoniam non solum virgo, sed etiam mulier inupta cogitat quae sunt Domini. Unde & Apostolus dixit: In quo & sorte constituti sumus. Sicut enim in veteri testamento terra forte diuisa est, ita in euangelio forte quadam Domino deputamur. Unde & scriptum est de euangelistis: diuiserunt sibi vestimenta mea, & supra vestimentum meum miserunt sortem. Et apostoli, cum eligendus esset duodecimus apostolus in locum Iudae, forte munus apostolatus deferendum arbitrati sunt. Itaque oratione facta, ut de duobus Dominus quem vellet eligeret: fors cecidit super Mathiam. Illa igitur vetus terrena sortitio, haec spiritualis. In illa census seculi materialis, in hac personalis officij. Ibi possessio curarum, hic diuisio gratiarum. Illic possidemus arua plena laboris atque molestiae, hic possidemur a Christo. Unde & sanctus Dominus dicit: Possedisti renes meos. Hic filij possideat renes vestros, ut in illis seminaria maneat castitatis, incentiua virtutum. Ideoque dicite vos Christo, confitemini ei, ut dicatis: Portio mea Dominus. Non potest hoc nupta dicere, sed inupta. Nupta enim quaerit viro suo, inupta autem Christo placere. Illa mundi, haec Christi possessio est. Christi possessio Leuita est, qui nihil sibi de terris vendicat. Qui quaerit uxorem, non potest dicere: Portio mea Dominus. Denique Christi minister quid ait? Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Hoc enim acceperat, quoniam aurum non desiderauerat. Denique missus erat sine virga, sine sacculo, sine pecunia. Et ideo gloriabatur, quia non habebat quod non acceperat. Non enim crubescere in paupertate, quem pauper redemerat. Ideoque dixit: Surge & ambula: quia legerat: Iste pauper clamauit, & Dominus exaudivit eum: Sit ergo vobis portio Dominus, Dominus qui sterilem & parientem facit. Vtranque facit, sed altera in tristitia parit, altera in sterilitate laetatur: Cui dicitur: Laetare sterilis quae non parit, erumpe & exclama quae non parturis. Habet filios sine partus dolore. Unde & dicitur de ecclesia: Quis audiuit sic parturivit terra vno die, & gens nata est simul? Vno autem die terra non parturit, sed parit gratia. Venit paschae dies, in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacrae virgines. Vno ergo die sine aliquo dolore multos filios & filias solet ecclesia parturire. Ideoque pulchre dicitur: Et gens nata est simul, de populo consecrato. Videtis mysteria, videtis gratiam Christi, gratiam Spiritus sancti, quae velut quadam sorte defertur: quoniam non ex operibus, sed ex fide vnusquisque iustificatur a Domino. Sicut enim fortis euentus non in nostra est potestate, sed quem casus attulerit: sic gratia Domini non quasi ex mercedis merito, sed quasi ex voluntate defertur. Unde & Apostolus ait de diuisionibus gratiarum, quae diuerso modo Dei seruilis deferuntur. Haec autem

1. Corin. 7. Ephes. 1.

1. Cor. 19.

1. Cor. 1.

Psal. 138.

Psal. 118.

1. Cor. 3.

Psal. 33.

1. Cor. 54.

Ibidem 66.

Galat. 3.

1. Cor. 12.

omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Prout vult, inquit, non prout debetur. Denique, & Dominus ait illis, vberior est mercedem pro opere postulantibus, & conquerentibus quod parem accepissent cum iis qui posterius aduenerat: Si ego bonus, oculus tuus quare nequam est? Date ergo filij fortes vestras ei qui ultra meritum laboris remunerationem suis donare consuevit. Date veritatem ipsius viro sancto, id est, integritatem. Ipsius enim est integritas, qui immaculatus aduenit. Veritas itaque virginitas, corruptela mendacium est. Stare ergo in corde vestro, sicut bona vinea in propagine sua. Multae enim tentationes sunt, ideoque ait scriptura: Tentauerunt eum in tentatione, & maledixerunt ei super aquam contradictionis Cades. Tetur virginitas a plerisque petitoribus. Et cum voluerit virgo perseverare, existunt qui contradicant. Contradicit petitor, & refutatus maledicit. In opprobrio esse videtur inupta vel virgo, vel vidua. Cades enim inupta est, quae est sancta corpore & spiritu, & Domino se dicauit, quae reliquit parentes, & non facit voluntatem eorum qui solent dicere: Debes nobis filia nepotes. Cades est quae filios nescit. Quod si illa diuitiis seculi praefert opprobrium Christi, quod necesse est subeat, qui quaerit Christo placere: quanto magis vos, quos pater prouocat ad integritatem, mater hortatur id sequi quod conuenit? Bonum est ergo virginitas. Denique qui iudicauit, inquit, in corde suo seruare virginem suam, benefacit: & qui non iungit, melius facit. Ille bene facit propter laqueum, hic melius facit propter vtilitatem. Illud pro remedio, istud pro praemio. Beatior autem erit quae sic manserit secundum meum consilium. Puto enim quod & ego spiritum Dei habeam. Sequimini ergo filiae consilium Apostoli, donum Spiritus sancti. Sumite ergo & vos sicut sumpsit Maria soror Moysi & Aarontympanum in manibus vestris & exite dicentes: Cantemus Domino, gloriosum enim honorificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare. Mortificate membra vestra, ut tympani modo nulla in iis lasciuia carnis exaestu, omnique flagrantiae corporalis sensus intreat. Nesciat in iis nisi in mortuis corporis voluptatibus solus spiritus resultare. Si enim mortui fueritis peccato, viuete Deo. Viuete autem si non regnet in corpore vestro mortuo vlla concupiscentia. Versate manibus vestris crucem domini Iesu, & in vestris eam operibus ableuantes, calcate mundi huius profundum, & pertransite, ut ille sicut equus adhinniens in libidinem, nullum locum inueniat in vobis, & quicumque voluerit persequens comprehendere vos, demergatur. Dextera laeuaque circa vos aquae murus sit, ut vapor omnis corporis temperetur, donec ad illos intelligibiles duodecim fontes, & septuaginta arbores palmarum, ad illam magni requiem sabbati diuina vos dignatio perducatur, & in monte hereditatis suae plantare dignetur, vbi sancta Maria choros ducit. Induite ergo filiae Dominum Iesum Christum, quaerite veram sapientiam, de qua dicit sanctus Iob: Sapientia autem unde inuenta, aut qui locus disciplinae? Abyssus dixit: Non est in me. Mare dixit: Non est mecum. Bene abyssus dixit,

Math. 28.

1. Petr. 2.

Psal. 113.

Luc. 23.

Psal. 113.

Iudicum 11.

Exod. 15.

Rom. 6.

Exod. 15.

Job 28.

1. Cor. 12.

dixit, non est in me, quia resurrexit. Non enim habet quem tenere non potuit. Denique habes in euangelio, quia angeli dixerunt mulieribus ad sepulchrum venientibus: Iesum qui crucifixus est, quaeritis: non est hic, sed surrexit. Quid est, non est hic? id est, non est in sepulchro, non est in inferis, sed in caelestibus est. Mare quoque, hoc est, seculum dicit, mundus hic dicit, non est mecum: quia supra mundum est, quem vitae humanae lapsus atque illecebra non immutauit: quia peccatum non fecit, nec est dolus inuentus in ore eius. Abyssus ergo dixit: Non est in me. Mare dixit: non est mecum. Sed caelum non dixit, quia non est apud se, quem receperat resurgentem. Paradisus non dixit: non est in me, quae regnare in se absoluto quoque latrone cognouerat, sicut ipse Dominus dixit: Hodie mecum eris in paradiso. Attrahite filiae sapientiam in interiora vestri cordis praeruptaria, quoniam ea est omniauro argentoque preciosior, quam mors nescit, quia non mortui laudant dominum, sed viuentes. Et vos igitur ut viuatis, laudate Dominum, & laudate eum diebus ac noctibus. Laudabitis autem, si ab eo nulla vos auertat cupiditas matrimonij, & cura mundi: quoniam quae coniugium sortiuntur, sollicitantur mundi huius negociis. Considerate filiae quid votis debeatis paratum. Aperuimus ad Deum os nostrum, votum est voluntas parentum. Nos orauimus, vos foluite. Quanta vis sit in votis parentum, Iepte Galaditae filia vos debet docere, quae ne frustraretur oblationem patriam, etiam mortem suam obtulit. Nam cum ille sollicitus de belli periculo voluisset, si prosperior pugnae euentus foret, id quod regredienti domum suam primo sibi occurreret, Deo se immolaturum: vbi victoria potitus est, occurrit filia laeta praeter ceteris gaudio victoriae & pietatis officio. Ingemuit pater, non affectus immemor, sed memor voti. Quaesiuit causam filia, respondit ille quid Domino promississet. Tu illa hortata est, ut promissum Deo munus impleret. Itaque incautam patris oblationem sanguine suo soluit. Haec vobis filiae sunt communia. Tu autem fili quem mihi verus Helcana, id est, Dei dedit possessio, postulatus me, petitus meus (inde enim etiam Samuel nomen accepit). Tu, inquam, impetratus meus, & votiuus meus, qui quomodo in vterum meum veneris, nescio (iam enim desperaueram sobolem sexus virilis) quem mihi vota mea, non aliqua solennis coetus secreta formarunt. Tu, inquam, fili, agnosce a quo donatus sis mihi. Ille tua ora psalauit, ille tua membra distinxit, ille mea orata suscepit, cuius templo, cuius obsequio te antequam nascereris sacraui. Non parentibus, non tibi, sed Deo natus es: cuius antequam de vulua matris exires, esse coepisti. Et omnes quidem illius sumus, sed tamen tu specialiter promissus Domino, tu redderis, quia scriptum est: Vouete & reddite Domino Deo vestro. Ego misera, ego indigna, & tamen quasi Anna promissi, ut omnibus vitae diebus ac noctibus a conspectu Domini non recedas. Ego promissi, tu exequere. Dominus sibi hostiae suae munus implebit. Haec & alia pia mater, quae postquam congruentem filiorum vidit affectum, ablactatum suum vberibus gratiae spiritualis in templum Domini deducens, conuersa ad preces: Confirmatum est, inquit, cor meum in Domino, exaltatum est cornu meum in

Math. 28.

1. Petr. 2.

Psal. 113.

Luc. 23.

Psal. 113.

Iudicum 11.

Exod. 15.

Rom. 6.

Exod. 15.

Job 28.

1. Cor. 12.

Domino. Dilatum est os meum super inimicos meos, laetor in saluari tuo: quoniam non est sanctus alius quomodo Dominus, & non est iustus quomodo Deus noster, & non est sanctus praeter te. Ista igitur ad filios mater dicit, quae simul & viduitatis in se, & integritatis in liberis titulos in domum suam intulit quasi quosdam foemineos principatus. Egregia sane foemina, quae sibi nihil reliquit: totum quod habuit, Deo obtulit: cuius vita institutio disciplinae est, & quaedam formula castitatis, bono proposito, & meliore magisterio. Exemplum enim viduitatis, & virginitatis magisterium est. Procedit in ecclesiam filiarum virginum septa comitatu, domesticum decus inuehens: & inuenit in ecclesia quod suum dicat, filium sacrarum lectionum oracula personam: ut videantur sibi sorores domi discere, cum frater auditur. Mater quoque ad imitationem caelestis exempli gaudet se proficere de filio, & omnia legentis verba pio mandat affectu, & sedulo corde conseruat. Sed quamuis nil maternis defuerit hortationibus, ego quoque vos filiae vel paucis alloquar: Quaerite Dominum Iesum, qui nos monet ut quaeramus regnum Dei, & ecce omnia, inquit, suppetent vobis. Sed malo ego vos ante meritum deferre, & sic exigere mercedem, bonae merces, sed diuini dispensator mercedis & auctor muneris. In regno merces, in Christo remunerandi potestas. Quaerite illam in scripturis diuinis, ibi Christus inuenitur: & dicite sicut illa dicebat: Annuncia mihi quem dilexit anima mea. Sed synagoga quaerebat quem amiserat, vos quaerite quem non amittatis. Sed cur synagoga dicis, quem dilexi, & non dicis, quem diligo? ideo non tenes, quia dilexiste te dicis. Cur non potius adhuc diligis, ut possis tenere? Verum illam omittamus. Tu virgo cum coeperis quaerere, adest. Neque enim fieri potest ut desit quaerentibus se, quia palam factus est non quaerentibus, & inuentus est non interrogantibus. Dum tractas & cogitas praesto est. Disce interrogare cum venerit, vbi pascat, vbi maneat, sicut illa dicebat: Vbi pascis, vbi manes in meridiano? Vbi enim Christus manet, nisi vbi iustitiae merides fulget? Ideoque sacrae scripturae docetur testimonio, qui dicit: In sole posuit tabernaculum suum. Unde & alibi idem dicit Propheta, In lumine tuo videbimus lumen. Lumen filius est: lumen & pater qui videtur in filio: quoniam filius splendor gloriae patris, & imago substantiae eius est. Sed etiam in tuo lumine virgo Christum require, in bonis cogitationibus, in bonis operibus, quae luceant coram patre tuo qui in caelis est. Quare in noctibus, quare in cubili tuo, quoniam & nocte venit & pulsat ianuam tuam. Vult enim te omnibus inuigilare momenti, vult ianuam tuae mentis patentem inuenire. Est & illa ianua quam vult patere ut aperiatur, ut resonet os tuum laudem Domini, gratiam sponsi, crucis confessionem, cum symbolum recenset, psalmos in cubiculo tuo concinis. Ergo cum venerit, vigilentem te inueniat, ut parata sis. Dormiat caro tua, vigilet fides, dormiant illecebrae corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Christi, & sepulturae odorem: ut nihil iis somnus calor infundat, nullos excitet motus. Ipsa est anima quae se Christo aperit, quam nulli vapores carnis

Math. 6.

Cantic. 1.

Psal. 118.

Psal. 55.

Heb. 1.

Math. 5.

Luc. 11.

exagitant. Cum hæc inuenerit sponsus, transibit: anima tua illum sequatur, discedat à cubili suo, exeat in verbo eius, sicut scriptum est. Exiuit anima mea in verbo tuo, id est, peregrinetur à corpore, vt Deo adsit: quoniam cum est in corpore, peregrinatur à Christo. Vnde & Apostolus ait: Audemus ergo & contendimus magis peregrinari de corpore, & adesse ad Dominum. Et ideo contendimus siue absentes, siue presentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt reportet vnus quisq; propria corporis sicut gessit, siue bonū siue malū. Quā citò causam probauit, qua corpus resurgit. Oportet enim carnē resurgere, quæ remunerationem suorum est adeptura gestorum, vt quæ in corpore gessimus, in corpore recipiamus. Vult igitur se Dominus sapius quæri: discedit, currit vt resuscitet gratiam, quam vult à te, etiam in te resuscitari: sicut habemus ad Timotheum scriptum: Propter quā causam admonco te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum. Quæ autem resuscitauerit gratiam, sit vulnerata charitatis, sicut illa dixit: quia vulnerata charitatis ego sum. Si suscitaueritis & resuscitaueritis charitatem, quid istud sit, poterimus intelligere (si repetamus) quia sagitta est Dominus Iesus, cui dicit pater: Posui te sicut sagittam electam. Et quia ipse est charitas, sunt vtique iacula charitatis, quibus vulnerat sese quærentes. Denique & alligati vinculis ipsum sequuntur, quia quos vulnerat, ligat. Ergo sunt etiam vincula charitatis, quibus ligatus est Paulus, qui ait: Paulus vinculus Iesu Christi. Vulnera autem charitatis esse, docet Iob quo nemo amplius Christum dilexit qui diligebat etiam in ipsis sui corporis cruciatibus. Vnde dicebat: Sagittæ autem Domini in meo corpore sunt, quarum furor ebibit sanguinem meum: cum cœpero loqui compungunt me. Sunt ergo charitatis vulnera, & bona vulnera. Denique meliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Hieremias quoque æstuebat, & ignem charitatis quo inflammabatur ad officium prophetandi, ferre non poterat. Denique demergebatur in lacum, quia Iudeis futura excidia annunciabat, & tacere non poterat. Lapidabatur Stephanus, & illa pro Christo vulnera quasi vulnera charitatis pio excipiebat affectu. Vapulabant apostoli, & congratulabantur. Quàm bonus est Dominus, pro quo dulces & iniuriæ sunt, & grata mors. Et bene grata, quæ acquirit immortalitatem. In omni, inquit, tēpore sint vestimenta tua candida. Quid candidius, virginitate? quid nitidius intacti vestimento pudoris? Bona quidem castitas coniugalis, & castitas viduitatis. Munda omnis castitas, sed fortè non omnis candida, aut non candida in omni tempore. Non candida, quando non habet quis sui corporis potestatem, quando ad tempus sequestratur oratio. De virginitate ergo pulchrè dicitur: In omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum in capite tuo, vt faces tuæ semper possint lucere, nec extinguantur cum cœperit sponsus ille cœlestis venire. Quam autem vnctionem in capite tuo Ecclesiastes dixerit, de Prouerbiis colligimus: quia oculi hominis in capite eius, id est, sapientiæ tuæ sensus. Ideo fortè & euangelica mulier illa laudatur, quæ

pedes Domini capellis suis terfit, quod fide se humiliauerit, ne per carnis elata sapientiam videretur, quam legi subditam verus occultorū interpres Paulus negauit, eo quod Christo subiiceretur. Et pulchrè hoc possumus intelligere etiam corporaliter: quoniam in prophetis scriptis reprehenduntur filia Sion, quod alta ceruice procederent, nutibus oculorum, & itinere pedum trahentes simul tunicas, & ludentes pedibus. Et ideo gloriam vestis earum, & ornatus earū, crines & cincinnos, Dominus ablatum esse se dicit. Rectè ista mulier sparfit capillos suos, vt nodos crinium euangelica solueret disciplina. Vnde & apostoli dixerunt: Non in plicatu capillorum, sicut Petrus docuit: neque in tortis crinibus, aut auro, & margaritis, vel veste preciosa, vt Paulus asseruit: sed magis interioris hominis ornamenta sceminis requirenda: quoniam ille absconditus cordis homo, qui est pauper seculo, ipse est locuples Deo. Audistis filia quia pauperes vos vocatis. Quis autem est homo diues, cum multis egeat, nisi ille cui non est graue peccatum in conscientia? Bona est enim, inquit, substantia, cui non est peccatum in conscientia. Audistis, inquam, in quo possitis apud Deum esse locupletes, vt sit in vobis, inquit, incorruptibilis & modestus spiritus. Bonæ enim diuitiæ sunt innocentia atque simplicitatis, quibus peccatum non imputatur, quia nulla in iis doli fraudisque verfugia est. Omnis enim simplex obtrectare nō nouit, nescit inuidere, suo cōtentus est, aliena non querit. Et si egeat, sibi diues videtur, si suppetat quod alimento est satis. Denique pulchrè apostolus Paulus: Et profunda, inquit, paupertas eorum abundauit in diuitiis simplicitatis eorum. Et qua ecclesia congruis erat ornatibus compta, & de Christo lumē recipiens refulgebat. Potest etiam sic locus ille accipi, eo quod synagoga ad ecclesiam dicat: Vbi pascis, vbi manes in meridiano: ne fortè fiam circumamicta super greges sodalium tuorum. Mercenaria esse desiderat, quæ sibi vēdicabat ante dominatum. Quàm damnosa perfidia est. Sed quia incredula, immitis, sacrilega, ideo eam à gregibus ecclesiæ suæ separat Christus, dicens: Nisi scias te ô decora in mulieribus, hoc est, prius te quæ sis ipsa cognosce, & tunc pete vt meis gregibus appropinques. Et bene in mulieribus decora dicitur synagoga, non in virginibus, quia Euam mulierem sequebatur, per quam lapsus aduenit. Ecclesia autem decora in virginibus est, quia virgo sine ruga est. Scire ergo debet siue vir siue mulier, quia ad imaginem Dei est & similitudinem. In quo enim ad imaginem Dei sumus, nisi in animæ substantia & mentis vigore? Hec nostra omnis portio. Denique David inquit: In deo sperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Nō ergo caro sumus, sed spiritus. De Iudeis autem dictum est: Non permanebit in iis spiritus meus, quia carnes sunt. Non aurum sumus, non pecunia, non diuitiarum copia. Illa enim nostra. Et ideo tibi dicit Moyses: Attende tibi, hoc est, animæ tuæ, ne peareas, ne carnalis fias. Attende tibi, hoc est, imagini quam à Christo accepisti, similitudini ad quam factus es: Ipsam serua imaginem, quam Christus in te operibus suis pinxit: sicut ipse ait ad Hierusalem, id est, ad animam pacificam: Ecce ego Hierusalem pinxi

2. Cor. 5.

2. Tim. 1.

Esaiæ 49.

ad Philem.

Iob 6.

Prouer. 27.

Hierem. 37.

Acto. 6.

Eccles. 9.

Luc. 7.

Psal. 102.

1. Petri.

1. Tim.

Eccles. 3.

2. Cor. 3.

2. Cor. 3.

Cant. 1.

ibidem 22.

Matth. 5.

Psalm. 115.

Gens. 6.

Eccles. 11.

pinxi muros tuos. Attende ergo tu præcipuè fili: attende tibi vt læteris in iuuentute tua: cui dicit scriptura: Lætare adolescēs in iuuetute tua. Non vnus tibi dicit tempus ætatis. Est quasi quidam flos vitæ, bonorumque ætas operum, de qua scriptum est: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Et oblectet, inquit, te cor tuum in diebus adolescentiæ tuæ, & ambula in via cordis tui sine macula, & in aspectu oculorum tuorum, & non in audacia oculorum tuorum. In aspectu vtique spirituali, non audacia seculari. Et scito quod super hæc omnia adducet te deus in iudicium, & repellet iram à corde tuo, & amouebit nequitiam à carne tua. Attende tibi virgo & tu, vt insistas orationi, & vultus tuus assidua oblectatione palleat. Sed ante orationem præpara animam tuam, vt non videaris tentare Deum, cum deprecaris: vt id quod oras, mores tui loquantur, fides adiuuet, opera commendent. Attende tibi, quod dico tibi: cuicumque virgini loquor. Nam tibi piæ non deest institutionis magistra. Attende, inquam, virgo factæ præsertim professionis, & ab hominis irreuerentis oculis caue. Et si ad tempus præterierit quasi viator, tamen os suum aperit, & ab omni aqua proxima bibet, vt te inebriet. Nullus sit tuus sine matre progressus, quæ sit anxia tui custos pudoris. Ipsa quoque ad ecclesiam progressio rarior sit adolescentulis. Considera quanta fuerit Maria, & tamen nunquam alibi, nisi in cubiculo reperitur cum quæritur. Illa te doceat quid sequaris. Angelum in specie viri vidit, & pauebat corde, peregrinabatur aspectu: vnde dicit ad eam angelus: Ne timeas Maria. Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris, secretum est. Quid enim tibi vel ad proximam facile accedere? Pes fatui facilis in domum proximi: qui autem sapiens est, verecundatur. Inde nascuntur fabulæ, de quibus pulchrè admoneris vt caueas, cum dicit tibi vir sapiens: Quis dabit disciplinam meam custodiam, & supra labia mea signaculum certum, ne cadam ab illis, & lingua mea perdat me? Si virilis sexus iubetur tacere coram senioribus, quàm in decorū est virgines loqui, & varios serere sermones? Esto vt imperes tibi silentium, numquid potes aliis imperare ne audias? Potest quis aliquando frænos ori suo imponere, & verbis stateram, auribus non potest. Loqui enim in nobis est, audire ex aliena pendet potestate. Sæpe enim audimus quod nolumus. Quid deinde aliud nos scriptura admoneat consideremus. Non iurādum, inquit, quia plerumque multi casus accidunt, vt non possimus implere quod iurauerimus. Qui autem non iurat, vtique non peierat: qui autem iurat, aliquando necesse est incidat periurium, quia omnis homo mendax. Noli ergo iurare, ne incipias peierare. Nec ipsam quidem liberiolem lætitiā in virginibus decet esse. Quæ si non habent quod fleant, lapsus fleant peccatum. Etenim quæ aliorum lapsus fleuerit, suos cauebit. Fleant postremò vel illa contemplatione, vt hic flentes, illic accipiant consolationem: ne sicut diues ille qui hic luxuriatus est, illic pœnas graues subire Domini declaratur oraculo, & tu audias: Recepisti bona in vita tua. Quāto beator Lazarus qui hic fleuit, & illic exultat: hic esuriuit, & illic epulatur. Si vis ergo & tu bonam lætitiā sequi, demonstrat

tibi Ecclesiastes liber quam sequi debeas, qui ait: Veni, māduca in lætitia panem tuum: quoniam iam placuerunt Deo facta tua. Quid autem idem Ecclesiastes monuerit nos omnes de immoderatione ridendi, cōsideremus. Sicut vox, inquit, spinarum sub olla, ita risus stultorum. Nempe spinæ cum ardent, sonant, & citò exuruntur, vt nullus caloris sit effectus. Vnde & de Iudeis dictum est: Exarcerunt sicut ignis in spinis. Exusti sunt enim suo risu, & conflarunt in Domini passione, quando in animæ suæ iocabantur incendium, dicentes: Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Et deridentes percutiebant calamo caput eius, & spinis eum coronabant, atque acetum ei vt biberet, offerebant. Ille risus synagogam incendit in æternum. Sic ergo est risus stultorum, qui sine gratia sonat, & ollam sui corporis vrit. Meritò negabat Sara quia riserat, ne videretur ridendo de effectu promissorum dubitasse cœlestium: & tamen ille risus plenus grauitatis fuerat & pudoris, quæ nemo alius testis nisi Deus solus, cognosceret, quem occulta nō fallunt. Quàm pulchrum & illud: Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit, hoc est, etsi causa sit quæ moueat indignationē, non sit festina vindicta, ne immoderatus calor indignationis exæstuet. Non potest igitur auferre quod naturalis est motus, sed moram inferit, vt medicina consilij temperet iracundiam. Sic enim David antè iam dixerat: Irascimini, & nolite peccare. Non quo imperaret iracundiam, sed quod id quod naturæ esset, auferre non posset, & quasi bonus medicus remedium daret, vt ipsa iracundia non noceret. Denique etiam si quis prolapsus esset corde, quoniam ira nescit tenere moderamen, suadet vt compungatur in cubilibus suis, & suum vnusquisque condemnet errorem. Sic enim scriptum est: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Voluit itaque omnes homines suorum delictorum esse censores, vt & qui publico testimonio non tenetur, seipsum iudicem qui in occulto lapsus est erubescat, & aculeo quodam coerceat amaritudinis & pudoris. Quid de parsimonia loquar, cum sapiens dicat: Aufer à me ventris concupiscentias, & cōcubitus cupiditas ne apprehendat me? Nec infirmitatem ex ieiunio, & abstinentiam reformides. Infirmitas enim grauis sobriam facit animam. Quomodo etiam docent Salomonis proueria, bonæ opinioni studendum, dicendò: Potius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Quid est enim patrimonium, nisi bona illa gubernatio, vnde sanctus Iob dicit: Benedictio morituri super me veniebat, & os viduæ me benedicebat. Oculis eram cæcorum, & pes claudorum: inualidorum pater. Si vidi nudum prætereuntem, & non vestiui: si me non benedixerunt egentes, & de velleribus ouium mearum humeros eorum non calefeci, si abscondi aliquando peccatum meum, quod vel imprudens non ex voluntate commiserim, si aliquando permisi vacuo sinu exire inopem ianuam meam? His enim nomen bonum paratur. Præ cæteris tamen in virgine præcellit studium sobrietatis. Sobrietatem dico non vini abstinentiam, sed corporalis lasciuia, qua grauius quàm vino inebriamur. Dat enim calicem ruinæ &

Eccles. 9.

ibidem 7.

Psal. 117.

Psal. 21.

Ioan. 19.

Genes. 18.

Eccles. 7.

Psal. 4.

Eccles. 23.

Prouer. 22.

Iob 19.

Esa. 51.

Psal. 143.

1. Cor. 3.
2. Cor. 11.

Colof. 2.

Prover. 93.

1. Petr. 3.

iræ poculum. Vnde & dicit Dominus ad Hierusalem: Audi humiliata & ebria non à vino. Ecce accipi de manu tua calicem ruinæ, & poculum iræ. Si hunc calicem exinaniuerit synagoga, non bibant filia ecclesiæ. De Iudeis enim dictum est: Filia eorū compositæ, circumornatæ quomodo similitudo tēpli. Vos autem templum Dei estis, filia eius qui non transfiguratur in angelum lucis, sed verum lumen de vero est lumine. Ideo in vobis non similitudo, sed veritas sit. Multæ autem cūm studium castitatis profiteantur, affectant adminicula pulchritudinis, ut cōptiores prōdeant, nitidiorē vultu quā sacras Domini decet, quibus apostolico sermone respondeo: Quæ mortuæ estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, inquit, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quæ sunt omnia ad corruptelam. At non sancta Soteris, ut domesticum piæ parentis proferamus exemplum. Habemus enim nos sacerdotes nostram nobilitatem præfecturis & consularibus præferendam. Habemus, inquam, fidei dignitates quæ perire non norunt. At non, ut dixi, Soteris vultus sui curam gerebat: quæ cūm esset decora facie valde, & nobilis virgo maiorum profapia, consularis & præfecturas parentum sacra posthabuit fide, & immolare iussa non acquieuit. Quam persecutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo dolori cederet, aut pudori. At illa vbi audiuit hanc vocem, vultum aperuit, soli inuclata atque intacta martyrio, & volens iniuriæ occurrit, vultū offerens, ut ibi martyrij fieret sacrificium, vbi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis periculum integritatis auferri. Sed illi potuerunt quidem vultum eius vulnerum vibicibus exarare, faciem tamen virtutis eius & gratiam decoris interni nequaquam exarare potuerunt. Hetruscū iuuenem veteres fabulæ ferunt, cūm propter admirandam oris proprii pulchritudinem in amorem accenderet fœminas, stigmatibus inarasse vultum suū, ne qua eum adamare posset. Videro vtrum castus fuerit illius animus, affectus tamen non innocens, propter quem in se ipse animaduertet. Ille tamen sola excepit vulnera ne noceret: hæc triumphales retulit martyrij cicatrices, ut imaginem Dei quam acceperat, reseruaret. Seruate & vos hanc imaginem filia, seruate scripturæ præcepta diuinæ, ut omne os iniqui obstruatur. Scriptum est enim: Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris cum. Bonus Dominus erudit & docet, & plerumque arguit. Sed etiam quem arguit, beatum facit. Beatus enim homo quem arguit Dominus. Et ideo increpationes eius non refugas, quia charitatis & gratiæ sunt. Ipse enim percutit, & quasi bonus medicus manibus suis sanat. Septies de necessitatibus te liberat, in septimo autem non te contingit malum. In fame eripiet te à morte, in pugna autem de manu ferri te exuet, à flagello linguæ te abscondit. Si enim tu nulli putaueris derogandum, alienæ linguæ flagella non metues. Mirè autem sermones maledicorum expressit dicendo, linguæ flagellum, cuius sonus latè resultat. A quo nos separare cupiens Petrus apostolus monet: ut non reddamus malum pro malo, & maledictū pro maledictō: sed magis cum ma-

ledicitur nobis, benedictionis referamus gratiam: Et ideo dicit: Cohibe linguam tuam à malo, tanquā linguæ flagello, nec timeas verborum sonum, si munda est conscientia tua. Bonum est quidem nullum (si fieri potest) locum obtreccationi dare: sed quia plerique non vitiis sed virtutibus derogant, reprehendant quod laudis est, non inueniant quod erroris est. Sed, quod peius est, non solum ab aliena lingua, sed etiam à nostra flagellamur. Et hæc sunt grauiora verbera, cum ex multiloquio peccatum incurrimus. Et ideo custodi virgo vias tuas, ut non delinquas in lingua tua. Et bona loqui plerumque crimē est virginis. Sed quid miraris de virgine, cūm mulier in silentio iubeatur discere? Bonus est pudor, quem commendant silentia. Susanna periclitabatur & tacebat, ut melius tacito pudore loqueretur. Denique inuenit verecundia defensore, qui defenderet castitatem. De qua bene dicitur, quod eam à flagello linguæ Dominus abscondit. Quid de fœminis dicimus? Ioseph tacuit accusatus, ut melius eum innocentia quā lingua defenderet. Tacuit Daniel omnibus sapientior, & ora clausit leonum. Vnde pulchrè sanctus Dauid dicit: Posui, inquit, ori meo custodiam, dum consisteret aduersum me peccator. Quid enim vis loqui? Vereris ne te tacentē obiecta credantur? Sed audi bonum magistrū dicentem sanctum Iob: Ecce rideo opprobrium, & non loquor: clamabo, & nusquam iudicium: id est, criminatō aliquis opprobria iacit? habes quod intra te rideas, si crimen conscientia non recognoscis. Quid enim referas verba verbis: Nondum est iudicium: & si clames, non appropinquat. Debēt tibi in hoc seculo multa certamina. Vicerat sanctus Iob damni dolorem: vicerat, imò excluderat luctus acerbiter in amissionibus filiorum, vicerat vulnerum asperitates, vibices corporis, adhibēt mulieris tēta-menta, & ipsa non sensit. Adhuc amicorum increpationes ad certamen ei vltimum referuantur. Luctatus fuerat cum affectu patrio, luctatus cum dolore corporis & egritudine: oportebat cum subire etiā sermonum tentationes. Ergo quando vides viduam dispendiis aliquibus laborare, aut filiorum incommoditate vel morte, iustū iniuriis affici: noli ex istius seculi incommodis merita eius pensare, aut mirari quod derelictus à Domino sit. Hic quidem luctamur, sed alibi coronamur. Non de me tantum, sed de omnibus hominibus communiter sum locutus. Nam vnde mihi tantum meriti, cui indulgentia pro corona est? Hic lucta, illic brauium: hic militia, illic stipendium est. Ergo dum in hoc mūdo sum, adhuc luctor, adhuc decerto, adhuc impellor ut decidam. Sed potens est Dominus, qui impulsus suscipiat, labentem statuat, nutantem erigat. Quid ergo miraris aliquem laborare? Donec vita est ista, certamen non deerit. Non exit corona, nullus probatur, nisi qui perseuerauerit vsque in finē, ut postea possit qui legitime certauerit coronari. Quis fortior Paulo? quis beator? Ille tamen vas electionis dominicæ, nō antè sibi coronam vindicauit quā certamen omne consummaretur. Ideoque ait? Certamen bonum certavi, cursum consummaui, fidem seruauit: quod reliquum, reposita est mihi corona iustitiæ: quam non solum sibi, sed etiam omnibus diligentibus aduen-

aduentum Domini dicit esse reddendam. Pulchrè aduentum Christi diligentibus. Nemo enim festinat ad iudicium, nisi de innocentia securus, aut qui de labore præsumit, cui aut gratia Domini, aut pia pro Christo certamina suffragantur. Quam utiq; habebit prærogatiuam & ea vidua quæ bene filios educauerit, & in liberis gratulabitur, & maximè quæ omnes quos suscepit, Domino dedit. Vnde & illa euangelica vidua diuitibus antefertur. Non solum enim quia totum quod habuit, ad victum pauperū misit, sed etiam quod duo æra detulit, dominica voce laudatur, id est, plenam fidem. Denique ad hominis sanitatem & ille Samaritanus duo æra stabulario dedit, quibus vlcera curaret illius à latronibus vulnerati. Ergo quia & secundum vetus testamentum Mariæ sororis Aaron virginitatem, & secundum nouum sanctæ Mariæ matris Domini integritatem studio suæ prolis imitata est, remunerationem fidei di-

uino iudicio cōsequetur, quæ nihil sibi ad seculi subfidium reseruauit, sed totum Domino sobolis piæ munus impendit. Te nunc Domine, precor, ut supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spirituales quibus sensibile tibi in singulis templum sacrat, quotidianus præsul intendas, orationesque seruatorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, diuina tua suscipias misericordia. Fiat tibi in odorem sanctificationis omne sacrificium quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cū ad illā respicis hostiam salutarem per quam peccatum mundi huius aboletur, respicias etiam ad has piæ hostias castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio, ut fiant tibi in odorem suauitatis hostiæ acceptabiles, Christo Domino placentes, & integrum spiritum eorum animam & corpus sine querelæ loco vsque in diem Domini Iesu Christi filij tui seruare digneris, Amen.

F I N I S.

Capita institutionis Virginis.

- De commendatione Eusebij, quod Ambrosiam filiam suam Deo deuouerit, ac de laude huiusmodi oblationis, virtute quoque taciturnitatis, et loco orandi. Cap. I.
- De commendatione ordinis in oratione seruandi, et quod à diuinis laudibus inchoandum sit, et quomodo virgo tria in se seruare debeat. Cap. II.
- Quod sexus muliebris non sit culpandus propter erroris causam quam Eua inuexit. Et quomodo omnium animantium gratia foris, hominis autem intus existat. Cap. III.
- Quomodo per mulierem ecclesiæ gratia figuratur. Quodque mulier lapsus sui in peccatum excusationem habeat quam vir habet. Cap. IIII.
- Quomodo mulierem audire vir iubeatur. Quomodo etiam Maria non solum virginitatis incentiuum attulit, sed et Deum intulerit. Et de confutatione hæreticorum, qui sanctissimam Mariam perseuerasse virginem negauerunt. Cap. V.
- Quomodo non derogauerit virginitati Mariæ quod coniunx Ioseph nominata fuerit. Cap. VI.
- Quod Maria pudorem numquam mutauerit, quæ nec animum mutauerat. Cap. VII.
- Quod Maria sit porta illa clausa quam Ezechiel descripsit, in qua sedit Christus, et exiuit. Cap. VIII.
- Quemadmodum virgo Maria sit virga et hortus clausus, ac paradysus, et fons signatus, atque porta clausa. Cap. IX.
- Quod Christus qui corona est virginum, sit vnus sicut et pater vnus est, et spiritus vnus: et quomodo in personis diuinis sit æqualitas. Cap. X.
- Quod nulli alij laborare aut seruire debeamus, nisi soli Christo, qui primus est. Et quomodo aliquando secundus et nouissimus dicatur. Cap. XI.
- Quomodo Christus dicatur iuuenis secundus et finis omni populo eius. Quomodo etiam virgo Maria dicatur aula regalis. Cap. XII.
- Quomodo Mariana virginitas dicatur leuis nubes, super quam Dominus sedit, quæ aliis virginibus pluuiam spiritualem irrorat, et vnguentum integritatis. Cap. XIII.
- Quomodo gressus Mariæ speciosi dicantur in calciamentis. Et quod moduli femorum suorum similes sint torquibus, et umbilicus crater tornatilis, et venter sicut aceruus tritici minuti inter lilia. C. XIII.
- Quomodo sacræ virginis dicantur lilia Christi, et de anno dominicæ benignitatis. Cap. XV.
- Quomodo filia Hierusalem egredi iubeantur ad videndum regem Salomonem, et c. Et de stola piæ operationis quam induere debent virginis. Cap. XVI.
- Quomodo in virginibus videatur angelorū vita in terris, quam in paradiso amiseramus: et de deuota deprecatione quam Ambrosius fecit super virginem velandam. Cap. XVII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS INSTITVTIO
VIRGINIS, AD EVSEBIVM.

De commendatione Eusebij quod Ambrosiam filiam suam Deo deuouerit, ac de laude huiusmodi oblationis, virtute quoque taciturnitatis, & loco orandi.
CAPVT I.

COMMENDAS mihi pignus tuum, quod æquè est meum, Ambrosiam Domini sacram: & pio eius affectu tibi asseris præstantiorem reliqua sobole sollicitudinem. Et verè ita est apud mentem fidelem. Cæteros enim instituis, vt emittas domo atque alienis copules, istam tecum semper habebis. In cæteris quoque paternæ vteris pietatis necessitudine, in hac vltra patrem procedis, votoque & studio progredieris, vt placeat Deo. Quæ cum sit præstantior causa votorum, sola tamen soluat quicquid pro se & pro omnibus filiis debes. Hoc est sacrificium quod Abel obtulit ex primitiuis ouium suarum fœtibus. Quod & Apostolus præ cæteris laudat: ad Corinthios, dicens: Quoniam qui stauit in corde suo firmus, & iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Vnde pulchrè Dauid cum descripsisset ecclesiæ gratiam, cuius omnis gloria intus est non foris (in bonis enim cogitationibus, atque immaculato castitatis affectu, & syncerè proposito conscientia summa est laus) subtexit, dicens: Afferentur regi virgines post eam. Et conuersus ad Dominum patrem: Proximam, inquit, eius afferentur tibi: afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis. Quæ est proxima, nisi quæ Christo propinquat, cui dicit Deus verbum: Exurge, veni proxima mea, formosa mea, columba mea, quia ecce hyems præterit: Antequam verbum Dei reciperet, hyems erat, inhonora, sine fructu: vbi verbum Dei recepit, & mundus ei est crucifixus, ætas est facta. Denique feruore sancti spiritus vaporata, flos esse cœpit, & spirare odorem fidei, fragrantiam castitatis, suauitatem gratiæ. Vnde & alibi addidit: Oculi tui columbæ extra taciturnitatem tuam: eo quod tota spiritalis & simplex sicut columba (in cuius specie visus est à Ioanne descendere Spiritus sanctus) spiritalia videat, & nouerit ea quæ viderit tacere mysteria. Non enim medioeris virtus tacere. Est enim & tempus tacendi, sicut tempus loquedi: sicut & scriptum est: Dominus dat mihi linguam eruditionis, quando oporteat dicere sermonem. Virginitatis itaque dos quædam est verecundia, quæ commendatur silentio. Ideo ecclesiæ gloria intus est, nõ vtique in multiloquio, sed in sensibus vel in penetralibus sacramentorum, sicut ipsa dicit ad sponsum: Quis dabit te fratrem mihi lactentem vbera matris meæ, & inueniens te foris osculabor te? Et quidem non spernens me, affumam te, & ducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me. Et suprâ

Gait: Introduxit me rex in cubiculum suum. Foris osculatur ecclesia Christum, & ab eo in cubiculum introducit. Osculatus est eam foris, quando tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit tanquam gigas ad currendam viam. Tãquam gigas foris est, quia non rapinã arbitratus est esse se æqualem Deo: formã serui accepit. Foris ergo factus est, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis quod in sinu est patris. Cognosce illum foris, quando nos quærit vt redimat. Foris sibi factus est, vt mihi intus esset, & fieret medicus noster. Ibi ergo simus, vbi Christus medicus est, radicans & fixus in cordibus nostris. Et ideo sicut ipse præcepit: Cum oras, intra in cubiculum tuum, & effunde super te animã tuam. Cubiculum tuum interiorum secretum est, cubiculum tuum conscientia tua est. Denique Ecclesiastes tibi dicit: Et quidem in conscientia tua regi ne male dixeris, & in penetralibus cubiculorum ne maledicto deuoueris diuitem. Ibi ergo ora, & ora in occulto: vt audiat te qui in occulto audit, & ora sine ira & disceptatione, abdicato occulta dedecoris. Iustus enim non prodicionem criminis metuit, sed contagionem.

De commendatione ordinis in oratione seruandi, & quod à diuinis laudibus inchoandum sit. Et quomodo virgo tria in se seruare debeat.
CAPVT II.

Quam bona oratio cum misericordia. Bona oratio quæ ordinem seruat, vt primo à diuinis inchoemus laudibus. Si enim cum apud hominẽ agimus, beneuolum volumus iudicem facere: quanto magis cum Dominum nostrum precamur? Primò ergo immolemus Deo sacrificium laudis, vt & apostolus dicit: Obsecro ergo primò omnium fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarũ actiones. Doceat te Dauidicus psalmus octauus, qui cœpit à Dei laudibus: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Hactenus oratio. Inde sequitur obsecratio, vt destruat inimicus. Postulatio, vt lunam & stellas videat: lunam ecclesiam, stellas filios ecclesiæ cœlestis gratiæ luce fulgentes: & quod petit, prophetico spiritu visurum se esse promittit. Gratiarũ actio quod tuetur Dominus hominem, & hunc limum corporis nostri diuina visitatione confirmat, vel quod homini animantium genera vniuersa subiecit. Similiter & dominica oratio omnia comprehendit, quam vulgare non opus est. Tu autem qui legis, quemadmodum distinguere debeas recognoscis: præcipuè tamen (vt dixi) commendanda est oratio, sicut præmissi, placiditate animi & tranquillitate, vt vnusquisque sibi constet & congruat, & fiat illud quod scriptum est: Si duobus ex vobis cõuenerit super terrã, de omni

de omni re quamcunque petierint, fiet à patre meo A qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Qui sunt isti duo, nisi anima & corpus? Vnde & Paulus castigabat carnẽ suã, & seruituti redigebat, vt esset animæ tanquã imperatrici suę caro subdita, & mētis imperiis obtēperaret, ne esset in vno homine diffidiũ, ac bellũ intra se gereret, & legi mētis repugnaret lex corporis. Duo igitur ista diuersa ratione quadã & pace iungebat, secũdũ quod ipse asseruit dicens: Quia Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem sepis, soluit inimicitias in carne sua: ne id ageret quod nollet, atque id faceret quod odisset. Isti ergo sũt duo, anima & caro. Vnde & Dauid ait: Non timebo quid faciat, mihi caro: quam aduersariam animæ suę nosset. Quæ tamen duo (vt euidentius exprimamus) nõ solum duosunt, sed etiã duo homines, vnus interior, alter exterior. Isti duo si sibi propositi in æqualitatem concurrant, vt cogitationes factis, & cogitationibus facta conueniant, vitæ nostræ rota sine vlla offensione voluetur, vt quemadmodum scriptum est: Fiat vox tonitru in rota. Isti igitur duo vnum sunt: nec solum vnum, sed vnus homo. Vnde & Apostolus ait: Vt duos conderet in vno homine, faciens pacem, & reconciliaret vtrosque in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, vt in vtrisque accessum habeamus in vno spiritu ad patrem. Sunt etiam duo homines, vetus & nouus. Vetus ille peccato obnoxius & obsoletus, ac vestimenti veteris similitudine attritus & scissus, quem in baptisinate affigimus cruci. Vnde Apostolus ait: Quia vetus homo noster simul crucifixus est cruci, vt destruat corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato. Vetus ergo affigitur, vt moriatur peccato, vt nouus resurgat, qui renouatur per gratiam. Diximus de duobus. Fortasse dicat aliquis: Quid de tribus dicis, quoniã sic habet scriptura: Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum? Hinc quoque ratio manifesta est, quia idem Apostolus dicit: Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in die Domini nostri Iesu Christi seruetur. Vbi ergo tres isti integri, ibi Christus est in medio eorum: qui hos tres intus gubernat & regit, ac fidei pace componit. Hæc igitur tria, integra præ cæteris in se virgo custodiat, vt nullam det sacræ virginitatis querelam, & sit inoffensa, sine ruga, sine macula. De qua licet frequentibus libris dixerimus, tamen memorati pignoris causa, hunc ad te librum condendum arbitrati sumus.

Quod sexus muliebris non sit culpandus propter erroris causam quam Eua inuexit. Et quomodo omnium animantium gratia foris, hominis autem intus existat.
CAP. III.

Bona virginitas, quæ sexum vtrumque non solum absoluit à crimine, verum etiam prouocauit ad gratiam. Accusamus autem plerumque fœmineum sexum quod erroris causam inuexerit, & non consideramus quanto iustius in nos obiurgatio retorqueatur. Nam vt repetamus à principio, & rerũ exordia interrogemus, quantum ei delatum sit, inuestigabimus, & quam in misera conditionis humanæ S. Ambr. tom. 5.

fragilitate, fœmina inuenerit gratiam. Nam cum omnia opera sua laudauerit Deus, cœlum, terram, maria, noctẽ & diem, quod ista proficerent ad vsum laboris, illa ad fructum quietis, laudauerit feras bestias: vbi ad hominem ventum est, solus nõ videtur esse laudatus, propter quem omnia generata sunt: Quæ igitur causa est, nisi fortè ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? Nihil in bestiis plus reperias, quàm quod videtur: in homine nihil est inferius, quàm quod videtur: qui cum ex anima constet & corpore, hoc vtique in eo seruit quod videtur: illud autem in eo regit hominem quod non videtur. Merito ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reseruatur: quia aliorum gratia foris, huius intus est. Aliorum in natiuitate, huius in corde. Quid enim tã altũ & tam profundũ quàm mens hominis, quæ quasi inuolucro quodam corporis tegitur & occultatur: vt eam haud facillè quisquam introspicere & speculari queat? Ideo ergo homo non antè laudatur quia non in forensi pelle: sed in interiore homine antè probandus, sic prædicandus est, quem præclare definiuit apostolus Petrus, dicens: Abscõditum esse cordis hominem in incorruptione quieti & modesti spiritus: qui est ante Deũ locuples. Merito ergo differtur, vt sequatur fœnorata eius laudatio, cuius dilatio non dispensium, sed incrementum est. Nemo ergo se despiciat quasi vilem, nec contuitu corporis sese aestimet. Nam & si dixerit sanctus Iob: Nudus exiui de ventre matris meę, nudus & hinc abibo: habuit tamen quo non solum inter homines, sed etiam apud Deũ diues inueniretur. Quid autem locupletius, quàm quod ad imaginem Dei est ac similitudinem? Ad imaginem autem interior est homo, non iste exterior: ille qui sensu aestimatur, non oculis comprehenditur. Ille ergo nobis expectandus est, qui serius inuestigatur. Ideo Deus non putauit hominis fabricam esse laudandam, quia maior eius virtute est portio. Præclara quidẽ species, & præstantior cæteris animantibus: sed irrationabilia specie corporis estimentur: ea autem quæ rationis plena sunt, communem laudẽ sequentur. Homo igitur mihi non tam vultu quàm affectu admirandus emineat atque excellat: vt in his laudetur, in quibus etiam Deus prophetico iudicio laudatur, de quo scriptum est: Terribilis in consiliis super filios hominum: cuius opera coram Deo luceant, qui bona iugibus operibus facta contextat: Et ideo laudatio eius non in exordio, sed in fine est: Nemo enim nisi legitimè certauerit, coronabitur. Ideoque Sapiens tibi dicit: Ante mortem non laudes hominem quenquam. Qua ratione hoc dixerit superioribus docuit, dicens: Quia in fine hominis nudantur opera eius. Spectemus tertium, in quo manifestauit Deus sententiam suam. Cum enim fecisset hominem, & potuisset in paradiso operari & custodire, dixit: Non est bonum solum esse hominem: Faciamus, inquit, ei adiutorium secundum se. Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere prædicatur. Nã cum dicit: Nõ est bonũ solũ esse hominem, confirmat vtique bonum esse hominum genus, si virili sexui fœmineus sexus accedat. Simul illud considerandum, quia ille de terra factus & limo est, ista de viro. Et caro quidem limus, sed ille

1. Cor. 7.

Psalm. 44.

Gen. 2.

Galat. 6.

Can. 4.

Ioan. 1.

Eccles. 3.

Esa. 50.

Can. 8.

1. Cor. 9.

Ephes. 2.

Psalm. 55.

Psalm. 76.

Ephes. 2.

Roman. 6.

Matth. 18.

1. Thes. 5.

1. Tim.

Matth.

1. Petri. 3.

Iob. 1.

Psalm. 63.

2. Tim. 2.

Eccles. 12.

Genes. 1.

Ephes. 5.

adhuc informis, iste informatus. Iam illud præclarū G
Apostolicum arcessamus exemplū quod habemus
& adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.
Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in
Christo & in ecclesia.

Quomodo per mulierem ecclesiæ gratia figuratur. Quòdque
mulier lapsus sui in peccatum excusationem habeat quam
vir habet. CAP. III.

ADuertimus itaque per mulierem cœleste illud H
impletum esse mysterium, ecclesiæ in ea gra-
tiam figuratam, propter quam Christus descendit,
& æternum illud opus humanæ redemptionis ab-
soluit. Vnde & Adam vocauit nomen mulieris suæ
vitam. Nam & in populis per mulierem successio-
nis humanæ series & propago diffunditur, & per eccle-
siam vita conquiratur æterna. Sanè negare non pos-
sumus quod errauerit mulier. Quid miraris tamen si
infirmior lapsus est sexus, cum sit lapsus etiam for-
tior? Mulier excusationem habet in peccato, vir nõ
habet. Illa (vt scriptura asserit à sapientissimo om-
nium serpente decepta est, tu à muliere, id est, illam
superior creatura decepit, te inferior. Te enim mu-
lier decepit, illam malus licet tamen angelus. Si tu
inferiori non potuisti resistere, quomodo illa potuit
superiori? Culpa tua illam absoluit. Si de merito cul-
pæ dubitas, interrogemus sententiam qua illi dictū
est: In tristitia paries filios, & ad virum tuum conuer-
sio tua, & ipse tibi dominabitur. Viro autē dicitur:
Terra es, & in terram ibis. Et verè iuxta hanc senten-
tiam, quandoquidem si Adā quod à Domino Deo
audierat, seruare non potuit, quomodo potuit ser-
uare mulier quod audiuit à viro? Si illum Dei vox
non confirmauit, quomodo istam vox firmaret hu-
mana? Denique Adam conuentus quòd contra di-
uina quæ coram audierat præcepta gustasset, nihil
habuit quod diceret: nisi quod sibi mulier dedisset,
& manducasset: mulier autem ait: Serpens traduxit
me, & manducaui. Quanto maior mulieris absolu-
tio? Ille arguitur, hæc interrogatur. Adde illud, quod
& prior culpam fatetur. Etenim quæ se dicit esse se-
ductam, testatur errorem. Erroris igitur medicina
confessio est. In iudicio ipso quanto clementior mu-
lier viro? Ille mulierem suam accusauit, ista serpen-
tem: hoc est, nec accusata crimen retorsit, sed ipsum
accusatorem suum maluit (si posset) absoluere, quam
ligare. Habes igitur & culpæ absolutionem in cōfes-
sione, & sententiæ in executione. In tristitia, inquit,
paries filios: Condemnationis suæ pōdus agnoscit,
munus pœnalis conditionis exequitur. Pro te mu-
lier doloribus suis militat, & remunerationē ex pœ-
na inuenit, vt per filios per quos affligitur liberetur.
Facta est itaq; gratia ex iniuria, salus ex infirmitate.
Scriptum est enim: Quia salua erit per filiorum ge-
nerationem. Cum salute itaque parit, quos in tristi-
tia parturiuit: & ad laudem educat, quos peperit
cum dolore. Sed dicis o vir, quia mulier tētatio fue-
rit viri. Verum est etiam: si est decora, ecce alia ten-
tatio. Tamen Abrahamæ descendenti in Ægyptum, v-
xor pulchritudo non nocuit, imò magis profuit:
honoratus est enim per vxorē nõ ludibrio habitus

Genes. 3.

1. Tim. 2.

in vxore. Cur autem tu vultus decorem in coniuge
magis quàm morum requiras? Placeat vxor hone-
state magis quàm pulchritudine. Illa eligatur, quæ
Saram moribus referat. Nõ est vitium mulieris, esse
quod nascitur: sed vitium viri est quærere in vxore
quo sæpe tentetur: in quo si infirmior fuerit mulier,
ipsa labatur: si fortior, vir periclitetur. Non possu-
mus reprehendere diuini artificis opus: sed quæ de-
lectat corporis pulchritudo, multò magis illa dele-
ctet venustas, quæ ad imaginem Dei est intus nõ for-
ris comptior. Si ergo vxor tentatio est, esto cautor:
quære remedium aduersus tentationis periculum.
Vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem.
Dominus hoc dixit, vir audiuit, mulier impleuit.
Quotidie mulieres ieiuant, & non indicta præstāt
ieiunia, peccatum agnoscunt, accersunt remedium.
Semel de interdicto mulier manducauit, & quoti-
die ieiunium soluit. Qui secutus es errantem, seque-
re corrigentem. Ambo manducauistis, cur sola ieiunat:
hoc est, ambo deliquistis, cur sola remedium
quærit erroris?

I Quomodo mulierem audire vir iubeatur, Quomodo etiam
Maria non solum virginittatis incentiuum attulit, sed &
Deum intulerit. Et de cōfutatione hereticorum qui san-
ctissimam Mariam perseuerasse virginem negauerunt.
CAP. V.

Veni Eua iā sobria, veni Eua, & si in te aliquādo
intemperans, sed iam in prole ieiuna, Veni Eua
iam talis, vt non de paradiso excludaris, sed rapiaris
ad cœlum. Veni Eua iam Sara, quæ parias filios non
in tristitia, sed in exultatione: non in mœrore, sed ri-
su. Isaac tibi multiplex nascetur. Veni iterum Eua
iam Sara, de qua dicatur viro: Audi Sarari vxorem
tuam. Sis tu licet viro subdita, quia esse te deceat:
citò tamen soluisi sententiam, vt vir te audire iu-
beat. Si typum Christi illa pariendo à viro me-
retur audiri, quantum proficit sexus, qui Christum
(salua tamen virginitate) generauit? Veni ergo
Eua, iam Maria, quæ nobis non solum virginita-
tis incentiuum attulit, sed etiam Deum intulit.
Vnde lætus & exultans tanto munere dicit Esaias:
Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, &
vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est inter-
pretatum, nobiscum Deus. Vnde hoc munus? Nõ
de terra vtique, sed de cœlo vas sibi hoc per quod
descenderet Christus elegit & sacrauit templum pu-
doris. Per vnam descendit, sed multas vocauit. Vn-
de & speciale Maria Domini hoc nomen inuenit,
quod significat, Deus ex genere meo. Dictæ sunt &
antè Mariæ multæ: nam & Maria foror Aaron di-
cta fuit, sed illa Maria amaritudo maris vocabatur.
Venit ergo Dominus in amaritudinem fragilitatis
humanæ, vt conditionis amaritudo dulcesceret ver-
bi cœlestis suauitate, & gratia temperata. Hoc signi-
ficauit fons Mara per lignum dulcoratus, eo quòd
populus nationum amarus antè peccatis, vel caro
nostra temperamento pafsionis dominicæ, quæ signū
facræ virginittatis extulit, & intemeratæ integritatis
piū Christo vexillū leuauit. Et tamè cum omnes ad
cultum virginittatis, sanctæ Mariæ aduocetur exem-
plo,

Ioan. 2.
Matth. 1.

Ibidem 22.

Galat. 4.

Genes. 2.

Ibidem 4.

Matth. 21.

Ibidem.

Esaias. 109.

Ibidem 23.

Ibidem.

plo, fuerunt qui eam negarent virginem perseueras-
se. Hoc tantum sacrilegium filere iam dudum ma-
luimus, sed quia causa vocauit in medium, ita vt eius
prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indem-
natum non putauimus relinquendum: & maximè
quia & mulierem eam legimus, sicut in Chana Ga-
lileæ ipse Dominus dicenti sibi: Vinū nõ habent fili,
respōdit: Quid mihi & tibi est mulier? Et alibi legim⁹
quod dixerit Matthæus de Ioseph & Maria: Inuenta
est antequam conuenirent, in vtero habens de Spi-
ritu sancto. Et infra: Non cognouit eam donec pe-
perit. Et iterū de Ioseph: Nolu it eam traducere. Et B
fratres domini videntur significare quod de Maria
suscepti sint: Et Apostolus ait: Postquam venit ple-
nitude temporis, misit Deus filium suum factū ex
muliere, factum sub lege. Quæ singula notāda nobis
sunt, vt qui illa legit, sermonis huiusmodi vinculo
non alligetur. Respōdeamus itaque suo ordine. De
mulieris nomine quid mouemur? Ad sexum retulit:
non enim corruptelæ sed sexus vocabulū est. Vulgi
vñs nõ præiudicat veritati. Denique virginitas pri-
mum hoc nomen accepit. Nā cum sumpsisset Deus
vnam de costis Adæ, & suppleuisset carnem in locū
ipfius. Edificauit, inquit, eam in mulierem. Vtique
adhuc virum non cognouerat, & iam mulier voca-
batur. Rationem quoque nominis huius scriptura
non tacuit, dicens: Quia dixit Adam: Os de ossibus
meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier,
quoniam de viro suo sumpta est. Quia sumpta est, in-
quit, de viro suo, non quia virum experta. Itaque
quandiu in paradiso fuit, mulier vocata est, & cog-
nita viro non erat. Vbi autem eiecta est de paradiso,
tunc legitur, quia Adam cognouit eam mulierem
suam, & tunc concepit & peperit filium. Primus i-
gitur solutus est nodus. Secunda quæstio, quia scri-
ptum est: Antequam conuenirent, inuenta est in v-
tero habens. Consuetudo autem diuinæ scripturæ
est, vt causam quæ suscepta est adstruat, incidentem
differat. Quo soluitur etiam tertia quæstio, qua dictū
est: Non cognouit eam donec peperit filium. Quid
ergo? Postea cognouit? Minimè. Denique scriptum
est: Ego sum Deus, & donec senescatis ego sum. Nū-
quid igitur postquam senuerunt, quia dictum erat,
Deus esse desinit? Item in propheta Dauid legimus:
Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis,
donec ponam inimicos tuos scabellum pedū tuorū.
Nunquid subiectis populis nationum, qui antè vi-
debantur inimici, cum salutis authorem negarent,
simulachris seruirent: ad dextram patris filius sede-
re desinit, aut in perpetuum non sedebit? Quid autē
præiudicat Mariæ, si cœlestis consilij mysterium Ioseph
non intellexit, & putauit virginem non esse
quam prægnatē videret? Resurrectionem eius an-
geli ignorauerunt, quod significāt versiculi: Tollite
portas principes vestras, & eleuamini portæ æter-
nales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ?
Interrogant quasi ignorent, & alij respondēt: Do-
minus fortis & potens, dominus potens in prælio,
ipse est rex gloriæ. Et repetiuit propheta eodē ver-
ficulos, & nihilominus illi quasi ignorantes, iterum
interrogauerūt. Sic enim scriptum est: Tollite por-
tas principes vestras, & eleuamini portæ æternales,
& introibit rex gloriæ: Quis est iste rex gloriæ? Quo-

A modo ergo homo potuit diuinum scire secretum,
quod angeli nesciebant? Et in Esaiæ libro habes:
Quis est iste qui a duenit ex Edom, rubor vestimen-
torum ex Bofor? Et vtique minus erat hominem re-
surrexisse, quàm virginem parturire. Etenim iā He-
liæ precibus, Helisai orationibus, mortui resurrexe-
rant, nunquam autem antè, nunquam postea virgo
generauit. Hoc autem opinatus est quòd traduce-
ret eam quasi reā, antequam ab angelo moneretur:
postea autem quasi fidelis nec dubius, virginittatis
eius seruauit oraculum.

Quomodo non derogauerit virginittati Mariæ quod coniu-
x Ioseph nominata fuerit. CAP. VI.

Nec illud moueat quod ait: Quia Ioseph accepit
coniugem suam, & profectus est in Ægyptum.
Despōsata enim viro coniugis nomē accepit. Cū
enim initiatur coniugium, tūc coniugij nomen ad-
sciscitur. Nõ enim defloratio virginittatis facit cōiu-
giū sed pactio cōiugalis. Denique cū iungitur puel-
la, coniugium est, nõ cū virili admixtione cogno-
scitur. Quod autem fuit despōsata connubio, licet
alibi plenius dixerimus, libare satis est causam cœ-
lestis mysterij: vt ab his qui Mariam grauem vtero
cernerent: non adulterium virginittatis, sed despō-
sata partus legitimus crederetur. Maluit enim do-
minus aliquos de sua generatione, quàm de matris
pudore dubitare. Fratres autem gentis & generis,
populi quoq; cōfortio nūcupari docet dominus ipse
qui dicit: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in
medio ecclesiæ laudabo te. Paulus quoque ait: O-
ptabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis.
Potuerunt autem & fratres esse ex Ioseph, non ex
Maria. Quod quidem si quis diligentius prosequatur,
inueniet. Nos ea persequenda non putauimus,
quoniam fraternum nomen liquet pluribus esse cō-
mune. An verò dominus Iesus eam sibi matrem
eligeret, quæ virili semine aulam posset incestare
cœlestem: quasi eam cui impossibile esset virginalis
pudoris seruare custodiam? Cuius exemplo cœ-
teræ ad integritatis studium prouocantur, ipsa ab
huiusmodi quod per se cæteris propositū foret, mū-
nere deuiaret? Et quæ esset, cui maius quàm matri
dominus meritum reponeret, præmium reseruaret?
nulli enim vberiora quàm virginittati deputauit mū-
nera, sicut scriptura nos docet. Sic enim per E-
saiam dominus locutus est: Ne dicat spado, quia ego
sum lignum aridum. Hæc dicit dominus spado-
nibus: Quicumque custodierint præcepta mea,
& elegerint quæ ego volo, & amplectentur testamē-
tum meum: dabo illis in domo mea, & in muro
meo locum nominatum meliorem filiorum & filia-
rum, nomen æternum dabo illis; & non deficient.
Aliis promittit vt non deficient: matrem suam defi-
cere patiebatur? Sed non deficit Maria, non defi-
cit virginittatis magistra, nec fieri poterat, vt quæ
Deū portauerat, portādum hominem arbitraretur.
Nec Ioseph vir iustus in hanc prouisset amentiam,
vt matri domini corporeo concubitu misceretur.
Sed tamen Maria suis non alienis moribus defen-
datur. Non defecit, vt dixi. Ipse testis est filius Dei,
qui cū esset in cruce, discipulū matri cōmendabat

Esaias 63.

3. Reg. 17.
4. Reg. 4.

Matth. 1.

Psalms. 21.

Roman. 9.

Esaias. 56.

Ioan. 19.

ut filium discipulo eā tradebat vt matrem. Docuit hoc Ioannes, qui mystica magis scripsit. Alij enim euangelista scripserunt, quod in passione Domini terra contremuit, sol refugit, persecutoribus venia postulata est. Iste dilectus Domini qui e pectore eius hauserat secreta sapientiae, & pia voluntatis arcana, ab alijs dicta praeteriit, hoc diligentius profecutus est, vt maternae virginitatis perseverantiam suo iudicio comprobaret, quasi filius de matris pudore sollicitus, ne quis eam tanto conuitio temeratae integritatis aspergeret. Dignum quippe erat, vt qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris absolueret. Dicit ergo ad matrem: Mulier, ecce filius tuus. Dicit ad discipulū: Ecce mater tua. Ipse est discipulus, cui mater commendabatur. Quomodo marito vxorem tolleret, si fuerat Maria mixta coniugio, aut vsum thori coniugalitatis cognouerat?

Quod Maria pudorem nunquam mutauerit, quae nec animū mutauerat. CAP. VII.

Claudite ora impij, aperite aures pij, audite quid Christus loquatur. Testatur de cruce Dominus Iesus, & paulisper publicam differt salutem, ne matrem in honorem relinquat. Subscribitur Ioannes in testamēto Christi. Legatur matri pudoris defensor, testimonium integritatis. Legatur & discipulo matris custodia, pietatis gratia commendatur. Et ex illo suscepit eam discipulus in suam. Non vtique Christus faciebat diuortium, non Maria relinquebat virum. Sed cum quo virgo habitare debebat, quam cum eo quem filij haeredem, integritatis sciret esse custodem? Stabat ante crucem mater, & fugientibus viris, stabat intrepida. Videte vtrum pudorem mutare potuerit mater Iesu, quae animum non mutauit. Spectabat pijs oculis filij vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri mater spectaculo, quae non metueret peremptorem. Pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat. Si hoc solum esset vt ante filium prosterneretur, laudandus pietatis affectus, quod superstes filio esse volebat: sin verò vt cum filio moreretur, cum eodem gestiebat resurgere, non ignara fuit mysterij quod genuisset resurrectorum: simul quia publico vsui impedi mortē filij nouerat, praestolabatur si fortē etiam sua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Christi passio adiutore non eguit, sicut ipse Dominus longe antē praedixit: Et respexi, & non erat adiutor: & attendi, & nemo suscipiebat, & liberabo eos brachio meo. Quomodo ergo extorqueri potuit integritas Mariae, quae fugientibus apostolis supplicia non timebat? Sed ipsa se offerebat periculis, cuius tanta gratia, vt non solum in se virginitatis gratiam referuaret, sed etiam his quos viseret, integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Baptistam, & in vtero matris priusquam nasceretur, exultauit. Ad vocem Mariae exultauit infantulus, obsecutus antequam genitus. Nec immeritō mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suae praesentiae & integritatis vnguento Domini mater exercuit. Eademque postea Ioanni euangelista est tradita coniugium nescienti. Vnde non miror

prae ceteris locutum mysteria diuina, cui praesto erat aula caelestium sacramentorum. Nunc mihi dicant qui hanc quaestionem ferunt: Quid est quod ait Dominus per prophetam. Nunc reuocabo captiuitatē Iacob, & miserebor adhuc domus Israel? Et infra: Congregabo, inquit, eos de gentibus, & congregabo illos de regionibus nationum, & sanctificabor in his in conspectu gentium, & scient quod ego sum Dominus Deus ipsorum, dum apparebo illis inter nationes, & non auertam amplius faciem meam ab eis, pro eo quod effudi iram meam in domū Israel, dicit Dominus. Et infra dicit propheta, vidisse se in monte alto nimis aedificationem ciuitatis, cuius portae plurimae significantur, vna tamen clausa describitur, de qua sic ait: Et conuertere me secundum viam portae sanctorum exterioris, quae respicit ad orientem, & haec erat clausa. Et ait ad me Dominus: Porta haec clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel transibit per eam. Eruntque clausa, quoniam dux hic sedebat in ea, vt manducet panē in conspectu Domini. Secundum viam portae intrabit, & secundum viam eius exibit: Quae est haec porta, nisi Maria: ideo clausa quia virgo? Porta igitur Maria per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali fufus est partu, & genitalia virginitatis clausura non soluit. Mansit intemeratum septimum pudoris, & inuiolata integritatis durauerunt signacula, cum exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.

Quod Maria sit porta illa clausa quam Ezechiel descripsit, in qua sedit Christus & exiuit. CAP. VIII.

Haec, inquit, porta clausa erit, & non aperietur. Bona porta Maria, quae clausa erat, & non aperiebatur. Transiuit per eam Christus, sed non aperuit. Et vt doceamur, quia portam habet omnis homo per quam Christus ingreditur. Tollite, inquit, portas principis vestri, & eleuamini portae aeternales, & introibit rex gloriae. Quanto magis ergo porta erat in Maria, in qua sedit Christus corporaliter, & exiuit? Est enim & porta ventris, vnde ait Iob sanctus: Intenebrescant, inquit, stellae noctis illius, quia non conclusit portas ventris matris meae. Est ergo & porta ventris, sed non omnis clausa semper, verum vna sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium, virginis partus exiuit. Ideo ait propheta: Porta haec clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam, hoc est, nemo hominum: quoniam Dominus, inquit, Deus Israel transibit per eam. Eruntque clausa, id est, & post transitum Domini erit clausa: & non aperietur a quoquam. Nec aperta est, quoniam habuit semper ianuam suam Christus, qui dixit: Ego sum ianuam, quam nemo ab ea potuit auellere. Haec porta ad orientem aspiciebat, quoniam verum lumen effudit, quae generauit orientem, peperitque, solem iustitiae. Audiant ergo imprudentes, clausa, inquit, haec porta est, quae solum recepit Deū Israel. Si igitur de eo dictū est ad ecclesiam: Quoniam confortauit seras portarum tuarum, suam portam confortare non potuit? Sed confortauit profecto, & seruauit intactam. Denique

Denique non est aperta: audiant igitur prophetam dicentem: Non aperietur, eritque clausa, hoc est, non aperietur, ab eo cui disponabitur. Non licebit enim vt aperiat per quem Dominus transibit. Et post eum, inquit, erit clausa: hoc est, non aperiet eam Ioseph: quoniam dicitur ei: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim ex ea nascetur, de Spiritu sancto est. Porta ergo clausa virginitas est, & hortus clausus virginitas, & fons signatus virginitas.

Quemadmodum virgo Maria sit virga & hortus clausus, ac paradysus & fons signatus, atque porta clausa.

CAP. IX.

Audi virgo diligentius apertis auribus, & clauso pudore: aperi manus, vt te pauper agnoscat: claudere ostium, ne temerator irrepat: aperi mentem, serua signaculū. Virga quoque a radice virginitas est. Sic enim scriptum est: Exiet virga a radice Iesse, & flos a radice ascendet. Non cauata est haec virga, sed solida. Nemo ergo adurat virgam tuam, vt florem suum custodiat. Virga es o virgo, non curueris, non inflectaris in terram, vt in te flos paternae radices ascendant. Hortus clausus es virgo, serua fructus tuos: non ascendat in te spinas, sed vna tuae floreat. Hortus clausus es filia, nemo offerat sepe tui pudoris, quia scriptum est: Et destruentem sepe mordebit serpens. Sed illā solum offerat de qua scriptum est: Quid incisa est sepe? Nemo parietem tuū destruat: ne sis in conculcationem. Paradysus es virgo, Euam caue. Fons signatus es virgo, nemo aquam tuā polluat, nemo conturbet, vt imaginem tuam in fonte tuo semper attendas. Porta clausa est virgo, nemo aperiat ianuam tuam, quam semel clausit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit: & claudit & nemo aperit. Aperuit tibi scripturas, nemo eas claudit: clausit pudorē tuum, nemo aperiat eum.

Quod Christus qui corona est virginum, sit vnus sicut & pater vnus est, & spiritus vnus: & quomodo in personis diuinis sit aequalitas. CAP. X.

Venio, inquit, citō, tene quod habes: nemo accipiat coronam tuam. Quae est corona tua nisi illa de qua dictum est: Et eris corona decoris in manu Domini? Quis hoc dicit, nisi ille de quo dixit Ecclesiastes: Est vnus, & non est secundus? Quis est iste: nisi ille de quo dictum est: Magister vester vnus est Christus? Vnus est, quia vnigenitus Dei filius: vnus, quia solus, vt scriptum est: Qui expandit caelum solus, & ambulat sicut in terra super mare. Hic ergo non est secundus, quia primus est. Non est secundus, quia vnus est. Vnus Deus pater ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. Vnus Deus pater, & vnus Dei filius, & vnus Spiritus sanctus, sicut scriptum est: Haec autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Vnus, inquit, vnus, quia vnus Deus. Nullus secundus, quia quod vult facit, non quod imperatur. Vnus ergo pater Deus, & vnus Dei filius. Vnus & vnus,

quia non duo dij. Vnus filius, quia cum patre vnus est, sicut ipse dixit: Ego & pater vnus sumus. Et vnus spiritus, quia vnitas trinitatis est, non ordine distincta, non tempore. Sed dicunt lectum: Ite baptizate gentes in nomine patris & filij, & Spiritus sancti. Et obiciunt, quia primo, patrem nominauit, secundo, filiū, tertio, Spiritum sanctum. Nunquid ergo, quia dicit euangelium: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum: inferiorem significauit patrem quia primo verbum Dei in principio semper esse ac fuisse memorauit? Aut cum dixit Apostolus: In regno Christi & Dei, ordinem fecit? Aut cum dicit ipse Dominus Iesus: Spiritus Domini super me, eō quod vnxit me: euangelizare pauperibus misit me, praedicare captiuis remissionem, eminentiorem filio Dei spiritum esse testatus est? Aduertis virgo quemadmodum ista soluantur. Aperi ad haec aures tuas, os tuum claude. Aperi aures, vt fidem audias: claude os: vt teneas verecundiam. Deinde illud legunt, quia dicit: In nomine patris & filij, & Spiritus sancti: & non intelligunt quid ante praemisit. In nomine, inquit, Tres personas quidem significauit, sed vnū trinitatis nomen asseruit. Vnus itaque Deus, vnū nomen, vna diuinitas, vna maiestas. Nullus ergo secundus, quia principū omnium trinitas est, & trinitatis primatus super omnia est. Ergo vnus, & non est secundus. Vnus est, qui secundum non habet, quia vnicus solus sine peccato, solus sine adiutorio, qui ait. Respexi, & non erat adiutor.

Quod nulli alij laborare aut seruire debeamus nisi soli Christo qui primus est. Et quomodo aliquando secundus & nouissimus dicatur. CAP. XI.

Non est finis labori eius, quia pro omnibus aduocatus noster est apud patrem, & infirmitates nostras suscepit, & pro nobis dolet & infirmatur, sicut ait: Aeger eram, & non visitastis me: cuius oculus non fatiatur diuitiis, quia ipse est altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, in quo sunt thesauri mysteriorum caelestium. Cur ergo seculo potius laboramus, & fraudamus animam nostram tantae bonitatis dispendio, qui nulli alij nisi huic seruire Domino deberemus? Hic ergo non est secundus. Ego certē hoc testimonium deferō. Lego quia primus est, lego quia non est secundus: illi qui secundum aiunt, doceant lectione. Sed dicit aliquis, quia scriptum est: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Verum, ante videamus de quo dicat: Secundus, inquit, homo: quasi hominem secundum dixit. Et ego dico quia primus est secundum diuinitatem, antequam nullus: secundus autem secundum carnem, quia post Adam. Ego plus dico, non solum secundum lego hominē, sed etiam nouissimum. Denique sic habes: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, & nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Vide clementiam Christi, ipse est primus & nouissimus. Qui primus erat, propter nos se nouissimum fecit. Primus, quia per ipsum omnia: nouissimus, quia per ipsum resurrectio. Descendit enim & proiecit se vt caderet, infra omnes se faciens, vt oēs iacētes leuaret. Vnde & ait Ecclesiastes: Quia si ceciderit vnus,

Eccles. 4. eriget socium suum, & vā illi qui vnicus ceciderit, & non est secundus vt eum erigat. Et quidem si dormiant duo, est calor illis, & vnus quomodo calefiet? Hoc est, qui Christum habet secum, & si ceciderit, resurget: & si mortuus fuerit, reuiuifcet: quia adest ille qui venit ignem in terram mittere. Denique & Helifæus cum puerum resuscitaret, insufflauit illi, vt infunderet vitæ calorem. Habeto ergo tecum hunc ignem in pectore tuo, qui te resuscitet, ne frigus tibi perpetuæ mortis irreat. Hic ergo iuuenis se proiecit, qui venit per Mariam, & infundebat vitæ calorem pectoribus audientium. Vnde dicunt illi in euangelio: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis scripturas?

Quomodo Christus dicatur iuuenis secundus, & finis omni populo eius. Quomodo etiam virgo Maria dicatur aula regalis. CAP. XII.

Eccles. 5. **H**ic est iuuenis secundus, vt dicit Ecclesiastes: Vidi vniuersos qui viuunt, qui ambulant sub sole cum iuuenē secundo, quis resurget pro eo? Quis enim pro Christo resurget, cum ille pro omnibus resurrexerit, & in illo omnes resurrexerint, cum sp̄s resurrectionis acceperint? De Christo autem dictum liquet, quando aduertis cōgruere istum locum cum benedictione vel prophetia Iacob, qui ait de Iuda: Quis suscitabit eum? Non utique alter, quia ipse se suscitauit, sicut ipse ait: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui. Illud quoque verē Christo conuenit soli quod addidit: Non est finis omni populo eius: quia populus Christi innumerabilis finem non habet, cui fides resurrectionis æternæ, perpetuæ vitæ acquirit ætatem. Secundum carnem itaque & iuuenem dictum, & cadere vel resurgere, dubiū non est. Denique & illud attextuit, quia optimus puer pauper & sapiens: pauper enim factus est, cum diues esset. Ipse ergo rex Israel transiit hanc portam, ipse dux sedit in ea, quando verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quasi rex sedens in aula regali vteri virginis, vel in olla feruenti, sicut scriptum est: Moab aula spei, vel olla spei meæ. Vtrunque enim diuersis in codicibus inuenitur. Aula regalis est virgo, quæ non est viro subdita, sed Deo soli. Est & colla vterus Mariæ, quæ spiritu feruenti qui superuenit in eam, repleuit orbem terrarum, cum peperit saluatorem. Qui manducauit in porta sedēs, utique cibum illum de quo dixit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cælo est.

Quomodo Mariana virginitas dicatur leuis nubes, super quam Dominus sedit, quæ alijs virginibus pluiam spiritalem irrorat & vnguentum integritatis. CAP. XIII.

Odiuitias Marianæ virginitatis: quasi olla ferbit, & quasi nubes pluit in terras gratia Christi. Scriptum est enim de ea: Ecce Dominus venit, sedens super nubem leuem. Verē leuem, quæ coniugij onera nesciuit. Verē leuem, quæ leuauit hunc mundū de graui scœnore peccatorum. Leuis erat quæ remissionem peccatorum vtero gestabat. Denique

Gleuauit Ioannem in vtero constitutum, qui ad vocem eius exiliuit, & infans exultauit in gaudio, prius sensu deuotionis, quàm spiritu infusione vitalis animatus. Excipite igitur, excipite sacræ virgines nubis huius pluiam spiritalem, temperamentum flagrantia corporalis, vt corporis omnes restringatis ardores, atque interna mentis vestra humefcāt. Huius imbrem nubis sacratę patres nostri annūciauerunt nobis salutem mundi futurum. Hunc imbrem significabant esse venturum stillicidia stillantia super terram, quæ Hieroboal poposcit & meruit. Bonam nubem sequimini, quæ fontem intra se genuit, quo rigauit orbem terrarum. Excipite ergo voluntariam pluiam, pluiam benedictionis, quæ hereditati suæ Dominus effudit. Excipite aquam, & non effluat vobis: quia nubes est, diluat vos & sacro humore perfundat: quia olla est, spiritu vaporet æterno. Excipite itaq; ex hac Moabitide olla gratiæ cœlestis vnguentū, nec vereamini, ne deficiat quod exinanitum est, & plus redundat, quando quidem in omnem terram odor eius exiuit, sicut scriptum est: Vnguentum exinanitum nomen tuum, propter ea adolescentulæ dilexerunt te. Descendat istud vnguentum in animę præcordia, viscerumque secreta, quo non deliciarum odores sancta Maria, sed diuinæ gratiæ spiramenta redolebat. Hæc pluiam Eug restinxit appetentiam, hoc vnguentum scœtorem hæreditarij erroris absterfit, hoc vnguentum Maria soror Lazari in pedes Christi effudit, & tota domus pio repleta odore fragrauit. Nec vlla se pauperem putet, nulla se arbitretur inopem, nulla metuat ne preciosum hoc vnguentum emere non possit, aut fontem istum putet esse venalem. Qui sititis, inquit, ite ad aquam, & quicumque non habetis argentum, ite & emite & bibite sine argento. Et supra ait: Gratias venundati estis, & sine argēto redimemini. Ideo pauper factus est Dominus cum diues esset, vt cum omnes emāt, & egenos præcipuē sua paupertate locupletet. Parate igitur vasa Domini vt excipiat hunc fontem aquæ viuæ, fontem virginitatis, integritatis vnguentum, odorem fidei, & suauis misericordiæ gratia florulentum: induamini agni eius innocentiam, qui cum malediceretur, non remaledixit: cum percuteretur, non percussit.

Quomodo gressus Mariæ speciosi dicantur in calciamentis. Et quod moduli scœmorum suorum similes sint torquibus. Et umbilicus crater tornatilis. Et venter sicut aceruus tritici minuti inter lilia. CAP. XIII.

Hanc imitamini filiæ, cui pulchrē conuenit illud quod de ecclesia prophetatum est: Speciosi facti sunt gressus tui in calciamentis filia Aminadab: eo quod speciosē ecclesia euangelicæ prædicatione processit. Speciosē procedit anima, quæ corpore velut calciamento vitur, vt quod velit suum possit sine impedimento villo circumferre vestigium. In hoc calciamento speciosē processit Maria, quæ sine vlla commixtione corporeę cōsuetudinis authorem salutis virgo generauit. Vnde egregiē Ioannes ait: Nō sum dignus soluere corrigiam calciamenti eius, id est: Non sum dignus incarnationis mysterium cōprehendere angustiis mentis humana, atque inopis

vilitate sermonis absoluere. Vnde & Esaias dixit: Generacionem eius quis enarrabit? Speciosi ergo gressus vel Mariæ vel ecclesiæ, quoniam speciosi pedes euangelizantium. Quàm pulchra etiam illa quæ in figura ecclesiæ de Maria prophetata sunt, si tamē non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas. Dicitur enim ad eam: Moduli scœmorum tuorum similes torquibus, opera manuum artificis. Umbilicus tuus crater tornatilis non deficiēs mixto. Venter tuus sicut aceruus tritici minuti inter lilia, eo quod cōtinens sibi sit in omnibus Christi ortus ex virgine. Sicut victores solent secularium præliorum, strenuorum virorum donatis torquibus honorare ceruices: ita iugum nostrum leuauit, vt fidelium colla virtutis insignibus coronaret. Verē autem alius ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cognitionis piæ gratiam, diuinitatis suæ plenitudine subministrans. In quo virginis vtero, simul aceruus tritici & lilij floris germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium. Granum tritici, secundum quod scriptum est: Amen, amen dico vobis, nisi granum tritici cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet. Sed quia de vno grano tritici aceruus est factus, completum est istud propheticum: Et conuales abundabunt frumento: quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Hoc itaque granum, omnes homines perpetua cœlestium munerum esca saturauit. Consummatum est illud prophetici oris eloquium, dicente eodem Dauid: Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos. In hoc grano efficitur etiam liliū, diuina testatur oracula, quia scriptum est: Ego sum flos campi & liliū conualium: sicut liliū in medio spinarum, Christus erat liliū in medio spinarum, quando erat in medio Iudæorū.

Quomodo sacræ virgines dicantur lilia Christi, & de anno Dominicæ benignitatis. CAP. XV.

Avdī virgo quid dicat. Liliū, inquit, conualium, id est, humilium animarum & mitium. Esto ergo mitis, humilis, atque mansueta: vt in te sicut liliū germinet Christus, de quo & alibi habes: Labia eius lilia stillantia myrrham plenam: id est, qui Christi passionem loquuntur, & suo ore concelebrant, ac mortificationem eius in suo circumferunt corpore. Christi lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas. Vnde plerique accipiunt quod ecclesia videatur dicere: Ego sum flos campi, & liliū conualium: quæ in hac conualle istius mundi gratiam boni odoris exhalat sedula confessione pietatis. Denique & alibi dicit: Frater meus descēdat in hortum suum, in phias aromatis, pascere in hortis, & colligere lilia. Ego fratri meo, & frater meus mihi qui pascit inter lilia. Ex illo ergo vtero Mariæ diffusus est in hunc mundum aceruus tritici minuti inter lilia, quando natus est Christus, cui dicit propheta Dauid: Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vberate. Pinguescēt fines deserti, exultatione colles accingentur, induti sunt arietes ouium, & conuales abundāt frumento etenim clamabunt, &

A hymnum dicent. Quis est annus Dominicæ bonitatis, nisi ille de quo scriptura dicit: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te: quando populorum fide ecclesiam fecundauit, iustitia induit sacerdotes? Vnde & Apostolus dicit: Ecce nūc tempus acceptabile, ecce nūc dies salutis, quando venit Dominus prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Sicut in Euangelio suo ipse memorauit, dicens: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, &c. Tunc ergo Dominus operibus suis, & gloria & honore sui tempus coronauit aduentus. Totus enim ille annus conuersionis eius in hoc mūdo, diuersarū habuit certamina passionum. Vicit Herodem paruulus, de quo in passione infantium triumphauit. Esuriuit, sitiuit, pro nobis vapulauit, pro nobis contumeliarum indigna tolerauit, crucem ascendit, mortuus est pro nobis.

Quomodo filie Hierusalem egredi inbeantur ad vidēdum regem Salomonem, &c. Et de stola piæ operationis quam induere debent virgines. CAP. XVI.

Vides quanta certamina passus est, sed tamen nō auarus exactor præmij, cui abundauit vna cœlestis corona virtutis. Vnde egredimini filiæ Hierusalem, sicut vos hortatur scriptura diuina in Canticis canticorum: Egredimini & videte regem Salomonem in corona, quæ coronauit eum mater eius in die sponsalium eius & iocunditatis cordis eius: quia fecit sibi, inquit, charitatem a filiabus Hierusalem: hoc est, egredimini ex his angustiis & solitudinibus corporalibus, egredimini ex hac delectatione carnali, peregrinamini de corpore, vt adeste domino possitis, quoniam qui in carne sunt, Domino suo placere non possunt. Dicatur ergo vobis quia non estis in carne, sed in spiritu. Eritis autem in spiritu, si potueritis comprehendere Salomonis veri illius pacifici charitatem, quam fecit sibi ipse, & ideo coronā accepit à matre, beata matre Hierusalem. Beatus & Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit. Coronauit eum quando genuit, quia & si cum sine aliqua sui operatione formauerit, quia Spiritus sanctus superuenit in virginem (vnde & ipse ait: In operatum meum viderunt oculi tui) tamen hoc ipso quod ad omnium salutem eum cōcepit & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit, vt per fidem credentium fieret omnis viri caput Christus. Inoperata ergo est caro Christi, quam vt Maria virgo conciperet, inusitato quodam nouoque incarnationis mysterio, sine vlla virilis feminis admixtione diuinæ gratia dispositio- nis quod erat carnis assumpsit ex virgine, atque in illa nouissimi Adam immaculati hominis membra formauit. Hominem audis, sed supra hominē intelligē, quia scriptum est: Non coques agnum in lacte matris suæ. Et alibi legis: Et homo est, & quis agnosceret eum? Ergo non debes agnum illum, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, conditionis humanæ viribus æstimare, & maiestatem incōprehensibilis potestatis, degeneris cognitionis infirmitate concludere. Non enim illum perfectæ fidei cibum Iacob coxit in lacte, quo Isaac pater ita est

delectatus, vt ei prerogatiuam omnem benedictionis prophetica sobrietate conferret. Et ideo Apostolus scripsit succum lactis tenuis cibum esse doctrinae, dicens: Quia omnis qui alitur lacte, expers est verborum iustitia: paruulus enim est, perfectorum autem est solida esca. Et tu ergo filia, sume stolam illam mulieris pie operationis studio cõtextam, quae manus suas aperit pauperi, & lucerna eius non extinguitur in tota nocte, atque indue te, & huiusmodi epulas affer ad patrem, vt dicat: Quid est quod tam cito venisti filia? laudet in tenera adhuc aetate prudentiam, pie quoque deuotionis affectum, & dicat tibi: Accede ad me filia: odoratumque odorem vestimentorum tuorum benedicat te, dicens: Ecce odor filiae meae, sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. & Det tibi Dominus a rore caeli desuper, & ab ubertate terrae abundantiam. Atque his adiungat: Qui maledixerit tibi, maledictus erit: & qui benedixit tibi, benedictus erit. Hac stola indutus Iacob hominem vidit, & ab eo quasi a Domino Deo benedictionem poposcit, & appellauit locum, Visio Dei. Hac stola indutus, vidit illam stolam Christi, de qua ait: Lauauit in vino stolam suam. Et benedixit Ioseph, dicens: Filius ampliatus meus Ioseph, filius ampliatus zelatus meus, filius meus adolescentior ad me reuertere: significans Dominicę resurrectionis insigne. Et addidit: Benedictio patris tui & matris tuę praeualuit super benedictiones montium manentium, & desideria collium aeternorum, id est, super regem gratiae. Hanc sume stolam vt induas Christum, atque in eius agnitione renoueris. Indue ergo sicut electa Dei viscera misericordię, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, charitatem, quae est vnitatis vinculum: vt nemini quicquam debeas, nisi inuicem sororem tuam diligas, nec gratię eius inuideas, sed quo probatiorẽ videris imiteris: vt sit in te pax Christi & gratia, & verbum Dei habitet in corde tuo, atque huius mundi fugias cogitationes. Semel mundo mortua, ne quaso tetigeris, ne attaminaueris quae sunt istius seculi, sed semper in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus abducas te ab huius seculi conuersatione: nõ homini, sed Deo cantans. Et sicut sancta faciebat Maria, conferas in corde tuo. Quasi bona quoque agnacula rumines in ore tuo praecepta diuina, vt dicas & tu: Exercebor in mirabilibus tuis: nec dormitet aut stillat anima tua praetadio. Stillicidia enim euiciunt hominem tempore hyemali: anima autem perfecta non stillat, in qua nulla grauioris est rima peccati, sed manet in domo sua, & inoffensae habitationis nouitate letatur & fruitur. Ac si aliquid forte nutauerit, dicas: Confirma me in verbis tuis.

Hebr. 5.

Prov. 31.

Gene. 27.

Ibid. 49.

Colos. 3.

Roman. 13.

*contagiones.

Psalm. 118.

Ibidem.

Quomodo in virginibus videatur angelorum vita in terris, quam in paradiso amiseramus. Et de deuota deprecatione quam Ambrosius fecit super virginem velandam.

CAP. XVII.

Nunc ad te decursis omnibus pater glorię vota conuerto, cuius pietati incessabiles gratias agimus, quod in virginibus sacris angelorum vitam videmus in terris, quam in paradiso quondam amiseramus.

mus. Quid enim vel ad inuitanda virginum studia, confirmandaque virtutem, vel ad cõcelebranda virginitalis gloriã plus conferre potuisti, quam vt Deus ex virgine nasceretur? Amplius nobis profuit culpa, quam nocuit: in quo redemptio quidem nostra diuinum munus inuenit. Sed ipse quoque vnigenitus filius tuus venturus in terras suscipere quod amissum est, puriorẽ carnis suę generationẽ reperire nõ potuit, quã vt habitatione cõlestis aula virginis dedicaret, in qua esset & immaculata castitatis sacrarium, & Dei templum. Quid autem illud attexam, quod diuino tuo munere cum sanctis Moysẽ & Aaron virgo pedes per fluctus duxit Hebræorum exercitum? Relinquo vetera, priuata non quero, satis est ista nobilitas familiarum virginali. Te queso vt tucaris hanc famulam tuam, quae tibi seruire, tibi animam suam, tibi integritatis suę studiũ dicare praesumpsit. Quam sacerdotali munere offero, affectu patrio commendo, vt propitius & praesul conferas ei gratiam, quo cõlestium thalamorum immorantem adyris sponsum excutiat, mereatur videre, introductor in cubiculum Dei sui regis, mereatur audire dicentem sibi: Ades huc a Libano sponsa, ades huc a Libano, transibis & pertransibis a principio fidei, vt transeat seculum, ad illa aeterna pertineat. Intende igitur pater in tuum munus, cui sanctificando nullius consiliũ requisisti: sed ipse sine villo petitore atque arbitro tantam contulisti gratiam, quantam ante oracula diuina credere nemo potuisset, vt in suo vtero Deum virgo portaret. Cuius prerogatiua muneris prouocata crebescunt studia virginitalis, & sacre integritatis exempla. Quibus haec quoque famula tua ad huiusmodi virtutis gratiam lacessita, tuis assistit altaribus, non rutilanti caesarie flauum deferens crinem, flammeo nuptiali dicatum: sed illum crinem quo euangelica illa mulier sancta Maria pedes Christi sedula pietate deterfit, & domum totam effuso impleuit unguento, sacro offerens velamine consecradum. Adest puella quam non nuptiarum festa, non praemia, non onerati pondus vteri, votiuo nupturis dolore sollicitet: sed quae immaculatos sibi fidei partus & pietatis exposcat, vt in vtero accipiat de spiritu Sancto, & spiritum salutis Deo facta parturiat. Sed vt ista procedere possit meritorum gratia, tu Deus pater omnipotens suffragia commendationis adiunge. Nõ enim solitaria dos pudoris est. Succingat sacrae virginis crinem modestia, sobrietas, continentia, virtutum vt accincta comitatu, purpureo domini sanguinis redimita velamine, mortificatione Domini Iesu in sua carne circumferat. Haec sunt enim meliora velamina, quae sunt indumenta virtutum, quibus culpa obtegatur, innocentia reuelatur. His igitur famulam tuam indue vestimentis, quae in omni tempore munda sint. Mundum enim manet, quicquid nulla interueniens culpa fuscauerit, vt ei iure dicatur: Quoniam placuerit Deo facta tua. In omni tempore sint vestimenta sua candida, & oleum in capite non desit, quo faces suas mysticas possit accendere: vt cum venerit sponsus, inter illas sapientes virgines cõlesti thalamo digna numeretur, quae deuotionis ac fidei suę grauitatisque lumine munus sacrae professionis illuminet. Tuere igitur ancillam tuam pater charitatis & glorię, vt quasi in horto clauso & fonte

Exod.

Canit.

Luca. 7.

Ioan. 11.

1. Cor. 4.

Eccles. 5.

Math. 23.

fo & fonte signato teneat claustra pudicitiae, signacula veritatis. Agrum suum colere nouerit, quem colebat sanctus Iacob, & sexagesimos & ceteros quosque fructus capeisset in huius virtutibus & fortitudinibus agri. Suscites in ea gratiam, & resuscites charitatem. Inueniat quem dilexit, teneat eum, nec dimittat eum donec bona illa vulnera charitatis excipiat, quae osculis preferuntur. Semper parata, noctibus & diebus toto spiritu mentis inuigilet, ne vnquam verbum eam inueniat dormientem. Et quoniam vult se dilectus tuus saepius queri, vt exploret affectum recurrentem, sequatur, exeat fides, & anima eius in verbo tuo peregrinetur corpore, vt assit Deo: vigilet cor eius, caro dormiat, ne male incipiat vigilare peccatis. Tu domine adiuuge alios sacrae virginitalis ornatus. Adiuuge sedulos pios cultus: vt nouerit possidere vas suum, nouerit humiliari, dilectionem teneat, veritatis murum, pudoris septum: non pineae velamen eius, non vincant cupressi: pudicitiam eius non turtures, simplicitatem eius non vincant colubae. Sit in corde simplicitas, in verbis modus, erga omnes pudor, pietas erga propinquos, circa egenos & inopes misericordia, quod bonum est teneat, ab omni specie abstineat mala: veniat super eam benedictio morituri, & os viduae benedicat eam. Pone vt signaculum verbum tuum in corde eius, in brachio eius, vt in omnibus sensibus & operibus eius Christi

stus cluceat. Christum intendat, Christum loquatur. Aqua multa non possit eius excludere charitatem, nec persecutio, nec gladius, nec periculum: sed confirmata in omni verbo & opere bono, gloriam tuam induat, & in tua gratia conuertetur in hoc mundo. Sanctifices eam in veritate, in virtute confirmes, in charitate connectas, atque ad illam cõlestem gloriam pudicitiae & integritatis coronam illibatam immaculatamque diuino tuo fauore perducas: vt illic agni tui sequatur vestigia, in meridiano pascat, in meridiano maneat, nec in greges sodalium incidat, sed agnis tuis admixta sine offensione versetur comes virginum, pedissequa Mariarum. Egredere itaque tu domine Iesu in die sponsalium tuorum, suscipe iam dudum deuotam tibi spiritu, nunc etiam professione, imple agnitione voluntatis tuae, assume ab initio in salutem in sanctificatione spiritus & fide veritatis, vt dicat famula tua: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & in gloria assumpsisti me. Aperci manum tuam, & imple animam eius benedictione: vt saluam facias sperantem in te: & fiat vas in honorem sanctificatum, vtile Domino, ad omne opus bonum probatum: per illam aeternalem crucem, per illam venerabilem gloriam trinitatis. Cui est honor, gloria, perpetuitas, patri Deo & filio & spiritu sancto, a seculis nunc & semper, per omnia secula seculorum, Amen.

Ibidem.

Rom. 8.

Apo. 14.

Psalm. 72.

Ibid. 144.

Roman. 9.

FINIS.

Capita libri Ad virginem Deuotam.

- Qua ratione virgo deuota nullum tractatum habere debeat cum secularibus hominibus, nec aliquid apud illos querere. Cap. I.
- De repulsione excusationis quam virgo praetendere posset, aliisque pulchris admonitionibus, vt secularium hominum conuersationem deuiter. Cap. II.
- Quemadmodum virgo intrare debeat in cubiculum, & clauso ostio patrem orare, vt det ei mentem bonam & intellectum, vt sciat quos sequi, & quos vitare debeat, cum pulchra instructione de cauendis & agendis. Cap. III.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS LIBER AD VIRGINEM DEVOTAM.

Qua ratione virgo deuota nullum tractatum habere debeat cum secularibus hominibus, nec aliquid apud illos querere.

CAP. I.

Vidi filia & vide & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: quoniam concupiuit rex speciem tuam: quoniam ipse est dominus Deus tuus, & adorabit eum. Ipsius te deuouisti esse sponsam, deuota Deo diceris. Quid tibi cum hominibus secularibus, aut quem tractatum habes cum illis? Quid vis scire cum

ipsis perditionem quam ipsi sequuntur? Si castitatem quæris, hanc illi non habent. Si fidem quæris, quis est fidelis in illis, quem tu comitaberis? Si autem Christum quæris, non manet in illis. Nescio quid quæras, quales amicitias vel quales fabulas habeas cum illis. Deuouisti animam tuam ad destruenda omnia quae sunt huius seculi. Quomodo autem quæris seculum cui renouisti? Reuerti vis ad vomitum tuum sicut canis, aut velut sus lota iterum in volutationem, sicut scriptum est, dicente Apostolo: Si quae destruxi iterum reaedificabo, praeuariato-

1. Pet. 2.

Galat. 2.

1. Ioan. 2.

Iacob. 4.

1. Ioan. 2.

Psal. 50.

Philip. 3.

Col. 3.

Psal. 58.
Matth. 7.

Philip. 3.

rem legis me constituo. Iterum ipse repetit, dicens: Quicquid in seculo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, quod non est de Deo, sed de hoc mundo est. Item alibi dicit: Si quis voluerit amicus esse huius mundi, inimicus Dei constituetur. Quid dicis deuota Deo? Quid vis hominibus placere? Quid desideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, tecum est. Si autem hominem quæris, non hoc deuouisti. Quid sunt homines? Homines huius seculi. Et seculum transit, & concupiscentia eius. Qui autem fecerit quæ scripta sunt, manet in æternum. Quid desideras, nescio. Si aurum, argentum, si vitam, si vestem splendidam, hoc tibi non placuit cum Deo: hoc Deus non admiratur, sed cor contritum & humiliatum. Quid quæris homines seculi, quos sanctus apostolus iudicat Paulus, dicens: Quorum Deus venter est, & gloria in pendendis ipsorum, qui terrena sapiunt: nostra autem conuersatio in cœlis est? Si ergo conuersationem in cœlis habemus, quæ sursû sunt, quærere debemus, vbi Christus est, non quæ sunt super terram. Rogo soror, qui sunt isti homines huius seculi? Fratres tuos spirituales homines nõ sequeris, & sequeris carnales: qui si non saturantur, murmurabunt. Misisti margaritas tuas ante porcos, qui conculcent eas pedibus suis, & conuersi elidant te. Non audisti: Vitate canes, vitate malos operarios. Qui sunt isti? Homines huius seculi, qui non sequuntur vestigia Christi. Rogo te quid tibi demonstrant? Dic mihi, castitatem quam non habent? Quid? fidem quam nõ inueniunt? Doctrinam quam non sequuntur, nisi diabolicam sapientiam huius seculi? Ieiuniũ quod odiunt? Abstinẽtiam quam iudicant? Humilitatem quam opprimunt? Sobrietatẽ quam negligunt? Syncceram mentem quam non habent, nisi duplicem? Verecundiam quam proiciunt a se? Nescio autem quid vis studere cum ipsis.

De repulsione excusationis, quam virgo pretendere posset, alisque pulchris admonitionibus, ut secularium hominum conuersationem deuinet. CAP. II.

Sed quid dicis? Ego autem conuerto eos ad me. Si autem ad te conuersi fuerint, nõ tibi expedit. Quid quærit lupus cum agno? vel quid quærit canis nisi panem? Quare autem rugit leo nisi pro præda? Tu te ipsam castam custodi, si potes: quid vis docere, quod tu ipsa non facis? Sicut dicit Apostolus: No lite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. Si autem ab ipsis doctrinam accipias, docebunt te quod faciunt, vel quod sequuntur, concupiscentiam, fornicationem, libidinem, auaritiam, fraudem, immundiciam, impudicitiam, luxuriam ebrietatem, improbitatem, turpiloquium, stultitiã, maleficia, homicidia, iram, rixam, & omnem maliciam. Quid dicis misera, vel quid excusas? Deuouisti animam tuam, vt ab ipsis hominibus recederes, nõc autem quid quæris? Rogo non confundaris, quando de te illi sibi fabulas faciunt, dicentes: Ecce deuota Deo, quæ nos sequitur. Dereliquit enim viam suam, & per terminos agri sui errauit, viam habitationis suæ non inuenit. Venite, præoccupemus eã, & ducemus in viam nostram. Cecidisti misera in

via lata & spaciola, quæ ducit ad mortem. Videtur tibi esse bona, quæ mala est: sequeris eos amans, & nescis quoniam recta in foueam cadis, memor non es arctam & angustam esse viam quæ ducit ad vitam? Laboriosa tibi videtur esse quæ bona est. Oblita es dictum fuisse: Quia per multas tribulationes nõ oportet in regnum cœlorum introire? Nunc autem voluntati tuæ vis studere: Non legisti Salomonem dicentem, Bonis bona creata sunt ab initio: similiter impiis & peccatoribus bona & mala. Item ipso dicitur: Initium vitæ hominis spiritualiter arguetur. Spiritus omnia iudicat, ipse autem a nemine iudicatur. Vbi es Deo deuota? Spiritus quidem de aliis iudicans tu ipsa iudicaris. Quid quæris cum illis? Quæ pars fidei cum infidele? Vel quæ pars sancti hominis ad canem? Virgo potes esse corpore, sed non mente corrupta. Oculi autem tui obcæcati sunt nimio ardore libidinis, in quibus trabes subiacet. Aures tuæ plenæ sunt omni spurcicia virili. Pedes verò tui veloces sunt, & nõ sunt pigri ad ianuam foris. Vbi sanctitas, vbi verecundia, vbi sobrietas, vbi grauitas, vbi castitas, vbi modestia, vbi fides, vbi continentia, vbi pura mens? Vbi sunt illa omnia pro quibus fidem tuam opposueras quam perdidisti? Melius enim fuerat te non vouisse & facere, quam vouere, & non facere. Non potes duobus dominis seruire, aut Deo, aut mammonæ, sicut scriptum est: Cum peruerso, subuerteris. Non potest committi pannum vetus cum nouo. Tollit enim fortitudinem eius & peior scissura fit. Volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur eam reuertetur. Absit vt tu mihi soror esse dicaris, quæ cum talibus conuersaris. Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos: aut facite arborem malam, & fructus eius malos, Vnaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. Quicumque autem qualis fueris, cum tali se iungit. Columba dimissa de manu hominis, statim reuersa est ad eum in arcam. Nam coruus dimissus, carnem secutus est: quem tu quoque vis sequi, vt non reuertaris ad ianuam Christi. Est tibi conuersatio cum bestiis agri, & cum volatilibus cœli, sicut & coruus nõ memoraris Dominum qui te de diluuiio liberauit, non quæris cubile tuum umbrosum & bonum, vbi requiem temporalem habuisti. Non tibi ante oculos est tempestas, atque oblita es charitatem Christi, & tenes charitatem hominum huius seculi, qui non habent charitatem in se nisi diabolicam. Illi autem aliam carnem sequuntur, & non desinunt quoad usque moriuntur. Recede misera de illis hominibus, ne carnes tuas electas comedant, & talos tuos euerant, & relinquantur nuda & spoliata sicut in cucurario. Modo autem quid facies, quia nuda es & spoliata? Ibis ad vicinos tuos quos antè oderas, petens ab ipsis operimentum pudoris? Illi autem dare nolunt dicentes: Vbi est vestimentum tuum splendidum, quod antè portare solebas? Quid dicis, & quid respondes eis, quam frigus obligauit? Gratulantur autem in malis tuis quæ tibi venerunt. Tunc te planges dicendo: Heu mihi misera, cui talia venerunt. Quid mihi profuit illa captiuitas quæ me captauit miseram & infelicẽ? Quò ibo a spiritu tuo, & a facie tua quò fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descende-

Matth. 23.
Eccl. 1.
1. Corin. 13.
2. Cor. 10.
Matth. 6.
Psal. 117.
Matth. 23.
Eccl. 1.
Matth. 7.
Gen. 8.
1. Cor. 11.
Matth. 6.

si descendero ad infernum, ades. Si sumpsero penas meas ante lucem, & habitauero in extremo maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Tunc dices: vadam & reuertar ad virum meum primarium, quia melius mihi erat tunc magis quam modo, qui mihi dabat vestimenta mea, & oleum meum in tempore suo. Modo autem quid facio? Tunc reuerteris in domum tuam cum fletu, vnde exieras gaudens. Sedebis in angulo domus tuæ lugens, & contristata plorans die ac nocte, quærens qui simul tecum contristetur, & non erit: & consolentes te, & non inuenies. Et dabunt tibi elemosynam quos ante oderas, & mouebunt capita sua super te dicentes: Ecce quæ erat deuota Deo, modo facta est vt stercora terræ, & sicut ciuitas quæ expugnatur. Vbi est castitas illius? Vbi sunt omnia illa quæ eam sequebantur? Dereliquerunt enim illam quia castitas erat dux eorum, perdidit castitatem, & fugerunt omnia illa. Modo autem quid facies misera? Vbi sunt illi quos insequeris? Redimant te si possunt. Quam potes dare commutationem pro anima tua quam fraudasti per inobedientiam tuam, vt non audires fratres tuos, vel sorores quæ tibi demonstrabant, ne te iungeres cum hominibus secularibus? Nunc autem quid faciemus tibi, vel quid dicemus, quos audire noluisti? nisi vt nos ipsos plangamus super te dicentes: Parce domine, parce. Qui forte fletum nostrum, & gemitum exaudire dignetur, vt det tibi animum couertendi ad ipsum denuo, vt memores peccata tua dicendo: Quantis panibus mercenarij patris mei abundanti, ego autem fame pereor? Surgam itaque, & vadam ad patrem meum, & dicam illi: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum digna vocari filia tua, suscipe me sicut vniam ex ancillis tuis, vt viuam. Quid si forte pro te occiderit vitulum illum saginatum? Zelans enim te, zelor: desponsaui enim te vni viro virginem castam exhibere Christo. Timeo enim ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic tui sensus corrumpatur, & excidant a charitate quæ est in Christo Iesu.

Quemadmodum virgo intrare debeat in cubiculum, & clauso ostio patrem orare vt det ei mentem bonam, & intellectum, vt sciat quos sequi, & quos vitare debeat, cum pulchra instructione de cauendis & agendis. CAP. III.

Vide ergo & caue de istis hominibus, vt mihi soror, & domina nomineris. Intra in cubiculum, clauso ostio ora patrem tuum vt det tibi mentem bonam & intellectum, vt scias quos debeas sequi, & quos vitare: quia multi sunt qui fingunt se esse quod

non sunt, sed mentiuntur: & nescis quoniam de anima tua agitur, ne ducant te captiuam sicut bouem qui ad occisionem ducitur, aut velut canem, vt aligeretur. Ne festines sicut auis in laqueum. Audi me, remoue pedem tuum de illis, sede fedula in domo tua, operare manibus tuis quod bonum est, vt habeas vnde communicare possis necessitatẽ sustinentibus. Ora sine intermissione, ne facilis videaris in plateis. Certa bonum certamẽ, curre velocius vt cõprehendas in quo cõprehẽsa es a Christo. Audiant te homines, & lætetur de bono animo, & de mente qua viuis. Da elemosynã, & ecce omnia munda erunt tibi. Nõ te pigeat visitare infirmos. Ex his enim in dilectione firmaberis. Non iurabis omnino, neque per verum, neque per mendacium, sed sit sermo tuus: est est, non non. Quod autem amplius est, a malo est. Irascere, & non peccare. Ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem. Humilia te filia antè dominum, quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Accede ad dominum vt illuminet te, & non erubescas in conspectu illius. Recede de voluptate seculi, & indue te constantia virtutis. Depone vestimenta huius seculi, & indue te tunica perpetuitatis: Derelinque cibos istius seculi, & accipe tibi sancta sanctorum: Memorare Sidrach, Misach, Abdenago, & Daniel recusasse carnes, & vinum gentilium, & accepisse sibi olera & legumina. Memento Machabæam propter carnes porcinas passam fuisse, & filios ipsius affatos vel frixos in oleo. Ambula filia in habitu sancto cum verecundia, & sobrietate, & grauitate, depone mendacium, loquere veritatem cum proximo tuo. Ora filia sine intermissione, ieiuna frequenter, & da elemosynam, quoniam elemosyna a morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum est elemosyna, quæ purgat omnem fordem & squalorem. Beata eris, si hæc omnia cum legeris, facias. Zelare quod bonum est, vt quod malum est obliuiscaris. Benedicat te pater, & filius, & Spiritus sanctus, benedictione qua patres nostros benedicere dignatus est Abraham, Isaac & Iacob. Ora Pro me filia, quia & ego sollicitus sum de te, sicut scriptum est: Orate pro inuicem. Item frater fratrem adiuuans exaltabitur. Exaltet te dominus in sanctitatem & dilectionem, sicut scriptum est: Qui diligit fratrem suum legem impleuit. Impleat Dominus omnes petitiones tuas. Præstet hoc tibi Deus pater per Iesum Christum filium suum Dominum, & Deum, regem, iudicem, saluatorem, redemptoremque nostrum, qui est benedictus cum Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

Capita libri Ad virginem lapsam.

*Quòd pro corruptione Deo dicat & virginis omnes boni conlugere debeant.
 Increpatio eiusdem corruptæ, quòd corruptorem admiserit.
 Quòd læsa corruptæ conscientia, neque cœlum, neque terram tunc contueri audeat,
 Qualem excusationem corruptæ afferre soleant.*

Cap. I.
 Cap. II.
 Cap. III.
 Cap. IIII.

1. Ioan. 4.

Iacobi 5.
 Prouer. 18.
 Rom. 13.
 Psal. 119.

Quae solita sint obseruari in velatione sacrae virginis.
Quibus se defendere debeat refugiis, virgo de stupro sollicitata.
Quam diligentiam superior facere teneatur circa virgines consecratas.
Remedium adhibendum corruptae virgini.
Corruptoris obiurgatio.
Ad virginem lapsam exhortatio.

Cap. V.
 Cap. VI.
 Cap. VII.
 Cap. VIII.
 Cap. IX.
 Cap. X.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS LIBER AD VIRGINEM LAPSAM.

Quod pro corruptione Deo dicatae virginis omnes boni conlugere debent. CAP. I.

Avdite me nunc qui prope estis, & qui longe, qui timetis Deum, & ecclesiae eius gaudio congaudetis, & tristitiae conlugetis, sicut scriptum est: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Vos inquam appello qui charitatem Christi verissimam tenetis, & super iniquitate non gaudetis, sed potius ingemiscitis. Aduertite verba oris mei, & an ex iusto dolore procedant iudicate, & detecti sceleris qualitatem mecum pariter perhorrete. Virgo nobilis, dicata Christo, sapiens, erudita, ruit in foueam turpitudinis, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Se perdidit, & ecclesiam maculauit. Hinc omnis anima Christiana graue vulnus excepit, quia sanctum datum est canibus, & margaritae missae sunt ante porcos. A rabidis enim hominibus nomen sceleratum est sanctitatis, & ab immundis, & luteis preciosum conculcatum est propositum castitatis. Hinc aeternus animo meo, hinc insanus dolor, quia vnum malum bona plurima secum trahit, & vna nubecula peccatricis penes totam lucem obscurauit ecclesiam. Assumam ergo vocem propheticae, & flebiliter dicam: Audite me omnes populi, & videte dolorem meum: virgines meae, & iuuenes mei abierunt in captiuitatem. Verum haec est captiuitas, vbi animae a peccato captiuae ducuntur ad mortem, & a diabolica dominatione possidentur.

Increpatio eiusdem corruptae, quod corruptorem admisserit. CAP. II.

Ad te ergo nunc sermo sit, quae caput horum, & causa malorum es, quae multipliciter misera cum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti. Nefas est enim Susannam vocari non castam, non licet nominari quod non es. Vnde incipiam? quod primum, quod vltimum dicam? Bona commemorem quae perdidisti, an mala desceam quae inuenisti? Eras virgo in paradiso Dei, vti que inter flores ecclesiae. Eras sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico totiens, eras, necesse est vt totiens ingemiscas, quia non es quod fuisti. Incedebas in ecclesia tanquam columba illa

Rom. 12.

Psal. 7.

Matth. 7.

Thre. 1.

de qua scriptum est: Pennae columbae deargentatae, & posteriora dorsii eius in pallore auri. Splendebas vt argentum, fulgebas vt aurum, quando cum syncera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullius belli nebulas pertimescebas. Quae ista subitanea conuersio? Quae ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio Saranae, de sponsa Christi, scortum execrabile, de templo Dei, fanum munditiae, de habitaculo Spiritus sancti, turgurium diaboli. Quae incedebas cum fiducia vt columba, nunc lates in tenebris sicut stellio. Quae fulgebas vt aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, vt etiam indignorum pedibus conculceris. Quae fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens caelo, lumen tuum extinctum est, & conuersa es in carbonem.

Quod lasa corruptae conscientia, neque caelum, neque terram tutè contueri audeat. CAP. III.

Verum tibi misera, & iterum vae quae tanta bona propter parui temporis luxuriam perdidisti. Quae tibi spem apud Christum Dominum reliquisti, cuius membra tollens fecisti membra meretricis? Quis te Spiritus sanctus visitabit, cum eum repudiasti, qui se quoque a cogitationibus sordidis longe faciat? Sed veniamus ad humana, vt illa diuina noscantur. Aspice quis sanctorum, aut quae sanctarum tibi approximare non horreat, aperi oculos tuos si potes, erige frontem, si audes aliquem sanctorum fiducialiter intueri? Nonne tuam faciem conscientiae commissum tanquam plumbum inclinat & premit? Nonne tenebrae ante oculos tuos, & dura caligo versatur? Nonne timor & tremor animam tuam, & membra cassant? Si ergo homines in carne constitutos, & alicuius forsitam delicti obnoxios non potes intueri, tam graui confusione sepulta: quid facies coram castis Apostolis? Quid facies coram Helia, Daniele, & tantorum exercitu prophetarum? Quid facies coram Iohanne? Quid facies coram Maria, Tecla, & Agne, & immaculato thoro puritatis? Quid denique coram angelis sanctis? Nonne splendore & claritate immaculatarum quasi fulminibus percussa combureris?

Qualem

Qualem excusationem corruptae afferre solcant.
 CAP. IIII.

Sed dictura es forsitan: Non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociis: Et nos eadem carne amictae fuimus, non tamen plenum propositum castitatis nostrae aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut saeuitia tyrannorum per varia tormenta potuit deicere. Reuera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta. Remanebit ergo in crimine anima quae carnem praecedit in voluptate. Sed dicis: Noluisti hoc malum, sed violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna cuius tu nomen fallaciter baiulas: Ego etenim inter duos presbyteros posita, inter duos vti que iudices populi, inter sylvas paradisi sola constituta vinci non potui, quia nec volui. Tu ab vno ineptissimo adolescente, & in media ciuitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia vltro voluisti violari? Quis denique tuas voces audiuit? Quis oblectationes sensit? Vt autem haec omittam, certe post illatam violentiam prodere scelus si non aliis vel parentibus, vel tuis sororibus debuisti. Effet enim excusatio infelicitatis, effet conscientiae plena purgatio, si hostem pudicitiae tuae deduxisses in publicum. Sed erubuisti forsitan, ne te violatam multi cognoscerent. Et quid timuisti vbi non erat timor, nisi vt tacendo crimen cum adulterio sapius sociares? Esto autem, pudor prohibuit confiteri. Quid de secunda commixtione dicis? Quid de tertia? Quid de frequenti commercio foeditatis? Cesset, cesset iam violentiae figmentum, cesset ruboris augmentum, vbi toties membra illa dicata Christo, scelesto moeche suis visceribus polluenda praebuisti. Horret, horret animus, mens tabescit, cum ad adytum sceleris peruenitur. Nam & medicus quanuis fortis sit animo, tamen cum altius secat vulnus, puto ex parte aliqua sustinebit horrorem. Heu perdita, iam ne intelligis omnes vias excusationis omnimodis clausas? Iam ne sentis quantum tibi mali, & in carne, & in anima nefaria libido contulerit? Non istam confusionem de te tuus expectauerat pater, qui te sibi singularem gloriam coputabat. Non hunc luctum, & has lachrymas ex te sibi nasci tua crediderat mater, quae partus sui gemitum per tuam virginitatem consolabatur. Non fratres tui, non sorores hoc ex te dedecus expectabant, quos omnes quasi vno gladio tui sceleris grauiter fauciasti. Si fuisses communi forte defuncta, fessent te modicum propter desiderium parentes, sed exultassent granditer quia immaculatam praemiserant suorum videlicet delictorum. At nunc plangunt mortuam, & non mortuam, lugent viam, & non viam. Mortuam vti que gloria virginitatis, viam dedecore turpitudinis. Ingratus est pater suis visceribus ex quibus nata es, maledicit suo vtero mater ex quo in hanc lucem infeliciter processisti. Nec tamen modum suo dolori reperiunt, nisi hoc solum planè videntur habere solatium, quia te nec pater compulit, nec mater coegit, vt virginitatem profitereris, quam vltro & propria voluntate professas es. Nam scio cum multas difficultates tibi tuus genitor

S. Ambr. tom. 5.

Danie. 13.

* Cum adulteris sapius sociaris.

1. Corin. 6.

A proponeret, cum arduum esse iter seruandae virginitatis ingereret, te non solum pertinaciter perstitisse, sed etiam reuelationes tibi datas dixisti terribiles. In quantum sibi ergo sperabant mercedem ex eo quod non tuo proposito restiterunt, intantum tibi intellige misera pondus iudicij crescere, quia non seruasti quod vltro promissisti. Quibus te spinis serpens ille nequissimus obligauit? Quibus te venenis infecit ille qui Euam decepit, vt tanta te caecitate percuteret, tantam animae tuae faceret obliuionem?

Quae solita sint obseruari in velatione sacrae virginis. CAP. V.

Non es memorata dici sanctae dominicae resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam? In tanto itaque solenni conuentu Ecclesiae Dei, inter lumina illa splendida, inter candidatos regni caelestis quasi regina regi nuptura processeras. Non es memorata qualis allocutio facta est illa die ad te: Aspice filia & intueri, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscere rex decorum tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus? Reminiscere ergo quantus ad sponsi tui, & Domini nuptias conuenerit populus. Seruare te oportuit fidem quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare cui virginitatem sponponderis. Facilius te oportuit sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem tuam. His tunc in illo die consecrationis tuae dictis, & multis supra castitatem tuam praeconiis, sacro velamine tecta es, vbi omnis populus dotem tuam subscribens, non atramento, sed spiritu, pariter clamauit, amen. Vincor lachrymis cum haec recordor, compungor stimulis cum haec exempla considero. Nam si inter decem testes confectis sponsaliis, nuptiis consummatis, quaeuis viro foemina coniuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium: quid putes fore si inter innumerabiles testes Ecclesiae, coram angelis, exercitibus caeli, facta copula spiritualis per adulterium soluitur? Nescio an possit ei digna mors an poena cogitari. Dicit aliquis: Melius est ergo nubere quam vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Caeterum quae se sponpondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortalis iuncta est viro. Et iam si voluerit nubere, communi lege coniugij adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est, quid de illa dicendum est quae occulta & furtiua turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est? Habitu virgo, facto non virgo. Bis adultera, & in actu, & in aspectu.

Quibus se defendere debeat refugiis virgo de stupro sollicitata.

CAP. VI.

Sed ad te iterum redeo, quae obliuionem tantorum passa bonorum, receptaculum tantorum malorum facta es. Quomodo tibi in actu illo ignominioso non veniebat in mentem habitus virginitatis, processus in Ecclesiam inter virgineos choros? Quomodo oculos tuos non perstringebat lux vigiliarum? Aures tuas

DD

1. Cor. 6.

1. Phes. 5.

1. Cor. 7.

Math. 10.

non penetrabat hymnorum spiritualium cantus? Mē-
tem tuam non ventilabat lectionum celestium vir-
tus? hinc vel maximē clamante Apostolo: Fugite
fornicationem, quia omne peccatum quodcunque
fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicat-
ur, in corpus suum peccat. Et cum dicit, In corpus
suum, tamen in Christum eum peccare demonstrat.
Nam subiungit: Non estis vestri. Empti enim estis
precio magno, glorificate, & portate Deum in cor-
pore vestro. Et iterum dicit: Fornicatio autem & om-
nis immundicia nec nominetur inter vos, sicut de-
cet sanctos. Et seposita omni adulatione sententiam
figit Apostolus: Hoc, inquit, scitote intelligentes,
quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus
non erit haeres in regno Dei. Hæc tanta & tam terri-
bilia non tibi veniebant in mentem, cum ad illud o-
pus nefarium tua membra peterentur? Sed mortife-
ra te obliuio tanquam in gurgitem altissimum de-
mergebat, & quasi captiuam execrabilis libido du-
cebat. Nonne vel illum locum tabulis separatam in
quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem
religiosæ matronæ, & nobiles certatim currebant,
tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te e-
rant? Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse
scriptus paries ingerebat, recordari debuisti? Diuisa
est mulier & virgo: quæ non est nupta, cogitat quæ
Domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu.
Tu autem in contrarium vertens dictum, ita cogi-
tans, ita agens, vt nec corpore esses sancta nec spiri-
tu: corpore quidem fornicando, spiritu autem vir-
ginitatem mentiendo, Proh nefas, solet fama subse-
qui factum: tua autem ad malum fama præuenit.
Nam cum ante triennium rumor quidam & susurra-
tio de te fuisset, tu sinceritatem præteudebas, vindi-
ctam de maledicis in Ecclesia postulabas publicè.
Quos æstus ego sustinui? Quos pater tuus pro tua su-
stinuit opinione labores, requirentes singulos, sin-
gulos adstringentes vt ad authorem infamiæ venire-
mus. Graue enim erat nobis, & intolerabile de Dei
virgine, vel turpe aliquid dici vel credi. Nec hoc ve-
rita es, nec ante oculos habuisti, ne venires inimicis
tuis in gaudium, & eos haberes in senfos qui pro tua
opinionē laborabant. Multum audax, multum tem-
eraria, vt te conscientia tua non terreret, simulata
virginitate, putares te etiam Deum posse decipere.
Sed ille qui dixit: Nihil occultum quod non reue-
letur. Et vos, inquit, fecistis in occulto, ego autem in
manifesto vos faciam. Ille qui non mentitur, furtiuū
scelus deduxit in publicum, & in conspectu solis hu-
ius tenebrarum vestrarum opera denudauit. O quic-
quid prætendit sermo, crudeliora occurrunt, & cu-
piens moderari non inuenit modum. Oblita es pro-
positum, oblita parentes, oblita es Ecclesiam, oblita
gloriam dignitatis tuæ, oblita honorem virginitatis,
etiam oblita promissionem regni, oblita iudicium
terribile, amplexa es corruptionem, protulisti fru-
ctum confusionis, finem verò mortem sæuissimam,
& interitum sempiternum.

Quam diligentiam superior facere teneatur circa virgines consecratas.

ET certè non habes quod de nostra negligentia
conqueraris. Quodcunque enim ad officium pa-
storis pertinet, & tibi & omnibus non negatum est.
Dilectio spiritualis adhibita, commonitio sancta non
desiit. Oblita domum patris tui, vt scriptum est, ad
monasterium virginalē transfisti. Non dico tuta esse
debueras inter tot posita si voluisses, sed etiam tute-
lam aliis præstare potuisses. Sed frustra hæc, & alia
prouisa sunt. Hymnum virginitatis exposui, quo &
gloriam propositi, & obseruantiam pariter decan-
tantes, Seminaui secus viam, seminaui in spinis, se-
minaui in petrosa. Aut enim ex corde tuo verba
mea volucres, id est, dæmones rapuerunt, aut malis
tuis cogitationibus suffocata sunt, aut aruerunt ni-
mio æstu libidinis. Heu me quia vbi putauī adifica-
re aurum, argentum, lapides preciosos, inuētus sum
ligna, scœnum, stipulam, arsuras materias laborasse.
Dicam & ego secundum prophetam: Heu me quia
factus sum sicut qui colligit stipulam in messe. Equi-
dem si tibi soli damnum fecisses, erat quidem tristi-
tia, sed forsitan tolerabilis. Nunc verò quantas ani-
mas tuo scelere sauciaſti, quantas animas propter te
de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia et-
iam fidelium inquinata sunt, viam Domini blas-
phemando? Aperuit in nos gentilitas os suum: ad-
uersus sanctam Ecclesiam synagoga Iudæorum per-
tuum dedecus exultauit. Quod si is qui vnum scan-
dalizauerit, mola circumligatus iactari debet in ma-
re, quid de te pronuncias, per cuius scelus omnis a-
nima fauciata est, & nomen Domini in gentibus
blasphematum est? Nonne quotiens dicitur: O vir-
gines: totiens tibi cumulus iniquitatis augetur? I-
aces ecce vulnerata. Iaces ecce prostrata.

Remedium adhibendum corruptæ virgini. CAP. VIII.

CVPio prodesse, sed subuenire non possum, quia
totum caput in dolore, & totum cor in mœstia
est, à pedibus vsque ad caput, sicut ait Esaias:
Non est malagma imponere. Infirmitas tua omne
humanæ medicinæ exclusit auxilium. Et licet tam
boni quàm mali iusta indignatione permoti, te om-
ni depopulatione dignam, omni tormentorum ge-
nere scrutatam iudicent morte mulctandam, aut
ignibus exurendam. Ego tamen qui scio grauiora
facinorosis seruari tormenta, & sine fine impias ani-
mas cruciatus manere non temporales vtique, sed
æternos: aliis te volo cruciatus affici, profuturis
vtique, non animam perdituris. Ego secundum di-
uinam sententiam dabo consilium. Solum enim &
vnicum tentandum est remedium, illud quod di-
uina vox per Ezechielem miseris porrigit. Nolo, in-
quit, mortem peccatoris, sed tantum vt conuertatur
& viuat. Et iterum: Post hæc, inquit, dixi:
Conuertere ad me, nunquid resina non est in Ga-
laad, aut medicus non est ibi? Quare non ascendit
sanitas filiæ populi mei? Hæc vtique dicta pœniten-
tiam sapiunt, hæc sententiæ Dei vocant ad pœniten-
tiam peccatores. Pœnitudo enim necessaria est, si-
cut vulneratis sunt necessaria medicamina. Sed quã-
ta putas, & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æ-
quet crimina, aut certè excedat? Vide ergo si simplex
hoc

Math. 8.

Luc. 8.

1. Cor. 3.

Math. 18.

1. Reg. 11.8.

2. Cor. 1.

1. Iul. 2.

2. Reg. 12. 1. Ima 3.

1. Ima 1.

1. Ima 3.

1. Ima 8.

hoc peccatum adulterij est, an duplex sit per illam
necem quæ facta dicitur in occulto: & secundum
conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ ma-
gnitudo. Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed
& actu. Hæc autem sic agitur: Si tibi ante oculos po-
nas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ no-
men tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas
positam tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorū,
& stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide si-
cut est animo conceperis, quia necesse est præuari-
caticem animam tartareis pœnis, & gehennæ igni-
bus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post
baptismum quàm pœnitentiæ solatium, quantamuis
afflictionem, quātumuis laborem, & indecorem su-
bire, esto contenta: dummodo ab æternalibus pœ-
nis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente
retractans, proprii facti tu ipsa iudex esto crudelior.
In primis omnis cura vitæ huius interimēda tibi est,
& quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo
possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi acci-
pienda est vestis, & mens ac membra singula digna
castigatione puniēda. Amputentur crines, qui per
vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt.
Defluant oculi lachrymas, qui masculum simplici-
ter non aspexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam
viruit impudicè. Denique totum corpus in curiam a-
ceretur, cinere aspersum, & opertum cilicio perhor-
rescat: quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor
verò sit liqueſcens sicut cera, ieiuniis, inquietans sei-
psum, & cogitationibus ventilās, quare sit ab inimi-
co subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in mem-
bra corporis cum haberet dominationem, malo ces-
sit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ si fuerit
perseuerans audebit sperare, & si non gloriam, certè
pœnæ vacationem. Dicit enim Deus: Conuertimini
ad me, & conuertar ad vos. Conuertimini ex toto
corde vestro, in ieiunio, & fletu, in planctu: dirum-
pite corda vestra, & non vestimētum, quoniam pius
& misericors sum. Sic conuersus magnus ille Dauid
iustificatus est. Sic Ninie peccatrix illa ciuitas incū-
bentem sibi euasit interitum. Peccator ergo sibi ipsi
non pepercit, à Deo illi parcitur. Et si futuras pœnas
gehennæ præcipuas, in hoc paruo vitæ spacio com-
pensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi
plagæ, alta & proluxa opus est medicina. Grande
scelus grandem habet necessariam satisfactionem.
Nam non est dubium leuius esse crimen vbi pecca-
tum suum vltro homo confitetur & pœnitet. At vbi
celans mala sua inuitus detegitur, & nolens publica-
tur, illud grauius scelus est, quod tibi vtique proue-
nisse negare non poteris. Et ideo fortius est dolen-
dum, quia peccatum est fortius. Si mente cernerent
homines peccatores quale iudicium imminet mun-
do, sensus humanus non dispergeretur vanitate se-
culari, si non infidelitate grauaretur. Quantumuis &
qualemuis cruciatum longior vita duceret, opta-
rent: dum modo illas pœnas æterni ignis non in-
currerent. Sed tu quæ iam ingressa es agonem pœ-
nitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tāquam nau-
fragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo cri-
minum liberari. Inhære pœnitentiæ vsque ad extre-
mum vitæ, nec tibi præsumas ab humano die posse
veniam dari, quia decipit te qui hoc tibi polliceri

A voluerit. Quæ enim propriè in Dominum pecca-
sti, ab illo solo te conuenit in die iudicij expectare
remedium.

Corruptoris obinugatio. CAP. IX.

DE te autem fili serpentis, minister diaboli, vio-
lator templi Dei, qui vno scelere duo crimina
perpetraſti, adulterium vtique & sacrilegium. Sacri-
legium planè, vbi vas Christo oblatum, Domino
dedicatum, dementi temeritate polluiſti. Balthasar
ille rex Perſarum, qui in vasis Domini quæ de tem-
plo Hierosolymis fuerant à patre eius ablata, bibere
cum suis amicis, & concubinis vsurpauit, ipsa nocte
angeli manu percussus, crudeli morte punitus est.
Quid de te arbitraris perditte pariter, & perditore, qui
vas rationale consecratum Christo, sanctificatum
Spiritu sancto impiè temeraſti, polluiſti sacrilegè, &
tui propositi immemor, & iudicij diuini contem-
ptor? Melius enim fuerat omnino te non esse na-
tum, quàm sic natum, vt te sibi gehenna proprium
filium vendicaret. Et licet ipsa conscientia sceleris te
agat per diuersa præcipitem: (Fugit enim impius
nemine persequente se,) licet te diræ imagines pec-
cati dormientem quoque perterreant, non solum
vigilantem: tamen ne quid à pastore etiam oui
morbidæ vel morituræ medicaminis denegatum sit,
do consilium: Petas vltro carcerem pœnitentiæ,
obstringas catenis viscera, animam tuam gemitibus
ieiuniisque discrucies, sanctorum petas auxilium,
iaceas sub pedibus electorum, vt non per cor impœ-
nitens thesaurizes tibi iram in die iusti iudicij Dei,
qui reddet singulis secundum opera sua. Nec te in
eorum numero constituas, quos luget Paulus: Qui
ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam su-
per immunditia & fornicatione & libidine quæ
gesserunt. Nec tibi de multitudine peccantium
similium blandiaris & dicas: Non solus hoc ego
egi, multos habeo socios: sed recogita, quia mul-
titudō sociorum impunitatem non facit crimi-
num. Nam Sodoma & Gomorra in totis quin-
que ciuitatibus innumerabiles vtique habitabant
populi, & omnes pariter qui libidinosè corpora
sua tractauerunt, igneis imbribus conflagrati sunt:
solus autem Loth de illo ineuitabili incendio eua-
sit, quia ab illa turpitudine se alienum præstite-
rat. Exclude ergo vel nunc infelix de corde tuo
blandimenta serpentis, & luctu, & fletu conti-
nuo, dum in corpore tuo immundo anima illa
tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessi-
tatis acquire, semper ante oculos tuos habens
Apostoli sententiam: Quia omnes nos oportet
manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnus-
quisque propria corporis sui secundum quæ gessit,
siue bonum siue malum.

Ad virginem lapsam exhortatio. *

CAP. X.

Quis conſoletur te virgo filia Sion, quia magna
facta est sicut mare contritio tua. Effunde sicut
aquam cor tuum ante faciē Domini: Extolle ad eū

1. Ima 5.

Math. 26.

Proverb. 28.

Rom. 2. 7.

2. Cor. 12.

Genes. 19.

2. Cor. 5.

* Nonnulla exemplaria ex hoc vltimo capite libellum faciebant.

Thren. 2.

manus pro remedio animæ tuæ, & peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum. Et primum quidem nullo die quinquagesimus Psalmus intermittatur, quia in negotio tali cantatus est. Et vsque versiculum illum: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit, cum lachrymis gemituque percurrens: insuper etiam hanc lamentationem non sine compunctione cordis in conspectu Dei iudicis funde: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut desiccam vulnera animæ meæ? Conuersi sunt dies festi mei in luctum & cantica in lamentationem, recessit sonus hymnorum, & lætitia psalmodum, & successit stridor dentium & fletus oculorum. Obmutui & humiliata sum, & filii à bonis, & dolor meus reuocatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Abyssus circumdedit me, postremo merfit caput meum in fissuras montium. Heu me, quia facta sum sicut Sodoma & combusta sum sicut Gomorrha, quis miserebitur cineres meos? Durius offenderat quàm Sodoma, quia illa legem nesciens deliquerat, ego autem accepta gratia peccavi in Dominum. Si homo peccet in hominem: erit qui interueniat: Ego quæ peccavi in Dominum, quem propitiorem inueniam? Concepi dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperui & effodi eum, & incidi in foueam quam feci: Ideo cõuersus est dolor meus in capite meo, & in vertice meo iniquitas mea descendit. Immunditia mea ante pedes meos, non fui memor nouissimorum meorum, & cecidi mirabiliter, nec est qui consoletur me. O quàm acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio. Quomodo facta sum in desolationem? Subito defeci, perij propter iniquitatem meam, velut è somno exurgens: ideo in ciuitate Domini vilificata est imago mea. Deletum est de libro vitæ nomen meum, facta sum sicut noctua in domicilio, sicut passer vnicus in ædificio, non est qui consoletur me. Considero à dextris, & video, & non est qui agnoscat me. Perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam. Facta sum sicut vas perditum, quoniam audiui vituperationem omnium circa me habitantium. Vt diei illi in quo me infelix vterus genuit, & lux ista crudelis excepit. Oportuerat me potius non fuisse natam, quàm sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio & improprium factum est omnibus famulis Domini, & eum digne colentibus. Lugete me montes & colles, lugete me fontes & flumina, quia fletus filia ego sum. Lugete me bestia siluarum, reptilia terræ, & volucres cœli, & omnis anima quæ vita frueris. Nam vos beatæ feræ & volucres, quibus nullus metus de inferis, neque post mortem reddenda est ratio: nos manet pœna crudelis tartari, qui habentes sensum delinquimus, & ideo non est pax peccatoribus. Meum est peccatum, mea iniquitas. Non

F I N I S.

G sunt similia offensa hominū, quia horribilis hæc impietas est, carne pollicita seruare virginem, & castitatem professâ publicè, mentita sum Domino: ideo non est mihi fiducia inuocandi Dominum altissimū, quia obstructum est os delinquentium. Nam meum malum propheta cecinit: Quod qui elongant se à Deo, peribunt, disperdit omnem fornicantem à se. Et iterum: Adhæsit anima mea faucibus meis, & in puluerem mortis deducta sum. Veruntamen clamabo ad Dominum, cum adhuc tempus est, dum datur spacium, quia in morte non est memoria, & in inferno non est confessio. Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripas me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & non est sanitas in carne mea à vultu iræ tuæ. Non est pax ossibus meis à facie iræ tuæ. Quoniam iniquitates meæ superposuerunt caput meū, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Computruerunt & deteriorauerunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflictâ sum vsque in finem, rugio à gemitu cordis mei. Cor meum cõturbatum est intra me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. I Deus repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, potasti me vino compunctionis, expulsa sum ab oculis tuis, iam nõ adiciam vt respiciam ad templum sanctum tuū, & facta sum in exterminio. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt? Tuus sermo est, tua promissio est: Nolo mortem peccatoris, sed conuersionem, vt possit viuere. Ad te Deus meus conuersio, quia solus potes reuocare omnia, & ab inferis animas reuocas. Tu soluis compeditos, tu Deus elisos erigis, cæcos illuminas, mortuos suscitâs. Erraui sicut ovis perdita, require famulam tuam, ne lupo crudelis glutiat me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus in Deo eius. Sed tuum consilium tecum est. Quot sunt dies famulæ tuæ? quando facies mecum iudicium? Defecit in salutari tuo anima mea, defecerunt in lachrymis oculi mei, effusa est in terra gloria mea. Quando respiciens restitues animam meam? Propter iniquitatem corripuisti me, & tabescere fecisti sicut araneam animam meam. Memento Domine quod puluis sum, vide humilitatem meam, & laborem meū, & remitte omnia peccata mea. Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero, nec in inferno erit confessio. Potens es Domine dirumpere vincula mea quibus ligata sum atque cõstricta, qui Raab sordidam non aspernatus es. Iram tuâ Domine aufer à me, quia peccavi tibi crudeliter, donec iustifices causam meâ, & educa me in lumine Deus virtutum. Da pœnitentiæ effectum, cõfessionis perseuerantiam, ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi donum, hæc mihi gratiam de tuo fonte præstari cupio Deus, vt in æternum tibi cõfitear. Qui viuus & regnas in trinitate in secula seculorum, Amen.

D I V I

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE VIDVIS.

LIBER VNVS.

Bene accidit fratres, vt quoniam tribus A libris superioribus de virginum laudibus differuimus, viduarum tractatus incideret. Neque enim inhonoras debuimus præterire, & à virginum præconio separare, quas Apostolica sententia cum virginibus copulauit. Iuxta quod scriptum est: Et mulier inupta, & virgo cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu. Quodammodo enim magisterium virginum, viduarum valefcit exemplis. Quæ cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt integritatem Deo esse seruandam. Et prope modum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire. In vtroque fortes, vt eas & coniugij non pœniteat cui fidem seruent, & coniugalia oblectamenta non alligent, ne videantur infirma, quæ sibi adesse non possunt. In hac ipsa tamen virtute præmia sunt reposita libertatis. Mulier enim vincita est quanto tempore vir eius viuunt, quod si dormierit vir eius, libera est, cui vult nubat: tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanferit, secundum meum consilium dico. Puto enim quod & ego spiritum Dei habeam. Euidenter igitur expressit Apostolus quid intersit, cum aliam vincitam esse dixerit, aliam beatior esse memorauerit. Idque non tam ex suo iudicio, quàm diuini spiritus docuit infusione depromptum, vt cœlestis ista nõ humana sententia videretur. Quid verò illud quod temporibus iis quibus fames omne genus vrgebat humanum, Helias ad viduam destinatus est? Et vide quemadmodum propria singulis gratia referuatur. Angelus ad virginem, propheta ad viduam. Adde quod Gabriel ille, hic Helias, vt ex angelorum & prophetarum numero præstantissimi principes videantur electi. Sed non simplex viduitatis laus est, nisi virtus etiam viduitatis accedat. Nam vtique multæ viduæ antè, sed vna omnibus antefertur: in qua non tam cætera reuocantur ab studio, quàm virtutis prouocantur exemplo. Sollicitas igitur aures præfugio facit, quamuis simplicitas intellectus ipsa moralis sit, quæ ad virtutis exemplum viduas cohortetur: quia nõ professione, sed merito videtur vnaquæque præflare, & hospitalitatem apud Deum gratiam non perire, qui potum aquæ frigidæ, sicut in Euangelio ipse memorauit, præmio æternitatis remuneret amplissimo, & farinæ breuis oleique mensuram indeficienti affluentium copiarum vbertate compenset. Nam si quis de gentilibus dixit, communia omnia amicorum esse debere, quomodo magis debent esse communia cognatorum? Cognati enim sumus, qui in vnam seriem corporis copulamur. Sed tamen non præscripto quodam hospitalitatis sine concludimur. Cur enim proprium id quod in seculo est putes, cum commune sit seculum? Aut cur priuatos terræ deputes fructus, cum terra communis sit? Re-

spicite, inquit, volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt. Etenim quibus nihil est proprium, nihil deest. Et sententiæ suæ Deus arbiter nouit seruare promissum. Denique aues non congregant, & redundant, quia pater cœlestis pascit illas. Nos autem generalis monumenta sententiæ ad vsus proprios deriuantes: Omne, inquit, lignum quod habet in se fructus seminis fatiui, erit vobis in escam & omnibus bestiis, & omnibus auibis, & omnibus serpentibus super terram: congerando egemus, & congregando euacuamur. Non possumus enim sperare promissum, qui non seruamus oraculum. Salubre est igitur præceptum quoque hospitalitatis aduertere, vt hospitibus deferamus: quia nos quoque sumus hospites mundi. Quàm verò sancta vidua, quæ cum fame vrgeretur extrema, venerationem Deo debitam referuabat. Nec solum sibi vsurpabat alimenta, sed cum filio diuidebat, ne caro pignori superuiceret. Magnum pietatis officium, sed religionis vberius. Nam sicut neminem filio oportuit anteferri, ita propheta Dei, & filio præferri debuit & saluti. Cui non exiguum victum, sed vitæ suæ omne subsidium existimanda est detulisse, quæ nihil reliquit sibi, tam hospitalis vt totum daret, tam fidelis vt citò crederet. Ergo vidua non abstinentia corporis tantum definitur, sed virtute designatur. Cui præcepta non do ego, sed Apostolus tribuit. Honorificentiam non solus impartior, sed gentium doctor prius detulit dicens: Viduas honora quæ veræ viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum suam domum regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Vnde aduertitur vtrumque pietatis affectum viduæ inesse debere, vt filios diligat, parentibus deferat. Ita dum obsequium parentibus rependit: magisterium exercet in filios, suoque ipsa remuneratur officio, cum id quod aliis defert, sibi proficit. Hoc enim acceptum est coram Deo. Et ideo si cogitas vidua quæ Dei sunt, debes id sequi quod Deo placere didicisti. Et supra quidem sanctus Apostolus ad continentiam studium viduas cohortatus, dixit eas cogitare quæ sunt Domini. Alibi autem vbi eligitur vidua quæ probata est, non solum cogitare præcipitur, sed etiam sperare de Domino. Quæ enim verè vidua est, inquit, & desolata, sperat in Dominum, & instat obsecrationibus & orationibus die ac nocte. Nec immeritò has irreprehensibiles ostendit esse debere, quibus vt opus virtutis indicitur, ita etiam honorificentia larga defertur, vt etiam ab episcopis honorentur. Qualis autem eligi debeat, ipso doctoris sermone describitur. Non minus, inquit, sexaginta annorum, quæ fuerit vnus viri vxor. Non quo senectus sola viduam faciat, sed quod viduitatis merita, stipendia senectutis sint. Nam vtique illa præclarior quæ calorem adolescentiæ,

DD iij

& iunioris feruescētē edomat ætatis ardorem, nec mariti gratiam, nec vberiora liberorum oblectamēta desiderans: quā quæ effœta iam corpore, frigida senectute, natura aui, nec calere voluptatibus potest, nec sperare de partu. Neque verò si qua in secundas nuptias inciderit, (quas vtique Apostolica præcepta non damnant,) quasi fructu pudoris amisso, si rursus soluta fuerit viro, ab affectu viduitatis arceatur. Habebit illa quidem vel seræ meritum castitatis, sed probator erit quæ alterius non fuerit experta coniugium. In illa enim eminet studium castitatis, huic aut senectus, aut pudor modum videtur fecisse nubendi. Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna & vberissima disciplina virtutis, quæ in operibus bonis testimonium habeat, si filios educauerit, si hospitio receperit, si sanctorum pedes lauerit, si tribulationem patientibus subministraverit, si postremò omne opus bonum fuerit subsecuta. Vides quā multas virtutum comprehenderit disciplinas: Primò pietatis officium: secundo hospitalitatis studium, & humilitatis obsequium: tertio misericordiæ ministerium, liberalitatisque subsidiū: ad summam omnis executionem boni operis flagitauit. Et ideo adolescentiores deuitandas putat, eo quod non valeant tantæ opera implere virtutis. Etenim vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, feruorem calentis inflamat ætatis. Bonique doctoris est materiam arcere peccati: prima enim institutionis est disciplina culpam auertere, secunda virtutem infundere. Tamen cum sciuerit Apostolus Annam illam ab adolescentia octogenariam viduam dominicorum operum extitisse prænunciam, non puto quod iuniores reuocandas putarit à viduitatis affectu, maximè cū dixerit: Melius est nubere quā vri. Nam vtique pro remedio nuptias suasit, vt peritura sanetur: non pro electione præscripsit, casta & continens quid sequatur. Aliud est enim subuenire labenti, aliud suadere virtuti. Et quid de humanis iudiciis loquar, cum diuinis iudiciis in nullo grauius Iudæi Dominum læsisse prodatur, quā quod viduæ gratiam minorūque iura violarent? Hæc prophetis causa vocibus conclamatur, quæ meritum Iudæis refectionis inucherit. Hæc sola causa delicti inuidiam mitigatura memoratur, si honoretur vidua in honoribus, æqui iustitia iudicij deferatur. Sic enim habes: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus dicit Dominus. Et alibi: Pupillum & viduam suscipiet. Et alibi: Viduam eius benedicens benedicam. In quo Ecclesiæ quoque figura prætextitur. Videris igitur sanctæ viduæ nequaquam lubrico munus studio deserendum, quod diuinæ benedictionis subsidiis honoratur. Quid verò illud, vt ad superiora redeamus, quod cum in omni terra esset fames maxima, viduæ tamen Deo cura non defuit, atque ad alendam eam propheta directus est? In quo cum se admoneat Dominus, quod in veritate dicitur sit, ad mysteriū videtur sollicitare aures. Quid enim verius Christi, & Ecclesiæ potest esse mysterio? Non igitur ociose inter multas viduas vna præfertur. Quæ enim talis, ad quam tantus propheta, qui ad cælum raptus est, dirigitur, eo præsertim tempore quo clauum est cælum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fa-

mes magna in omni terra? Vbique ergo fames erat, & adhuc tamen hæc vidua non egebat. Qui sunt hi tres anni? Fortè illi quibus Dominus venit in terras, & fructum in ficulnea inuenire non potuit: iuxta quod scriptum est: Ecce anni tres sunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Hæc est profectò vidua illa, de qua dictum est: Letare sterilis quæ non parturis, erumpe & exclama quæ non parturis: quoniam multi filij desertæ magis quā eius quæ habet virum. Et bene vidua, cui benedicitur: Ignominia & viduitatis tuæ non eris memor, quia ego Dominus qui facio te. Et fortasse ideo vidua quæ amisit quidem virum secundum corporis passionem, sed in die iudicij filium hominis quem amisisse visa est receptura. Tempus enim breue, inquit, dereliqui te, vt gloriosius scilicet fidem relicta seruares. Habent itaque omnes quod imitentur exemplum, virgines, nuptæ & viduæ. Et fortasse ideo Ecclesia, virgo, nupta, vidua, quia vnum corpus in Christo sunt. Hæc igitur illa vidua est, propter quam verbi cœlestis fides cum esset in terris, propheta sunt destinati. Erat enim vidua quæ sterilis erat, sed patrum suo tempore referuabat. Vnde nec illius nobis videtur persona mediocri, qui aridam terram verbi rigauit rore cœlesti, clauumque cælum non humana vtique potestate referauit. Quis enim est qui cælum potest aperire nisi Christus, cui quotidie de peccatoribus cibus Ecclesiæ cumulo congregatur? Neque enim humanæ facultatis est dicere: Hydria farina non deficiet, & vas olei non deficiet vsque in diem quo dabit Dominus pluuiam super terram. Nam licet mos sit ita præfari prophetis, tamen hic vera Dei vox est. Ideo permittum est: Quia hæc dicit Dominus. Domini enim est perperuitatem sacramentorum spondere cœlestium, & non defuturam spiritualis exultationis gratiam polliceri. Largiri munimenta vitæ, fidei signacula, dona virtutum. Quid est autem: Vsque in illum diem quo dabit Dominus pluuiam super terram, nisi quia descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram? In quo veteris mysterium referatur historia, quo sanctus Gedeon mystici certaminis præliator futurę capiens insigne victoriæ, spiritale sacramentum vigore mentis agnouit, pluuiam illam verbi rorem esse diuini, quæ primo pluit in vellus, cum terra omnis perpetuis siccitatibus æstualet. Secundo verò indicio vniuersam terram fuso imbre madefecit, cum siccitas esset in vellere. Aduertit enim vir præfagus futuræ Ecclesiæ crescētis insigne. Nam primo intra Iudæam diuini cœpit ros sermonis humescere. (Notus enim in Iudæa Deus,) cum arida fidei totius orbis vniuersa torrerent. Sed vbi Ioseph greges Deum negare cœperunt, & ausu nefario immanium delictorū contrahere diuinitatis offensam, tunc per omnes terras fuso imbris rore cœlestis, populus Iudæorum æstu perfidiæ suæ cœpit arefcere, cum Ecclesiam sanctam ex omnibus terrarum partibus congregatam, propheticæ nubes, & salutaris imber Apostolicus irrigarent. Hæc est illa pluuia nō terrarum humido, non nebuloso concreta mōtium, sed cœlestium scripturarum salubri per totum orbem imbre diffusa. Ostenditur exemplo igitur, nō omnium esse diuinæ mereri miracula potestatis, sed

sed eorum quibus religiosæ deuotionis studia suffragantur. Et diuini eos fructu operis abdicari, qui reuerentiæ cœlestis sunt exortes. Ostenditur etiam in mysterio, quod ad instaurandam ecclesiam Dei filius humani corporis sacramenta suscepit, abdicato populo Iudæorum, quibus consiliarius & Propheta, beneficiorūque adempta sunt miracula diuinorum, eò quod ciuico quodam inuidiæ nauo in Dei filium credere noluerunt. Docuit igitur scriptura quanta collatio gratiæ, quantum etiam sit munus diuinæ benedictionis in viduis. Quibus quoniā honorificentia à Deo tanta confertur, facile est aduertere qualis debeat vita competere. Docet enim Anna quales deceat esse viduas, quæ immaturo mariti obitu destituta, maturæ tamen à Deo remunerationem laudis inuenit, non minus religionis officio, quā studio castitatis intenta. Vidua, inquit, octoginta & quatuor annorum, vidua quæ non discedebat de templo, vidua quæ ieiuniis & obsecrationibus die ac nocte seruaret. Vides qualis vidua prædicetur, vnius viri vxor, ætatis quoque probata iam processu, viuida religioni, & effœta iam corpore, cui diuersorium in templo, colloquium in prece, vita in ieiunio, quæ dierum noctiūque temporibus indefessæ deuotionis obsequio cum corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciret atatem. Sic instituitur à iuuentute vidua, sic prædicatur in senectute veterana: quæ viduitatem non occasione temporis, non imbecillitate corporis, sed virtutis magnanimitate seruauerit. Etenim cum dicit septem annis eam cum viro fuisse à virginitate sua, ab adolescentiæ vtique studiis inchoata prædicat subsidia senectutis. Docemur itaque triplicem castitatis esse virtutem: vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam sic prædicamus, vt excludamus alias: suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc ecclesiæ opulens disciplina, quod quos præferat, habet: quos reiciat, non habet: atque vtinam habere nunquā possit. Ita igitur virginitatem prædicamus, vt viduas nō reiciamus: ita viduas honoramus, vt suos honor coniugio referuatur. Non nostra hoc præcepta, sed diuina testimonia docent. Reminiscamur itaque quæ admodum Maria, quemadmodum Anna, quemadmodum Susanna laudentur. Et quoniam non laudes earum tantummodò prædicandæ sunt, sed disciplinæ etiam sunt sequendę reminiscamur vbi Susanna, vbi Anna, vbi Maria sint repertæ, & aduertamus quemadmodum singulæ aptis laudibus prædicentur, & vbinam commorantur. Nupta in paradiso, vidua in templo, virgo in secreto: sed in illis tardior fructus, in virgine maturior. Illas senectus probat, virginitas laus ætatis est, nec adiumenta quærit annorū, quæ omnium est fructus ætatum. Adolescentiam decet, iuuentutem ornat, amplificat senectutē, omnique æuo habet iustitiæ suæ canos, maturitatē grauitatis, velamen pudoris, qui deuotionem non impediatur, religionem augeat. Aduertimus enim ex sequentibus, quia quotannis in die solenni Paschæ, sancta Maria cum Ioseph Hierusalē petebat: vbiq; impigra deuotio, vbiq; assidu° virgini comes pudoris adiungitur. Nec inflatur Domini mater quasi securi de meritis, sed quod meritū maius agnouit, eò

votum vberius exoluit, officium copiosius detulit, munus religiosius vexit, mysticum tempus impleuit. Quotò igitur vos magis conuenit intentas esse studio castitatis, ne locum sinistrae relinquatis opinioni, quæ pudicitia testimonium in solis habetis moribus? Virgo enim licet in ea quoque maior sit morum prerogatiua quā corporis, calumniam tamen integritate carnis abiurat. Vidua quæ probandæ subsidium virginitatis amiserit, non in voce obstetricis, sed in suis moribus habet castitatis examē. Docuit igitur scriptura, quā attentus viduæ esse debeat & religiosus affectus. Docuit etiam libro eodem, sed alio loco, quā misericordē in pauperes, & liberalem esse conueniat, nec paupertatis debere contemplatione reuocari: quia liberalitas non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu. Denique dominica voce illa vidua omnibus antefertur, de qua dictum est: Vidua hæc plus omnibus misit. In qua moraliter Dominus instituit vniuersos, ne quis à collatione ministerij paupertatis pudore reuocetur: nec sibi diuites blandiantur, quod plus videantur conferre, quā pauperes. Vberior est enim nummus è paruo, quā thesaurus è maximo: quia non quantum detur, sed quantum refideat expenditur. Nemo plus tribuit, quā qui nihil sibi relinquit. Quid tu diues egeni comparatione iactas, & cum tota oneraris auro, preciosam per humum trahens vestem, quasi inferior tuis & parua, diuitiis honorari desideras, quia inopem collatione vicisti? Et flumina superfluunt cum redundant. Gratiior tamē haustus è riuulo est. Spumant & musta dū feruent, nec damnum putat agricola quod defluerit. Gementibus arcis dum cæditur messis, frumenta defolliunt: sed deficientibus messibus non deficit hydria de farina, & plena olei testa defudat. Exinanuit tamen dolia diuitum siccitas, cum viduæ pauxillum olearium redundaret. Non ergo quid fastidio expuas, sed quantum deuotione conferas, æstimandum est. Denique nulla plus tribuit, quā illa quæ de filiorum alimentis pauit Prophetam. Et ideo quia nulla plus contulit, nulla plus meruit. Hæc moraliter: nec mysticè tamen despexeris hanc mulierem in gazophylacium duo æra mittentem. Magna planè fœmina, quæ diuino iudicio meruit omnibus anteferri, ne fortè illa sit quæ de fide sua ad subsidium hominum duo testamenta contulerit. Et ideo nulla plus fecit. Nec quisquam hominū quantitatem potuit collationis eius æquare, quæ fidem cum misericordia copulauit. Et tu igitur quæcūque vitam studio viduitatis exeres, ne dubites ad gazophylacium duo æra deferre, vel fidei plena vel gratiæ. Fœlix illa, quæ de thesauro suo integram regis imaginem profert. Thesaurus tuus sapientia, thesaurus tuus castitas atque iustitia est, thesaurus tuus intellectus bonus: qualis ille thesaurus fuit, de quo Magorum viri, aurum, thus & myrrham cum adorarent Dominum, protulerunt, auro regis potentiā declarantes, Deum thure venerantes, myrrha resurrectionem corporis cōfidentes. Habes & tu thesaurum hunc, si in te requiras. Habemus etenim thesaurum in vasis fictilibus. Habes aurum quod conferas. Non enim renitentis metalli precium de te Deus exigit, sed illud aurum quod iudicij die ne-

queat ignis exurere. Nec dona preciosa deponit, sed odorem fidei, quem altaria tui cordis exhalent, & religiosæ mētis spiret affectus. Ex hoc igitur thesauro, non solum Magorum tria munera, sed etiam duo viduæ præ promittuntur, in quibus integra cœlestis imago regis effulgeat; splendor gloriæ eius, & imago substantiæ. Bona & illa planè laboriosæ stipendia castitatis, quæ de suo opere, quotidianoque p̄so conferat vidua, nocturnis pariter ac diurnis iugi exercens labore p̄sa tēporibus, & pudicitia quæstuosæ peruigil, opere mercedem congregans, ut in temeratum defuncti coniugis cubile custodiat, alere dulces liberos possit, & ministrare pauperibus. Hæc est præferenda diuitibus, hæc est quæ Christi iudicium non timebit. Hanc æmulamini filia. Bonum est enim æmulari in bono semper. *Æmulamini meliora charismata. Spectat vos Dominus semper, spectat, inquam Iesus, cum ad gazophylacium acceditis, & de bonorum operum mercedibus stipendia portatis egentibus conferendam. Quantum est igitur ut æra tua conferas, & Christi corpus acquiras? Noli ergo vacua prodire in conspectu Domini Dei tui, vacua misericordiæ, vacua fidei, vacua castitatis. Non enim inanes Dominus, sed virtutibus opimas spectare Iesus & laudare consuevit. Videat te adolescentula laborantem, videat ministrantem. Hæc est enim merces quam Deo debes, ut de aliarum quoque profectibus mercedem Deo tuo conferas. Nulla merces Deo melior quam ea quæ habet pietatis munera. An verò mediocris tibi vidua illa videtur Noëmi, quæ viduitatem suam messis manipulis sustentabat alienæ, quam ævo grauem alebat nurus? Nam hoc quoque & ad subsidium, & ad gratiam viduarum proficit, ut ita instituatur nurus suas, quod possint in his maturæ habere subsidium senectutis, & quasi stipendium magisterij, mercedem quoque sue capere disciplinæ. Etenim quæ bene instituerit, bene erudierit nurus suam Ruth, ei deesse non poterit, quæ viduitatem socrus paternæ domui præferat. Et si vir quoque eius mortuus fuerit, non relinquat tamen, alat inopem, soletur mœrentem, nec dimissa discedat. Nescit enim egere optima disciplina. Sic illa Noëmi duobus destituta filiis & marito, quæ fructus fecunditatis amiserat, pietatis emolumenta non perdidit: nam & solatium mœroris, & subsidium paupertatis inuenit. Videtis igitur sanctæ fœminæ quam fecunda sit vidua prole virtutum, meritorumque suorum sobole, quæ perire non possit. Bona igitur vidua egere non nouit: & si fessæ fuerit ætatis, & supremæ paupertatis, eruditionis tamen suæ solet habere mercedem. Et si proximi defuerint, inuenit tamen extraneos qui matrem colant, reuerentur parentem, paruisque alimentorum sumptibus mercedem cupiant suæ cōmendationis acquirere. Plus enim viduæ rependunt merita, quam civibus quærit, sumptus impendit. Sed tristes videtur ducere dies & lachrymis tempus exigere. Hoc beatorum quod perpetua sibi gaudia exiguis fletibus emittit, paruisque momentis tempora acquirit æterna. Quibus benedicuntur: Beatæ tristes, ipsæ enim ridebitis. Quis igitur falsas præsentium imagines gaudiorum futuræ securitatis præferat voluptati? An despicibilis nobis author videtur ille dominici cor-*

poris, author electus, qui cinerem sicut panem manducabat, & potum cum fletu miscebat, ut vespertinis lachrymis, matutinæ sibi lætitiæ redemptionis acquireret? Unde igitur plurimum gaudere meruit, nisi quia plurimum fleuit, & tãquam lachrymarum precio suarum futuræ sibi gloriæ gratiam comparauit? Habet igitur vidua bonam cōmendationis suæ materiam, ut dum virum luget, fleat seculum, & in promptu sint lachrymæ redemptrices, dum penditur mortuis, viuentibus profutura. Paratus est mœritudine animi fletus oculorum, misericordiâ conciliat, laborem minuit, dolorem ableuat, seruat pudorem, nec iam misera sibi videtur quæ consolationem in lachrymis habet, in quibus sunt charitatis stipendia, pietatis officia. Sed nec fortitudo bonæ viduæ deesse consuevit. Hæc enim vera est fortitudo quæ naturæ vsum, sexus infirmitatē, mentis deuotione transgreditur, qualis in illa fuit cui nomen Judith, quæ viros obsidione fractos, percussos metu, tabidos fame, sola potuit à colluione reuocare, ab hoste defendere. Etenim, ut legimus, cum Holofernes successu multorum terribilis præliorum intra muros innumera virorum milia cōegisset, armatis pauperibus, & de extrema iam sorte tractantibus, extra murum processit, & cō fortior quem fugauit. Sed discas maturæ viduitatis affectum, seriem ipsam proficere scripturarum. A diebus enim viri sui quibus ille defunctus est, vestem iocunditatis deposuit, mœroris assumpsit, per omnes dies intenta ieiunio, sabbato tantum & dominica, sacratarumque temporibus feriarum non refectio indulgens, sed religioni deferens. Hoc est enim, siue manducetis, siue bibitis, in nomine Domini Iesu Christi agenda esse omnia, ut etiam ipsa refectio corporalis sacro religionis cultui deferatur. Diuturnis igitur mœroribus, & quotidianis roborata ieiuniis sancta Judith, quæ seculi oblectamenta non quæreret, periculi negligens, mortisque contemptu fortior, ut commentitium strueret dolum, vestem illam iocunditatis, quam viuente viro vestiri solebat, se induit, quasi placitura viro si patriam liberaret. Sed virum alium videbat, cui placere querebat: illi vti que de quo dictum est: Post me venit vir qui ante me factus est. Et bene coniugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monumenta coniugij arma sunt castitatis. Neque enim vidua aliis aut placere posset, aut vincere. Quid cetera proficimus, quod inter tot millia hostium casta permansit? Quid eius sapientiam prædicemus, quod huiusmodi commenta est consilium, ut dum potentem elicit intemperantia, à se inferiores arceret, occasionem pararet victoriæ, abstinentiæ meritum, pudicitia gratiam reseruaret? Nec cito enim, ut legimus, maculata, nec adultero, non minus seruata castitatis ex hostibus reuexit trophæum, quam patriæ liberata. Quid sobrietatem loquamur? Temperantia enim virtus est fœminarum. Inebriatis vino viris & somno sepultis, abstulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscondit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Aduertatis igitur quatum nocere mulieribus possit ebrietas, quando viros vina sic soluunt, ut vincantur à fœminis. Esto igitur vidua tēperans, casta primùm à vino,

à vino, ut casta possis esse ab adultero. Nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Judith bibisset, dormisset cum adultero. Sed quia non bibit, haud difficile ebrios exercitus vnius sobrietas, & vincere potuit, & eludere. Nec dexteram tantum hoc opus, sed maiora trophæa sapientiæ. Nam manu solum Holofernem vicisset, consilio autem omnium hostium vicit exercitum. Suspenso enim Holofernis capite, quod virorum consilio non potuit excogitari, suorum erexit animos, hostium fregit, suos pudore excitans, hostes quoque terrore percellens, eò quod cæsi sunt & fatigati. Ita vnius viduæ temperantia atque sobrietas non solum naturam suam vicit, sed quod est amplius, fecit viros etiã fortiores. Nec his tamen eleuata successibus, cuiusque gaudere & exultare licebat iure victoriæ, viduitatis reliquit officium, sed contemptis omnibus qui eius nuptias ambiebant, vestem iocunditatis deposuit, viduitatis resumpsit, nec triumphorum suorum amavit ornatus, illos existimans esse meliores quibus vitia corporis, quam quibus hostium armavincuntur. Ac ne vna vidua tantum hoc opus imitabile aliis videatur implese, plures alias vel parilis, vel proximæ fuisse virtutis nequaquam dubitandum videtur. Bona enim seges plurimas spicas fructu refertas ferre consuevit. Nec dubites illam veterum segetem temporum in complurium fœminarum moribus fecundasse. Sed quia prolixum est complecti omnes, cognoscite aliquas, & præcipuè Deborah, cuius nobis prodidit scriptura virtutem. Hæc enim docuit non solum viri auxilio viduas non egere, verum etiam viris posse esse subsidio: quæ nec sexus infirmitate reuocata munia virorum obeunda suscepit, & suscepta cumulauit. Denique cum Iudæi iudicum regerentur arbitrio, qui virili non poterant vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Deborah sibi cuius regerentur iudicio, cooptarunt. Itaque multa millia virorum vna vidua & in pace rexit, & ab hoste defendit. Multi iudices in Israël, sed nulla ante iudex fœmina. Multi iudices post Iesum, sed nullus propheta. Et ideò lectum istius puto esse iudicium, & gesta eius arbitror esse descripta, ne mulieres à virtutis officio muliebris sexus infirmitate reuocentur. Vidua populos regit, vidua ducit exercitus, vidua duces eligit, vidua bella disponit, mandat triumphos. Non ergo natura rea est culpa, nec infirmitati obnoxia: strenuus enim non sexus, sed virtus facit. Et in pace quidem nulla querimonia, nullus error mulieris inuenitur, cum plerique non mediocrium peccatorum autores populo suo iudices extitissent. Vbi verò Chananaea gens ferox prælio, & affluentium copiarum opima successu, hostiles in populum Iudæorum animos extulerunt, vidua præ ceteris bellicos instruit apparatus. Et ut discas non publicis copiis domesticas necessitates fuisse subnixas, sed domesticis disciplinis munus publicum gubernatum, domo propria filium ducem producit exercitus, ut agnoscat quod possit instituire vidua bellatorem. Quem quasi mater erudit, quasi iudex proposuit, quasi fortis instituit, quasi prophetes victoriæ certa transmisit. Denique in mulieris manu summam fuisse victoriæ docet Barach filius dicens: Nisi tu veneris mecum, non ibo, quia non

noui diem in qua dirigit Dominus angelum suum mecum. Quanta ergo fœminæ istius virtus, cui dux dicit exercitus: Nisi tu veneris, non ibo? Quanta, inquam, viduæ fortitudo, quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu, inò ad victoriam filii studio matris hortatur dicens, quod in manu mulieris sit summa victoriæ. Debora ergo prælij probauit euentum. Barach iussus produxit exercitum. Hialech cepit triumphum. Huic enim propheta Deborah militauit. Quæ mysticè nobis ortum surrecturæ ex gentibus ecclesiæ reuelauit, cui triumphus de Sisara spiritali, hoc est, de aduersariis potestatibus quæretur. Nobis igitur Prophetarum oracula dimicauerunt, nobis illa Prophetarum iudicia & arma vice-runt. Et ideò non populus Iudæorum, sed etiã Hialech victoriam de hoste quæsiuit. Infelix ergo populus, qui hostem quem fugauit, persequi fidei virtute non potuit. Itaque illorum delicto salus gentibus, illorum desidia nobis seruata victoriæ est. Hialech ergo prostravit Sisaram, quem tamen corusco duce, (hoc enim significat interpretatio Barach) manus veterum fugauerat Iudæorum. Frequenter enim, ut legimus, orationibus & meritis Prophetarum cœlestia patribus affuere subsidia, sed his iam tunc de nequitia spiritualibus victoriæ paratur, quibus dicitur in Euangelio: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ergo principium victoriæ à maioribus, finis in ecclesia. Ecclesia autem non armis secularibus vincit aduersarias potestates, sed armis spiritualibus, quæ sunt fortia Deo ad destruendas munitiones, & altitudinem nequitia spiritualis. Et ideò Sisara fitis lætis poculo restinguitur, quia oratione superatur. Quod enim nobis salutare ad escam, hoc aduersariæ potestati lethale ad infirmitatem. Arma ecclesiæ, fides: arma ecclesiæ, oratio est, quæ aduersarium vincit. Ergo secundum historiam, ad prouocandos animos fœminarum, fœmina iudicauit, fœmina disposuit, fœmina prophetauit, fœmina triumphauit, & præliaribus intermixta copiis, imperio viros docuit militare fœmineo. Secundum mysterium veræ fidei, militia ecclesiæ victoriæ est. Non ergo habetis quod per naturam vos excusetis fœminæ. Non habetis viduæ, quod ad infirmitatem sexus, ad amissionem subsidij maritalis mobilitatem vestram referre possitis. Satis vnicuique præsidij est, si virtus animi non desit. Et ipse in viduis frequens processus ætatis munimen pudoris est, & ipse amissi coniugis dolor, vsum operis, domus cura, sollicitudo liberorum noxiam pudori solet arcere lasciuiam. Atque ipse lugubris habitus, pompa funebris, fletus assiduus, & mœstæ fronti inarantibus rugis impressa tristitia, petulatum premit oculos, restringit libidines, pro-caces auertit aspectus, bonus custos pudoris, pietatis dolor: non obrepit culpa, si cura non desit. Didicistis igitur viduæ subsidio vos non egere naturæ, & posse salubritatem tenere consilij, nec domestico indigere præsidio, quæ etiam publicæ potestis apicem potentia vindicare. Sed fortasse dicit aliqua, ei tolerabiliorem viduitatem cui profluant res secundæ, aduersis verò viduas citò frangi, facile succumbere. De quo etsi ipso doceamur vsum, læta viduis lubrica magis esse quam seria, tamen scriptura-

1. Cor. 12.

Ruth 1.

Lucæ 6.

Iudith 8.

1. Cor. 10.

Iudith 10.

Iudith 10.

Ibidem.

Matth. 23.

1. Cor. 10.

rū instrumur exemplis, infirmitatibus quoque viduarū non deesse solere subsidia, faciliūque quam cæteris diuina atq; humana suppetere, si bene filios instituant, generos legant. Denique cum socrus Simonis magnis febribus detineretur, Petrus & Andreas rogauerunt Dominum pro ea. Et stans super illam, imperauit febrī, & remisit illam: & continuo surgens ministrabat illis. Magnis (inquit) tenebatur febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos proximos, habes martyres proximos, si ipsa martyribus deuotionis societate, misericordie quoque muneribus appropinques. Proximus est enim qui misericordiam facit. Fac & tu misericordiam, & eris Petro proxima. Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio facit proximos: quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. Ama ergo propinquitatē Petri, affinitatem Andree, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulsa. Surgas illico quæ in terris iacebas, vt Christo ministres. Nostra enim conuersatio in cælis est, vnde & Saluatorem expectamus Dominum Iesum. Nemo enim iacens Christo ministrat: ministra pauperi, & ministrasti Christo. Quod enim vni horū fecistis, mihi, inquit, fecistis. Habetis ergo viduæ auxilium, si tales vobis generos posteritatis vestræ patronos, tales proximos eligatis. Ergo rogauerunt pro vidua Petrus & Andreas. Vtinam existat aliquis qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste qui pro socru rogat Petrus, & Andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Videtis enim quod magno peccato obnoxia, minus idonea sit quæ pro se precetur, certè quæ pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Ægri enim, nisi ad eos aliorū precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare nō possunt. Infirma est caro, mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita. Ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. Obscra di sunt angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, martyres obscra di, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrociniū vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si qua habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri præfules, speculatores vitæ, actuūque nostrorum. Non crubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent cognouerunt. Inuenit ergo Petri socrus qui pro se rogerent. Et tu vidua inuenis qui pro te supplicet, si quasi verè vidua & desolata in Deum speres, in festis obsecrationibus, insistas orationibus, afficias corpus tuum quasi quotidie moriens, vt moriendo reuiuifcas. Fugas delicias, vt etiam ægra saneris: nam vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est. Sublata est tibi causa nubendi, habes qui pro te intercedat: ne dixeris, destituta sum: Querela nupturæ est. Ne dixeris: sola ego sum. Castitas solitudinem querit, pudica secretum, impudica conuentum. Sed negocium habes & intercessorem, aduersarium vereris apud iudicem, pro te Dominus interuenit dicens: Iudicate pupillo, & iustificate viduam. Sed patrimonium vis tueri, maius pudoris est patrimonium, quod

Luce 4.

Philip. 3.

Math. 2 5.

1. Tim. 5.

Esai. 1.

melius regit vidua quàm nupta. Seruus peccauit, ignosce. Melius est enim alterius culpam feras, quàm tuam prodas. Sed vis nubere, licet, non habet crimē simplex voluntas, causam non quæro, cur fingitur? Si honestum putas, fatere: si incongruum, sile, ne accuses Deum, ne accuses propinquos quod præsidia tibi desint. Vtinam non desit voluntas, ne te consulere liberis dicas, quibus matrē eripis. Est etiā quod facultati licet, atati non licet. Cur maternæ parantur nuptiæ inter nuptias filiarum, & plerumque post nuptias? Cur adulta filia discit prius sponsum matris quàm suum erubescere? Suasimus fateor vt vestem mutares, non vt flammam sumeres: vt à sepulchro recederes, non vt thalamum præparares. Quid sibi vult noua nupta post generos? Quàm indecorum est iuniores habere liberos quàm nepotes. Sed ad propositum reuertamur, ne qui nostrorū dolemus vulnera peccatorum, medicum relinquamus: & dum alienis medemur vlcerebus, vlcera nostra cumulemus. Rogatur ergo hic medicus. Ne timeas, quia magnus est Dominus, & fortasse ad agrā nō dignatur venire. Venit enim ad nos sapē de cælo, nec solum diuites, sed etiā pauperes solet & seruos pauperes visitare. Venit & nunc rogatus ad Petri socrum, & stans super illam, imperauit febrī, & remisit illam: & continuo surgens ministrabat illi. Sicut dignus memoria, ita dignus desiderio, dignus etiam charitate dominicæ in singulos dignationis affectus, & facta miranda: visitare viduas non dedignatur, & tugurij vilis penetralia angusta succedere. Quasi Deus imperat, quasi homo visitat. Gratias Euangelio, per quod etiam nos qui oculis nostris venientem in hunc mundum non vidimus Christū, videmur ei dum facta eius legimus interessē: vt sicut illi quibus appropinquabat, fidem mutuabantur ex eo, ita etiam nobis dum gestis eius credimus, appropinquet. Vides qualia habeat genera sanitatum? Imperat febrī, imperat spiritibus immundis, alibi ipse imponit manus. Non solum igitur verbo, sed etiam tactu ægros curare consuevit. Et tu igitur quæ variis mundi æstus cupiditatibus, vel forma viri alicuius capta vel pecunia, roga Christū, adhibe medicum, porrige ei dexteram tuam, tangat interiora tua Dei manus, verbique cœlestis gratia interiorum venas scrutetur animorū. Pulset Dei dextera secreta cordis. Alij oculos luto illiniuit, vt videre possent: creatorque omnium docet nos nostrę memores debere esse naturæ, & corporis cernere vilitatem. Nemo enim magis potest videre diuina, nisi qui humilitatis suæ conscius, nescit extolli. Alius sacerdoti se offerre præcipitur, vt carere in perpetuum lepræ possit exuuiis. Solus enim mentis & animi potest seruare munditiam, qui ei sacerdoti se nouit offerre, quem pro peccatis nostris accepimus aduocatum: illum vtique cui dicitur: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nec vereare moram aliquam sanitatis, nescit indumentum qui sanatur à Christo. Opus est vt remedium adhibeas quod acceperis. Simul enim vt præceptum dederit, cæcus videt, paralyticus ambulat, mutus loquitur, surdus audit, febriens ministrat, lunaticus liberatur. Et tu igitur quæcunque indecorè alicuius rei cupiditate languescis, obscra Dominum, fidem deser, nec vllam

Luce 4.

1. Cor. 7.

1. Cor. 6.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

lam timeas moram, vbi adest oratio, adest verbum: A fugatur cupiditas, libido discedit. Ne confessionis verearis offensam, imò magis præsume prærogatiuam. Incontinenti enim quæ morbo antea corporis laborabas, Christo incipies ministrare. Potest etiam hoc loco videri Petri socrus affectio voluntatis, ex qua sibi velut semē futuræ posteritatis assumpserat, quod vnicuique voluntas sua posteritatis est author. Ex voluntate enim sapientia nascitur, quam sapiens in matrimonium adsciscit sibi, dicens: Proposui ergo hanc adducere ego mihi in coniugium. Ergo voluntas illa quæ primò variarum cupiditatū æstibus madefacta languebat, postea per Apostolatus officium in ministerium Christi iam robusta surrexit. Simul qualis esse debeat quæ Christo ministrat, ostenditur. Oportet eam primò carere variarū illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, vt corpus & sanguinem Christi ministret. Neque enim potest quisquam peccatis suis æger minimèque sanus, immortalium sanitatū remedia ministrare. Vide quid agas sacerdos, ne febrienti manu corpus Christi attingas: prius curare, vt ministrare possis. Si mundos eos qui antè fuerant leprosi, Christus iubet occurrere sacerdotibus, quātomagis mundum ipsum conuenit esse sacerdotem? Nō habet igitur quod molestè ferat illa vidua quod sibi non pepercerim, quando nec mihi parco. Surrexit itaque Petri, inquit, socrus, & ministrabat illis. Et bene surrexit. Sacramenti enim typum Apostolica iam gratia ministrabat. Proprium est autem surgere Christi ministros. Iuxta quod scriptū est: Surge qui dormis, & exurge à mortuis. Didicimus igitur nec sumptibus egere viduas, quæ donare consueverint: nec subsidio, quibus sapē in periculis maximis defensæ sunt virorū copiar. Maritalia iis quoque officia vel à generis, vel à proximis facile solere reparari: esse etiam in eas diuinam misericordiam promptiorem: & ideò cum suppetere non videatur causa, nubendi studium abesse debere. Quod tamen pro consilio dicimus, nō pro præcepto imperamus, prouocantes potius viduam, quàm ligantes: neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus. Alia est enim infirmitatis contemplatio, alia gratia castitatis. Plus dico, non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus sapē repetitas: neque enim quicquid licet, & decet. Omnia mihi licet, dicit Apostolus, sed non omnia sunt vtilia. Et vinum bibere licet, sed plurimum nō decet. Licet ergo nubere, sed pulchrius est abstinere: sunt enim vincula nuptiarum. Vultis scire quæ vincula? Quæ sub viro est mulier, viuentem viro alligata est legi: si autē mortuus fuerit, soluta est à lege viri. Probatum est igitur vinculum esse coniugium, quo mulier ligatur & soluitur. Bona mutui amoris gratia, sed maior est seruitus: neque enim mulier sui corporis potestatem habet, sed vir, Et ne fortè tibi non coniugij videatur ista seruitus esse, sed sexus: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quanta igitur coniugij necessitas, quæ subiicit alteri etiam fortiorum. Mutuis enim necessitatibus ab vtroque seruitur. Nec temperati licet iugo subducere caput, cum alterius intemperantiæ seruiendum sit. Precio, inquit, empti estis, nolite fieri serui hominum. Videtis

Luce 4.

sup. 8.

1. Cor. 7.

1. Cor. 6.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

quàm euidentis sit coniugalis definitio seruitutis. Nō ego hoc dico, sed Apostolus: nec ille, sed Christus qui loquebatur in eo: & hanc vtique seruitutem de bonis coniugibus definiuit. Namque supra sic habes: Sanctificatus est vir infidelis per vxorem fidelē. Et sanctificata est mulier infidelis, per maritum fidelem. Et infra: Quod si infidelis discedit, discedat: nō est seruituti deditus frater aut soror in talibus. Si igitur bonum coniugium seruitus est, malum coniugium quid est, quando nequeunt se inuicem sanctificare, sed perdere? Sed vt ad gratiam virtutis viduas adhortamur, ita enim ad ecclesiæ disciplinā fœminas prouocamus, quæ ecclesia constat ex omnibus. Et licet Christi grex constet ex omnibus, grex tamen in aliis pabulo vescitur, in aliis adhuc lacte nutritur, quibus lupi illi qui latent in vestimento ouium, sunt cauendi, abstinentiæ speciem prætendentes, prouocantes autem intemperantiæ fœditatem. Etenim quia sciunt valida onera castitatis, cum ipsi ea attingere digitulis non queant, ab aliis supra modum exigunt, cum ipsi seruare nec modum possint, sed iniusto sub falce succumbant. Mensura enim oneris pro mensura debet esse gestantis, alioquin impositi oneris fit ruina, vbi vectoris infirmitas est: nam & infantium fauces strangulat esca robustior. Et ideò sicut multitudo vectorum non paucorum viribus æstimatur, nec tamen fortioribus de aliorum infirmitate præscribitur, sed vnicuique quantum oneris subire cupiat, relaxatur, manente mercedis cumulo in virtutis augmento: ita etiam fœminis non laqueus iniiciendus, non supra vires abstinentiæ grauioris vectura subeunda est: sed relinquendum vt vnaqueque se pendat, non autoritate aliqua coacta præcepti, sed incremento gratiæ prouocata: & ideò diuersis virtutibus merces diuersa proposita est. Nec aliud reprehenditur, vt aliud prædicetur: sed omnia prædicantur, vt quæ meliora sunt, præferantur. Honorabile itaque coniugium, sed honorabilior integritas: nam & qui matrimonio iungit virginem suā, benefacit: & qui non iungit, melius facit. Quod igitur bonum est, non vitandum est: & quod est melius, eligendum est: itaque non imponitur, sed præponitur. Et ideò bene Apostolus dixit: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Etenim præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Vbi præceptum est, ibi lex est: vbi consilium, ibi gratia est. Præceptum vt ad naturam reuocet, cōsiliū vt ad gratiam prouocet. Et ideò lex Iudæis lata est, gratia autem electioribus reseruata est, lex vt à naturæ finibus culpæ studio democaret, ad naturæ obseruantiam pœnæ terrore reuocaret: gratia autem vt electos tum studio bonorum, tum propositis etiam præmiis prouocaret. Et vt intelligas distantiam præcepti atque consilij, illum recorderis cui in Euangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat. Præceptum etenim ibi est, vbi est pœna peccati. At verò cum se præcepta legis memorasset implese, consilium ei datur vt veda omnia, & sequatur Dominum. Hæc enim non præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namque forma mandati est, vna præceptiua, altera voluntaria. Vnde & Dominus in alia dicit:

Ibidem.

Hebr. 13.

1. Cor. 7.

Ibidem.

Math. 19.

Luc. 17.

Math. 19.

Ibidem. 25.

Ibidem. 16.

Ibidem. 5.

Galat. 5.

Non occides, vbi præcepit. In alia: Si vis perfectus esse, vende omnia tua. Ergo hic liber est à præcepto, cuius defertur arbitrio. Itaque qui præceptum impleuerint, possunt dicere: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Hoc virgo non dicit. Nō dicit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi reposita expectat præmia, sicut sanctus Apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Quid ergo nobis erit? Non enim quasi inutilis seruus, quod debuit facere, fecisse se dixit, sed quasi vtilis domino, qui commissa sibi talenta quæsit multiplicauit vsuris: mercedem fidei atque virtutis, bene sibi conscius meritorumque securus expectat. Et ideò ei cū cæteris dicitur: Vos qui sequuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & ipsi super duodecim sedes, iudicantes tribus Israël. At verò illi qui talenta seruauerunt, & si præmia, minora tamen præmia pollicetur, dicens: Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Fides igitur ex debito, misericordia in præmio. Qui bene credidit, vt ei credatur emeruit. Qui bene contulit, quoniã suum non quæsiuit, quod cœleste est impetrauit: ideò ergo præceptum nō datur, consilium datur. Præceptum enim castitatis est, consilium integritatis: sed non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim spadones qui de matris vtero sic nati sunt, in quibus naturæ necessitas virtus non est castitatis. Et sunt spadones, qui seipso castrauerunt, voluntate vtique, non necessitate: & sunt spadones qui facti sunt ab hominibus. Et ideò magna in iis continentie gratia, quia voluntas facit, non infirmitas continentem. Nam decet integrum diuini operis seruare munus, nec illis fortè parum sit, lubrico corporis non teneri. Nā et si erepta est subeundi istius palma certaminis, erepta etiam materia periculi, & quamuis non queunt coronari, non queunt tamen vinci. Habent alia genera virtutum, quibus commendare se debeant, si fides firma sit, profusa misericordia, aliena auaritia, frequens gratia. Sed in istis nulla culpa, quia facti ignorantia. Non eadem causa eorum, qui in seipso ferro vtuntur, quos non imprudenter defleximus. Sunt enim qui virtutis loco ponant ferro culpam compescere. De quibus et si nostram nolumus proferre sententiam, quamuis sint statuta maiorum, cōsiderent tamen, ne quis id ad professionem infirmitatis trahat, non ad firmitatis gloriam. Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur, nec pedis vtatur obsequio, qui gradiendi periculum reformidat, nec oculi intendat officio, qui concupiscentiæ timet lapsum. Sed quid prodest carnem abscindere, cum etiam ipsa culpa sit in aspectu? Nam & qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo. Et quæ similiter virum in concupiscentia viderit, adulteratur: castos ergo non infirmos esse nos conuenit. Pudicos oculos habere, non debiles. Nemo igitur, vt plerique arbitrantur, se debet abscindere, sed magis vincere: victores enim recipit ecclesia, non victos. Et quid argumentis opus? Præsto sit Apostolici forma præscripti. Sic enim habes: Vtinam & abscindantur qui volunt vos circumcidi. Cur enim coronæ occasio, & virtutis vsus eripitur homini qui ad laudem natus est, ad victoriam præparatus est, qui ipse potius virtute animi castrare se possit? Sunt enim spadones qui seipso castrauerunt propter regnum cœlorum. Sed hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. Etenim qui mandata dat decretorum, semper tenere debet mensuram: & qui pensa distribuit, æquitatem debet examinis referuare. Statera enim fallax abominatio est apud Deum. Est ergo minus pondus & maius: sed vtumque non recipit ecclesia. Pōdus enim maius & minimum, & mensuræ duplices, immunda in conspectu Domini: vtraque sunt pensa quæ diuidit sapiētia. Et ita diuidit virtutem, vt vires æstimet singulorum. Et ideò dicit: Qui potest capere capiat. Scit enim creator omnium, affectus esse varios singulorum. Et ideò præmiis virtutem prouocauit, nō infirmitatem vinculis alligauit. Scit & ille gentium doctor bonus morum auriga nostrorum, & quidam interiorum rector affectuum, qui de seipso didicerat, legi mentis legem corporis repugnare, eandem tamen Christi gratiæ cedere. Scit, inquam, varios cursus mentium repugnare. Et ideò neque in tantū adhortationem integritatis intēdit, vt aboleret gratiam nuptiarum, neque ita coniugium prætulit, vt studia integritatis extingueret. Sed à continentia persuasionem incipiens, ad incōtinentiæ remedia descendit. Et cum brauium superne vocationis fortioribus demonstrasset, deficere tamen in via neminē passus est, ita plaudens prioribus, vt non despiceret & sequentes. Didicerat enim & ipse, quia Dominus Iesus aliis panem hordeaceum ne in via deficerent, aliis corpus suum vt ad regnum cōtenderent, ministravit. Nec Dominus ipse præceptum imposuit, sed voluntatem inuitauit. Nec Apostolus præceptū statuit, sed consilium dedit. Sed non hoc humanū consilium, humanarum virium habere mensuram. Diuinæ munus misericordiæ confitetur in se esse collatum, vt fideliter sciret prima præferre, secunda disponere. Et ideò existimo, inquit, non statuo. Et existimo bonum esse propter instantem necessitatem. Non ergo copula nuptialis quasi culpa vitanda, sed quasi necessitatis sarcina declinanda: lex enim adstrinxit vxorem, vt in laboribus & in tristitia filios generet, & conuersio eius ad virum sit, quod ei ipse dominetur. Ergo laboribus & doloribus in generatione filiorum addicitur nupta, non vidua, & dominatui viri sola subditur copulata, non virgo. Omnium autem horum virgo libera est, quæ verbo Dei suum spondit affectum, quæ sponsum benedictionis cū fascibus expectat, bonæ lumine voluntatis accenso: & ideò prouocatur cōsiliis, non vinculis alligatur. Sed nec vidua præceptum accipit, sed consilium: consilium autem non semel datum, sed sæpè repetitum. Et primò dixit: Bonum est enim mulierem nō tangere. Et iterum: Volo sic omnes homines esse, sicut & meipsum. Et tertio: Bonum est illis, si sic maneat sicut & ego. Et quartò: Bonum est propter instantem necessitatē: & hoc placere Domino, & hoc honestum esse. Postremò beatiorum esse in viduitate perseverantem, non tantum suo consilio, sed etiã Dei spiritu definiuit. Quænam igitur talis consiliarij benignitatem recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id suadeat aliis quod in se expertus vtile iudicauit, non faciliè comprehendi, nec fastidiosus æquari?

æquari? Quæ igitur refugiat sancta fieri corpore & spiritu, cum supra laborem sit præmium, supra vsu gratia, supra opus merces? Atque hoc ita dico, non vt laqueum cæteris iniiciam, sed vt commissi mihi ruris operarius agrum hunc ecclesiæ fertilem cernam, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis grauitate pollentem, nunc etiam coniugij fructibus redundantem. Nam etsi diuersi, vnus tamen agri fructus sunt, nec tanta hortorum lilia, quantæ arista segetum, messium spicæ, compluriumque spatia camporum recipiēdis aptantur feminibus, quam redditis nouales fructibus feriantur. Bona ergo viduitas, quæ totiens Apostolico iudicio prædicatur. Hæc enim magistra fidei, magistra est castitatis. Vnde & illi qui deorum suorum adulteria & probra venerantur, cœlibatus & viduitatis statuere pœnas, vt ænuli criminum multarent studia virtutum. Specie quidem qua fecunditatem quærent, sed studio quo propositum castitatis abolerent. Nam cōfectis & miles stipendiis arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, vt & ipse exercitæ laboribus vitæ requiem consequatur, & alios spes futuræ quietis subeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam aliis stiuam * committit, & iuuenili grauatus opere prouidentiam curæ senilis explorat. Vitem facilius tondere quàm premere, vt iuuenescentē luxuriam reprimat, & adolescentum lasciuiam falce succidat, parcorum quãdam partuum castitatem docens etiam in vitibus expetendam. Similis huic vidua velut emeritis veterana stipendiis castitatis, & si coniugij arma deponat, domus tamen totius pacem gubernat: & si vehendis oneribus ociosa, maritandis tamen iunioribus prouida. Vbi cultus vtilior, vbi fructus vberior sit, quorum copiam aptior senili grauitate disponit. Itaque si maturioribus potius quàm iunioribus committitur ager, cur putes vtiliorem nuptam esse quàm viduã? Quod si persecutores fidei, persecutores fuerunt etiam viduitatis, vtique fidem persequentibus, viduitas non pro supplicio fugienda est, sed tenenda pro præmio. Sed fortasse aliquibus propter suscipiēdos liberos coniugia iteranda videantur. Quod si filiorum studium causa nubendi est, vtique vbi est fructus filiorum, causa non suppetit: quãquam cuius consilij sit, iterum experiri velle, frustra tētatum fecunditatem, aut subire quam pertulerit orbitatē? Hæc enim iterandi causa est filios non habentibus. Ergo illa quæ liberos suscepit & perdidit, (cum ipsa enim maior contētio quæ spem generandi habet.) Illa, inquam, nōne sibi videtur inter ipsa repetitarum fœdera nuptiarum amissorum prætexere fune-

* torquenda
aliu astina.

1. Cor. 7.

Genes. 5.

1. Cor. 7.

S. Ambr. tom. 5.

ra filiorum? Nōne iterum passura quod repetit, & ad ipsos votorum tumulos exceptarum orbitatum imagines lamentorum strepitus perhorrescit? Vel cum accensis funalibus nox ducitur, nōne pompe funebris exequias magis putat quàm thalamū præparari? Cur igitur filia dolores magis quos times repetis, quàm filios quos iam non speras, requiris? Si grauis est dolor, subterfugienda causa eius est, non petenda. Nam tibi quid consilij tribuam, quæ liberos habes? Quæ tibi causa nubendi, nisi fortè leuitatis error, & intemperantiæ vsus, & faucij cogit peccatoris conscientia? Sed consilium sobriis non ebriis datur. Et ideò apud liberam conscientiam mihi sermo est, cui vtumque integrum est. Habeat faucia remedium, honesta cōsiliū. Tu, inquam, filia quid moliris? Cur hæredes quæris extraneos, cum habeas tuos? Non filios desideras quos habes, sed seruitutē quã nō habes. Hæc est enim vera seruitus, in qua infraictior amor, quam non defloratæ pignus virginitatis, & plena sancti pudoris, & gratiæ atas prima commendat. Vbi offensa grauior, suspectior insolētia, cōcordia infrequētiore, quã nō tēporibus inolitus amor, nō vigēs annis forma cōciliat. Molestia pietas, vt amare liberos metuas, aspiciere liberos erubescas, atque inde oriatur causa discordiæ, vnde solet mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare liberos vis, non fratres futuros tuorum, sed aduersarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare quos habes liberos: quibus pariter auferuntur, & pietatis officia, & compendia facultatum? Lex diuina cœlesti inter se coniuges auctoritate constrinxit, & difficilè manet mutuus amor. Tulit enim costam de viro, & formauit fœminam, vt sibi eos inuicem copularet, dicens: Et erunt duo in carne vna. Non hoc de secundis sed primis nuptiis dixit. Neque enim Eua secundum accepit virum, neque sancta ecclesia secundum agnouit virum. Sacramētum enim illud magnum est in Christo & in Ecclesia. Et ideò custodiendum est. Sed neque Isaac aliam præter Rebeccam sciuit vxorem. Neque Abraham * aliam, nisi cum Saram sepeliuit vxorem. Nam in sancta Rachel magis figura mysterij fuit, quàm ordo coniugij. Et tamen in ea quoque habemus quod ad primi coniugij gratiam referre possimus. Si quam primò sponsam habuit, plus amauit, nec fraus exclusit affectum, nec sponsæ amorem coniugij interuentus aboleuit. Itaque sanctus Patriarcha nos docuit, quantum deferre primis nuptiis debeamus, cum tantum primis sponsalibus ipse detulerit. Cauete igitur filiæ, ne & gratiam nuptiarum tenere nequeatis, & molestias augeatis.

Genes. 2.

Ephes. 5.

* ab Abraham
patrem cū a-
liã, nisi, &c.

FINIS.

EE

Capita libri de Dignitate sacerdotali.

- De causis authorem mouentibus ut consacerdotes atque conseruos suos de vita perfecta commonere, ac laborem propositi operis suscipere curauerit.* Cap. I.
- De aggressu desiderati laboris, et cohortatione auditorum, sacerdotalisque prerogatiua, & dignitatis praeemonstratione.* Cap. II.
- Quod idcirco commendationem sacerdotalis dignitatis auctor praemisit, ut ostenderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, sic tamen, si nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini. Quodque sicut nihil episcopo excellentius est, ita nihil miserabilius sit, si episcopus de sancta vita periclitetur, & si sacerdos in crimine teneatur. Quod praeterea quanto praeter ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior sit.* Cap. III.
- De speciali depictione formulae ab episcopis & sacerdotibus iuxta apostolicam regulam obseruanda, cum pulchra ac succincta eiusdem regulae expositione.* Cap. IIII.
- De detestatione episcoporum sacerdotalem honorem diffamantium, qui Giezi & Simonis sectantes sententiam, gradum sacerdotalem & episcopalem dignitatem pecuniis comparare non verentur.* Cap. V.
- De ostensiuu repetitione malorum, ad quae deificus ordo uoluitur, probrorumque ad quae prolapsi sunt sacerdotes, cum acri eorumdem reprehensione.* Cap. VI.
- De clausione huius libelli per breuem epilogum eorum quae in ipso demonstrata sunt, & notationem sacerdotum quos auctor nouit sibi infideliter detracturos, inuocationemque sancti Spiritus ut adiuuet cunctos sacerdotes ad faciendum ea quae ipso inspirante in hoc opusculo elocutus est.* Cap. VII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS DE DIGNITATE
SACERDOTALI,
LIBER VNVS.

De causis authorem mouentibus ut consacerdotes atque conseruos suos de vita perfecta commonere, ac laborem propositi operis suscipere curauerit.

CAPVT I.



I quis, fratres, oraculi reminiscatur Domini quo frugi famulum de seruata sibi pecunia, quam ad praerogandum suscepit, increpauit dicēs: Tu dedisses pecuniam meam, & ego ueniēs cum usufris exegissem eam: non iam ociosus auditor collatā sibi diuini muneris gratiam suis tantum uisibus referuabit, sed cunctis eam comunicabilem faciens, copiosius praerogando, securius possidebit: ut sibi per hanc & plurimis aedificationis exhibeat fructum: & uelut decora arbor pomis referta non infructuose probatur occupare terram dum uiuit, cum & per ipsam suis pomis ornatur, & omnis qui ex ea fructum perceperit, saginatur, beato nos etiam Apostolo ad hanc eadem inuitante: Nolite quaerere quae uestra sunt, sed quae aliorum. Et alibi: Nō quaero quod mihi utile est, sed quod multis, ut salui fiāt. Idcirco nos quibus in uerbis diuinis credita est dispensatio, & qui gregem Christi alendum nutriendumque suscipi-

mus, non sine ingentis periculi noxa nos credimus euasuros, si non secundum hunc modum uiuamus, aut etiam si minimē praedicemus. Et licet ad hanc praedicanda nos retardet uitae huius improbitas, inuitat nos tamen praeepti necessitas. Et uae iam mihi est si minimē praedicauero, & si susceptum thesaurum in terra defossum, id est, in meo corde diu occulte-ro, & lucernam diuini uerbi compressam sub modio retentauero, & non super candelabrum propositam, cunctorum oculis manifestauero, & claustra humanae imperitiae per clauas illas regni caelorum quas in beato Petro Apostolo cuncti suscepimus sacerdotes, minimē reserauero, ut audire per hanc merear pro linguae meae modulo: Euge serue bone & fidelis quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constitutam, intra in gaudium domini tui. Vnde uerens iis increpationibus & suppliciis subdi, timore poenae percussus, amore fraterno inuitatus, non iam ad subditum loquor uulgus, quos iugiter monere consueui, sed ad ipsos iam praedicatores uulgi mea uerba conuerto: & meis conferuis uelut obediens seruus, id est, episcopus sacerdotibus, antistes pontificibus, audacter praedicare salutis communia non retardabo. Nec praerogatiuam mihi met scientiae, si haec

si haec meis consacerdotibus charitatis intuitu praerogem, uendicabo, aut uitae perfectae me esse fateor, cum de uita perfecta alios moneo, sed potius cum haec ad illos loqui audeo simul cum illis quae loquor audiam.

De aggressu desiderati laboris, & cohortatione auditorum, sacerdotalisque prerogatiua & dignitatis praeemonstratione. CAP. II.

Agrediar iam diuina ope suffultus, facultate qua ualeo, & eorum precibus adiutus, ad quos noster respicit sermo, desideratum carnam, iter, & in gremio quasi consacerdotum positus, ipsos alloquor sacerdotes. Audite me beatissimi patres, & si dignum ducitis, sanctissimi fratres. Audite me stirps Leuitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi. Audite me rogantem uos pariter & timentem, & commodis & commonitionibus solito consulentem, & honorem episcopatus demonstrare uolentem, & cum honoris uobis praerogatiua monstremus, merita etiam congrua requiramus, nec falli possumus in opere, qui cognoscimus ueritatem. Dignum est enim ut dignitas sacerdotalis prius noscatur a nobis, & sic deinde feruetur a nobis, ut Psalmographi sententia queat repelli a nobis: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Honor igitur, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adaequari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longē erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum uideas regum colla & principum summitti genibus sacerdotum & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credent se communiri. Quid iam de plebeia dixerim multitudine cui non solum praeferrī a Domino meruit, sed ut eā quoque iure tueatur patrio, praeeptis imperatum est euangelicis? Sic certē a Domino ad beatum Petrum dicitur: Petre amas me? Et ille, Tu scis Domine quia amo te. Et cum tertio fuisset interrogatus, & trina responsione fuisset subsecutus, repetitum est a Domino tertio, Pisce oues meas. Quas oues, & quem gregem non solum tunc beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes. Vnde regendae sacerdotibus cum traduntur, merito rectoribus suis subdi dicuntur, quia euangelico coruscante mandato uideamus nihilominus esse praefixum. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum, sed sufficit discipulo ut sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.

Quod idcirco commendationem sacerdotalis dignitatis auctor praemisit, ut ostenderet nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, sic tamen, si nomen congruat actioni, & actio respondeat nomini. Quodque sicut nihil episcopo excellentius est, ita nihil miserabilius sit si episcopus de sancta uita periclitetur, & si sacerdos in crimine teneatur. Quod praeterea quanto praeter ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior sit.

CAP. III.

Haec uero cuncta, fratres, ideo nos praemisisse debetis cognoscere, ut ostederemus nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius episcopis reperiri, ut cum dignitatem episcopatus episcoporum oculis demonstramus, & dignē noscamus quid sumus, & quod sumus professione, actione potius quam nomine demonstramus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane & crimē immane. Ne sit honor sublimis, & uita deformis. Ne sit deifica professio, & illicita actio. Ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus. Ne sit gradus excelsus, & deformis excessus. Ne habeatur in ecclesia cathedra sublimior, & consciētia sacerdotis reperiatur humilior. Ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam. Ne professionem monstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Ne dignē nobis per Prophetam respondeatur a Domino: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Ergo fratres sicut fenatorem chlamys ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores, sic episcopum non aliud nisi episcopalis opera designat: ut ex bono opere magis quam professione noscatur, plus meritis esse episcopus quam quod nomine uocitetur: quia sicut nihil esse diximus episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius si de sancta uita episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur. Et ut leuius est de plano corrumpere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate: quia ruina quae de alto est, grauiori casu colliditur. Honor quidem episcopalis coram hominibus praecclarus est, sed si ruina sustineat, dolor magnus est. Nam quanto praeter ceteris gradus episcopalis altior est, tanto si per negligentiam delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet solitudine circumuallari. Cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptum est: Quia optimis permixta sunt pessima. Et alibi: Potentes potentiora tormenta patiuntur. Et scienti legem & non facienti eam, peccatum est grande. Et seruus sciens uoluntatem domini sui si non fecerit eam, uapulabit multum. Aliud est enim quod ab episcopo requirit Deus, & aliud quod a presbytero, & aliud quod a diacono, & aliud quod a clerico, & aliud quod a laico, uel a singulis quibusque hominibus. Et licet omnium hominum opera Deus in suo examinet iudicio, plus tamē ab eo exigitur cui plus committitur. Ampliores enim poenas luit cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa.

De speciali depictione formulae ab episcopis & sacerdotibus iuxta Apostolicam regulam obseruanda, cum pulchra ac succincta eiusdem regulae expositione.

CAP. IIII.

ET ut specialiter ipsius episcopatus modum & formulam omnibus sacerdotibus depingamus, apostolica est nobis regula reuoluenda, quae de iis per singula episcopales actus depingit. Sic aduictos episcopos beatus ait Apostolus: Fidelis sermo. Ac si

EE ij

1. Tim. 1.

ibidem. 5.

ibidem.

1. Tim. 3.

1. Cor. 3.

2. Cor. 9.

Math. 15.

1. Tim. 3.

diceret: De quo sum loquutus, veraciter loquor, G
ne quis existimet me fuisse mentitum. Subiunxit: Si
quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.
Hoc est, Si episcopus esse desideras, magnum est
quod esse cupis, sed si & opus bonum simul ample-
ctaris. Nam si aliter esse cupis, episcopus esse non
potes: quia sequitur: oportet enim episcopum irre-
prehensibilem esse. Irreprehensibilem ait: nam si e-
piscopus reprehenditur, deformiter subditur culpæ.
Et profecto culpa ad reatum trahit, reatus ad poenā,
poena perducit vsq; ad mortem. Ecce ad quid vol-
uitur dignitas episcopalis. Et post paululum ait: V-
nius vxoris virum. Si ad superficiem tantum literæ
respiciamus, prohibet bigamum episcopum ordina-
ri. Si verò ad altiore sensum conscendimus, inhi-
bet episcopum duas vsurpare ecclesias. Et si adhuc
introrsus profundiora perscruteris, monet ne post
catholicum dogma sensum inueniatur episcopus
habere hæreticum, sed Christianam tantum ortho-
doxam & catholicam sibi associet fidem, vt vnus
tantummodò vxoris & catholica ecclesiæ vir episco-
pus vocitetur. Sequitur deinde, & ait: Sobrius, hoc
est, non vino tantum, sed & vitis parcum, vt nec vi-
no amplius indulgeat quam oporteat, & mente sem-
per sobrius inueniatur. Et adiunxit sequentia dicēs:
Prudentem. Prudentiam quippe non mundialem,
de quadicitur quòd stultitia sit apud Deum: sed pru-
dentiam spiritalem, id est, quæ & opere circumspe-
cta sit, & verbo perita, vt sit astutus sicut serpens, &
simplex sicut columba. Et denuò infert: Ornatum.
Quòd si iuxta sensum literæ tantum respiciamus, nõ
aliud sacerdotes quam amictum quærimus clario-
rem. Verbi gratia, Castorinas quærimus & sericas
vestes. Et ille se inter episcopos credit esse altiore,
qui vestis induerit clariore. Sed sanctus Apostolus
taliter se intelligi non vult, quia non carne episco-
pum, sed mente docet esse ornatum, vt ille sacerdos
placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo.
Et post hæc addidit: Hospitalem. Vt humanitatis in-
tuitu hospitio recipiat non habentes hospitium, &
egenum sine tecto inducat in domum suam, nec so-
lus deuoret dona Christi quæ largita est bonitas
Christi. Et vt hilarem datorem diligat Christus, sine
murmure contribuat pauperibus Christi. Sequitur
deinde & ait: Docibilem, id est, sic polleat episco-
pus sapientia, vt non solum creditum sibi populum
sufficenter doceat, verum etiam & cunctarum queat
hæresium contradictiones à catholica repellere ec-
clesia, ne sua imperitia imperitos minimè doceat, &
huiusmodi casu præuētus eueniat illi quod scriptum
est: Cæcus cæco ducatum præbens ambo in foueam
cadunt. Qui verò talem se vt diximus esse ignorat,
sacerdotium minimè appetat, nec locum alterius v-
surpare præsumat, præsertim illius qui fulgore suæ
sapientiæ populorum potest corda lustrare. Subiun-
xit & ait: Non vinolentum, hoc est, non multo vino
deditum, vt sic credatur & videatur episcopus: vtrum
biberit an non, ignoretur: ne post largam potionem vi-
ni, mulierum delectetur illecebra, nec per vinum,
sicut ait Apostolus, omnis nutriatur luxuries. Demum
subsequitur dicens: Non percussorem, sed mode-
stum. Id est, manus improbas ad cædem non habeat,
& suspitionibus prauis minimè percutiat consci-
-

tias aliorum, ne dum petulans inuenitur ad cædem,
athleta magis quam episcopus iudicetur. Sed magis
è diuerso ab aliis illatas patienter ferat iniurias, vt
mentis modestiam cunctis hominibus tranquillam
demonstret, & firmam patientiam cunctis ostendat.
Iterum addidit dicens: Non litigiosum, id est, non
linguam ad conuitium relaxet episcopus, ne per e-
dem linguam per quam laudes refert Deo, & diui-
na libat sacrificia, litium venena proferat, quia non
debet de ore episcopi benedictionem simul & ma-
ledictionem egredi, ne per eadem linguam per qua
Deus laudatur, homo maledicatur: quia non potest
de vno fonte dulcem & amarum producere aquam.
Deinceps subsecutus est dicens: Non cupidum, id
est, non turpis lucri cupidum, ne lucri cupiditate e-
piscopus teneatur obnoxius, & nutriat auaritiam,
quæ est radix omnium malorum. Qui stipendiis tan-
tum contentus ecclesiæ suæ, penitus non ambiat que
intelligit esse superflua, sed de ipsa potius paupertate
ecclesiæ suæ libenter impertiat pauperibus Chri-
sti, sicut scriptum est: Hilarem datorem diligit Deus.
Et alio loco: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius
manet in æternum. Et connexuit subsequenter di-
cens: Domui suæ bene præesse, filios habentem sub-
ditos, cum omni castitate. Domui suæ bene præesse
potest, qui corporis sui seruauerit castitatem. Do-
mum, inquit, hoc est corpori suo imperioso iure do-
minetur, ne subdatur ipse corpori suo, & in deside-
rio luxuriæ deditus, in præcipitium demergatur, sed
potius filios suos suo castitatis exemplo ad pudici-
tiæ regulam doceat. Nam si quis domui suæ præesse
nesciat, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam adhi-
bebit? Hoc est enim de quo superius diximus: Qui
cordis sui domum excolere non valet, quomodo
plurimorum adhibebit diligentiam? Et qui peccati
trabem de suo non potest eruere oculo, quomodo
ex alterius oculo poterit amputare festucam? Item
sequitur, & ait: Non neophytum, hoc est, qui nuper
ad fidem ex gentilitate aduenit, aut certe ex militia
seculari ad clericatus est officium sociatus. Hi ergo
non tam passim sacerdotalem arripiant gradum, ne
elati in superbiam, in iudiciū incidant, & in laqueum
diaboli: quia quod longo tempore minimè discunt,
in paruo tempore seruare non possunt. Et conclu-
dens regulam & episcopalem formam, ad extremum
intulit dicens: Oportet autem & illum testimonium
bonum habere ab iis qui foris sunt: id est, hæreticis
& schismaticis, qui extra sanctam ecclesiam catho-
licam conuenticula sibi prophana præficiunt, quos
tamen testes Apostolus, & testimonium dicit debe-
re bonum habere de immaculata vita, & sancta epi-
scopi conuersione, ne forte accipiant inimici locum
episcopo obtrectandi, & infamare incipiant catho-
licum dogma.

M De detestatione episcoporum sacerdotalem honorem diffami-
tium, qui Giezi & Simonis sectantes sententiam, gradum
sacerdotalem & episcopalem dignitatem pecuniis compa-
rare non verentur.

CAP. V.

HIS ita prælibatis, vt reor, in hoc opere velut à
gradi foenore nos per se liberatos, cum nõ no-
stra cõtra episcopos, sed sancti apostoli opposuimus
testimo-

ibidem.

* hac tempe-
state

Actuum 8.

4. Reg. 5.

2. Cor. 9.

1. Tim. 3.

ibidem.

ibidem.

Math. 16.

testimonia, ne velut vulgaribus fabulis nostrum irri-
derent opus. Cum verò authoritas nobis per singu-
la sancti arriuerit Apostoli Pauli, ipsum potius Apo-
stolorum si aufint quam nos reprehendant. Et licet
iam coarctet nos libelli huius prolixitas, & tempus
nos vrgeat vt ad finem huius operis veniamus: soli-
citus tamen fraterni nos retardat amoris, illorum
præcipue sacerdotum qui mentis tepore hebetati,
sacerdotalem diffamant honorem, & qui nouam pro-
digaliter regulam * ac tempestatem peperisse desle-
tur, & Giezi sectantes & Simonis sententiam, sancti
episcopatus gratiam pecuniis coemerunt, nequaquam
timentes, cum honorem sacerdotalem pecuniis e-
merent, à beato Petro Apostolo se cum Simone fuisse
damnatos, sicut ait: Pecunia tua tecum sit in per-
ditionem, quia donum sancti Spiritus te credidisti
pecuniis comparare. Et lepram cum Giezi à sancto
suscepisse se credant Helisæo, qui gradum sacerdo-
talem æstimant pecuniis comparare. Quibus cum i-
sta dixerimus, sufficere debuit suam comparando
lepram possidere. Nã sicut validioribus morbis ca-
pite vitato, reliquum necesse est corpus inundatio-
ne superioris morbi lethaliter irrigari, ita & ij qui ca-
put videntur esse ecclesiæ, morbo pestifero fraternum
vitiant corpus, vt nihil ex totius corporis compage
insauciatum possit euadere quod negligentium sa-
cerdotum vitiositatis mortale infecerit virus, ita vt
videas in ecclesia passim quos non merita sed pecu-
niæ ad episcopatus ordinem prouexerunt: nugacem
populum & indoctum, qui talem sibi ascuerunt sa-
cerdotem: quos si percütari fideliter velis, quis eos
præferat sacerdotes, respondent mox & dicunt:
Ab Archiepiscopo sum nuper episcopus ordinatus,
centumque ei solidos dedi vt episcopalem gratiam
consequi meruissem: quos si minimè dedissem, ho-
die episcopus non essem. Vnde melius est mihi au-
rum de sacello inuehere, quam tantum sacerdotium
perdere. Aurum dedi, & episcopatum comparavi:
quos tamen solidos, si viuo, recepturum me illicò
non diffido. Ordino presbyteros, consecro diaco-
nos, & accipio aurum. Nam & de aliis nihilominus
ordinibus pecuniæ quæstum profligare confido.
Ecce & aurum quod dedi, in meo sacello recepi, &
episcopatum gratis accepi. Nempe hoc est quod do-
leo, quia Archiepiscopus carnaliter episcopum fecit.
Nam propter pecunias spiritualiter leprosum ordi-
nauit. Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem,
quia donum sancti Spiritus gratiæ precio compara-
sti, & commercium miserabile in animarum exitum
peregisti. Et nescij homines & indocti in ordinatio-
nibus eorum clamant & dicunt: Dignus es, & iustus
es, & conscientia misera. Indignus es, & iniustus es,
dicit: Pronunciat enim episcopus huiusmodi ad po-
pulum dicens: Pax vobis. Oculis quidem carnalibus
videtur quasi episcopus magnus, & diuinis obtuti-
bus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam ac-
quisiuit indebitum ordinem, & Deum perdidit in
interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & ani-
ma perdidit honestatem. Caro ancilla, domina fa-
cta est animæ: & anima quæ deerat domina, facta est
famula carni. Caro dominatur populis, & anima ser-
uit dæmoni. Carni sacerdotium comparauit, & ani-
mæ detrimetum parauit. Et quid prodest huiusmo-

di homini si totum mundum lucretur, & animæ suæ
detrimentum patiat? Aut quam dabit homo cõ-
mutationem pro anima sua? Quod dedit cum ordi-
naretur episcopus, aurum fuit: & quod perdidit, a-
nima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecu-
nia fuit: & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt merci-
monia iniquorum, in perniciem eorum. Interrogo
tamen fratrem & coepiscopum nostrum, quia & e-
go episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic er-
go mihi paulisper. Frater episcope, cum dares pecu-
niam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi.
Ergo interrogo te, Hæc gratia cur tali vocabulo nõ-
cupatur? Respondet: Cur inquis? Vt reor, pro eo quod
gratis datur, ideò gratia vocitatur. Ergo si gratia gra-
tis datur, & auro non æstimatur, à te cur gratia pecu-
niis comparatur? Respondet: Non, inquit, mihi da-
retur, si pecuniis nõ emeretur, nec episcopus fuisset
ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo vt appa-
ret ex responsionibus tuis, gratiam cum ordinareris
non suscepisti, quia gratuito eam non meruisti. Et
ideò frater si gratiam non accepisti, quomodo epi-
scopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos do-
minus dicit: Gratis accepistis, gratis date. Cur ergo
gratuitam æstimasti te precio possidere gratiam?
Nam vt video, aurum dans perdidisti, & gratiam
sanctam non acquisisti. Adhuc tamen semel adii-
ciens fratrem perquiro episcopum, ne quid de ap-
probamentis veridicis nos pratermississe videamur.
Quis dat frater episcopalem gratiam? Deus, an ho-
mo? Respondes sine dubio, Deus: sed tamen per ho-
minem dat Deus, homo imponit manus, Deus lar-
gitur gratiam. Sacerdos imponit supplicè dexteram,
& Deus benedicit potèti dextera. Episcopus initiat
ordinem & Deus tribuit dignitatem. O iustitia, õ æqui-
tas. Si homini pecunia datur qui nihil in ordine am-
plius operatur, nisi solum seruitium quod ei credi-
tur, cur Deo totum negatur qui ipsum ordinem
tibi largitur? Iustumne tibi videtur vt seruus hono-
retur, & Dominus iniuriam patiat, & iniuste acci-
piat sacerdos pecuniam, & Deus patiat ab homi-
ne iniuriam? Sed quia pro concesso ordine Deus à
te nihil expectat, cur à te sacerdos impudenter pecu-
niam expectat? Deus homini concedere voluit gra-
tis, & episcopus rapax pecuniam ab homine expetit
gratis? Deus homini vt certè benignus gratis dona-
uit, & sacerdos malignus eum sine causa prædauit?
Quid enim habes quod non accepisti? Si autem ac-
cepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

De ostē sua repetitione malorum ad quæ deificus ordo volui-
tur, probrorumque ad quæ prolapsi sunt sacerdotes,
cum acri eorumdem reprehensione,
CAPVT VI.

ECCE ad quæ mala voluitur deificus ordo. Ecce
ead quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui au-
dire meruerunt à iudice mundi: Vos estis lux hu-
ius mundi. Ecce quibus subiiciuntur gentes, qui-
bus à Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Ergo
si lux est Ecclesiæ episcopus à Domino ordina-
tus, ita vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ elo-
quio rutilate, conscientiarum latebras illuminet, cur
ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et
EE iij

ibidem 10.

1. Cor. 4.

Math. 5.

non solum quia ipse dum male agit, dignè perit: in super & alios secum indignè perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, ut insipientium possis arua condire, cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisi, ita ut nec alios nec teipsum possis condire? Oculorum etiam in corpore officium, id est in ecclesia, voluntarius appetisti, ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet: & nunc quadam lippitudine & caligine vitiorum obtenebratus, nec teipsum luci idoneum præbes, & aliis adimis lumen. De quibus oculis in Euāgelio dicitur: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: id est, si episcopus qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitate est sancta & innocentia decoratus, omnis ecclesia splendore luminis radiatur. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosus est: id est, si episcopus qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitia cæcitate, quid cetera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? Id est, quid secularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis & actionibus vitiosis, ad similem facinororum voraginem episcopus multitudinem populi prouocauerit, ut nulli iam iamque illicitum esse videatur quod ab episcopo quasi licitum perpetratur. Sed ipsum magis credunt homines esse laudabile quicquid episcopus habuerit delectabile. Nec quisquam quod agere pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat: Episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris, præsertim cum ipso nomine censeris, si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur epi-

Ibidem 6.

scopus, nisi superinspector? maximè cum folio in ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi in ipsum respiciant. Ergo quia ita est, cur te velut tetrum speculum vniuersorum oculis demonstras, ita ut non possint obscuritate tua se contemptius exornare.

De clausione huius libelli per breuem epilogum eorum que in ipso demonstrata sunt, & notationem sacerdotum quos author nouit sibi infideliter detracturos. Inuocationemque sancti Spiritus, ut adiuuet cunctos sacerdotes ad faciendum ea que ipso inspirante in hoc opusculo elocutus est.

CAP. VII.

Sufficiat hucusque nunc nostris confacerdotibus, paululum dilatare sermonem, in quo eorum excellentiam simul & casum demonstrauius, ne fidentes in sublimitate honorum, minimè requirerent perfectionem morum, & in solo se crederent sacerdotis nomine plusquam opere gloriari. Et quamquam sciam pro hoc libello plurimos mihi sacerdotes qui hæc quæ loquimur agere nolunt, infideliter esse detracturos, credo tamen plurimos qui hæc agunt, vel agere obnituntur, fideliter pro nobis oraturos. Sed sicut lecerationibus obrectatorum minimè prægramur, sic demum probatorum & sanctorum virorum orationibus adiuuamur. Age iam nunc sanctificus spiritus, qui nos in hoc opere diuinis inspirationibus adiuuisti, cunctos sacerdotes adiuua, & præsta ut faciant quæ in hoc opusculo ipse eloqui inspirasti, ut eis vnà mecum tribuas seculorum regna, quæ sanctis in regna seculorum dare promissisti. Amen.

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, PRECATIO PRIMA PRÆPARANS AD MISSAM.



VMMÈ sacerdos & verè pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo patri in ara crucis hostiam puram & immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium in virtute Spiritus sancti, dicens: Hæc quotienscunque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per tuum sanguinem preciosum, magnum salutis nostræ precium: Rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem qua nos miseros & indignos sic amare dignatus es, ut lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo: Doce me seruum tuum indignum, quem inter cetera dona tua ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ: Doce me quæso per spiritum tuum tantum mysterium tractare ea reuerentia & honore, eaque deuotione & timore quibus oportet & decet. Fac me Domine Ie-

su Christe per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere & intelligere, sentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quid tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, & sine strepitu verborum, loquatur omnem veritatem tantorum mysteriorum. Profunda sunt nimis, & sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie & semper Missarum solennia puro corde & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & obnoxiiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia & fida tutela, atque fortissima custodia, ut hostes omnium bonorum confusi discedant per virtutem tanti mysterij, & per manum sancti angeli tui. Repelle à me Domine Iesu Christe & à cunctis seruis tuis durissimum spiritum superbia, cenodoxia, inuidia, iracundia, fornicationis & immunditiæ, dubietatis, & blasphemia. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi qui cuncta perdere

perdere festinant. Rex virtutum, castitatis & integritatis amator Deus cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis animæ & corporis. Mortifica in me carnis stimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim Domine Iesu Christe cordis contritione, & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate, & animi puritate istud diuinum & cœleste sacrificium est celebrandum, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summa imis iunguntur, vbi adest præsentia sanctorum angelorum, vbi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter constitutus. Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio, & verè scio, & ipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad mysterium tantum propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio veraciter & credo ex toto corde, & ore confiteor, quia potes me facere dignum, qui solus potes mundum facere de immundo conceptum semine, de peccatoribus facere iustos & sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, ut concedas mihi peccatori hoc cœleste sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lachrymarum fonte, cum latitia spiritali, & cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentia tuæ, & excubias sanctorum angelorum tuorum in circuitu meo. Ego enim Domine memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. Suscipe ergo istud quæso summe Deus, dulcissime Iesu Christe pro Ecclesia tua sancta, & pro cuncto populo tuo quem acquisisti sanguine tuo precioso. Et quoniam me peccator inter te & eundem populum mediū esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium dispensationis credite non recuses, nec per me indignum famulum tuum eorum salutis pereat precium, pro quibus victima factus salutaris dignatus es esse redemptio. Profero ergo Domine (si dignaris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitum, miseriam orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum. Tu enim miseris omnium Domine, & nihil odisti omnium quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu pater noster es, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer à nobis Domine iniquitates nostras, & ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum quod te timeat, diligat & honorificet, te delectetur, te sequatur, & te perfruatur. Oramus

Ibidem 6.

Ibidem 11.

Domine clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam sacri tui nominis officia præstolantem aspicerè digneris. Et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse audire propitius & exaudire delecteris. Rogamus etiam te sancte pater pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium & refrigerium sempiternum, hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus sit illis hodie magnum & plenum gaudium de te pane viuo & vero, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo, de carne sancta & benedicta, agni videlicet immaculati, qui tollis peccatum mundi. Et potari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanauit crucifixi Domini nostri, ut consolati exultent in laude & gloria tua sancta. Peto Domine clementiam tuam, ut descendat super hunc panem & calicem istum plenitudo diuinitatis tuæ. Descendat etiam Domine illa sancti Spiritus tui inuisibilis forma, & incomprehensibilis maiestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras corpus & sanguinem tuum efficiat, & me indignum sacerdotem tuum doceat tantum tractare mysterium, ita ut placidè ac benignè sacrificium suscipias de manibus meis ad salutem omnium tam viuorum quàm defunctorum. Rogo te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, atque vnus tuæ summæque diuinitatis participes efficiamur, quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona consciencia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto: Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et qui manducat me, vita viuet propter me, ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis dulcissime sana palatum cordis mei, ut sentiam suauitatem amoris tui. Sana ab omni languore, ut nullam præter te amem pulchritudinem. Panis candidissime me habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, qui nos semper reficis, comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te angelus pleno ore, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus. Intra in animam meam, sana & sanctifica me intus & exterius. Esto tutamè & perpetua salus corporis & animæ meæ. Repelle à me insidiantes mihi. Hostes recedant procul à præsentia tua, ut foris & intus per te munitus recto tramite perueniam ad tuum regnum, vbi non mysterijs sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum traderis regnum Deo patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc me de te satiabis fatietate mensura, ut nec esuriam nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo patre & Spiritu sancto viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

Ibidem 6.

Ibidem 15.

EE iij

DIVI AMBROSII EPISCO-

PI MEDIOLANENSIS, PRE-
catio secunda preparans ad missam.



Vmma & incomprehensibilis natura vir-
tus vitæque beata, lux inaccessibilis, vera,
singularis, & vna sapientia, veritas incō-
mutabilis, sancta, incomparabilis, & æ-
terna dilectio, temporalium rerum sine tēpore con-
ditor, visibilium & inuisibilium inuisibilis æternūf-
que patror, Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnus
& verus in trinitate Deus. Pater non habens à quo
fis, habens tamen sapientiam, id est filium, cui maior
vel anterior non fis. Filius habens patrem à quo fis,
non tamen habens cui minor vel posterior fis. Spi-
ritus sanctus habens patrem & filium, à quibus fis,
non tamen habens quibus vel inæqualis vel impar
fis, quia totum in hac tua diuinitate, cui tempus nū-
quam accidit, æternum ac coæternū, æquale ac coæ-
quale est, in qua alius pater, alius filius, alius Spiritus
sanctus sed pater in filio & Spiritu sancto, filius in pa-
tre & Spiritu sancto, Spiritus sanctus in patre & filio:
quia sicut tua Deus noster natura personas recipit,
sic partes nequaquã admittit, cui nec supra nec sub-
tus, ante vel retro conuenit, quia corporum linea-
menta non recipit. Vnde & tota in locis sine loco
habetur, nec tamen tota comprehenditur. Tota nã-
que vbique habetur, quia perfectior pars in ea nulla
reperitur. Tota autem non comprehenditur, quia vi-
delicet cū in creaturis vniciue præsens efficitur,
etiam vltra creaturas totus inuenitur. Quamobrem
cū cælum & terram implet, totus est, cū homi-
nem vnum implet, totus est, nec variatur per singula
quæ in singulis tota est: nec de loco ad locum tran-
sit cū vnum deserens, alterū petit, quæ semetipsam
sine loco & tempore mouet. Hinc meritò colendus,
hinc adorandus es, hinc incommutabilis, hinc in-
circumscriptus agnosceris, hinc mediator Dei & ho-
minum homo Christus Iesus secundum diuinitatis
essentiam, totus cum hominibus in terris, totus erat
cum patre in cœlis, cū diceret: Nemo ascendit in
cœlum, nisi qui de cœlo descēdit filius hominis, qui
in cœlo est. Qui videlicet cū forma Dei esset, non
rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed se-
metipsum exinaniuit, formam serui accipiēs in simi-
litudine hominum, factus obediens vsque ad mortē,
mortem autem crucis. Per hunc te beata trinitas hu-
manitatis habitum, per huius susceptionis humilita-
tem deprecor, per huius sacratissimam obediētiam,
per huius beatissimam mortem exoro in primis vt te
Deum meum diligam, te sitiam, te toto corde per-
quiram, deinde vt proximam iuxta vires atque mē-
suram in hac ipsa tua dilectione charū semper atque
dilectum attendam. Sed hanc dilectionem nulli Do-
mine præstabis, nisi cui vitia prius odisse donaueris.
Obsecro ergo pia & vera misericordia, solida atque
vnica spes mea, vt superbiæ regnum auferas ab ani-
ma mea. Horrendum Domine pauendumque tam
maximum malum, quod angelos de cœlo proiecit,
quod homines de paradiso minauit quodque initiū
omnis peccati est, & ad ipsum pertinet quicquid vitij
& iniquitatis est, cuius primæ soboles, septem nimi-
rum principalia vitia, ex hac virulenta radice perfe-

1. Tim. 2.

1. Ion. 3.

Philipp. 2.

runtur, scilicet inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, aua-
ritia, ventris ingluuies, atque luxuria: sed & nume-
rosa propaginis turba ex singulis generatur. Inanis
ergo gloria cū plenè mentem ceperit, mox septi-
formem in illa nequitiam gignit, inobedientiam, ia-
ctantiam, hypocrisim, contentionem, pertinaciam,
discordiam, ac nouitatis præsumptionē. Sed si huic
vera humilitas opponatur, omnis eius nequitia va-
cuatur. Te ergo deprecor humilitatis magister, vt
hanc cordi meo inferas, insertamque custodias, quæ
dum cunctis inferiorem se attendit, subiectionem
protinus gignit, iactantiã extinguit, hypocrisim ex-
cludit, contentionem refugit, pertinaciam emollit,
discordiam præcauet, nouitatum præsumptionem
abhorret. Hoc beatæ humilitatis medicamine mor-
bum elationis sanādum præuideras, cū per homi-
nem assumptum auctor nostræ salutis, tuis ad te ve-
niētibus diceres. Discite à me quia mitis sum, & hu-
milis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.
Et rursus: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut
paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.
De inuidia quoque odium, susurratio, detractio, e-
xultatio in aduersis proximi, afflictio autem in pro-
speris eius propagatur. O mala progenies, quæ si ani-
mo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis
sobolem extinguit. Qui itaque inuidet vel odit, non
alium prius quàm seipsum occidit. Qui susurrat, &
detrahit, prius suas quàm aliorum radices euellit.
Qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in pro-
speris eius, alieno proximum se petit gladio. Hoc se-
cundum superbiæ virgultum tunc primo fuit exor-
tum, cum ille de quo scriptum est: Inuidia diaboli
mors introiuit in orbem terrarum. Cain persuasit vt
liuoris odio fratrum funderet sanguinem. Sed ni-
mirum idem Cain inuidus prius suam animã quàm
alterius carnem peremit. Scriptum quippe est: Qui
odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia om-
nis homicida non habet vitam æternam in se manē-
tem. Hinc Domine apparet cuius primum homici-
da est qui alterum odit, in quo vita non est. Quod
contra Moyses omnium mitissimus admonet, dicēs:
Ne oderis proximum tuum in corde tuo. Et quia il-
le qui inuidet & odit, consequenter susurrat & de-
trahit, hoc malum scriptura sancta præcauedum de-
nunciat. Non eris, inquit, susurro in populis, & nolite
detrahere alterutrum fratres. Qui enim detrahit
fratri, detrahit legi. Qui enim susurrat & detrahit,
cōsequens est vt in aduersis proximi exultet, in pro-
speris autem animi tristitiam contrahat. Sed occur-
rit beatus Apostolus, & dicit: Gaudete cum gaudē-
tibus, flete cum flentibus. Et ecce alius pro terrenis
rebus, terrenis que honoribus, alius pro virtutū suc-
cessibus cui libet inuidet, quem libet odit: contra
quem libet susurrat, de quolibet detrahit, de cuiusli-
bet aduersis exultat, de prosperis animum mœstifi-
cat. Sed vt in cunctis hoc multiplex malum super-
etur, occurrat Domine quæso illud multiforme bonū
quod potenti virtute resistens non det inuidiæ locū,
charitas scilicet, quæ fundamentum est omnium vir-
tutum & bonorum: quæ non inuidet, sed cōgaudet:
non odit, sed diligit: non susurrat, sed obiurgat: non
detrahit, sed arguit: non de aduersis proximi gau-
det, sed mœret: non de prosperis afflictionem, sed con-

Matth. 23.
Ibidem 8.

Eccles. 7.
Iacob. 1.

Luc. 21.

Sapient. 6.
Genes. 4.

1. Ion. 3.

Matth. 5.

Leuit. 19.
Iacob. 4.

Mar. 11.

Rom. 12.

1. Cor. 7.

consolationem recipit. Meritò autem tale nomen
accepit, quòd illa carius inueniri non potest: quam
qui habet, te vtique habet. Deus, inquit, charitas est:
& qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in
eo. Cui vt præfatum inuidiæ superet malum, cordis
simul & oris iungenda custodia est: cordis scilicet,
ne inuideat, ne in aduersis proximi exultet, ne in
prosperis mœstiam contrahat. Oris verò, ne susur-
ret, ne detrahat: scriptum quippe est: Omni custo-
dia serua os tuum. Cor, quia ex ipso vita procedit. Et
rursus scriptū est: Mors & vita in manibus linguæ.
Citius malum quod intus latet, extinguitur, si à pra-
uo eloquio foris lingua frænctur. Pone Domine cu-
stodiam ori meo, & ostium circumsctiæ labiis meis,
vt non declines cor meum in verba malitiæ. Libera
animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Ita
autem inuidiam sequitur, qua inter cætera vitia ni-
hil asperius, nihil inuenitur amarius: quæ dum vltra
modum efferbuerit, atrociter mētem exulcerat, sen-
sum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat,
totumque corpus perturbat. Hinc protinus rixæ,
contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, &
blasphemias suscitantur. De qua nimirum scriptura
sancta testatur dicens: Ira in sinu stulti requiescit. Et,
Ira viri iustitiam Dei non operatur. Sed obiice Do-
mine cōtra tam amarissimum iracundiæ malum sua-
uissimum paciētiae bonum, in quo specialiter anima-
rum nostrarū salus collocatur, cū nobis per Euan-
gelium dicitur: In patientia vestra possidebitis ani-
mas vestras. Quæ nimirū dum arcem & principatum
in mente susceperit, omnes mox perturbationes cō-
pescit. Rixas & contumelias in exhortationem con-
uertit, confusum clamorē sub ordinato silentio pre-
mit, indignationem tumorēque mentis mansue-
tudine vincit, blasphemias gratiarum actione repel-
lit. Quod si fortè in immentum ira succēsa ad horam
paciētia succubuerit, nullum ne Domine remedium
erit? Erit certè. Nam cū huius mali damnationem
denunciat dicens: Qui irascitur fratri suo, reus erit
iudicio: qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit
concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ
ignis: protinus recuperationem subiungit, cū di-
cit: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recorda-
tus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te
relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius
reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus
tuum. Et illud: Cum stas ad orandum, remitte si
quid habetis aduersus alterum in cordibus vestris.
Hanc mihi Domine Deus secundam tribue victo-
riam, si furore cæcatus amiserō primam, cū nō tuo
zelo, sed meo vitio cuiuslibet animum offendo. Tri-
stitia quoque iram persequitur: quæ dum cordis ar-
cana penetrat, protinus in eius cubiculo malitiam,
rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torpore-
m circa præcepta, vagationem mentis erga illicita
generat. Quæ inter cætera vitia quàm sit detestanda,
beatus Paulus indicat, Seculi, inquit, tristitia mor-
tem operatur. Sed Domine Deus meus oppone cō-
tra seculi tristitiam futuræ beatitudinis lætitiã, quæ
ex mœrore contractam malitiam vincat beneuolē-
tia, tædio procuratū rancorem pellat sinceritate, pu-
sillanimitatem fortitudine roborat, desperationem
spei fiducia erigat, torporem circa præcepta exerci-

tio spiritali repellat, vagationem mentis erga illicita,
inconcussa stabilitate refrænct. Quòd si ad momen-
tum subtracta lætitia, spiritali malum tristitiæ præua-
luerit, agā quæso quod monet beatus Iacobus: Tri-
statur quis in vobis? oret æquo animo, & psallat. A-
uaritia sequitur tristitiam, quæ in vtroque testamēto
pari notatur execratione. In veteri namque dicitur:
Avaro nihil est scelestius. In nouo autem: Et avari-
tia quæ est idolorum seruitus. Ex qua profectò septē
nequitiae procreantur, scilicet proditio, fraus, falla-
cia, periurium, inquietudo, violentia, & contra mise-
ricordiam obduratio. Et ecce Domine Deus quilibet
amator mundi, & non tui, propter metalla præ-
ciosa, ardentes fulgētēque lapides, seruos & seruas,
prædia & fundos ad mortem proximum tradit, frau-
dem incurrit, fallaciam obducit, periurium cōmit-
tit: & alius inquietus & violentus est propter villam,
alius propter gallinam, alius obduratur contra mise-
ricordiam, ne tribuat aurum, alius ne porrigat potū.
Sed peto mihi Deus amator castus & verus, vt cui
præter te nulla possessio debetur in terra, nihil quod
tu non es, concupiscam in terra, semper illius sentē-
tiæ meminerim, qua dicitur: Nudus egressus sum de
vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Atque illius:
Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre
quid possumus. Quæ nimirum dum piè cōsideratur,
mundi contemptū afferre videtur, qui avaritiæ con-
trarius est. Post hæc restat ventris ingluuies, quæ à
necessitate quidem incipit, sed modum necessitatis
excedens, ad voluptatem pertransit: dūmque à licitis
ad illicita peruenerit, mox ineptam lætitiã, scurri-
litem, immunditiam, multiloquium, sensūque he-
betudinem circa intelligētiam parturit, cuius mor-
tiferum virus tunc vt cūque vacuatur, cū non qua-
litas, sed libido in escis præcauetur. Prima enim mu-
lier non exquisitarum dapum, sed sola pomi delecta-
tione mortem mundo induxit: & antiquus hostis
regem nostrum non de carne, sed de pane tentauit:
& Sodoma idcirco igne & sulphure periit, quia inter
cætera mala panem in saturitate comedit. Quapro-
pter clementiam tuam Deus imploro, vt sicut ager
ad medicinam, sic ad sumendas dapes accedam, ne-
quaquam in eis voluptatem appetens, sed necessita-
ti subueniens. Aufer à me propter magnam miseri-
cordiam tuam omne ciborum noxium desiderium,
congruamque seruo tuo escaurū propitius tribue ab-
stinentiam, vt intra necessarium modum proprium
temperem appetitum, remotaque à me omni pror-
sus crapula & ebrietate, sciam in virtute tua abunda-
re, sciam & penuriam pati, nouerim quoque in qui-
bus mihi sufficiens esse possim. Ita Domine, ita pa-
ter bone noxiis gastrimargiæ succis arefactis inepta
lætitia vel scurrilitas non pullulabit, quæ illos maxi-
mè ad insaniam perducit, in quibus crapula & ebrie-
tate dominium sumit. Sedit enim populus mandu-
care & bibere, & surrexit ludere. Contra quos illa
sententia venit qua dicitur: Væ vobis diuitibus qui
habetis consolationem vestram. Et væ vobis qui ri-
detis nunc, quia plorabitis & flebitis. Quod contra
ij qui carnem suam crucifixerunt cum vitij & con-
cupiscentiis eius, audiunt, Mundus gaudebit, vos ve-
rò cōtristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gau-
dium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et

Iacob. 5.

Eccles. 10.
Ephes. 5.

Iob. 1.
2. Tim. 6.

Genes. 3.

Matth. 4.
Genes. 29.

Exod. 32.

Luca 6.

1. Ion. 16.

Matth. 5.

rursum: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Immunditia quoque, quæ iuxta Apostolum quibusdam regni cœlestis aditum claudit, vigilantem nunquam, dormientem verò tardius sua colluione fœdabit. Multiloquium inedia pressum filebit. Hebetudo sensus circa intelligentiam spiritalis acuminis ingenio cedit, quod sancta parsimonia in mente propagabit. Venter enim contractus humanus in altum eleuat sensus. Luxuria gastrimargiæ sequitur, quæ dum licentiæ metas excedit, mox de se cæcitate mentis, inconsiderationem, inconstantiam, præcipitationem, amorem sui, odium Dei, affectu præsentis seculi, horrorem autem vel desperationem gignit futuri. Sed peto Domine vt qui ab ipso pubertatis tempore à complexu carnalis copulæ alienum me esse voluisti, delectationis eius sensu non tangar. Quid enim prodest Domine Deus virginē esse corpore, si contingat mente esse corruptum? Qui enim viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Huic profectò necdum castitatem professo iuxta Apostolū: Melius est nubere quàm vri. Sed obsecro Domine vt cui non licet nubere, ne cōtingat aduri. Ecce dum pro me sollicitus talia postulo, meminisse charitatis debeo, vt & pro aliis exorē. Te igitur amatorem Ecclesiæ tuæ deprecor Deus pro sacerdotibus eius, vt verbis simul & meritis vitæ populum sibi creditum ad cœlestem patriam inuitent. Pro regibus, ducibus, & iis qui in sublimitate positi sunt, vt patres orphanorum & iudices viduarum semetipsos exhibeant, miseris inopum, & gemitibus pauperum doleant, nil nisi quod iustum est, in iudicio quærant, sicque administrant præsentia, ne amittant bona futura. Pro virginibus, continentibus, ac mundo renunciantibus, vt præsentia despiciant, futura requirant, ne se negociis secularibus implicent, vt tibi militantes placeat, cui se probauerunt. Pro coniugatis, vt sibi inuicē carnis debitum soluant, ne à desiderio patriæ cœlestis exorbitent. Sed quid ago Domine? quasi oblitus peccatorum meorum pro aliis orare præsumo? O quàm in multis offendi atque offendo, sed non subrepti desperatio, cum publicanum in templo iustificatum attendo, cum latronem in cruce confitem, & de cruce ad paradysum transeuntem aspicio, cum Mariam post multas criminum culpas fonte pietatis ablutam, cum Petrum post negationem apostolatus gratiā recuperasse intueor. Sed ergo ineffabilis pietas, vt cui de tantis exemplis præsumere donasti: gemitus publicani, confessionem latronis, lachrymas meretricis, fletusque negantis Apostoli concedas. O Domine. si flagello temporali scelera mea vindicanda prouideris, lachrymosus imploro vt dum cōtra hæc iratus defæuis, semper in ira misericordiæ recorderis. Quæ enim diligis, corripis, flagellas autem omnem filium quem recipis, quibus nimirum verbis et si virga percussio minatur, paternus tamen pietatis affectus monstratur. Da ergo inter flagella tolerantiam, ne murmurationis notas vt malus seruus incurram, sed magis quasi bonus filius gratiarum actiones rependam. Illud etiam magnopere peto, vt diem oblitus, diem extremi iudicij, damnationem æterni supplicij, beatitudinemque regni futuri semper meminerim: quod nemo indefinenter potest, ni-

Ibidem

1. Cor. 7.

Luca 18.

Ibidem 18.

Ibidem 7.

Ibidem 22.

Hebr. 12.

si qui ad vitam præordinatus est æternā. Indefinenter Domine recolēda est dies illa in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum credulitate defudat, in qua aduersarius noster mala quæ fecimus, locuti sumus vel cogitauimus, violentissimus accusator retexit, iustitiam tuam ad hæc puniēda deposcet. Vbi quid sum Domine, nisi tu qui iustè iudicas, etiā misericorditer defendas? Recordare quia aduocatus meus es ipse qui iudicas. Quod si etiam in illo adhuc seculo aliquid in me vindicandum reseruas, peto ne me potestati dæmonum tradas, dum scelus meum purgatoria pœna detergis. Nunquid Domine obliuioni tradenda est dies illa, de qua dixit Propheta: Dies inquit, iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiarum, dies calamitatis & miseriarum, dies tenebrarum & caliginis, dies tubarum & clangoris, in qua cœlis & terris ardentibus exhibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, in quem messorum collecta zizania alligabunt in fasciculos ad comburendum. In quo à sinistris positi audiet impij: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. In quo iam obseratis vitæ ianuis, extinctis lampadibus, stultæ virgines à thalamo exclusæ plorabunt, dānationemque ingementes clamabunt, Domine Domine aperire nobis, & tunc dices illis, Nescio vos. In quo etiam qui miraculis corruscauerunt, similiter lamentabuntur repulsi, & dicent: Domine, Domine, nōne in nomine tuo prophetauimus: & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc cōfiteberis etiam istis quia nūquam nouisti eos, subiiciens: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Quis hic Domine Deus terribilis in consiliis, mirabilis in maiestatis, faciensque prodigia: quis inquam hinc non paueat, & à fundo cordis non tremiscat, cum etiam illos damnari audiat quos in hac vita contigit miraculis corruscare? Ad quæ nimirum valet illa sententia qua dicitur: Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia reseruantur in futurum incerta: in quo & sit iustus vix saluabitur, peccator & impius vbi parebunt? Etiam Domine Deus indefinenter meditandum æternæ damnationis supplicium, in quo quicquid pœnarū excogitari potest, quicquid etiam non potest, semper adest: cuius vermis immortalis, ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis est, cuius terra tenebrosa, & mortis caligine cooperta, terra miserie & tenebrarum est, cuius torrentes in picem conuertuntur, & humus in sulphur, ardebitque in sempiternum, cuius lacus sanguine igneque permixtus est: & quoscūque suscipit, demergit simul & exurit. O quā horrenda, o quam stupenda sunt ista, sed maior est Domine cruciatus, amissio tuæ claritatis. Sufficit enim ad plenam miseriam, tua non perfrui beatitudine, in qua iusti receptis corporibus, sanctorumque angelorum celsitudini coæquati, in æternam lucem aspicientes sicut sol refulgebunt. Nec immerito sole & luna non indigebunt, quia te perenne lumen habebunt. Non esurient, neque sitient, non laborabunt neque deficient, non mœrebunt neque lugebunt, quia quicquid fatietatis, quicquid quietis, quicquid gaudij est, tua visitatio præstabit, quæ in omnibus omnia erit. Nec tempus iam illis accedet, quia totos æterni-

æternitas possidebit, nec timebunt vltra iam mori, A qui meruerunt beata immortalitate vestiri. Quid autem de hac beatitudine miser ego amplius dicere valeo? quia de illa quicquid dixerō, illa sententia reprimor, quam per prophetam & Apostolum dictam intelligo: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Erunt certè in illa beata vita hæc bona quæ præmissi, ineffabili, & nobis adhuc incomprehensibili modo. Huius desiderio Domine Deus formator & reformator meus, huius amore peragam quicquid in hac vita præcipis vt agam: nec sit vltra timor in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Et vt efficax hæc mea sit deprecatio, beatæ Mariæ virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouum acciperet, nouum scilicet munus prima offerret, vt puerpera virgo perseueraret. Nulla præter ipsam tam nouum acciperet, vt Deum virgo pareret, & post partū vir-

Matth. 6. & 18. Ibidem 19.

Matth.

Ibidem

Ibidem

Ecclesi.

Oratio ab e-

umulo refertur

in his diuina

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, ORATIONES, AVT

SI MAVIS, MEAETAI, MEDITATIONES ALI-

quot piissimæ, ex archiuis depromptæ Cartusiæ
Parisiensis.

SVMMA trinitas, vna virtus, indiscreta D cogitationibus secretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum, erga delinquentes patientissimū, erga pœnitentes piū, semper eundem ipsum, æternum ac sempiternum, immortalem, atque immutabilem. Quem nec spatia dilatāt, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula coartant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbat, nec læta demulcent. Cui nec obliuio quicquam tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt. Cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit: sed ante secula, & in seculis, & per secula in æternum viuus. Et est tibi perennis laus, & æterna gloria, summa potestas, ac singularis honor, perpetuum regnū, & sine fine imperium per infinita & indefessa & immortalia secula. Amen.

Secunda oratio eiusdem ad patrem, & gratiarum actio de humana, per redemptoris aduentum, piè procurata restauratione.

HVCUSQUE omnipotens Deus Trinitas, cordis F mei inspector & scrutator, confessus sum omnipotentiam maiestatis tuæ, & maiestatem omnipotentiam tuam: nunc autem qualiter humano generi in fine seculorū subuenire dignatus es, sicut corde creditur ad iustitiam, ita ore coram te confiteor ad salutem. Tu quidem pater Deus solus nunquam legeris missus: de filio autem tuo ita Apostolus scribit:

go maneret. Apostolorum intercessionem imploro, qui beatissimam mediatoris paupertatem eiusque passionis vestigio insequentes, ad tantum celsitudinis culmen peruenerunt, vt quæcunque ligarent super terram, essent ligata & in cœlis: & quæ soluerent super terram, essent soluta & in cœlis: atque in extremis sederent super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Martyrum preces deprecor, qui pro veritate non dubitarunt sanguinem fundere, nec dilexerunt animas suas, vsque ad mortem, vt mortis superarent authorem. Confessorum orationes expostulo, qui bella tentantis inimici dum piè viuerent in catholica pace, vel etiam hæreticorum conflictationem diuturno certamine pertulerunt, atque (vt verum dicam) longioris occultique martyrij palmas acceperunt. Talium Domine Deus preces, nunquam spernis, si vt pro me exorent, ipse inspiraueris, qui æternitate perenni viuus & regnas cuncta per secula, & in omnibus seculis. Amen.

Matth. 16. & 18. Ibidem 19.

Ab hymno diuina maiestatis, ad dispersionem carnis descendit a verbo assumpta.

quæso, torporem meum tuis stimulis, & fac me strenuè perseuerare in præceptis tuis & laudibus die ac nocte. Tribue vt concaleat cor meum intra me, & in meditatione mea exardescat ignis. Et quia ipse vnicus tuus dixit, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit cum: & nemo venit ad patrem, nisi per me: obsecro & suppliciter rogo, trahe me semper ad ipsum, & ipse me tandem perduc ad te, illuc vbi ille est in dextera tua sedens, vbi est sempiterna vita, & sempiternè beata, vbi amor perfectus, & nullus timor: vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus: vbi est summa & certa securitas, securita tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda fœlicitas, fœlix æternitas, æterna beatitudo, beata tui sine fine visio, & laudatio: vbi tu cum illo, & ille tecum, cum communione Sancti spiritus æternaliter & sempiternaliter viuit & regnat Deus, Amen.

Alia eiusdem oratio.

Spes mea Christe Deus, hominum tu dulcis amator, Lux, via, vita, salus, pax, & decus omne tuorum: Omnia pro quorum voluisti ferre salute, Carnem, vincula, crucem, vulnus, mortemque, sepulchrum. Post tres inde dies (deuicta morte) resurgens, Discipulis visus nutantia corda reformans, Luce quateradena cœlorum regna petisti Viuus in æternum nunc & per secula regnans.

Tu es Deus meus, viuus & verus pater meus, sanctus, Dominus meus, pius, rex meus, magnus, pastor meus, bonus, magister meus, vnus, adiutor meus, opportunus, dilectus meus, pulcherrimus, panis meus, viuus, sacerdos meus, in æternum, dux meus, ad patriam, lux mea, vera, dulcedo mea, sancta, via mea, recta, sapientia mea, præclara, simplicitas mea, pura, concordia mea, pacifica, custodia mea, tuta, portio mea, bona, salus mea, sempiterna, misericordia mea, magna, patientia mea, robustissima, victima mea, immaculata, redemptio mea, sancta, spes mea, futura, charitas mea, perfecta, resurrectio mea, sana, vita mea, æterna, exultatio & visio mea, beatissima sine fine mansura. Te deprecor, supplico, & rogo, vt perficias in me cœptum opus misericordiæ tuæ: Ego enim vltimus seruorum tuorum, non immemor beneficiorum tuorum & miserationis tuæ, quæ mihi peccatori collata est, gratias tibi ago, qui me indignum pro tua sola clementia per aquam sacri baptismatis, & renouationem sancti spiritus ab originalibus peccatis expeditisti, & inter adoptionis filios aggregasti, qui mihi rectam fidem donasti, eamque in corde meo semper augere & confirmare dignatus es per illuminationem gratiæ tuæ, & per documenta matris ecclesiæ. Obsecro Domine & suppliciter rogo, adauge in me fidem veram & sanctam, fidem catholicam & orthodoxam, fidem prudentissimam & inuictissimam, bonis omnibus cunctisque virtutibus adornatam, quæ per dulcedinem operetur in me quod tibi placet, quæ nequeat vinciri inter verba adulationis, in tempore persequutionis, vel in die necessitatis. Cunctarum fons & origo, largitor & conseruator virtutum Deus, auge, quæso, in me fidem rectam, spem inconcussam, cha-

Psal. 38. a
Ioan. 6. c
Ibidem g

Gradatio ab abstractis ad concreta.

ritatē perfectam, humilitatem profundam, patientiam inuictissimam, corporis & animæ castitatem perpetuam. Da mihi Domine prudentiam, iustitiam fortitudinem, & temperatiam, discretionem in omnibus & sensum peruigilem, vt possim inter bona & mala, inter dexteram & sinistram prudenter discernere. Fac me ergo diuitem sanctarum virtutum tuarum, ex quibus tibi seruiam, per quas tibi in veritate placeam. Amator enim factus sum pulchritudinis carum per gratiam tuam. Da mihi eas propter honorem & gloriam nominis tui, coniunge eas fidei meæ, vt sint ei indiuiduæ comites per omne tēpus vitæ meæ. Vnde rogo fac me per gratiam tuam semper & in fide stabilem, & in opere efficacem, vt fidem tuam quam lingua mea loquitur, etiam bonis moribus vita fateatur. ¶ Gratias tibi ago Domine, qui me vas vacuum, inutilem & idiotam replesti scientia & intelligentia, & dedisti mihi tantam tui nominis cognitionem. Obsecro Domine & suppliciter rogo, da mihi semper humilem scientiam, quæ ædificet: & da mitissimam & sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari, & de tuis donis super fratres extolli. Pone, quæso, in ore meo verbum consolationis & ædificationis ac exhortationis per Spiritum sanctum tuum: vt bonos ad meliora valeam exhortari, & eos qui peruersè gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam reuocare verbo & exemplo. Sint verba quæ dederis seruo tuo, tanquam acutissima iacula, & ardentes sagittæ, quæ penetrent & incendant mentes audientium ad timorem & amorem tuum. ¶ Gratias tibi ago Domine, qui me etiam à vano huius seculi consortio separasti, & ad sanctum seruitium tuum perduxisti, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ. Benedico te Domine Deus noster, qui das mihi indigno, seruorum tuorum societate & charitate perfui: das mihi quietem & salutem corporis & animæ, simulq; ad te opportunam vacationē. Libera me à vanissimis huius seculi implicationibus ad profectū animæ meæ, propter honorem & gloriam nominis tui. Et quia scriptum est, Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit, libera, rogo, penitus à cunctis negociis terrenis, & ab omnibus secularium caussarum tumultibus animas seruientiū tibi, vt tibi solo Domino vacent nocte ac die. Da fructuosum & spirituale otiū abrenunciantibus mundo, vt ipso cordis palato gustent & sapiant quàm suavis es Domine, & dulcis: sicut diuina scriptura admonet, dicens: Vacate & videte, quoniam ego sum Deus, & alibi: Sapientia discitur in tempore otij: & qui minoratur actu, ipse percipiet eā. Sed & sanctissima verba pio ore tuo probata plenius nos informant, & à mundanis curis nos prohibent dicentia: Non potestis Deo seruire, & mammonæ, Et rursum: Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei Et alibi euidentius nos exemplo terrere dignatus est, dicens: Memento vxoris Loth. ¶ Gratias tibi ago, Domine misericordissime qui me miserum multum negligentem peccatorem à cunabulis meis & pueritia per vniuersa penè vitia currentem, benignè & patienter adhuc ad pœnitentiam expectas, nolēs me perdere cum vitis & peccatis, culpis & negligentis meis. Si enim

Petitio digna

2. Tim. 1.4

Psal. 33. b
Psal. 43. b

Eccles. 3. 8

Math. 6. 4

Luc. 9. 8

Luc. 17. 8

Ioan. 1. 4

Si enim mihi Domine secundum peccata mea facere voluisses, olim me viuum terra absorbere debuisset. Sed rogo pie, ne tua in me tanta expectatio sit vacua, ne sit (quod absit) infructuosa. Tu, qui mortem non vis peccatoris, da mihi de præteritis meis malis indulgentiam, de præsentibus concede mihi emendationem, de futuris verò largire iugiter custodiam atque cautelam. Da locum & spatium ad dignos pœnitentiæ fructus. Aperi oculos cordis mei per Sanctū spiritum tuū, vt videā & plāgam omnia peccata mea, donec tempus est acceptabile, & supersunt dies salutis. Misere mei, & ne perdas me cum peccatis meis, neque referes mala mea puniendi in illis infernalibus suppliciis, in illa futura vita, in illo tremendo examine. Propter magnam clementiam tuam, solue peccatorum meorum vincula priusquam ex hac vita egrediar. Da mihi cor contritum & humiliatum, da gratiam lachrymarum, da lumen in corde, da vires in corpore, vt quæ agenda sunt, videam, & ad ea implenda quæ videro, fortiter conualescam cunctis diebus vitæ meæ. Misere mei Deus, misere mei. Non permittas perire animam meam peccatricem, pro qua etiam nasci de virgine, & mori in cruce dignatus es. Non iubeas, quæso, separari eam ab hoc mortali corpore priusquam me facias plenè & perfectè pœnitere, plangere omnia peccata mea quacumque egi post baptismum ab ipsis cunabulis meis, siue scienter & nescienter, siue superbè & negligenter: ita vt in die exitus mei, emendatis dilectis omnibus, & bene correctis moribus, securus & gaudens videam dulcissimam & pulcherrimam faciem tuam cum lætitia & exultatione, propter nimiam misericordiam tuam & bonitatem. ¶ Gratias tibi ago iterum atque iterum omnipotens & misericors Christe, qui immeritā exiguatē meā propter te & propter nomen tuū sanctū de multis meis angustis, tribulationib; calamitatibus, miseriis & infirmitatibus, de multis foueis, laqueis, & peccatis: de multis insidiis visibilib; & inuisibilib; inimicorum: de multis malis & grauissimis periculis hætenus liberare dignatus es, dirigens mirabiliter & misericorditer vitam meam inter aduersa & prospera, ita vt nec aduersa me deiicerent, nec prospera me extollerent. Posuisti enim fr-

Ezech. 18. g
33. c

2. Corin. 6. 4

Psal. 50.

Allusio ad. c
Ezech. 26. 4

1. Tim. 1. 4

Math. 6. 4

Luc. 9. 8

Luc. 17. 8

Ioan. 1. 4

sed plano moderatōque incessu te dominium meum portantem, & voluntati tuæ in omnibus obtemperantem. Excita Domine torporem meum tuis stimulis, & fac me toto corde, tota virtute quere faciem tuam cunctis diebus vitæ meæ. Attrahe me ad te, virtus salutis nostræ Deus, fræno potentis dextere tuæ, & non finas me propria voluntate, vel libero arbitrio vagari. Imaginem tuam in me non finas obscurari, quæ si te defendente protegatur, semper egregia, nobilis, atque perspicua est. ¶ Misere mei miserimi & indigni serui tui: quia non sum sicut innumeri & multiplices serui tui, qui tibi ab ipsis cunabulis deuotissimè seruiuerunt: non sum sicut illi, qui post publica flagitia pœnitendo, tibi meruerunt esse deuoti: non sum sicut nonnullæ Christianæ fœminæ viris suis iunctæ, quæ tibi seruiunt in actibus misericordiæ, cum summa deuotione. Non sum sicut multi illorum, qui in oculis hominum tanquam iniqui & peruersi esse videntur, sed multò aliter habentur in conspectu tuo. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Si quid tamen Domine boni facio vel feci tua gratia largiente, quo sine hoc faciam, quæve districtione à te pœsetur, ignoro. Vnde Deus terribilis super filios hominum, tuam sanctam & immesam simplex & multum tremens deprecor clementiam, vt tu, qui neminem vis perire, sed omnes saluos facere, non me derelinquas in manu consilij mei, neque in iudicio arbitrij mei, neque in potestate aut tentatione demonis, neque in errante iudicio, aut noxio consilio hominum: sed pro pietate & bonitate tua, iuxta tuam benignissimam, quæ in sui dispositione falli nō potest, prouidentiam, dispone hic & vbique, nunc & semper dies vitæ meæ in beneplacito tuo, & dirige per Spiritum sanctum tuum, cor, linguam, actus meos secundum voluntatem tuam in tua misericordia: vt te rectore, te duce, illa semper studeam cogitare, loqui, & agere, quæ & tibi placeant per gratiam tuam in veritate, & me tandem ad vitam perducant æternam, te miserante & donante, qui es largitor omnium bonorum, qui es benedictus cum patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

Alia eiusdem oratio.

Iesu Domine, Iesu pie, qui mori dignatus es propter peccata nostra, & resurrexisti propter iustificationem nostram, resuscita me de sepulchro vitiorum & peccatorum omnium, & da mihi quotidie partem in resurrectione tua prima, vt in resurrectione secunda merear percipere portionem. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, ascendisti in cœlum cum triumpho gloriæ, & sedes ad dexteram patris, rex potentissime. Trahe me sursum post te: in odore vnguentorum tuorum curram, & non deficiam te trahente, te ducente. Trahe os sitientis animæ in superna fluentia inter-næ satietatis, imò trahe ad te fontem viuam, vt inde pro captu meo bibam, inde semper viuam, Deus meus, vita mea. Tu enim dixisti ore tuo sancto &

2. Par. 6. 6

Psal. 65. 4

2. Pet. 3. b

1. Tim. 4. 4

Eccles. 13. 6

Apoc. 3. 4

Colos. 3. 4

Cantic. 1. 4

Psal. 41. 4

Ioan. 7. f

Psal. 35. b

Psal. 76. a

Genes. 8. Sapien. 9. d. 2. Cor. 7. b

Iuc. 11. a

Apoc. 3. d

Esa. 40. g.

Psal. 25. b. Psalm. 22. a. Math. 8. c

Psal. 16. c

Psal. 4. b

Cantic. 5. a

benedicto: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Fons vitæ, da sitiētī animæ semper bibere ex te, vt secundum sanctam & veridicam promissionem tuam, de ventre meo fluant aquæ viuæ. Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscar quæ vana sunt & terrena, & te solum iugiter habeam in memoria mea, sicut scriptum est: Memor fui Dei, & delectatus sum: da spiritum sanctum tuum, quem significabant aquæ illæ, quas te sitientibus daturum promiseras, da, quæso, toto desiderio & omni studio tendere, quò te ascendisse post resurrectionem die quadragesimo credimus: vt in præsentī quidem miseria, solò tenear corpore, tecum autem sum cogitatione semper & auiditate: vt ibi sit cor meum, vbi tu es, thesaurus meus desiderabilis, multumque amabilis. In hoc magno seculi huius diluuiō, vbi circumstantibus procellis non inuenitur fida statio, & locus eminentior, vbi pes columbæ aliquatenus valeat requiescere. Nusquā tuta pax, nusquā secura requies: vbiq; hostes: foris pugne, intus timores: & quia altera pars sumus cœli, altera terræ, corpus quod corrumpitur, aggrauat animā. Idcirco animus meus, socius & amicus meus, fatigatus veniens de via, languet, & discissus atque laceratus ab ipsis quas tranferat vanitatibus, esurit & sitit valde, & non habeo quod ponam ante illum. Pauper sum & mendicus: tu diues omnium bonorum, & dapum supernæ satietatis opulentissimè largitor, da laiso cibum, collige dispersum, redintegra dissipatum. En stat ad ostium, & pulsat. Obsecro per viscera misericordiæ, quibus visitasti nos oriens ex alto, aperi pulsanti misero manus pietatis tuæ, iube propitiabili dignatione vt ingrediatur ad te, & requiescat in te, & reficiatur de te cœlesti viuoque pane, quo satiatus, resumptis viribus, ad superna contendat, & de hac valle lachrymarū penna sancti desiderij raptus, ad cœlestia gaudia volitet. Assumat Domine, assumat rogo, spiritus meus pennas vt Aquilæ, volet & non deficiat, volet & perueniat vsque ad decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, vt ibi super mensam refectionis ciuium supernorum, pascatur de occultis tuis in loco pascuæ, iuxta fluentia plenissima. Requiescat, Deus, in te cor meū, mare magnum, & tumens fluctibus. Tu, qui imperasti ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, veni & gradere super fluctus cordis mei, vt tranquilla & serena fiant omnia mea: quatenus vnum bonum meum amplectar te, & dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum cæca caligine. Confugiat, Domine, mens mea sub vmbra alarum tuarum ab æstibus cogitationum huius seculi, vt in tui refrigerij temperamento absconsa, lætabunda cantet & dicat: In pace in idispum dormiam & requiescam. Dormiat obsecro Deus meus, dormiat memoria mea ab omnibus quæ sub cœlo sunt, vigilans in te, sicut scriptum est: Ego dormio, & cor meū vigilat. Sit tuta, sit semper secura sub pennis protectionis tuæ anima mea, Deus meus, maneat in te, foveatur semper à te. Contempletur in mētis excessu, & cantet laudes tuas in iubilatione, & hæc dulcia dona tua sint inter hos turbines: consolatio mea interim donec veniam ad te veram pacem meam, vbi

non est arcus, scutum, gladius, & bellum, sed est summa & certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, iucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, beata tui visio, & laudatio in secula seculorum. Amen.

Alia oratio sancti Ambrosij.

CHriste Domine, virtus & sapientia patris, qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem videntem, obsecro & humiliter rogo, da præpetes pennas fidei, da celeres alas virtutum, quibus euectus æterna & cœlestia valeam cōtemplari. Adhæreat, quæso, anima mea post te, & suscipiat me dextera tua. Sustollat me super altitudinē terræ, & cibet me illa cœlesti hæreditate, cui suspirat peregrinatio mea die ac nocte. Et quia moribunda membra vigorem animæ hebetant:

Disiuce terrenæ nebulas & pondera mentis, Siste vagam mentem per deuia multa ruentem, Et da cœlestem mentem conscendere sedem:

vt superno lumine irradiata, terram despiciat, cœlum aspiciat, peccata oderit, iustitiam diligat. Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quàm inter tenebras huius vitæ, multasque amaritudines, diuinæ dulcedini suspirare, illicque teneri mente, vbi vera gaudia haberi certissimum est? Dulcissime, amantissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime, quādo te videbo? quando apparebo ante faciem tuam? quando satiabor de pulchritudine tua? quando educes me de carcere hoc tenebroso, vt confitear nomini tuo, ita vt deinceps non compungar? quando transibo in illam admirabilem & pulcherrimam domum tuam, vbi personat vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis iustorum? Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in secula seculorum laudabunt te. Beati, & verè beati, quos elegisti & assumpsisti in illam hæreditatem cœlestem. Ecce, Domine, sancti tui florebunt ante te sicut lilium: replentur enim ab vbertate domus tuæ, & torréte voluptatis tuæ potas eos: quoniam tu es fons vitæ, & in lumine tuo vident lumen, adèd vt ipsi lumen illuminatū per te Deum lumen illuminans, sicut Sol resurgant in conspectu tuo. Quàm mira, quàm pulchra, quàm acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum! Concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Quando veniam? Quando apparebo? Quando videbo Deum meū, quem sitit anima mea? Quando videbo eum in terra viuentium? In ista autem terra mortuorum, mortalibus oculis videri nō potest. Quid faciam miser, grauatus compede mortalitatis meæ? Quid faciā? Dū sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Non habemus hic manentē ciuitatem, sed futuram inquirimus. Noster autem cōmunicat⁹ in cœlis est. Heu mihi, quia incolatus meus

1. 119. a

1. d.

Cor. 6. d

Psal. 41. a

Psal. 29. c

Psal. 40. c

Psal. 30. c

Psal. 88. a

Psal. 64. a

Esa. 35. a

Psal. 55. c

1. 119. b

1. 119. c

1. 119. d

1. 119. e

1. 119. f

1. 119. g

1. 119. h

1. 119. i

1. 119. k

1. 119. l

1. 119. m

1. 119. n

1. 119. o

1. 119. p

1. 119. q

1. 119. r

1. 119. s

1. 119. t

1. 119. u

1. 119. v

meus prolongatus est: habitauī cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Quis dabit mihi pennas sicut colūbæ, & volabo, & requiescam? Nihil mihi tam dulce, quàm cum Domino meo esse. Mihi autem adhærere Deo, bonum est. Da mihi, Domine, donec his fragilibus assisto mēbris, tibi adhærere, sicut scriptum est: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est. Præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus, ad te volitem sursum. Et quia omne sinistrum deorsum iacet, tene mentem meam, ne ad ima tenebrôsæ vallis corruat: ne interueniente vmbra terræ, à te vero sole iustitiæ separetur, & obducta nebula tenebris, prohibeat alta respicere. Idcirco sursum tendo ad pacis, gaudij & lucis delectabilē statum atque serenū. Tene cor meum manu tua: quia sine te ad altiora nō rapitur. Illuc festino, vbi pax summa regnat, & iugis tranquillitas rutilat. Tene & rege spiritum meum, & assume illum secundum voluntatem tuam: vt te duce, ascendat in illam regionem vbertatis, vbi pascis Israël æterno pabulo veritatis, vt ibi vel rapida cogitatione attingat te summam sapiētiam supra omnia manentem, cuncta scientem, & omnia gubernantem. Sed volitanti animæ ad te, multa sunt quæ obstrepunt. Iussu tuo, Domine, conticescant mihi omnia, ipsa sileat anima, pertrāseat omnia quæ creata sunt, transcendat & se, præueniat ad te, atque in te solo creatore omnino oculos fidei figat. Tibi inhiet, tibi intendat, te mediterur, te contempletur, te sibi ante oculos ponat, te sub corde reuoluat summum bonum & verum gaudium sine fine māsurum. Multę denique sunt contemplationes, quibus anima deuota tibi, mirabiliter pascitur: sed in nulla earum ita requiescit & delectatur anima mea, sicut quando te solum cogitat & contempletur. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quàm mirabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! Quàm mira suauitas amoris tui, quo fruuntur illi, qui nihil præter te diligunt, & nihil suprā cogitare concupiscunt! Fœlices illi, quibus tu solus spes es, omne opus, & oratio. Beatus qui sedet solitarius, & tacet, stans super custodiam suam iugiter die ac nocte, vt adhuc in hoc fragili corpusculo positus, prælibare valeat aliquatenus iustitiam tuam. Rogo per illa salutifera vulnera, quæ passus es in cruce pro salute nostra, ex quibus manauit ille preciosus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hæc peccatricem animam meam, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo & potētissimo telo tuæ miræ charitatis, viuus enim es sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Tu gladius accūtissimus, & sagitta electa, qui durum scutum humani cordis penetrare tua potentia vales: confige cor meum iaculo tui amoris: vt dicat tibi anima mea, Charitate tua vulnerata sum, ita vt ex ipso vulnere amoris tui vberri-mè fluant lachrymę meæ die ac nocte. Percute Domine percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam præualida cuspide amoris tui, & altius ad intimam penetra potenti virtute: & sic da capiti meo aquam immensam, & oculis meis infunde verum lachrymarum fontem iugiter manātem ex nimio affectu & desiderio visionis pulchritudinis tuæ: vt lugeam die ac nocte, nullam in præsentī recipiens

consolationem, donec te in cœlesti thalamo mereat videre dilectum & pulcherrimum sponsum meum, Deum & Dominum meum: vt tibi videns gloriosam & admirabilem & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum his quos elegisti, maiestatem tuam supplex adorem, & illo tandem cœlesti & ineffabili replet⁹ iubilo æternæ exultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce, quod concupiui, iam teneo: quod speraui, iam video: quod desiderauī, iam habeo: illi iam in cœlis iunctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, cui toto amore inhæsi, ipsum laudo, ipsum benedico, atq; adoro, ipsi gratias ago, Qui viuūt & regnat.

*Eadem pro-
sus in vita
beata Agnæ.*

Item alia eiusdem oratio.

Iesu nostra redemptio, amor, & desiderium, Deus de Deo, adesto mihi seruo tuo, te inuoco, ad te clamore magno in toto corde meo. Te inuoco in anima mea, in animā meā: intra in eā, & capta eā sine macula & ruga. Mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Sanctifica ergo vas tuum quod fecisti, malitia euacua, imple gratia, & plenum conferua: ita vt dignissimū efficiar habitationis tuæ templum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, preciosissime, desideratissime, amabilissime, pulcherrime: tu melle dulcior, lacte & niue candidior, nectare suauior, gemmis & auro preciosior, cunctisque terrarum diuitiis & honoribus tu mihi charior. Quid dico, Deus meus, vnica spes mea, prægrandis misericordia mea? Quid dico dulcedo mea non fallax, dulcedo mea secura & fœlix, quid dico, dū talia dico? Dico quod valeo; sed non dico quod debeo: vtinam possem talia, qualia illi hymnidici angelorum chori! O quàm libenter in tuis laudibus me totum effunderem! O quàm deuotè illa cantica cœlestis melodiæ ad laudem & gloriam nominis tui, in medio ecclesiæ infatigabiliter perorarem! Sed quia talia non possum, numquid tacebo? Væ tacentibus de te, qui ora mutorum resoluis, & linguas infantum facis disertas: væ tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cum tuas non dicunt laudes. Quis dignè te laudare potest, virtus & sapientia patris? Et quia nulla inuenio verba, quibus sufficienter te valeam explicare cunctipotens & omniscium verbum: dicam interim quod valeo, donec iubeas me venire, vbi possim dicere quod decet te, & me oportet. Et ideo suppliciter rogo, ne respicias tātum ad id quod modo dico, quantum ad id quod dicere cupio. Cupio enim desiderio magno de te loqui quod oportet & decet: quia te decet laus, te decet hymnus, tibi que debetur omnis honor. Scis igitur occultorum cognitor Deus, quia non solum terra & omnibus quæ in ea sunt, sed ipso cœlo, & omnibus quæ in eo sunt, tu mihi charior, tu acceptior, tu amabilior es. Diligo enim te supra cœlum & terram, & cætera omnia quæ in eis sunt. Imò præ amore tui nominis ista quę transitoria sunt, proculdubio amanda non sunt. Amo te Deus meus, amo, & magis magisq; amare cupio: da mihi vt amem te semper quantum volo, quantum debeo: vt tu sis solus tota

intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, te alloquatur spiritus meus, tecum confabuletur mens mea. Lumine sanctę visionis tuę illustretur cor meū, vt te rectore, te duce ambulē de virtute in virtutem, tandēq; videā te Deū deorū in Sion, nunc quidē per speculū in ænigmate, tunc facie ad faciē: vt cognoscā sicut & cognitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine: in secula seculorum laudabunt te. Rogo itaque te Domine per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum, faxeum & ferreum, tua sacratissima vnctiōe & potenti, & fac me per ignem compunctionis coram te omni hora hostiam viuam fieri. Fac me in tuo cōspectu cor cōtritum & humiliatum semper habere. Fac me desiderio tui huic mundo funditus extingui, & transeūtium rerum obliuisci, præ magnitudine timoris & amoris Dei, vsque adeo vt de temporalibus nec luceam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale nec diligam, nec blandis corumpar, nec aduersis concutiar. Et quia tui plena dilectio, valida est vt mors absorbeat, quæso, mētem meam ab omnibus quę sub cœlo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui, vt tibi inhæream, solāque tuę suauitatis memoria pascar. Descendat, Domine, precor, descendat in cor meum odor tuus suauissimus, ingrediatur amor tuus mellifluus, vt veniat mihi tui saporis mira & inenarrabilis fragrantia, quę sempiternas in me suscitet concupiscentias, & ex corde meo producat venas aquę salientis in vitam æternam. Imensus es Domine, & sine mensura debes amari & laudari ab his quos tuo precioso sanguine redemisti, amator hominū benignissime, clementissime Domine, & æquissime iudex, cui omne iudicium dedit pater, sapientissimę æquitatis tuę iudicio discernis hoc rectum & iustum esse, vt filij huius seculi, noctis scilicet & tenebrarū, præstantiori desiderio, virtute atque studio diligant & quærant perituras diuitias, & fugitiuos honores quān nos serui tui diligamus te, Deus noster, per quem facti & redempti sumus? Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, vt alter alterum vix patiat abesse: si sponsa sponso tanto mentis conglutinatur ardore, vt præ magnitudine amoris, nulla frui valeat requie, chari sui absentiam non sine magno mœrore sustinens: qua dilectione, quo studio, quo feruore, anima quam desponsasti tibi in iustitia & fide, misericordia & miserationibus, debet diligere te Deum verum, & pulcherrimum sponsum suum, qui nos sic amasti & saluasti, qui pro nobis tanta & talia fecisti? Quamquam hæc infirma habeant suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tuus suavis est & quietus. Nam pectora quę replet, dulcedine & suauitate replet, & tranquillitate. E contra amor seculi & carnis, anxius est & perturbatus. Animas certē quas ingreditur, quietas esse non patitur, semper enim suspicionibus vanisque timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio iustorum & merito: quia est apud te valida & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini sui, & nō

Psalm. 83. b

1. Cor. 13. d

Matth. 5. a

Psalm. 93. a

Quod discernatur Dei amor ab amore seculi.

timebit amplius, sed habebit se optimē in optimo loco, dicens: Hęc requies mea in seculū seculi: hęc habitabo, quoniam elegi eam. Dulcis Christe, bone Iesu, reple, quæso, semper cor meum tui inextinguibili dilectione, tui continua recordatione: ad eō, vt sicut flamma vrens, totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem & aquę multę in me non possint extinguere. Fac me, dulcissime Domine, amore & desiderio tui, deponere pondus omnium carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum grauissimam sarcinam, quę impugnant & impediunt miseris animas: vt post te expeditus in odore vnguentorum tuorum currens, vsque ad tuę pulchritudinis visionem efficaciter fatiendus, quantocyus (te quoque duce) merear peruenire. Duo enim amores: alter bonus, alter malus: alter dulcis, alter amarus, non se simul in vno capiunt pectore. Et ideo, si quis præter te diligit aliquid aliud, non est charitas tua in eo, Deo amor dulcedinis & dulcedo amoris. Amor non crucians, sed delectans. Amor sincerē, & castē permanens in seculum seculi. Amor qui semper ardes, & nūquam extingueris. Dulcis Christe, bone Iesu, Charitas mea, deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, suauitate tua, dilectione tua, iucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiscentia tua, quę sancta & bona est, casta & munda, tranquilla & secura: videlicet, vt totus dulcedine amoris tui plenus, totus flāma charitatis tuę accēsus, diligam te Deum meum ex toto corde meo, totisq; medullis præcordiorum meorum, habente in corde & in ore meo, & præ oculis meis semper & vbiq; ita vt nullus in me adulterinis amoribus pateat locus. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorum quę peto: & da, vt quę petā, audias. Pie & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea: sed propter bonitatem tuā suscipe preces serui tui, & da mihi effectum petitionis & desiderij mei, interueniente, orante, & impetrante gloriosa genitrice tua Domina mea, cum omnibus sanctis, Amen.

Item alia oratio beati Ambrosij.

Spes mea Christe Deus, hominum tu dulcis amator, Lux, via, vita, salus, pax, & decus omne tuorum: Omnia pro quorum voluisti ferre salute, Carnem, vincla, crucem, vulnus, mortēque, sepulchrum. Post tres inde dies (deuicta morte) resurgens, Discipulis visus nutantia corda reformans, Luce quater dena cœlorum regna petisti Viuus in æternum nunc & per secula regnans.

Te deprecor, supplico, & rogo, vt per te ambulē, ad te perueniam, in te requiescam, qui es via, veritas & vita, sine qua nemo venit ad patrem. Te enim desidero dulcissimum & pulcherrimum Dominum. O splendor paternę glorię, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quem desiderāt angeli prospicere, ecce cor meum coram te est. Discute tenebras eius, vt amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi te, Deus meus, redde te mihi. En amo te: & si parum est, amem validiūs. Non possum metiri, vt sciam quātum desit mihi amoris tui ad id quod

quod satis est, vt currat tota vita mea in amplexus tuos: nec auertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc enim scio, quia malē mihi est præter te, non solum extra me, sed etiam in me ipso. Sed & omnis copia, quę Deus meus non est, egestas mihi est. Bonum namque quod neque in melius, neque in deterius commutari potest, tu solus es, cui nō est aliud viuere, & aliud beatē viuere: quia tua beatitudo tu es. Creatura verō tua, cui est aliud viuere, & aliud beatē viuere: omne quod viuūt, & quod beatē viuūt, non debet nisi gratiæ tuę: & ideo nos egemus te, non tu nobis: quia si omnino non essemus, nihil omnino tibi deesset ad bonum, quod tu es. Tibi itaque Domino Deo nostro semper adhærere necesse habemus, vt per continuum auxilium gratiæ tuę, sanctē, piē, & rectē viuere valeamus. Pondere nāque fragilitatis nostrę deorsum trahimur, dono autem tuo accendimur, & sursum ferimur: & inardescimus & imus: ascendimus per ascensiones in corde, & cātamus cāticum graduum. Igne tuo, igne bono inardescimus. Quo iam sursum imus? Ad pacem Hierusalem, quoniam lætatus sum in his quę dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. Illic collocauit nos voluntas bona, vt nihil velimus aliud, quān permanere illic in æternum. Sed quia dū sumus in corpore, peregrinamur à te Domine, non habemus hęc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus: noster autem municipatus in cœlis est. Ideo duce gratia tua ingredior in cubile cordis mei, & canto tibi amatoria, rex meus & deus meus gemēs inenarrabiles gemitus, in loco peregrinationis meę, vbi cantabiles mihi factę sunt iustificationes tuę, & recordans Hierusalem, extendo me in eam sursum corde, Hierusalem patriam meam, Hierusalem matrem meam, tēque super eam regnatorem, illustratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, castas & fortes delicias, & solidū gaudium, & omnia bona inefabilia simul omnia: quia vnum summum & verum bonum: & non auertat, donec in eius pacem matris charissimę, vbi sunt primitiæ spiritus mei, colligas totum quod sum à dispersione & deformitate hac: & conformes atque confirmes in æternum Deus meus, misericordia mea. Hęc domus tua, Deus, non terrena est, neque vlla mole cœlesti corporea, sed particeps æternitatis tuę: quia sine labe manet in æternum. Statuit ea in æternum, & in seculum seculi: præceptum posuit, & non præteribit. Non tamen tibi, Deus, coæterna, quia non sine initio, facta est enim. Prior enim omnium creaturarū est sapientia, patri Deo planē coæterna & coequalis, per quā creata sunt omnia, & per quam in principio factum est cœlum & terra. Sed profectō sapientia spiritalis, natura scilicet, quę contemplatione luminis, lumen est, dicitur & ipsa quamuis creata, sapiētia. Sed quātum distat inter lumen illuminans, & lumen quod illuminatur, tantum differt inter te summam sapiētiam, quę creas, & istam quę creata est: sicut inter iustitiam iustificantem, quę Deus noster es: & iustitiam, quę iustificatione facta est. Nam & nos sumus dicti iustitia Dei patris in te filio eius, Domino nostro, teste Apostolo. Ergo quia prior omnium creata est quædam sapientia, mens rationalis & intellectualis castę ciuitatis tuę, matris nostrę, quę sur-

sum est & libera est, & æterna in cœlis. Quibus cœlis, nisi qui te laudant, cœli cœlorum? Quia hoc est cœlum cœli Domino. Et si non inuenimus tempus ante illam, quę creaturam temporis antecedit, quia prior omnium creata est, ante illam tamē tu es Deus æternus creator omnium, à quo facta suscepit exordium, quamuis non temporis (quia nondum erat tempus) ipsius tamen conditionis suę. Vnde ita est abs te Deo nostro, vt aliud sit planē quān tu: licet nec ante illam, nec in illa inueniamus tempus: est enim idonea faciem tuam semper videre, nec vspiā flectitur ab ea. Quò fit, vt nulla mutatione varietur. Inest tamen ei ipsa mutabilitas: quia tenebescere & frigescere posset, nisi amore grandi cohærens tibi, semper tanquam meridies luceret & ferueret ex te. Denique tam casto amore cohæret tibi Deo vero, & verē æterno, vt quamuis non sit tibi coæterna, in nullas tamen temporis varietates & vicissitudines à te resoluatur & defluat: sed in tui solius verissima contemplatione requiescat: quoniam tu Deus diligenti te quantum præcipis, ostendis, & sufficit ei. Vnde non inclinata à te, nec à se, semper in eodem statu manet, te indefinenter videndo, te indefinenter amando verum lumen, & castum amorem. O beata ista sublimis creatura & creaturarum maxima, beata inhærendo semper beatitudini suę. Fœlix hæc & nimium fœlix, te sempiterno inhabitatore, & illustratore suo. Nec inuenio quid libentius appellādo, existimem cœlum cœli Domino quān domum tuam contemplantem dilectionem tuam, sine vllo defectu egrediendi in aliud, mentē puram, concordissimē vnā stabilitamento pacis beatorum spirituum ciuium ciuitatis tuę in cœlestibus super ista cœlestia. Vnde intelligat anima, cuius peregrinatio lōginqua facta est, si iam sitit tibi, si iam factę sunt ei lachrymę eius panes die ac nocte: si iā petit à te vnā, & hæc requirit, vt inhabitet in domo tua per omnes dies vitę suę. Et quę eius vita, nisi tu? Et qui dies sui, nisi æternitas tua? Sicut anni tui, qui non deficient. Hinc ergo intelligat anima quę potest, quā longē super omnia tempora æternus sis, quādo domus tua quę peregrinata non est, quāuis tibi nō sit coæterna, indefinenter tamen & indefinenter cohæredo tibi, nullam patitur temporum varietatem, tēque perseuerantissima castitate hauriens, mutabilitatem suam nusquam & numquam exerit, & te sibi semper præsentem, ad quem toto affectu se tenet, nō habens futurum quod expectet, nec præteritum traiciens, quod meminerit, per nullas vices variatur, & in nulla tempora extenditur. O domus Dei luminosa & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis glorię Domini mei fabricatoris & possessoris tui. Tibi suspiret peregrinatio mea die ac nocte: tibi inhiet cor meum, tibi intendat mēs mea, ad societate tuę beatitudinis peruenire desideret anima mea. Dico ei qui fecit te, vt possideat me in te: quia ipse fecit & me. Imò tu dic, tu roga eum, vt dignum me faciat participatione glorię tuę. Sanctam enim societatem tuam & mirabilē pulchritudinem tuam non per meritum requiro: sed per sanguinem Domini mei, quo redemptus sum, adipisci non despero. Tantum adiuuet me misericordia tua, subueniant paruitati meę sanctissimę & purissimę orationis

1. Cor. 5. b

Psalm. 184. b

Sapientia imitata patri natura.

Sapientia creata natura.

Iustitia duplex.

*Psalm. 41. a
Psalm. 26. b
Psalm. 101. d*

Psalm. 25. b

118. y
119. a136. a
121. a
Luc. 15. a

Ephes. 2. c

Colos. 1. c
Ephes. 2. cMarci. 12. c
Matth. 22. a

nes tuæ, quæ inefficaces esse apud deū nullatenus possunt. Erravi, fateor, sicut ovis perdita, & incolatus meus prolongatus est, atque procul proiectus sum à facie Dei mei, in hanc exilij cæcitatem, vbi expulsus à paradisi gaudiis, deploro quotidie mecum super miserias captiuitatis meæ lugubre carmen, ingētesque lamentationes, dum recordor tui, mater Hierusalem, dum stāt pedes mei in atriis tuis, sancta & decora Sion. Necdum interiora tua conspiciere in propatulo valeo, sed in humeris pastoris mei, & structoris tui, spero me reportari tibi, vt, tripudium tecum in illo inenarrabili gaudio, quo lætantur illi, qui tecum sunt coram ipso Deo & salutari nostro, qui dissoluens inimicitias in carne sua, pacificauit omnia quæ in cælis sunt & in terra, in sanguine suo. Ipse est pax nostra, qui facit vtraque vnum, qui duos ex diuerso venientes parietes coniungens in se, tuæ beatitudinis permanentem fœlicitatem pari modo & eadem mensura se nobis daturum promisit, dicens: Et erunt æquales angelis Dei in cælis.

Item alia oratio.

Vita huius
decidua epi-
sheta.

O domus Dei aeterna post Christi dilectionem, tu esto lætitia mea & consolatio. Dulcis memoria tui beati nominis, sit releuatio mœroris, tædiorumque meorum. Tædet enim me valde vitæ huius, & istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita Domina malorum, regina superbiorum, plena miseriis & erroribus: quæ non est dicenda vita, sed mors, in qua momentis singulis morimur per varios mutabilitatis casus, diuersis generibus mortium. Numquid ergo quod viuimus in hoc mundo, dicere vitam possumus, quam humores corrumpunt, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëris inclementia morbis reddit obnoxiam, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coartat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & his omnibus malis mors furibunda succedit? Simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitæ ita finem imponit, vt cum esse desierint, nec fuisse putentur. Mors ista vitalis, & vita mortalis: licet his & aliis resperfa sit amaritudinis, proh dolor, quam multos suis capit illecebris, & quot suis falsis promissionibus decipit? Et cum ita per se sit falsa & amara, vt etiam suos amatores latere non valeat, tamen infinitam stultorum multitudinē aureo calice, quē in manu tenet, potat & inebriat. Fœlices illi, & ipsi rari, qui familiaritatē eius respuunt, perfunctoria gaudia spernunt, societate abiiciunt: ne cū pereunte deceptrice quandoque perire cogantur. O tu vita, quam preparauit Deus his qui diligunt illum, vita vitalis, vita beata, vita secunda, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita sancta, vita casta, vita ignara mortis, vita nescia tristitiæ, vita sine labe, sine corruptione, sine dolore, sine anxietate, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantia & dignitatis plenissima, vbi non est aduersarius impugnans, vbi nulla peccati illecebra, vbi est amor perfectus, & nullus timor, vbi est dies æternus, & vnus omnium spiritus, vbi Deus

facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. Libet mihi tuæ intendere claritati, delectant me bona tua auido corde, quantum plus valeo, mecum considerare: tuo enim amore læqueo, tuo vehementer desiderio flagro, tuæque dulci memoria admodum delector. Libet itaque libet in te oculos cordis attollere, statum mentis erigere, affectum animæ conformare. Libet sanè de te loqui, de te audire, de te scribere, de te cōferre, & de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta sapius sub corde reuoluere, vt vel sic possim ab huius mortalis & peritura vitæ ardoribus, periculis, & sudoribus, subtua vitalis auræ refrigerium transire, & transiēs, in sinu tuo fessum caput dormiturus vel paululū declinare. Huius rei gratia, sanctarum scripturarum amœna prata ingredior, verissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo condo, frequentando ruminando, atque congregando tandem in alta memoriæ sede repono: vt tali modo tua dulcedine degustata, minus miseriam istius vitæ amaritudines sentiam. O tu vita fœlicissima, o regnum verè beatum, carens morte, vacans sine, cui nulla tempora succedunt per æuum, vbi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, vbi victor miles illis hymnidicis angelorum choris sociatus, cantat Deo sine cessatione Canticum de Canticis Sion. Nobile perpetua caput amplectente corona. **V**tinam cōcessa mihi peccatorū venia, mox hac sarcina carnis deposita, vtinā, vtinā in tua gaudia, verā requiē habiturus, intrare, & in tuæ ciuitatis præclara atque speciosa mœnia, coronam vitæ de manu Domini suscepturus ingredere, vt illis sanctissimis choris interesserem, vt cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem, vt præsentem Christi vultum cernerem, vt illud summum, ineffabile, & incircumscriptum lumen aspicerem: sicque nullo metu mortis affici, sed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætari potuissem sine fine. Fœlix sancta anima, quæ terreno resoluta est corpore. Habet enim semper præsentem, cernitque indefinenter pulcherrimum Dominum suum, cui seruiuit, quem dilexit, ad quem tandem læta & gloriosa peruenit. Hæc ergo beatitudinis gloriæ nulla dies minuet, nullus improbus prædo poterit auferre. **V**iderunt eam filia Sion, & beatissimum prædicauerunt: reginæ & concubinæ laudauerunt eam, dicentes: Quæ est ista, quæ de deserto ascēdit deliciis affluēs, innixa super dilectum suum? Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora confurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Quam læta exit, festina currit, cum dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit: Surge amica mea, sponsa mea, & veni. Iam enim hyems transit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt, tēpus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos. Florētes vineæ dederunt odorē suum. Surge prope amica mea, formosa mea, columba mea, immaculata mea, sponsa mea, veni, & ponam in te thronum meum: quia concupiui speciem tuam. Veni vt lateris in conspectu meo cum angelis meis, quorum societas tibi à me repromissa est. Veni, & post multa pericula & labores intra in gaudium Domini tui, quod nemo tollit à te. Fœlices sancti Dei omnes, qui iam pertransistis huius

Vita illa
beata est.

Can. 6.

Apostolus
ad Galatas
implorat.

huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, & pacis: securi & tranquilli, semperque festiui atque gaudentes estis. Obsecro per matrem charitatem, securi estis de vobis, solliciti estote de nobis. Securi estis de vestra inmarcescibili gloria, solliciti estote de nostra miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis, estote iugiter memores nostri. Subuenite nobis miseris, qui adhuc in falo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ, quæ in magnam surrexistis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacens. Date manum, & erigite iacentes, super pedes: vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite atque orate constanter & indefinenter pro nobis miseris, multumque negligentibus peccatoribus, vt vestro sancto consortio coniungamur in cælis, vbi est Deus omnia in omnibus. Amen.

D. Ambrosij oratio, quæ compendio verborum singulos quosque dominicæ dispensationis articulos adstringit & complectitur.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, creator & resuscitator humani generis, gratias tibi referimus exiles licet & indignas, vtinam deuotas & tibi gratas, quia pro nobis miseris de cælo descendisti, & ex beatissima virgine Maria carnem assumpisti, de ipsa nasci voluisti, pannis fuisi inuolutus, in præsepio reclinatus, vberibus lactatus, die octauo carne circumcisus, Magis manifestatus, ab eisdem adoratus, in templum sisti iussus, & Deo patri præsentatus, in Ægyptum relegatus, illinc ad patriam reuersus, parentibus subditus, à Ioanne baptizatus, ieiunio quaterdeno extenuatus, ter à dæmone tentatus, itineribus fatigatus, vigiliis, fame, siti maceratus, prædicando delassatus, compatiendo lachrymatus, & à Iudæis reprobat, sæpius ab eisdem iniuriis & contumeliis appetitus. Instante demum passione tua voluisti contristari & mœstus esse, vt verus homo pauere & tædere, positus genibus orando ter in facie procidere, factus in agonia guttas emittere sanguinis præ sudore. A Iuda denique fuisi traditus, & ab ipso fraudulenter osculatus, ab impiis Iudæis cum impetu comprehensus, vinculis quasi latro ligatus, solus profectò derelictus discipulis metu fugientibus. Ad pontificem Annam abductus, ibidem alapa percussus, missus ab ipso ad Caipham vincus, & ibidem multipliciter derisus, in consilio Iudæorum statutus, per falsos testes accusatus, morte turpissima condemnatus, sputis facie cōtaminatus, opprobriis laceffitus, contumeliis affectus, colaphis cæsus, palmis iterum percussus, multis modis blasphematus, vincus Pilato traditus, falso accusatus, & ad mortem instanter postulatus, ad Herodem à Pilato missus, ibi nihilominus criminatus, ab Herode & eius exercitu spretus, indutus alba veste ad Pilatum remissus, nudus ad columnam iussu Pilati ligatus, ad exundantem & copiosam sanguinis effusionem flagellis dirissimè cæsus, ab eodem morti adiudicatus,

ad crucifigendum militibus traditus. Ab his iterum exutus & purpurea veste indutus, corona spinea coronatus, arundine pro sceptro insignitus, genu flexo salutatus, irrisoriè rex Iudæorum nominatus, tertio alapis cæsus, iterum facie consputus, arundine capite percussus, veste purpurea exutus, ligno crucis oneratus, ad passionis locum adductus, ibi myrrhato vino cū felle potatus, vestibus propriis tertio exutus, in cruce demū extensus, clauis manus & pedes confixus, & sic inter latrones crucifixus & cum sceleratis deputatus, à prætereuntibus quoque & adstantibus pendēs à cruce ignominiosè blasphematus, clamans, Deus meus, Deus meus: vt quid dereliquisti me? Tandem sitiens aceto potatus & inclinato capite mortuus, à milite lancea perforatus, vnde exiit sanguis & aqua. Sub crepusculum de cruce depositus, in monumento à Ioseph sepultus. Resurgēs tertia die tuis apparuisti, quadragesimo die cælos ascēdisti. Sedens ad dexteram patris, promissum discipulis misisti. Demum ad iudicium venturus singulis pro cuiusque meritis bonum malumve es redditurus. Tu Domine Iesu Christe per has sanctissimas pœnas tuas, per mortem tuam preciosissimam, per sanguinem tuum precij inestimabilis pro nobis effusum, & per alia omnia de te hic prædicta, perque tuam ineffabilem misericordiam, per preces & merita beatissimæ semper virginis Mariæ & omnium sanctorum tuorum, sordidum & squalentem vitium me peccatorem. N. omnes parentes meos, fratres, sorores, amicos & inimicos, pauperes, tentatos, debiles & desolatos, vincos & infirmos, omnes insuper pro quibus orare teneor, omnem denique populum Christianum à tribulationibus & angustiis eripe, à diaboli laqueis, à peccatorum vinculis. Ab omni malo animæ & corporis nos libera, & ab his nos tuere semper, salua ac protege. Cogitationes nostras omnēsque actiones sic dispone semper, vt in conspectu tuo sint acceptabiles. Gratia tua ac sancta pace atque omni virtute nos reple: & in his vsque ad mortem nos perseuerare concede, finem vitæ nostræ bonum ac laudabilem nobis indulge, nosque prænominatos viuos post mortem, ac de eis iam mortuos & omnes fideles defunctos ab omnibus pœnis redime, & ad cœlestis regni gloriam sempiternam nos omnes fac peruenire, qui cum Deo patre & spiritu sancto viuis ac regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

B. Ambrosij Exomologesis, confessionem generalem dicunt.

Sicipie confessionem meā vnica spes salutis meæ Domine Deus meus. Gula nāque, ebrietate, fornicatione & libidine, tristitia, ira, accidia, somnolentia ac negligentia, cupiditate, inuidia, malitia, odio, murmuratione & detractione, periurio, falsitate & mendacio, superbia, vana gloria, auaritia, & cæteris eiusmodi vitium pro dolor perditus sum, cogitatione, loquutione, actione omnibusque sensibus extinctus. Sed tu Domine qui iustificas impiū & mortuos resuscitas, resuscita & iustifica me per Iesū Christū filiū tuum Dominum nostrū, qui pro nobis ac totius mundi salute factus est opprobrium hominū & abiectio plebis. Qui tecum & cum spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

FINIS.

DIVI AMBROSII
DIVI AMBROSII HYMNI
 SPARSIM HINCINDE COLLECTI.

*Hymnus ad nocturnum officium
 concinnendus.*

1. **A** Eterne rerum conditor,
 Noctem diemque qui regis,
 Et temporum das tempora,
 Vt alleues fastidium.
2. Præco diei iam sonat,
 Noctis profundæ peruigil:
 Nocturna lux viantibus
 A nocte noctem segregans.
3. Hoc excitatus Lucifer
 Soluit polum caligine.
 Hoc omnis errorum chorus
 Viam nocendi deserit.
4. Hoc nauta vires colligit,
 Pontique mitescunt freta.
 Hoc ipsa petra ecclesiæ
 Canente, culpam diluit.
5. Surgamus ergo strenuè,
 Gallus iacentes excitat,
 Et somnolentos increpat,
 Gallus negantes arguit.
6. Gallo canente spes redit,
 Ægris salus refunditur,
 Mucro latronis conditur,
 Lapsis fides reuertitur.
7. Iesu labentes respice,
 Et nos videndo corrige:
 Si respicis, lapsus cadunt,
 Fletuque culpa soluitur.
8. Tu lux refulge sensibus,
 Mentisque somnum discute:
 Te nostra vox primum sonet,
 Et vota soluamus tibi, Amen.
9. Deo patri fit gloria,
 Eiusque soli filio,
 Cum spiritu paraclito,
 Et nunc & in perpetuum.

Hymnus sub finem laudum dicendus.

1. **S**plendor paternæ gloriæ
 De luce lucem proferens,
 Lux lucis, & fons luminis,
 Dies diem illuminans,
2. Verusque sol illabere.
 Micans nitore perpeti:
 Iubarque Sancti spiritus
 Infunde nostris sensibus.
3. Votis vocemus & patrem,
 Patrem perennis gloriæ:
 Pater potentis gratiæ
 Culpam releget lubricam.
4. Confirmet actus strenuos,
 Dentem retundat inuidi,
 Casus secundet asperos,
 Donet gerendi gratiam.

- G 5. Mentem gubernet & regat
 Casto, fideli corpore:
 Fides calore ferueat,
 Fraudis venena nesciat.
6. Christusque nobis sit cibus,
 Potusque noster sit fides:
 Læti bibamus sobriam
 Ebrietatem spiritus.
7. Lætus dies hic transeat:
 Pudor sit vt diluculum:
 H Fides velut meridies:
 Crepusculum mens nesciat.
8. Aurora cursus prouehit,
 Aurora totus prodeat:
 In patre totus filius,
 Et totus in verbo pater.
9. Deo patri fit gloria.

Ad primam diei horam.

- I 1. **I**am lucis orto fidere
 Deum precemur supplices,
 Vt in diurnis actibus
 Nos feruet à nocentibus.
2. Linguam refrenans temperet,
 Ne litis horror insonet:
 Visum fouendo contegat,
 Ne vanitates hauriat.
3. Sint pura cordis intima,
 Absistat & vecordia
 Carnis terat superbiam
 Potus cibi que parcitas.
4. Vt cum dies abscesserit,
 Noctemque fors reduxerit:
 Mundi per abstinentiam,
 Ipsi canamus gloriam.
- K 5. Deo patri fit gloria,
 Eiusque soli filio,
 Cum spiritu paraclito,
 Et nunc & in perpetuum. Amen.

Ad tertiam diei horam.

- L 1. **N**unc sancte nobis spiritus
 Vnum patri cum filio,
 Dignare promptus ingeri
 Nostro refusus pectori.
2. Os, lingua, mens, sensus, vigor
 Confessionem personent:
 Flammescat igne charitas,
 Accendat ardor proximos.
3. Præsta pater piissime,
 Patrique compar vnice,
 Cum spiritu paraclito,
 Et nunc & in perpetuum. Amen.

Ad sextam diei horam.

1. **R**ector potens verax Deus
 Qui temperas rerum vices,

splendere

- Splendore mane instruis,
 Et ignibus meridem.
2. Extingue flammam litium,
 Aufer calorem noxium,
 Confer salutem corporum,
 Veramque pacem cordium.
3. Præsta pater, &c.

Ad nonam diei horam.

1. **R**erum Deus tenax vigor,
 Immotus in te permanens,
 Lucis diurnæ tempora
 Successibus determinans.
2. Largire clarum vespere,
 Quo vita nusquam decidat: (.)
 Sed præmium mortis sacræ
 Perennis instet gloria.
3. Præsta pater, &c.

Hymnus ad vespertas dicendus.

1. **D**eus creator omnium,
 Polique rector vestiens
 Diem decoro lumine,
 Noctem soporis gratia. (.)
2. Artus solutos vt quies
 Reddat laboris vsui,
 Mentisque fessas alleuet,
 Luctusque soluat anxios.
3. Grates peracto iam die,
 Et noctis ex ortu preces, (.)
 Voti reos vt adiuues,
 Hymnum canentes soluimus.
4. Te cordis ima concinant,
 Te vox canora concrepet,
 Te diligat castus amor, (.)
 Te mens adoret sobria.
5. Vt cum profunda clauerit
 Diem caligo noctium:
 Fides tenebras nesciat,
 Et nox fide reluceat.
6. Dormire mentem ne sinas,
 Dormire culpa nouerit: (.)
 Castos fides refrigeret,
 Somni vaporem temperet.
7. Exuta sensu lubrico
 Te cordis alta somnient:
 Ne hostis inuidi dolo
 Pavor quietos suscitet.
8. Christum rogemus, & patrem
 Christum, patrisque spiritum:
 Vnum potens per omnia
 Foue precantes Trinitas. Amen.

*Hymnus B. Ambrosij per aduentum domini
 dicendus ad vespertas.*

1. **C**onditor alme siderum,
 Æterna lux credentium,
 Christe redemptor omnium,
 Exaudi preces supplicum.
2. Qui condolens interitu

- A Mortis perire seculum,
 Saluasti mundum languidum,
 Donans reis remedium.
3. Vergente mundi vespere,
 Vti sponfus de thalamo,
 Egressus honestissima
 Virginis matris clausula.
4. Cuius forti potentiæ
 Genu curuantur omnia,
 Cœlestia, terrestria
 Fatentur nutu subdita.
- B 5. Occasum sol custodiens,
 Luna pallorem retinens,
 Candor in astris relucens
 Certos obseruat limites.
6. Te deprecamur hægic
 Venturæ iudex seculi,
 Conferua nos in tempore
 Hostis à telo perfidi.
7. Laus, honor, virtus, gloria,
 Deo patri cum filio,
 Sancto simul paraclito
- C In sempiterna secula. Amen.

Hymnus die dominici natalis concinnendus.

1. **V**eni redemptor gentium,
 Ostende partum virginis:
 Miretur omne seculum,
 Talis decet partus Deum.
2. Non ex virili semine,
 Sed mystico spiramine
 Verbum Dei factum est caro,
- D Fructusque ventris floruit.
3. Alius tumescit virginis,
 Claustra pudoris permanent:
 Vexilla virtutum micant:
 Versatur in templo Deus.
4. Procedens è thalamo suo,
 Pudoris aula regia
 Geminæ gigas substantiæ,
 Alacris vt currat viam.
5. Egressus eius à patre,
 Regressus eius ad patrem:
 Excursus vsque ad inferos,
 Recursus ad sedem Dei.
- E 6. Æqualis æterno patri
 Carnis trophæo accingere:
 infirma nostri corporis
 Virtute firma perpeti.
7. Præsepe iam fulget tuum,
 Luménque nox spirat nouum,
 Quod nulla nox interpollet,
 Fidèque iugi luceat.
- F 8. Gloria tibi Domine,
 Qui natus es de virgine,
 Cum patre & sancto spiritu,
 In sempiterna secula. Amen.

Hymnus quadragesimali ieiunio consecratus.

1. **A**udi benigne conditor
 Nostras precescum fletibus,

- In hoc sacro ieiunio
Fufas quadragenario.
2. Scrutator alme cordium
Infirma tu fcis virium:
Ad te reuerfis exhibe
Remiffionis gratiam.
3. Multum quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.
4. Sic corpus extra conteri
Dona per abftinentiam:
Ieiunet vt mens sobria
A labe prorfus criminum.
5. Præfta beata trinitas,
Concede simplex vnitas,
Vt fructuofa fint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

Hymnus dominica in paffione concinendus, cui de authore à multis cõtrouertitur. Sunt qui tribuant Theodulpho Aurelianenfi epifcopo. Alij Sedulio afcribunt, rursus alij Fortunato vel Prospero. In tanta rei caligine fequutus iudicium Dionyfij noftri, viri in eiusmodi ecclefiafticis literis longè eruditiffimi, refero in noftrum hunc Ambrofium, palinodiam cantaturus fi quis rectiora docuerit.

1. **V**Exilla regis prodeunt,
Fulget crucis myfterium,
Quo carne carnis conditor
Sufpenfus eft patibulo.
2. Confixa clauis viscera,
Tendens manus, veftigia,
Redemptionis gratia
Hic immolata eft hostia.
3. Quo vulneratus in fuper
Mucrone diræ lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda fanguine.
4. Impleta funt quæ concinit
Dauid fideli carmine,
Dicens, In nationibus
Regnauit à ligno Deus.
5. Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno ftipite
Tam fancta membra tangere.
6. Beata cuius brachiis
Secli pependit precium,
Statera facta eft corporis,
Prædamque tulit tartaris.

*Quidam à sexto mox verfu subnectunt & interfe-
runt duos hosce quaternarios nihil
indignos cæteris.*

7. Aroma fundis cortice,
Vincis faporem nectaris,
Iucunda fructu fertili,
Plaudis triumpho nobili.
8. Salue ara, falue victima,
De paffionis hostia,
Qua vita mortem pertulit,

- G** Et morte vitam reddidit.
9. O crux aue spes vnica,
Hoc paffionis tempore
Auge piis iuftitiam,
Reifque dona veniam.
10. Te fumma Deus triuitas
Collaudat omnis fpiritus:
Quos per crucis myfterium
Saluas, rege per fecula. Amen.

Hymnus tempore pafchali dicendus.

- H** 1. **C**Horus nouæ Hierufalem
Promat, colens cum sobriis
Pafchale feftum gaudiis.
2. Quo chriſtus inuictus leo
Dracone furgens obruto,
Dum voce viua perfonat,
A morte functos excitat.
3. Quam deuorarat improbus
Prædam refudit tartarus,
Captiuitate libera
Iefum fequuntur agmina.
4. Triumphat ille splendè,
Et dignus amplitudine,
Soli poli que patriam
Vnam facit rempublicam.
5. Ipfum canendo fupplices
Regem precemur milites,
Vt in fuo clariffimo
Nos ordinet palatio.
K 6. Per fecla metæ nefcia
Patri fupremo gloria,
Honórque fit cum filio
Spiritus paracleto.

*Hymnus alter prædictæ celebra-
ti confentaneus.*

- L** 1. **H**ic eft dies verus Dei
Sancto ferenus lumine,
Quo diluit fanguis facer
Probrosa mundi crimina.
2. Fidem refundens perditis,
Cæcòsque vifum illuminans.
Quem non graui foluit metu,
Latronis abfolutio?
3. Qui Præmium mutans cruce,
Iefum breui quærit fide,
Iuftòsque præuio gradu
Præuenit in regnum Dei.
M 4. Opus ftupent & angeli
Pœnam videntes corporis,
Chriſtòque adhaerentem reum
Vitam beatam carpere.
5. Myfterium mirabile,
Vt abluat mundi luem,
Peccata tollat omnium
Carnis vitia mundans caro.
6. Quid hoc poteft fublimius,
Vt culpa quærat gratiam?
Metumque foluat charitas,

Reddâtque

- Reddâtque mors vitam nouam?
7. Hamum fibi mors deuoret,
Suifque fe nodis liget?
Moriatur vita omnium,
Refurgat vita omnium?
8. Cùm mors per omnes tranfeat,
Omnes refurgant mortui?
Consumpta mors icu fuo,
Periffe fe folam gemat.
9. Gloria tibi Domine,
Qui furrexifti à mortuis,
Cum patre & fancto fpiritu,
In fempiterna fecula. Amen.

*Hymnus in celebritate dominicæ afcenfionis de-
cantandus.*

- I** 1. **O**ptatus votis omnium
Sacratu illuxit dies,
Quo Chriſtus, mundi spes Deus
Confcendit cœlos arduos.
2. Ascendens in altum Dominus
Propriam fedem remeans,
Gauifa funt cœli regna,
Reditu vnigeniti.
3. Magni triumphum prælij,
Mundi perempto principe,
Patris præfentans vultibus
Victricis carnis gloriam.
4. Est eleuatus nubibus,
Et fper fecit credentibus,
Aperiens paradifum
Quem protoplastus clauferat.
5. O grande cunctis gaudium,
Quòd partus noſtræ virginis
Poſt ſputa, flagra, poſt crucem,
Paternæ ſedi iungitur.
6. Agamus ergo gratias
Noſtræ ſalutis indici,
Noſtrum quòd corpus vexerit,
Sublimem ad cœli regiam.

- A** 7. Sit nobis cum cœleſtibus
Commune manens gaudium:
Illis, quòd fe præfentauit:
Nobis, quòd fe non abſtulit.
8. Nunc prouocatis actibus
Chriſtum expectare nos decet,
Vitæque tali viuere,
Quæ poſſit cœlos ſcandere.
9. Gloria tibi Domine,
Qui ſcandis ſupra ſydera
B Cum patre & fancto ſpiritu
In ſempiterna ſecula. Amen.

*Hymnus ad horam completorijs
recitandus.*

- C** 1. **C**hrifte qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucifque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
2. Precamur fancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.
3. Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat:
Nec caro illi conſentians,
Nos tibi reos ſtatuat.
4. Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
D 5. Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus eſt.
6. Memento noſtri Domine
In graui iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis domine.

DI VI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS ORATIO FVNEBRIS DE OBITV VALENTINIANI IMPERATORIS.

E Tſi incrementum doloris fit, id quod E tur primum deſeam? Quid primum amara con-
doleas ſcribere: quoniam tamen ple- queſtione deplem? Conuerſi ſunt dies nobis vo-
runque in eius quæ amiſſum dolemus, torum noſtrorum in lachrymas. Siquidem Valen-
commemoratione requieſcimus, eo tinianus nobis, ſed non talis qualis ſperabatur, ad-
quod in ſcribendo, dum in eum mentem dirigimus, uenit. Et iſte quidem vel morte ſua voluit imple-
intentionemque deſigimus, videtur nobis in ſer- re promiſſum, ſed nobis acerbiffima eſt facta eius;
mone reuiuifcere: ſignare aliquid de Valentiniani quæ exoptabatur, præſentia. Vtinam adhuc nobis
iunioris vltimis cordi fuit, ne aut obliteraſſe ſilen- abeſſet, vt ſibi viueret. Sed ille nõ paſſus cùm audi-
tio bene meriti de nobis pignoris memoriam vide- ret alpes Italiae hoſte infeſtari Barbaro, maluit peri-
remur, atque inhonoratam reliquiſſe, aut refugif- cilitari ſe ſi Gallias derelinqueret, quàm noſtro de-
ſe incentiuum dolendi, cùm doluiſſe plerunque ſo- eſſe periculo. Magnum diſcrimen agnoſcimus im-
latium ſit dolētis: ſimul vt cùm de ipſo aut ad ipſum peratoris, quod Romano ſubuenirè voluit imperio.
loquor, tanquàm de præſenti ſermo fit. Quid igi- Hæc cauſa mortis, quæ plena laudis. Soluam? bono
S. Ambroſiom, 5.

principi stipendiarias lachrymas, quia ille nobis soluit etiam mortis suae stipendium. Nec tamen flendi admonitio necessaria. Flent omnes, flent & ignoti, flent & timētes, flent & inuiti, flēt & Barbari, flent & qui videbantur inimici. Quantos iste de Gallis vsque huc totius tractu itineris populorum egit gemitus? Omnes enim non tanquam imperatorem sibi, sed tanquam parētem publicum obisse domestico fletu doloris illachrymant, suaque omnes funera dolent. Amisimus enim imperatorem in quo duo pariter acerbant dolorem, annorum immaturitas, & consiliorum senectus. In his ergo fleo, sicut dixit propheta: Oculi mei caligauerunt a fletu, quia elongauit a me qui consolabatur me. Oculi mei non solum corporis, sed etiam mentis hebetati sunt, & quadam caecitate omnis sensus obductus est, quoniam ereptus est mihi qui conuertit animam meam, & ad spem maximam de summa rerum desperatione reuocauit. Audite omnes populi & videte dolorem meum. Virgines meae & iuuenes mei abierunt in captiuitatem: sed cognito quod de Valentiniani essent partibus, liberi reuerterunt. Militauit hostis Barbarus imperatori adolescenti, & suae oblitus victoriae, memor fuit imperialis reuerentiae. Laxauit sponte quos ceperat, excusans quod ignorasset Italos. Nos adhuc murum alpibus addere parabamus. Valentiniani gratia non expectauit Alpium vallum, flueta amnium, aggeres niuium, sed Alpes & fluuios supergressa, muro nos sui imperij protexit. Vnde propheta Threni mihi vtendum exordio videtur. Quomodo mereret Italia, quae abundabat gaudiis? Plorans plorauit in nocte, & lachrymae illius in maxillis eius. Non est qui eam consoletur ab omnibus qui diligunt eam. Omnes qui amant illam, despexerunt eam. Omnis populus eius ingemiscens. Et quia de Hierusalem, id est ecclesia, plorauit in nocte, quoniam qui eam splendidiorē fide sua & deuotione faciebat, occubuit: merito ergo plorans plorauit, & ad huc lachrymae eius in maxillis eius. Vbertatem quidem fletuum solet vultus humescentis declarare infusio, cum lachrymis genae rorant. Sed quia scriptum est: Genae eius sicut phialae aromatis gignentis vnguentaria, labia eius sicut lilia distillantia myrrham plenam: mysticē ecclesiae gratia deflentis accipitur, quae in obitu Valentiniani bonum doloris sui effudit vnguentum, & vitam eius praedicando concelebrat. Cui mors obesse non potuit, eo quod odor praedicationis vniuersorum ore celebrabilis, foetorem omnem mortis obleuit. Flet igitur ecclesia pignus suum, & lachrymae eius in maxillis eius. Quid sit maxilla, audi: Qui te percuserit in maxilla, prebe ei & alteram: eo quod in dolore sit patiens vt poeniteat verberatē. Percussa eras ecclesia in maxilla tua cum amiteres Gratianum, praebuisti & alteram quando tibi Valentinianus ereptus est. Merito tibi non in vna maxilla: sed in vtraque sunt lachrymae, quia pie germanum vtrūque deplorat. Ploras igitur ecclesia, & fletum genae tuae velut fluentibus quibusdam stillicidiis pietatis exundant. Quae sunt istae genae ecclesiae, de quibus & alibi ait scriptura: Vt corium malorum granatorum genae tuae? istae sunt genae, in quibus solet nitere verecūdia, pulchritudo fulgere, in quibus aut flos iuuentū aut perfectū

atatis insigne est. In obitu igitur fidelium imperatorum quidam fidei pudor, quaedam ecclesiae verecūdia est, & in tam immatura morte piorum principum omnis ecclesiae maestior pulchritudo est. Plorat ecclesia in sapientibus suis, qui velut caput ecclesiae sunt. Oculi enim sapientis in capite eius. Plorat in oculis, hoc est, in suis fidelibus, quia scriptum est: Oculi tui sicut colubae, extra taciturnitatem tuam: eo quod & videat spiritualiter, & nouerint ea quae viderint tacere mysteria. Plorat in sacerdotibus suis, qui sunt sicut genae ecclesiae, in quibus est barba Aarō, hoc est barba sacerdotalis, in qua de capite descendit vnguentum. Isti sunt in quibus est pulchritudo ecclesiae, in quibus flos eius gratior, in quibus aetas perfectior, qui velut cortices malorum puniceorum decorem floris praefertant abstinentia corporali, intus autem commissam sibi plebem diuersae aetatis & sexus foucant sapientia spirituali, obiecti quidem seculo ad iniurias, sed interna mysteria diuidentes. Plorat in virginibus suis, quae sunt sicut lilia myrrha plena, candorem integritatis, & mortificatae corporalis illecebrae gloriam praefertentes. In his ergo flet, sicut scriptum est: Viae Sion lugent, sacerdotes eius ingemiscunt, virgines eius abductae, & ipsa indignatur intra se. Et intra se quidem indignatur, ad Valentinianum autem dicit: Assumam te & inducam te in domum matris meae, & in secretum eius quae concepit me. Potum tibi dabo a vino operosi vnguenti, hoc est multi operis, multi odoris vnguenti, a fluxu malorum granatorum meorum: vt bibat vinum quod laetificat cor hominis, & defluat in eum malorum granatorum fluxus, in quibus multus & diuersus est fructus. Sermo enim multorum sensuum, & de diuersis scripturis abundans, sermo angelorum, sermo apostolorum ac prophetarum, quos vno velut corio ecclesia sancta complectitur, malorum fluxus est granatorum. Videns haec Valentinianus integre plena gratiae respondet: Misericordiae Domini quod non defecimus, quia non sunt consummatae miserationes eius. Renouabit illa sicut lux matutina. Multi sunt gemitus mei, & cor meum defecit. Sors mea Dominus, dixit. Ideo suscitabo eum. Bonus est Dominus sustinentibus eum, animae quae quaerit eum: bonum est sperare in salutare Domini. Bonum est viro cum portauerit iugum graue in iuuentute sua: sedebit singulariter, & filebit, quia tulit iugum graue. Et ille quidem se suarum virtutum remuneratione solatur, eo quod in iuuentute sua labores abforbuit, pericula multorum tolerauit. Iugum maluit graue emendationis propositi, quam molle illud ac plenum deliciarum inuidia mentis ceruice portare. Bene beatus plane qui vel in senectute correxit errorem, beatus qui vel sub ictu mortis animam conuertit a vitiis. Beati enim quorum tecta sunt peccata, quia scriptum est: Desine a malo & fac bonum, & inhabita in secula seculorum. Quicumque ergo deserit a peccatis, & fuerit ad meliora in quacunque conuersus aetate, habet superiorum indulgentiam peccatorum, quae fuerit vel patienti confessus affectu, vel corrigenti auersatus ingenio. Sed huic cum plurimis veniae societas emerenda. Plurimi enim sunt qui se a peccatis iuuentutis in senectute reuocare potuerunt. Rarus autem qui in iuuentute graue

iugum serua sobrietate portauerit. Hoc est illud iugum de quo Dominus in euangelio ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam: tollite iugum meum super vos. Si quis ergo antequam graui oneretur peccatorum sarcina tulerit iugum in iuuentute, singulariter sedebit, non cum plurimis conferendus, sed cum illo potest dicere: Quoniam tu singulariter in spe constituisti me. Sed forte dicas, quomodo iugum graue dicit Hieremias, cum in euangelio Dominus dixerit: iugum meum suauē, & onus meum leue est. Ac primum discite quia Graecus iugum tantummodo posuit, non addidit graue. Tamen & illud aduerte, quia etsi ita esset in Threnis, in euangelio iugum suauē dixerit, & onus leue, non iugum leue. Potest enim graue iugum verbi esse, sed suauē. Graue adolescenti, graue iuueni, cuius aetas est florulentior, vt nolit iugo verbi subiiciendam animi praebere ceruicem. Potest & graue verbi iugum videri praepondere disciplinae, austeritate correctionis, pondere abstinentiae, restrictioneque lasciuiuae, suauē tamen esse fructu gratiae, spe remunerationis aeternae, purioris conscientiae suauitate. Tamen iugum verbi suauē dixit, onus obedientiae leue: quoniam ei qui iugum verbi patienti ceruice susceperit, disciplinae onus graue esse non poterit. Qui ergo tulerit a iuuentute iugum, singulariter sedebit & filebit reuelata sibi gaudens diuinae remunerationis aeterna mysteria. Aut certe filebit, non opus habens excusatione peccati, quod matura confessione praenit, & propra correctione deposuit. Non enim dicitur huic: Quae in iuuentute non congregasti, quomodo inuenies in senectute? Potest autem & sic intelligi: Quoniam qui cito portauerit iugum verbi, hoc est, a iuuentute non se miscebit cum iuuenibus, sedebit seorsum & filebit, donec plena se perfectione virtutis erudiat, & magnam induat animo patientiam, dabitque percutienti maxillam suam, etiam caedis contentus iniuria, vt mandatis obsequatur caelestibus. Magnum est enim vel abstinere a vitiis iuuentutis, vel ea in ipso iuuentutis vestibulo derelinquere, atque ad saniora conuertit: lubrica enim & perplexa viae sunt iuuentutis. Denique Salomō ait: Tria mihi impossibilia sunt intelligere, & quartum quod non cognosco. Vestigia aquilae volantis, & vias serpentis in petra, & semitas nauis nauigantis, & vias venti in iuuentute. Dauid autem ait: Delicta iuuentutis meae & ignorantias meas ne memineris. Iuuenis enim non solum fragilitate lubrica aetatis prolabitur, verum etiam ignorantia caelestium mandatorum plerumque delinquit. Cito autem meretur veniam qui praetendit ignorantiam. Propheta itaque dicit: Delicta iuuentutis meae & ignorantias meas ne memineris. Non dicit, delicta senectutis meae & scientiae meae ne memineris, sed quasi propheta qui cito correxit & emandaerit vitia iuuentutis, aetatem ignorantiamque praetendit. Valentinianus quoque in delicto prophetae simul ait: Delicta adolescentiae & ignorantiae meae ne memineris. Non solum dixit sed etiam ante correxit errorem, quam disceret esse lapsus alicuius erroris. Itaque dicit: Correctione iuuentutis meae ne memineris. Error in pluribus est, in paucis correctio. Et quid iam de aliis dicam, qui etiam ludo iu-

uentutis putauerit abstinendum, refecandam aetatis licentiam, seueritatis publicae duritiam mollicienda, lenitatem senectutis in alienis annis deferendam ei qui in periculum conuicti criminis vocaretur? Ferebatur primò ludis Circensibus delectari: sic istud absterfit, vt ne solennibus quidem principum natalibus, vel imperialis honoris gratia circenses putaret esse celebrandos. Aiebant aliqui ferarum cum venationibus occupari, atque ab actibus publicis intentionem eius abduci. Omnes feras vno momento infisit interfici. Audire in consistorio negocia, & Danielis spiritu, in quibus dubitarent senes, vel personae alicuius contuitu ducerentur, congruam verò adolescentem videres senilem ferre sententiam. Iactabant inuidi, qui praemature prandium peteret: coepit ita frequentare ieiunium, & plerumque ipse impransus conuiuium solene suis comitibus exhiberet, quo & religioni sacrae satisfaceret, & principis humanitati. Scenicam cuiusdam forma ac decore deperire Romae adolescentes nobiles nunciabatur: Iussit eam ad comitatum venire. Missus precio deprauatus sine mandati effectu rediit. Alterum misit, ne voluisse emendare vitia adolescentum & non potuisse videretur. Datus est obrectandi aliquibus locus, deductam tamen numquam aut spectauit aut vidit. Postea redire praecipit, vt & omnes agnoscerent irritum eius non esse mandatum, & adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse qui potuit habere in potestate, despexerat. Et haec fecit cum adhuc non haberet uxorem, & tamē exhiberet sui tanquam vincens coniugio castitatem. Quis tā Dominus serui quam ille sui corporis fuit? Quis tā aliorum arbiter, quam ille suae censor aetatis. Quid de pietate eius loquar? qui cum homines nobili ortos genere, & locupleti profapia, quae cito mouere inuidiam solet regiae cupiditatis, accusator vrgeret, praefectus insisteret, respondit, nihil eruentum sanctis praesertim diebus statueretur. Et cum post aliquot dies accusatoris legeretur libellus, calumniā pronunciaturus, accusatū liberē donec praefectus cognosceret, obseruare iussit. Neque antea aut postea quisquam tanti criminis sub adolescente imperatore formidauit inuidiam. Risit adolescens quod robusti metuant imperatores. Miserat propter recuperanda templorum iura, sacerdotiorum prophana priuilegia, cultus sacrorum suorum Romae legatos, & quod est grauius, senatus nomine nitentur. Et cum vniuersi qui in consistorio aderant Christiani pariter atque gentiles dicerent esse reddenda, solus velut Daniel excitato in se Dei spiritu arguebat perfidiae Christianos, gentilibus obuiabat, dicens: Quod pius frater eripuit, quomodo a me putatis esse reddendum, cum in eo & religio laedatur & frater, a quo se nollet pietate superari? Et cum paterno conueniretur exemplo, quod sub patre suo ea nullus abstulerat: respondit: Patrem meum laudatis quia non abstulit, nec ego abstuli. Nunquid pater meus reddidit, vt me debere reddere postuleris? Postremo & si pater reddidisset, frater abstulerat. Imitatorem in ea parte fratris esse me mallet. Aut nunquid meus pater Augustus fuit, & frater non fuit? Par vtrique debetur reuerentia, & par vtriusque est circa reipublicam gratia. Vtriusque

que imitabor, vt & non reddam, quod & pater red-
dere nō potuit, quia nullus abstulerat: & seruē quod
à fratre est cōstitutū. Postulet parens Roma alia que-
cunque desiderat. Debeo affectum parenti, sed mag-
is obsequium debeo salutis authori. Quid de amo-
re prouincialium loquar, vel quo eos ipse com-
plectebatur, vel qui ab iis consultori suo repende-
batur, quibus nihil vniquam indici passus est? Præ-
terita, inquit, nō queunt soluere, noua poterunt su-
stinere? Hoc laudant prouinciæ Iulianum: & ille
quidem in robusta ætate, iste in processu adolescē-
tiæ. Ille plurima reperit, & exhaustit omnia: iste ni-
hil inuenit, & omnibus abundauit. Audiuit in tran-
s-alpinis partibus positus ad Italiæ fines Barbaros ap-
propinquasse: sollicitus ne alieno hoste suum regnū
attentaretur, venire properabat cupiens dimittere
Gallicana otia, & pericula nostra suscipere. Hæc
mihi cum aliis communia, illa priuata quod saepe
me appellabat absentē, & à me initiatū se sacris my-
steriis præferbat. Quin etiam cum rumor quidam
ad Viennensem pertulisset urbem quod inuitandi
eius ad Italiam gratia eō pergerem, quàm gaudē-
bat, quàm gratulabatur me sibi optato affore, mo-
ra ei aduentus mei prolixior videbatur: atque vti-
nam aduentum ipsius nullus præuenisset nunci-
us. Iam promiseram me profecturum, respondens vel
honoraris petentibus, vel præfecto vt tranquillita-
ti Italiæ consulere, me sicut superfluo ingerere
non possem propter verecundiam, ita necessitati-
bus non defuturum. Confirmatum hoc erat. Ecce
postridie literæ de instruendis mansionibus, inue-
ctio ornamentorum regalium, aliæque eiusmodi
quæ ingressurum iter imperatorem significarent.
Quibus rebus ab ipsis quibus fuerat postulata, inter-
missa legatio est. Reus mihi videbar speratæ meæ
præsentia, nec impletæ: sed vtinam viuenti tibi hūc
deberem reatum. Excusarem quod nulla tua audis-
sem pericula, nullas tuas accepissem literas, quod
nō potuissem propriis animalibus occurrere, etiam
si iter ingressus essem. Itaque securus veniæ, dum
dies subduco * aduentum tuum intelligo. Ecce re-
scriptum accipio, vt sine mora pergendum puta-
rem, eo quod vadem fidei tuæ haberem caput, com-
item tuum velles. Nū restiti? Num moratus sum?
Additur eo vt properare ocyus, nec arbitrare cau-
sam itineris mei Synodum Gallorum esse episcopo-
rū, propter quorum frequentes discessiones crebrō
me excusaueram, sed vt ipse baptizaretur in ipso
egressu. Gestarum iam rerum indicia potui cognos-
cere, sed properandi studio nihil aduertere pote-
ram. Iam superabam Alpiū iuga, & ecce nunci-
us amarus mihi & omnibus de tanti morte imperatoris.
Reflexi, iter fletibus meis laui. Quibus ego votis om-
nium proficiscebam? Quo gemitu omnium reuer-
tebar? Non enim imperatorem sibi, sed salutem e-
reptam putabant. Quanto ipse angebar dolore? Pri-
mum quod tātus princeps, quod dulce pignus meū,
quod ita mei cupidissimus occidisset. Quos ego æ-
stus eius illo viduo fuisse comperi, quo literis quas
ad me miserat superuixit. Vespero profectus est silē-
tarius, tertio die mane quærebat iam ne remeasset,
iam ne veniret? Ita sibi salutem quandam ventu-
ram arbitratur. O iuuenis optime, vtinam te vi-

* Aduentus
sui iter lego.

uentē inuenire potuissem, vtinam te dilatio aliqua
meo te referuasset aduētui. Nihil de aliqua meivirtu-
te pollicor, nihil de ingenio atque prudentia: sed
quanta ego cura inter te & comitem tuum, quanta
sedulitate cōcordiam & gratiam refudissem. Quàm
meipsum pro tua obtulissem fide, quā in meipsum
eos recepissem, quibus ille se timere dicebat. Cer-
tē si comes non esset inflexus, tecum remansissem.
Præsumebam de te quod ipse me audires: si pro-
te non esse auditum videres, multa habuētam quæ
tenerem. Nunc nihil habeo præter lachrymas & fle-
tus. Quotidie mihi maior ad dolorem es, cretē ad
gemitum. Omnes quanti me feceris protestantur.
Omnes absentiam meam causam tuæ mortis appel-
lāt. Sed nō sum Helias, nō sū propheta, quo potue-
rim futura cognoscere, sed sum vox clamantis in
gemitu, quo possim deslere præterita. Quid enim
habeo quod melius faciam, quàm vt tibi lachrymas
pro tanto tuo in me affectu rependam: Ego te susce-
pi paruulum, cum legatus ad hostem tuum perge-
rem. Ego Iustinæ maternis traditum manibus am-
plexus sum. Ego tuus iterum legatus repetiui Gal-
lias, & mihi dulce illud officium fuit pro salute tua
primō, deinde pro pace atque pietate qua fraternas
reliquias postulabas, nondum pro te securus, & iā
pro fraterne sepulturæ honore sollicitus. Sed reuer-
tamur ad Threnos, & ipsa doloris ingrediamur vi-
scera. Quid testabor, inquit, tibi, aut quid assimi-
labo tibi filia Hierusalem? quis saluam faciet te? &
quis consolabitur te virgo filia Sion? Quia magna
facta est super te contritio tua, quis sanabit te? Quis
autem me consolabitur, à quo alij petunt consola-
tionis officium? Impleuit me amaritudine, inebria-
uit me felle. Ventrē meum doleo, vt prophético v-
tar eloquio, quoniam quem in euangelio eram ge-
neraturus, amisi. Sed ille non amisit gratiam quā
poposcit, qui mihi in sermone quo vtebar ad ple-
bem hodie resurrexit. Nam cum in tractatum inci-
dissem propositæ lectionis, quod populus pauper
benediceret Deum: quætere cœpi quis esset hic
populus, & distinguere quod esset populus alter di-
ues, alter pauper: diues Iudæorum, pauper ecclesia.
Diues ille eloquiis sibi creditis, iste pauper aliena e-
loquia mutuatus. Meritō pauper, quia congregatus
à paupere est, illo videlicet qui pauper factus est cū
diues esset, vt nos eius inopia ditaremur? Exinani-
uit enim se, vt omnes repleret. Sed quomodo pau-
per, qui habebat æternitatis diuitias, & plenitudi-
nem diuinitatis? Denique in carne erat, & dicebat:
A modo videbitis filium hominis sedentem ad dex-
teram virtutis. Et alibi ad Petrum dicit: Tibi dabo
claves regni cœlorum. Hic ergo pauper qui regnū
cœleste donabat? Sed audi quomodo pauper. Tol-
lite, inquit, iugum meum super vos, quia mitis sum,
& humilis corde. Ideo & populus eius pauper est,
nō indigētia, quæ diuite illo populo video ditiorē.
Nō solum enim oracula prophetarum, sed etiam a-
postolorū, meruit diuino fusa spiritu habere præce-
pta. Non ergo inopia pauper, sed spiritu, cui dictum
est: Beati pauperes spiritu, ipsorum est enim regnum
cœlorum. Verē beati pauperes, qui acceperūt quod
diuites non habebant. Ex hoc numero est ille pro-
pheticus pauper, de quo scriptum est: Ille pauper
clamauit,

clamauit,

clamauit, & Dominus exaudivit eum. Ex hoc populo
ille qui ait: Argentum & aurū non habeo, sed quod
habeo, hoc do tibi: In nomine Iesu Nazareni surge
& ambula. Ille ergo pauper author populi pauperis
dicit: Deus laudem meam ne tacueris, quia os pecca-
toris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt
super me lingua dolosa, & sermonibus odij circun-
derunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo vt
me diligerent, detrahebant mihi, ego autem ora-
bam. Bonum scutum oratio, quo omnia aduersarij
ignita spicula repelluntur. Orabat ergo Dominus
Iesus, & eius imitator Valentinianus orabat. Sed for-
tē dicatur, quid ei profuit sua oratio? Ecce in primo
vitæ occidit cursu, de celeritate mortis nō de gene-
re loquor. Non enim accusationis voce vtor, sed
doloris. Sed etiā Dominus orabat, & crucifixus est.
Hoc enim orabat, vt peccatum mundi tolleretur. Au-
diamus ergo quid oret Christi discipulus. Vtique
quod magister docuit. Docuit autem vt vigilemus
& oremus, ne intremus in tentationem, hoc est, ne
incidamus in peccatum. Hæc est enim tētatio Chri-
stiani, si in suæ animæ periculum prolatur: mortē
autem timere non est perfectionis. Rogare autem
quis debeat & pro inimicis suis, orare etiam pro perse-
quentibus, sicut Dominus orabat, dicens: Pater,
dimitte illis, nō enim sciunt quid faciunt. Vide cle-
mentiam magnam, illi suum persequebantur autho-
rem, ipse aduersariis etiam grauiora peccata donabat,
quin etiam ignorantie velamine excusabat admis-
sum, dicens: Quia nesciunt quid faciunt. Nam si
scirent, Dominum nō persequerentur suū, in cuius
potestate ac iure salutem esse suam arbitrantur. Et
quia non sola Christi persecutores eius erant mortō
contenti, addebant maledicta atque conuicia, vt
ait ipse: Maledicent ipsi & tu benedices. Docuit
nos quod timere maledicta persecutorum minimē
debeamus, cum habeamus benedictionis authorē.
Nec mouere nos conuicia debeant, vbi præsul est
qui possit auferre maledicta. Quid illud quod mori
nō timuit? Imō pro omnibus se obtulit, dicens quod
frustra innocij in inuidiam vocarentur, quod fru-
stra propter se alij periclitarentur. Sibique potius
mortem optabat, ne ipse aliis causa mortis esset.
Hoc est illud euangelicum Domini in ipsa sui captio-
ne dicentis: Si me quæritis, finite hos abire. Oc-
cidit itaque pro omnibus quos diligebat. Pro quo
amici sui parum putabant si omnes perirent. Ad-
uertimus quem circa amicos suos habuerit animū.
Consideremus quem erga germanas suas habuerit
affectum. In ipsis requiescebat, in ipsis se consola-
batur, in ipsis relaxabat animum, & fessa curis cor-
da mulcebat. Rogabat eas vt si quo pueritiæ suæ
lapsu, si sermone aliquo offensæ à fratre videren-
tur, ignoscerent, veniam sibi à Domino deprecaren-
tur. Manus, caput fororibus osculabatur, im-
memor imperij, memor germanitatis: & quo mag-
is aliis potestatis iure præstaret, hoc se magis hu-
mitem fororibus exhibebat. Rogabat vt non me-
minissent iniuriæ, meminissent gratiæ: vt quod
acciderat de earum possessione, audiret negocium.
Tantus enim erat, vt etiam in causa fororum æquus
fore arbiter à prouincialibus existimaretur, quod et-
si circa sanctas necessitudines suas charitate propē-

deret, tamen pietatem suam iustitia temperaret.
Audiuit negocium non de iure, sed possessione præ-
dij. Hinc pietas pro fororibus, inde misericordia
pro orphani causa certabat, vt pro eo apud ipsas in-
terueniret sorores. Remisit ad iudicem publicè ne-
gocium, re aut ius, aut pietatem læderet. Priuatim
tamen, quantum ex proposito nobilium puellarum
aduertimus, pius sanctis fororibus impressit affe-
ctum, vt concedendi prædij voluntatem haberent;
iudicium darent. Verē dignæ tanto fratre germa-
næ, quæ quod mater sibi reliquerat mallent de suo
potius iure laxare, quàm fratrem in sua causa vere-
cundiam sustinere. Hæc est vobis sanctæ animæ hæ-
reditas preciosior fraternæ laudis & gloriæ, his vos
pius frater nobiliores & ditiores reddidit, qui caput
vestrum non gemmis * onerabat, sed osculis. Ma-
nus vestras nō tam regalibus ambiabat insignibus;
quàm imperatorio ore lambebat. In vestra fructu
præsentis omne ponebat solatium, vt nec ipsam ni-
miè desideraret vxorem. Ideo nuptias differebat;
quia pius eum vestra gratiæ pascebat affectus. Hæc
vobis desiderio amplius quàm dolori sint, vt fra-
terna gloria plus reficiat mentem, quàm dolor tor-
queat: pascent frequenter & lachrymæ & mentem
alleuant: fletus refrigerant peccus, & mœstum so-
lantur affectum. Durum quidem funus videtis, sed
stabat & sancta Maria iuxta crucem filij, & specta-
bat virgo sui vniuenti passionem. Stantem illam
lego, sentem non lego. Vnde dixit ei filius, Mu-
lier, ecce filius tuus. Et discipulo dixit, Ecce mater
tua: hæreditatem illis charitatis suæ & gratiæ dere-
linquens. In quo vobis pia pignora, quoniam fra-
trem vestrum seruare propter mea peccata nō me-
rui, affectum paternum exhibere desidero. Illum
intueor in vobis, illum tenco, illum puto esse mihi
præsentem, imō vtrumque germanum, quos velut
oculos mihi effoscos doleo. Felicius episcopus per-
sequantur imperatores quā diligant. Quanto mihi
beatius Maximus minabatur: In illius odio laus erat;
in horum amore supplicij feralis hæreditas. Vtinam
filij pro vobis licuisset hunc spiritum fundere: com-
pendium doloris inueneram, & gloriosius mihi
fuerat pro tantis obire pignoribus. Sed ad vestram
sanctæ filie consolationem reuertar, quamuis rerum
gestarū acerbitas vim omnem cōsolationis absor-
beat. Quæ si breuis sit, nihil afferet quo mœstum
affectum demulceat: sin prolixior, longiorem affe-
rat admonitionē doloris. Quo enim prolixior fue-
ris, hoc magis in consolando afficies eum quem cō-
solari velis, & diutius mœrorem eius tenebis. Non
igitur velut penicillo quodam sermonis mei vestras
abstergam lachrymas. Neque enim id facere vel-
lem, etiam si possem. Est enim pius affectibus quæ-
dam etiam flendi voluptas, & plerumque grauis la-
chrymis euaporat dolor. Sed id postulo, ne vel in-
fixum pectori vestro fratrem duris gemitibus rele-
uctis, vel auertatis planctibus, vel requiescētē ex-
citetis. Ille vobis maneat in corde, ille viuat in pecto-
re, ille amplexibus piis hæreat vt solebat. Ille frater-
na oscula premar, ille semper in oculis sit, semper in
osculis, semper in alloquiis, semper in mentibus: ille
iam talis, vt ei nihil timeatis sicut antè. Oblui-
scimini eius ærumnam, teneatis gratiam. Ille vo-

* Ornabat.

Joan. 19.

bis auxiliaturus speretur, ille noctibus p̄sul assistat, illum à vobis iam nec somnus excludat. Propter ipsum delectet quies, vt vobis gratior reuertatur. In vobis est filia vt fratrem vobis iam nemo possit auferre. Sed corpus eius tenere desideratis, tumulum circumfusè tenetis. Ille tumulus fratris vobis habitatio sit. Ille sit aula palatij, in quo chara membra requiescunt. Quod si me ad illum reuocatis dolorem, quod citò excessit è vita: nec ego abnuo immatura obisse ætate; quem nostræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, vt de nostris annis viueret, qui fungi nō potuit suis. Sed quæro vtrum aliquis sit post mortē sensus, an nullus? Si est, viuit: imò quia est, vita iam fruitor æterna. Quomodo enim non habet sensum, cuius anima viuit & viget, & remeabit ad corpus, & faciet illud cum refusa fuerit, reuiuiscere? Clamat Apostolus: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Nam si credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus illos qui dormierūt per Iesum, adducet cum eo. Manet ergo eorum vita, quos manet resurrectio. Quod si gentes qui spem resurrectionis non habent, hoc vno se cōsolantur quo dicant quod nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris: quanto magis nos consolationem recipere debemus, quia mors metuenda nō sit, eo quod finis sit peccatorum: vita autem desperanda non sit, quæ resurrectione reparatur? Iob quoque docet nec mortem timendam, & potius optandam piis, dicens: Vtinam in inferno me custodires, & absconderes me donec mitigetur ira tua, & cōstituas mihi tempus in quo memor sis mei. Si enim mortuus fuerit homo, viuet. Consummans dies vitæ meæ sustinebo donec iterum fiam. Tunc vocabis, & ego tibi obediam. Opera autem manuum tuarum ne despicias. Esto tamen dolendum sit quod primæua obierit ætate. Gratulandum autem quod virtutum stipendiis veteranus decesserit. Tanta enim fuit emendatio vitæ eius in illo omnibus lubrico adolescentiæ tempore, tanta laus morum eius, vt omnem memoriam doloris obducat. Quod enim obiit fragilitatis est: quod talis fuit, admirationis. Quam beata fuisset respublica si cum diutius seruare potuisset. Sed quia vita sanctorum non hic in terris est, sed in cœlo (Iustus enim viure Christus, & mori lucrum, quia & dissolui & cum Christo esse, multo melius) dolendum est quod nobis citò raptus sit, consolandum quod ad meliora transferit. Denique Dauid moriturum filium flebat, mortuum non dolebat: flebat ne sibi eriperetur: sed flere desiuit ereptum, quæ sciebat esse cum Christo: Et vt scias verū esse quod assero, incestum Ammon filium fleuit occisum, paricidam Absalon doluit interemptum, dicens: Filius meus Absalon, filius meus Absalon. Innocentem filium non putauit esse lugendum, quia illos sibi perisse pro scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum. Nihil ergo habetis quod grauissimè doleatis in fratre: homo natus est, humanæ fuit obnoxius fragilitati. Nemo se redimit à morte, nō diues; non ipsi reges, imò ipsi grauioribus subiacent. Iob dixit: Numerati anni dati sunt potenti, timor autem eius in auribus eius: quando videtur habere

pacem, tunc veniet ei euersio. Vobis quoque ipsis tam acerba incidisse patienter ferre debetis, quæ videtis vobis communia esse cum sanctis. Etiam Dauid amissis filiis destitutus est. Optasset illos tales obire, qualis vobis frater ereptus est. Ille crimina doluit, non exitum filiorum. Sed esto fuerit ingemiscendum: Quousque luctus tempora protrahuntur, duorum mensium curricula in fraterni funeris quotidiano clausistis amplexu? Sola in scripturis lepte filia fletus sui tempora postulauit, cognito quod pater eius profecturus ad prælium vouerat quia rē rū potitus offerret Domino quod sibi primum occurreret. Post victoriam reuertenti occurrerat filia ignara pietatis, ignara promissi. Vidit eam, & ingemuit pater, dicens: Heu me filia, impedisti me, in stimulum doloris facta es mihi. Ego verò aperui os meū de te ad Dominū, & nō potero auertere. Illa dixit ad eū: Pater, si in me aperuisti os tuū, fac mihi ita vt exiit de ore tuo. Et iterum dixit: Sine mensibus duobus, & vadens flebo in montibus super virginitatem meam ego & compares amicæ meæ. Itaque duobus exactis regressa mensibus, sacrificij munus impleuit. Quæ decreto populi Israel quaternis in anno diebus ab eiusdem plebis fœminis deploratur. Ad descendū igitur suę virginitatis florem duos fat esse menses Iepte filia iudicauit, & adhuc non venerat resurrectio, & hoc spatio temporis fatis putauit à paucis se esse desertam. Vobiscū omnes populi defleuerunt, omnes ingemuerunt prouincia, & adhuc parua putatis vestri hæc esse supplicia? Si fratrem vestrum redimere possitis exitio, nollet tamen illa vestra affectione resuscitari: qui se melius viuere credit in vobis, qui optauit potius seipsum mori, quā vestram videre iniuriam, qui pro vobis se libenter fuit paratus offerre, qui ipso vestri doloris die, dicitur hanc solam emisse vocem: Væ miseris sororibus meis. Itaque magis vestram destitutionem, quā suam mortem dolebat. Sed audio vos dolere quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio: At qui etiam dudum hoc votum habuit, vt antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significauit. Et ideo præ cæteris causis me accersendum putauit. Non habet ergo gratiam quam desiderauit? Non habet quam poposcit? Et quia poposcit, accepit? Et vbi illud est: luctus quacunque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit? Solue igitur, pater sancte, munus seruo tuo quod Moyse dum in spiritu vidit, accepit: Quod Dauid, quia ex reuelatione cognouit, emeruit. Solue, inquam, seruo tuo Valentiniano munus quod concupiuit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus ægritudine distulisset, tamen non penitus à tua misericordia esset alienus, qui celeritate temporis esset, non voluntate, fraudatus. Solue ergo, seruo tuo munus tuæ gratiæ, quā ille nunquam negauit: qui ante diem mortis templorum priuilegia negauit insurgentibus quos reuereri posset. Astabat virorum caterua gentilium, supplicabat senatus. Non metuebat hominibus displicere, vt tibi soli placeret in Christo. Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut quia solemniter non sunt celebrata

1. Thess. 4.

Iob. 14.

Philip. 1.

2. Reg. 12.

2. Reg. 13.

2. Reg. 18.

Iob. 15.

conf. 7. Reg. 23. Iob. 1.

Cantic. 5.

Psal. 104. Matth. 5. Gen. 49. Iudith.

Cantic. 5.

Hier. 4. Cantic. 5.

brata mysteria, hoc mouet? Ergo nec martyres, si ca thecumeni fuerint, coronentur. Non enim coronentur si non intiantur. Quod si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluat & volūtas. Ne quæso, eum, Domine, à fratre se iūgas, ne iugum hoc pie germanitatis patiaris abrumpi. Hic tuus iam, & tuo iudicio vindicatus, periclitatur amplius Gratianus, si separetur à fratre, si non mereatur esse cum eo, per quem meruit vindicari. Quas ille nunc manus ad te pater erigit, quas pro fratre preces fundit? quo ei inhæret amplexu? quemadmodum sibi eum non patitur auelli? Adest etiam pater qui militiam sub Iuliano & tribunatus honores fidei amore contempsit. Dona patri filium, fratri germanum, quorum vtrumque imitatus est, alterum fide, alterum deuotione pariter atque pietate in templorum priuilegiis denegadis. Quod patri defuerat, adiunxit: quod frater constituit, custodiuit. Et huic adhuc intercessionem ascisco, cui remunerationem præsumo? Date manibus sancta mysteria. Pio requiē eius poscimus affectu. Date sacramenta cœlestia mysteria. Animā piam nostris oblationibus prosequamur. Ex tollite populi mecum manus in sancta, vt eo saltem munere vicē eius meritis rependamus. Nec ego floribus tumulum eius aspergam, sed spiritū eius Christi odore perfundam. Spargant alij plenis lilia calathis, nobis lilium est Christus. Hoc reliquias eius sacro, hoc eius gratiā cōmendabo. Nunquam ego piorum fratrum separabo nomina, merita discernā. Scio quod dominū cōmemoratio ista conciliet, copula ista delectet. Nec putet aliquis meritis eorū obitus celeritate detractum. Raptus est Enoch, ne malitia mutaret cor eius. Et Iosias decimo octauo anno regni sui ita Domini pascha celebrauit, vt omnes retro principes deuotione superaret, nec diutius fidei suæ meritis superuixit, imò quia plebi Iudææ graue imminabat exitium, rex iustus antè sublatus est. Me tuo ne & tu nobis aliqua nostri offensione sis raptus, vt octauo regni tui anno imminentis mali acerbitatem quasi iustus euaderes. Sed iam chara mihi complectar viscera, & debito quondam sepulchro prius tamen singula membra perspiciam. Valentinianus meus, iuuenis meus candidus & ruber, habens in se imaginem Christi. Talibus enim prosequitur ecclesia in Canticis Christum. Nec iniuriā putes, caractere domini inscribuntur & seruuli, & nomine imperatoris signantur milites. Denique & ipse dominus dixit: Nolite tangere Christos meos. Et: Vos estis lux mundi. Et Iacob dixit: Iuda, te laudabūt fratres tui. Ad filium loquebatur, & dominū reuelabat. Et de Ioseph dixit: Filius meus ampliatus, filius meus ampliatus Ioseph, & Christum significabat. Licet ergo & mihi caractere domini signare seruulū: Iuuenis meus candidus & ruber erectus è decem milibus electus est filius meus, cum post mortē patris, paruulus ascisceretur imperio. Caput eius aurum cephas, oculi eius sicut columbæ super abundantiam aquarum. Ibi enim sedimus & fleuimus, dixerūt qui inde venerunt: Venter eius pyxis eburnea, qui reciperet oracula scripturarum, vt posset dicere: Ventrem meum doleo, sicut dixit propheta. Dicit enim hæc qui imitator est Christi. Genæ eius phialæ aromatis, quibus Christus infuebat vnguentum. La-

bia eius lilia distilantia myrrha plena. Manus eius iustitia refulgeret, in factis & operibus reniteret gratia, in quo & plenum virtutis & autoritatis regalis esset alloquium, nec inflexa aliquo mortis terrore constantia, & factorum preciosa emendata correctio. Omnis enim bonus operarius, manus Christi est, fauces eius dulcedines, & totum desiderium. Quam dulcia enim omnia iudicia eius vniuersorum faucibus adhæserunt? Quanta gratia sermones ipsi? singu. recensentur? Quemadmodum fili desideraris à populis? mihi certè impressisti quæ pectore teneo, verba illa postrema, quibus me vadē tuū fieri postulabas. Reliquisti ipse de me testimonium iudicij gloriosi. Ego tibi fidē meā exhibere non potui quam parabam. Dixi tamen absens, & dicentem me fidem pro te Christus audiuit. Tenetur in cœlo spōsio mea, etsi nō tenetur in terris. Obligatus sū Deo, etsi non potui hominibus obligari. Locutus sum de corpore tuo. Nunc alloquar animam tuam dignam prophetis ornamentis. Iisdem igitur vtar exordiis. Quæ nā est hæc prospiciens sicut diluculum, speciosa sicut luna, electa sicut sol? Videor mihi te videre fulgentem, videor audire dicentem: Diluculū mihi est pater. Nox terrena præcessit, dies cœlestis appropinquauit. Prospicis nos igitur sancta anima, de loco superiore tanquam inferiora respiciens. Existi de tenebris istius seculi, & vt luna resplendes, vt sol refulges. Bene vt luna, quia & antè in vmbra licet istius corporis refulgebas, & terrarum tenebras illuminabas, & nunc lumen à sole iustitiæ mutuata clarū diē ducis. Videre igitur iustitiam te tanquam de corpore recedentem, & repulsa noctis caligine fulgentem diluculo sicut solem, appropinquantē Deo, & rapido volatu sicut aquilam quæ terrena sunt relinquentem. Conuertere Sunamitis, conuertere: cōuertere, & videbimus in te. Conuertere ad nos pacifica, vt gloriam tuam sororibus tuis monstres, & incipient se tuæ quietis & gratiæ securitate solari. Semel tantum ad nos conuertere, vt te videamus. Et rursus cōuertere atque ad Hierusalem illam ciuitatem sanctorum tota intentione festina. Aut certè ad animam piam Christus hoc dicit, iubet illam paulisper cōuertere, vt nobis gloria ei⁹ appareat, vt requies futura cum sanctis. Et postea præcipit eam ad illud supernum sanctorum festinare consortium. Quid vobis debitis, inquit, in Sunamite, de qua venit sicut chori castrorum? Hoc in ea quæ multum & aduersus plurimos in corpore præliata est? Istenim pugnavit aduersus extraneos hostes, pugnavit aduersus lubricas seculi mutationes, pugnavit aduersus corporis fragilitates, aduersus multiplices passionēs. Audiuit à Domino: Conuertere Sunamitis. Conuerfa est ad pacem semel in seculo, conuerfa est iterata communionem ad gratiam Christi. Et ideo pulchra cōuersio eius in seculo, pulcherrimus incessus eius, & volatus in cœlum. Vnde meretur audire: Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab, hoc est filia principis, Speciosa es enim in processu, habitasti in corpore, tanquam calceamento eo vta, non vt in volucro, vt quia superior & eminentior eo vt velles tuum circumferres sine vlla offensione vestigiū. Vel certè sicut calceamentū illud exoluere, sicut Moy-

Cantic. 6.

Roman. 13.

Cantic. 7.

Ibidem.

Ibidem.

Exod. 3.

Psalm. 44.
Cantic. 7.

Prov. 9.

Cantic. 7.

Luc. 16.

Gen. 27.

Cantic. 7.
Ibidem.

ses fecit, cui dictum est: Solue calcamentum pedū tuorum. Dicit igitur tibi nunc Pater Aminadab ille populi princeps: Audi filia & vide, quoniam concupiuit rex speciem tuā. Speciosi ergo facti sunt gressus tui in calcamentis filia Aminadab. Moduli fœmorum tuorum similes torquibus, hoc est, consonas sibi in omnibus factis tuis gratia atque moderatio magnorum æquavit insignia triumphorum. Denique moderatione tua & tranquillitate pacifica nec Gallia hostem sensit, & Italia hostem repulit, qui eius finibus imminabat. Torques autem insignia esse victoriæ dubitari non potest, cum ij qui in bello fortiter fecerint, torquibus honorentur. Umbilicus tuus crater tornatilis non deficiens mixto. Venter tuus aceruus tritici muniti inter lilia. Ceruix tua sicut turris eburnea. Oculi tui stagna in Eſebon. Bonus umbilicus animæ virtutum omnium capax, sicut crater ab ipso fidei authore tornatus. Sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens: Venite, edite panes meos, & bibite vinum quod miscui vobis. Umbilicus ergo iste tornatus omni decore virtutum non deficit mixto. Venter quoque eius non solum iustitiæ velut frumentario cibo replebatur, sed etiam gratiæ suauitate quæ florebat liliū. Ceruix quoque eius candida & pura, iugo Christi sponte subiecta, cogitationes rationabiles, fidei odor, circuncisionis attētio, ornatus capitis gloriosus, quod non regalia diademata, sed Domini sanguinis insignia coronarent. Merito tāquam rex peccati victor & cœlesti corona redimitus ascendit. Cuius animæ dicit Deus verbum. Quā pulchra & suavis facta est charitas in deliciis tuis? Pulchra per virtutis decorem: suavis, per gratiam. Procera sicut palma, quæ vincentis est præmium. Tuæ ascendēti animæ Gratianus frater occurrit, & complexus eā, dicit: Ego fratri meo, & super me conuersio eius: vel quod sibi eam cupiat inhærere, vel quod pietate fraterna quasi aduocatus assistat, dicens conuersionem eius etiam suæ gratiæ præferendam. Veni, inquit, frater meus, exeamus in agrū, requiescamus in castellis, diluculo surgamus in vineas. Hoc est, venisti eod, vbi diuersarum virtutum fructus pro singulorū meritis deferuntur, vbi abundant meritorum præmia. Exeamus ergo in agrum in quo nō vacuus labor, sed fœcundus prouentus est gratiarum, quod in terris seminasti, hinc metē, quod ibi sparsisti, hinc collige. Aut certē veni in illum agrum qui est odor Iacob, hoc est veni in gremium Iacob, vt sicut Lazarus pauper in Abraham sinu, ita etiam tu in Iacob patriarchę tranquillitate requiescas. Sinus enim patriarcharum recessus quidam est quietis æternæ. Merito ergo Iacob est fructuosus, sicut Isaac patriarcha testatus est dicens: Ecce odor filij mei tanquam odor agri pleni quem benedixit Dominus. Requiescamus, inquit, in castellis: ostēdens illic esse quietiorem, quæ septo cœlestis refugij munita atque vallata nō exagitetur secularium incurſibus bestiarū. In foribus, inquit, nostris omnes fœtus arborū, noua & vetera frater meus seruauit tibi. Quis dabit te frater fratrem mihi, lactentem vbera matris meæ? Inueniens te foris, osculabor te, assumam te & inducam te in domum matris meæ, & in secretum eius quæ concepit me. Potum dabo tibi à vino operosi

vinguenti, à fluxu malorum granatorum meorum. Laua eius sub caput meum, & dextera eius complectetur me. Promittit fratri augustæ memoriæ Gratianus præsto sibi fructus diuersarum esse virtutum. Fuit enim & ipse fidelis in Domino, pius atque mansuetus puro corde. Fuit etiā castus corpore, qui præter coniugium nescierit fœminæ alterius consuetudinem. Ideo in foribus sedis suę habet fructus paratos, nec longè petendos, offert quæ seruauerit fratri noua & vetera, hoc est, & testamenti veteris & euangelij sacramenta, & dicit: Quis dabit te frater fratrem mihi, lactentem vbera matris meæ? hoc est, non quicumque te, sed Christus illuminabit gratia spirituali. Ille te baptizauit, quia humana tibi officia defuerūt. Plus adeptus es qui minora te amisisse credebatur. Quæ sunt vbera ecclesiæ, nisi sacramenta baptismatis? Et bene ait lactentem, quasi qui baptizatus lactis niuei succum requirat. Inueniens, inquit, te foris, osculabor te, hoc est, extra corpus te reperiēs, osculo mysticæ pacis amplectar. Nemo te spernet, nullus excludet, in penetralia te arcana ecclesię matris inducā, & in omnia secreta mysterij, vt bibas poculum gratiæ spiritualis. Amplexatus igitur fratrem ducere cœpit ad propriam mansionem: & quia pio officio ad vltiora processerat, cum fratre cœpit ascendere, petens vt sibi & fratri maior illic charitas augeatur, eo quod vitia humana defecerant, inuidia atque iactantia, quæ in plerisque solent fraternæ pietatis iura vacuare. Vidētes eos vel angeli vel aliæ animæ quærunt ab iis, quæ veluti comitatu suo fratres hos & officio deducebant, dicentes: Quæ est hæc quæ ascendit candida innitens super fratrem suum? Nec nos quidem dubitabamus de meritis Valentiani, sed iam credamus vel testimoniis angelorum quod deterſa labe peccati ablutus ascendit, quem sua fides lauit, & petitio consecrauit: credamus quia ascendit à deserto, hoc est ex hoc arido & inculto loco ad illas florulentas delectationes, vbi cum fratre coniunctus æternę vitæ fruitur voluptate. Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea transibit oratio. Nulla nox non donatos aliqua precum mearum cōtextione trāscurret. Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosecutionem complecti? Si oblitus fuero te sancta Hierusalem, hoc est, sancta anima, pia & pacifica germanitas, obliuiscatur me dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non meminero Hierusalem in principio meæ lætitiæ. Ipse me citius quā vos obliuiscar. Et si vnquā sermo tacebit, loquetur affectus. Et si vox deficiet, non deficiet gratia, quæ meis est infixæ præcordiis. Quomodo ceciderunt potentes? Quomodo vterque super illa Babylonis ceciderunt flumina? Quomodo rapidiora vtriusque vitæ fuere curricula, quā ipsius Rhodani sunt flueta? O mihi Gratiane & Valētiniane speciosi & charissimi, quā angusto vitam sine clausistis, quā proxima vobis mortis fuere confinia, quā sepulchra vicina. Gratiane inquam & Valētiniane in vestris nominibus adhærere iuuat atque delectat, in vestri commemoratione requiescere. Omnibus gratiane & Valētiniane

tiniane speciosi & charissimi, inseparabiles in vita, & in morte non estis separati. Nō vos discreuit tumultus separauit, quos pietas non iungebat. Non virtutum distantia dispares fecit, super columbas simplices, super aquilas leuiore, super agnos clemētiore, super vitulos innocentiores. Gratiani sagitta nō est reuerſa retro, & Valētiniani iustitia nō fuit vacua, nec inanis autoritas. Quomodo sine pugna ceciderunt potentes? Doleo in te fili Gratiane, suauis mihi valde. Plurima dedisti tuæ pietatis insignia. Tu me inter tua pericula requirebas, tu in tuis extremis me appellabas, meum de te plus dolebas dolorem, quā tuam mortem. Doleo etiam in te filij Valētiniane, speciosus mihi valde. Ceciderat, amor tuus in me, sicut amor pignoris. Tu per me putabas eripi te periculis, tu me nō solum vt parentem diligebas,

sed vt redemptorem tui & liberatorem sperabas. Tu dicebas, putas ne videbo patrem meum? Speciosa de me voluntas tua, sed nō efficax præsumptio. Heu mihi vanæ spes in homine, sed tu in sacerdote. Heu mihi quod voluntatem tuā non ante cognoui. Heu mihi quod nō clanculo ante misisti. Heu mihi qualia amisi pignora. Quomodo ceciderunt potentes, & perierūt arma concupiscentia Deum? Et quia nemo habet quod alij plus deferat, quā quod sibi optat: non me ab illis post mortem separes, quos in hac vita charissimos sensi. Domine peto, vt vbi ego fuero, sint & illi mecum: vt illic eorum perpetua opuscula fruatur, quia hic vti eorum diturniore cōiunctione non potui. Te quæſo summe Deus, vt charissimos iuuenes matura resurrectione suscites & resuscites, vt immaturum hunc vitę istius cursum matura resurrectione compenses.

FINIS.

DI VI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS ORATIO FVNEBRIS DE EXCESSU FRATRIS SVI SATYRI.

Deduximus fratres dilectissimi hostiam meam, hostiam incontaminatam, hostiam Deo placentem, Dominum & fratrem meum Satyrum: memineram quippe eum esse mortalem, nec fefellit opinio, sed superabūdauit gratia. Itaque nihil habeo quod querar, sed habeo in quo Deo gratias agam, quia semper optaui, vt si quæ perturbationes vel ecclesiam vel me manerent, in me potius ac meam reciderent domum. Deo igitur gratias, quia in hoc omnium metu, cum omnia motibus sint suspecta barbaricis communem mœrorem: priuato dolore tranſegi, & in me conuersum est quicquid timebamus omnes: atque vtinam hic consummatum sit, vt dolor meus publici doloris redemptio sit. Nihil quidem habui fratres charissimi in rebus humanis tanto fratre preciosius, nihil amabilius, nihil charius: Sed præstant priuatis publica. Ipsius quoque si quis sententiā sciscitaretur, mallet occidi pro aliis, quā sibi viuere. Propterea enim pro omnibus secundum carnem Christus est mortuus, vt non nobis solis viuere disceremus. Accedit illud, quod ingratus diuinitati esse non possum. Lætandum est enim magis quod talem fratrem habuerim, quā dolendum quod fratrem amiserim. Illud enim munus, hoc debitum est: itaque perfunctus sum quādiu licuit commissio mihi fœnore, qui deposuit pignus recepit. Nihil interest vtrum abiures depositum, an doleas restitutum. In vtroque enim fidei ambiguum, vitæ periculum est. An si pecuniam neget, culpa est: si hostiam neget, impietas non est: cum pecuniæ fœnerator illud possit, naturæ author, & necessitudinis creditor fraudari non queat? Itaque quanto vberior fœnoris summa, tanto gratior vsura

fortis. Vnde ingrati de fratris morte esse non possumus, quia quod naturæ cōmunis fuit reddidit, quod gratiæ singularis est meruit. Quis enim communem conditionem recuset? Quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cum ad solatium nostri filium suum vnicum pro nobis pater tradiderit ad mortē? Quis exceptum se putet esse debere à conditione moriēdi, qui non sit exceptus à conditione nascēdi? Magnū pietatis mysterium, vt mors corporis nec in Christo esset excepta: ac licet naturæ Dominus, carnis tamen quam susceperat legem non recusaret. Et mihi necesse est mori, illi necesse nō fuit. An qui de seruo dicit: Si eū volo sic manere donec venio, quid ad te? non potuit ipse sic manere si vellet? Sed perpetuitate vitæ huius sibi precium, mihi sacrificium perdidisset. Quod igitur maius est solatium nostri, quā quod secundum carnem & Christus est mortuus? Aut cur ego vehementius fleam fratrem, cum sciam illam mori non potuisse pietatem? Cur solus præ ceteris fleam, quem fletis omnes? Priuatum dolorem cōmuni dolore digessi, præsertim cum meæ lachrymæ nihil profint, vestræ autem lachrymæ fidem astruant, consolationem afferāt. Fletis diuites, & flendo probatis nihil opulari repositas diuitias ad salutem, cum pecuniæ precio mors differri non queat, & pari vsu diuitē inopemque dies supremus eripiat: fletis senes, quod in hoc liberorum sortem pauetis: & ideo quia vitam corporis producere nō potestis, instituite liberos non ad vsū corporis, sed ad virtutis officium. Fletis & iuuenes, quod naturæ finis non sit maturitas senectutis. Fleuerunt & pauperes, & quod multo est preciosius, multoque vberius, lachrymis suis eius delicta lauerunt. Ille sunt lachrymæ redēptiēs, illi gemitus qui dolorē mortis

*obducat.

abscondunt. Ille dolor qui perpetuæ vbertate lætitiæ veteris sensû doloris obducat. Itaque licet priuatum funus, tamen fletus est publicus, & ideo non potest fletus esse diuturnus, qui vniuersorû est affectibus consecratus. Nam quid te mi frater amantissime fleam, qui mihi sic ereptus es, vt esses omnium? Non enim perdidisti vsum tui, sed commutasti, ante corpore inseparabilis, nunc indiuiduus affectu, manes enim mecum, ac semper manebis. Et quidem cum viueres nobiscum, nunquam te patria eripuit mihi, nec ipse mihi vniuersam patriam prætulisti, & nunc alteram præstitisti. Cœpi enim hinc iam non esse peregrinus, vbi melior mei portio est. Nunquam enim totus in me fui, sed in altero nostri pars maior amborum: vterque autem eramus in Christo, in quo & summa vniuersitatis, & portio singulorum est. Hic mihi tumulus genitrici solo gratior, in quo non naturæ, sed gratiæ meæ fructus est. In isto corpore enim quod nunc exanime iacet, præstantior vitæ meæ functio, quia in hoc quoque quod gero corpore, vberior tui portio. Atque vtinam vt memoriæ, vt gratiæ, ita etiã vitæ tuæ hoc quicquid est quod spiramus, inspirare possemus, dimidiũque meorum decideret temporum, quod ad tuorum proficeret vsũ. Par enim erat vt quibus indiuisum semper fuit patrimoniũ facultatum, non esset vitæ diuisum tempus: vel certè qui indistincta semper habuimus viuendi consortia, non haberemus distincta moriendi conturbantia. Nunc verò frater, quò progrediar, quò ve conuertar? Bos bouem requirit, lœque non totum putat, & frequenti mugitu pium testatur affectum: si fortè defecerit cum quo ducere collo aratra consuevit: ego te frater nõ requiram? Aut possim vniuersam obliuisci tui, cũ quo vitæ huius semper aratra sustinui? Labore inferior fui sed amore cõiunctior: non tam mea virtute habilis, quàm tua patientia tolerabilis: qui pio semper sollicitus affectu latus meum tuo latere sepiebas, charitate vt frater, cura vt pater, sollicitudine vt senior, reuerentia vt iunior. Ita in vnius necessitudinis gradu complurium mihi necessitudinum officia impendebas, vt in te non vnum, sed plures amissos requiram, in quo vno ignorata adulatio, est expressa pietas. Neque enim habebas quod simulatione adderes, qui totũ pietate cõprehenderas, vt nec incrementa reciperes, nec vicè expectares. Sed quò immemor officij, memor gratiæ, immodico dolore progredior? Reuocat Apostolus, & tanquam frænos mœroris inducit dicens, sicut nuper audistis: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non tristes sitis, sicut & ceteri qui spem nõ habent. Date veniã fratres charissimi. Neque enim omnes possumus dicere: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: sed ad imitandum si authorẽ queritis, habebis quem possitis imitari. Nõ omnes ad docendum idonei, vtinam omnes ad discendum habiles. Non grauem lachrymis contraximus culpam. Non omnis infidelitatis aut infirmitatis est fletus. Alius est naturæ dolor, alia est tristitia diffidentia, & plurimum refert desiderare quod habueris, & lugere quod amiseris. Non solus dolor lachrymas habet, habet & lætia lachrymas. Et pietas fletum excitat, & oratio stratum rigat, & precatio iuxta propheticum dictum lectulum lauat. Fecerunt

1. Thef. 4.

1. Cor. 4.

& fletum magnum sui, cum patriarchæ sepeliretur. Lachrymæ ergo pietatis indices, non illicites sunt doloris. Lachrymatus sum ergo, fateor etiam ego, sed lachrymatus est Dominus. Ille alienum, ego fratrem. Ille in vno lachrymatus est omnes, ego in omnibus lachrymabor te frater. Ille nostro nõ suo lachrymatus est affectu. Neque enim diuinitas lachrymas habet, sed lachrymatus eo quo tristis fuit: lachrymatus est eo quo crucifixus est, quo mortuus, quo sepultus est. Lachrymatus est eo de quo hodie nobis insinuauit Propheta, dicens, Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Eo lachrymatus est quo matrẽ Sion dixit, genitus in Iudæa, susceptus ex virgine. Matrem autem secundum diuinitatem habere non potuit, qui author est matris. Ille factus est non diuina generatione, sed humana, quia homo factus est, Deus natus est: sicut & alibi habes: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. In puero enim nomẽ cõtatis, in filio plenitudo diuinitatis est: factus ex matre, natus ex patre, idẽ tamen & natus & datus, non diuersum, sed vnum putet. Vnus enim dei filius, & natus ex patre, & ortus ex virgine distanti ordine, sed in vnum concurrente nomine, sicut & præsens lectio docet, quia & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus, homo vtique corpore, altissimus potestate. Et si Deus & homo diuersitate naturæ, idẽ tamen non alter in vtroque. Aliud ergo speciale naturæ suæ, aliud commune nobiscum, sed in vtroque vnus, & in vtroque perfectus. Non igitur mirandum est quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus. Fecit ergo Iesum eum vtique qui ex corpore nomen accepit, fecit eũ de quo etiam Patriarcha scribit David, quia mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea. Quasi homo ergo factus dissimilis, vtiq; nõ diuinitate, sed corpore: nec discretus à patre, sed exceptus in munere: manens in consortio potestatis, segregatus in mysterio passionis. Plura loci huius tractatus exposcit, quibus possimus ostendere auctoritatem patris, proprietatem filij, trinitatis totius vnitatem: sed consolandi hodie non tractandi partes recepi: quanquam abducere à mœrore animum intentione tractandi, consolationis vltus sit. Sed temperandus mihi mœror, quàm alienadus affectus est, vt mulceantur magis desideria quàm sopiantur. Nõ libet enim abire à fratre longius, & occupatione subduci, cum velut comitandi eius gratia hic sermo susceptus sit, vt diutius sensu prosequar proficiscentẽ, & quem oculis teneo, mente complectar. In illo enim totam oculorum aciem figere libet, cũ illo totis animorum officiis inmorari, illum toto blanditiarum ambire obsequio dum stupet animus. Nec amissum credo, quem adhuc cerno præsentem: nec mortuũ puto, cuius adhuc officia nõ requiro, quibus ego vitæ meæ vsum & spirandi omne munus addixeram. Quid enim referam tantæ gratiæ, tanto labori? Ego te frater heredem feceram, tu me heredem reliquisti. Ego te superstitem optabam, tu me superstitem dimisisti. Ego pro muneribus tuis vt compensarem beneficia, vota referebam, nunc & vota perdidisti, sed tamen tua beneficia non amisi. Quid agam mei successor hæredis? Quid agam meæ vitæ superstes? Quid agam exors huius quod cupio luminis? Quas

Quas grates, quæ munera referã tibi? Nihil à me præter lachrymas habes. Aut fortasse securus meriti tui, quas solas superstites habeo lachrymas, non requiris. Nam etiam cum adhuc viueres, flere prohibebas, mœrorẽque magis nostrum quàm tuã mortẽ tibi esse testabaris dolori. Prohibent vltius prodire lachrymæ, fletusque reuocant. Prohibet etiã tui gratia, ne dũ nostra dessemus, de tuis meritis desperare videamur. At certè vt nobis etiam mœroris istius minus acerbitatem, non habeo quod timeã qui timebam tibi, non habeo quod mihi iam mundus eripiat. Et si sancta superstit soror Marcelliana, integritate venerabilis, æqualis moribus, nõ impar officiis: tibi tamen ambo plus timebamus, in te vitæ huius iucunditatem repositam putabamus. Propter te viuere delectabat, propter te non pigebat mori. Te enim ambo superstitem precabamur, tibi nos superuiuere non iuuabat. Quando nõ cohorrui animus cum metus huiusmodi titillaret? Quomodo cõsternata mens erat ægritudinis tuæ nuncio? Vt miseræ opinioni, putabamus redditum, quem videamus dilatatum. Tuis enim votis apud sanctum martyrem Laurentium impetratum esse nõc cognoscimus commeatum, atque vtinam non solum cõmeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses. Potuisti annos plurimos impetrare viuendi, qui potuisti cõmeatum impetrare veniendi. Et quidẽ tibi omnipotens æterne Deus gratias ago, quod vel hæc nobis suprema solatia non negasti, quod amantissimi fratris ex Siculis Africanisue regionibus exoptatum nobis redditũ cõtulisti. Ita enim maturè postquã venit, ereptus est, quasi propter hoc solum videtur esse dilatus, vt ad fratres rediret. Habeo planè pignus meum quod nulla mihi peregrinatio iam possit auellere. Habeo quas complectar reliquias. Habeo tumulum quem corpore tegam. Habeo sepulchrum super quod iaceam, & commendabiliorẽ Deo futurum esse me credam, quod supra sancti corporis ossa requiescam. Vtinam sic potuissẽm aduersus mortem quoque tuam meum corpus obicere. Si gladiis petitus esses, me pro te potius suffigendum dedissem. Si exeuntem potuissẽm reuocare, animam meam potius obtulissem. Nihil mihi profuit vltimos hausisse anhelitus, nihil flatus meos inspirasse morienti. Putabam enim quod aut tuã mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te ipse transfunderem. O infelicia illa, sed tamẽ dulcia suprema osculorũ pignora. O amplexus miseri, inter quos exanimũ corpus obriguit, halitus supremus euanuit. Stringebam quidem brachia, sed iam perdideram quem tenebam, & extremum spiritum ore relegeram, vt consortium mortis haurirem. Sed nescio quomodo vitalis ille mihi halitus factus est, & maiorem gratiam in ipsa morte redolebat. Atque vtinam si tuam nequiuu meo spiritu vitam producere, vel vltimi anhelitus tui vigor transfundi potuisset in meam mentem, & illam tui animi puritatem atque innocentiam noster spirasset affectus. Hanc mihi hæreditatem frater charissime reliquistes, quæ non lachrymabili dolore percuteret aspectum, sed memorabili gratia commendaret hæredem. Quid igitur nunc agam, cum omnes vitæ istius suauitates, cuncta solatia, cuncta denique ornamenta amiserim?

Tu enim mihi vnus eras domi solatio, foris decori, tu inquam in consiliis arbiter, curæ particeps, deprecator sollicitudinis, depulsor mœroris: tu meorum assertor actuum, cogitationũque defensor: tu postremò vnus in quo domestica sollicitudo resideret, publica cura requiesceret. Testor sanctam animam tuam, me in publicis ecclesiæ id sæpe veritum esse, ne displicerem tibi. Denique vbi redidisti, obiurgasti morã: ita domi forisque eruditor quidã & arbiter sacerdotis, vt domestica cogitare nõc fineres, publica curare censes. Vt vereor, ne videar arroganter dicere: Hæc enim laudis tuæ portio est, quia sine offensione vlla & gubernasti fratris domum, & commendasti sacerdotium. Sentio equidem quod repetendis officiis tuis, recedensque virtutibus afficiatur animus, sed tamẽ in ipsa mei affectione requiesco, atque hæc mihi recordationes etsi dolorẽ renouant, tamen voluptatem afferunt. An ego possum aut non cogitare de te, aut vnquam sine lachrymis cogitare? Et potero vnquam aut tanti non meminisse fratris, aut sine lachrymabili quadam meminisse gratia? Quid enim mihi vnquam iucundum quod non esset ex te profectum? Quid inquam mihi sine te, aut tibi vnquam sine me voluptati fuit? Quis non vltus nobis, & prope vltus ipse somnusque communis? Quæ discreta vnquam voluntas, quod non commune vestigium? ferè vt cum gradum tollerem, vel tu meum, vel ego tuum corpus videremur attollere. Quod si quando sine altero prodeundum fuit, in te cõtum latus putares, affectum vultu cerneret, mœstum animum iudicares, non assueta gratia, non vigor solitus prænitebat, suspecta omnibus solitudo metum alicuius ægritudinis afferebat. Ita nouum videbatur omnibus nos diuidi. Ego certè fraternæ absentia impatiens, vel non immemor, quasi præsentem reflexa sapius ceruice quærebam, & coram alloqui atque aspicere videbar mihi. Sed tanquam suspensum collo iugum, vbi speratis excideram, trahere me putabam; difficilis progredi, verecundus videri, & redire deperans, quod sine te procedere non liberet. At verò vbi ambobus prodeundum fuit, non plura in itinere vestigia quàm verba, nec incessus quàm sermo crebrior, nec ambulandi cura, sed colloquedi gratia. Vterque enim nostrum ex alterius ore pendebat, non intento aspectu legere iter, sed mutuo sollicitos excipere sermones, haurire oculorum gratiã, spirare fraternæ imaginis voluptatem. Quas virtutes tuas tacitus mecum ipse mirabar, quàm plaudebam mihi quod tali me Dominus fratre donauerat, tam pudico, tam efficaci, tam innocenti, tam simplici, vt cum tuam innocentiam cogitarem, efficaciam desperarem: cum efficaciam cernerem, innocentiam non putarem: sed vtrunque mira quadam virtute iũgebas. Denique ea quæ ambo nequiueraimus concludere, solus implesti. Plaudebat sibi, vt audio, Prosper quod sacerdotij mei occasione redditurum se quæ abstulerat nõc putabat, sed vehementiorem tuam vnius efficaciam expertus est quàm duotum. Itaque soluit omnia, nec moderationi ingratus tuæ, nec illudẽs pudori, sed & modestiæ gratus, nec insolens efficaciam: Sed cui frater illa quæ fuit? Nos enim idẽ volebamus laborũ tuorũ esse præmiũ;

quod documētum erat. Peregisti omnia, & vbi per-
fūctus omnibus reuertisti, tu solus nobis qui omni-
bus es præferendus eriperis, quasi ideo mortē distu-
leris, vt consummares pietatis officium, palmam ef-
ficaciæ reportares. Quam nec ipsi nos frater charis-
sime sæculi huius delectabant honores, quod nos à
nobis inuicem diuidebant, quos ideo adepti sumus,
non quia fuit eorum expectēda perceptio, sed ne vi-
lis dissimulatio videretur. Aut fortasse ideo sunt tri-
buti, vt quia immaturo tui obitu nostrę futurus erat
voluptatis occasus, sine nobis iā viuere diceremus.
Equidem præfagē mentis agnosco formidinem, dū
repeto sepe quę scripserim. Reuocabam te frater, ne
ipse Africam peteres, ac potius aliquem destinares:
timebam te committere vię, fluctibus credere, &
solito metus maior inceserat animam. Sed & pe-
regrinationem explicuisti, & rem ordinasti, & vete-
ri & sentinoso, vt audio, nauigio iterum te fluctibus
credidisti. Nanque dum celeritatem aucuparis, cau-
telā prætermisisti, audis nostrę gratiæ, dissimulans
periculi tui. O fallax lætitia, o incerta humanarū re-
rum curricula. Ex Africa redditū, ex mari restitūtū,
ex naufragio seruatum putabamus iā nobis nō posse
eripi, sed grauiora naufragia in terris positi sustine-
mus. Nā quę non potuerūt naufragia ad mortē de-
ducere strenuis natatibus euitata, eius mors cœpit
nobis esse naufragio. Quid enim superest suauitatis,
quibus tā prædulce decus, tā charū in his mundi te-
nebris lumē extinctū est, in quo non nostrę solū fa-
miliæ sed totius patrię dec° occidit? Habeo sanē vo-
bis fratres dilectissimi, plebs sancta, maximā gratiā,
quod nō aliū dolorem meū quam vestrum putatis,
quod vobis accidisse hęc nostri creditis solitudinē,
quod fletum totius ciuitatis, etatum omnium, ordi-
num omnium, vota noua quadam pietate defertis,
Non enim misericordię priuatæ dolor, sed quoddā
publicæ officiū & munus est gratiæ. Aut si qua vos
mei tangit misericordia quod talem fratrem amife-
ran, habeo fructum vberem, habeo vestri pignus
affectus. Mallem fratrem viuere, sed tamen publicū
officiū in secundis rebus iucundius est, in aduer-
sis gratius. Neque verò mihi mediocre meritum
tanti videtur officij. Neque enim ociosē vel in ac-
tibus Apostolorum Thabitam mortuam flētes vi-
duæ describuntur, vel in Euangelio mota lachry-
mis viduæ prosequens turba funus adolescentis in-
ducitur, cui resurrectio debebatur: illam tamē Tha-
bitam viduæ, hunc tota ciuitas fleuit. Non ergo du-
bium est vestris lachrymis Apostolorum patrociniū
comparari, non inquam dubium est Christum mi-
sericordia motum cum vos flentes videret. Et si
nunc non tetigit loculum, suscepit tamen commē-
datum spiritum. Et si non appellauit corporis voce
defunctum, diuinę tamen potestatis autoritate à
cruciatibus mortis, & nequitia spiritalis incurfio-
nibus eius animam liberauit. Et si non refedit in lo-
culo qui erat mortuus, tamen requieuit in Christo.
Et si non locutus est nobis, tamen ea quę supra nos
sunt cernit, & quę potiora sunt nobis iam se videre
lætatur. Per ea enim quę in Euangelio legimus,
quę futura sunt intelligimus, & præsentium species
futurorum est. Non opus fuit ei resurrectio tem-
poralis, cui æterna debetur. Quid enim in hanc mi-

seram & erumnosam recideret labem, atque in hęc
flebilem vitam rediret, quem raptum magis esse
ex tam imminentibus malis, vrgentibusque pericu-
lis gaudere debemus? Nam si pacato sæculo bellif-
que cessantibus raptum Enoch nemo desceuit, sed
magis propheta laudauit, sicut de illo scriptura dixit:
Raptus est ne malitia mutaret cor eius: quanto
magis nunc iure dicendum est, cum ad sæculi lubri-
cum vitæ accedat ambiguum: Raptus est, ne ma-
nus incidere Barbarorum. Raptus est ne totius or-
bis excidia, mundi finem, propinquorum funera,
ciuium mortes, ne postremò sanctarum virginum
atque viduarum, quod omni morte acerbius est, col-
luuionem videret. Ego verò te frater cum vitæ tua
flore, tum mortis commoditate beatum arbitror.
Non enim nobis ereptus es, sed periculis: non vitā
amisisti, sed ingruētium acerbis formidine caruisti.
Nam qua eras sanctæ mentis misericordia in-
tuos, si nunc vrgeri Italiā tam propinquo hoste co-
gnosceres, quantum ingemisceres, quam dolores in
Alpium vallo summam nostræ salutis consistere, li-
gnorūque concædibus construi murum pudoris:
qua afflictione mœrentes tam tenui discrimine tuos
ab hoste distineri, ab hoste impuro atque crudeli,
qui nec pudicitia parceret nec saluti? Quo nam in-
quā hęc modo ferres quæ nos perperci, & fortasse
(quod grauius est) spectare cogemur, rapi virgines,
& auulos à complexu parentum paruos liberos su-
pra tela iactari, incestari sacra Deo corpora, & se-
nilem viduæ maturioris vterum in vsus defuctos o-
nerum redire nō pignorum? Quonam inquam mo-
do ista tolerares qui etiā vltimo spiritu, tui iam for-
tassis oblitus, & adhuc nostri non immemor, de ca-
uenda incurfione Barbarorum nos sapius admone-
bas, commemorans nō frustra te dixisse fugiendū,
fortasse ideo quod nos destitui tua morte cernebas:
quod non infirmitate animi, sed pietate faciebas, &
si infirmus pro nobis, tamen firmus tibi. Qui cum à
viro nobili reuocareris Symmacho tuo parente,
quod ardere bello Italia diceretur, quod in periculū
tenderes, quod in hostem incurreres, respondi-
sti hęc ipsam tibi causam esse veniēdi ne nostro de-
esses periculo, vt confortem te fraterni discriminis
exhiberes. Felix igitur tam oportuno obitu quia nō
es in hunc seruatus dolorē: certē felicior quam san-
cta soror, quæ tuo solatio destituta, de suo pudore
solicita, duobus nuper beata germanis, nūc ex duo-
bus fratribus arumncsa, neque alterum sequi po-
test, neque alterum derelinquere, cui tumulus ho-
spitium tuus, & corporis tui sepulchrum est domus,
atque vtinam vel hoc tutum diuerforium, cibus in
fletibus, potus in lachrymis. Cibum etenim de-
disti nobis panem lachrymarum & potum dedisti
nobis in lachrymis in mensuram, aut fortasse vltra
mensuram. Nam quid de me loquor, cui neque
mori licet, ne sororem relinquam, neque viuere
libet, ne à te reuellar? Quid enim mihi sine te po-
test esse iucundū, in quo omnis semper fuit nostra
iucunditas? Aut quid diutius in hac vita degere
iuuat, atque in terris morari, in quibus tam diu-
iucundē viximus quandiu simul viximus? Etsi esset
quod hęc delectare nos posset, sine te delectare non
posset. Et si quando voluissimus impensē vitā pro-
ducere

ducere, iam tamen sine te esse nollemus. Hęc into-
lerabilia. Quid enim tolerabile sine te tanto vitæ co-
mite, tanto laborum meorum officiorūque con-
forte? Cuius ego casum, quo esset tolerabilior, nec
præmeditari potui: ita pauebat animus de illo tale
aliquid cogitare, non quo conditionem ignorarem,
sed quidam votorum vsus sensum communis fragi-
litate obduxerat, vt de illo nisi secunda omnia cogi-
tare nescirem. Denique proximē cum graui quodā
atque vtinam supremo vrgeret occasu, hoc solum
dolebam quod non ipse affideres lectulo, ac votiū
mihi cum sancta sorore partitus officium, morientis
oculos digitis tuis clauderes. Quid optauerā? Quid
rependo? Quæ vota deficiunt? Quæ ministeria suc-
cedunt? Aliud præparabam, aliud exhibere com-
pellor, non iam ipse ministerium funeris, sed mini-
ster. O dura oculorum lumina, quæ potuisti fratrem
videre morientem. O immites & asperæ manus, quę
clausistis oculos in quibus plus videbam. O durior
ceruix, quæ tam lugubre onus consolabili licet ob-
sequio gestare potuisti. Hęc tu frater mihi iustius
exhiberes. Hęc ego à te expectabam, hęc ego offi-
cia desiderabam. Nunc verò ipse mea vitæ superstes
quod sine te solatium capiam, qui solus mœrentem
solari solebas, excitare lætitiā, mœstitiam propul-
sare? Qualem te nunc ego frater aspicio, iam nulla
mihi verba referentem, iam nulla offerentem oscu-
la? quanquam ita mutuus semper vtriue nostrum
insederit amor, vt interiore potius foueretur affectu,
quàm forensi blāditia diuulgaretur. Neque aliorum
quærebamus testimonium, qui tantam nostri gra-
tiam tenebamus. Ita virilis se vtriue nostrum ger-
manitatis succus infuderat, vt non blanditiis proba-
remus amorem, sed conscientia teste pietatis inter-
no amore contenti, fucum blanditiarum non requi-
rere videremur, quos & ipsa in amorem mutuū ima-
go formaret. Nescio qua enim expressione mentis,
qua corporis similitudine alter in altero videbamur.
Quis te aspexit, qui non me visum putaret? Quotiēs
aliquos salutauit, qui quoniam te prius consalutaue-
rant, se à me iam dicerent salutatos? Quanti tibi di-
xerunt aliquid qui se mihi dixisse memorarent? Quæ
mihi hinc gaudia, quanta frequenter oborta lætitiā,
quod eos errare in nobis cernerem? Quàm gratus
error, quàm iucunda prolapsio, quàm religiosa falla-
cia, quàm suavis calumnia. Neque enim de tuis erat
aliquid aut factis aut sermonibus quod timerem, qui
mihi tua lætabar adscribi. Tamen si vehementius
contenderēt quod se mihi aliquid intimasse memo-
rarent, respondebam ridens & gaudens: Videte ne
fratri dixeritis: Nam cum omnia nobis essent nostra
communia, indiuiduus spiritus, indiuiduus affectus,
solum tamen commune non erat secretum amico-
rum, non quo conferendi periculum vereremur,
sed tenendi seruare fidem. Sanē si consilio pen-
denda res esset, erat semper commune consilium,
non semper commune secretum. Nam & si amici ita
alteri nostrum dicerent, vt dicta sua ad alterutrum
peruenirent, tamen scio plerunque complacitum ita
fidem secreti esse seruata, vt nec fratri committe-
retur. Erat enim fidele indicium, & extraneo non
esse proditum, quod non esset cum fratre collatum.
His igitur tantis ac talibus bonis in excessum quan-

dam fateor mentis elatus, superstitem me timere
desiderarem, quod illum vita crederem digniorem,
& ideo excepi plagam quam ferre non possum. To-
lerabilia enim tāti doloris præmeditata quàm in-
explorata vulnera. Quis iam mœstū solabitur? Quis
afflictum leuabit? Cum quo participabo curas?
Quas me ab istius mundi vindicabit vsu? Tu enim
actor negociorum, censor seruulorum, arbiter fra-
trum, non litis sed pietatis arbiter. Nam si quando
aliquid cum sancta sorore mihi conferendum fuit,
vtra melior videretur sententia, te iudicem sumeba-
mus, qui nullius læderes os, atque vtriue satisfacere
geitens & amandi affectum tenebas, & censendi
modum, vt & vtrumque gratū dimitteres, & vtriuf-
que tibi gratiam vindicares. Aut si ipse aliquid dis-
ceptandum deferres, quàm grata contentio tua, quā
sine felle ipsa indignatio, quàm seruulis ipsis coërci-
tio non amara, cum te fratribus magis deferre, quàm
ex affectu diceres vindicare. Nobis enim professio
reprehit studia coërcendi, imò tu frater ab omni nos
abducebas coërcitionis affectu, vindicare pollicens,
& lenire desiderans. Non mediocris igitur pruden-
tiæ testimonium, quæ ita à sapientibus definitur, bo-
norum primum esse Deum scire, & verum illud at-
que diuinum pia mente venerari, illam amabilem &
concupiscendam æternæ pulchritudinem veritatis
tota mentis charitate diligere. Secundum autem, in
proximos à diuino illo fonte atque cœlesti naturæ
deriuare pietatem: quod etiam mundi sapientes no-
stris hauere de legibus. Neque enim deriuare ista in
hominum disciplinas, nisi de cœlesti illo diuinæ le-
gis fonte potuissent. Quid igitur obseruantiam eius
erga Dei cultum prædicem? qui priusquam perfe-
ctoribus esset initiatus mysteriis, in naufragio con-
stitutus, cum ea qua veheretur nauis scopuloso illisa
vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus solue-
retur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij
exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his
diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non
vt curiosos oculos insereret arcanis, sed vt fidei suæ
consequeretur auxilium? Etenim ligari fecit in ora-
rio, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit
in mare, non requirens de nauis compage resolutam
tabulam cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei
folius arma quæserat. Itaque his se tectum atque
munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit.
Simul fortitudinem eius spectare licet, qui fatiscen-
te remigio non quasi naufragus tabulam sumptierit,
sed quasi fortis ex seipso adminiculum suæ virtutis
assumpserit. Nec deseruit spes, nec sefellit opinio.
Denique primus seruatus ex vndis, & in portum
terrenæ stationis euectus, præfulem suum cui se ere-
diderat recognouit, statimque vbi etiam ceteros
seruulos suos vel ipse liberauit, vel liberatos com-
perit, negligens facultatum, nec amissa deside-
rans, Dei Ecclesiam requisit, vt ageret gratias
liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pro-
nuncians nullum referendæ gratiæ maius esse of-
ficium. Quod si homini non referre, simile ho-
micidio iudicatum est: quantum crimen est non re-
ferre Deo? Est ergo prudentis agnoscere seipsum, &
quemadmodum à sapientibus definitum est, secun-
dum naturam viuere. Quid enim est tam secun-

dum naturam, quàm referre auctori gratiam? Aspicere cœlum hoc, nonne auctori refert gratiam cum videtur? Cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Marc ipsum cum sedatum atque tranquillum est, diuinæ ferentis testatur indicium: cum mouetur, indignatio superna terrori est. Nonne omnes Dei gratiam iure miramur, cum aduertimus quod insensibilis natura quadam sensibili ratione suos fluctus coërceat, & fines suos vnda cognoscat? Nam de terris quid loquar, quæ diuino obediens præcepto, omnibus sponte animantibus pabulum subministrant, atque id quod acceperint agri, velut crescentibus vsuris multiplicatum cumulatimque restitunt? Ergo ille qui natura duce diuini rationem operis igneo mentis vigore perceperat, sciuit primo omnium seruatori suo gratiam esse referendam. Sed quia referre poterat, habere poterat. Est enim huiuscemodi gratiæ vis, vt & cum refertur habeatur, & habendo referatur. Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum mysterij cœlestis inuoluti in orario præsidium fuisset expertus, quantum arbitratur si ore fumeret, & toto pectoris hauriret arcano: quàm maius putabat fufum in viscera, quod tantum sibi teetum orario profuisset? Sed non ita auidus fuit, vt esset incautus. Scimus enim plerisque auiditate studij prætermittere cautionem. Aduocauit ad se episcopum, nec vllam veram putauit nisi veræ fidei gratiam, percontatusque ex eo est vtrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret: & fortè & ad id locorum in schismate regionis illius Ecclesia erat. Lucifer enim se à nostra tunc temporis communionem diuiserat, & quanquam pro fide exulasset, & fidei suæ reliquisset hæredes, non putauit tamen fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur velut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio, corpusque distrahitur. Itaque quamuis gratiæ fœnus teneret, & metueret tanti nominis debitor nauigare, tamen eò transire maluit, vbi tuto posset exoluere. Iudicabat enim diuinæ solutionem gratiæ in affectu ac fide esse, quam quidem statim vbi primum copia liberior Ecclesiæ fuit, implere non distulit. Dei gratiam & accepit desideratam, & seruauit acceptam. Nihil igitur ea prudentia sapientius, quæ diuina & humana fecernit. Nam quid spectatam in stipendiis forensibus eius facundiam loquar, quæ incredibili admiratione in auditorio emicuit? Sed malo illa laudare, quæ perceptis mysterijs Dei duxit humanis esse potiora. Fortitudinem quoque eius si quis plenius spectare volet, consideret quotiens post naufragium inuictò quodam contèptu vitæ huius maria transfretauerit, diffusasque regiones obeundo peragravit: postremò quòd hoc ipso tempore periculum nò refugerit, sed ad periculum venerit patiens iniuriæ, negligens frigoris, atque vtinam sollicitus cautionis: sed hoc ipso beatus, quòd dū licuit vigore vt corporis, inoffenso ad exequenda quæ vellet functus iuuentutis officio, vitam vixit, debilitatem ignorauit. Qua verò profes-

gatione simplicitatem eius edisseram? Ea est enim quædam morum temperantia, mentisque sobrietas. Date quæso veniam, & permittite dolori meo, vt de eo mihi paulo vberius liceat loqui, cum quo iam nò conceditur colloqui. Certè & vobis proficit vt aduertatis non fragilitate quadam vos hoc officium, sed iudicio detulisse, nec misericordia mortis impulsos, sed virtutum honorificentia prouocatos. Anima enim benedicta omnis simplex. Tantæ autem simplicitatis erat, vt conuersus in puerum, simplicitatem illius ætatis innoxia, perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentium morum speculo reluceret. Intrauit igitur in regnum cœlorum, quoniam credidit Dei verbo, quoniam sicut puer artem repulit adulandi, iniuriæ dolorem clemèter absorbit, quam clementius vindicauit, querelæ quàm dolo promptior, satisfactioni facilis, difficilis ambitioni, sanctus pudori, vt frequenter in eo superfluum magis verecundiam prædicaret, quàm necessariam quæretes. Sed numquam superflua fundamenta virtutis. Pudor enim non reuocat, sed commendat officium. Itaque velut quadam virginali verecundia suffusus ora, cum vultu affectum proderet, si fortè aliquam subito veniens offendisset parentem, velut depressus & quasi demersus in terram, licet in ipso nequaquam dissimilis cœtu virorū, rarus attollere os, eleuare oculos, referre sermonem, quod pudico quodam mētis pudore faciebat, cum quo castimonia quoque corporis congruebat. Etenim intemerata sacri baptismatis dona seruauit, mūdus corpore, purior corde, non minus adulterini sermonis opprobrium quàm corporis perhorrescens, non minorem ratus pudicitia reuerentiam deferendam integritate verborum, quàm corporis castitate. Denique in tantum castimonia dilexit, vt nec vxorem expeteret, licet in eo non solum castitatis appetentia fuerit, sed etiam pietatis gratia. Miro autem modo & coniugium dissimulabat, & iactantiam declinabat: tantaque erat dissimulatio, vt nobis quoque vrgentibus differre magis consortium quàm refugere videretur. Hoc vnum itaque fuit, quod nec fratribus crederet, non aliqua cunctationis hæsitantia, sed virtutis verecundia. Quis igitur nò miretur virum inter fratres duos, alteram virginem, alterum sacerdotem, ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præstitisse, vt alterius minoris castitatem, alterius sanctitatem referret, non professionis vinculo, sed virtutis officio? Ergo si libido atque iracundia, reliquorum vitiorum educatrices sunt, iure castitatem atque clementiam dixerim quasdam virtutum parentes: quanquam pietas quoque vt omnium principatus bonorum, ita etiam seminarium virtutum est cæterarum. Nam de parsimonia quid loquar, & quadam habendi castitate? Is enim non quærit aliena qui sua seruat, nec inflatur in modico qui contentus est proprio. Nihil ergo aliud nisi proprium recuperare voluit, magis ne fraudaretur, quàm vt ditaretur. Nam eos qui aliena quærent, rectè accipitres pecuniæ nominabat. Quod si radix malorum omnium auaritia est, vtique vitia exiit qui pecuniam non requirit. Numquam accuratioribus epulis aut congestis ferculis delectatus est, nisi cum amicos ad epulas

rogaret,

rogaret, quantum naturæ satis esset, non quantum voluptati superesset requirens. Et certè erat nò pauper opibus, sed tamen pauper spiritu, quoniam ipsum est regnum cœlorum. De istius beatitudine nequaquam vtique dubitare debemus, qui neque vt opulens exultauit in diuitiis, neque vt pauper exiguum quod habuit iudicauit. Superest vt ad conclusionem cardinalium virtutum, etiam iustitiæ partes in eo debeamus aduertere. Nam etsi cognatæ sint inter se concretæque virtutes, tamen singularū quædam forma expressior desideratur, maximèque iustitiæ. Ea enim sibi parciore foris tota est, & quicquid habet quadam inclementia sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos. Sed huius multiplex species. Alia erga propinquos, alia erga vniuersos, alia erga Dei cultum vel adiumentum inopū. Itaque qualis in vniuersos fuerit, prouincialium quibus præfuit, studia docent, qui parètem magis fuisse proprium quàm iudicem loquebantur, gratum piæ necessitudinis arbitrum constantem æqui iuris disceptatorem. Inter fratres autem qualis fuerit, licet omne hominum genus beneuolentia complecteretur, indiuisum patrimonium docet, nec distributa aut delibata, sed reseruata hæreditas. Etenim pietatem sibi causam esse negauit testadi. Nam hoc quoque vltimo sermone signauit, cum quos dilexerat commendaret, sibi nec vxoris arbitrium fuisse ducendæ, ne à fratribus diuelleretur: nec testamenti faciendæ voluntatem, ne nostrum in aliquo arbitrium laderetur. Denique & oratus & obsecratus à nobis, nihil tamen condendum putauit, non oblitus pauperum, sed tantum obsecrans esse tribuendum, quantum nobis iustum videretur. Quo vno satis & diuini timoris expressit indicium, & humanæ edidit religionis exemplum. Nam quod pauperibus contulit, Deo detulit: quoniam qui largitur pauperi, fœneratur Deo: & postulando quod iustum est, non exiguum sed totum reliquit. Hæc enim est summa iustitiæ, vendere quæ habeas, & conferre pauperibus. Qui enim dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Ergo dispensatores nos nò hæredes reliquit. Nam hæreditas successorum quæritur, dispensatio pauperibus obligatur. Vnde non immeritò quantus fuerit, hodie quoque per vocem lectoris paruuli Spiritus sanctus expressit: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam, nec fecit proximo suo dolum, hæc est generatio requirentium Deum. Hic ergo & in montem Domini ascendet, & in tabernaculo habitabit Dei, quia ingressus sine macula operatus est iustitiæ, locutus est veritatem, non decepit proximum, nec pecuniam fœneratus est suam, qui semper voluit recuperare hæreditariam. Agnosco oraculum: quod enim nulla ordinauit dispositio, spiritus reuelauit. Quid verò illud recenseam, quod supra ipsam iustitiam pietate progressus, cum quædam incubatori communium fructuum mei contemplatione muneris putasset esse tribuenda, largitatis me iactabat auctorem, portionis suæ lucrum ad commune consortium conferebat? Hæc & alia quæ mihi tunc erant voluptati maximæ, nunc recordatione doloris exasperauit. Manent tamen, eruntque semper, nec tanquam vmbra præterierunt, neque virtutis gratia cum

corpore occidit, nec idem naturæ meritorumque finis, licet ipsius naturæ vsus, non in æternum occidat, sed temporali quadam vacatione requiescat. Talibus igitur perfunctum virtutibus, creptum periculis, desiderio magis quàm amissione flebo. Suadet enim ipsa opportunitas mortis vt profectuendum magis gratia quàm dolendum putemus. Scriptum est enim: in communi dolore proprium vacare debere. Neque enim prophetico sermone, vni illi mulieri quæ figuratur, sed singulis dicitur, cum Ecclesiæ dictum videtur. Dicitur ergo & ad me, & dicit scriptura cœlestis: Hoccine doces, sic instituis Dei plebem? An nescis quia exemplum tuum, periculum cæterorum est? Nisi fortè exauditum non esse te quereris. Primum istud arrogantis est impudentiæ, mereri solum velle, quod multis etiam sanctis negatum noveris, cum scias quia non est personarum acceptor Deus. Nam & misericors Deus, tamen si semper exaudiret omnes, non iam ex voluntate libera, sed ex quadam velut necessitate facere videretur. Deinde cum omnes rogent, si exaudiret omnes, nemo moreretur. Pro quantis ergo quotidie rogas? Nunquid constitutio Dei contemplatione soluenda est tui? Cur ergo non impetratum aliquando doles, quod nò semper impetrabile esse cognoscis? Stulta inquit, super omnes mulieres: nonne vides luctum nostrum, & quæ nobis contigerunt, quoniam Sion mater nostra omnium in tristitia contristatur, & humilitate humiliata est? Lugete validissime & nunc, quoniam omnes lugemus: & tristes estote, quoniam omnes contristati sumus. Tu enim contristaris in fratre. Interroga terram, & dicet tibi, quoniam hæc est quæ debebat lugere tantorum superstitis germinum, & ex ipsa, inquit, initio omnes nati, & alij venient, & ecce penè omnes in perditionem ambulat, & in exterminium sit multitudo eorum. Et quis ergo debet lugere magis, nisi quæ tam magnam multitudinem perdidit, quàm tu qui pro vno doles? Absorbeat igitur nostrum dolorem communis dolor, & acerbitem proprii mœroris excludat. Nò enim dolere debemus eos, quos cernimus liberatos: neque enim ociosè tam sanctas hoc tempore animas corporeis vinculis reminiscimur absolutas. Namque velut diuino iudicio tam graues viduas ita vno tempore defunctas videmus, vt professionis quidam videatur excessus, non mortis occasus, ne veterana emeritis stipendiis pudicitia in dubium diu seruari pudoris incideret. Quos gemitus mihi, quos dolores tam acerba excitat recordatio? Etsi mœroribus non vacabam, tamen in ipso dolore priuato, in ipso tantorum amisso flore meritorum communis quædam naturæ me conditio solabatur, defixusque in vno dolor acerbitem publici funeris, domesticæ specie pietatis obduxerat. Repete ergo sacra scriptura solatia tua. Iuuat enim tuis præceptis, tuis sententiis immorari. Quàm facilius est cœlum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere? Sed iam audiamus quæ scripta sunt. Nunc, inquit, retine apud temetipsum dolorem tuum, & fortiter fer qui tibi contigerunt casus. Si enim iustificaueris terminum Dei, & filium tuum recipies in tempore, & in mulieribus collaudaberis. Si hoc ad mulierem, quanto magis ad sacerdotem? Si

HH ij

Esd. 10.

de filio, non utique absurdum etiam de fratrum amissione talia memorari: quanquam si mihi fuisset filius, numquam cum amplius dilexisssem. Nam sicut in obitu liberorum effusi labores, suscepti frustra dolores mœrorem videntur augere, ita etiam in fratribus consuetudinis usus atque collegij, acerbiter doloris accendunt. Sed ecce dicentem scripturam audio: Noli facere hunc sermonem, sed consenti persuaderi. Qui enim fles casus Sion, & consolare propter dolorem Hierusalem. Vides ergo quia sancta nostra contaminata sunt, & nomen quod nominatum est super nos, penè prophanatum est, & iuvenes nostri contumeliam passi sunt, & sacerdotes nostri succensi sunt, & Leuitæ nostri in captiuitate fuerunt, & mulieres nostræ contaminatæ sunt, & virgines nostræ vim passæ sunt, & iusti nostri rapti sunt, & paruuli nostri proditi sunt, & iuvenes nostri seruierunt, & fortes nostri inualidi facti sunt. Et quod omnium maius, signaculum Sion, quoniam resignata est de gloria sua nunc, & tradita est in manibus eorum, qui nos oderunt. Tu ergo excute tuam multam tristitiam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut tibi repropitietur foris, & requiem faciat tibi altissimus requietione dolorum. Cessabunt igitur lachrymæ: parendum est enim remediis salutaribus, quia debet aliquid inter fidos & perfidos interesse. Fleant ergo qui spem resurrectionis habere non possunt, quam non sententia Dei eripit, sed fidei inclemētia. Interfit inter Christi seruulos, idolorumque cultores, ut illi fleant suos quos in perpetuum existimant interisse, illi nullas habeant lachrymarum ferias, nullam tristitiæ requiem consequantur, qui nullam putant requiem mortuorum: nobis verò quibus mors non naturæ, sed vitæ istius finis est, quoniam in melius ipsa natura reparatur: fletus omnes casus mortis abstergat. Certè si illi sibi aliqua solatia repererunt, qui finem sensus, defectumque naturæ mortem arbitrati sunt, quanto magis nos, quibus meliora post mortem præmia bonorum factorum cōscientia pollicetur? Habent gentiles solatia sua, quia requiem malorum omnium mortem existimant. Et ut vitæ fructu carent, ita etiam caruisse se putant omni sensu & dolore pœnarum, quas in hac vita graues & affluas sustinemus. Nos verò ut erectiores præmio, ita etiam patientiores solatio esse debemus. Non enim amitti, sed præmitti videntur, quos non absumptura mors, sed æternitas receptura est. Cessabunt ergo lachrymæ: aut si cessare non poterunt, in communibus lamentis flebo te frater, & sub dolore publico domesticos gemitus tegam. Nam cessare qui poterunt, cum ad omnem sonum nominis tui lachrymæ surrepant, vel cum vsus ipse recordationem excitat, vel cum affectus imaginem repræsentat, vel cum recordatio dolorem renouat? Quando enim dees qui tantis officiis repræsentaris? Ades inquam, & semper ostenderis, & toto te animo ac mente complector, aspicio, alloquor, osculor, comprehendo vel in ipsa quiete nocturna, vel in luce clara cum reuifere & solari dignaris mœrentem. Denique ipsæ iam noctes, quæ quasi molestiores viuente te videbantur, quod mutui conspectus copiam denegaret, ipse iam somnus colloquiorum nostrorum dudum interruptor inamabilis, dulcis esse iam cœpit, quia te mihi reddi-

dit. Non igitur miseri, sed beati, quorum nec presentia deficit, nec cura minuitur, & augetur gratia. Etenim somni similis imago mortis. Quod si in quiete nocturna vinculis adhuc corporeis inhærentes, & quasi inter carceraria religatæ claustra membrorum possunt tamen animæ altiora & discreta perspicere, quanto magis spectant hæc cum iam puro æthereoque sensu nulla corporeæ labis impedimenta patiuntur? Meritoque mihi conquerenti vergente quodam iam in occasum die, quod non reuiferes quiescentē, totus omni tempore indiuiduus affuisti, ita ut illo perfusus sopore membrorum, cum ego vigilarem tibi, tu viueres mihi, dicerem: Quid est mors frater? Nam certè nullis à me separare momentis. Ita enim ubique præsto eras, ut quam in istius vitæ vsu habere copiam nequibamus, nunc nobis semper & ubique præsto sit. Nam tunc utique omnia præsto esse non poterant: nec enim complexiones nostræ conspectusque & osculorum corporalium suauitates locis omnibus & omnibus temporibus supetebant. Animorum imagines semper nobiscum erant, etiam quando non eramus vna, quæ nunc quidem occiderunt, assidueque aduolant, quo maiore desiderio, eo maiore copia. Teneo igitur te frater, nec mihi te aut mors aut tempus auellet. Ipse dulces lachrymæ sunt, ipsi fletus iucundi, quibus restinguitur ardor animi, & quasi relaxatus euaporat affectus. Neque enim sine te esse possum, aut tui non meminisse vnquam, aut meminisse sine lachrymis. O amari dies, qui interruptam copulam proditis. O flebiles noctes, quæ tam bonum conforrem quietis & indiuiduum mihi comitemperdidistis. Quas ederetis cruces nisi se offunderet imago præsentis, nisi visiones animi repræsentarent, quem species corporis denegaret? Iam iam frater animo meo charissime, quanquam immaturo decesseris obitu, beatus tamē qui ista non sustines, nec amissum fratrem mœrere compelleris, quem absentem diu ferre non poteras, sed recuris celeri reuiferas. Quod si tunc solitudinis meæ tædia repellere, mœstitiam fraternam mentis ableuare properabas, quanto nunc crebrius afflictum animum debes reuifere, & ex te conceptum, per te lenire mœrorem? At mihi tamen dat aliquas officij vsus inducias, & obsequij sacerdotalis intentio abducit animum. De sancta verò sorore quid fiet, quæ licet diuino metu pietatem temperet, rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit: strata humi, & totum gremio sui complexa tumulum, laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctesque mœrorem integrat. Nam licet fletum plerumque sermone suspendat, in oratione renouat. Et quamuis scripturarum memoria consolationes serentibus præcurrat, flendi tamen desiderium precandi assiduitate compensat, lachrymarum vbertatem tunc præcipue quando nemo interrumpere possit, instaurans. Ita quod miserearis habes, quod reprehendas non habes. Flere enim in oratione virtutis est: & quanquam istud familiare virginibus, quibus mollior sexus, tenerior affectus contuitu communis fragilitatis, in lachrymas etiam sine domestici sensu doloris exuberat, tamen cum maior causa mœrendi est, finis mœroris excluditur. Deest igitur consolandi via, quia suppetit excusandi gratia.

Neque

727

Neque enim possis prohibere quod doceas, præsertim cum religionis adstruat lachrymas, non doloris, & communis seriem deplorationis in metu pudoris obtexat. Consolare ergo qui potes adire animi penetrare mentem. Cernat te esse præsentem, sentiat non esse defunctum, ut cuius secunda de merito, eius defuncta solatio, discat pro eo non grauer dolere, qui se admonuerit non dolendum. Sed quid ego demoror frater, quid expectem ut nostra tecum commoriatur, & quasi conspeliatur oratio? Licet ipsa species & exanimis corporis forma soletur, oculosque manens gratia & permanens figura demulceat, nihil inquam moror, procedamus ad tumulum, sed prius vltimum coram populo vale dico, pacem prædico, osculum soluo: præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed iam mihi præcæteris desiderabilem domum. Para hospiti consortiū, & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoque ius diuiduū nesciamus. Ne quæso cupientem tui diu deferas, properantem expecta,

FINIS.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, DE FIDE RESURRECTIONIS ORATIO.

SUPERIORE libro aliquid indulgissimus desiderio, ne tãquam feruenti plagæ austeriora adhibita medicamenta exasperarent magis quàm lenirent dolorem: simul quia fratrem sæpius allocuti sumus, & oculis tenebamus, absurdum non fuit relaxare paulisper affectum naturæ, qui lachrymis magis pascitur, fletibus delinitur, stupore defigitur. Mollis enim & tenera species est forma pietatis, nihil insolens amat, nil immitte, nil durum, ferendo autem probatur patientia magis quàm resistendo. Ergo quia dudum dies mortis inter lachrymabiles aspectus debuit animum inclinare fraternum qui totum tenebat, nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, à fratre paululum ad communem humani generis cohortationem iuuat deriuare mentem, intentionemque transfundere, ita ut neque totis sensibus defigamur in fratre, ne obrepit affectus: neque tantæ exules pietatis & gratiæ, cum quem diligimus deseramus, & verè ipsi nobis tanti doloris augeamus iniuriam, si hodie nobis & in sermone moriatur. Vnde proposuimus fratres charissimi, solari nos communi vsu, nec durum putare quicquid vniuersos manet, & ideo mortem non esse lugendam. Primum, quia communis sit, & cunctis debita. Deinde, quia nos seculi huius absoluit ærumnis. Postremò, quia somni specie ubi ab istius mundi labore requietum sit, vigor nobis viuacior refundatur. Quem dolorem non soletur resurrectionis gratia? quem non excludat mœrorem, si credas nihil perire morte, imò ipsius celeritate fieri mortis plus perire ne possit? Erit ergo fratres charissimi, ut in

adhortatione communi etiam fratri nostro pendamus affectum, nec ab eo longius deuiasse videamur, si per resurrectionis spem, & futuræ gloriæ suauitatem etiam in sermone nobis hodie reuiuifcat. Ordiamur igitur ab eo, ut lugendum nobis nostrorum obitum non esse doceamus. Quid enim absurdus, quàm ut id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere communem, naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensuram. Quid absurdus quàm nescire qui sis, affectare quod non sis? Aut quid imprudentius, quod futurum scias, id cum acciderit, ferre non posse? Natura ipsa nos reuocat, & huiusmodi mœroribus quadam sui collatione subducit. Quis est enim tam grauis luctus, aut tam acerbus dolor, in quo non interdum relaxetur animus? Habet hoc natura, ut quamuis homines in tristibus rebus sint, tamen, si modo homines sunt, à mœrore mentem paulisper abducant. Fuisse etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent. Nec imprudenter. Eos enim qui in hoc vitæ salum venissent, mœrendos putabāt: eos verò qui ex istius mundi procellis & fluctibus emerissent, non iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Nos quoque ipsi natales dies defunctorum obliuiscimur, & cum quo obierint diem celebri solennitate renouamus. Non est grauis subeundus mœror secundum naturam, ne aut excellentiorem aliquam naturæ exceptionem nobis arrogare videamur, aut communem recusare. Etenim mors æqualis est omnibus, indiscreta pauperibus, inexcepta diuitibus.

HH iij

Rom. 5.

Luca 19.

Et ideo licet per vnius peccatum, in omnes tamen G pertrāsuit: vt quem generis non refugimus auctorem, non refugiamus & mortis: & sit nobis sicut per vnum mors, ita per vnum etiam resurrectio, nec recusemus ærumnam, vt perueniamus ad gratiam. Venit enim, vt legimus, Christus saluū facere quod perierat, & vt non solum viuorum, sed etiam mortuorum dominetur. Lapsus sum in Adam, de paradiso eiectus in Adam, mortuus in Adam: quem reuocaret nisi me in Adam inuenerit, vt in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Christo iustificatum? Si ergo debitum mortis est, solutio debet esse tolerabilis. Sed hic locus posterioribus partibus referuandus. Nunc propositum est asserere mortem grauiori non debere esse mœrori, quod eum natura ipsa respuat. Denique Lyciorum feruntur esse præcepta, quæ viros iubeant muliebrem vestē inducere, si mœrori indulgeant, eò quod mollem & effœminatam iudicauerint in viro luctum. Deforme est enim eos qui pro fide, pro religione, pro patria, pro æquitate iudicij, atque intentione virtutis obuium morti debent peccus offerre, mœrere in alio grauius, quod in se si causa exegerit, expetendum est. Nam quemadmodum potes in te non refugere, quod impatiētius aliis doleas accidisse? Depone mœrorem si potes, include si non potes. Aut absorbendus omnis, aut premendus est dolor. Cur enim mœstitiam tuam non ratio potius quàm dies leniat? Nam quod obliteratura est temporis series, melius prudentia mitigabit. Quin etiam hoc ipsum irreligiosum puto, erga ipsorum memoriam quos dolemus amissos, vt obliuisci eorum malimus, quàm consolatione mulceri: aut cum horrore reminisci quàm meminisse cum gratia: recordationem timere, quorum imago debeat esse voluptati, diffidere potius quàm sperare de meritis defunctorum, & pœnæ addictos, quàm immortalitati debitos quos dilexeris æstimare. Sed dicis: Quos diligebamus, amissimus. Nonne hæc nobis cum ipso mundo elemētis quæ communia sunt, quia ad tempus credita in perpetuum tenere non possumus? Gemit terra sub aratris, imbribus cæditur, tempestate concutitur, stringitur frigore, sole torretur, vt fructus annuos fœta parturiat: & cum se vario flore vestierit, exiit proprio & spoliatur ornatu. Quantos hæc raptores habet, nec fructum suū queritur amissum, quem ideo generauit vt amitteret, nec in posterum negat, quem sibi meminit auferendum. Cælum ipsum non semper stellarum micantium globis fulget, & quasi quibusdam insignitur coronis. Non semper ortu lucis albescit, radiis solis irrutilat, sed assiduus vicibus ille quidam mundi vultus gratissimum menti noxium caligat horrore. Quid gratius luce? Quid sole iucundius, qui quotidie occidit? Decessisse tamen hæc nobis non moleste ferimus, quia redire præsumimus. Doceris in his quam in tuis debeas exhibere patientiam. Si superiora tibi occidunt, nec dolori sunt: cur si occiderint humana, dolcantur? Sit tamen patiens dolor, sit in tristibus modus qui exigitur in secundis. An si immoderate gaudere non conuenit, lugere conuenit? Non enim mediocre malum est immoderatio doloris, aut metus mortis. Quantos ad laqueum impulit, armauit ad gladium, vt in eo ipso amentiam

suam proderent, mortem non ferentes, & mortem appetentes, & quod pro malo fugerent, pro remedio addiscerent: qui quoniam consentaneum naturæ suæ ferre ac perpeti nequeunt, contrarium voti incidunt, vt ab his in perpetuum separentur quos sequi desiderauerunt. Sed hæc rara, quoniam natura ipsa reuocat, etsi præcipitet amentia. Illud verò frequens in mulieribus, vt clamores publicos ferant, quasi metuant ne earum ignoretur ærumna, vt illuuiem vestis affectent, quasi in ea sit sensus dolendi, vt impexum sordibus immadident caput, vt postremo (quod plerisque in locis vulgo fieri solet) discisso amictu: diloricata veste secreti pudoris nuda prostuant, quasi ipsum lenocinentur pudorem, quia pudoris sui præmia perdidierunt. Sic procaces oculi prouocantur vt concupiscant, vt amare incipiant membra nudata, quæ si non aspicerent, non amarēt. Atque vtinam sordidata illa tegumenta corporis nõ speciem, sed mentem obnubarent. Latet plerumque sub tristi amictu mentis lasciuia, & deformis horror vestis obtexitur, vt secreta petulantium tegantur animorum. Satis piè virum luget, quæ seruat pudorem, non deserit fidem. Hæc bene defunctis officia impenduntur, vt viuant in mentibus, in affectibus perseuerent. Non amisit virum quæ exhibet castitatem: non est viduata coniugio, quæ non mutauit nomen mariti. Nec tu perdidisti hæredem quæ adiuuas cohæredem, sed pro successore corruptibilium mutaisti consortem immortalium. Habes qui tibi præsentet hæredem, solue pauperi quod debetur hæredi, vt non solum maternæ aut paternæ senectutis, sed etiam vitæ propriæ sit superstes. Plus successor tuo relinques, si portio eius non ad luxum præsentium proficiat, sed ad precium futurorum. Sed desideramus amissos. Duo sunt enim quæ maxime angunt, aut desiderium eorum quos amiserimus, sicut meo exemplo metior: aut quod eos vitæ suauitate priuatos, ereptos laboris sui fructibus arbitramur. Tenera enim amoris est titillatio, quæ ex improviso affectum excitat, vt sedandi magis quàm excludendi doloris facultas relinquatur: simul quia pium videtur desiderare quod admiseras, & specie virtutis adolescit infirmitas. Sed cur tu L putes patientiorem illam esse debere quæ dilectum ad peregrina dimiserit, & militia gratia, vel susceptæ administrationis officio, vel negociandi vñu transfretasse compererit, quàm te qui non fortuito arbitrio derelinqueris, aut studio pecuniæ, sed lege naturæ? Sed recuperandi tibi interclusa spes quasi cuidam certa redeundi. Et plerumque dubia plus fatigant, vbi periculi metus integer: grauiusque est timere ne acciderit, quàm tolerare quod iam noueris accidisse. Aliud enim summam formidinis coaceruat, aliud finem M expectat doloris. An Dominis ius est quo decreuerint transferre mancipia, Deo non est? Sed non suppetit expectare remeantem, suppetit tamen præcedentem sequi. Et certè breuis vitæ vñus nec illi multum videtur eripuisse qui ante præcessit, nec te differre diutius qui remanseris. Quod si desiderium tuum mitigare non possis, nonne tamen videtur indignum pro desiderij tui studio rerum ordinem velle conuerti? Amantium ardētiora vtique

vtique desideria sunt, & tamen necessitatis contutu temperantur. Etsi dolent deserui, lugere tamen nõ solent. Deserui amare impatiētius erubescunt. Ita patientia desiderij plus probatur. Quid autem de his loquar qui defunctos putant vitæ suauitate priuari? Nulla potest esse iucunditas inter has vitæ nostræ amaritudines aut dolores, quæ vel ex corporis ipsius infirmitate, vel extrinsecus accidentium incommoditate generatur. Anxij enim semper, & ad ipsa * lætitiæ vota suspensi quodam fluctuamus incerto, sperantes dubia pro certis, incommoda pro secundis, caduca pro solidis, nihil habentes potestatis in arbitrio, firmitatis in voto. At si aliquid cõtra voluntatem acciderit, perditos nos putamus: plûsque aduersorum dolore frangimur, quàm secundorum fructu potimur. Quibus igitur carent bonis qui maioribus eripiuntur incommodis? Valetudo credo bona, plus adiuuat quàm affligit mala: aut opulentia plus delectat, quàm egestas afficit: aut filiorum magis amabilis gratia, quàm lugubris amissio: aut adolescentia iucundior, quàm senectus tristior. Quæ plerumque suorum tædet votorum, & optati pœnitent, vt doleat impetratum quod non impetrare metuebat! Exilia verò, & ceterarum pœnarum acerbitates quæ potest compensare patria, quæ voluptates, quæ etiam cum sunt debilitantur tamen, aut nõ vtendi affectu, aut amittendi metu: Esto tamen, maneat inoffensus, immunis à doloribus, perpes in voluptatibus vitæ cursus humana: quid tamen commodi consequi potest anima in istiusmodi corporis inclusa compaginibus, & quibusdam membrorum angustiis coarctata? Si caro nostra carcerem fugit, si detestatur omne quicquid euagandi facultatem negat, quæ vtique paruis vltra se audiendi videndique excurrere videtur sensibus, quãto magis anima nostra corporeum istud euadere gestit ergastulum, quæ motu aëreo libera, nescimus quò vadat, aut vnde veniat? Scimus tamen quòd corpori superuiuat, & ea iam depositis proprii sensus repagulis expedita libero cernat obtutu, quæ ante sita in corpore non videbat. Quod exemplo dormientium possumus æstimare, quorum animi velut sepulto quiete corpore, ad altiora se subrigunt, & renunciant corpori rerum absentium vel etiam cœlestium visiones. Ergo si mors carnis & seculi nos absoluit ærumnis, vtique malum non est, quæ libertatem restituit, & excludit dolorem. Hinc igitur nobis adorandus disputandi locus, mortem malum non esse, quia ærumnarum omnium malorumque perfugium est, & fida statio securitatis, ac portus quietis*. Nunquid in hac vita non experimur aduersa? Quas non procellas tempestatesque perpetimur? Quibus non exagitamur incommodis? Cuius parcitur meritis? Sanctus Patriarcha Israël profugus patria, fratre, parentibus, domum mutauit exilio, stuprum filia, generi necem fleuit, famem pertulit, sepulturam defunctus amisit: transferri enim ossa sua, ne vel mortuus requiesceret, obsecrauit. Sanctus Ioseph odia fratrum, insidias inuidorum, seruulorum obsequia, mercatorum imperia, domina petulantiam, mariti inficitiam, carceris quoque est expertus ærumnam. Sanctus Dauid filios amisit duos, vnum incestum, alterum paricidam. Hos habuisse pudoris est, doloris est perdi-

disse. Amisit & tertium quem amabat paruulum, hunc viuentem adhuc fleuit, mortuum non desiderauit. Sic enim legimus quòd ægrotante puero defideprecabatur Dauid Dominum pro eo, & ieiunauit, & in cilicio iacuit, & adstantibus maioribus natu vt excitarent eum de terra, nec surgendum sibi, nec cœnandum putauit. Vbi verò defunctum puerum cõperit, surrexit de terra, lauit illicò, vnctus est, vestimenta mutauit, adorauit Dominum, cibum sumpsit. Cùm hæc miranda suis pueris viderentur, respondit eis, rectè se infante viuente ieiunasse, plorasse, quia iure arbitrabatur Dominum posse misereri, nec dubitandum quod vitam posset seruare viuētis, qui posset viuificare defunctos: iam verò obita morte quid ieiunaret, qui iam non posset reducere mortuum, exanimemque reuocare? Ego, inquit, ibo ad eum, ipse autem non reuertetur ad me. O maximum solatium desiderantis. Overum sapientis iudicium. O miram patientiam seruientis, vt nemo sibi aduersi aliquid accidisse indignè ferat, & contra meritum suum se queratur afflictum. Quis enim tu es qui de tuo merito ante pronuncies? Cur præuenire desideras cognitorem? Cur eripis sententiam iudicaturò? Nec sanctis istud permissum est, nec à sanctis impunè vnquam est vsurpatum. Dauid se propterea flagellatum suo carmine confitetur: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias. Ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, & vindex meus in matutinum. Petrus quoque quamuis plenus fide deuotionis, tamen quia nondum conscius nostræ infirmitatis præsumptiuè dixerat Domino, Animam meam pro te ponam, tentationem præsumptionis antequàm tertio gallus cantaret incurrit: licet ipsa tentatio documentum fuerit ad salutem, vt discamus non contemnere carnis infirmitatem, ne contemnendo tentemur. Si Petrus tentatus est, quis præsumat, quis adstruat se nõ posse tentari? Atque haud dubiè pro nobis tentatus est Petrus, vt in fortiore non esset tentamenti periculum, sed in illo disceremus quemadmodum in persecutionibus resistentes, etsi vitæ studio tētaremur, tentationis tamè aculeum patientiæ lachrymis vinceremus. Idem tamen Dauid, ne quem fortassis scripturarum tenacem moueat factorum diuersitas, idè inquam, Dauid paricidam mortuum fleuit, qui nõ fleuerat innocentem. Denique cùm ploraret & lugeret, dixit: Filius meus Absalon, filius meus Absalon, quis dabit mihi mortem pro te? Non solum ergo fletur Absalon, fletur paricida: fletur Ammō, non solum fletur incestus, sed etiam vindicatur, alter contemtu regni, alter fratris exilio, fletur sceleratus, non fletur dilectus. Quæ causa, quæ ratio? Non mediocris igitur in prudentibus deliberatio, sapientibus confirmatio. Magna enim prudentiæ in tanta factorum diuersitate constantia. Vna est fides, & illos mortuos fleuit, & flendum infantem mortuum non putauit. Illos enim sibi perisse credebat, hunc resurrecturum sperabat. Sed de resurrectione posterius, nunc ad proposita reuertamur. Præmissimus enim etiam sanctos viros grauia in hoc mundo & multa perpeffos, sine suffragatione meritorum, cum ærumna laborum, Vnde regressus ad se Dauid

2. Reg. 12.

Psal. 72.

1. Cor. 13.

2. Reg. 18.

* solus

Psal. 102. in posterioribus dicit: Memento Domine quia pul-
Psal. 143. uis sumus: homo tanquam fœnum dies eius. Et ali-
 bi: Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut
 umbra prætereunt. Quid enim nobis miserius, qui
 tanquam spoliati & nudi proicimur in hanc vitam,
 corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, an-
 xij ad sollicitudinem, desidioli ad laborem, proni ad
 voluptates? Non nasci igitur longè optimum, secū-
 dum sancti Salomonis sententiam. Ipsum enim, e-
 tiam ij qui sibi visi sunt im philosophia excellere, se-
 cuti sunt. Nam ipse illis anterior, nostris posterior,
 ita in Ecclesiaste locutus est: Et laudavi ego omnes
 defunctos qui iam mortui sunt, magis quam viuen-
 tes quicumque viuunt vsque adhuc: & optimum su-
 per hos duos, qui nondum natus est, & qui non vidit
 hoc opus malum, quod factū est sub sole. Et vidi
 ego vniuersum laborem eorum, & omnem virtutē
 operis huius, quia æmulatio viro ab altero. Et quidē
 hoc vanitas: & præsumptio spiritus. Et quis hoc dixit,
 nisi ille qui sapientiam poposcit & impetrauit, vt
 sciret dispositiones orbis terrarum, & virtutem ele-
 mentorum, anni cursus, & stellarum dispositiones,
 non ignoraret naturas animalium, & iras colligeret
 bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominū
 deprehenderet? Quem igitur non latuerunt cœle-
 stia, quemadmodum laterent mortalia? Qui cogita-
 tionem mulieris inuestigauit, infantem vindicantis
 alienum: qui naturas animalium, quas non acceperat,
 diuina tamen gratia aspirante cognouit: hic de
 suæ conditione naturæ quam in se expertus est, er-
 rare aut mentiri potuit? Sed nō solus hoc sensit, etsi
 solus expressit. Legerat sanctum dixisse Iob: Pereat
 dies illa qua natus sum: & cognouerat nasci, malorū
 omnium esse principium: & ideò diem qua natus
 est, perire optauit, vt tolleretur origo incommodo-
 rum: & optauit perire diem generationis suæ, vt diē
 resurrectionis acciperet. Audierat etiam Salomon
 dixisse patrem suum: Notum fac mihi Domine finē
 meum, & numerum dierum meorum qui est, vt scia
 quid desit mihi. Nouerat enim Dauid non posse id
 quod perfectum est, hinc comprehendere, & ideò ad ea
 quæ sunt futura properabat. Nunc enim ex parte
 scimus, & ex parte cognoscimus: tunc autem id
 quod perfectum est, poterit comprehendere, cum
 reuelata facie nobis speculanda maiestatis æterni-
 tatisque diuinæ cœperit relucere nō umbra, sed ve-
 ritas. Nemo tamen festinaret ad finē, nisi vitæ istius
 fugeret incōmoditatem. Et ideò etiam Dauid qua-
 re ad finem festinet, exposuit dicens: Ecce veteres
 posuisti dies meos, & habitudo mea tanquam nihil
 ante te: verum tamen vniuersa vanitas omnis homo
 viuēs. Quid igitur moramur fugere vanitatem? Aut
 quid nos delectat in hoc seculo vanē conturbari,
 thesaurum pecuniarum cōdere, & ignorare cui cō-
 gregemus heredi? Petamus amoueri à nobis plagas,
 eripi nos, & insipienti seculo carere, de peregrina-
 tione diuturna ad illam redire patriam & naturalem
 domum. In hac enim terra aduenæ sumus atque pe-
 regrini: remigrandum eò vnde descendimus, ambi-
 endum & obsecrandum non perfunctorie, sed ob-
 nixē, vt à dolis & ab iniquitate loquacium liberemur.
 Et ille qui remedium nouerat prolōgatum, tamen
 suum ingemit incolatum, & cum peccatoribus

G & iniquis se habitare deplorat. Quid ego faciam qui
 & peccatū habeo, & ignoro remedium? Hieremias
 quoque quod generatus sit & ipse deplorat his ver-
 bis dicens: Heu me mater, vt quid me peperisti virū
 causam dicentem iudicij? In omni terra non profui,
 neque profuit mihi quisquam, virtus mea defecit.
 Si igitur sancti viri vitam fugiunt, quorum vita etsi
 nobis utilis, sibi tamen inutilis æstimatur: quid nos
 facere oportet, qui nec aliis prodesse possumus, &
 nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam vsu-
 rario quodam cumulo grauefcētem onerari in dies
 peccatorum ære sentimus? Quotidie morior, Apo-
 stolus dicit, melius vtique quàm illi qui meditatio-
 nem mortis philosophiam esse dixerunt. Illi enim
 studium prædicarunt, hic vsū mortis exercuit. Et
 illi quidem propter se, Paulus autem ipse perfectus
 moriebat, nō propter suam, sed propter nostram
 infirmitatem. Quid autem est mortis meditatio, nisi
 quædam corporis & animæ segregatio? Quia mors
 ipsa non aliud quàm corporis atque animæ secessio
 definitur. Sed hoc secundum communem opinio-
 nem: secundū Scripturas autem triplicem esse mor-
 tē accipimus. Vna est cum morimur peccato, Deo
 viuimus. Beata igitur mors quæ culpæ refuga, Do-
 mino dedita, à mortali nos separat, immortali nos
 consecrat. Alia mors est vitæ excessus, qua mortuus
 est patriarcha Abraham, patriarcha Dauid, & sepul-
 ti sunt cum patribus suis, cum anima nexu corporis
 liberatur. Tertia mors est de qua dictum est: Dimit-
 te mortuos sepelire mortuos suos. Ea morte nō so-
 lum caro, sed etiā anima moritur. Anima enim quæ
 peccat, ipsa morietur. Moritur enim Domino non
 naturæ infirmitate, sed culpæ. Sed hæc mors non
 perfūctio huius est vitæ, sed lapsus erroris. Vna ergo
 est mors spiritalis, alia naturalis, tertia pœnalis. Sed
 non quæ naturalis, eadem pœnalis: non enim pro
 pœna, sed pro remedio dedit mortem. Denique A-
 dæ peccanti præscriptum est aliud pro pœna, aliud
 pro remedio. Pro pœna dicitur: Quoniam audisti
 vocem vxoris tuæ, & manducaisti de ligno de quo
 præceperam tibi ab hoc solo ne manducares, male-
 dicta terra in operibus tuis, manducabis fructum e-
 ius omnibus diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos ger-
 minabit tibi, & edes pabulum agri tui. Cum sudore
 vultus tui manducabis panem tuum, donec reuertaris
 in terram de qua assumptus es. Habes pœnarū
 ferias, quia aduersus spinas seculi huius, & sollicitu-
 dines mundi, voluptatēque diuitiarum quæ verbū
 excludunt, pœnam includunt, mors pro remedio
 data est, quasi finis malorum. Non enim dixit, Quo-
 niam audisti vocem mulieris, reuerteris in terram.
 Hæc enim esset pœnalis sententia, quemadmodum
 est illa: Maledicta terra, spinas & tribulos germina-
 bit tibi, sed dixit: Manducabis panem tuum in sudo-
 re, donec reuertaris in terram. Vides mortem magis
 metam esse nostrarum pœnarum, qua cursus huius
 vitæ inciditur. Ergo mors non solum malum non
 est, sed etiam bonum est. Denique pro bono quaritur,
 sicut scriptum est: Quærent homines mortem,
 & non inuenient eam. Quærent enim illi qui dictu-
 ri sunt montibus, Cadite super nos: & collibus, ope-
 rite nos. Quæret etiam anima illa quæ peccat. Quæ-
 rit diues ille positus in inferno, qui vult digito La-
 zari

zari refrigerari linguā suam. Videmus itaque quod
 & mors hæc lucrum est, & vita pœna est. Vnde &
 Paulus ait: Mihi enim viuere Christus est, & mori
 lucrum. Quid est Christus, nisi mors corporis, spiri-
 tus vitæ? & ideò commoriamur cum eo, vt viuamus
 cum eo. Sit quidam quotidianus vsus in nobis, affe-
 ctūque moriendi, vt per illam quam diximus segre-
 gationem à corporeis cupiditatibus anima nostra se
 discat extrahere, & tanquam in sublimi locata quo
 terrenæ adire libidines, & eam sibi glutinare non
 possint, suscipiat mortis imaginem, ne pœnam mor-
 tis incurrat. Repugnat enim lex carnis legi mentis,
 & eam legi erroris addicit, sicut Apostolus reuelauit,
 dicens: Video enim legem carnis meæ repugnā-
 tem legi mentis meæ, & captiuatē me in lege pec-
 cati. Omnes impugnamur, omnes sentimus, sed nō
 omnes liberamur: & ideò infœlix ego homo, nisi re-
 medium quæram. Sed quod remedium? Quis me li-
 berabit de corpore mortis? Gratia Dei per Iesum
 Christum Dominum nostrum. Habemus medicū,
 sequamur remedium. Remedium nostrum, Christi
 gratia: & corpus mortis, corpus est nostrum. Ergo
 peregrinemur à corpore, ne peregrinemur à Chri-
 sto: etsi in corpore sumus, tamen quæ sunt corporis
 non sequamur, nec deseramus iura naturæ, sed do-
 na gratiæ præoptemus. Dissolui enim, & cum Chri-
 sto esse, multo melius: permanere autē in carne magis
 necessarium propter vos: sed non omnibus ne-
 cessarium: Domine Iesu, non mihi, qui nulli utilis
 sum. Nam mihi lucrum est mori, ne plura peccem.
 Lucrum mihi est mori, qui ipso libro quo alios con-
 solor, quasi vehementiori monitore ad desiderium
 amissi fratris impellor, quoniam me eius non finit
 obliuisci: nunc magis amo, & vehementius deside-
 ro: desidero cum loquor, desidero cum relego: & ideò
 hoc potius scribendum arbitror, ne quando ab
 eius recordatione diuellar. Quod non contra scri-
 pturas facio, sed cum scripturis sentio, vt patientius
 doleam, impatientius desiderem. Præstitisti mihi fra-
 ter ne mortem timerem, atque vtinā moriatur ani-
 ma mea in anima tua. Hoc enim sibi Balaam pro ma-
 ximo bono optat donatus spiritu prophetæ di. Mo-
 riatur, inquit, anima mea in animis iustorum, & fiat
 semen meum sicut semen iustorum. Et verò hoc se-
 cundum prophetiam optat. Qui enim viderat ortū
 Christi, vidit eius triumphalem mortem, vidit in eo
 perennem hominum resurrectionem, & ideò mori
 non timet resurrecturus. Non moriatur ergo anima
 mea in peccato, nec peccatum in se recipiat: sed mo-
 riatur in anima iusti, vt eius recipiat æquitatem. De-
 nique qui moritur in Christo, fit eius gratiæ parti-
 ceps in lauacro. Non ergo formidabilis mors, nec a-
 mara egentibus, nec gratiosa diuitibus, nec iniusta
 senioribus, nec ignaua fortibus, nec perpetua fide-
 libus, nec improuisa sapientibus. Quam multi enim
 vitam solo mortis stimulo consecrarunt, quantos
 viuere puduit, mori profuit? Morte vnus plerūque
 accepimus maximos populos liberatos. Morte Im-
 peratoris fugatus exercitus hostiū, quos viuus vin-
 cere nequiuisset. Morte martyrum religio defensa,
 cumulata fides, ecclesia roborata est, vicerunt mor-
 tui, victi persecutores sunt. Itaque quorum vitā ne-
 scimus, horum mortem celebramus. Vnde & Dauid

propheticè gloriatus in suæ mentis excessu, Precio-
 sa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum e-
 ius: mortem maluit præferre quàm vitam. Ipsa mors
 martyrum, præmium vitæ est. Morte etiam inimico-
 rum odia soluantur. Quid plura? Vnius morte mun-
 dus redemptus est. Potuit enim Christus non mori
 si voluisset. Sed neque refugiendam mortem quasi
 ignauam putauit, neque melius nos quàm mori edo
 seruasset. Itaque mors eius vita est omnium, morte
 eius signamur, mortem eius orantes annūciamus,
 mortem eius offerentes prædicamus, mors eius vi-
 ctoria eius, mors eius sacramentum est, mors eius
 annua solennitas mundi est. Quid præterea de eius
 morte dicamus, cum diuino probemus exemplo,
 quia immortalitatem mors sola quæsiuit, atque ipsa
 se mors redemit? Non igitur mœrenda mors, quæ
 causa salutis est publicæ, non fugienda mors, quam
 Dei filius non dedignatus est, non refugit, non re-
 soluendus est ordo naturæ. Quod enim commune
 est omnibus, exceptum singulis esse non potest. Et
 mors quidem in natura non fuit, sed conuersa in na-
 turam est, non enim à principio Deus mortem in-
 stituit, sed pro remedio dedit. Et consideremus ne
 videatur esse contrarium. Nam si bonum est mors,
 cur scriptum est, quia Deus mortem non fecit, sed
 malitia hominum mors introiuit in orbem terrarū.
 Reuera enim mors diuino operi necessaria non fuit,
 cum in paradiso positus bonorum omniū iugis suc-
 cessus afflueret, sed præuaricatione damnata in la-
 bore diurno gemitūque intolerando vita hominū
 cœpit esse miserabilis, debuit dari finis malorum, vt
 mors restitueret quod vita amiserat. Immortalitas
 enim oneri potius quàm vsui est, nisi aspiet gratia.
 Et si bene discutias, nō naturæ mors ista est, sed ma-
 litia: manet enim natura, malitia moritur. Resurgit
 quod fuit, atque vtinam vt peccati liberum, ita vacu-
 um culpæ prioris. Sed hoc ipsum indicio est mor-
 tem non esse naturæ, quia idem erimus qui fuimus.
 Itaque aut peccatorum nostrorum supplicia pende-
 mus, aut bene gestorum gratiam consequemur. Re-
 surget enim natura eadem, iam stipendiis mortis
 honoratior. Denique mortui qui in Christo sunt,
 resurgent primi: deinde & nos qui viuimus, inquit,
 simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chri-
 sto in aëra, & ita semper cum Domino erimus. Illi
 primi, viuentes autem secundi. Illi cum Iesu, viuen-
 tes per Iesum. Illis dulcior vita post requiem viuen-
 tibus, etsi grata compendia, tamē ignorata reme-
 dia. Nihil est igitur quod in morte timeamus, nihil
 quod debeamus dolere, si aut naturæ repenti vita
 quæ accepta est repēdatur, aut petenti impendatur
 officio, in quo religionis cultus, aut virtutis vsus est:
 neque enim quisquam sibi vt sic maneret optauit.
 Ioanni promissum æstimatū est, sed non est creditū.
 Verba tenemus, sentētiā deriuamus. Ipso in libro
 negat sibi quod non moreretur esse promissum, ne
 quem vana spes exemplo incesset. Quod si id vel-
 le, spes insolens est: quantò insolentius est, quod nō
 præter modum acciderit, vltra modum dolere: Gē-
 tiles plerumque se consolantur viri, vel de commo-
 ditate ærumnæ, vel de iure naturæ, vel de immorta-
 litate animæ: quibus vtinam sermo constaret, ac nō
 miseram animam in varia portentorum ludibria

formasque transfunderent. Quid igitur nos facere oportet, quorum stipendium resurrectio est, cuius gratiam quoniam negare plerique non possunt, fide abnuunt? Et ideo non vno argumento aliquo sed pluribus modis ut possumus adstruamus. Equidem omnia aut usu, aut ratione, aut exemplo, aut eo quia decorum sit ea esse, ideo esse creduntur, & ad finem singula suffragantur. Usus, quia mouemur. Ratio, quia quod mouet, virtutis alterius conuenit estimari. Exemplum, quia generauit ager fruges, & ideo generaturum esse praesumimus. Decorum, quia ubi fructum non putamus, decere tamen credimus ut virtutis opera minimè deseramus. Singula igitur singulis adstruuntur. Tribus tamen euidentius colligitur resurrectionis fides, quibus omnia comprehenduntur: ratione vniuersitatis, exemplo, testimonio rei gestae, quia plurimi surrexerunt. Ratio euidens est, quia cum omnis vitae nostrae usus in corporis animaeque consortio sit, resurrectio autem aut boni actus praemium habeat, aut poenam improbi, necesse sit corpus resurgere cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo & corporis contubernio ratio praestanda sit? Resurrectio omnibus erit, sed ideo difficile creditur, quia non nostrum meritum, sed Dei munus est. Prima igitur resurrectionis fides usus est mundi, rerumque status omnium, generationum series, successionum vices, obitus ortusque signorum, diei & noctis occasus, eorumque quotidie tanquam rediuiua successio. Temperamenti quoque genitalis huius aliter ratio subesse non posset, nisi humoris ipsius quo omnia terrena generantur, quantum diurni solis aestus extorreret, tantum rore nocturno dispositio diuina repararet. Nam quid de fructibus loquat? Nonne tibi videtur occidere cum decidit, resurgere cum reuiescunt? Quod fatum est resurgit, resurgit quod mortuum est, & in eadem genera, in eadem species reformatur. Hos terra primum reddidit fructus, in his primum natura nostrae speciem resurrectionis imitata est. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit: pomum decidit, pomum resurgit. Sed flore granum induitur, folliculoque vestitur. Et hoc mortale oportet induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionem. Flos resurrectionis immortalitas est: flos resurrectionis incorruptio est. Quid enim vberius quiete perpetua? quid locupletius securitate diuturna? Hic est multiplex fructus, cuius proventus pullulat fecundior hominum naturam post mortem. Sed miraris quemadmodum putrefacta solidentur, dispersa coeant, absumpta reparentur: non miraris quemadmodum semina vapore & compressu terrae soluta viridescant? Nam vti que etiam ipsa terreno cohalitu putrefacta soluntur, & cum occata soli genitalis succus animauerit, quodam calore vitali, spiritum quandam herbae viridantis exhalant. Deinde paulatim teneram spicam adolefcētis aetatem culmo erigit, & vaginis quibusdam natura tanquam sedula mater includit, ne pubescentem glacies adurat aspera, atque à nimio solis defendat ardore. Frugem quoque ipsam adhuc quasi primis erumpentem cunabulis, mox adultam, ne pluuia decutiat, ne aura dispergat, ne auium mi-

norum morsus interimat, vallo aristarum sepire consuevit. Quid igitur miraris si homines quos accepit terra restituat, cum feminum corpora quae cum vi susceperit, viuificet, erigat, vestiatur, muniatur atque defendat? Desine ergo dubitare quod depositum generis humani terrae fides reddat, quae commendata sibi semina vsurario quodam faenore multiplicata restituat. Nam quid de generibus arborum loquar, quae posito surgunt de semine, fructusque resolutos rediuiua fecunditate resuscitant, & formae veteri atque imagini suae reddunt, multasque aetates quadam arborum corpora reparata transmittunt, ut ipsa durando vincant secula? Putrescere videmus acinum, vitem resurgere: surculus inseritur, arbor renascitur. An de reparandis arboribus diuina est prouidentia, de hominibus nulla cura? Et qui ea quae ad usum hominum dedit, perire non passus est, hominem perire patietur, quem ad imaginem sui fecit? Sed incredibile tibi videtur ut mortui reuiuiscant. Inspiciens tu, ipse quod seminas, nonne prius moritur, ut viuificetur? Sere quemlibet fructum arenam, resuscitatur. Sed habet succum: & nostrum corpus habet sanguinem suum, habet humorem suum, hic nostri succus est corporis. Vnde illud quoque explosum arbitror, quod aretem surculum quidam reuiuiscere negat, idque ad praedudicium carnis deriuare nituntur. Non enim caro arida, cum caro omnis è limo sit, limus in humore, humor è terris. Denique multa gignentia quamuis iugi serenitate, humo arida arenaeque nascuntur, quoniam ipsa sibi terra ad humorem sufficit. Num igitur in hominibus terra degenerat, quae omnia regenerare consuevit? Vnde claret non esse dubitandum quod secundum naturam magis quam contra naturam est interire. Sequitur illud quod gentiles plerumque perturbat, quomodo fieri possit ut quos mare absorbuerit, ferae dilacerauerint, bestiae deuorauerint, terra restituat? Quod ita demum veniatur necesse est, ut non de fide resurrectionis, sed de parte dubitetur. Esto enim ut laceratorum corpora non resurgant, resurgunt caeteri: nec resurrectio destruitur si conditio excipitur. Miror tamen cur vel de his dubitandum putent, quasi non omnia quae ex terris sunt, in terram redeant, & in terram resoluatur. Mare quoque ipsum quaecunque corpora humana demerferit, vicinis expuit vnda plerumque littoribus. Quod ni ita esset, difficile credo Deo foret dispersa connectere, dissipata sociare, cui mundus obtemperat, muta obsequuntur elementa, seruit natura, quasi non maioris miraculi sit limum animare quam iungere? Auis in regione Arabiae, cui nomen est Phoenix, rediuiua suae carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit reuiuiscit. Solos non credimus homines resuscitari? Atqui hoc relatione crebra, & scripturarum autoritate cognouimus, memoratam auem quingentorum annorum spatia vitali vsui habere praescripta, eamque cum sibi finem vitae adesse praesaga quadam naturae suae aestimatione cognouerit, thecam sibi de thure & myrrha & caeteris odoribus adornare, completoque opere pariter actepore intrare illam, atque emori, ex cuius humore oriri vermem, paulatimque eum in auis eiusdem figurae concrefcere, vsuque formari, subnixam quoque

remigio

remigio pennarum renouatae vitae officia munere interpretari ordiri. Nam thecam illam vel tumulum corporis, vel incunabulum resurgenti, in qua deficiens occidit, & occidens resurrexit, ex Aethiopia in Lycaoniam vehit, atque ita resurrectione auis huius locorum incolae completum quingentorum annorum tempus intelligunt. Ergo isti aui quingentesimum resurrectionis annus est, nobis millesimus. Illi in hoc seculo, nobis in consummatione mundi. Plerique etiam opinantur quod auis haec rogum sibi ipsa succendat, & rursus de fauillis suis & cineribus reuiuiscat. Sed fortasse natura discretior, fidei quoque discretionem videatur asserre. In originem principiumque hominis procreandi mens nostra redeat. Viri estis, foeminae estis: quae humana sunt, non ignoratis: & si qui ignoratis, ex nihilo putatis esse quod nascimur, quam ex paruo quati exurgimus? Etsi non exprimimus, intelligimus tamen quid velimus, vel potius quid nolimus dicere. Vnde hoc caput, & vultus iste mirabilis, cuius artificem non videmus, opus videmus, in varia officia vsuque formatur? Vnde forma erectior, status excelsior faciendi vis, sentiendi viuacitas, gradiendi facultas? Ignota certe nobis sunt naturae organa, sed nota ministeria. Et tu semen fuisti, & tuum corpus semen est resurrecturi. Audi Paulum, & discite quia semē es: Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in infirmitate, surgit in virtute: seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Et tu ergo seminaris ut caetera, quid miraris si resurgis ut caetera? Sed illa credis quia vides, ista non credis quia non vides. Beatiores qui non viderunt, & crediderunt. Tamen antequam tempus veniat, nec illa creduntur, non enim omne tempus accommodum ad resuscitanda semina. Alio triticum seminatur, alio nascitur: alio vitis inseritur, alio gemmata farmenta pubescunt, luxuriat pampinus, vna formatur, alio plantatur olea, alio velut aluo grauis & onusta prole baccarum fructus sui vbertate curuiscit. Ante verò quam suū cuique tempus adueniat, foetura restrictior est: nec generationis aetate habet in potestate generandi ipsa quae generat. Nunc informem situ, nunc foetuum nudam, nunc virentem floribus, nunc carentem ipsam omnium cernas parentem: quae vti que vellet omnibus se vestire teporibus, nec vnquam aurea segetum, aut viridatia pratorum indumenta deponere, ipsa sui egens, & prouentuum suorum quae in alios transfuderit, indotata compendiis. Ergo & nostram resurrectionem etsi non credis fide, non credis exemplo, vsu es crediturus. Et aliis quidem fructibus, ut viti, oleae, pomisq; diuersis, anni aetas extrema habilis maturandis: nobis quoque mundi consummatio tanquam extremus anni finis accommodam resurgendi praescribit aetatem. Et bene in consummatione mundi resurrectio mortuorum est, ne post resurrectionem in hoc malum nobis esset seculum recidendum. Ideo enim Christus est passus, ut nos ex hoc malo seculo liberaret, ne iterum nos huius seculi tentamenta subruerent, & obesset renasci, si renasceremur ad culpam. Et rationem igitur resurrectionis, & tepus tenemus. Rationem, quia in omnibus sibi foetibus aequè natura respondet: nec in sola hominum successione dege-

nerat tempus, quia omnia in anni fine generantur. Mundi tempora, annus vnus est. Et quid mirum si annus vnus est, quando dies vna est? Vna enim die Dominus operarios conduxit ad vineam, dicens: Quid hic statis tota die otiosi? Causae originum semina sunt. Semen esse corpus humanum, gentium doctor asseruit. Est ergo substantia resurgendi, quando est series seminandi. Quod si substantia aut causa non esset, arduum quisquam putaret Deo vnde vellet, vel quomodo vellet homines regenerare, qui mundum ex nulla materia, nulla substantia esse iussit, & factus est? Coelum aspice, terram intueri. Vnde stellarum ignes? Vnde orbis solis radius, & globus lunae? Vnde montium vertices, dura saxorum, nemorosa sylvarum? Vnde vel diffusus aery, vel infusa vel superfusa aqua? Sed si haec omnia Deus fecit ex nihilo, Ipse enim dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt: cur miremur renasci posse quod fuerit, cum videamus natum esse quod non fuit? Illud mirum, quod cum resurrectionem non credant, tamen ne genus pereat hominum, clementi quadam benignitate prospiciunt, & ideo transire ac demigrare in corpora dicunt animas, ne mundus intereat. Sed quid sit difficilius, ipsi asserant, transire animas, an redire: sua repetere, an noua quaerere. Sed illi dubitent qui non didicerunt, nos verò qui legimus legem, Prophetas, Apostolos, Euangelium dubitare fas non est. Quis enim dubitet cum legit, Et in tempore illo saluabitur omnis plebs tua quae scripta est in libro, & multi dormientium in terrae fossis vna a pertione exurgent, hi in vitam aeternam, & hi in opprobrium & in confusionem perpetuam: & intelligentes splendebunt ut splendor firmamenti, & ex iustis multi sicut stellae in secula? Bene itaque dormientium dixit quietem, ut intelligas mortem non esse perpetuam, quae somni vice initur ad tempus, & ad tempus excluditur. Melioremque profectum vitae eius ostendit quae futura post mortem est, quam eius quae ante mortem in cerore ac dolore transigitur. Siquidem illa stellis comparatur, haec aërum addicitur. Nam quid illa contexam quae alio loco scripta sunt, Suscitabis me, & confitebor tibi? Quid etiam illud quod Iob sanctus vite istius expertus iniurias, & aduersa omnia patientia virtutis exuperas, compensationem sibi malorum praesentium de resurrectione promisit, dicens: Suscitabis corpus meum hoc, quod multa mala passum est? Eiaias quoque resurrectionem populis annuncians, dominici se nuncium dixit esse responsum. Sic enim habes, Os enim Domini locutum est, Et dicent die illa. Quid igitur os Domini locutum sit populos esse dicturos, in posterioribus declaratur, ubi scriptum est: Propter timorem tuum in vtero accepimus & parturimus spiritum salutis tuae quem effudisti super terram: cadent qui inhabitant terram, resurgent qui in monumentis sunt. Ros enim qui abs te est, sanitas est illis, terra verò impiorum peribit. Ambulate populus meus, & intra in recessus tuos. Absconde te aliquantulum donec transeat ira Dei. Quam bene recessus esse signauit tumulos mortuorum, quibus paucillum abscondimur, ut in iudicium Dei quod pro nostris sceleribus ius debita indignationis assumet, tolerabilius transire possimus. Viuit igitur qui abscon-

Math. 22.

psalm. 148.

Dan. 12.

Esaia 26.

ditur, & quiescit quasi è medio se subtrahens & recedens, ne cum arctioribus laqueis mundi huius inuoluat ærumna, quibus repositam resurrectionis esse lætitiā, sanitatēque corporum solutorum diuino rore reparabilem, cœlestia oracula prophetica uocibus pollicentur. Et bene ros significatur, quò genitalia omnia terrarum semina suscitantur. Quid igitur mirum si fatiscantis quoque corporis nostri cineres ac fauilla pinguedine cœlestis roris exuberant, & accepto humore vitali in compagem suam membrorum nostrorum habitus reformantur? Dicit etiam sanctus Ezechiel Propheta, & plena expositione describit quemadmodum arctibus vigor ossibus refundatur, sensus redeat, motus accedat, neruisque redeuntibus corporis compago rigescat humani: quemadmodum nimis arida renatis ossa visceribus extantæ cutis velamen obducatur. In ipsis, dū legimus, prophetica sermonibus, humanorum videtur seges corporum rediuiua consurgere, atque ipsa spatia diffusa camporum nouis videas pullulare seminibus. Quòd si veteres sapientes fati Hydræ dentibus in regione Thebana inhoruisse armatorū segetem crediderūt, cum utique alterius naturæ semina certum sit in naturam verti alteram nequiuisse, nec partum suis discordem fuisse seminibus, ut ex serpente homines nascerentur, ut caro ex dentibus gigneretur: quantò magis utique credendū est, quæcunque sunt feminata, in suam naturam resurgere, nec à satione sua segetes discrepare, nec duris mollia, nec mollibus dura viuiscere: nec in sanguinē venena cōuertī, sed carnem de carne, os de ossibus, sanguinem de sanguine, humorem de humore reparari? Potestis ergo gentiles reformationē negare naturæ, qui mutationem potestis asserere? Potestis nō credere oraculis, non euāgeliis, non Prophetis, qui fabulis inanibus creditis? Sed iam ipsum audiamus Prophetam. Sic enim ait: Et facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Dominus, & posuit me in medio campo, & hic erat plenus ossibus humanis, & circumduxit me per gyrum eorū, & ecce multa valdē in facie campi, arida nimis. Et ait ad me, Fili hominis, si uiuēt ossa ista? Et dixi: Domine tu scis. Et ait ad me, Sta, & dices illis, Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus ossibus istis: Ecce ego induco in vos spiritum vitæ, & dabo in vos neruos, & adducam super vos viscera, & extēdam super vos cutem, & dabo spiritum meū in vos, & uiuetis, & scietis quòd ego sum Dominus. Et prophetaui sicut mandauit mihi. Et factum est cum prophetarem hæc omnia, & ecce factus est terræ motus magnus. Vide nunc quæadmodum & auditum in ossibus & motum prius ostēdat esse, quàm vitæ spiritus refundatur. Nam & supra ossa arida iubentur audire, quasi sensum habeant audiēdi, & hic accessisse eorum vnumquodque ad suam compaginem prophetico sermone signatur: Sic enim habes, Et accedebāt ossa vnumquodque ad suam compaginem. Et vidi, & ecce super illa nerui & viscera nascebantur, & ascendebat super ea cutis desuper, & spiritus in his non erat. Magna Domini gratia quòd futuræ resurrectionis Propheta testis adhibetur, ut nos quoque ea illius oculis videremus. Neque enim

Ezech. 37.

omnes testes adhiberi poterant, sed in vno omnes testes sumus, quia nec in virum sanctum cadit mendacium, nec in tantum error Prophetam. Nec minus verisimile debet videri quia iubente Deo ossa in suam compaginem reformantur, cum utique innumera habeamus exempla quibus natura rerū cœlestibus est obsecuta præceptis, ut terra pabulum gignere iuberetur & gigneret, ut ad virgæ tactum siccis populis petra vomeret aquam, atque æstu torridis miseratione diuina vnderent fluentia duraxorum. Virga in serpentem versa quid aliud indicauit, nisi volente Deo ex insensibilibus sensibilia posse generari? An verò incredibilius putas quòd ossa cum iubentur accedūt, quàm quòd retrorsum fluenta vertuntur, maria fugiunt? Sic enim Propheta testatur: Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Nec super hoc ambigi potest quòd duorum populorum alterius salute, alterius obitu comprobatum est aquarum cursus stetit frenatos, eosdēque aliis circumfusos, aliis ad mortem reclusos, ut alios mergerent, alios reseruarēt. Quid in ipso euangelio? nonne ibi probauit Dominus quòd verbo vnda mitescat, fugentur cœli nubila, cedant flabra ventorum, placidisque littoribus muta Deo famulentur elementa? Sed persequamur cætera, ut quemadmodum spiritu vitæ animentur defuncti, surgant iacentes, sepulchra referentur, possimus aduertere. Et ait ad me: Prophetiza fili hominis, & dic spiritui, Hæc dicit Dominus: A quatuor ventis cœli veni spiritus, & insuffla in mortuos istos & uiuant. Et prophetaui sicut mādauit mihi, & intrauit in eos spiritus vitæ, & vixerunt, & steterūt in pedibus suis, congregatio nimis multa. Et locutus est Dominus ad me, dicens: Fili hominis, ossa hæc omnis domus Israël est. Ipsi enim dicunt, Arida facta sunt ossa nostra, periit spes nostra, interiuimus. Propterea prophetiza & dic, Hæc dicit Dominus: Ecce ego aperiam vobis monumenta vestra, & educam vos de monumentis vestris in terram Israël, & scietis quòd ego sum Dominus, cum aperiam sepulchra vestra, & educam de sepulchris populum meum, & dabo spiritum meum in vobis, & uiuetis, & ponā vos super terram vestram, & scietis quòd ego Dominus locutus sum, & faciam, dicit Dominus. Aduertimus quemadmodum vitalis spiritus in artus resumatur, cognouimus quemadmodum dehiscētibus tumulis mortui suscitentur. An verò mirandum est iussu Domini mortuorum sepulchra referari, cum tota suis terminis vno tonitruo terra quatitur, mare suis exundet finibus, itēque suarum cursus refrænatur vnderarum? Denique ille qui crediderit quia in momento oculi, in nouissima tuba mortui resurgent, cum primis rapietur in nubibus obuiam Christo in aëra: qui non crediderit, relinquetur: & perfidiæ suæ subdet se ipse sententiæ. Ostendit tibi Dominus etiam in euangelio, ut iam ad exēpla veniamus, quæadmodum resurgas. Non enim vnū Lazarum, sed fidē omnium suscitauit. Quòd tu si credas cum legis, mēs quoque tua quæ mortua fuerat, in illo Lazaro reuiuiscit. Quid enim sibi vult quòd Dominus ad monumentū accessit, magna voce clamauit, Lazare exi foras: nisi ut futuræ resurrectionis specimē præstaret, exemplum ederet? Cur voce clamauit, quasi spiritu non

Cor. 15.

Exod.

Psalm.

I

K

L

1. Cor. 15.

Math. 9.

Reg. 15.

1. Tim. 4.

Reg. 17.

1. Tim. 9.

non soleat operari, quasi tacitus non soleat imperare? Sed ut illud ostenderet quòd scriptum est: Quoniam in momento oculi, in nouissima tuba, & mortui resurgent incorrupti. Tubarum enim crepitus, vocis metitur elatio. Et clamauit, Lazare exi foras. Cur etiam nomen additur, nisi fortè ne alius resuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio quàm imperata? Audiuit ergo defunctus, & exiuit foras de monumento, ligatus pedes & manus institis, & facies eius orario colligata erat. Comprehende si potes quemadmodum clausis oculis iter carpat, vincis pedibus gradum dirigat, inseparabili gressu, separabilique progressu. Manebant vincula, nec tenebant: tegebantur oculi, sed videbant. Videbat denique qui resurgebat, qui ambulabat, qui deserebat sepulchrum. Virtute enim diuinæ præceptionis operante, natura suam non requirebat officium, & tanquam in excessu posita, non iam suo ordini, sed diuino nutui seruiebat. Rumpēbatur prius mortis quàm sepulturæ vincula, agebatur prius quàm parabatur incessus. Si miraris hæc, disce qui imperauerit, tum mirari desines. Iesus Christus Dei virtus, vita, lux, resurrectio mortuorum, virtus erexit iacentem, vita gressum extulit, lux fugauit tenebras, reparauit obtutum, resurrectio viuendi gratiā reformauit. Fortasse moueat quòd Iudæi lapidem tollunt, Iudæi institas soluunt, ne fortè & tu sollicitus sis qui lapidem de monumento tuo tollat: quasi verò qui spiritum refundere poterat, lapidem mouere non poterat, aut vincula rumpere, qui vincitum fecerat ambulare, aut deoperire faciem qui opertis oculis lumen infuderat, aut findere petram qui poterat reformare naturam. Sed ut vel oculis suis crederent, qui credere mente nolebant, remouent lapidem, vident cadauer, fœtorem sentiunt, institas rumpunt. Non possunt negare defunctum quem aspiciunt resurgentem, vident signa mortis, & vitæ munera. Quid si dum conantur, labore ipso emendantur? Quid si dum audiunt, vel auribus suis credunt? Quid si dum intuentur, vel oculis suis corriguntur? Quid si dum rumpunt vincula, mentes suas soluunt? Quid si dum Lazarus exiuit, populus liberatur: dum Lazarum abire permittunt, ipsi ad Dominum reuertuntur? Denique multi qui venerant ad Mariam, videntes quæ facta sunt crediderunt. Nec hoc solum exemplum edidit Dominus noster Iesus Christus, sed alios quoque resuscitauit, ut nos vel exemplis vberioribus crederemus. Resuscitauit adolescentem fletu viduæ matris inflexus, quando accessit & tetigit loculum, dicens: Adolescens, tibi dico surge: & resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Statim ut audiuit, statim resedit, statim locutus est. Alia enim virtutis gratia, alius ordo naturæ. Nā quid de Archisynagogæ filia loquar, in cuius obitu flebant turbæ, tibicines personabant? Etenim ad finem mortis pompa funeris exhibetur. Quàm citò ad vocem Domini conuertitur spiritus, rediuiuum corpus erigitur, cibus sumitur, ut vitæ testimonium crederetur? Et quid miremur ad vocem Dei refundi animam, redire ossibus viscera, cum meminimus prophetici tactu corporis mortuum suscitatum? Helias orauit, & defunctum suscitauit infantem: Petrus in nomine Christi Thabitam surgere at-

q; ambulare præcepit: & redditā sibi pauperes gratulati crediderunt pro alimentis, & nos adhuc pro salute non credimus? Illi resurrectionem alienam suis lachrymis redemerunt, nos nostram nec Christi redimimus passione, qui cum emitteret spiritum, ut ostenderet pro nostra resurrectione se mortuum, feriem ipsam resurrectionis exercuit. Simul enim ut clamans iterum voce magna emisit spiritum, terra mota est, & petra scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum dormientium resurrexerunt, & exeuntes de monumento post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & multis apparuerunt. Si hæc lecta sunt cum emitteret spiritum, cur incredibilia putamus cum redire cœperit ad iudicium, præsertim cum hæc resurrectio documentum illius resurrectionis, & futuræ veritatis sit exemplum? Minus autem exemplum est quàm veritas. Quis igitur in Domini passione monumenta aperuit, manum resurgentibus dedit, viam qua ciuitatem sanctam peterent demonstrauit? Si nemo fuit, fuit itaque vis diuina quæ operaretur in corporibus mortuorum. Hominis tu quæris auxilium, vbi opus Dei cernis? Non egēt humanis diuina mysteria. Cœlum Deus fieri iussit, & factū est. Terram creati statuit, & creata est. Quis humeris saxa conuexit? quis congeffit impensas? quis laboranti Deo suam operam ministravit? In momento hæc facta sunt. Vis scire quàm breui? Dixit, & facta sunt. Si dicto elementa consurgunt, cur dicto mortui nō resurgant? Qui licet mortui sint, tamen aliquando vixerunt, habuerunt spiritum sentiendi, habuerunt vires agendi: plurimumque refert, capax animi non fuisse, & exanimum remansisse. Diabolus dixit: Dic lapidi huic ut fiat panis. Confitetur iubente Deo conuerti posse naturam: tu nō credis iubente Deo reformari posse naturam? De solis cursu cœlique ratione Philosophi disputant, & sunt qui putant his esse credendum, cum quid loquantur ignorent. Neque enim cœlum ascendunt, axem dimensum, mundum oculis percrutati sunt, quia nullus eorum cum Deo in principio fuit, nullus eorum de Deo dixit, Cum pararet cœlum, cum ipso eram, & eram cum eo componens, ego eram cui aggaudebat. Si ergo illis creditur, non creditur Deo qui ait: Quemadmodum cœlum nouum, & terra noua quæ ego facio manere coram me, sic stabit nomen vestrum & semen vestrum, & erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & veniet omnis caro in conspectu meo, ut adorent in Hierusalem dixit Dominus Deus, & exhibunt, & videbunt membra hominum qui præuaricati sunt in me. Nam vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in aspectum vniuersæ carnis. Si terra renouatur & cœlum, cur dubitemus hominem posse renouari, propter quem terra facta & cœlum est? Si præuaricator seruatur ad pœnam, cur iustus non perpetuatur ad gloriam? Si vermis non moritur peccatorum, quemadmodum interibit caro iustorum? Hæc est enim resurrectio, sicut verbi ipsius sono exprimitur, ut quod cecidit, hoc resurgat: quod mortuum fuerit, reuiuiscat. Et hæc est series & causa iustitiæ, ut quoniam corporis animique, communis est:

Math. 27.

Ibidem 4.

Proverb. 8.

Esaia 66.

actus, quæ animus cogitauit, corpus efficit vtrumque in iudicium veniat, vtrumque aut poenæ datur, aut gloriæ refeructur. Nam propemodum absurdum videtur, vt cum animi legem lex carnis impugnet, & mens plerumque quod odit hoc faciat, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur: animus subdatur iniuriæ, alienæ reus culpæ: caro quiete potiatur author ærumnæ: & solus atteratur qui non solus errauit: aut solus gloriam referat, qui non solus gloriæ militauit. Plena, ni fallor, & iusta ratio. Sed ego rationem à Christo non exigo. Si ratione conuincor, fidem abnuo. Creditit Abraham Deo, & nos credamus: vt qui sumus generis, etiam fidei simus hæredes. Creditit & Dauid, propter quod locutus est: & nos credamus, vt possimus loqui, scientes quoniam qui suscitauit Dominum Iesum Christum, & nos cum Iesu suscitabit. Hoc enim promisit qui nunquam mentitur Deus. Hoc promisit veritas in Euangelio suo dicens, Hæc est autē voluntas eius qui misit me, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Nec satis putauit semel dixisse, sed etiam repetiit, expressione firmavit. Sic enim sequitur, Hæc est enim voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternā, & resuscitabo eum in nouissimo die. Quis hoc dicit? Vtique is qui mortuus plurima defunctorum corpora suscitauit. Si Deo non credimus, nec exemplo credimus. Non credimus quod promisit, quādo etiam quod nō promisit effecit: Ipse autem quā causam moriendi habuisset, nisi habuisset causam resurgendi? Etenim quoniam Dei mori non poterat sapientia, resurgere autem non poterat quod mortuū non erat: assumitur caro quæ mori posset, vt dum moritur quod solet: quod mortuum fuerat hoc resurgeret. Neque enim poterat esse nisi per hominē resurrectio: quoniam sicut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum. Ergo resurrexit homo, quoniā homo mortuus, & resuscitatus homo, sed resuscitans Deus: tunc secundum carnē homo, nunc per omnia Deus. Nunc enim secundum carnē iam non nouimus Christū, sed carnē per gratiam tenemus, vt ipsum primitias quiescentiū, ipsum primogenitum ex mortuis nouerimus. Primitiæ vti que eiusdem sunt generis atque naturæ, cuius & reliqui fructus, quorū pro lætiore prouentu primitiua Deo munera deferuntur, sacrum munus pro omnibus, & quasi reparatæ quædā liba naturæ. Primitiæ ergo quiescentiū Christus. Sed vtrū suorum quiescentium, qui quasi mortis exortes dulci quodā sōpore tenentur, an omnium mortuorum? Sed sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificantur. Itaque sicut primitiæ mortis in Adam, ita etiam primitiæ resurrectionis in Christo omnes resurgunt. Sed nemo desperet, neque iustus doleat commune consortium resurgendi, cum præcipuum fructum virtutis expectet. Omnes quidem resurgēt, sed vnusquisque, vt ait Apostolus, in suo ordine. Communis est diuinæ fructus clementiæ, sed distinctus ordo meritorum. Dies omnibus lucet, sol omnes populos fouet, pluuia possessiones omnium vberiore imbri fecundat. Omnes nascimur, omnes resurgemus; sed in vtroque vel viuendi, vel reuiuiscē-

Genes. 15.
Roman. 4.

Psalm. 115.

Ioan. 6.

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

3. Jo.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

di gratia dispar diuersaque conditio. In momento enim, in istu oculi, in nouissima tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Quinetiā in ipsa morte quiescunt alij, viuunt alij. Bona quies, sed vita melior. Denique Paulus ad vitam excitat quiescentem, dicens: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ergo hic excitatur vt uiuat, vt similis Pauli sit, vt possit dicere, Quia nos qui viuimus, non præueniemus eos qui dormierunt. Non enim communem hunc viuendi loquitur vsū, spirandique commercium, sed meritum resurgendi. Nam cum dixisset: Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi: subiecit deinde, Et nos qui viuimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiā Christo in aëra. Vtique mortuus est Paulus, & passione venerabili vitā corporis cū immortalī gloria commutauit. Num sefellit ergo qui se uiuentem scripsit in nubibus obuiam Christo esse rapiendum? Hoc enim de Enoch legimus aut Helia, sed & tu rapieris in spiritu. Ecce currus Helia: ecce ignes etsi non videntur, parantur vt iustus ascendat, innocens transferatur, & tua vita mori nescit. Denique Apostoli mori nescierunt: Vnde dictum est, Amen, amen dico vobis, multi ex his adstantibus non gustabūt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo. Viuit enim qui non habet quod moriatur in eo, qui non habet ex Ægypto calciamentum aliquod vt vinculum, sed exiit illud priu squām corporis huius deponat officium. Non solus itaque Enoch viuit, quia nō solus est: rapietur & Paulus obuiam Christo. Viuunt etiam Patriarchæ, neque enim aliter Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, nisi mortui viuerent, diceretur. Deus enim mortuorum non est, sed uiuentium. Viuemus & nos, si gesta morēsque maiorum voluerimus imitari. Miramur Patriarcharum præmia, imitemur obsequia, prædicemus gratiam. Non escis inducti, seculi laqueos incidamus, arripiamus opportunitatē temporis, præscriptum legis, clementiam vocationis, desiderium passionis. Exierunt de terra sua Patriarchæ, & nos exeamus, proposito de corporis potestate nos exeamus, illi exilio: sed exilium non putarunt quod deuotio obiret, non necessitas imperaret. Illi terram solo mutarunt, nos cælo terram mutemus: illi habitatione, nos spiritu: illis illuminatum stellis cælum ostenderit, sapiētia nostri cordis oculos illuminet. Sic typus veritati, & veritas concurrit typo. Abraham paratus hospitibus, fidelis Deo, impiger ministerio, promptus officio, trinitatem in typovidit, hospitalitatem religione cumulauit, tres suscipiens, vnum adorans, & personarum distinctione seruata, vnum tamen Dominum nominabat, tribus honorificentiam muneris deferens, & vnam significans potestatem. Loquebatur enim in eo non doctrina, sed gratia: & melius credebat ille quod nō didicerat, quām nos qui discimus. Nemo enim typū falsauerat veritatis, & ideò tres vidit, sed vnitatē veneratur. Tres mensuras similaginis promit, vnum immolat vitulum, fatis credens vnum esse sacrificiū, trium munus: vna hostia, trium gratia. Nam in quatuor regibus quis nō intelligat quod materialis elementa naturæ præfigurato Dominicæ passionis indicio, & omnia sibi mundana subiecerit, fidelis in bello,

Genes. 22.

1. Thes. 4.
Genes. 4.
Reg.

Matth.

Lucas.

Genes. 8.

Genes.

Matth. 8.

bello, abstinens in triumpho, qui donis non hominum ditescere, sed Dei mallet. Generale se posse filium senex credidit, immolare posse se filium pater iudicauit: nec patrius trepidauit affectus, cum senis dexteram pietas adiuuaret. Sciebat enim acceptiorem Deo filium immolatum esse quām sanum. Ergo adducit ad sacrificium filium dilectissimum, & quē ferò suscepserat, citò obtulit: nec paterni nominis appellatione reuocatur, cum ille patrem vocaret, hic filium. Chara quidem nominum pignora, sed amabilia præcepta. Itaque licet compaterētur corda, vota durabant. Distrinxit super filium gladium paterna manu, & patrio percussit affectu. Ne periret poena trepidauit, ne ictus erraret, dextera deficeret, sensit pietatis affectum, sed non omisit deuotionis negotium, & properabat obsequium etiam cum audiret oraculum. Vnde nos quoque Deum omnibus quos diligimus præferamus, patri, matri, fratribus, vt possit nos seruare dilectos, sicut in Abraham vberiore remuneratore quām ministrum videmus. Obtulit quidem filium pater, sed Deus non sanguine sed pietate placatur. Quem pro homine demonstrauit in ligno, vt & filium patri redderet, nec periret hostia sacerdoti. Itaque nec Abraham parricidio cruentatus, nec Deus sacrificio defraudatus est. Vidit Propheta, nec affectauit iactantiam, nec tenuit pertinaciam, quem pro homine mutauit: quo magis ostenditur quām religiosè obrulerit, quem tam libenter receperit. Et tu si Deo munus tuum offeras, non amittes. Sed auari sumus, Deus vnicum filium morti pro nobis obtulit, nos nostros negamus. Vidit hoc Abraham, & agnouit mysterium, salutē nobis in ligno futuram: nec latuit in vno eodēque sacrificio aliud esse quod videretur offerri, aliud quod posset occidi. Imitemur ergo Abraham deuotionem, imitemur Isaac bonitatem, imitemur castimoniam. Bonus planè & pudicus vir, deuotus Deo, castus vxori, qui iniuriam non reddidit, excludentibus cessit, pœnitentes eosdem recepit, nec proteruus contumaciæ, nec durus gratiæ, litium fugitans cum recederet, facilis veniæ, cum reciperet, profusior bonitate cum ignosceret, petebat societatis confortium, adiunxit conuiuium voluptatis. Imitemur etiam in Iacob typum Christi, sit eius in nobis aliqua similitudo factorum, erimus consortes si fuerimus imitatores. Matri obediuit, fratri cessit, socero seruiuit, mercedem de lucris non de gregis diuisione quæsiuit. Non auara diuifio, vbi lucratiua portio. Nec illa ociosa significatio, scala de cælo, quod per crucem Christi Angelorum atque hominum futura consortia viderentur: cui obstupefactum esset femur, vt in femore suo agnosceret generationis hæredem, & obstupefactio femoris, passionem prophetaret heredis. Videmus igitur cælum patere virtuti, nec hoc esse paucorum. Multi enim veniēt ab Oriente, & ab Occidente, & Aquilone, & Austro, & recumbent in regno Dei, delectationem perpetuæ quietis sepultis animorū motibus exprimentes. Sequamur Abraham moribus, vt nos eripiat in gremium suum, & tanquam Lazarum suæ humilitatis hæredem propriis circumfusum virtutibus pio foueat amplexu. Non enim nos in gremio corporali, sed in quodam bonorū factorum amictu sancti Pa-

triarchæ probata Deo successio fouet. Nolite, inquit, seduci, Deus non irridetur. Aduertimus quā graue sit sacrilegium resurrectionem non credere. Si enim non resurgemus, ergo Christus gratis mortuus est, ergo Christus non resurrexit. Si enim nobis non resurrexit, vti que non resurrexit, quis sibi cur resurgeret, rationem non habebat. Resurrexit in eo mundus, resurrexit in eo cælū, resurrexit in eo terra. Erit enim cælum nouum, & terra noua. Sibi autē non erat necessaria resurrectio, quem mortis vincula non tenebant. Nam etsi secundum hominem mortuus, in ipsis tamen erat liber infernis. Vis scire quām liber? Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Et bene liber, qui se poterat suscitare, iuxta quod scriptum est: Soluite hoc tēplū, & in triduo reuiscitabo illud. Et bene liber, qui alios descendeat redempturus. Factus est autem sicut homo, nō specie vti que, sed veritate formatus, quia & homo est, & quis cognosceret eum? Etenim similitudine hominum factus, & specie inuētus vt homo, humiliavit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, vt per illā scilicet obedientiam eius gloriā videremus, gloriā quasi vnigeniti secundum sanctum Ioannem. Ita enim scripturæ figura seruatur, vt & vnigeniti gloria, & perfecti hominis natura seruetur in Christo. Itaque adiutore non eguit. Neque enim eguit cum faceret mundū, vt egeret cum redimeret: non legatus, non nuncius, sed ipse Dominus saluū fecit eū. Ipse dixit, & facta sunt: ipse Dominus saluū fecit eum: vbique ipse, quia per ipsum omnia, & omnia in ipso constant. Quis adiuuaret eum qui omnia in momento facit, & in nouissima tuba mortuos suscitatur? Non quia prima aut secunda nō possit aut tertia, sed ordo seruatur, nō quod difficultas serò vincenda, sed legitimus numerus explicandus sit. Tēpus autē arbitror de tubarum specie dicere, quoniā sermo propinquat ad finē, vt nostri quoque cōsummandi eloquij tuba signū sit. Septē tubas legimus in Apocalypsi Ioannis, quas septē sumpserunt angeli, vbi habes quoniā septimus angelus tuba cecinit, & facta est vox magna de cælo, dicens: Factum est regnū huius mundi Dei & Christi eius, & regnabit in secula seculorū. Tuba quidem & pro voce accipitur, quia habes: Quoniam ecce ostium apertum in cælo, & vox prima quā audiui, sicut tubæ loquentis mecum, & dicentis: Ascende huc, & ostendā tibi quæ oportet fieri. Legimus etiā: Canite initio mēsis tuba. Sed etiā alibi: Laudate eum in sono tubæ. Ergo quid sibi vult tubarum significatio, omni virtute debemus aduertere, ne quali fabulam aniliter accipientes periclitemur, si indigna dogmate spiritali, nec conuenientia scripturarum eminentiā sentiamus. Nam cum legimus bellum nobis esse non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spiritalia nequitia quæ sunt in cœlestibus: non carnalia vti que arma, sed fortia Deo astimare debemus. Non enim satis est tubam videre, nec sonum eius audire, nisi proprietatem sonitus intelligas. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Vnde oportet vocis tubæ nos scire virtutem, ne videamur barbari cum tubas huiusmodi aut audimus, aut loquimur.

Galat. 6.

1. Cor. 15.

Apost. 21.

Psalm. 87.

Ioan. 2.

Philip. 2.

Ioan. 1.

Psalm. 32.

1. Cor. 15.

Apost. 4.

Psalm. 150.

1. Thes. 5.

oremus ut eas nobis Spiritus sanctus interpretetur. Requiramus igitur in scripturis veteribus quid de tubarum genere legerimus, sciētes eas solennitates quae Iudaeis lege praescriptae sunt, superiorū esse umbram celebratam, caelestiumque festorum. Hic enim umbra, illic veritas. Per umbram ad veritatem peruenire nitamur. Cuius figura etiam alibi expressa est. Habes enim quia locutus est Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel, dicens: Mense septimo, vna mensis erit vobis requies in memoriale tubarum vocata, sancta erit vobis. Omne opus seruale non facietis, accendetis holocaustum Domino. In Numeris autem locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas ductiles, argenteas facies eas, & erunt tibi ad euocandam synagogam, & promouenda castra, & tuba canes in illis, & colligetur omnis turba ad ostium tabernaculi testimonij. Si autem in vna tuba cecineris, ad te venient omnes principes & duces Israel: & tuba canetis significationem primam, & promouebunt castra, & constituentur ad Orientem. Et tuba canetis significationem secundam, & promouebunt castra, & constituentur ad Liba. Et tuba canetis significationem tertiam, & promouebunt castra, quae constituentur ad Boream. Et tuba canetis significationem quartam, & promouebunt castra quae constituentur ad Aquilonem. Significationem tuba canent in promotu eorum, & congregabitis synagogam. Tuba canite, & non significatione, & filij Aaron sacerdotes tubis canent, & erit vobis legitimum sempiternum in progenies vestras. Si autem exieritis in bellum in terram vestram, aduersarios qui resistunt vobis, signabitis tubis, & reminiscemini coram Deo, & liberationem habebitis a mortuis vestris. Et in diebus laetitiae vestrae, & in diebus festis vestris, & in neomeniis vestris concinite tubis, & in holocaustis & sacrificiis salutaribus vestris, & erit vobis in commemoratione vestra coram Domino, ait Dominus. Quid igitur dies festos in potu & in epulis aestimabimus? Sed nemo nos in māducando diiudicet: nouimus enim quia lex spiritalis est. Nemo ergo nos iudicet in efecis aliquibus, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniis, aut sabbato, quae sunt umbrarum futurorum, corpus autem Christi. Corpus itaque Christi requiramus, quod nobis quasi nouissima tuba vox de caelo paterna monstrauit, tunc cum dicebant Iudaei quia tonitruum factum est illi. Corpus Christi quod iterum tuba nobis nouissima reuelabit, quoniam ipse Dominus in iussu archangeli, & in tuba Domini descendet de caelo, & mortui qui in Christo sunt resurgent. Vbi enim corpus, illic aquila, vbi Christi corpus, ibi veritas. Septima igitur tuba hebdomadis requiem videtur significare, quae non solum in diebus & annis & periodis aestimatur (vnde & iubilus sacratu est numerus) sed etiam annum septuagesimum comprehendit, quando in Hierusalem regressus est populus, qui septuaginta annis in captiuitate durauit: in ceteris quoque etiam & in millesimis sacri obseruatio minimē praeteritur. Neque enim otiose dixit: Reliqui mihi septem milia virorum qui non flexerunt genua Baal. Ergo umbra futurae quietis in diebus, mensibus, annis, mundi ipsius tempore figuratur: & ideō per Moysen manda-

tur filiis Israel, ut septimo mense vna mensis singulis fiat requies in memoriale tubarū, nec seruale aliquod opus, sed Deo sacrificiū offeratur, eō quod in ipso sine hebdomadis quasi mundi sabbato spiritalia a nobis non carnalia opera flagitentur. Quod enim carnale, seruale: quia animo caro seruit, liberum innocentia facit, culpa vernaculum. Oportuit igitur per speculum & in aenigmate fieri spiritalia. Nunc enim per speculum videmus, tunc facie ad faciem. Nunc secundum carnem militamus, tunc spiritu videbimus diuina mysteria. Et ideō verae legis character in nostris moribus exprimitur, qui in Dei ambulamus imagine, quoniam iam legis umbra transiit, umbra Iudaeis carnalibus, imago nobis, veritas resurrectoris. Tria enim haec secundum legem esse cognouimus, umbram, imaginem, veritatem. Umbrā in lege, imaginem in Euangelio, veritatem in iudicio. Sed Christi omnia, & in Christo omnia, quem nunc secundum veritatem videre non possumus, sed videmus quasi in quadam imagine, futurorum umbram in lege perspeximus. Ergo Christus non umbra, sed imago Dei, non vacua imago, sed veritas. Et ideō per Moysen lex: quia umbra per hominem, figura per legem, per Iesum veritas. Neque enim veritas aliunde, nisi per veritatem procederet. Siquis ergo hanc imaginem Dei videre desiderat, debet diligere Deum, ut diligatur a Deo, & sit iam non seruus, sed amicus, qui mandata Dei fecerit, ut possit introire in nubem, vbi est Deus. Ipse faciet sibi rationabiles tubas duas ductiles argento probato, hoc est precioso verbo compositas & ornatas, quibus non raucum increpans terribili sonitu murmur interstrepit, sed sublimes gratiae Deo continua iubilatione fundantur. Talium enim tubarum sonitu mortui suscitantur, non crepitu utique aeris, sed verbo veritatis animati. Et fortasse duae istae tubae sunt, per quas diuino spiritu Paulus increpuit, dicens: Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Altera enim sine altera nequaquam videtur vocationem habere perfectam. Nec tamen omnium est vtraque canere tuba, nec est omnium vniuersam colligere synagogam, sed solis sacerdotibus & ministris Dei canentibus ista praerogatiua defertur, ut quicumque audierit, & secutus eō fuerit vbi est Dei gloria, & ad tabernaculum testimonij praematura intentione conuenerit, opera possit spectare diuina, & legitimum illud aeternumque domicilium in suae posteritatis seriem promereri. Tunc enim bellum conficitur, hostis fugatur, quando spiritus gratia concinit, & mentis industria, sunt & illae salutes tubae, si corde credas, & ore confitearis. Corde enim creditur ad salutem. Hac igitur gemina tuba ad illam sanctam terram, resurrectionis scilicet gratiam peruenitur: & ideō semper tibi concinat, ut semper audias Dei voces: semper te Angelorum Prophetarumque oracula excitent atque commoueant, ut ad superiora festines in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis sonitus epulantis. Non enim soli hostes harum tubarum sonitu vincuntur, sed & delectationes, & dies festi, & neomeniae sine his esse non possunt. Nemo enim potest

rest nisi diuini hauriat promissa sermonis, & resultantibus credat oraculis, exultare dies festos laetitia, aut neomenias agere, quibus se corporali gratia & seculari occupatione vacuatum, Christi repleri luce desiderat. Sacrificia quoque ipsa Deo probata esse non possunt, nisi confessio vocis aspiret, quae sacerdotali oblatione ad obsecrandam Dei gratiam populos excitare consuevit. Itaque simus praedicatores Domini, & laudemus eum in voce tubae, non exigua de virtute eius & vilia sentientes, sed ea quae possint aurem mentis implere, & intimae conscientiae penetrare secretum, & ea quae corpori conueniant, diuinitati non putemus aptanda. Nec diuinam magnitudinem potestatis humanis viribus metiamur, ut quaeramus quomodo quis resurgat, aut quali corpore veniat, aut quemadmodum soluta coeant, lapsa reparentur. Haec enim arbitrio Dei simul ut statuuntur, implentur, nec sensibilis tubarum expectatur auditus, sed inuisibilis potentia magnificentiae caelestis operatur. Deo enim velle pro facto est, nec resurrectionis requirendus nisus, sed fructus nobis est expectendus. Quae procliuē celebrabitur, si exinaniti vitiis plenitudinem spiritalis mysterij consequamur, gratiamque renouatam caro sumat a spiritu, & fulgorē lucis aeternae anima mereatur a Christo. Sed non solum singulorum, verum etiam vniuersitatis ista mysteria sunt. Aduerte enim iuxta typum legis ordinē gratiae. Cum tuba prima cecinerit, Orientales congregat quasi praecipuos & electos. Cū secunda, superares meritis, qui secundum Libanum siti dereliquerint ludibria nationum. Cum tertia, eos qui tanquam in mari exagitati istius flatu mundi, seculi huius fluctibus vacillarint. Cum quarta, illos qui dura mentium nequaquam satis potuerint eloquij spiritalis molliore praercepto, & ideō secundum Boream vocati sunt. Boreas enim secundum Salomonem durus est ventus. Itaque licet in momento resuscitentur omnes, omnes tamen meritorum ordine suscitantur. Et ideō primi resurgent qui maturo deuotionis occursum, & quodam antelucano fidei exortu prodeuntis solis aeterni radios receperunt. Quod vel de Patriarchis iuxta veteris seriem testamēti, vel de Apostolis iuxta Euangelium iure memorauerim. Secundi autem qui ritum gentium relinquentes, ab errore sacrilego transferunt in ecclesiae disciplinam. Et ideō illi primi ex patribus, isti secundi ex gentibus. Ab illis enim lux fidei coepit, in istis vsque ad mundi occasum suscepta durauit. Tertij suscitantur & qui ab Austro & qui ab Aquilone sunt. His quatuor terra distinguitur, his quatuor annus includitur, his quatuor ecclesiae congregatur. Omnes enim qui sacrosanctae ecclesiae copulati, diuini nominis appellatione censentur, praerogatiuam resurrectionis & delectationis aeternae gratiam consequentur: Quoniam venient ab Oriente & Occidente, & ab Aquilone & Austro, & recumbent in regno Dei. Non enim exigua mundum suum Christus luce complectitur, quando quidem a summo caelo egressio eius, & occursum eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat a calore eius. Omnes enim benignus illustrat, nec refutare leuem sed emendare vult, nec excludere durum ecclesiae, sed mollire desiderat. Et ideō eos in Canticis Cantorum ecclesiae, in Euangelio Christus inuitat di-

cent: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos, & discite quia mitis sum, & humilis corde. Ecclesiae quoque vocem inuitatis agnosce. Dicit enim Exurge Aquilo & veni Aufer, perfla hortum meum, & defluant vnguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum, & edat fructum pomiferarum suarum. Sciens enim iam tunc etiam hortum tibi fore opera fructuosa, Christo tuo fructum de talibus pollicebare, quae primò te in cubiculum dixisti regis introductam, diligens vbera super vinum, cum diligenter amares, lactantem quareres, pericula pro religione contemneres: deinde a Libano sponsa rogaris ut venias iudicio Domini adhuc tota formosa, tota irreprehensibilis. Sic enim scriptum est: Tota es formosa proxima mea, & reprehensio non est in te: ades huc a Libano. Postea ipsa iam nullos aquae lapsus, iam nullos impetus descendentes a Libano pertimescens, Aquilonem & Austrum aduocas, perflari cupiens hortum tuum, ut in aliis vnguenta defluat, in aliis multiplices foecunditatis tuae fructus offeras Christo. Et ideō beatus qui custodit verba prophetiae huius, quae nobis resurrectionem euidentioribus testimoniis reuelauit dicens: Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes ante sedem, & libros aperuerunt, & alius liber apertus est, qui est vitae, & iudicati sunt mortui de scriptis in libris secundum facta sua, & dedit mare mortuos qui in ipso erant, & inferi dederunt mortuos qui penes se erant. Ne ergo dubites quemadmodum resurgant quos inferi reuolunt, mare reddit. Accipe etiam quando promittatur gratia futura iustorum. Et audiui, inquit, vocem magnam de caelo dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum illis erit illorum Deus, & delebit omnem lachrymam de oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor ultra erit. Cōpara nunc si placeat, atque contende vitam hanc cum illa vita. Elige si potes perpetuam corporis vitam, in labore arumnarumque miserabili tatarum commutationum, vtorumque taedio, fastidio voluptatum. Nonne si Deus ista perpetuare velit, illa diligeres? Nā si per se ipsa vita fugienda est, ut sit molestiarum fuga, requies arumnarum, quanto magis ea requies est expetenda, cui futurae resurrectionis voluptas perpetua succedet, vbi nulla criminum series, nulla illecebra delictorum? Quis in dolore tam patiens, qui non mortē oret? Quis in infirmitate tam constans, ut non optet mori se potius quam debilem viuere? Quis in morore tam fortis, ut non desideret eo se vel moriendo defungi? Quod si ipsi nobis dum viuimus displicemus, cum viuendi finem praestitum esse nouerimus, quanto amplius vitam nos taderet istius, si sine fine futuros nobis labores huius corporis cerneremus? Quis est igitur qui se velit mortis exortē? aut quid grauius immortalitate miserabili? Si in hac vita, inquit, in Christo tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus: non quod in Christo sperare sit miserum, sed quia Christus sperantibus in se, vitam alteram praeparauerit. Haec enim peccato obnoxia est, illa praemio referuata. Ipsos cursus breues nostrarum aetatum quantum videmus nobis afferre fastidium? Puer a-

dolefcentiam desiderat, adolescens annos sibi maioris metitur ætatis, iuuenis beneficio æui florentis ingratus, senilem honorificentiam concupiscit: ita omnibus ex natura venit velle mutari, contra sectas Philosophorum, qui vel animam solam durare dicant post corporis mortem, vel *meta-physicam* credant, quia eius nos quod sumus pœnitet. Denique etiam ipsa postremum vota fastidio sunt, & quæ mereri optauimus, cum meruerimus abdicamus. Vnde non immeritò etiam sancti viri prolongatum incolatum suum sæpè doluerunt. Doluit Dauid, doluit Hieremias, doluit Helias. Si sapientibus creditur, & hi in quibus diuinus spiritus loquebatur, ad meliora properabant. Si reliquorum iudicia sciscitamus, vt omnes in vnam conueniant sententiam, quanti mortem mœrori, quanti mortem formidini prætulerunt, iudicantes videlicet grauiorem metum mœroris esse quam mortem? ad eò suis malis mors non timetur, sed vitæ miseris antefertur, cum expetitur morientis exitus, & euitatur formido viuentis. Sed esto, huic vitæ resurrectio præferatur: quid? Philosophi ipsi genus post mortem aliquod repererunt, quo nos vt magis quam resurgere delectabit. Et illi quidem qui dicunt animas immortales esse, non satis mulcere me possunt cum pro parte me redimunt. Nam quæ potest esse gratia vbi non totus euasi? Quæ vita, si in me opus Dei occidat? Quæ iustitia, si naturæ finis mors sit, erranti & iusto vitæ communis? Quæ veritas, vt quia ipsa se moueat & semper moueatur anima, immortalis esse credatur, quod nobis in corpore commune cum bestiis, ante corpus quid geratur incertum, nec ex contrariis colligatur veritas, sed destruat? An verò illorum sententia placet, qui nostras animas, vbi ex hoc corpore emigrauerint, in corpora ferarum variarumque animantium trāsire commemorant? At certè hæc Circeis medicamentorum illecebris composita esse ludibria pœnarum ipsi Philosophi differere solēt, nec tam illos qui perpeffi ista simulentur, quam sensus eorum qui ista cōfinxerint, velut Circeos populos ferunt in varia bestiarum monstra conuersos. Quid enim tam simile prodigij, quam homines credere in habitum ferarū posse mutari? Quātò maioris est prodigij, gubernatricem hominis animam, aduersam humano generi bestiarum suscipere naturam, capacemque rationis, ad irrationabile animal posse transire, quam corporis effigies esse mutatas? Vos ipsi hæc destruitis qui docetis. Nam magicis incantata carminibus portento huius cōuersionis genera tradidistis. Ludunt hæc Poëtæ, reprehendunt Philosophi, & quæ putant ficta de viuentibus, hæc arbitrantur vera de mortuis. Illi autem qui ista finxerunt, non suam probare fabulam, sed Philosophorum errores irridere voluerunt, qui putant quòd illa anima quæ miti humiliq; proposito iracundiam vincere, patientiam assumere, cruore abstinere consueuerat, eadem frequenti motu leonis incensa, iræ impatiens, effrena rabie, fitire sanguinem, cædemque possit expetere. Et illa quæ populorum fremitus varios regali quodam cōsilio temperabat, & rationabili voce mulcebat, eadē se inter deuia atque deserta ritu luporū patiatu vluare. Aut quæ iniusto sub onere gemēs duos aratri labores questu miserabili mugiebat, eadem postea

in figuram hominis cōmutata, leui cornu quærat in fronte. Vel illa quæ præpetes prius pēne vsque ad alta cœli per sublime aëris alarum remigiis euehebāt, eadē postea volatus iā nō suos requirat, & se humani doleat corporis grauitate pigrescere. Hinc fortasse & illū Icarū perdidistis, quod persuasione vestris inductus adolescens, prius auē se fuisse fortasse crediderat. Hinc etiā fenēs pleriq; decepti sunt, vt graui immorētur dolori, cygneis malè creduli fabulis, dum putant modulis se mulcēdo flebilibus, alben-tem molli pluma mutare canitiē. Hæc quàm incredibilia, quàm deformia? quantò illud est cōuenientius, vt credas secūdam naturam, credas secūdam vsū fructuum cæterorum, credas secūdam gestorum exempla, oracula Prophetarū Christi cœleste promissum. Quid verò præstantius, quam vt opus Dei iudices non perire, & secūdam imaginem & similitudinem Dei factos transferri uon posse in effigies bestiarum, cum vtique ad similitudinem Dei nō corporis sit imago, sed spiritus? Nam quemadmodū homo cui subiecta sunt animantiū genera cæterorū, in subiectum sibi animal meliore sui parte demigret? Non patitur hoc natura: & si pateretur natura, non pateretur gratia. Sed videro quid vos de vobis gentes opinionis habeatis. Neque enim mirū debet videri, quod creditis vos in bestias posse mutari, qui bestias adoratis. Ego tamē malim de vestro merito melius iudicetis, vt non inter cœtus ferarū, sed inter angelorū consortia vos credatis futuros, & animos ex hoc iam vitæ anfractu & terreni corporis colluione discedere, & ad illa cōcilia superna cōtendere. Et sic sanctorū sit peruenire, laudē dicere Deo, quā citharizantes illos dicere prophetica lectione cōperimus, quia magna & mirabilia opera tua Domine Deus omnipotens, iustæ & veræ viæ tuæ rex gentiū, quis non timebit & magnificabit nomē tuū, qui solus sanctus es, quia omnes gētes venient & adorabunt ante te. Videre quoq; tuas Iesu nuptias, in quibus de terrenis ad cœlestia cōcinentibus omniū gaudiis spōsa deducitur. Ad te enim omnis caro veniet, iā non seculo obnoxia, sed spiritui copulata, videre thalamos ornatos byssino, rosas, liliis & coronis. Sic enim cuius alterius ornantur nuptiæ, cōfessorū liuore, martyrū sanguine, liliis virginū, coronis etiā sacerdotum? Hoc sibi præ cæteris Dauid sanctus optauit, vt hæc spectaret & cerneret. Denique ait: Vnā petiui à Domino, hanc requirā, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videā voluntatē Domini. Iuuat hoc credere, sperare delectat. Certè nō credidisse pœna est, sperasse gratia. Quòd si in hoc erro, quia angelis me post mortem sociari malo quam bestiis, libenter in hoc erro, neque vnquā hac me opinione dū viuo fraudari patiar. Quid enim mihi superest solatiij, quàm quòd me citius ad te frater spero vēturum, nec digressus tui inter nos longa diuortia fore, tuis intercessionibus mihi hoc posse conferri, vt citius desiderantem tui aduocēs? Quis enim est qui non sibi debeat istud optare præ cæteris, vt corruptibile hoc induat incorruptelam, & mortale hoc induat immortalitatem? vt qui nunc morti corporis fragilitate succumbimus, supra naturam siti, mortem iam timere nequeamus.

F I N I S.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS, ORATIO DE EXI-
TV, VITA, AC VIRTVTIBVS THEODOSII
Imperatoris, habita in celebritate quadagesimi
diei obitus sui, Honorio principe
filiio eius assistente.



Hoc nobis motus terrarum graues, hoc iuges pluuia minabatur, & vltra solitum caligo tenebrosior denuntiabat, quod clementissimus Imperator Theodosius recessurus esset è terris. Ipsa igitur excessum eius elementa mœrebant. Cœlum tenebris obductum, aër perpeti horrens caligine. Terra quatiebatur motibus, replebatur aquarum illuionibus. Quid ni mundus ipse defleret eum principem continuo esse rapiendum, per quem dura mundi istius temperari solerēt, cum criminum pœnas indulgentia præueniret? Et ille quidem abiit sibi in regnum quod nō deposuit, sed mutauit, in tabernacula Christi iure pietatis ascitus, in illam Hierusalem supernam, vbi nunc positus dicit: Sicut audiuius, ita & videmus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri, quàm Deus fundauit in æternum. Sed plurimos tanquam paterno destitutos præsidio dereliquit, ac potissimū filios. Sed non sunt destituti quos pietatis suæ reliquit heredes. Nō sunt destituti quibus Christi acquiuit gratiam, & exercitus fidem, cui documento fuit Deum fauere pietati, vltoremque esse perfidiæ. Eius ergo principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadagesimum celebramus assistente sacris altaribus Honorio principe: quia sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri iusta persoluit. Et quia alij tertium diem & trigessimum, alij septimum & quadagesimum obseruare cōsueuerunt, quid doceat lectio, consideremus. Defuncto, inquit, Iacob præcepit Ioseph pueris sepulcoribus, vt sepelirent eū. Et sepelierūt sepultores Israel, & repleti sunt ei quadraginta dies, sic enim dinumerantur dies sepulture. Et luxit eum Ægyptus septuaginta diebus. Hæc ergo sequenda solennitas, quam præscribit lectio. Sed etiam in Deuteronomio scriptum est: Quia planxerunt filij Israel Moysen diebus triginta, & consummati sunt dies luctus. Vtraque ergo obseruatio habet authoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium. Bonus itaque Ioseph, qui formam pio muneris dedit, quem amabat pater, cui dixit: Adiuuet te Deus meus, & benedicat te benedictione terræ habētis omnia propter benedictionem mammillarum & vuluæ, benedictionis matris tuæ, & propter benedictionem patris tui. Pij patris soboles bona. Celebrat ergo & iste quadagesimam patris Iacob supplantatoris illius, & nos celebramus Theodosij quadagesimam, qui imitatus Iacob supplantauit perfidiam tyrannorum, qui abscondit simulachra gentium. Omnes enim cultus idolorū fides eius abscon-

dit. Omnes enim cerimonias obliterauit, qui etiam iis qui in se peccauerāt, doluit quàm dederat periisse indulgentiam, & veniam denegatam. Sed non negabunt filij quod donauit pater, non negabunt, etiam si quidam inturbare conatus sit. Neque enim potuerunt negare quod in commune donauit, qui soluit quod singulis dedit. Nihil gloriosius exitus tati principis habuit, qui omnia iam filiis tradidisset, regnum, potestatem, nomen Augusti. Nihil, inquam, speciosius ei in morte seruatum est, quàm quod immane quantis promissa annonarum exigendarum relaxatio dum moratur, facta est successio eius indulgentiarum hereditas, vt ille qui voluit impedire, sibi odium fecerit, Theodosio tamen tātæ cumulus gratiæ non ademptus sit. Nec immerito. Si enim priuatorum vltimæ voluntates & deficientium testamēta habent perpetem firmitatem: quomodo potest tati principis esse irritum testamentum? Gloriosius quoque in eo Theodosius, qui non communi iure testatus est. De filiis enim nihil habebat nouū quod conderet, quibus totum dederat, nisi vt eos præfenti cōmendaret parenti. De subditis sibi & commissis testari debuit, vt legata dimitteret, fidei cōmissa signaret. Præcepit dare legem indulgentiæ, quam scriptam reliquit. Quid dignius, quàm vt testamentum imperatoris lex sit? Ergo tantus imperator recessit à nobis, sed non totus recessit. Reliquit enim nobis liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum & cernimus & tenemus. Nec moueat ætas: fides militum, imperatoris perfecta ætas est. Est enim perfecta ætas, vbi perfecta est virtus. Reciproca hæc, quia & fides imperatoris, militum virtus est. Recognoscitis nempe quos vobis Theodosij fides triumphos acquisiuerit: cum locorum angustiis & impedimentis calorum agmen paulo serius in aciem descenderet, & inequitare hostis mora belli videretur, desiliuit equo princeps, & ante aciem solus progrediens, ait: Vbi est Theodosij Deus? Iam hoc Christo proximus loquebatur. Quis enim posset hoc dicere, nisi qui Christo se adherere cognosceret? Quo dicto excitauit omnes, & exemplo omnes armauit, & iam certè senior ætate, sed validus fide. Theodosij ergo fides fuit vestra victoria: vestra fides filiorum eius fortitudo sit. Fides ergo auget ætatem. Denique nec Abraham vt in senectute generaret filium, considerauit ætatem, nec Sara vt pareret. Nec mirum si auget ætatem fides, cum repræsentet futura. Quid enim est fides, nisi rerum earum quæ sperantur substantia? Sic nos scripturæ docēt. Ergo si substantia eorum quæ sperantur, fides est: quātò magis eorum quæ videntur? Bona fides, de qua scriptū est: Iustus autem ex fide viuuit, quod si subtraxerit se, non

II iij

Hebr. 11.
 Abac. 2.
 Heb. 10

Ibidem 11.

Genes. 15. Ibidem 22. Ibidem 28.

4. Reg. 6.

placebit animæ meæ. Nos autem non subtrahamus nos ad dispendium animæ, sed inhæreamus fidei ad animæ nostræ acquisitionem, quoniam in hac fidei militia testimonium consecuti sunt seniores nostri Abraham, Isaac, Iacob. Et ideo hæreditatem nobis fidei reliquerunt. Fidelis Abraham, qui non ex operibus, sed ex fide iustificatus est, quoniam Deo credidit. Isaac per fidem nec gladium ferituri parentis expavit. Iacob paternæ fidei vestigiis intentus dum iter agit, angelorum vidit exercitum, & vocavit conciliū Dei. Alibi quoque, id est, in libris Regum, Helisæus erat intra Samariam, & subito eum circumfusus Syrorum obsedit exercitus. Vidit eos Giezi, & ait ad Dominum suum: O Domine, quid faciemus? Et dixit Helisæus propheta: Noli timere: quoniam nobiscum plures sunt, quàm cum illis. Et rogavit vt aperiret Deus oculos Giezi. Et aperti sunt oculi eius & vidit plenum montem equis & curribus in circuitu Helisæi, & rogavit Helisæus vt percuteret eos Deus cæcitate, & percussi sunt: & introierunt in civitatem, quò ingrederentur, nequaquam videntes. Audistis certe milites qui circumfusi estis, quia vbi perfidia, ibi cæcitas est. Merito ergo cæcus erat exercitus infidelium. Vbi autem fides, ibi exercitus angelorum est. Bona itaque fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Denique aduersarius & legiones suæ quotidiana martyrum virtute torquentur. Vnde arbitror quod fila chordarum citharæ ideo fides dicatur, quoniam & mortua sonum reddant. Quo magis ac magis enitendū est, ne in hoc viuendi munere fiti simus ingrati, sed pij pignoribus principis sedulū ac patrium impendamus affectum. Solute filiis eius quod debetis patri. Plus debetis defuncto, quàm debuistis viuenti. Etenim si in liberis priuatorum non sine graui scelere minorum iura temerantur, quanto magis in filiis imperatoris? Addatur, & cuius imperatoris? Imperatoris pij, imperatoris misericordis, imperatoris fidelis, de quo non mediocrè locuta est scriptura, dicens: Magnum & honorabile est homo misericors. Inuenire autem virum fidelem, difficile est. Si magnum est misericordem aut fidelem quemcumque hominem inuenire, quanto magis imperatorem, quem potestas ad vlciscendum impellat, sed reuocet tamen ab vltione miseratio? Quid præstantius fide imperatoris, quem non extollat potentia, superbia non erigat, sed pietas inclinet? De quo Salomon præclare ait: Iniqui regis inuitatio similis rugitui leonis, sicut autem ros in herba, sic & hilaritas eius. Quantum igitur est deponere terrorem potentia, præferre suauitatem gratiæ? Beneficium se putabat accepisse augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere. Et tunc propior erat veniæ, cum fuisset cōmotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoscēdi erat, indignatū fuisse. Et optabatur in eo quod in aliis timebatur, vt irasceretur. Hoc erat remedium reorum, quoniam cum haberet supra omnes potestatem, quasi parens exposulare malebat, quā quasi iudex punire. Sæpe trementes vidimus quos obiurgabat, & conuictos sceleris, cum desperassent, solutos crimine. Vincere enim volebat, non plectere: æquitatis iudex, non pœnæ arbiter, qui numquam veniam confitenti negaret. Aut si quid esset quod occulta conscientia inuolueret, Deo sequebatur. Hæc vo-

Proverb. 20.

Ibidem 16.

cem eius homines magis quàm pœnam timebant, quod tanta imperatorem ageret verecundia, vt mallet sibi homines religione quàm timore astringere. Maximam philosophorum impunitatem ferunt dedisse iis facinoribus, quæ per iram commissa forent: sed scriptura diuina melius ait: Irascimini, & nolite peccare. Maluit peccatum recidere, quàm excusare. Satius est indignatione laudem clementiæ reperire, quàm ira in vltionem excitari. Quis ergo dubitabit filiis eius maximum præsidium fore apud Deū? Domino fauente Arcadius Imperator iam validus inuentus est. Honorius continuo pulsata adolecētiæ fores, prouectior ætate quàm Iosias. Ille enim destitutus patre orsus imperium vsque ad tricesimū & primū annum regni sui perduxit ætatem, & placuit Domino quòd præ cæteris regibus Israël Domini pascha celebravit, & ceremoniarum aboleuit errores. Asa quoque adhuc inualidus corporis robore, cum regnandi curricula recepisset, quadraginta annis regnavit in Hierusalem: quoniam cum Æthiopū infinita vrgeretur atque innumerabili multitudine, speravit à Domino & in paucis se posse saluari. Vtinam tam fidelis processu quā exordio. Nam seruatus in paucis & victor, postea à Syriis auxilia relicto Domino postulauit, & medicos adhibuit ad pedum dolorem. Accepto enim tanto iudicio diuini fauoris, auxiliatorem suum non derelinquere debuit, sed tenere. Ideo ei nec medici profuerunt, & quasi incredulus mortem impleuit. Sed illorū patres Abias & Amos ambo infideles. Theodosius verò plenus timoris Dei, plenus misericordiæ, speramus quod liberis suis apud Christum præsul assistat, si Dominus propitius sit rebus humanis. Bonum est misericors homo, qui dum aliis subuenit, sibi cōsultat, & in alieno remedio vulnera sua curat. Agnoscit enim se esse hominē qui nouit ignoscere, & vias Christi sequitur, qui carne suscepta maluit in hunc mundum redemptor venire quàm iudex. Vnde pulchrè Psalmista dixit: Dilexi, quoniam audiet Dominus vocem orationis meæ. In quo psalmo dum legitur, velut ipsum Theodosium loquētem audimus. Dilexi, inquit. Agnosco vocem piam, cuius testimonia vocis agnosco. Et verè dilexit, qui officia diligētis impleuit, qui seruauit hostes, qui dilexit inimicos, qui iis à quibus est appetitus ignouit, qui regni affectatores perire non passus est. Non mediocris sed perfecti in lege vox ista est dicere, dilexi. Plenitudo enim legis, dilectio est. Sed quid dilexerit, audiamus. Cum tacet, vrget nos dilectio, vtique diuinæ charitatis gratia significatur: quia diligimus illud quod est super omnia desiderabilia desiderabile: de quo scriptum est: Diliges Dominum Deum tuum. Ergo decedens è terris pia anima, & sancto repleta spiritu, quasi interrogātibz iis qui sibi occurrerent cum sese ad sublimia & superna subrigeret, dicebat: dilexi. Nihil hoc plenius, nihil expressius. Interrogabant angeli vel Archangeli: Quid egistis in terris? (occultorum enim solus cognitor Deus) dicebat: dilexi. Hoc est dicere: Legem impleui: Euangelium non præterui. Hoc est dicere, morti me obtuli, & tota die existimatus sum sicut ouis occisionis. Et ideo cōfido, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos

Psalm. 21.

4. Reg. 23. 3. Reg. 19. 2. Par. 23.

Psalm. 114.

Psalm. 117.

Math. 3.

Psalm. 114.

Theos. 5.

Cor. 4.

Rem. 19.

Dent. 6.

Psalm. 114.

Psalm. 114.

nos

nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Hoc mandatum legis etiā in Euangelio Dominus Iesus docet esse seruandum, cum dicit ad Petrum: Simon Ioannis diligis me? Et ille respondit: Tu scis domine quia diligo te. Et iterum dixit: Simon Ioannis diligis me? Et iterum respondit, Etiam Domine: tu scis, quia diligo te. Et tertio interrogatus ait: Omnia tu scis, tu scis quia amo te. Confirmauit itaque charitatē trina responsio, vel aboleuit trinæ negationis errorem. Et hic trinam responsionem si quærimus, inuenimus, Dilexi, quoniam audiet Dominus vocem orationis meæ. Dilexi, quoniam inclinauit aurem suam mihi, vt in diebus meis inuocarem eum. Dilexi, quia tribulationem & dolorem inueni, & pro nomine Dei mei pericula inferni non refugi, sed expectaui vt comprehendere & inuenire me possent. Et pulchrè ait, Dilexi: quia iā cursum vitæ huius impleuerat. Vnde & Apostolus in passione iam positus ait: Certamen bonum certauit, cursum consummaui, fidem seruauit. Quod reliquum est, reposita est mihi corona iustitiæ. Magnus Dominus, qui nobis dedit certamina, quibus mereatur qui vicerit coronari. Dilexi, inquit, confidens, quoniam audiet Dominus vocem orationis meæ. Dilexi, & ideo inclinauit aurem suam mihi, vt iacentem erigeret, mortuum suscitaret. Nō enim Deus inclinatur vt audiat corporaliter, sed vt condescēdat nobis quo nos audire dignetur, & infirmitates nostræ releuare substantiæ. Inclinat se nobis, vt nostra ad eum ascendat oratio. Voce non indiget, qui misericordiam defert. Neque enim voce indiguit, qui Moysen tacentem audiuit, & non loquētem, sed interpellantem gemitibus ineffabilibus ad se clamare dicebat. Nouit Deus & sanguinem audire, cui nulla vox subest, lingua non suppetit, sed accepit vocem sacræ titulo passionis. Clamauit in martyrio, clamauit in parricidio quod pertulit pro sacrificio. Dilexi, inquit, & ideo diligens feci voluntatem Domini, & inuocaui eum non in paucis, sed in omnibus diebus vitæ meæ. Non certis diebus inuocare, non omnibus, fastidientis est, non sperantis, & pro vsu affluentium commodorum mercedem gratiarum referre, non pro deuotionis affectu. Et ideo Paulus in omnibus, inquit, gratias agite. Quando enim non habes quod Deo debeas, aut quando sine Dei munere es, cui quotidie viuendi vsus à Domino est? Quid enim habes quod non accepisti? Ergo quia semper accipis, semper inuoca. Et quia quod habes, à Domino est, debitorem te semper esse cognosce. Malo tamen vt quasi diligens quàm coactus debitum tuum soluas. Audi dicentem: Circumdederunt me dolores mortis. Ego tamen & in mortis dolore Dominū dilexi. Pericula inferni inuenerunt me, non timentem vtique, sed amantem, sed sperantem, quod nullā me angustia, nulla persecutio, nulla pericula, nullus gladius separat à Christo. Denique volens inuenit tribulationem & dolorem, sciens quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spēs. Etenim quasi bonus athleta quæsiuit certamina, vt coronam inueniret: quam tamen non suis viribus, sed Domini auxilio nouit sibi esse donatam. Non enim potuisset vincere, nisi eum qui certates adiuuat inuocasset. Miser homo congregitur vt vincat, &

ipse in periculum ruit, nisi Domini nomen affuerit, si cum veretur orauerit, dicens: O Domine libera animam meam. Hinc illud Apostolicum: Video legem carnis meæ repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quod est in mēbris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ille vincit, qui gratiam Dei sperat, non qui de sua virtute præsumit. Cur ergo non præsumas gratiam, cum habeas præfulē certaminis misericordiam? Misericors enim & iustus Dominus, & Deus noster miseretur. Bis misericordiam posuit, semel iustitiam. In medio iustitia est, gemino septo inclusa misericordiæ. Superabundant enim peccata, superabundet ergo misericordia. Apud Dominum omnium virtutum abundantia est, quia Dominus virtutum est. Neque tamen iustitia sine misericordia est, neque sine miseratione iustitia: quia scriptum est: Noli esse nimium iustus. Quod supra mensuram est, etsi bonum est, tamen tu non sustines. Mēsuram serua, vt secundum mensuram recipias. Non impedit tamen iustitia misericordiam, quia misericordia ipsa iustitia est. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Nouit enim iustus debere se infirmis atque inopibus subuenire. Vnde Dominus veniens ad baptismum, vt nobis infirmantibus peccata donaret, ait ad Ioannem: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Liquet igitur iustitiam esse misericordiam, & misericordiam esse iustitiam. Etenim si Dei nos misericordia non sustentaret, quomodo in ipso exordio paruuli viueremus, cum effusi vtero de calidis in frigida, de humidis in arida piscium more iactemur, quos naufragos in hæc vitam quidam naturæ fluctus expuerit? Ratio deest sed gratia diuina non deficit. Ipse ergo custodit paruulos, aut certe eos qui se paruulos humili confitentur affectu. Bona igitur humilitas, quæ liberat periclitantes, iacētes erigit. Nouit eam ille qui dixit: Ecce sum ego, peccaui, & ego pastor male feci, & isti in hoc grege quid fecerunt? Fiat manus tua in me. Bene hoc dicit qui regnum suum Deo subiecit, & pœnitentiam gessit, & peccatum suum cōfessus veniam postulauit, ipse per humilitatem peruenit ad salutē. Humiliauit se Christus, vt omnes eleuaret. Ipse ad Christi peruenit requiem, qui humilitatem Christi fuerat secutus. Et ideo quia humilem se præbuit Theodosius Imperator, & vbi peccatum obrepit, veniam postulauit: conuersa est anima eius in requiē suam, sicut habet scriptura quæ dicit: Conuertere anima mea in requiē tuam, quia Dominus benefecit mihi. Pulchrè dicit animæ conuertere, quasi diuturno cuiusque operis sudore exercitæ, vt à labore conuertatur ad requiē. Conuertitur equus ad stabulum, vbi cursum impleuerit: nauis ad portum, vbi ad stationem fidam à fluctuum mole subducitur. Sed quid est quod ait: Ad requiē meam, nisi secundum illud intelligas quod ait Dominus Iesus: Venite benedicti patris mei, hæreditate possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi? Tāquam enim possessionem hæreditariam, de qua recipimus quæ promissa sunt nobis. Fidelis Deus quæ semel seruis suis præparat, non subtrahit. Si fides nostra maneat, manet & sponso. Vide o homo circa te

Psalm. 114. Roman. 7.

Psalm. 114.

Eccles. 7.

Psalm. 117.

Math. 3.

2. Reg. 24.

Psalm. 114.

Math. 23.

Psal. 94.

2. Tim. 4.

Psal. 54.

Apost. 21.

Psal. 114.

2. Cor. 5.

Psal. 66.

gratiam Christi adhuc in terris quas teris, & in cælo possides. Ibi ergo sit cor tuum, ubi est possessio tua. Hæc est requies quæ iustis debetur, negatur indignis. Vnde ait Dominus: Sicut iuravi in ira mea, si introibit in requiem meam. Qui enim non cognouerunt vias Domini, non ingrediuntur in requiem Domini. Qui autem bonum certamen certauit, & cursum consummauit, ipsi dicitur: Convertere in requiem tuam. Bona requies præterire quæ mundi sunt, & in illis quæ supra mundum sunt, cælestium consortiis requiescere secretorum. Hæc est requies ad quam properauit, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Hanc sanctus requiem suam nouit, ad hanc requiem conuertendum animæ suæ dicit. Erat ergo anima in requie sua, ad quam dicit esse redeundum. Hæc est requies sabbati magni, ut unusquisque sanctorum supra mundi sensibilia sit in illo intelligibili secreto totus intentus atque adherens Deo. Hæc est requies illa sabbati quo requieuit Deus ab omnibus operibus mundi istius. Feriatus his seculi curis Theodosius se ereptum gaudet, & eleuat animam suam, atque ad illam perpetuam dirigit requiem, pulchre sibi consultum asserens, quod eripuerit animam eius Deus de morte, quam mortem frequenter in hoc seculo istius lubrico sustinebat, inquietus fluctibus peccatorum: eripuerit etiam oculos eius à lachrymis. Fugit enim dolor, & tristitia, & gemitus. Et alibi habemus: Deleuit omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor. Si ergo mors non erit, lapsum sentire non poterit in illa requie constitutus, sed placebit Deo in regione viuorum. Non enim ut hic homo inuolutus est mortis corpore obnoxio lapsibus atque delictis, ita & illic. Ideoque regio illa viuorum est, ubi anima est, quæ ad imaginem & similitudinem Dei facta est, non caro figurata de limo: ideo in terram reuertitur, anima ad requiem festinat supernam, cui dicitur: Convertere anima mea in requiem tuam, in quam festinauit intrare Theodosius, atque ingredi ciuitatem Hierusalem, de qua dictum est: Et reges terræ ferent gloriam suam in illam. Illa est vera gloria quæ ibi sumitur, illud regnum beatissimum quod ibi possidetur, ad quod festinabat Apostolus, dicens: Audemus ergo, & confidentius magis peregrinari de corpore, & adesse ad Dominum, & ideo conitumur siue absentes siue præsentem placere illi. Absolutus igitur dubio certamine fruitur nunc angustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro iis quæ in hoc gessit corpore, munerationis diuinæ fructibus gratulatur. Ergo quia dilexit augustæ memoriæ Theodosius Dominum Deum suum, meruit sanctorum confortia. Et ergo ut quidem sermonem meum per orationem concludam, dilexi virum misericordem, humilem imperio, corde puro & pectore mansueto præditum, quem Dominus amare confuevit, dicens: Supra quem requiescam, nisi supra humilem & mansuetum? Dilexi virum, qui magis arguentem quam adulantem probaret. Strauit omne quo utebatur insigne regium, defleuit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obreperat. Gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit imperator publice agere

penitentiam, neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à confortio sacramentorum, donec Domini circa se gratia filiorum exprimeretur aduentu? Dilexi virum, qui me in supernis suis ultimo spiritu requirebat. Dilexi virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum quam de suis periculis agebatur. Dilexi ergo fateor, & ideo dolorem meum intimo viscere dolui, & prolixiore sermonis prosecutione soladum putauit. Dilexi, & præsumo de Domino, quod suscipiat vocem orationis meæ, qua prosequor animam piam. Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me. Multorum enim pericula sunt, sed remedia paucorum. In omnibus sacerdos periclitatur, in omnibus reis angitur. Quod enim alij patiuntur, ipse sustinet: & iterum liberatur cum alij qui tenentur periculis, liberantur. Conteror corde, quia ereptus est vir quam vix possumus inuenire. Sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis representes. Tu Domine custodiens etiam paruulos in hac humilitate, saluos facito sperantes in te. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem quam preparasti sanctis tuis. Illud conuertatur anima eius, vnde descendit, ubi mortis aculeum sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc non hominis finem esse, sed culpæ. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est, ut iam peccato locus esse non possit. Resurget autem, ut perfectior renouato munere vita reparatur. Dilexi, & ideo prosequor eum usque ad regionem viuorum, nec deseram, donec fletu, precibus inducã virum quod sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla confortia mortuorum, vera regio viuentium, ubi mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. Magna requies, quæ votum impleat diligentis, pulcherrima promissio. Ideo centesimus quartusdecimus psalmus inscribitur. Denique supra in quarto decimo psalmo perfectionem hominis accepimus, sed illic formatus perfectus licet vir, sed ad huc peccato obnoxius, quia viuuit in seculo. Hic vera perfectio est, ubi iam culpa cessauit, gratia perpetuæ quietis affulsit. Ideo centesimus quartusdecimus psalmus, quia remuneratio charitatis est, vnde Domini pascha quartadecima luna formam celebritatis accepit: quoniam qui pascha celebrat, debet esse perfectus, debet amare Dominum Iesum, qui diligens populum perfecta charitate, sese obtulit passioni. Et sic diligamus nos quoque, ut si necesse fuerit pro Domini nomine mortem non fugiamus, nullum existimemus dolorem, nihil metuamus. Perfecta enim charitas timorem expellit foras. Græde numerum mysterium, quando pater filium unicum pro nobis omnibus tradidit, cum pleno luminis sui orbe luna fulgeret. Ita est enim Ecclesia, quæ piæ pasche celebrat Domini nostri Iesu Christi sicut luna perfecta in æternum manet. Quisquis bene hic Domini pascha celebrat, in lumine perpetuo erit. Quis splendidius celebrauit, quam qui sacrilegos remouit errores, clausit templa, simulachra destruxit? In hoc Iosias rex superioribus antelatus est. Manet ergo in lumine

mine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur. Illic nunc complectitur Gratianum iam sua vulnera non moerentem, quia inuenit ultorem. Qui licet indigna morte præuentus ac præreptus sit, requiem animæ suæ possidet. Ille bonus uterque & pietatis interpret largius misericordiæ suæ confortio delectatur. De quibus bene dicitur: Dies diei eructat verbum. Contra autem Maximus & Eugenius in inferno quasi nox nocti indicat scientiam, docentes exemplo miserabili quam durum sit arma suis principibus irrogare. De quibus pulchre dicitur: Vidi impium super exaltatum & eleuatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. Transiuit enim pius de caligine seculari ad lumen æternum, & non erat impius qui esse desiuit iniquus. Nunc se Augustæ memoriæ Theodosius regnare cognoscit, quando in regno Domini Iesu Christi, & considerat templum eius. Nunc sibi rex est, quando recipit etiam filium Gratianum, & pulchra iam dulcissima sibi pignora quæ hic amiserat, quando eius flaccilla adhereret fidelis anima Deo, quando patrem sibi redditum gratulatur, quando Constantino adhereret. Cui licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditate fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit, cuius temporibus completum est illud propheticum: In illo die erit quod super frenum equi est, sanctum Domino omnipotenti. Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater eius infuso tibi Sancto spiritu reuelauit. Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio diuini muneris quesuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna femina, quæ multo amplius inuenit quod imperatori conferret, quam quod ab imperatore acciperet. Anxia mater pro filio cui regnum orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum dominicæ passionis. Stabulariam hanc primo fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignorauit illum qui vulnera curauit à latronibus vulnerati. Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora, ut Christum lucrifaceret. Ideo illum Christus de stercore leuauit ad regnum, secundum quod scriptum est: Quia suscitabit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Venit ergo Helena, cœpit reuiscere loca sancta, infudit ei spiritus ut lignum crucis requireret, accessit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnae, ubi est victoria? Quæro vel vexillum salutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris diabole, ut gladius quo peremptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderat, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Golie caput est amputatum. Aperiat humus, ut salus fulgeat. Quid egisti diabole, ut absconderes lignum, nisi ut iterum vincereris? Vicit te Maria, quæ genuit triumphatoræ quæ sine imminutione virginitatis edidit eum qui

crucifixus vinceret te, & mortuus subiugaret. Vincis & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestauit, ego crucem eius inuestigabo. Illa generatum decuit, ego resuscitatum. Illa fecit ut Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum diuinum de ruinis eleuabo vexillum. Aperit itaque humum, decuit puluerem, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto hæret ut mulier, sed certam indaginem Sanctus spiritus inspirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum, sed poterat fieri ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & inuenteret. Redit ad Euangelij lectionem, inuenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hinc collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Iudæis Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi, id est, non ea scripsi quæ vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret, non vobis scripsi, sed posteritati prope modum dicens: Habeat Helena quæ legat vnde crucem Domini recognoscat. Inuenit ergo titulum, regem adorauit, non lignum utique, quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum. Sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo. Illum qui sicut scarabæus clamauit, ut persecutoribus suis peccata donaret. Auida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Læto corde, & trepidanti vestigio quid faceret nesciebat. Pertendit tamen ad cubile, veritatis lignum refulsit, & gratia micuit, ut quia iam femina visitauerat Christus in Maria, spiritus in Helena visitaret: docuit etiam quod mulier ignorabat, & deduxit in viam quam mortalis scire non poterat. Quæsiuit clauus, quibus crucifixus est Dominus, & inuenit. De vno clauo franos fieri præcepit, de altero diadema intexuit vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Visitata est Maria ut Euam liberaret, visitata est Helena ut imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas preciosior ferro innexas crucis redemptionis diuinæ gemma conecteret. Misit & frenum, utroque usus est Constantinus, & fidem transmissit ad posteros reges. Principium itaque credentium imperatorum, sanctum est quod super frenum: ex illo fides ut persecutio cessaret, deuotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum leuauit & locauit, ut crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur sacra redemptioni. Bonus itaque clauus Romani imperatoris, qui totum regit orbem, ac vestit principum frontem, ut sint prædicatores qui persecutores esse consueverunt. Recte in capite clauus, ut ubi sensus est, ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena, corona de cruce, ut fides luceat, habena quoque de cruce, ut potestas regat, sitque iusta moderatio, non iniusta præceptio. Habeat hoc etiam principes Christi sibi liberalitate concessum, ut ad imitationem Domini dicatur de imperatore Romano: Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. Ex illo gratulatur Ecclesia, erubescit Iudæus, non solum erubescit, sed etiam torquetur, quod ipse sibi author con-

Ioh. 19.

Ibidem

Psal. 20.

fusionis est. Dum insultat Christo, confessus est eum regem, dum regem Iudæorū appellavit, sacrilegium suum qui non credidit, cōfiteatur. Ecce, inquit: Et crucifiximus Iesum, ut Christiani & post mortem resurgant, & mortui regnent. Nos crucifiximus quem reges adorant. Quem non adoramus, ipsi adorant. Ecce & clauus in honore est: & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque inuisibili quadam potestate dæmones torquet. Putabamus nos vicisse, sed victos fatemur. Iterum Christus resurrexit, & resurrexisse eum principes agnouerunt. Iterum viuit, qui non videtur. Nunc maior nobis contentio, nunc pugna nobis vehementior aduersus eū cui regna famulantur, cui seruit potestas, illum contempnimus, quomodo regibus resistemus: Ferro pedum eius reges inclinantur. Reges adorant, & Fotiniani diuinitatem eius negant? Clauum crucis eius diademati suo præferunt imperatores, & Arriani potestati eius imminuunt? Sed quæro, quare sanctum super frænum, nisi ut imperatorum insolentiam refricaret, comprimeret licentiam tyrānorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere: Quæ Neronum, quæ Caligularum cæterorumque probra comperimus, quibus non fuit sanctum super frænum. Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut fræna dirigeret, nisi ut omnibus imperatoribus sancto dicere spiritu videretur: Nolite fieri sicut equus & mulus, sed in fræno & chamo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, ut regerent sibi subditos? Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pecudū vaga sese libidine polluebat. Ignorabant Deum, restrinxit eos crux Domini, & reuocauit à lapsu impietatis. Leuauit oculos eorum, ut Christum in cælo quærerent. Exuerunt se chamo perfidiæ, susceperunt fræna deuotionis & fidei, secuti dicentem: Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Inde reliqui principes Christiani, præter vnum Iulianū, qui salutis suæ authorem reliquit, dum philosophiæ se dedit errori, inde Gratianus & Theodosius. Non ergo mentita est propheta, dicens: Ambulabunt reges in lumine tuo. Ambulabunt plane ac maxime Gratianus & Theodosius præ cæteris principes nō iam armis militum, sed meritis suis tecti, non purpureum habitū, sed amictum induti gloriæ. Qui cum hic delectarentur absolutione multorum, quanto magis illic percipisse se pluribus recensendo pietatis suæ recordatione mulcentur, qui nunc luce fruuntur candida, longe meliora illic, quàm hic possidebant, habitacula consecuti, dicentes: O Israël, quàm magna est domus Domini, & quàm ingēs locus possessionis eius: magnus, & non habens finem. Et perfuncti maximis laboribus inter se conferunt: Bonum est viro cum

F I N

portauerit iugum graue à iuuentute, sedebit singulariter, & silebit, quia portauit iugum graue. Qui enim iugū graue portauit à iuuentute requiescit: post ea remotus à turba præcipuum locum quietis suæ possidet, dicens: Quoniam tu singulariter in spe cōstituisti me. Portauit iugum graue à iuuetute sua Lazarus pauper, ideo singulariter in sinu Abrahamæ requiescit diuinæ testimonio lectionis. Portauit iugū graue Theodosius à iuuentute, quando insidiabatur eius saluti qui patrem eius triumphatorem occiderant. Portauit iugum graue, quando subiit pictatis exilium, quando infusus Romano imperio barbaris suscepit imperium. Portauit iugum graue, ut tyrannos Romano imperio demoueret. Sed quia hic in labore, ibi in requie. Sed iam veniamus ad Augusti corporis transmissionem. Fles Honori germen Augustum, & lachrymis pium testificatis affectū quod inhonorum adhuc honore mundi patris corpus per spacia multa transmittis. Sed & patriarcha Iacob propter populum liberandum quem terra fames grauē vrgebat periculo, relicta domo senex ad peregrina contēdit, atque ibi defunctus, ad sepulchrum patrium per aliquot dies filio prosequēte deductus est. Nec derogatum est aliquid meritis eius, sed magis accessit ad laudem, quod pro suis carens dedita domus sorte, quodam supremi funeris peregrinatus est exilio. Fles etiam imperator Auguste, quod non vsque Constantinopolim reuerendas reliquias ipse prosequeris. Eadem tibi causa nobiscum est, omnes iusto dolore prosequimur: omnes (si fieri posset) deductores tecum esse cuperemus. Sed Ioseph ad finitimam accessit prouinciam. Hic multa interiacent regionum diuortia, hic maria transfretēda sunt. Nec hoc quidem tibi laboriosum, nisi te teneret respublica, quam boni imperatores & parentibus & filiis prætulērūt. Denique ideo te imperatorem pater fecit, Dominus confirmauit, ut non solū militares patri, sed omnibus imperares. Nec vereare ne inhonore videantur quocumque accesserint reliquiæ triumphales. Non hoc sentit Italia, quæ claros spectauit triumphos, quæ à tyrannis iterum liberata concelebrat suæ libertatis authorem. Non hoc Constantinopolis, quæ secundo ad victoriam principem misit, quem cum vellet tenere, nō potuit. Expectabat quidem in reditu eius triumphales solennitates, & titulos victoriarum. Expectabat totius orbis imperatorem stipatū exercitu Gallicano, & totius orbis subnixum viribus. Sed nunc illuc Theodosius potentior, nunc gloriosior redit, quem angelorum caterua deducit, quem sanctorum turba prosequitur. Beata planè quæ paradisi incolam suscipis, & habitatorem supernæ illius ciuitatis augusto sepulti corporis tenebis hospitio.

I S.

Sermonum Diui Ambrosij Mediolanensis Episcopi, iuxta ordinem temporum quibus congruunt, Index.

- De grano sinapis.
- Item de grano sinapis.
- De psalmo vigesimo primo. (.)
- De camelo.
- Quod simile sit regnum Dei fermento.
- De margarita.
- De eo quod scriptum est: Reddite quæ sunt Dei Deo, & de militantibus.
- De sabbato quo Dominus manum aridam curauit.
- De unitate charitatis.
- De eo quod scriptum est: Quis maior est in regno cælorum.
- De mirabilibus. (.)
- De natali Domini.
- Item de natali Domini. (.)
- Item de natali Domini.
- Item de natali Domini. (.)
- Increpatio de Kalendis Ianuariis.
- De sancta Epiphania.
- Item de sancta Epiphania.
- Item de eodem. (.)
- Item de die sancto Epiphania. (.)
- Post Epiphaniam.
- De quadragesima.
- Item de quadragesima.
- Item de quadragesima.
- Item de quadragesima.
- De ieiuniis.
- Exhortatio ad plebem, & de eo quod scriptum est in euangelio: Sicut fulgur coruscans de cælo, ita erit aduentus filij hominis, & de duobus in lecto vno.
- Item de eodem.
- De elemosina.
- Item de elemosina.
- De hospitalitate in euangelio.
- In tempore ieiunij non luxuriandum esse. (.)
- De quadragesima.
- De ieiunio Domini in deserto, & quomodo non in solo pane viuit homo.
- Item de quadragesima.
- Item de eodem.
- Item de ieiuniis et quadragesima.
- De ieiuniis et elemosinis. (.)
- De ieiuniis Niniuitarum.
- De gratia baptismi.
- De hostibus carnalibus non metuendis, et post cibum gratias Deo referri debere.
- Item de eodem.
- De sancto Latrone.
- Item de eodem.

- Sermo I.
- II.
- III.
- III.
- V.
- VI.
- VII.
- VIII.
- IX.
- X.
- XI.
- XII.
- XIII.
- XIII.
- XV.
- XVI.
- XVII.
- XVIII.
- XIX.
- XX.
- XXI.
- XXII.
- XXIII.
- XXIII.
- XXV.
- XXVI.
- XXVII.
- XXVII.
- XXVIII.
- XXIX.
- XXX.
- XXXI.
- XXXII.
- XXXIII.
- XXXIII.
- XXXV.
- XXXVI.
- XXXVII.
- XXXVII.
- XXXVIII.
- XXXIX.
- XL.
- XLI.
- XLII.
- XLIII.
- XLIII.
- XLIV.

- De pœnitentia Petri apostoli.
De fide Petri apostoli.
De sepultura Domini.
De accusato Domino apud Pilatum et de Susanna.
Item de eodem.
De Iuda Scarioth. (.)
De die sancto Paschæ. (.)
De innouatione fidelium.
Item de eodem.
De cruce Christi. (.)
Item de cruce Christi.
De sepulchro Domini nostri Iesu Christi. (.)
De Maria Magdalene. (.)
De auaritia et Anania. (.)
De festo Pentecostes, & de psalmo centesimonono.
Item de Pentecoste. (.)
Item de Pentecoste. (.)
De natali sancti Ioannis Baptista.
Item de eodem.
Item de Ioanne Baptista. (.)
De natali sanctorum apostolorum Petri et Pauli.
Item de eodem.
Item de eodem.
De natali sancti Eusebij, Verfellenfis episcopi.
Item de depositione sancti Eusebij. (.)
De natali sancti Laurentij Leuitæ & martyris.
De natali sancti Cypriani.
Item de sancto Cypriano.
De natali martyrum.
In natali sanctorum Canti, Cantiani, & Cantianille.
De natali sanctorum martyrum.
De natali sanctorum Octauij, Aduentij, & Solutoris Tauricorum.
De eo quod propheta ait ad filios Israel, Caupones vestri miscent aquam vino.
De eo quod dicit Dominus in euangelio, Vulpes foveas habent.
Increpatio ad plebem, & de eo quod ait Dominus, Qui habet, dabitur ei: & cantauimus vobis, et non sal-
tastis. Sermo.
De eo quod scriptum est in euangelio, Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.
De defectione lunæ.
Increpatio ad populum de absentia sua.
Post increpationem consolatio ad populum.
De Barbaris non timendis. (.)
Item de eodem.
De sancto propheta Helisæo. (.)
De bellico tumultu. (.)
De dedicatione basilicæ.
De passione beatæ Agnetis.
De inuentione sanctorum Geruasij et Prothasij. (.)
De baptismo sancti Augustini. (.)
In natali sanctorum martyrum Nazarij & Celsi.

- XLVI.
XLVII.
XLVIII.
XLIX.
L.
LI.
LII.
LIII.
LIII.
LV.
LVI.
LVII.
LVIII.
LIX.
LX.
LXI.
LXII.
LXIII.
LXIII.
LXV.
LXVI.
LXVII.
LXVIII.
LXIX.
LXX.
LXXI.
LXXII.
LXXIII.
LXXIII.
LXXV.
LXXVI.
LXXVII.
LXXVIII.
LXXIX.
LXXX.
LXXXI.
LXXXII.
LXXXIII.
LXXXIII.
LXXXV.
LXXXVI.
LXXXVII.
LXXXVIII.
LXXXIX.
XC.
XCI.
XCII.
XCIII.
DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS SERMONES.

De grano sinapis.

Sermo I.

BENTER nos prædicare, & gratanter opus Dei facere manifestum est. Sed cum videmus plures è fratribus pigrius ad ecclesiam conuenire, & dominicis præcipue diebus minimè cœlestibus interesse mysteriis, prædicamus inuiti: nõ quo nos pigeat loqui, sed quia negligetiores prædicatio nostra grauet potius, non emendet. Ideo inuiti loquimur, & tacere non possumus. Prædicatio enim nostra in plebe aut regnum operatur, aut pœnam: regnum credulis, perfidis pœnam. Quisquis enim frater dominicis non interest sacramentis, necessariò apud Deum castro- rum desertor est diuinorum. Nam quomodo se excusare potest qui sacramentorum die prandium sibi domi præparans, prandium cœleste contemnit, & ventris curam faciens, animæ suæ negligit medicinam? Dicit Dominus in sancto euangelio, sicut lectio decursa testatur: Cui simile est regnum Dei, & cui simile illud existimabo? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. Mouet fortasse sensus vestros cur regnum Dei tam præclarum atque tam magnificum grano sinapis exiguo comparetur, & spei nostræ tam grande solatium, & rei vilissimæ simile esse dicatur, præsertim cum alibi idem Dominus discipulis suis dicat: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, tollere & iactare in mare & fiet. Igitur si fides mira est, quæ potest ab ipsis sedibus montium fundamenta transferre, necessariò ergo & granum sinapis magnum est, ad cuius similitudinẽ fidem habere compellimur. Magnum autem dixerim non specie, sed virtute, & fidei qualitate, non oleri comparandum, sed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam si diligenter intendamus, inuenimus rectè à Domino hanc similitudinem cõparatam. Sicut enim granum sinapis prima fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suauitatem: at vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit in tam friuolis granis tãtum ignem fuisse conclusum: cuius etiam seminis cibum homines hyemis præcipue tempore magna pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant: sæpe etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt si quid inualidum, si quid egrotum fuerit, sinapis igne curetur: Ita ergo & fides Christiana prima fronte videretur esse parua, vilis & tenuis, non potentiam suam ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans. At vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aspirat: & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa ferueat, & participantem sibi

A ardere compellat: sicut in sancto euangelio Amaon & Cleophas dixerunt, dum cum ipsis post passionem Dominus loqueretur: Nonne cor nostrum erat ardens in nobis in via, dum aperiret nobis Dominus Iesus scripturas? Ergo granum sinapis membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem asperum algorem frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis iniquos humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluentia consumit. Et per illud medicina capiti procuratur, per fidem autem spirituale caput nostrum, quod est Christus Dominus, sæpius refouetur. Sed & fidei iuxta comparisonem sinapis sancto odore pertrahitur, sicut ait beatus Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. Igitur sanctum martyrem Laurentium grano sinapis possumus comparare, qui diuersis attritus passionibus, per totum orbem gratiam meruit sui fragrare martyrij, qui antea constitutus in corpore erat humilis, ignotus & vilis, posteaquam vexatus, laceratus, exustus est, vniuersis per totum mundum ecclesiis odorem suæ nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum sinapis cum teritur, accenditur: Laurentius cum patitur, inflammatur: Illud feruorem attritionis suæ euomuit, hic ignem plurima vexatione suspirat. Sinapis, inquam, in vasculo calido vapore decoquitur. Laurentius in craticula flammaram igne torretur. Ardebat itaque extrinsecus beatus martyr tyranni sæuientis incendiis, sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torrebat. Et quãuis rex improbus ligna subiiceret, incendia maiora supponeret, tamen sanctus Laurentius has flammæ fidei calore non sentit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne quod patitur. Nec enim poterat visceribus ignitum tormeta sentire, qui sensibus paradisi refrigeria possidebat. Iacet licet ante pedes tyranni exusta caro, corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cuius animus demoratur in cœlis. Extenditur ergo super flammaram ignitos globos, & sæpius versatur in latera, sed quanto plus pœnarum patitur, tantò amplius Christum Dominum pertinescit: nouo admirationis genere alius illum torquet, & alij sæuientis tormenta proficiunt, deuotiorem Laurentium saluatori supplicia atrociora fecerunt.

Item de grano sinapis.

Sermo II.

SVperiore dominica parabolam Domini differentes in qua ait: Cui simile est regum cœlorum, & cui simile illud existimabo? Simile est grano sinapis, & cætera: multa perstrinximus quibus probaremus regnũ Dei grano sinapis non immeritò comparari, & distantiam in sola esse existimatione verborum, non in collatione virtutum. Siquidem fides Christiana, quæ regnum est, eundem vigorem obtinet quem sinapis natura depromit. Nam sicut cum

finapis succum fumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lachrymas promouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodam fletu austeritatis accipimus. Illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore tunc magis sani efficimur, cum amplius deploramus. Ita ergo & cum fidei Christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat, hinc patrimonij iactura conturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur, si amplius defleamus, secundum quod ait Dominus: Vos plorabitis & plangetis, seculum autem gaudebit. Sicut autem cum sinapi caput fortè curandū est, iubemur abrafos capillos demere, impedimenta cutis vniuersa deponere vt nudo corpori perfectius medicina proueniat ita & cū anima per fidem curanda est, præcipimur substantiā à nobis seculi auferre, impedimenta auri argentiq; deponere, vt nudæ & soli animæ congruētius spiritalis medicina proueniat. Quisquis enim rebus mūdi & diuitiis seculi obuolutus est, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod succus sinapis in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. Sed quoniam in eadem dominica sentētia scriptū est, Quod acceptum homo misit in ortū suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramiseius: diligentius requiramus quis iste sit cui hæc cuncta conueniant. Diximus superius, sanctis martyribus, quia diuersis attriti sunt passionibus, naturam sinapis posse cōgruere. Sed quoniam dicit scriptura: Et excreuit, & facta est arbor, & volucres requieuerunt in ramis eius: arbitror hoc ipsi Christo Domino rectius comparari, qui nascendo in hominem humiliatus vt granū est, ascendēdo ad cœlum exaltatus vt arbor est. Granum planè Christus est dum patitur, arbor est cum resurgit. Granū, inquam, est cum famem esuriens sustinet. Arbor est cum quinque panibus saturat quinque milia virorum. Ibi sterilitatem humana conditione patitur, hic satietatem propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim dominum cum cæditur, contemnitur, increpatur: arborem autem, cum cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata cōdonat. Quod autem granum sit, ipse dicens in euangelio ait: Nisi granum tritici cadens in terrā mortuum fuerit, ipsum solum manet. Huius igitur grani, hoc est Domini saluatoris velut sinapis acrimoniam atque amaritudinem Iudæi minimè sustinentes, contempserunt succum cœlestis disciplinæ accipere, dicentes illuminato illi cæco: Tu sis discipulus eius, nos autem Moyfi discipuli sumus. Ipsi quoque Moyfi mandata penitus ignorantes, qui præcepit illis specialiter hanc amaritudinem comedendam: cum paschæ illis celebrandæ sacramenta disponeret, ait: Manducabitis illud cum amaritudine: pascha enim Domini est. Non enim (sicut illi putant) iussit herbarum vilium acerrimos succos cum assis agni carnibus manducari, sed mandatorum Christi vtiliter amarus sermones præcepit cū ipso sacramēto passionis dominicæ deuorari. Non-

ne enim amari videntur sermones Domini, cum dicit: Si vis perfectus esse, relinque omnia tua, & veni, sequere me? & cum dicit non habendas duas tunicas, neque peram, neque calceamenta? Amaritudo ista sermonum, medicina est animarū. Quod autem ait euangelium, Quod acceptum homo misit in hortum suum: quem esse hominem hunc putamus qui acceptum granum velut sinapis granum in suo orto seminavit? Ego illum esse arbitror, de quo euangelista refert: Ecce autem Iosiph qui erat decurio ab Arimathia, accessit ad Pilatum, petens vt depositum corpus Domini sepeliret: quod acceptum tradidit sepulturæ, quæ in horto fuerat præparata atque ideo ait scriptura: Quod acceptum homo misit in hortū suum. Ergo Iosiph hortus floscolorum erat diuersis odoribus plenus: sed necdum in eo tale germen inseuerat. Fragrabat quidem specialis animæ eius hortus varia suauitate virtutum, sed necdum Christum cum aromatibus in cordis sui secreto posuerat. Ita dum saluatorem in hortuli sui monumento sepeliret, magis illum in animæ suæ intimis collocavit. Ramos autem huius arboris si requiris: inuenies, quia ramus est Petrus, ramus est Paulus, rami sunt omnes apostolici vel martyres, ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus seculi minimè submergetur, quin potius sub umbra illorū latitans, gehennæ non patietur ardorem, securus à diabolicæ tempestatis procella.

De psalmo vigesimoprimo. Sermo III.

Psalmi, qui lectus est, seriem decursuri, diligenter prius debemus intendere quid in superscriptione contineat, vt cognita eius origine, intelligentiam ipsius facilius consequamur, & manifestato capite possint rectius mēbra distribui. Scribitur enim ita: In fine pro susceptione matutina, psalmus ipsi Dauid. Nisi fallor, susceptio matutina solis ortum semper anteuenit, & prius quàm orbem radiorum clarus splendor illuminet, matutinum noctium tenebris terminum ponit, ac resoluta sensim caliginum cæcitate, rebus cunctis facies quædam ac lumen infunditur. Et cum veluti sub vna materia tenebrarum mundus in confusione iacuerit, interueniente matutino diuersa specierum varietate distinguitur, hoc est, cum omnia cæca fuerint, oculi omnium reparantur: nox enim quodammodo aufert oculos mūdo, aurora restituit, atque ita antè matutina susceptione perfruimur, vt gloriosius postmodū solis splendorem patiamur. Sed quoniam sicut dicit Apostolus: Lex spiritalis est, & spiritalia spiritalibus comparanda sunt, solè hic iustitiæ arbitror designari, hoc est Christum Dominum, qui nobis ignorantia tenebris, & peccatorum cæcitate submersis, cœlestis doctrinæ suæ lumē infudit, & quos nō habebamus, oculos cordis inseruit, & velut radios quosdā apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentes liberarent, & paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum, matutina susceptione conuestirent, vt perfecti facilius possimus tolerare solis ardorem, hoc est, primum nos præceptis facilioribus erudirēt, quò capaciores efficerent cœlestium secretorū. Huius itaq; solis iustitiæ matutino, peccatorum caligo

caligo tota perimitur: sicut ipse Propheta ait ex persona Domini: In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, hoc est, oriente in nobis sole iustitiæ, qui habitaculum Domini sumus, omnis cogitatio iniqua subuertitur. Cuius solis etiam beatus Salomon meminit ex persona reputantium sibi ac dicentium peccatorum: Sol non ortus est nobis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Hanc quoque matutinam susceptionem in euangelio sancto possumus adscribere Mariæ Magdalenæ, quæ maturè ac diluculo ad monumentum vigilans, saluatoris resurrectionē Domini prima suscepit: & clarescente mundi sole, solis iustitiæ ortum præ omnibus sola cognouit, ac susceptione quidem matutina gauisa est diem redditum, sed magis gauisa Christum à mortuis suscitatum: atque in ipsa completa est prophetia: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinū latitia. Totus autem hic psalmus digestus est ex persona Domini saluatoris: quippe cum plura de eo in nouo sint posita testamento. Dicit itaque: Deus, Deus meus respice in me, & reliqua. Quare assumpti hominis agit causam, & interrogare quodammodo videtur, dicens: Deus omnium, qui es Deus meus, cur me dereliquisti? nihil enim conscius sum. Secundum prophetam enim nesciebat peccatum, nec erat dolus in ore eius. Hæc autem dicit, vt manifestaret propter nos se esse derelictum, quorum peccata portabat, ac videntes disceremus pro ipso sancto & iusto mori, cum pro peccatoribus ille moreretur. Denique hac voce in passione usus est, sicut in euangelio legimus: Ely ely lammazabathani: hoc est: Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Hac, inquam, voce usus est, vt quod prophetia annunciauerat, rei exitus approbare. Et quoniam sequentia penè manifestata sunt, illum inspiciamus versiculum, in quo ait: Ego autem sum vermis, & non homo. Cur totius Dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparari. Possumus hoc quidem humilitati primitus assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses ante Deum animal se irrationabile profitetur: Dauid pulicem se sæpe commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola & pura terra procreatur, ideo illum comparatum Domino quoniam & ipse saluator de sola & pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Moyfi de māna vermiculos procreatos. Digna planè & iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & dominus Christus de virgine procreatur. Quin potius ipsam Mariam manna dixerim: quia est subtilis & splendida, suavis & virgo, quæ velut cœlitus veniens cunctis ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit: quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso, sed potius ipse cibus in iudicium conuertetur, sicut Apostolus dicit: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat. Quod filius Israel subtiliter prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis contra diuina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, id est, contumaciæ vltiores, & iudices. Quæ similitu-

do Christum indicat Dominum, quem qui suauem cibum & dulcè potum haurire neglexerit, iudicem patietur, sicut ipse ait: Neque enim ipse pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Nam quod idem sit vermis & iudex, alibi propheta testatur de peccatoribus, dicens: Vermis eorum nō morietur, & ignis eorum non extinguetur vsque in hodiernum diem. Quod autem ait: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem: hoc factum in euangelio reperimus, quod milites quatuor qui crucifixerunt saluatorem, in quatuor partes eius sibi diuiserunt vestimenta. Vestimentum verò eius quod assutum non erat, sed erat de superiore contextum, sorte perceperunt. Quæ igitur ista vestimenta sint, videamus, qui milites, quòdve etiam vestimentum. Vestimenta esse puto prophetias, vel scripturarum cœlestium lectiones, quibus Christi Domini annunciatum est sacramentum: quas prophetias vnum canentes, & vnum per omnia nunciantes, aduersarij saluatoris, hoc est, peruersi hæretici, qui quotidie in illum tanquam milites manus impias ingerunt, hoc est pro sua diuidi sibi voluntate, & vnus corporis vestimenta per varia membra distribuunt, atque spoliantes Dominum, sua falsa dogmata vestierunt. Vestimentum autem eius quod non erat confutum, sapientiam eius cœlestem possumus approbare, quia erat de superiori contextum. Nostra enim sapientia, hoc est, humana consuitur. Assuitur enim cum liberos damus ad studia grammaticis, tradimus philosophis, erudimus eos, vt sapientia in illis quæ nō erat, acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quæ sita. Non enim didicit à magistro, sicut ipsi Iudæi dicunt: Quomodo hic litteras nouit, cum non didicerit? Et ipse dicat: Mea autem doctrina non est de hoc mundo, sed eius qui me misit, hoc est quod ait de superiori contextum, quo vestitu vel quibus omnibus vestimentis ecclesia catholica semper amicta est, sicut Propheta ait: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.

De camelo. Sermo IIII.

Dicit in euangelio Dominus Iesus Christus: Amē dico vobis, facilius est transire camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Quæ sententia vereor, ne fortè vobis conueniat, qui diuitias seculi huius aut habetis, aut quæritis. Sicut enim cameli, animal quod est tortuosum atq; deforme, peruersitas ipsa corporis per angustissimam acus cauernam præterire non patitur: ita & diuites oneratos auaritia, & cupiditate fœdatos, ipsa vitæ deformitas per arctam viam regni minimè introire permittit. Ait enim idem Dominus: Arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam. Igitur in camelo difficultatem quæstus præstat habitudo membrorū. In diuite autè impedimētum magnitudo efficit peccatorū. Gibbus enim quidam est animæ, turpe quid vel cogitare vel facere, ac mentis quædā tortuosa deformitas, immundis rebus semper intēdere, & ab ecclesiæ sancto limine curis secularibus auocari. Vnde mihi videtur hæc deformitate corporis propheta spiritaliter elocutus, fœditate morū potius indicasse, cū dicit: Nō gloriatur gibberosus sicut rectus. Quasi si diceret: Non gloriatur

peccator vitiorum suorum prauitate distortus, sicut gloriatur iustus conscientia bonae simplicitate directus. Quamuis enim, o peccator, proceritate corporis gaudeas, quamuis scapularum tuarum aequalitate laeteris, anima tamen tua morum prauitate deformis est. Recte ergo camelo comparatus est diues. Siquidem illum a transitu acus corporis crassitudo reuocat: hunc ab ingressu ecclesiae patrimonij sollicitudo detentat. Et sicut illum paruum foramen non capit oneratum mole membrorum: ita & hunc introitus sanctus non suscipit grauatum cumulo delictorum. Vterque habet propriam sarcinam suam, ille oneratus est carnibus, iste peccatis: & sicut ille inconueniens est beatissimo Dei regno: nisi quod camelum corpore compositum natura, hunc autem prauum voluntas efficit. Haec autem dico fratres de iis qui festiuissimam die sanctae Epiphaniae ne in ecclesia procurarent, patrimoniorum suorum compedibus sunt detenti, & terreno quodam obligati sunt vinculo, vt venire eis ad domum Domini non liceret. Non quod eos quippiam detinet, sed quod ita propriis sint actibus implicati, vt iam arbitrium viuendi suae potestatis amiserint: & dum sollicitudinem patrimonij exhibent, animarum medicinam penitus non requirunt. Quid mihi o diues difficultatem temporis obiicit? Quid necessitatem ingeris repentinam? Si cor habes, intellige quia omni necessitate maior necessitas est salutis: & vtilior est causa, prius curare vitam, tunc peculij damna sarcire, ne dum augmentum patrimonij quaerimus, sentiamus animae detrimentum. Sed forte iudicem metuis, quem in secretario reliquisti. Mihi crede quod magis Deum iudicem metuere debebis, qui de ipso tuo iudice iudicabit. Illum ergo metuis qui mox accipiet successorem: Dominum non metuis, cui nemo aliquando succedit? Considera itaque iudicij imminente diem, & inextinguibiles gehennae flammis, stridorem horrendum dentium, tenebrarum vltimum cruciatum. Et si potest, relicta ecclesia secularibus sollicitudinibus implicare. Vereor enim ne dum mundi diuitias quaeritis, inueniatis potius diuitias peccatorum: & repertis thesauris seculi, coelestes thesauros amittatis.

Quod simile sit regnum Dei fermento.
Sermo v.

ET ipsi scitis fratres quod ex quo die vobiscum esse coepi, non cessavi omnibus vos dominicis admonere mandata, & partim hortando, partim increpando praecipere vobis ingerere, ita vt plerisque pius pater fuerim: nonnullis autem durus magister extiterim. Patrem enim me sibi gratulatus est quisquis sermonem meum libere amplexus est: durum autem magistrum sensit, qui conscientiam suam praedicatione mea percussam esse condoluit. Sed nihil mea interest, dummodo siue pietate, siue censura Christus annuncietur in vobis: quamuis & ipsa censura sit pietas, quae ideo circa negligentiores filios adhibetur, vt timore discant quod amore neglexerant. Non quod omnes filios non aequaliter diligat pater, sed quod indulgentia patris sit, pro diuersitate

morum exhibere pietatis affectum, vt blandum filium exhortatione prouocet, contumacem vero austeritate conueniat, de vtriusque tamen correctione securus, quoniam hunc amore verberat, illum seueritate castigat, sicut ait beatus apostolus: Omnis quidem disciplina in praesenti non videtur esse gaudij, sed meroris: postea vero fructum pacificum exercitatis per eam reddet iustitiae. Igitur quoniam tot tractatibus meis profecisse vos credo, libet quaedam vobis diuinarum disserere literarum, vt intelligam quod id quod dixerim, fidei viuacitate capiatis. Ait Dominus in sancto euangelio: Cui simile existimabo regnum Dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farina, donec fermentatum est totum. Fermenti vim atque virtutem omnibus notam esse non dubium est. Nam cum sit magnitudine paruum, specie simplex, natura commune, tantam fortitudinem intrinsecus gerit, vt cum reconditum fuerit in farina, succus hoc totam massam faciat esse quod ipse est, & ita semper vniuersum cumulum aspersionis suae vigore diffundit, vt omnem ipsam magnitudinem pollinis faciat fermentum, ac sic res ipsa fortitudine sua molem sibi proprii vigoris acquirat. Hoc autem faciunt mulieres vt viris suis salubriorem panem, & cibum vtilem diligenter exhibeant. Sed quoniam lex spiritualis est, & euangelium spiritualiter parabolam ratione subsistit, videamus quid sit fermentum, quae mulier, quid farina. Legimus in sancto euangelio, dicente Domino Christo de seipso: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ergo si triticum Dominus, & Dominus est fermentum, quia fermentum non nisi de tritico fieri solet: recte ergo fermento Dominus comparatur, qui cum esset specie homo, humilitate paruus, imbecillitate deiectus, tanta intrinsecus sapientiae virtute pollebat, vt doctrinam ipsius mundus ipse vix caperet, qui cum se coepit per totum orbem diuinitatis vigore diffundere, statim omne hominum genus in substantiam suam sui potestate protulit, vt & iugum spiritus sui sancti infunderet omnibus, hoc est Christianos cunctos faceret esse quod Christus est. Nam quod homo Dominus Iesus vnus & solus esset in mundo, tanquam fermentum in massa reconditum, vniuersos homines praestitit esse quod ipse est. Quisquis igitur illi fermento Christi adhererit, efficitur & ipse fermentum, tam sibi vtilis, quam idoneus vniuersis, & de sua certus salute, & de aliorum acquisitione securus. Sicut igitur fermentum cum in cumulum conspergendum est farinarum, confringitur, comminuitur, dissipatur, & ipsum omne dissoluitur, vt dispersam illam farinam multitudinem in vnum vigorem constringat, atque in solidum corpus redigat, quod in pulueris modum ipsa deminutione languebat, faciatque coniunctione sui vtilem massam, quod propria dissolutione videbatur inutile: sic ergo & Dominus Iesus Christus cum esset totius mundi fermentum, diuersis passionibus contractus, laceratus, & dissolutus est, & succus eius pro salute nostra, qui est preciosus sanguis, effusus est, vt admixtione sui omne genus humanum solidaret, quod per diuersa antra resolutum iacebat. Sic enim velut fermentum quoddam nos qui farina ex gentibus videbamur esse,

se, adhaesimus. Nos, inquam, qui per totum orbem dispersi & diminuti penitus iacebamus, vigore passionis Christi in ipsius corpus redacti sumus, sicut beatus apostolus ait: Quoniam sumus corpus Christi, & membra. Nos igitur qui ex nationibus in pulueris modum a terra facie iactabamur, aspersione sanguinis Domini in massam soliditatis eius aggregamur. Mulier autem quae dicitur abscondere in farina fermentum, quae est nisi sancta ecclesia, quae quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere? Ipsa inquam, est mulier quae in alio loco etiam molere dicitur, sicut ait Dominus: Erunt duae molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. Molit enim sancta ecclesia per legem, per apostolos, per prophetas, cum cathecumenos facit, & asperitatem gentilitatis dissipat atque comminuit, vt emolitos eos in farinae modum aptos faciat fermento dominici sanguinis adhaerere. Fermentum enim dixerim totam Domini passionem. Fermentum enim salutis nostrae est symbolum sine quo fermento vel simbolo nemo potest vitae aeternae substantiam promereri. Et quia duas euangelium describit molentes, atque vnam ecclesiam diximus salubriter molere, alteram quam nisi synagogam accipere debemus? Molit enim & ipsa per Moysen & prophetas, sed inutiliter molit sicut dicit apostolus de Iudaeis: Emulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Inutiliter, inquam, molit synagoga, quia massam suam Christi doctrina non temperat. Atque ideo euitandum praecipit synagoga Dominus esse fermentum, dicens: Cauete vos a fermento Phariseorum. Temperatum est enim sanguinibus & crudelitatibus Iudaeorum dicentium de Domino: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vnde ait euangelium: Erunt duae molentes, vna assumetur, & vna relinquetur. Assumetur enim in requiem aeternam sancta ecclesia, quae domino cibum sanctitatis emoluit. Relinquetur ad molas cruenta synagoga gyrum semper passura suae perfidiae.

De margarita.

Sermo vi.

Satis ad correctionem vestram arbitror posse sufficere fratres dilecti, quod anteriore dominica profecturus, nulla vobis sacrarum literarum spiritualia dona largitus sum, sed tantum vos increpans & arguens pro peccato, sine aliqua praedicationis consolatione dimiserim. Volui enim vos hoc ipsum intelligere quam grauiter peccaueritis, quod diuina eloquia audire minimè meruistis. Haec enim sacerdotum vehemens & copiosa vindicta est, indignis quibusque literarum coelestium sacramenta non credere, nec (sicut ait Dominus) dare sanctum canibus, neque margaritas proicere porcorum pedibus inculcandas. Perdit enim coelestis margaritae gratiam quisquis eam foedissimo peccatori circundare conatur. Gemma enim, sicut ipsi scitis, nisi auro non conuenit, margarita nisi preciosis monilibus non apratur. Estote ergo aurum optimum, estote monile preciosum, vt possit in vobis margarita spiritualis includi. Margarita enim Christus est Dominus, quam negociator ille diues in euangelio venditis omnibus rebus suis emere festinauit, & maluit omnes quas

A habebat seculi gemmas amittere, tantum vt vnam Christi emeret margaritam. Vnde & ego fratres pro magnitudine quod admiseratis delicti, nolui vobis pandere euangelicae refectionis eloquia, sed magis ingerere animosa indignationis iniuriam, & prius vos verberibus spiritualibus emendare, ac sic margaritae ditare muneribus. Malui, inquam, peccatum vestrum incusando acriter increpare, quam leniter dissimulando nutrire. Quisquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur vt peccet. Nolo autem puteris quod non de amore faciam vos sapius verberando. Filius enim qui castigatione dignus est, plus amatur, sicut ait scriptura sancta: Quae enim diligit Dominus, corripit: castigat autem omnem filium quem recipit. Dicite mihi si non dolendum fuerit hoc peccatum, sic vos salutis immemores tunc fuisse, vt beatissimis apostolis Petro & Paulo honorificentiam minimè reddideritis, cum ipsos esse sciatis doctores gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum, nec volueritis eorum natalem nobiscum festiuissimum celebrare, atque illi coelesti interesse conuiuio, in quo pro martyrum tantae laetitiae substantiam vitae ipse nobis Dominus ministrat? Vultis autem scire quantis bonis fraudati fueritis? Interrogate fratres qui tunc mecum pariter affuerunt, quam refectionem a dominica mensa discesserint, vel quales secum domum spirituales diuitias reportauerint. Vnum scio, quod si quis illa die honoratus aut diues ob natalem filij sui ad decimum vsque miliarium ad praedium rogauisset, propter accuratas epulas, & inaequales mensuras, absque dubio vos ituros fuisse. Igitur fratres quotienscumque martyrum memoriae celebramus, praetermissis omnibus seculi actibus sine aliqua dubitatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam qui nobis salutem profusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacrata hostia pro nostra propitiatione Domino sunt oblata, praesertim cum dicat ad sanctos suos omnipotens Deus: Qui vos honorat, me honorat: & qui vos spernit, me spernit. Quisquis ergo honorat martyres, honorat & Christum: & qui spernit sanctos, spernit & Dominum.

De eo quod scriptum est: Reddite quae Dei sunt, Deo: & de militantibus. Sermo vii.

Nonnulli fratres qui aut militiae cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cum peccant grauiter, hac solent a peccati sui poena se voce excusare, quod militant: & ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur, perinde quasi militia hominum non voluntas in culpa sit: ita quod ipsi gerunt, officiis suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter praedam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminofum est, sed ideo agere rempublicam, vt rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quaeritur, praeda grassetur. Illud autem quale est, quod cum ob errorem alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaferit, caedem cur turbulentus admiserit, statim

KK iij

respondeat: Quid habebam facere homo secularis aut miles? numquid monachum sum professus aut clericum? Quasi omnis qui clericus non est aut monachus, possit ei licere quod non licet. Cunctis igitur officiis sacris litteris præscribitur norma viuendi, omnis ad bene agendum prouocatur sexus, ætas & dignitas. Igitur nemo se publicis excuset actibus, nemo de occupatione militiæ cõqueratur. Apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia. Nam ut id quod dicimus, autoritate euangelica comprobemus, videamus lectionem quæ paulo ante decursa est. Ait enim euangelium: Venerunt autem & publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magister, quid faciemus? At ille dixit: Nihil amplius exigatis quàm quod constitutum est vobis. Honesta planè publicanorum interrogatio, ac sancti propheta iusta responsio. Illi enim sollicitè interrogant, ne aut ignorantibus plus exigendo peccatum incidant, aut cessantes publicani decipiant functione. Hic autem moderatè præcipit, vt & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat vestigal effectum. Non enim dixit: Nihil exigatis, sed nihil ampliùs exigatis. Vnde intelligimus quod apud Deum nõ tã exactio quàm exactio iniqua dānetur. Dicit enim ipse Dominus: Reddite quæ Dei sunt, Deo: & quæ Cæsaris, Cæsari. Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est: quod imperator indicit, tolerandum est. Sed sit intolerabile dum illud præda exactiois accumulatur. Hoc autem quale est quod iidem ipsi qui huiusmodi necessitates procurant, peccatis suis peccata congeminant, hoc est, fraudes ac rapinas suas commodum vocant, cum ipsa præda inferatur incõmodum? Illud autem addit sceleribus suis, vt quos indefensos viderint, ipsos potius persequantur: & putant se necessitates decerpisse publicas, nisi domos deceperint orphanorum: ita quorum pater ante biduum forsitan fuerit amicus, collega vel frater, interueniente morte eiusdem, liberi habeantur tanquam ignoti, viles & miseri. Vidua autem si qua fuerit, aut sic iniuriis exagitur vt nubat, aut si voluerit in castitatis permanere proposito, dando munera sua facultates vix permanent. Cum his ergo fraudibus repleuerint saculos suos, videbis illos lætos & accuratos ad ecclesiam properare, & Deo gratias agere quasi ab ipso illis hæc pecunia conferatur, illud quoque peccantes, quod rapinarum suarum Deum volunt esse participem. Dicit autem sanctum euangelium: Interrogauerunt illum & milites, Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes: Neminem conculcatis, neque calumniã faciatis: sed contenti estote stipendiis vestris. Hic iam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de iis militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur, sed quisquis militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles adscribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus, & cuiuscumque qui stipendia publicè sibi decreta consequitur. Si amplius quærit, tanquam calumniator & concussor Ioannis sententia condemnatur. Vsque adeo autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, &

nulla iam causa possit esse sine causa. Hæc autem diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiã ad clericos retorqueri, quia etiam si non militare videamur seculo, tamen Domino & Deo militamus, sicut ait Apostolus: Nemo militans Deo, obligat se negotiis secularibus. Videmur inquam non militare remissis ac fluentibus tunicis, sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniam interiora cõstringuntur: de quo cingulo Dominus ait ad apostolos suos: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab ipso donatiuumque percipimus, sicut dicit beatus Apostolus: Qui dedit nobis pignus spiritus, hoc est, qui Spiritus sancti nos remuneratione ditauit. Si quis ergo Christianorum hoc donatiuo contentus fortè non fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipso carere quod meruit. Quod specialiter contingit hæreticis Arrianis: Dum enim nescio quid amplius quærunt, inuenientes erroris spiritum, gratiam Sancti spiritus perdidit. Nam & catholicus clericus hac sententia retinetur. Si enim non contentus stipendiis fuerit quæ de altario Domino iubente consequitur, sed exercet mercionium, intercessionem vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negociator magis potest videri quàm clericus. Nec dicere possumus, nemo nos inuasores arguit violentiæ, nullus accusat, quasi non interdum maiorem prædam à viduis blandimenta eliciant, quàm tormenta: nec interest apud Deum vtrum vi an circumuentione quis res alienas occuret, dummodo quoquo pacto teneat alienum.

De sabbato quo Dominus manum aridam curauit.
Sermo VII.

Diligenter vos audisse credo fratres, euangelicam lectionem quæ nuper lecta est, vbi Dominus Iesus Christus ingressus sabbato synagogam, hominis ibi habentis manum aridam spirituali medicina curauit, non appositis herbarum succis, non pigmentorum medicaminibus colligatis, sed verbo iubens, & in ira præcipiens refudit corpori sanitatē. Ira inquam, sicut ait euangelista, restituit vigorem dexterae. Vnde intelligimus qualis dominicæ benignitatis sit sanitas, cuius indignationis talis est medicina: aut quemadmodum placatus prodest, qui ita miseretur iratus. Verbo igitur iubet vt arenti dexterae venarum succos infunderet. Non mirum est si is arentem reparauit dexteram, qui totum corpus de arenti puluere procreauit, & id verbi imperio restituit, quod in principio factura operationis instruit: velut authorem suum plasma cognoscens obsequitur ei portiuncula, cui totum se deberet in massa. Sed videamus quæ sit in synagoga manus arida, quæ nihil corpori prodest, quando operibus siccauit, quando etiam primum arida esse cœperit, requiramus. Non enim vnus hominis tantum per saluatorem causa geritur, nec vnus hominis imbecillitas procuratur, sed totius generis humani sanatur infirmitas. Nulli autem dubium est dexteram vel totius corporis præclariorem portionem hoc officij gerere, vt diurna alimenta suo corpori subministret, & pro-

& prouidentia quadam ad fruendam vitam membra cætera pascat ac nutriat. Hanc igitur dexteram in Iudaico populo scribas esse dixerim, vel doctores, qui velut præclarior portio in pharisæorum corpore à Domino constituti, neglexerunt & in cætera membra sua prophetarum oracula velut escam vitæ æternæ porrigere, atque ideo doctrina eorum tanquam manus aruit imbecillis, quia fontem perennis sapientiæ non quæsiuit. Propterea denique factum est vt quasi contracta dextera clauem scientiæ tenere non posset, sicut ait Dominus: Væ vobis scribæ & pharisæi qui absconditis clauem scientiæ, & reliqua. Hæc autem clavis Christus est Dominus, quo ad crudelitatem fidei pectorum arcana referantur. Ista clavis, sicut ait Dominus Petro: Tibi dabo clauem regni cœlorum. Ergo aruit dextera synagogæ manus, relinquens Christum, quæ prius erat in principibus Iudæorum, & deteriorauit. Quisquis enim Christi fontem deserit, & debilitatur protinus, & arescit. Sed inuenio ipsam manum quondam cæteris membris fuisse meliorem. Sanctus enim Moyses dux Iudaici populi, velut clarior corporis sui dextera fuit cum legem porrigendam meruit à diuinitate percipere. Dextera, inquam, erat sanctus Moyses, qui filios Israel velut manu prouida cœlesti manna nutriit. Hæc planè est dextera quæ Iannem & Mambrem magos niuei splendoris nitore conuicit. Ita enim scriptum habes. Atque ideo magorum distinctæ sunt tenebræ, quia Moyfi meritis lucens dextera coruscabat. Sed videamus, manus ista quando primum arida cœperit esse vel mortua. Ego illam primum in Adam aruisse cõfirmo, cum contra vetitum Domini interdictæ arboris poma decerpit, ac tunc succum immortalitatis amisit. Et siccata quodammodo est, quando hominem ad imaginem Dei factum peccato suo solui facit in puluerem. Atque vtinam sola manus in peccato teneretur obnoxia: quod est grauius, omne corpus morte damnatum est, cum dextera prima peccauerit. Nec mireris si membrum dexterae in Adam non mansit integrum: vigor enim in illa æternitatis exaruit. Nã sicut Moyfi dextera custodientis mandata Domini niueo fulgore resplenduit, ita & Adæ dextera præuaricantis præcepta mortifero pallore contracta est. Hanc igitur Adæ manum saluator curat in synagoga, hoc est totius generis humani imbecillitatem sanare festinat. Dicit etiam illi: Extende manum tuam, qui eam idolis immolando contraxit. Dicit illi: Extende manum tuam, qui per eam res orphanorum viduarumque gestit inuadere. Sed & tu qui putas te manum habere, & sanam, caue ne avaritia contrahatur. Quin potius extende eam pro misericordia frequenter ad pauperem, pro hospitalitate sapius ad peregrinum. Extende eam pro peccatis semper ad Dominum. Esto misericors, esto largus. Obserua quod ait propheta: Ne sit manus tua ad accipiendum porrecta, ad erogandum contracta. Sic enim manus tua sana esse poterit: bonis verò operibus extendatur.

De unitate charitatis. Sermo IX.

Legimus in libro qui apostolorum actibus adscribitur, tantam sub memoratis viris deuotionem plebis fuisse, ita populi Christiani floruisse pri-

mitias, vt post acceptam fidem nemo domum propriam sibi defenderet, & nemo suum aliquid vindicaret, sed iure fraternitatis essent illis cuncta communia, scilicet vt qui eodem cõsortio religionis tenebantur, eodem consortio fruerentur & vita, hoc est vt quibus erat vna fides, esset & vna substantia, & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nephas etenim putabatur religiosi viri eum sibi participem non asciscere in substantia, qui particeps esset in gratia: atque ideo in charitate fraternitatis omnes communiter utebantur, nisi quod maior est fraternitas Christi quàm sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas vnanimi- tatem cordis animæque demonstrat, sicut scriptum est: Erat autem credentium cor vnum, atque anima vna. Verè ergo ille frater est, qui non tam corpore quàm vnanimi- tate germanus est. Verus inquam, frater est cuius idem spiritus & voluntas in fratre est. Melior igitur est (sicut dixi) fraternitate sanguinis Christi fraternitas: nam illa interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit sæpe germanum, hæc assumit frequenter alienum. Tanta ergo, sicut dixi, illo in tempore Christianæ plebis deuotio fuit, vt nemo domum suam diceret, nemo proprium aliquid vindicaret, sicut ait sanctus Lucas, dicens: Nec quisquam, eorumque possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque enim quisquam, inquit, erat egēs inter ipsos. Beata igitur plebs, quæ dum plures diuites habet in Christo, nullum in seculo habuit indigentem: & quæ dum æternas cogitat diuitias, à fratribus temporalem repulit paupertatem. Vendebant enim, sicut ait scriptura, prædia & domos suas & precia venditorum ante pedes apostolorum ponebant, vt erogarent prout cuique opus esset. Videte sanctorum virorum fidem, quemadmodum propter Christum toto spoliabantur patrimonio, & nihil sibi reliqui faciebant. Non enim verebantur ne esurirent ipsi, dum timebant ne alius esuriret. Hæc igitur sub apostolis fuit in plebe deuotio: modo quid simile reperimus? Et certè idē Christus in nobis. Idē quidē Christus in nobis, sed non idem animus est in nobis. Eadem in plebe fides, sed non in plebe est ipsa largitio. Ita alter de alterius inopia non cogitat, vt illud sit quod dicit Apostolus: Alius quidem esurit, alius ebrius est. Nam plerique Christiani non solum propria non distribuunt, sed etiam diripiunt aliena. Non solum inquam, colligentes pecunias suas, ad pedes apostolorum non deferunt, sed etiam confugientes fratres suos protrahunt à pedibus sacerdotum. Nunc est illud tempus quod describit beatus Apostolus dicens: In nouissimis diebus abundabit iniquitas multorum, & refrigescet charitas. Modò enim abundat avaritiæ iniquitas, quæ antè largitatis bonitate cessabat: & refrigescit fraternitatis charitas, quæ prius Christi amore feruebat. Tunc enim sub apostolis fraternitatis dilectio fuit, vt tunc in conuentu suo non aduenerit indigentia: tanta autem modo Christianitatis dissimulatio est, vt in cœtu

nostro vix inuenias locupletem. Locupletem autem G vix inueniri dico non tam facultatibus, sed oporibus. Ait enim Apostolus: Diuites sint in operibus bonis. Locupletem autem illum in ecclesia intelligi voluit, qui diues est in Christo. Nam & ibi quod ait sub apostolis neminem indigentem fuisse, ostendit vtiq; tanta eos gratia fidei fuisse præditos, vt omnes cœlestium diuitiarum abundauerint largitate. Rarò igitur hoc tempore inuenimus in Christiano populo locupletem. Etsi plerique in domibus auro sint diuites, tamen in ecclesia iustitia sunt mendici. Dum enim circa pauperes non pro eo quod prævalent, operantur, nec hoc est gratum quod offerunt, nec illud est fatiabile quod referunt. Dixit Dominus ad Cain cum offerret munera. Si autem rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti, quiesce. Sic & tu Christiane non rectè diuidis qui de tanto auro tuo maiorem partem mammonæ referuas, quàm Domino largiaris. Sic namque Ananias in actibus apostolorum dum putat se rectè offerre & non rectè diuidit, pecuniam quam obtulit, perdidit: & quã domi referuauit, amisit. Pecuniam, inquam, pariter perdidit & salutem. Dum enim ex eo quod promiserat, partem subtrahit, sacrilegij simul condemnatur & fraudis. Sacrilegij, quod Deum in pollicitatione fefellerit. Fraudis, quod de integris muneribus portionem quandam putauerit subtrahendam. Ait enim apostolus Petrus, Non es mentitus hominibus, sed Deo. Si ergo, fratres, Ananias condemnatur cum non totum dederit quod de suo ipse promiserat, quid censemus de eo qui non vult reddere quod alius repromisit? Videte ergo & vos fratres quid promiseritis Deo cum primum gratiam fidei percepistis. Ecce abundant in ciuitate nostra hospites siue peregrini, facite quod polliciti estis, ne dicatur & vobis quod Ananias dictum est, Non mentiti estis hominibus, sed Deo.

De eo quod scriptum est, Quis maior est in regno cœlorum.
Sermo x.

SI diligenter audistis euangelicam lectionem, intelligere potestis quæ ministris ac sacerdotibus Dei reuerentia debeat, vel qua ipsos clericos inuicem humilitatis sedulitate oporteat præuenire. Ait enim Dominus porcontantibus discipulis, Quis eorum in regno cœlorum maior esset futurus, statuto coram omnibus puerulo, Quicumque humiliauerit se sicut puer iste, hic maior erit in regno cœlorum. Vnde intelligimus quòd humilitate peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cœlum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicūq; vult fratrem præuenire regnando, prius præueniat obsequèdo, sicut ait apostolus Honore inuicem præueniètes. Vincat eã officijs, vt possit vincere sanctitate. Si enim te non læsit frater, obsequiū meretur vt diligas. Quod si forsitan læsit, magis obsequium meretur vt vincas. Hæc enim nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. Qui ergo fuerit patiètor ad iniuriam,

potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cœlorum peruenitur superbia, diuitijs, præfectura: sed humilitate, pauperie, lenitate. Arcta enim & angusta via est quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam vt se existimat peruenisse, sarcinã eius exigua porta nõ capiens, repercusso limine retrorsum redire cogit. Tam enim angusta est diuiti porta cœlestis, quàm est camelo acus foramen exiguum. Vnde ait Dominus: Facilius est camelum per foramẽ acus trãfire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Sicut enim cameli animal tortuosum atque deforme exigua acus cauerna præterire non patitur, ita & diuitem avarum atque mendacem arcta cœli ianua minimè intrare permittit. Nam ideo nudi in seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque & expediti ad cœli ianuam propereamus. Quàm autem incongruum & absurdum est vt quem nudum mater genuit, nudum suscipit ecclesia, diues intrare velit in cœlum? Propterea adolescenti illi diuiti in euangelio à saluatore dicitur, qui sibi iustus videbatur & sanctus, & omnia legis mandata complese: Si vis perfectus esse vende omnia tua, & da pauperibus. Vtiq; adeo enim nuda virtus apta cœlo est, vt quamuis iustus, quamuis sanctus, aurum vel diuitias possidens, non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad paradysum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit. Denique post peccatum nuditatem suã videns, folio pudenda contexit. Prius enim quàm peccaret, honestatis erat colore vestitus, atq; ideo nuditatem inhonestam nõ natura instituit, sed delicti reatus inuenit. Nam & sancti angeli in splendissimo habitu constituti, non quòd tunicis operiuntur & pallijs, sed cum sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, vestiti vidètur esse quod sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nihil prauo respiciebat eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat, erat apud honestas mentes nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud nequã homines turpis cogitatio à concupiscentia vestibus nõ arceatur, ita apud sanctos viros honesta simplicitas ad concupiscendum nuditate nõ trahitur: sed sicut vitiosis ad corruptelã nuda sunt omnia, ita religiosi ad castimoniã operta sunt vniuersa. Quod autè ait euangelica lectio: Qui scandalizauerit vnũ de pusillis istis qui in me credũt, expedit ei vt suspèdatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundũ maris. Pusillos hic nõ atate pueros, sed malitia paruulos dicit, sicut Apostolus ait: Malitia paruuli estote, vt sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti nisi clerici idonei, & monachi religiosi vel laici? Quisquis igitur irreuerens aut contumeliosus extiterit, hac velut pœna plectetur, vt in formi saxo religato illi ad collum, præcipitetur in mare. Sed videamus cur scandalizantibus Christianis ista pœna data sit, aut quid sibi velit ipsa sententia. Puto enim illa aliquod mysterium contineri. Quasi verò nõ sufficeret in mare homini demergèdo saxũ qualemque

lecunque non magnum aut enorme, sed molæ asinariæ lapis ei religetur ad collum, vt cum perituro homine pereat res vsui necessaria. Sed puto hoc magis esse quod in scripturis asini figura populus gentilium nuncupatur, qui clausis oculis circa ignorantia molam erroris sui gyro pertrahitur, & in illa cursus directione vestigijs sepe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno. Nonne enim tibi videtur molam asinariam voluere gentilis populus quandiu imperitiæ suæ labore versatur? Naturæ quidem vinculis alligatus vt verbum Dei molat, Deum cœli quærat, sed operta mentis cæcitate suffusus, vt vultus animi erigere ad Deum, cordis oculos leuare non possit ad cœlum. Sed quoniam molam asinariam saxum esse constat, videamus si & paganorum talis est mola. Talis planè est. Saxi enim mola est paganorum Iupiter Herculeſque lapideus, circa quos cæcis oculis frequenti errore circumueunt. Cæcos inquam dixerim eorum oculos qui putant se videre quod non vident. Aspicientes enim saxum, Deum se videre confingunt. Attamen qui molam voluit, consummandi aliquando finem operis habet, exeundi spem gerit laboris. Cui verò mola asinaria ad collum suspenditur, portat lapidem qui portare iugum Domini recusauit. Asinus ergo ad molam, cæcus ad lapidem, gentilis ad saxum, qui adorat eum quem non videt nec agnoscit. Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo aut saxo cognoscitur. Hic ergo gẽtilis populus cum persecutionem Christiano intulerit, hac pœna plectitur, vt cum sua sacrilega mola iudicandi seculi fluctibus demergatur.

De mirabilibus.

Sermo xi.

Quantorum mirabilium operator sit Dominus Iesus Christus intelligere possumus ex hac euangelica lectione, qua describitur tanta per eum beneficia in populum fuisse collata vt prouocata hominum turbæ ad audiendum illum magis irruerent quàm rogarent, & medicinam salutis non sperarent per humilitatis gratiam, sed per importunitatis iniuriam, ita vt irruentes (sicut ait euangelium) turbas à Domino Iesu non desertum separaret, non synagoga repelleret, non reuerentia diuinitatis per arceret. Hec est enim consuetudo infirmantium, vt dum sperant suis ægritudinibus medicinam, ab importuna petitione non loco prohibeantur, nõ tempore: sed quantò plus medetur ille qui sanat, tantò amplius ille importunus est qui laborat. Ergo cum Dominus illis ab irruentibus turbis semotus in terra esse non posset, aspiciens in mari duas nauiculas, vnã nauem Petri omni festinatione conscendit, vt importunitatis iniuriam vel aquarum natura depelleret, quia eam doctoris reuerentia minimè coercerat, atque exinde cœpit de nauicula Petri ad homines doctrinæ suæ verba profundere. Videte misericordiam saluatoris, separatur quidem ab hominibus corpore, doctrinæ tamen iis vtilitate coniungitur. Vbiq; miseretur, vbiq; prodest. In terra positus per tactum langores corporum sanat, in mari constitutus, per doctrinam vulnera curat animarum. Sed videamus quæ sit ista nauicula Simonis

Petri, quam adducendam de duabus magis oportunam Dominus iudicauit, quæ & totum saluatore præstet ab iniuria, & credulitatis hominibus largiatur eloquia. Inuenimus enim iam Dominum nauigasse in alia naui, & grauibus iniurijs laceffitum. Nauigauit enim cum Moysè in Mari rubro, quando populum Israel per vndarum fluentia transfuxit: Sed grauibus est affectus iniurijs, sicut ipse ait in euangelio ad Iudæos, Si crederetis Moysi, & mihi crederetis. Iniuria autem saluatoris est incredulitas synagogæ. Ergo Petri nauem eligit, Moysi deserit, hoc est, spernit synagogam perfidam, fidelem assumit ecclesiam. Duæ enim quasi nauiculæ à Deo destinatae sunt, quæ in hoc, tanquam in mari, mundo salutem hominibus piscarentur, sicut ait Dominus apostolis: Venite faciam vos piscatores hominum. Ex his ergo duabus nauiculis vna relinquitur ad terram inanis & vacua, altera producit in altum onusta vel plena. Vacua enim synagoga relinquitur in littore, quia Christum cum prophetarum amisit oraculis. Onusta autem ecclesia in altum assumitur, quia Dominum cum apostolorum doctrina suscipit. Synagoga inquam remanet ad terras quasi terrenis inhærens operationibus: ecclesia autem in altitudinem reuocatur, tanquam cœlorum profunda sacramenta discutiens, in illam scilicet altitudinem de qua Apostolus ait: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Propterea dicitur Petro: Duc in altum, hoc est in profundum disputationum generationis diuinæ. Quid enim tam profundum quàm quod ait Petrus ad Dominum: Tu es Christus filius Dei viui? Quid tam terrenum quàm quod de Domino dixerunt Iudæi: Nonne hic est filius Ioseph fabri? Ille altiore consilio natiuitatem Christi diuinitus approbavit, hi mente viperea generationem cœlestem carnaliter existimant. Vnde ait saluator Petro: Quia non caro & sanguis tibi hoc reuelauit, sed pater meus qui in cœlis est. Phariseis autem dicit: Quomodo potestis bona loqui, cum fitis nequam? Hanc igitur solam ecclesiæ nauem ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus, dicente Domino: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quæ nauis in altum seculi istius ita natat, vt pereunte mundo, omnes quos suscipit, seruet illætos. Cuius figuram iam in veteri videmus testamento. Sicut enim Noë arca naufragante mundo cunctos quos susceperat, incolumes referuauit, ita & Petri ecclesia cõflagrante seculo omnes quos amplectitur, repræsentabit illætos. Et sicut tunc transacto diluuiò ad arcam Noë columba signum pacis detulit, ita & transacto iudicio ad ecclesiam Petri Christus gaudium pacis refert, quia ipse columba vel pax est, sicut promisit dicens: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Sed quoniam hanc eandem nauiculam Petri de qua nunc Dominus cœlestis doctrinæ suæ sacramenta depromit, legimus in Matthæo dormiente in eadem Domino ventis insurgentibus perturbatam, ita vt cuncti apostoli mortis periculum formidarent: videamus quæ causa est quòd vna eadèq; nauicula hic in tranquillitate doctrinã populis tribuit, ibi in tempestate discipulis metum mortis inducit, præsertim cum ibi etiam cum cæteris apostolis Simon Petrus

esset. Hæc autem est causa periculi. Erat ibi Simon Petrus, sed erat pariter & proditor Iudas. Quamuis illius fides fundaret nauiculam, huius tamen eam perfidia conturbabat. Tranquillitas est ubi solus Petrus nauigat, tempestas ubi Iudas adiungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Metuentibus igitur discipulis, anxiantè Petro dormiebat Dominus. Durum fortè videatur quod anxiantè Petro dormiebat: dormiebat Petro, nauigabat Iudæ. Vnius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Obdormit Christus, ventorum spiramina concitantur. Quisquis enim peccatum admittit, statim & dormire sibi facit Dominum, & procellam sibi spirituum suscitatur immundorum. Neesse est autem diabolica insurgat tempestas, cum dominica serenitas conuiescit. Igitur si vnus Iudæ peccato cuncti periclitantur apostoli, hoc exemplo caueamus perfidum, caueamus proditorem ne per vnum plures fluctuemus. Quinetiam huiusmodi abiiciamus de nostra nauicula, vt non obdormiat, sed vigilet in nobis Dominus, atque eo vigilante nulla nos spiritualis nequitia procella concutiat. Vbi enim fides integra est, ibi saluator docet, vigilat, & exultat: ibi requies, ibi tranquillitas, ibi cunctorum est medicina. Vbi autem fidei est admixta perfidia, ibi Christus torpet, dormit, & peior est ibi metus, ibi tempestas, ibi omnium est discriminè. Pro actibus enim nostris Dominus nobis obdormit aut vigilat.

De Natali Domini. Sermo XII.

Verum est quod ait sanctus Ioannes Baptista de Domino saluatore dicens: Illum oportet crescere, me autem minui. Siquidem hoc primè etiam ipsis temporibus approbetur. Ecce enim natiuitate Christi dies crescit, & Ioannis natiuitate decrescit. Illo oriente lux proficit, hoc nascente minuitur. Ipsa enim quodammodo tempora famulantia partibus suis, cum detrimèntum faciunt, seruus gignitur: cum autem Dominus nascitur, consequitur augmentum. Profectum planè facit dies cum mundi saluator oritur: defectum patitur, cum vltimus propheta generatur. Scriptum est enim: Lex & propheta vsque ad Ioannem. Atque ideo neesse erat vt obscuraretur legis obseruatio, ubi euocatio, ubi euangelij gratia resplendebat: & cessaret prophetia veteris testamenti, cum noui testamenti gratia succedebat. Ergo in natiuitate Domini proficit dies. Non mirum si proficit dies, quam splèdidissima lux veritatis illuminat. Ait enim euangelista de Christo Domino: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Cur non illuminaret mundum? Atque ideo dies quæ lucem humano generi peperit, prius ipsa eiusdem lucis fulgore resplenduit, & conclusa iam spatia sua noctium tenebras dominicæ lucis nitore dilucifit. Occupauerat enim totam diem noctium longitudo, nisi in ipsa dierum breuitate Christi resplisset aduentus. Qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras dilucifit, ita & die natiuitatis suæ caliginum tenebras amputauit, & vno eodemque ortu lucem pariter intulit & hominibus & diebus. Vnde non est mirum si crescit dies, quæ gemino fulgoris splendore vesti-

tur. Sed videamus adhuc quomodo Dominus saluator crescat, Ioannes Baptista decrescat. Diximus in superioribus, quod Ioannes quidem figuram legis prophetarumque gestauerit: neesse erat ergo vt deficeret lex euangelio coruscante, & minueretur Iudaicus populus populo Christiano surgente. Quis enim dubitat de natiuitate Domini synagogæ esse conuenticula vacuata, plebes multiplicatas ecclesiæ, & mirum in modum quotidie Christum per Christianos suos crescere, Ioannem minui per Iudæos? Hos diei dominici splendore fulgere, illos obscuritate noctium laborare. Nox enim super Iudæos quodammodo maior incubuit, ex quo dixerunt de nece saluatoris: Sanguis huius super nos, & super filios nostros. Maioribus planè sunt noctium tenebris obscurati, ex quo conati sunt diem veritatis occidere. Hoc autem quod dicimus, vt veriùs approbare possimus, vtriusque natiuitatem breuiter exponamus. Ecce enim cū nascitur Christus, exultant angeli, pastores peruigilant, magi adueniunt, stella præcedit, & cuncta quæ sunt in caelis terrisque pulcherrima, ipsi Domino deferuntur. Deferuntur enim illi, gloria per angelos, claritas per stellam, religio per magos, simplicitas per pastores. Et quod apud ipsum solum futura essent hæc omnia, nascenti illi vniuersa famulantur. Cū autem Ioannes concipitur, Zacharias obmutescit, solennis conceditur sacerdos. Helizabet mater absconditur, significans post ortum suum legis silentium, amissionem sacerdotij, latebras synagogæ. Dubium autem non est quod Ioannes natus Pharisæis iustitiam legis abstulerit, quod conceptus patri abstulit vocis obsequiū. Crescit igitur Dominus semper, Ioannes Baptista minuitur. Non ideo minuitur, quod meritis aliquid derogetur, sed quoniam saluatoris quotidie accumulatur gloria, illius minor fieri videtur. Lucerna denique vocatur Ioannes, dicente Domino: Ille erat lucerna ardens. Lucernæ igitur obscuratur lumen cum radius solis effulget, & defectionem quandam lampadæ suæ patitur, cum clarioris lucis splendore superatur. Quis enim sapiens lucernam requirat in sole? Non quidem extinguitur, sed necessaria non habetur, hoc est, quis ad Ioannis penitentia baptismum veniat, cum possit saluatoris baptismo saluari? Non quidem illud reprehenditur, sed hoc magis vtile & necessarium iudicatur, quia in eo remissio peccatorum tribuitur.

Item de Natali Domini. Sermo XIII.

Qua gratia vel quibus laudibus hunc diem Natalis Domini prædicemus, profus ignoro. In tanta enim festiuitate ad magnificandum Deū humana loquela non sufficit. Nam si tunc cum nascebatur Christus, angelorum voce laudatus est, nunc humana laudandus est voce cum regnat. Supergreditur enim illius temporis festiuitatem nostra solennitas. Siquidem tunc stupuerunt illi tantum nascentem Dominum, nos illum suscipimus nascentem, resurgentem pariter & regnātem. Tantò igitur facūdius laudatio esse debet humani temporis, quāto sunt maiora miracula. Sed quoniam dignam prædicationem exhibere non potest humana fragilitas, ad

ad angelorū nos præconia cōferam. Et quia meritò eos equiparare nō possum, deuotione comitemur, hoc est, in ea festiuitate eadem qua illi lætitia, nos sententia persultemus dicentes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Digna planè & iusta sententia quæ in natiuitate Christi & Deo honorem representat in caelis, & hominibus pacem præsentat in terris. Ante saluatoris enim ortum nec cœlestia reuerentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant. Sed videte quid dicat ipsa sententia: Pax in hominibus bonæ voluntatis. Non in quibuscunque hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus, vt intelligas pacem Christi non debiti esse, sed meriti. Nō enim eam meriti angeli in ea nocte qua pastores nascentem Dominum super gregem suum vigilias obseruantes primi præ omnibus didicerunt. Ipsi enim primi ortum saluatoris ante omnes homines intimatibus angelis cognouerunt. Vnde mirū est quod prius redēptionem seculi potuerint scire, quā principes. Nō enim angeli annunciauerunt regibus, nō iudicibus, sed hominibus rusticianis. Non ergo iam mirandum est si Christi gratiā antè scire meruerit innocentia quā potestas, & prius cognoscere veritatem simplex rusticatio, quā superba dominatio. Quod enim cognouerūt pastores, principes cognoscere nequie-runt. Vnde & beatus apostolus ait: Quā nemo principum seculi huius cognouit, & reliqua. Ergo in natiuitate Domini, angeli pariter cum pastoribus sunt lætati, excelsam verò dicentes gloriam. Nam vicinis quodammodo & iunctis choris Dei gloriā prædicauerunt. Vnde & credo eosdē angelos in eiusdē domini eadē festiuitate simili nobiscū lætitiæ vicinitate gaudere. Nā qui solēt propter Christi ortū alloqui pastores, non possunt propter eiusdem Christi gaudium non inquirere sacerdotes? Siquidem & quod tunc ad illos super gregem suum vigilias obseruantes nocte intempesta locuti sunt, huius temporis mysterium designabant. Nam illo factō hoc vtique monstrabatur, gregem populū, noctem seculum, sacerdotes esse pastores, qui iugi super plebem sollicitudine vigilantes propter Christū ab angelis minimè deseruntur. Hodierna igitur die seculum carnem natus est Dominus, ita secretò, ita silentio, vt ortum eius seculum penitus ignoraret. Ignorauit enim seculum, quia & extra conscientiam patris natus, & extra ordinem naturæ conceptus. Nā Ioseph conceptum suscepit filium, quem non genuit: Maria partum edidit, quem sexus consuetudine non creauit. Sic igitur natus est dominus, vt ortum eius nemo futurum suspicaretur, nemo crederet, nemo sentiret. Quemadmodum crederent hoc futurū, quod postea quā factum est, factum esse vix credunt? Nam quod ita latenter & secretò saluator descendens esset in virginem, iam antè Dauid propheta testatus est, dicens: Descendet sicut pluuia in vellus. Quid enim tam silenter & sine strepitu fit, quā cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore percussione aspergit: sed sine inquietudine hominum totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahit, vnus meatus scissurā nesciens, solida mollitie plures præbens meatus: & S. Ambr. tom. 5.

quod clausum videtur per desitatem, est patulū per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Rectè inquam Maria velleri comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius agnus egressus est, qui & ipse matris lanicium, hoc est, carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur.

Item de Natali Domini. Sermo XIII.

Lætitia quanta sit, quantūque concursus cū Imperatoris mūdi istius natalis celebrāndus est, bene nostis: quemadmodum duces & principes, omnes etiam militātes accuratè sericis vestibus accincti, operosis cingulis auro fulgente preciosis ambiunt solito nitidius in conspectu regis incedere. Credunt enim maius esse imperatoris gaudiū, si viderit maiorem suæ apparitionis ornatum, tantòque illum lætum futurum, quāto ipsi fuerint in eius festiuitate deuoti: vt quia Imperator tanquam homo corda non conspiciat, affectū eorum circa se probe vel habitum contuendo: ita sit vt splendidius se accuret quisquis regē fidelius diligit. Deinde quia in die Natalis sui sciunt eum largum futurum, ac donaturum plurima vel ministris suis, vel iis qui in domino eius abiecti putantur & viles, tāta prius thesauros eius replere diuitiarum varietate festinant, vt in quantum prorogare voluerit, intantum prorogatio copiosa non desit, & antè voluntas donandi deficiat, quā substantia largiendi. Hæc autem ideo sollicitè faciunt, quia maiorem sibi remunerationem pro hac sollicitudine sperāt futuram. Si ergo fratres seculi istius homines propter presentis honoris gloriam terreni regis sui natalis diem tanta apparitione suscipiunt, qua nos accuratatione æterni regis nostri Iesu Christi natalem suscipere debemus: qui pro deuotione nostra non nobis temporalem largitur gloriam, sed æternam, nec terreni honoris administrationem dabit quæ successorē finitur, sed cœlestis imperij dignitatem, quæ non habet successorē. Qualis autem nostra remuneratio sit futura, dicit propheta. Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit dominus diligentibus se. Quibus indumentis nos exornari oportet? Quod autem diximus nos, hoc est animas nostras, quia rex noster Christus non tam nitorem vestium quam animarum requirit affectum, nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum, nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operositate miratur, sed fortis castimoniam restringentis libidinem ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inueniri ante ipsum probari fidei, compti misericordia, moribus accurati: & qui fidelius Christum diligit, nitidius se mandatorum eius obseruatione cōponat, vt verè nos in se credere videat, cum ita in eius solennitate fulgemus, & magis LL

latus, si quò nos perspexerit puriores. Atq; ideo ante complures dies castificemus corda nostra, mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac nitidi & sine macula immaculati Domini suscipiamus aduentum, ut cuius natiuitas per immaculatam virginem cõstitit, eius natalis per immaculatos seruos procuretur. Quisquis enim in illa die fordidus fuerit ac pollutus, natalè Christi ortumque nõ curat, inter sit licet dominicæ festiuitati corpore, mente tamen longius à saluatore separatur, nec societatem habere poterunt immundus & sanctus, avarus & misericors, corruptus & virgo, nisi quod magis ingerendo se indignus offensionem contrahit, cum minimè se cognoscit. Dũ enim vult officiosus esse, iniuriosus exiit: sicut ille in euangelio, qui in cõctu sanctorum inuitatus ad nuptias venire ausus est vestem non habens nuptialem: & cum alius niteret iustitia, alius luceret fide, alius castitate fulgeret: ille solus conscientiaæ foeditate pollutus, cũctis splendebat de formi horrore sordebat. Et quãto plus simul discumbetium beatorum candebat sanctitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minus displicuisse forsitan, si in cõfortium iustorum minimè se dedisset. Propterea ergo sublatus manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur non solum quòd peccator erat, sed quia cum peccator esset, sanctitatis sibi meritum vindicabat. Igitur fratres suscepturi natalem Domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus thesauros eius diuerforum munerum donis, ut in die sancta sit vnde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes vestiantur. Nam quale erit si in vna eadẽque domo inter seruos vnus Domini alter exultet in holocericis, alter consumat in pannis: alius æstuet cibo, alius famem frigusque sustineat: ille eructet hesternam indigestionis crapulam, hic hesternam ieiunij mediam non resoluat? Aut quis erit nostræ orationis effectus, si petimus ut liberemur ab inimico, qui non sumus liberales in fratres? Simus imitatores Domini nostri. Si enim ille pauperes in cœlesti gratia voluit nobis esse confortes, cur nobis non sint in substantia terrena confortes? Nec extranei sint alimoniis qui fratres sunt sacramentis, nisi quòd rectius apud Dominum per ipsos agimus causam nostram, ut nostris eos alamus sumptibus, qui illi gratias agant. Quisquis autem pauper Dominum benedicit, illi proficit, quo faciente Dominus benedicit: & sicut scriptum est de illo, Væ illi homini per quem nomen Domini blasphematur: ita & de isto scriptum est: Pax huic homini, per quem nomẽ Domini benedicitur saluatoris. Quale autem est meritum largientis, ut solus quis operetur in domo, & per multos ecclesia Dominum deprecetur? Et quod ille fortassis petere de diuinitate non audeat, plurimorum interpellantium orationibus, etiam quod non sperabat accipiat. Quod adiutorium nostrum commemorans beatus Apostolus ait: Ut per multos gratiarũ actio referatur pro nobis. Et iterum: Ut fiat oblatio nostra accepta & sanctificata in spiritu sancto.

Matth. 22.

Roman. 2.

Luca 10.

Matth. 10.

Rom. 15.

Satis abundèque dixisse me credo superiore dominica quemadmodum compti vel nitidi natalem Domini suscipere debeamus, & superuenientem festiuitatem eius ambitione retinere. Retinere inquam, ut si dies solennitatis transeat, apud nos sanctificationis eius beatitudo permaneat. Hæc enim gratia natalis est Domini saluatoris, ut in futurum ad prædestinatos transeat, in præteritum remaneat ad deuotos. Oportet ergo esse nos sanctitate puros, mundos pudicitia, nitidos honestate, ut quo diem festum aduenire propinquius cernimus, hoc accuratius incedamus. Si enim mulierculæ solent aliquas suscepturæ maculas vestium suarum aqua diluere, cur non magis nos accepturi Natalem Domini maculas animarum nostrarum fletibus abluamus? Et illè quidem si adeo infectæ & obscuræ sordibus fuerint, ut maculas sola aqua non purget, adducunt mollitiem olei, saponis etiã acrimoniam: nos quoque si tam graue peccatum fuerit, ut minimè solis fletibus abluatur, addamus misericordiaæ oleum acrimoniamque ieiunij. Nul- lum enim tam graue delictum est quod non purgetur abstinentia, elemosynis extingatur. Ait enim sanctus propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum. Magna ergo est elemosyna quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, ut quamuis offensus Deus, quamuis criminibus prouocatus cogatur liberare elemosynis, quem dispõsuerat punire peccatis. Cogitur enim à nobis quodammodo, dum compellitur pro actibus nostris mutare sententiam, & in vno eodẽque homine nunc seueritate iudicis permoueri, nunc patris pietate blãdiri. Pater enim nobis Deus est cum bene agimus: iudex noster est cum peccamus. Compellitur ergo operibus nostris Dominus ut nobis suam misericordiam largiatur: atque ideo ipse in euangelio sancto dicit, Adiebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum cogitur. Regnum cœlorum non nisi Christus est Dominus, qui regnat in cœlis. Cogi autem verbum tunc solet dici, cum res aliqua rarior assidua operatione densatur. Ex quo ergo Ioãnes Baptista saluatoris annunciauit aduentum, ex eo regnum cœlorum quod prius fluidum & remissum apud Iudæos iacebat, credentium populorum cœpit assiduitate densari, & omnis illa regni raritas prædicationum frequetatione solidari. Tã enim rarum fuit apud Iudæos regnũ, ut transfret ad gentes, tam fluidum ut emanaret ad populos. Nunc autem tanta credentium cogitur densitate, ut fixum & solidum maneat sine fine, sicut scriptura dicit: Et regni eius nõ erit finis. Cogimus ergo regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus, sicut ait euangelica lectio: Et vim facientes diripiunt illud. Vim, inquam, facimus Domino non compellendo, sed flendo: nõ prouocando iniuriis, sed lachrymis exorando: nõ blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur. Beata inquam violentia quæ vim patienti bonitatem elicit,

H

I

K

L

M

N

O

P

Q

Item de Natali Domini.

Sermo xv.

Matth. 14.

Matth. 11.

Eccl. 3.

Matth. 21.

Gen. 49.

Matth. 25.

Matth. 11.

Matth. 28.

Matth. 11.

Luca 1.

Matth. 11.

Matth. 11.

Matth. 11.

Matth. 11.

elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo caufatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo. Aggredimur ergo in itinere Dominum, siquidem ipse est via, & more latronũ suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros, & vitam: sed ille tam diues & largus est, ut non abnuat, non resistat, & cum omnia dederit, nihilominus omnia ipse possideat. Aggredimur, inquam, illum non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus, antè corporibus nostris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur. Prius enim ipsi regnare debemus in nobis, ut regnum possimus diripere saluatoris. Ait ergo euangelium: Et vim facientes diripiunt illud. Raptores igitur sumus: raptores autem non nisi diripiunt aliena. Agnosco veram esse sententiam. Christum enim ecclesia rapuit synagoga, & alienæ gentis regnum vim faciendo possedit. Nam saluator missus sub lege, natus in lege, nutritus iuxta legem, dum à Iudæis negligitur, à gentibus occupatur: & dum à sacerdotibus perditur: à peccatoribus inuenitur, sicut ipse ait: Publicani & peccatores præcedent vos in regno cœlorum. Raptores igitur sumus: mirandum non est, quippe qui à tali authore descendimus. Scriptum est enim de patriarcha nostro Beniamin: Lupus rapax. Rapit enim quod suum non est: ita & nos velut filij rapacis lupi alienarum pastorem ouium nostra intentione præripimus, sicut ipse dicit: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Rapitur itaque Christus cum à Iudæis dimittitur, & ab aliis prædicatur. Rapitur Christus cum occiditur à Iudæis, & sepelitur à nobis. Rapitur Christus à vigilantibus discipulis, à dormientibus perditur Pharisæis: sicut mentiendo ipsi confessi sunt, dum custodias ponerent sepulturæ, post resurrectionem Domini dicentes: Quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Vnde spiritualiter intelligimus quia Christum omnes dormientes perdunt, vigilantes inueniunt: Atque ideo Apostolus dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Vides ergo mortuũ esse qui ita dormit, ut non custodiat saluatorem. Et ideo illi pharisæi velut mortui non potuerunt seruare viuentem. Propterea fratres non dormiamus, sed vigilemus circa ipsum Dominum nostrum saluatorem, & appositis iugiter custodiis nemo illum auferat de sepultura pectoris nostri, nec dicamus aliquando: Venerunt, & dormientibus nobis furati sunt eum. Habemus enim inimicos, qui Christum de cordibus nostris si obdormierimus, auferre nitantur. Vnde peruigili cura seruemus eum in sepulchro animarum nostrarum: ibi perquiescat, ibi dormiat, ibi cum voluerit & resurgat.

Item de Natali Domini

Sermo. xvi.

Bene quodammodo sanctam hanc diem natalis Domini solem nouum vulgus appellat, & tanta sui autoritate id confirmat, & Iudæi etiam atque gentiles in hac voce consentiant. Quod libèter amplectendum nobis est, quia oriente saluatore non solum humani generis salus, sed etiam solis ipsius claritas innouatur, sicut ait Apostolus: Ut per ipsum restauret omnia siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt. Si enim obscuratur sol cum Christus patitur, necesse est illum splendidius solito lucere cum nascitur. Et si Iudæis mortem operantibus offundit tenebras, cur non Mariæ parturienti vitam exhibeat claritatem? Aut quare non credamus quòd nascente Christo sol ad obsequium lucidior aduenerit, cum Magos ad iudicium clarior stella præcesserit? Et si stella per diem alieni temporis officium ministravit, cur non credamus quòd sol quoque nocturnis horis aliquantulum aduentu maturiore decerpserit? Ex eo denique factum puto ut nox decrederet, dum sol festinus ob dominicæ natiuitatis obsequium antè mũdo lucem protulit, quàm nox cursum sui temporis consummaret. Quin potiùs ipsam noctem fuisse non dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua pastores peruigilant, exultant angeli, astra deseruiunt. Nec mirari debemus quòd in natiuitate Christi noua omnia facta sunt, cum nouum hoc ipsum fuerit quod virgo peperit. Si autem præter solitum natiuitas extitit, & præter solitum obsequia sunt delata. Ergo oriente Domino pastores peruigilant, exultant angeli, sol obsequitur, stella famulatur. Et quidem angeli vel pastores gaudia sua voce vel sermonibus prosequuntur: elementa autem ista gaudia sua, quia voce non poterant, officio protestantur. Sol igitur præter consuetudinem in hac festiuitate matutinus illuxit. Nec mirum. Si enim ad Iesu Naue orationem defixus stetit in die, cur non ad Iesu Christi natiuitatem festinus promoueret in noctem? Solem igitur nouum hanc diem vulgus appellat: & cum dicit nouum, utique & veterem esse demonstrat. Veterem autem dixerim huius mũdi solem qui defectionem patitur, qui parietibus excluditur, qui nubibus obscuratur. Veterem dixerim solem, qui vanitati subiacet qui corruptionem meruit, qui iudicium pertimescit. Scriptum est enim: Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem. Veterem, inquam, dixerim, qui sceleribus interest hominum, adulteria non refugit, homicidium non declinat. Et cũ omne genus hominum nolit esse medium cum aliquod crimen admittitur, hic solus in cunctis facinoribus stat. Ergo quia hunc veterem esse manifestum est, nouum quẽ nisi Christum Dominum reperimus? de quo scriptũ est: Orietur vobis sol iustitiæ: de quo etiam ex persona peccatorum dicit propheta: Sol non est ortus nobis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Hic enim sol, cum diaboli tenebris vniuersus mundus esset oppressus, & caligo referta criminibus seculorum possideret, dignatus est vltimo tempore, hoc est incumbente iam nocte ortum suẽ natiuitatis infundere. Primo quidem ante lucem, hoc est antequã illuminaret iustitiæ sol, velut matutinum quoddam prophetarum misit oraculum, sicut scriptum Hierem. 7.

Ibidem 1.

Matth. 2.

Luca 2.

Iosua 19.

Ios. 2.

Malach. 4.

Sapient. 5.

Hierem. 7.

est. Mittebam prophetas meos ante lucem. Postea G
 verò ipse cum suis radiis, hoc est cum apostolorum
 suorū fulgore splenduit, ac tāta mūdū veritatis luce
 discussit, vt diaboli tenebra nullos offenderet. Hic
 est igitur sol nouus qui claustra penetrat, inferna re-
 ferat, corda rimatur. Hic nou^o est sol, qui spiritu suo
 viuificat mortua, corrupta reparat, sulcat iā defū-
 cta, vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluida,
 decoquit vitiosa. Ipse inquam est qui in cūctis acti-
 bus nostris perspicit omnia opera nostra, & non tā
 condemnat crimina, quā emendat. Hic planè
 est sol iustus & sapiens, qui non sine discretionē si-
 cut istius sol mundi bonis ac malis similiter circum-
 fertur, sed quodam iudicio veritatis, sancto lucet,
 occidit peccatori. Hoc autē inter vtrūque interest
 solem: quòd ille iudicium metuit, hic iudicium cō-
 minatur: quòd ille corruptionis minister est, hic ē-
 ternitatis est Dominus: quòd ille creatura est, hic
 creator. Tamen istum mundi solem, priusquam or-
 ritur, adhuc ante lucem propter necessarios vsus
 hominum solet lucerna præcedere. Habet autem
 & Christus sol lucernam suam quæ eius ortum præ-
 cessit, sicut dicit Propheta: Parauit lucernam Chri-
 sto meo. Quæ autem ista lucerna sit, ostendit Do-
 minus dicens de Ioanne Baptista: Ille erat lucerna
 ardens. Ipse autem Ioannes, vt præcedens lucernæ
 lumen exiguum, ait: Ecce venit post me, cuius non
 sum dignus soluere corrigiam calceamentorū eius:
 ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Simul
 etiam intelligens lumen suum solis radiis offuscan-
 dum, ante prædicit: Illum oportet crescere, me au-
 tē minui. Sicut enim lucernæ claritas destruitur so-
 lis aduentu, ita & Ioannis pœnitentiæ baptismum
 superueniente Christi gratia vacuum est. Videamus
 igitur, hic sol noster nouus quo fonte nascatur:
 sicut est verum, Deo oritur authore. Diuinitatis ergo
 est filius. Diuinitatis, inquam, incorruptæ, intē-
 græ, illibatæ, intelligo planè mysterium. Ideo enim
 secunda natiuitas per immaculatam Mariam, quia
 prior per diuinitatem constiterat illibata, vt cui
 prior natiuitas gloriosa exitit, eius secunda contumeliosa
 non fieret, hoc est, vt quemadmodum virgo
 diuinitas ediderat, ita cū & virgo Maria genera-
 ret. Habere etiam apud homines patrem scribitur,
 sicut legimus in euangelio dicentibus Phariseis:
 Nōne hic est filius Ioseph fabri, & mater eius Ma-
 ria est? In hoc quoq; aduerte mysteriū. Faber pater di-
 citur Christi. Et planè pater faber Deus, qui totius
 mundi opera fabricatus est. Et planè faber, sed qui
 in diluuiō Noe arcam fabricare disposuit. Faber
 inquam est qui ordinauit Moyse tabernaculum, ar-
 cam testamenti instituit, templum Salomonis ere-
 xit. Fabrum dixerim, qui mentes rigidas expolit,
 cogitationes superbas recidit, humilia facta subli-
 mat. Hic autem faber circa arbores curuo vtitur
 ferramento: sicut in euangelio legimus, dicente
 Ioanne: Iam securis ad radices arborum posita est.
 Omnis arbor non faciens fructum excidetur, & in
 ignem mittetur. Hoc enim agit totum, vt viles cœ-
 lestis fabricæ arbores in futuro cōponat, infructuo-
 sas verò euulsas radicibus flammarum consumat in-
 cendio.

E St mihi aduersus plerosque de vestris, fra-
 tres, querela non modica, de his loquor qui
 nobiscum natalem Domini celebrantes, gentilium
 se feriis dederunt, & post illud cœleste conui-
 uium superstitionis sibi prandiū parauerunt, vt qui
 antè lætificati fuerant sanctitate, inebriarentur
 postea vanitate, ignorantēs quòd qui vult regna-
 re cum Christo, non possit gaudere cum seculo:
 & qui vult inuenire iustitiam, debeat declinare
 luxuriam. Alia enim ratio est vitæ æternæ, alia
 desperatio læsciuia temporalis. Ad illam virtu-
 te ascenditur, ad istam perditione descenditur.
 Atque ideo qui vult esse diuinorum particeps, non
 debet esse socius idolorum. Idoli enim portio
 est inebriare vino mentem, ventrem cibo disten-
 dere, saltationibus membra torquere, & ita pra-
 uis actibus occupari, vt cogaris ignorare quod
 Deus est. Vnde sanctus Apostolus hæc præuidens
 dicit: Quæ portio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ
 societas luci cum tenebris, aut quæ pars fidei cū
 infideli, qui autem consensus templo Dei cum i-
 dolis? Ergo si nos sumus templum Dei, cur in
 templo Dei colitur festiuitas idolorum? Cur vbi
 Christus habitat, qui est abstinentia, temperantia,
 castitas, inducitur comessatio, ebrietas, atque læ-
 sciuia? Dicit saluator, Nemo potest duobus do-
 mis seruire, hoc est, Deo, & mammonæ. Quo-
 modo igitur potestis religiose epiphaniam Domi-
 ni procurare, qui iam kalendas, quantum in vo-
 bis est, deuotissimè celebrastis? Ianus enim ho-
 mo fuit, vnus conditor ciuitatis, quæ Ianiculum
 nuncupatur, in cuius honorem à gentibus kalen-
 dæ sunt Ianuariæ nuncupatæ. Vnde qui kalendas
 Ianuarias colit, peccat: quoniam homini mortuo
 defert diuinitatis obsequium. Inde est quod ait
 Apostolus, Dies obseruatis, & menses, & tem-
 pora, & annos: timeo ne sine causa laborauerim in
 vobis. Obseruauit enim diem & mensem, qui his die-
 bus aut non ieiunauit, aut ad ecclesiam non proces-
 sit. Obseruauit diem qui hesternā die non proces-
 sit ad ecclesiam, processit ad campum. Ergo fra-
 tres omni studio gentilium festiuitatem & ferias de-
 clinemus, vt quando illi epulantur & læti sunt,
 tunc nos simus sobrij atque ieiuni, quo intelligant
 lætitiā suam, nostra abstinentia condemnari. Non
 solum autem gentilium, sed & Iudæorum consor-
 tia vitare debemus, quorum etiam confabulatio
 est magna pollutio. Hi etenim arte insinuant se
 hominibus, domos penetrant, ingrediuntur præ-
 toria, aures iudicum & publica inquietant, & ideo
 magis præualent, quò magis sunt impudentes.
 Hoc autem non recens in ipsis, sed inueteratum &
 originarium malum est. Nam olim iam & domi-
 num saluatorem intra prætorium persecuti sunt, &
 præsidis eum iudicio condemnarunt. In prætorio
 ergo à Iudæis innocentia opprimitur, secretum pro-
 ditur, religio condemnatur. Cū enim Christus
 occiditur, omnis in eo veritas & iustitia condemna-
 tur, quoniam ipse est innocentia, religio sanctita-
 tis, atque mysterium.

Psalm. 131.

Iuan. 5.

Ibidem 1.

Iuan. 3.

Matth. 13.

Ibidem 7.

Ibidem 3.

De sancta

E Vangelica scriptura refert, sicut lectum nuper
 audiuius. Dominum ad Iordanem baptis-
 mi causa venisse, & in eodem flumine mysteriis se cœ-
 lestibus consecrari voluisse. Quod mirari nō debe-
 mus, cur hoc baptismatis ipsius dominus & magi-
 ster fecerit, quia ipse ait: Qui fecerit sic & docuerit,
 maximus vocabitur in regno cœlorum. Facere igitur
 prius voluit quod faciendum omnibus impera-
 bat, vt bonus magister doctrinam suam non tā ver-
 bis insinaret, quā actibus exerceat, & ad finem
 nos gestu pariter confirmaret & sensu. Hoc autē to-
 tum hodierna die gestum esse manifestū est. Quod
 ita verum esse ipsa possumus colligere ratione. Ra-
 tio enim exigit, vt post diem natalis dominici, licet
 interpositis annis, eodem autem tempore hæc festi-
 uitas sequeretur, quā & ipsam festiuitatem nata-
 lem appellandam puto. Tunc enim natus homini-
 bus, hodie renatus est sacramentis: tunc per virginē
 editus, hodie per mysterium generatus. Ita enim
 disposuit Dominus non longè inter se hominum vo-
 ta distare, vt in vno tempore quem genitum gratu-
 labantur in terra, sanctificatum lætarentur in cœ-
 lis: vt qui partum virginis angelis annunciantibus
 possidebant, Dei filium cœlis testantibus retinerēt,
 certique essent homines quia ipse esset filius Dei,
 quem virgo pepererat, diuinitas agnoscebat. Noui
 enim partus noua merētur obsequia. Ibi cū secū-
 dum hominem nascitur, mater eum Maria sinu cir-
 cumsouet. Hic cū secundum mysterium gignitur,
 Pater eum Deus voce complectitur. Ait enim: Hic
 est enim filius meus, in quo bene complacui, ipsum
 audite. Mater ergo partui molli blanditur gremio,
 pater filio pio testimonio famulatur. Mater in quā,
 eum adorandum Magis ingerit, pater colendum
 gentibus manifestat. Sinu igitur retinetur à matre
 cū nascitur, sed pater ei sinus sui fotum iugiter
 subministrat. Legimus enim eum sine intermissio-
 ne in patris gremio quiescentem, dicente euan-
 gelista: Deum nemo vidit vnquam nisi vnigeni-
 tus filius, qui est in sinu patris. Libenter ergo in
 sinu sanctorum quiescit Dominus. Vnde & Ioan-
 nis euangelista sinum, vt in eo accumberet, liben-
 ter elegit. Sinus ergo in quo Christus requiescit, nō
 corporis gremio preparatur, non vestimentorum
 ambitione componitur, sed cœlestium virtutum o-
 peratione colligitur. Nam Christi sinus erat in
 Ioanne euangelista fides, in Deo patre diuinitas, in
 Maria matre virginitas. Ibi sinus Christi est vbi ha-
 bitaculum est virtutum. Ibi reclinat caput suum, v-
 bi domicilium cœlestium inuenit præceptorum.
 Nam ideo peccatoribus & infidelibus dicit: Vulpes
 foueas habent, & volucres cœli nidus: filius autem
 hominis non habet vbi caput reclinet. Igitur Do-
 minus Iesus hodie venit ad baptismum, & corpus
 suum sanctum voluit aqua dilui. Dicit fortasse ali-
 quis, Qui sanctus est, quare voluit baptizari? Audi er-
 go. Ideo baptizatur Christus, non vt sanctificetur ab
 aquis, sed vt ipse aquas sanctificet, & purificatione
 sui purificet fluentia illa quæ tāgit. Cōsecratio enim
 Christi, consecratio maior est elementi. Cū enim
 saluator abluitur, iam tunc in nostrum baptismum

A tota aqua mundatur, & purificatur fons, vt secutu-
 ris post modum populis lauacri gratia ministraretur.
 Præcedit ergo Christus per baptismum, vt Christia-
 ni post eum confidenter populi subsequantur. In-
 telligo ergo mysterium. Ita enim & columna ignis
 præcessit per mare rubrum, vt intrepidum iter Israel
 filij subsequerentur, & ipsa prius per aquas gressa
 est, vt venientibus post se viandi semitam præpara-
 ret. Quod factum, sicut Apostolus dicit, mysteriū
 baptismi fuit. Baptismum planè quodammodo
 fuit, vbi homines nubes operiebat, vnda portabat.
 Sed hæc omnia operatus est Christus Dominus i-
 dem & qui modo, qui sicut tunc per mare filios Is-
 rael in ignis columna præcessit, ita nunc per bap-
 tismum Christianos populos in corporis sui columna
 præcedit. Ipsa, inquam, est columna quæ tūc sequē-
 tium oculis præstitit, modo lucem credentium cor-
 dibus subministrat. Tunc in fluentis vndarum soli-
 dauit semitam, modo in lauacro fidei vestigia cor-
 roborat: per quam fidem, sicut filij Israel, qui intre-
 pidus ambulauerit, persecutorem Ægyptium non
 timebit,

Item de sancta Epiphania. Sermo xix.

E Xultandum est nobis fratres charissimi, quòd
 votis nostris vota succedunt, quòd gaudiis gau-
 dia cumulantur. Ecce enim adhuc natalis dominici
 solennitate corda nostra persultant, & iam festiui-
 tate sanctæ Epiphaniæ gloriamur. Gratias igitur a-
 gere debemus Domino, qui nos frequenter visitat
 vt saepe lætificet, & iam copiosius requirit vt nume-
 rosius benedicat. Quamuis igitur gentilis (licet va-
 nē) numerosa solennitate lætetur propter diuersita-
 tem dominorū suorum, tamen plures nobis festiui-
 tates præstat vnus diei visitatio, quā illis multo-
 rum dæmoniorum superstitionis præsumptio. Nam
 sicut eos veritate religionis vincimus, ita votorum
 numero superamus. Epiphaniæ ergo hodie procu-
 ramus gaudia. Querat aliquis quid interpretetur
 hoc verbū, scilicet quia Epiphania Græcè, Latinè
 dicitur apparitio. Ergo quia tunc primum apparuit
 saluator in mundo, ipsa dies eodem vocabulo E-
 piphania nūcupata est. Quomodo autem apparue-
 rit, requiramus, non quòd in mundo antè non fue-
 rit, cū mundus per ipsum factus sit: sed quod tunc
 primum signis atque miraculis credentium cordi-
 bus Deus Christus illuxerit, & in tenebras cōsciē-
 tias hominum fidei splendor aduenerit. Cū igitur
 deus vbi que sit, & vniversa possideat, tanquā nō vi-
 sus antea apparuisse dicitur. Apparuit autē nō tā o-
 culis hominū, quā salutis. Nā etsi prius nat^o ex virgi-
 ne oculis carnalib^o videbatur, tamē nō apparebat,
 quoniā virtutē ei^o adhuc fidei acies ignorabat. vnde
 Iudæis per prophetā dicitur: Vidētes videbitis, &
 nō videbitis, hoc est saluatorē quem cernerēt ocu-
 lis corporalibus, spirituali lumine nō viderēt. Post-
 ea enim quā diuinitatē suā mirabilibus declarauit,
 humanis mentibus tanquā nouus & inopinatus ap-
 parens, oculos quosdā cordis infudit, vt cognosce-
 ret sensus quem non cognouit aspectus. Vnde fit,
 vt nos Christum Dominum per fidem, quem nun-
 quā vidimus, contemplemur: Iudæi quē perspex-
 erunt, non viderunt.

LL iij

runt oculis, palpauerunt manibus, hodiéque nō videant. Requiramus igitur quod signum operatus sit vt diuinitatem suam populis declararet. Dicitur hoc primum fecisse miraculum, vt aquam mutaret in vinum. Magnum planè signum, & ad Dei credendum sufficiens maiestatem. Quis enim non miretur in aliud quàm erant elementa esse translata? Nemo enim potest mutare naturam, nisi qui Dominus est naturæ. Credendum est iam ex hoc mortalem hominem in immortalitatem posse conuerti, quando vilis substantia in preciosam est conuersa substantiam. Nolo enim auditor nomina tantum perspicias vini & aquæ: sed si vis potentiam comprobare, virtutem rerum aspice. Facto enim hoc altius nescio quid demonstratur. Nam cum Dominus aquam vertit in vinum, non tantum hoc operatur ne discumbentibus desit ebrietas, sed vt credentibus abundet æternitas. Siquidem propterea in mundum venerit Christus, non vt conuiuorum cellaria procuraret, sed vt saluti hominum prouideret: nec vt hydrias substantia boni odoris impleret, sed vt animas gratia Sancti spiritus irrigaret. Ergo cum ex illa vili aqua vini optimi saporem voluit gustare conuiuas, magis voluit ex hac vili carne resurrectionis cœlestis sapientiam gustare credentes. Nam hoc signum totum vtique resurrectionis mysterium continet. Aqua enim vilis, pallens, & frigida in vinum versa, scilicet preciosum rubrum, vel ignitum, hoc significat, hominis substantiam conditione vilem, imbecillitate pallentem, morte frigentem in resurrectionis gloriam commutandam, quæ est æternitate preciosa, gratia colorata, spiritui immortalitatis ignita. Hoc igitur dignum est credere Dominum operari voluisse, vt per hoc terrenum signum, futuram iam tunc à sapientibus cœlestem mysterium videretur. Nam si mirabile est vtique quæ defecerat conuiuuiis vina suppleffe, quanto est mirabilius vitam quæ est exhausta, hominibus reparasse? Et si gloriosum est aquam in vinum mutare, quanto est gloriosius peccata in iustitiam commutare, & mores potius temperare quàm pocula? Audeo dicere illas hydrias nō solum illi conuiuio, sed vniuerso mundo preciosam illam ministrare substantiam, nisi quod nobis melius administrant. Constat enim ex ipsis vasculis illos hausisse ebrietatem, nos haurire iustitiam. Illos percepisse vini poculum, nos calicem salutis accipere: & si dici fas est, apud illos pertrāsisse quod biberant, apud nos verò permanere quod sumpsimus.

Item de eodem.

Sermo xx.

Meminit sanctitas vestra fratres superioris prædicationis nostræ, qua descripsimus beatos Apostolos vno viso miraculo, hoc est, aqua in vinum à saluatore conuersa, in eum protinus credidisse. Ita enim ait euangelista de Domino: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Quod factum non ideo tantum scriptum est, vt illorum sub quibus factum est fidei gloria monstraretur, sed & propter nos, qui eodem deuotionis exemplo credulitatis gloria prouocamur. Christus enim quod operatus, est non illis tantum operatus est quos habebat tunc præsentem, sed & nobis postea secu-

802
turis: vt licet maiores nostri tempore nos præcederent, tamen signorum gratia non præirent. Quæ enim illis exhibita est præsentia rerum in mirabilibus virtus, eadem virtus nobis literarum thesauro conseruata: vt nobis præstaret pagina, quod illis gerebat historia: immo in nobis geritur quicquid nobis ingeritur, quicquid nobis insinuat, vt scripturarum speculo dictaretur: & potentiam Domini quam illi carnalibus oculis cernerent, nos spirituali lumine videremus. Et crediderunt in eum, & manifestauit gloriam suam discipulis suis. Quam bene potentiam Domini subsequitur deuotio feruulorum: & quod magister docet opere, discipuli in corde describunt. Ecce cui manifestatur virtus operantis, & fides prædicatur manifesta credentium. Prædicanda plane Apostolorum fides, quæ viso vno signo credidit in omnipotentiam saluatoris: & Apostoli dum mirantur aquam in vinum versam, ipsi ex omni fæce peccatorum similiter sunt conuersi, & instar facti miraculi ex vili superstitione gentilium in preciosam deuotionem credentium sunt trāslati. Et vt aqua in vinum versa, sapore, rubore, calore conditur: ita scientiæ, quod erat in his insulsum, accepit saporem: quod pallens, gratiæ sumpfit colorem: quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur Apostolorum fides, quæ ideo euangelico sermone descripta est, vt & illis esset ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed quod peius est, his illis laus sua permanet, nos exempla non permouent. Nam quanto posteriores sumus tempore, tanto & inferiores merito. Illi enim viso vno signo statim domino crediderunt, nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus dubitamus. Dubitamus inquam, quia præsentia diligimus, dum futura non credimus: diuitias amamus in seculo, dum eas accipere cunctamur à Christo. Iracundia immoderatè extollimur dum retributionis iudicium non timemus. Cæterum qui nouit scriptum esse: Quo iudicio iudicaueritis, eodem iudicabitur de vobis: absque dubio lenis moderatus & mitis est, & plus bonitate cogit, quàm seueritate compellit, amicus indulgentiæ familiaris est veniæ: vt dum eam frequenter impartit, à Domino semper accipiat. Siquidem prudentis sit rectoris iraterrenos honores agere, vt honorificentiam cœlestis dignitatis acquirat. Et si interdum vigorem dicendi in nobis corporis obtundat infirmitas, tamè studio deuotionis vestræ fortiores efficitur. Nam quo vos studiosius auditis, eo nos libentius prædicamus, & virtus nobis loquedi additur cum vos intelligendi accommodatis auditum. Quis non conetur illic verbi cœlestis semen iacere, vbi illud puri cordis fœcunda terra suscipit? Quis inquam, non illic verbum saluatoris collocare velit, vbi illud non secularium sollicitudo præfocet, sed disciplinarum spiritualium virtus enutriat? Ergo fratres quia in sancta Epiphania exultauimus videtes miracula saluatoris, debemus facere quod illius temporis discipuli tunc fecerunt. Quod autè dixi vidisse nos modo quod olim gestum est, videmus planè, videmusque quotidie. Ea enim sunt Christi miracula, vt non iniquitate prætereant, sed gratia conualescant: non obliuione sepeliantur, sed virtutibus innouentur. Apud

Apud potentiam enim Dei nihil est abolitum, nihil præteritum, sed pro sui magnitudine omnia illi in præsentem sunt, totum illi tempus est hodie. Vnde & sanctus propheta dicit: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies vna. Quod si omne seculi tempus vna dies est domino, eadem quæ mirabilia saluator patribus operatus est, operatus & nobis est. Vidimus igitur & nos sicut maiores nostri mirabilia Domini, cum pari ea cum illis stupore suspeximus. Gustauimus & nos sicut illi de ipsis hydriis. Siquidem illi de his poculum vini biberunt, nos salutis calicem sumpserimus. Debemus ergo facere viso signo Domini, quod nostri fecere priores. Si enim eadem in nobis diuinitatis refulsit gratia, eadè & fidei apud nos debet esse deuotio. Dicit enim euangelista de Domino hoc miraculo perpetrato: Et manifestauit gloriam suam, & crediderunt discipuli in eum. Credere ergo debemus, sicut tunc Apostoli crediderunt. Dicit autem & alius: & nos Christiani sumus, credimus in Dominum saluatorem. Sed credere opus est opere, non sermone, non lingua, sed corde, ne & nobis dicatur: Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Item de die sancto Epiphaniae.

Sermo XXI.

Plerique in hac sancta Epiphaniæ die hæcenus à Domino mirabilia facta esse commemorant, vt rogatus ad nuptias aquæ substantiam in vini speciem commutaret, ac liquorem fontium in meliorem usum sui benedictione transferret, ministros hausisse aquam de puteis, vinum in hydriis inuenisse: atque vtiliore dispendio perdidisse quod impleuerant, reperisse quod deerat: tuncque primum hoc mirabili signo diuinitatis sue declarasse virtutem. Nonnulli autem in hac sancta die ab Ioanne baptizatum eum in Iordane testantur, atque in lauacri eius gratia interfuisse loquendo Deum patrem, sanctum quoque spiritum descendisse. Nec mirum si in Domini lauacro mysterium non defuit trinitatis, cum nostrum lauacrum trinitatis compleat sacramentum. Neque enim poterat Dominus non primum circa se exhibere, quod erat postea humano generi præcepturus, cum omnia non sui causa, sed nostræ gratia salutis efficeret. Aut nunquid propter se baptizari voluit, cum peccatum non haberet, sicut dicit propheta: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius? Sed propter nos vtique, qui multorum criminum peccatis obnoxij opus habeamus, vt in Christi baptismo purgaremur: atque ideo venit Dominus ad lauacrum, non vt purificetur ipse aquis, sed vt nobis aquarum fluentia purificet. Ex quo enim ille in aquis se merfit, ex eo omnium credentium peccata deleuit. Necesse est autè vt omnium peccata deleuerit, qui omnium peccata suscepit, sicut ait euangelista, Hic est agnus Dei, hic est qui tollit peccatum mundi. Mirum ergo in modum vnus mergitur, & salus omnium reparatur. Adest ergo Deus pater cum baptizatur Dominus, adest spiritus sanctus. Videte saluatoris beneuolentiam, quæ solus se in passione contumeliis subdidit, in lauacro solus gratiam non quæsiuit, vult participes esse gloriæ. Adest ergo, sicut dixi, pa-

804
ter, adest & Spiritus sanctus: & quia Deus videri nō potest, spiritus in columba, pater descendit in voce: quodque solum ad astruendam fidem hominibus necessarium erat, exhibet saluator. Fides enim nostra nisi auditu non constat & visu: ideo se spiritus in columba oculis subdit, pater in voce se auribus subministrat. Nam nisi propter nostram credulitatem ista fieri oportuisset, potuit pater & spiritus tanquam inuisibilis Deus ad verbum filium inuisibili prolatione descendere. Igitur propter nostram fidem aperto cœlo spiritus ad Christum, pater ad filium, vox descendit ad verbum. Verbum enim Christus est, de quo scribitur: In principio erat verbum. Bene inquam pater vox, & filius verbum dicitur, quia verbum non nisi de voce procedit. Cōueniunt itaque sibi vox & verbum, & saluti hominum prouident societate mysterij. Qua autem ratione Spiritus sanctus ad Christum in specie columbæ descenderit, videamus vtrū sit aliqua similitudo colubæ vel Domini, sicut est vocis & verbi. Et planè non parua. Columbam enim etiam ipsum Dominum dixerim, quia est alacer, mitis & simplex. Columba est, quia sanctos suos esse præcipit vt columbas, dicens: Estote simplices sicut columbæ. Quod autem Columba Christus sit, propheta dicit ex persona ipsius, describens post passionem reditum eius ad cœlum: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Cum ergo Christus Dominus initiaret ecclesiæ sacramenta, cœlo superuenit columba. Intelligo mysterium, agnosco etiam sacramentum. Colūba enim ipsa est quæ nunc ad ecclesiā Christi in baptismo venit, quæ quondam ad arcam Noe in diluuiio properauit, tunc illi securitatem annuncians oliuæ ramo, modo huic æternitatem conferens diuinitatis indicio. Tunc signū pacis ore afferens, modo ipsa pacem Christum sui substantia superfundens. In Iordane igitur baptizatus est Dominus. Multa mirabilia in hoc flumine sepius facta esse scriptura commemorat, inter cætera dicens: Et Iordanis conuersus est retrorsum. Puto autem esse mirabilius quod Domino Iesu Christo ibi posito factum est. Ante enim retrorsum aquæ conuersæ fuerant, modo retrorsum peccata conuersa sunt. Et sicut tunc impetus fluminis alueum sui cursus perdidit: ita & nunc impetus peccatorum dominium sui erroris amisit. Quod quidem in propheta Helia iam illo in tempore factum puto. Sicut enim Helias in Iordane diuisionem fecit vndarum: ita & spiritus Domini in eodem Iordane separationem operatus est peccatorum. Ille stare fluentia præcepit, hic crimina. Et sicut sub Helia fluctus primordia fontium de quibus exierant petiuerunt: ita & sub Christo Domino homines ad originis suæ infantiam, de qua fuerant exorti, sunt reuersi.

Post Epiphaniam.

Sermo XXII.

Ad omnes vos fratres prædicationem meam in die sancta Epiphaniæ peruenisse credo, & ad vos præcipuè catechumenos: in qua descripsimus tunc, nonnullis asserentibus, aquam in vinum fuisse conuersam: plerisque autem testantibus, illa die in Iordane Dominum baptizatum. Quod licet

diuersis alterutrum factum esse credatur: ego tamē vtrumque factum esse confirmo, & aliud signum de alio contineri. Vtrumque enim factum est. Nam cū baptizatus est Dominus, & mysterium lauacri instituit, & humanum genus velut vilem aquam in æternam substantiam diuinitatis sapore cōuertit. Similiter & cum hydrias plenas liquore fontium vertit in vinum, vtrumque operatus est, & speciem magis necessariā nuptiis præstitit, & demonstrat corpora hominum per lauacrum Spiritus sancti replēda esse substantia. Quod alibi ipse Dominus manifestius declarauit dicēs, in vtres novos vinū nouū esse condendum. In nouitate enim vtrium lauacri puritas, Spiritus sancti gratia significatur in vino. Igitur catechumenos diligentius oportuit hoc audisse, quibus magis est necessarium, vt sensus vester, qui ignorantia trinitatis vt vinum, & animarum vestrarum liquor vilis & tenuis in preciosam & fortē gratiam transfundatur, vt vini vice sapiamus quod bonum est, redoleamus quod suaue est, & possimus dicere illud Apostoli: Quoniam Christi bonus odor sumus deo. Catechumenus enim priusquam baptizetur, sicut aqua iacet, riget & pallet. Fidelis autem sicut vinum fortis & ruber est. Catechumenus inquam, sicut aqua nullius saporis, nullius odoris, nullius est precij, nec sufficiens ad vsum, nec delectabilis ad reficiendum, nec tolerabilis ad seruandum. Nā sicut aqua cum seruatur diutius, in deterius versa intra semet putrescit & foetet, ita & catechumenus cū diutius catechumenus permanet, in deterius conuersus intra semet vilescit & deperit. Ait enim Dominus, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum. Qui autem non intrat regnum, necessariō remanet in inferno. Rectē autem vino comparatur fidelis. Sicut enim ex cunctarum creaturarum substantia omnis res vetustate deperit, solum vinum proficit vetustate: ita ex omni genere hominum cunctis antiquitate pereuntibus, solum Christianus proficit vetustate. Et sicut vinum in dies singulos asperitatem suā decoquens, saporis dulcedinem, suauitatem odoris acquirit, ita & Christianus successu temporis delictorum suorum asperitatem decoquens, sapientiam sibi diuinitatis beneuolentia trinitatis assumit. Ergo in hac sancta die baptizatus est Dominus. Videte quā bene ordinauerit, vt & in natali suo natus sit, & in Epiphania sit renatus, vt nec à lōgē à se salutis humanæ vota distarent, & æternas saluatori iugiter gratias ageremus: tunc & vota nostra celebrata sunt, quo Christo ecclesia copulata est, sicut ait Ioannes, qui habet sponsam sponsum est. Propter has ergo nuptias saltare nos conuenit. Siquidē & Dauid rex pariter & propheta, cū multa cecinerit, & ante arcam saltasse dicatur. Elatus enim gaudio in saltationē prorupit. Præuidebat enim in spiritu per Mariam, de germine suo ecclesiam Christi thalamo sociādam, de quo ait: Et ipse tanquam sponsus procedēs de thalamo suo. Atque ideo præ cæteris prophetarum authoribus plus cantauit, quia lætior cūctis per hæc gaudia suos posteros coniūgebat, & ad propria vota omnes gētes solito dulcius inuitabat: nos quoque docuit quid ipsis facere deberemus in

Matth. 9.

2. Corin. 2.

Ioan. 3.

Ibidem. 2. Reg. 6.

Psal. 18.

nuptiis, cum ille ante nuptias tota exultatione lætatus sit.

De quadragesima

Sermo XIII.

SANCTÆ quadragesimæ rationem, cuius hodie initium celebramus, frequenter edidimus, & cur tot dierum numero ieiunemus, sæpe docuimus. Diximus enim quod Dominus Iesus Christus hunc eūdem numerum ieiunij consecrauit, & continuatis diebus noctibusque non capiens cibum, vnum ieiunij corpus effecerit, hoc est, licet diei ordo noctis interrupteretur aduentu, non tamen interruptus est ordo ieiunij. Vnde erant apud eum plura tēporum curricula, sed abstinentiæ dies vna, ostendens nobis ita nos hūc numerum integrum ieiunare debere, vt quia totam quadragesimam completi nō possumus solido & vno ieiunio, vel quotidianis eandē sine intermissione ieiuniis celebremus, vt si quisquam vnam diem abstinendo prætermiserit, totam quadragesimam violarit, & propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit. Sed dicet aliquis. Quadragesimæ aliquotiens accepi mus rationem, & eam consecratam à Domino frequenter audiui: sed cur eadem quadragesima quadraginta & duos dies habeat, audire gestimus. Legimus in veteri testamento cum sanctus Moyses filios Israel de iugo Ægyptiæ captiuitatis erueret, vt in terram eos repromissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus peruenisse, tantōque illum temporū numero potitum esse promissis, quantō & nos promissis nobis à saluatore perfrui gratulamur. Eodem inquam, numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quō & nos per ieiunia properamus ad cœlum. Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus, & diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficiuntur, ita vt citius perueniat qui deuotius ieiunavit. Pedes enim quidam animæ pernices sunt, fides atque ieiunium, qui citō de humilibus ad altiora conscendunt, citō de terrenis ad cœlestia gradiuntur. De his pedibus dicit Apostolus: Quā speciosi pedes euangelizantium bona. Hos pedes lauari præcepit Dominus, sicut Apostolus ait de vidua, Si sanctorum pedes lauit. Digni enim bonore euangelizantium pacem pedes sunt, qui spirituales ad nitidi doctrinā super hominum corda gradiuntur. Quadraginta etiam & duorum dierum numero Israel populus peruenit ad fluentia Iordanis. Eodēque dierū circulo Christianus populus peruenit ad fluētā baptismatis. Et sicut ait propheta, Iordanis conuersus est retrorsum, illic introeunte Israelita in aquam fluminis, vnda superfugit, hīc descendente in fontem christiano criminum peccata diffugiunt. Et mirum in modum illic retrorsum conuersus fluuius in originem suam reuertitur, hīc in posterum reuocatus homo in originis suæ infantiam reparatur. Ibi fontē suum de quo egressa fuerat vnda perquirat, hīc hominem suum à quo exierat innocētia recognoscit. Ibi exinanitur alucus fluctibus, hīc euacuatur corda criminibus. Ibi, vt seruos Dei illic aqua cœnosa nō madidet,

Matth. 24.

Dent. 8.

Psal. 118.

Matth. 5. Ibidem.

2. Corin. 3. Ibidem.

Rom. 10.

1. Tim. 3.

Psal. 118.

madidet, hīc famulos Dei conscientia tetra non polluat. Iordanis enim quidam est fons lauacri, per quem qui trāsuert, relictis sordibus, paradysum repromissionis ingreditur. In hoc ergo quadragenario & duali numero Israel populus relinquēs Ægyptum rubri maris fluenta transcendit: & nos quoque in ipso numero relinquentes mūdi Ægyptum, gehennæ ardentis stagna transimus. Illos in fluctibus vnda sustentat, nos ignis flamma non vrit. Illis solidatur aqua, nobis refrigescit incendium. Et cōtra naturæ vsum per æstum siccat mare, per fontem baptismi gehenna mitescit. In hoc inquam, mystico numero filij Israel peruenientes ad myrrham, cum præ amaritudine aquam haurire non possent, (habebat enim fons aquam, sed dulcedinem non habebat: erat delectabilis ad visionem, sed syncerus non erat ad saporem) iniecto in eam per Moysen ligno, dulcedinem suauiter potarunt: austeritatem quam noxia vnda gestabat, ligni abstulit sacramentum. Quod quidem in figura factum puto. Aquam enim amaram myrrha, legē esse arbitror veteris testamenti, quæ lex prius quā cruce temperaretur Domini, erat immitis. Iubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente dari, & velut austeris nullum misericordiæ refrigeriū porrigebat. At verō vbi ligno euangelicæ passionis est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutās, dulcē se cunctis præstitit ad potandū, sicut ait propheta: Quā dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo. Dulcia enim sunt eloquia quæ iubent, Si quis te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Si quis tibi aufert tunicam, relinque illi & pallium. Hæc est ergo illa amaritudo quæ dulcedine commutata est, id est, austeritas legis euangelij gratia tēperata est. Amara enim est legis litera sine crucis mysterio, de qua ait Apostolus: Litera occidit. At vbi passionis illi sacramenta iunguntur, omnis eius spiritualiter amaritudo conditur. Et de ea dicit Apostolus, Spiritus autem viuificat.

Item de quadragesima. Sermo XXIII.

Retinent adhuc sensus vestri, fratres, nos hoc superiore dominica prædicasse quod huius quadragesimæ nostræ figuram illę quadraginta & duæ mansiones habuerint, per quas populus Israel exiēs de Ægypto, diurno profectu terram repromissionis intrauit, & quasi quibusdam salutis gradibus post iugum seruitutis ascendit ad regnum. Figura inquam fuit in illis mansionibus ieiuniorum nostrorum, non solum in quantitate numeri, sed etiam in obseruatione virtutum. Non enim tantum filij Israel in itinere deserti corporcis gressibus ambulauerunt, quantum in via Domini religiosus actibus profecerunt. In via planē ambulauerunt Domini, quæ illos potauit in fluctibus, & pauit è cœlo. Esurientibus enim in eremo manna non defuit, periclitantibus in mari terra non fugit. Ibi mare in semitam sternitur, hīc cœlum ad pabulum referatur. Propter gratiam famulorum Dei Iordanis fluentia sua retinet, aquam suam myrrha commutat. Illic retrorsum conuersa; quæ sequebatur vnda præcedit: hīc in melius temperata quæ amarum stillabat

A vena dulcescit. Et mirum in modum fluuius cursum perdidit, fons saporem. Sed quoniam diximus filios Israel venientes ad myrrham, aquæ amaritudine laborasse, eamque non nisi ligni iniectione potare potuisse, typum quoque in illa fuisse veteris testamenti, videmus quo exinde proficiens populus ipse peruenit. Peruenit in locum qui dicitur Elim, in quo erant duodecim fontes purissimi, & septuaginta virentium multitudo palmarum. Videte mysterium Dei quemadmodum post amaritudinem legis, fluentia euangelicæ pietatis exuberent. Ibi fons vnus austerus est ad bibendum, hīc plures, omnes dulces sunt ad potandum. Ibi post fatigationem nulla refectio, hīc post laborem refrigerium atque victoria. Sitientibus enim fontes ministrantur, palmæ vincentibus offeruntur. Palmæ inquam, offeruntur vincentibus, quia post legis duritiam ad euangelij gratiam peruenisse, vicisse est. Præmium enim quoddam victoris est os viuo fonte diluere, dexteram triumphali palma munire. Per fontem enim lingua cōfessoris purificatur, per palmam dextera martyris honoratur. Illa quia Christi exaltauit gloriā, hæc quia aram sacrilegij recusauit. Præmium enim quoddam est palma martyrii, quæ contenti linguæ dulcē fructum tribuit, & victrici dexteræ gloriosum præstat ornatum. Est planē palma martyribus suavis ad cibum, vmbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita folijs, semper parata victoria. Atque ideo non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit. Ipsæ denique palma sedenti super asinam & venienti ad templum Domino à populis offeruntur. Cū enim discipuli vestimenta sua sternerent, & iter Christo suis amictibus communirent, non habuit maius præmium nisi palmas quod ei deuotio plebis offerret, significans stratis in itinere vestibus impollutam viam esse in mundo, oblatis palmis ipsum mundi esse victorem. Ipse inquam, victor est, de quo ait scriptura, Vicit leo de tribu Iudæ. Ipse planē victor, qui destruxit diabolicam mortem, vitam illuminauit æternam. Palmæ igitur aduenienti eriguntur Christo. Scriptū est, Iustus sicut palma florebit. Rectē ergo aduenienti iusto eriguntur vexilla iustitiæ, & authori suorum obsequuntur tituli triumphorum. Prius autē quā tollantur palmæ iter Domini vsque ad templum discipulorum vestibus operitur, & vt impolluta sit semita saluatoris, apostolorum amictibus communitur. Quod quidem in mysterium factum puto. Via enim Christi quæ ducit ad templum, fides eius est atque doctrina. Hanc igitur viam discipuli, vt nos sine offensione gradiamur, amictus proprii corporis exuentes suo strauere martyrio, vt inter diuersarum gentium turbas iustitię semitam membrorum suorum vestimenta substernant, & cœnosam myrrhaginem mundi operiant, & impolutam viam saluatoris ostendāt. Ad duodecim ergo fontes post myrrham venit populus Israel. Legimus in propheta: Benedicit Domino de fontibus Israel. Dominus Christus est, qui non nisi per Apostolorum ora dicitur discipulorumque doctrinam. Apostoli dicendi sunt fontes, quia velut omnes purissimi gratia prædicationis exuberant, & post amaritudinem legis,

Exod. 15.

Matth. 21.

Apost. 5.

Psal. 91.

* Foragineti. Psal. 67.

venarum suarum larga sapientia sacramenta poculi dulcedinem stillant. Nec mirum si potus dulcis est fontium, in quorum sinu cibus dulcior est palmarum. Apostoli ergo sunt fontes, qui totius terræ faciem doctrinæ suæ flumine rigauerunt, & fatigatis gentium populis potum diuini mysterij propinarunt. Septuaginta autem palmas iuxta fontes apostolicos generatas, septuaginta illos discipulos dixerim, qui secundo ab apostolis gradu propter salutem hominum à Domino diriguntur: quos Lucas euangelista describens, binos & binos asserit destinatos. Qui verè velut palmæ post curas hominum cū exultatione redeuntes gloriantur apud Dominum sibi & dæmonia esse subiecta. Rectè igitur comparantur palmis, qui palmarum præmio, diaboli extitere victores.

Item de quadragesima.

Sermo xxv.

Intellexisse vos credo fratres, cur hic nostra ieiunia illis mansionibus comparauerim, in quibus populus Israel tanquam in procinctu quodam positus Pharaonem regem quotidiano labore superauit, & ab inimicis suis quasi quibusdam castris mansionum sese statione defenderit, ita ut quicumque ex illo comitantium numero diurnæ stationis spatia non confecit, aut Pharaon illum occupauit, aut solitudo peruasit. Sic ergo & nos propositum nobis quadraginta dierum iter debemus omni labore conficere, & quibusdam quasi castris nos ieiuniorum deuotione munire. Castra enim nobis sunt nostra ieiunia, quæ nos à diabolica oppugnatione defendunt. Denique stationes vocantur, quod stantes & commorantes in eis inimicos insidiantes repellamus. Castra planè sunt ieiunia Christianis, à quibus si quis aberrauerit, à spirituali Pharaone inuaditur, aut peccatorum solitudine deuoratur. Peccatorum autem solitudinem patitur, qui deseritur societate sanctorum. Murus igitur quidam est Christiano ieiunium inexpugnabilis diabolo, in transgressibilis inimico. Quis enim vnquam Christianorum ieiunauit, & captus est? Quis sobrius mansit & victus est? Temulentum aggreditur diabolus, luxuriosum oppugnat inimicus. Vbi autem ieiuniū viderit, fugit, metuit, pertimescit, terretur pallore eius, debilitatur inedia, infirmitate prosternitur. Prosternitur, inquam, infirmitate, quia Christiana infirmitas, fortitudo est. Vnde ait Apostolus: Cū infirmor, tunc fortior sum. Sed requirit aliquis, quemadmodum fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit ieiuniis, anima puritate pinguescit. Quantum enim illi ciborum succus subtrahitur, tantum huic iustitiæ virtus augetur. Tunc igitur homo imbecillis quidem est ad sæcularia, sed fortis est ad diuina opera. Tunc enim magis de Deo cogitat, tunc iudicium metuit, tunc vincit inimicū. Ait enim saluator de diabolo: Hoc genus non eiicitur nisi in ieiunio & orationibus. Dicit utique à diabolo energumenum non nisi ieiuniis posse purgari. Videte ergo quæ ieiunij virtus sit, quantam homini suo præstet gratiam, quod tantam præstet alteri medicinam: quemadmodum proprium sanctificet hominem, quod ita purificet

alienum. Mira enim res est, alter ieiunat, & alteri prodest ieiunantis vtilitas. Ergo fratres abstinentiæ arma minimè deponamus, & quadraginta dierum ieiunia sine intermissione curemus. Hic est enim perfectus numerus ad vincendum. Dominus enim diabolus postea quàm quadraginta dies ieiunauit, euicit: non quod non & ante ieiunia eum vincere potuisset: sed ut ostenderet nobis tunc nos diaboli posse esse victores, cū per quadraginta dies victores ieiunando desideriorum carnaliū fuisset. Eum autem qui hunc numerum consecratum gulæ intemperantia violasset, tanquam imbecillè & miserum facile eum ab inimico posse superari. Quomodo enim potest in altero diaboli improbitatem vincere, qui gulæ intemperantiā in seipso non vincit? Prius ergo homo tui victor esto, ut possis esse victor alterius. Sunt enim intra te proprii tibi hostes, qui quotidie te oppugnant. Ecce enim auaritia te diuitiarum ambitione circumuenit, luxuria epularū suauitate captiuat, hæresis scientiæ peruersitate peruertit. Vince ergo inimicos proprios, ut vincere possis alienos. Non enim fratres leue peccatum est, fidelibus indictam quadragesimam à Domino ieiunare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere. Scriptum est, Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes quod Christus, facere. Ille qui peccatum non habebat, quadragesimam ieiunauit, tu non vis quadragesimam ieiunare qui peccas? Ille inquam peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud cōscientiam tuam Christianus es, cum Christo pro te esuriente tu prandes? Cum saluatore pro te ieiunante tu reficeris? Nō igitur, sicut dixi, leue peccatum est, indictum violare ieiunium. Nam ut hoc exemplis breuiter approbemus, legimus in libris Regnorum, cum Saul rex Israel bellum contra Allophylos gereret, vniuerso eum exercitui indixisse ieiunium, & abstinentibus cunctis, eum contra aduersarios pugnare cœpisse. Bonus plane rex, qui hostes suos nō tam armis, quàm deuotione vincebat, & plus dimicabat religione quàm telis. Cū ergo Saul abstinentiam dici suis omnibus indixisset, & Ionathas eius filius præcepti nescius, inter medias hostium acies victor incedens fauam mellis intincta sceptri summitate gustasset, tanta indignatio repente cōmota est, ut & deferretur victoria, & diuinitas læderetur. Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum propheticum datur. Vnde intelligimus quod Saul hostes non tam virtute militum, quàm militū abstinentia superabat. Denique vnus culpa cunctis confertur ignauia, & vnus delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, vbi deficit in obseruatione ieiunium. Quod ut peccatū Saul ex ipsa diuinitatis offensione cognouit, statim Ionathas dixit non esse parcendum, sed peccatū admissum effusione eius sanguinis expiandum. Videte quanta apud Saul regem fuerit religionis obseruantia, qui offensum Deum optauit etiā parricidio mitigare. Et quanta sit resoluti culpa ieiunij, quæ non nisi sanguinis effusione punitur. Et si ignorans Ionathas indictum à patre ieiunium quia resoluere, morti addicitur: qui sciens indictū à Christo resoluere ieiunium, quid meretur? Ergo fratres statutum nobis custodiamus obseruatione ieiuniū, ut hostes nostros spirituales carnalēque vincamus. Habemus enim, sicut nostis, carnales hostes. Ieiunemus igitur ut eos & exercitus noster & Saul superet & obtineat. Nec in abstinentia positi declinemus ad fauam. Fauus enim quidam mundi est voluptas seu vitia, quæ sicut scriptum est, ad tempus quidem impinguant fauces, nouissima amariora sunt felle.

Item de Quadragesima

Sermo xxvi.

Non vsque adeo contristari debemus, fratres, quod in his quadragesimæ diebus tentatio nobis tribulationis aduenit, quoniam & saluatorem nostrum propter ipsam quadragesimam videmus esse tentatum. Minus ergo dolere debemus seruili, quia Domini habemus exemplum. Vbi enim est similis cum Christo deuotio, similis est & cum Christo tentatio. Conditionem enim nobis tolerandi imponit conditio ieiunandi. Credimus autem, sicut saluator noster diabolus cū tentaretur obtinuit, ita & nos hostes nostros cū tribulamur posse devincere. Ieiunia enim Christi tentari possunt, non possunt superari. Angustias quidem in obseruatione habent, sed prosperitatem tribuunt & salutem. Videamus igitur inter cæteras tentationes qua Dominum diabolus arte lacesat. Cū enim super pinnam staret templi saluator, ait diabolus: Si filius Dei es, mitte te deorsum, & reliqua. Verè diabolica fraudis astutia consuetudinis suæ nititur argumento. Semper enim religiosus de superioribus deicere ad inferiora conatur, & de sanctis ac venerandis actibus deducere ad terrena & cœnosa festinat, ut qui stat puritate mētis in summitate templi, proiciat se in profundum inferum contagione peccati. Nam cum Dominum de pinna templi deicere nititur, utique de perfecto religionis cultu eum remouere conatur. Pinna enim loci sancti, perfectio cœlestis est sacramenti. Rectè autem Dominus super pinnam templi stare dicitur, quia de ipso scriptum est: Qui ambulabat super pennas ventorum. Super pennas enim ventorum quodammodo ambulabat Dominus, cū super morum nostrorum alacri conuersatione volatu incedit. Pænæ enim nobis sunt boni mores, qui nos alleuatos à terræ humilibus in cœli altiora tollunt, & volatu quodam mentis de tartari tenebris educunt, & ad paradisi aemœna perducunt. Quorum morum pennas habere propheta desiderans ait: Quis dabit mihi pennis columbæ, & volabo & requiescam? Super hanc ergo pinnam templi saluator stare dicitur, hoc est, quasi in quodam templo fidei nostræ consistere. Vnde ait Apostolus: Vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis. In hoc igitur templo stans Dominus nec recedens increpat diabolus, dicens: Scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuū, hoc est, non tentabis eum quem putas tanquā hominē ad inferiora pellendum, sed magis tāquam Deum & hominem ipsum noueris adorandum. In his ergo ieiuniorum diebus tentamur ad similitudinem saluatoris. Similiter enim & nos hostes nostri de pinna templi, hoc est, de obseruatione quadragesimæ tur-

bare conantur. Dum enim terrores ingerunt, dum insidias parāt, cupiunt nos de arce religionis abducere. Dicitur autem ei à Domino: Non tētabis sanctos viros & famulos Dei. Non enim tanquam humiles conculcandos putatis, sentietis tāquam strenuos honorandos. Sunt enim sicut dixi, plerique fratres, quos hostes nostri de perfectione religionis abducunt: qui dum præsens malum metuunt, putāt Deum nostræ salutis immemorem, nescientes quod Deus nullius est immemor, sed immemorem illum nostri tunc nos facimus, cū peccamus. Cū enim mala operamur, auertit faciem: cū nephanda loquimur, aurem obstruit: & ideo bonitatem suam à nobis Deus non tam ipse retrahit, quàm nostra illū delicta reiciunt. Ait enim idem Dominus per prophetam ad eos qui erant in tribulationibus constituti, Nunquid non valet manus Dei eruere vos? & reliqua. Vides ergo quoniam inter Deum & hominem peccata separant. Tolle igitur peccata de medio, & Deum tibi proximum tu fecisti. Quomodo enim potest, fratres, obliuisci nostri Deus, qui etiam capillos capitis nostri in euangelio apud se dicit esse numeratos? Si enim capillorum nostrorum meminit, multo magis nostrarum animarum meminit. Per numerū enim curam circa nos sollicitudinemque cognoscimus. Nemo enim numerat nisi quod vult diligentius custodire, nemo numerat nisi qui veretur ne fraudem absque numero patiatur. Pastor ut saluum gregem habeat, cum frequenter annumerat. Denique Dominus qui est bonus pastor cum vna ouicula de centum ouibus aberrasset, recurrēs ad numerū propriis eam ad gregē humeris reportauit. Vsq̄ adeo ergo habetur sub tutela qui habetur in numero, ut errans propriis apponatur humeris, ne quid de numero minuatur. Nolite ergo putare fratres quod vel minimi cuiusquam obliuiscatur. Deus enim omnium meminit, omnium recordatur, tantum, ut nō nostris interuenientibus peccatis ei inferatur obliuio.

De ieiuniis.

Sermo xxvii.

Testimoniū perhibet sanctus Apostolus de prophetis dicēs, Tēpore, inquit, acceptabili exaudi te & in die salutis adiuui. Et subsequitur ipse, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Vnde & ego testificor vobis hos esse dies redemptionis, hoc esse tempus cœlestis quodammodo medicinæ, in quo omnium vitiorum nostrorum labem & vniuersa vulnera peccatorum sanare poterimus, si medicum animarum nostrarum fideliter exoremus ut præcepta eius tanquam suscepti idonei minimè dispernamus. Tunc enim languidus ægritudinis suæ inuenit medicinam, si omni solitudine medici mādata seruauerit: quod si aliud faciat cum aliud iubetur, in crescente morbo non medicus, sed præuaricator in culpa est. Medicus autem est Dominus noster Iesus Christus, qui ait, Ego occidam, & viuificabo: percutiam, & sanabo. Occidit enim quodammodo antequam viuificet Dominus. Occidit enim primum in nobis homicidia, adulteria, scelera, furta, per baptismum, & sic nos tanquā, novos homines æternitatis immortalitate vi-

Lucæ 10.

Ibidem.

Esaiæ 50.

Lucæ 12.

Lucæ 15.

2. Corin. 6.

Deut. 32.

2. Corin. 12.

Matth. 17.

uificat. Morimur ergo peccatis, videlicet per lau-
 crū: regeneramur autē vitæ per spiritū, sicut ait san-
 ctus apostolus, Quoniā mortui estis delictis vestris,
 & vita vestra abscondita est cum Christo. Cōsepul-
 ti enim estis cum illo per baptismum in mortē. Oc-
 cidimur enim quodāmodo cū desinimus esse quod
 fuimus. Nouo enim pietatis genere in vno eodēq;
 homine mors operatur & vita. Moritur enim con-
 cupiscentia peccatorum, viuificatur ordo virtutum.
 In vno nanque eodē homine impius & adulter oc-
 ciditur, vt misericors renascatur & castus. Interimi-
 tur idololatria, vt religio propagetur. Fornicator &
 ebriosus extinguitur, vt continens & sobrius pro-
 creetur. Sic ergo mortificat Dominus, vt viuificare
 faciat: sic occidit, vt profit: sic verberat, vt emendet.
 Hæc est igitur circa homines suos eius tota seueri-
 tas, vt in his peccata puniantur, anima conseruetur:
 auferantur detestanda vitia, virtutes optime nutriā-
 tur. Vsq; adeo autem hac pia occasione Domini
 cernimus plerosque conuersos in tantum ad melius
 profecisse, sic de pessimis optimos factos, vt cum
 videas eos, credas renatos homines, cū non vi-
 deas mutatas esse personas. In tātū enim in nobis
 id quod prius eramus interimitur, aufertur, extin-
 guitur, vt id quod postea sumus, denuò natū esse cre-
 damus: vnde natiuitas hæc secunda, prioris vitæ fi-
 nem iam fuisse significat. Quod autem ait, Ego per-
 cutiā, & sanabo: Percutit planè præceptis suis pec-
 catores vt sanet, mandatis verberat vt emēdet, ieiun-
 ia præcipit, indicit continentiam, iudicium com-
 minatur, & tristem gehennæ metum excutiens ad-
 hibet medicinam, vt dū futura pertimescimus, præ-
 sentia corrigamus. Sic namque Paulum apostolum
 percutiēdo sanum reddidit. Cū enim esset perfe-
 cutor, impius & blasphemus, & quidem ad deua-
 standas ecclesias Damascum properaret, subito ful-
 goris cœlestis eum terrore percussit, vt euangelici
 splendoris eum luce perfunderet: & carnalium lu-
 minum orbem mutauit, vt spiritualium oculorū il-
 luminaret aspectum. Corporis eum debilitate per-
 terruit, vt fidei deuotione saluaret. Surgens ergo à
 terra Paulus, exterioribus quidem oculis non vide-
 bat homines, nō aerē, sed mētis luminibus Christū
 videbat de cœlo. Denique in tātū profuit Domini
 ista percussio, vt de Iudæo Christianus, de blasphe-
 mo apostolus, de Saulo Paulus existeret, & eoulsque
 mutauit veterem cum moribus hominem, vt etiam
 mutaret & nomen. Habentes igitur huiusmodi me-
 dicum qui percutiēdo sanat, mortificando viuifi-
 cat, subdamur ei cum omni patientia ad curandum,
 vt quicquid vlcibus foetidum esse perspexerit, in-
 cidat, amputet, excet, vt refectis omnibus diaboli
 vulneribus, hoc solū in nobis faciat remanere quod
 Dei est. Istud autem præceptum eius est primum, vt
 his quadraginta diebus ieiuniis, orationibus, vigi-
 liis opera commodemus. Ieiuniis enim lasciuiā cor-
 poris castigatur, orationibus deuota saginatur ani-
 ma: vigiliis diaboli insidiæ depelluntur. Deinde
 cū istis mandatorum obseruationibus fuerit hoc
 tempus impletum, tunc purgata & fatigata tot ob-
 seruationibus anima, ad baptismum veniens spi-
 ritus Sancti inundatione reficitur, & quicquid in
 ea diuersarum ægritudinum ardor exiccauerat, cœ-

lestis gratiæ rore perfunditur. Vnde ponens veteris
 hominis corruptelam, nouæ indolem iuuentu-
 tis acquirat. Et mirum in modum in vno eodē-
 que homine delictis factitas, iniquitati iustitia, fene-
 ctuti succedit infantia: nouoque natiuitatis genere
 alter est qui renascitur, cum ipse sit qui peccauit. Sic
 nāque Helias quadraginta dierum ac noctium cur-
 riculo continuato ieiunio, totius mundi longam ac
 nimiam siccitatem meruit imbrum rore restingue-
 re, & ardentem terrarum sitim cœlestis pluuiæ lar-
 gitate perfundere. Quod quidem in figuram nostri
 factum esse cognoscimus, vt nos quoque horū qua-
 draginta circulo dierum ieiunantes spiritualem bap-
 tismatis pluuiam tribubus nostris iandiu aridam
 terram cœlestis desuper imber infundat, & longam
 gentilium siccitatem lauari inundatio salutaris ir-
 roret. Siccitatem enim & ardorem animæ suæ pati-
 tur quisquis baptismi gratia non rigatur. Horum
 ergo dierum noctiumque ieiunio Moyses sanctus
 meruit cum Deo loqui, stare & consistere, & de ma-
 nu eius legis præcepta suscipere. Quamuis enim il-
 lum ab obtutibus Dei conditio humana subtrahe-
 ret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum diui-
 nitatis consortio faciebat. Hæc enim in nobis vir-
 tutum portio Dei est, vt ieiunemus frequenter, quo-
 niam semper Deus ipse ieiunat. In quocunque igitur
 plus operū suorum inesse perspexerit, ipsi magis
 familiaris, intimus & amicus est, sicut scriptura di-
 cit: Et Moyses loquebatur cum Deo facie ad faciē,
 sicut quis loquitur cum amico suo. Vnde & Domi-
 nus Iesus Christus resurrectionis gloriā præceptu-
 rus, virtutes sua quadraginta dierum noctiumque
 ieiunio dedicauit, vt ostenderet non panem esse vi-
 tam hominum. His itaque dierum quadraginta iei-
 uniis reconciliatur Deus, aperiuntur cœli, inferna
 referantur. Igitur & nos fratres dilectissimi, ieiune-
 mus cōtinuè & deuotè hoc spatio temporis, vt pro-
 pitietur nobis Dominus, pateant nobis cœli, infer-
 na contra nos non valeant.

*Exortatio ad plebem, & de eo quod scriptum est in euange-
 lio, Sicut fulgur coruscans de cœlo, ita erit aduentus fi-
 lij hominis, & de duobus in lecto vno. Sermo xxviii.*

PAucorum admodum dierum occupatione de-
 tentus cœtui vestro videor defuisse, & alterius
 ecclesiæ necessitatibus euocatus, minimè vobis stu-
 dium solitum dependisse. Sed quamuis vobis non
 affuerim corpore, tamen à vobis amore non defui:
 & peregrinatus sum licet conuersatione membro-
 rum, tamen vestri spiritus non fui peregrinus, nisi
 quod maiore intra me desiderio vos tenebam, vt
 quos aspectus mihi subtraheret, dilectio præsentar-
 et: vel quos obtutibus non videbam, corde cōple-
 terer. Erā enim sollicitus in dies singulos quemad-
 modū festināter quotidie ad ecclesiam veniretis: &
 quamquam essem de vestra deuotione securus, tre-
 pidabā tamen, quia hoc ipsum quod in vobis noue-
 ram, nō videbam. Hic enim affectus paternæ pieta-
 tis est, vt de absentibus liberis non tā certa spe gau-
 deat, q̄ sollicita cogitatio desperet, & simul ac eos vi-
 dere desierit, amare plus nouerit: ac per hoc intelli-
 gim⁹, quod amor inter præsetes gratus sit, inter ab-
 sentes

sententes molestus. Eram ergo de vobis anxius, molestus
 & trepidus, ne quis me absente, per negligētiam ca-
 deret, ne quis diaboli insidiis laboretur. Memineram
 enim luporū rabiem absentibus, plus præualere pa-
 storibus. Sed Domino gratias, quod & vos illætos
 custodiuit, & paruitatem meam reuocauit incolumem.
 Igitur quoniam post tempus spiritualibus epulis
 reficere nos debemus, videamus quid Euangelica
 lectio prosequatur. Ait enim Dominus, sicut nuper
 audiuius, de aduentus sui tempore: Sicut fulgur
 coruscans de cœlo, ita erit aduentus filij hominis.
 Et addidit in consequentibus: In illa nocte erūt
 duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relin-
 quetur: duæ molentes in pistrino, vna assumetur, &
 vna relinquetur. Mouet fortasse vos fratres, cur Domi-
 nus aduentum suum indicans, noctis se tempore o-
 stenderit aduenturum. Vtique eius aduētum magna
 cum claritate diei, magno cum nitore & timore sus-
 cipi debere à cunctis, frequenter audiuius sacris li-
 teris prædicatum: priusquā Dominus Christus ad-
 ueniat, antichristum regnaturum, qui ita tenebras
 humano generi suę prauitatis infundet, vt lucem ve-
 ritatis nemo penè respiciat, & caligine propria ope-
 riens mentes hominum, cæcitatem quandam spiri-
 tualibus oculis exhibebit. Nec mirum si diabolus e-
 mittat iniquitatis tenebras, cū ipse nox sit omnium
 peccatorum. Ad huius igitur terrę caliginem depel-
 landam velut fulgur quoddam Christus adueniet.
 Et sicut lucente die nox subuertitur, ita coruscante
 saluatore antichristus effugatur, nec vltius poterit
 disseminare iniquitatis suę tenebras, cū lumen ve-
 ritatis effulserit. Quod ait autem: Illa nocte erunt
 duo in lecto vno, vnus assumetur, & vnus relin-
 quetur: hic iam resurrectionis meritum demonstratur,
 quod pro qualitate viuendi sit gratia resurgendi: ac
 tanta in singulis quibusque resurrectionis esse distā-
 tia, vt duobus etiam pariter dormientibus, & in vna
 fede quiescentibus, æqualis nō possit esse assumptio.
 Quamuis enim eodem consortij lectulo teneantur,
 pro meritis tamen alter eorum rapietur ad cœlum,
 alter relinquetur in terris. Lectus enim quidam no-
 ster communis est terræ huius amplissimum solum,
 in quo corpora nostra deposita tutissima sede re-
 quiescunt. In hoc autem lectulo ille molliùs dormit,
 quisquis duriùs in vita se gesserit. Possimus enim
 ipsa membra nostra lectulos nostros proprios nun-
 cupare, in quibus animæ nostræ veluti in quodam
 strato suauissime demorantur. Quod quidem sanctū
 prophetam sensisse arbitror, cū dicit: Vniuersum
 stratum eius versasti in infirmitate eius. Beatus enim
 est ille cuius stratum Dominus in ipsius infirmitate
 conuertit, vt qui fuerit paulò antè adulter, iracundus
 & petulans, & cunctorum feclerum infirmitatibus
 plenus, fiat castus, humilis & modestus. De quo stra-
 to spiritualiter ad paralyticum dictum est à Domi-
 no: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Non e-
 nim tam in eo admirationis aliquid erat vt confrac-
 ti lectuli ligneam cratem portaret paralyticus, quam
 vt resoluti corporis membra & debilitate confrac-
 ti, velut animæ suæ necessarium lectulum paralyticus
 ipse gestaret, & coram positis Iudæis propriis abiret
 pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc
 planè, sicut dixi, completa est prophetica illa sen-
 S. Ambr. tom. 5.

tentia. Versasti stratum eius in infirmitate eius. Vt
 versa vice portaret lectum, in quo fuerat paulò antè
 portatus, vt anima illius quæ prius vasculo corporis
 ferebatur, postea corpus suum ipsa vtilius circuin-
 ferret. Potest etiam accipi quod ait: Erunt duo in
 lecto vno, vnus assumetur, & vnus relinquetur: *Lucæ 17:*
 Christianorum plebs, & populus Iudæorum, qui ve-
 lut vno lectulo, hoc est, vna mandatorum lege te-
 nentur, & velut simili resurrectionis spe gloriantur.
 Tunc igitur Christianorum beatus populus assume-
 tur in gloriam: Iudæorum autem execrabilis conuē-
 tus relinquetur in terra.

Item de eodem. Sermo xxxix.

SVperiore dominica capitulum Euangelicum dif-
 ferentes, partem quandam ex illo perstrinximus, *idem habet*
 superest vt sequentia decurramus. Descripsimus e- *Maximus epi-*
 nim quid esset quod ait Dominus. In illa nocte erūt *scopus Medio-*
 duo in lecto vno, & reliqua. Nunc ergo videamus *lanem:*
 quod reliquum est. Dicit enim eadem diuina sentē- *Ibidem:*
 tia: Erunt duæ molentes in pistrino, vna assumetur,
 & vna relinquetur. Primum igitur considerandum
 est quomodo constet molētis officium: deinde quæ
 sint duæ quæ molere dicuntur: tertio quod pistrinū
 sit, quive molitionis effectus. Nulli dubium est;
 quod molere aliter non constat nisi duobus lapidi-
 bus apparatis & conuenientibus sibi, vt alteri ex iis
 magnitudo alterius imponatur, & illum quidem la-
 pidem qui prior solo sternitur, esse pigrum & tardū,
 & penè, vt ita dixerim, ociosum, ac nisi superioris
 participatione lapidis ornaretur, forsitan necessarius
 non videretur. Ita dum ille operatur, etiam iste vtilis
 inuenitur. Ille autem, id est, superior lapis, tantā ve-
 locitate operis circumfertur, vt fallens oculos in ipsa
 celeritate stare credatur, & putetur immobilis esse
 dum currat, qui quantò violentiùs actus fuerit, tan-
 tò opus perfectius consummatur. Ita ergo prior la-
 pis stat, iacet, & penè nihil prodest: ille verò alter
 quæ inferuntur, cuncta suscipit quæ veniunt, vniuer-
 sa complectitur, & per cauernaculas quasdam vter-
 que quod operatur, acquirit. Qui molit autem, hoc
 habere videtur officij, vt peruigili cura granorum as-
 speritate confrac-
 ta, ex intimis eorum occultisque
 visceribus similaginem medullamque producat, &
 sordium leuitate discussa, in apertum proferat omne
 quod purum est, ex quo mundissimum panem con-
 ficiens gratiā Domini consequatur. Hos igitur duos
 molares lapides, duo esse arbitror testamēta, hoc est
 legem Moysi, & Euangelium Domini, quæ ita sunt
 disposita vel parata, vt sibi testamentum vtrumque
 conueniat, sicut ait saluator: Non veni legem solue-
 re, sed adimplere. Et ad vicem molarum aliud prius
 solo positum, aliud insuper collocatum. Hoc est le-
 gem primum hominibus constitutā, deinde ad per-
 fectum Euangelium. Quæ lex velut inferioris molæ
 saxum ita erat tarda, pigra, & penitus ociosa, vt qui-
 quid operando acceperat, id omne perdidit, dicē-
 te de Iudæis propheta: Omnes declinauerunt, simul
 inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est
 vsque ad vnum. Ergo nisi Euangelium superpositum
 fuisset, adhuc lex veluti tarda & grauis iaceret in terra
 Iudaica, & vnus prouinciæ cooperiretur angustiis;
 M M

Colos. 3. Rem. 6.

Deut. 32.

Acto. 9.

Lucæ 17:

*idem habet
Maximus epi-
scopus Medio-
lanem:
Ibidem:*

Matth. 5.

Psal. 13.

Nisi Euangelium, inquam, datum esset, lex necessaria omnino non esset. Hoc autem lex operabatur sine Euangelio, quod vno saxo fieri potest, confringere poterat, non prodesse, sicut ait beatus Apostolus: Lex autem iram operatur, gratiam vero non præstat. Stante ergo lege Euangelium datum est, quod veteri superpositum testamento vtrumque condecorat, ac tanta velocitate operis circumfertur, ut volubilitate sui seculum omne circummeat, hoc est, inferna visitet, cœlestia penetret, terrena collustret.

Rom. 4.

Euāgelij lass

Ezech. 1.

1. Cor. 3.

Hebr. 5.

Psal. 50.

2. Thef. 3.

Quod Euangelium tanquam superior cunctos credentes suscipit, omnes aduenientes accipit, & veluti per quasdam cauernulas præceptorum ad interiora transmittit, ut ibi hinc inde duorum testamentorum salutaribus mandatis gentilitatis asperitate molita perducatur omne quod purum est. Quam similitudine testamentorum Ezechielem prophetam arbitror perstrinxisse cum dicit rotam in medio rotæ esse conexam. Harum igitur molarum operatione, id est, noui ac veteris, testamenti, hoc agit sancta Ecclesia cura peruigili, ut peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat, & cœlestibus mandatis mundata ex intimis spiritalia alimenta producat. De quibus alimentis Paulus Apostolus ait: Lac vobis potum dedi, non escam. Et iterum: Perfectorum autem est solida esca, qui propter habitum sensus exercitatos habent, & reliqua: ac spiritum nostrum omni humanitate purificans, velut similitudinem Deo offerre contendit, sicut David sanctus ait: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Tanta autem velocitate circumfertur Euangelium, ut non nisi sapientes cursum eius intelligant, quem beatus Paulus intelligens ait: Insuperbum autem oculis videtur Euangelium stare cum non vident. Stare, inquam, illud putant, cum mandata eius negligunt, cum non credunt euentura esse quæ scripta sunt. Molit autem & synagoga, sed inutiliter molit, quippe quæ vno saxo, hoc est, solo veteri testamento nititur laborare, atque ideo non tam molit illa quam dissipat & confringit. Propterea enim opus eius duplicet, & ad Iudæos dicitur per prophetam: Et si offeratis similitudinem, vanum est.

De Eleemosyna. Sermo xxx.

Eccles. 3.

Dicit scriptura diuina, Sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosyna extinguit peccatum. Magna plane & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus iam mortuis & peccatorum suorum incendio arefactis rediuuium quoddam beneficium pollicetur, ut interueniente Eleemosyna, sicut aqua inter mortuis, succus refrigerium arefcentibus infundatur, hoc est, ut miseri homines qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam Eleemosynis reuiuiscant, sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium, ut flammam quas sibi peccando incenderant, largiendo restringant, atque vtiliore commercio qui pecuniam quondam dederat ut adulterium perpetraret, nunc pecuniam erogat ut adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum. Dicit enim Dominus ad discipulos suos: Date eleemosynam, & ecce

Lucæ 11.

G omnia munda sunt vobis. Quamuis ergo pollutus, quamuis multis criminibus circūseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Abstergit enim eleemosyna quod auaritia polluebat, & maculam quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo quæ sit misericordiae gratia, quæ vna & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum. Videamus namque interpretationem ipsius diuinæ sententiæ, ut intelligamus cui rei eleemosyna comparetur. Ait enim: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit delictum. Aqua ergo misericordiae comparatur, sed aquam inuenio de fonte procedere, necesse mihi est misericordiae fontem querere. Inuenio planè fontem misericordiae, fons de quo dicit propheta: Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumē. Ipse inquam, est fons qui in Euāgelio à Samaritana muliere, sicut lectum nuper audiuius, aquam postulat, sed peccata condonat: aquam putei reprobatur, sed fontem vitæ perennis indulget. Ait enim: Omnis qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo illi, non sitiet in æternum.

Eccles. 3.

Psal. 31.

Ioan. 4.

I Aquam ergo saluator à muliere postulat, & sitire se simulat, ut sitientibus æternam gratiam largiatur. Neque enim poterat fons sitire, neque in quo est aqua viua, poterat vnam terrenam facis haurire. Sitiebat ergo Christus? Sitiebat planè, non potum hominum, sed salutem sitiebat, non aquam mundi, sed redemptionem generis humani. Mirum igitur in modum fons super puteum sedens misericordiae ibidem fluentem producit, & mulierem sexto iam non viro sed adultero fornicantem viui meatu vna purificat, nouoque admirationis genere mulier quæ ad puteum Samaritane meretrix aduenierat, à Christi fonte casta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit. Statim etiam indicatè Domino sua peccata recognoscens, confitetur Christum, annunciat saluatorem, & relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate. Plena, inquam, redit, quia quæ peccatrix aduenierat, reuertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat, in nullo ciuitati suæ inferens detrimentum. Etenim

L si aquam ciuibus non intulit, tamen fontem salutis inuexit. Sanctificata ergo per fidem Christi mulier domum rediit. De hac igitur dixisse prophetam puto. Eiusmodi est iniqua via mulieris meretricis, quæ cum se abluerit, nihil se dicit fecisse prauum. De hac planè dictum est, quæ postea quam est fonte abluta saluatoris, delictorum vitia non meminit, virtutem prædicationis assumit, & viua aqua abstergens maculas suas, ad euangelizandum non conscientia peccati retrahitur, sed fidei calore compellitur. Nihil enim se dicit fecisse prauitatis, dum sit nuncia veritatis: & obliuione abnegat impudicitiam, dum deuotione prædicat castitatem. Hæc enim virtus Christi est Domini, ut quamuis peccator qui eius vnda se lauerit, denuo in virginem reparatus non meminerit ante quod fecerit, & rediuua natiuitate infantie innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat, sitque virgo fide Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.

Item

Item de eleemosyna, & de muliere Samaritana.

Sermo xxxi.

R etinet vestra dilectio ante dies aliquot cum sermonem ad vos de eleemosynis faceremus primitus, nos originem misericordiarum querere voluisse, & reperto earum fonte virtutum ostendisse, quod mulieris Samaritanæ sordes melius Christi vnda diluerit, quam Samaritane aqua purgarit, & quod mundius misericordia deterferit peccata quam puteus. Mundius planè misericordia quam puteus detergit maculas, quia putei aqua tantum corporis cutem abluit, misericordiae autem bonitas animæ interna purificat. Hoc etiam demonstrasse quod huic Euangelicæ mulieri illa prophetica meretrix conueniret, quæ postea quam viua aqua se lauit, obliuione possessa prauitatis, nitore puritatis exultat. Neque enim de meretrice huius mundi talem sententiam propheta diceret, cuius pollutio non solum aqua non diluitur, sed etiam polluit ipsa quod tangit, dicente Apostolo: Qui autem se iungit meretrici, vnum corpus est. Quod si vnum corpus tactu suo efficit, & incohærentem sibi ignominiam suæ membra transfundit, quomodo potest purificari ipsa, cum polluat? Quæ ergo sit ista meretrix, quæ ista Samaritana mulier, cuius adulterij sordes fons Christi deterferit, sollicitius requiramus. Ego hanc mulierem Ecclesiam esse puto de gentibus congregatam, quæ & transfactis annis quinque milibus, cum in sexto millesimo anno idolorum fornicationibus subiaceret, omnem ignominiam suam adueniente Christi fonte purgavit, & maculas quas adulterinis sacrilegiis contraxerat, fide saluatoris absterfit, ac relinquens sicut inanem hydriam priorem patrium cursum vniuerso orbi Domini annunciauit aduentum. Hæc, inquam, illa est meretrix quæ posteaquam lota est, nihil se dicit fecisse prauum. Posteaquam enim Ecclesia baptismi nitore purgata est, diabolica impietatis non meminit, religione veritatis exultat, factaque de meretrice virgo, non recordatur priorum, sed gloriatur in integritate. Ait ergo propheta. Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Sæpe quidem videmus hoc fieri, ut aqua effusa flammam restinguat incendia: sed e contrario interdum videmus quod immensi ignium globi aquarum fluentia consumant, & veluti ab aquis accepta esca vehementius rediuuiis ardoribus conualescant, ita ut videatur aqua non extinxisse incendia, sed auxisse. Quænam est illa aqua quæ consumit flammam, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehennæ consumit incendia? Quæ dum per baptismum infunditur, & ipsa in hominibus & tartari restinguat ardorem. Viuit planè in hominibus, sicut ait Dominus: Aqua autem quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis, & reliqua. Mirum ergo in modum aqua Christus vna eademque operatione & viuificat & extinguit. Viuificat enim animas, delicta restinguat, has lauacri sui refrigerio reparat, illas gurgitis sui vnda consumit. Et quod ad maiorem baptismatis pertinet gratiam, apud superos mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguat: hic fluunt aquæ, & illic tepescit incendium: hic in fonte homo mergitur, & illic de tartaro liberatur. Sed nec mirum si in baptismi

A sacramento aperitur infernum, cum tunc quoque referretur & cœlum. Aperiuntur enim hæc elementa, ut ad lauacrum Christi conueniat libertas & gratia. Libertas enim resurrectionis tribuitur, gratia regnaturus. Illi eruuntur de pœna, hi assumuntur in gloria. Illi qui erant serui peccati, liberi fiunt iustitiæ. Hi qui angustiis seculi tenebantur, paradisi amœna percipiunt. In baptismis ergo Christi aperiuntur cœli, aperiuntur & tartara. Inde ut Spiritus sanctus adueniat, illuc ut misericordia saluatoris accedat: defertur de cœlo vita, mors à tartaro destruat. Ita igitur eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrum, ut si quis fortè post baptismum humana fragilitate deliquerit, superfit ei ut iterum eleemosynis emundetur, sicut ait Dominus: Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nisi, quod salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna quam lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur. Eleemosynam autem quotiens feceris, toties veniam promereri. Hi ergo duo misericordiarum fontes sunt, qui & vitam tribuunt & peccata condonant. Qui vtrumque custodierit, regni cœlestis honore ditabitur. Qui autem maculato fonte viuo, ad misericordiam se fluentia contulerit, & ipse misericordiam consequetur.

Luc. 11.

De hospitalitate in Euangelio. Sermo xxxii.

A duertit sanctitas vestra, fratres, Euangelicam dilectionem, quemadmodum Dominus discipulis suis inter ceteras exequendas virtutes etiam hospitalitatis iura præscripsit. Ait enim: In quamcumque ciuitatem introieritis, interrogate quis in ea dignus est, & ibi manete, donec exeatis, & reliqua. Sancta planè & diuina sententia, quæ & discipulis eligendi optionem primitum detulit, & facilitatem penitus amputauit. Prouidit enim modum statuendo, ne vir sanctus aut citus esset in iudicando, aut leuis in hospite commutando: sicut enim nobis permisit arbitrium, ita & voluit nos tenere constantiam. Quam enim reprehensibile est ut vir qui Euangelium annunciat, & docet errandum non esse, ipse per diuersos incipiat oberrare, & domum cui pacem dixerat, deserere: hospitem cui benedictionem intulerat, contristare? Magna enim hospitalitatis est gratia, nec facile violanda, omnibus aperta est, omnibus parata est, & sanctos libenter suscipit, & peccatores tolerat patienter. Sed repetamus sanctam ipsam diuinamque sententiam. Si enim in litera placeat, & in mysterio forsitan plus placebit. Ait igitur, ut cum intramus in ciuitatem, interrogemus quis in ea vel hospes dignus, vel idonea domus sit, & ibi maneamus donec dies profectionis adueniat. Quæ sententia altiore nobis tribuit intellectum. Non enim mihi videtur de huius seculi hospite vel domo iussisse, nec tam diligenter inquirere, sed de illo magis qui nos usque ad diem exitus nostri possit inoffensos, hospites, illæosque seruare. Nam huius seculi hospitem citò lædimus, citò offendimus, interdum ei & post triduum displicemus. Fidelis igitur domus, & hospes dignus inquiri iussus est.

Matth. 10.

MM ij

Quæ domus fidelior Ecclesia? quis hospes dignior saluatore? Iste peregrinos vt filios suscipit, illa susceptos refouet vt infantes. Iste hospitibus, sicut experti sumus, pedes lauare gestit, illa mensam parare festinat. Quos enim saluator viua aqua refrigerat, hos reficit cœlestibus cibis Ecclesia. Hunc igitur hospitem Euāgelista inquiri iussit, & vsque ad diem exitus nostri cum hoc habitare præcepit, ne aliqua leuitate medio tempore aliorum forsitan emigremus, hoc est, qui semel in Christum credidimus, non iterum velut transgressores ad idola recurramus. Scriptum est enim: Nemo potest duobus Dominis seruire. Dum enim vni placere gestit, alterum sentit iratum. Christum igitur hospitem deserere non debemus, quemadmodum & Petrus apostolus cū suis similibus, deferentibus aliis Dominum non reliquit. Sed dicamus quod ille ad saluatorem dixit: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ tu habes, & nos credimus. Ecce executor cœlestium præceptorum, qui quoniam Christi non mutauit hospitium, meruit cum Christo regni cœlestis habere consortium.

In tempore ieiunij non luxuriandum esse.
Sermo xxxiii.

Diximus superiore dominica hoc esse fidei nostræ opus primum, vt horum quadraginta dierum curriculo deuotissimè ieiunemus, & istam esse causam salutis nostræ, si hoc tempore abstinentiæ operam commodemus. Atque ideo fratres dilectissimi inspicere debemus quæ sit huius forma ieiunij, vt respiciamus quanta sit eius utilitas. Est enim interdum inutile & inane ieiunium, quod licet vêtrem & omnia viscera succo saturitatis exhaurit non tamen acceptum est Deo, quia mentem & intimos sensus minimè vinculo iniquitatis euacuat. Quid enim prodest ieiunare visceribus, & luxuriare venatibus? abstinere cibis, errare peccatis? castigare corpus inedia, mentem exercere nequitia? vinum forte non bibere, & ebrium cogitatione malignitatis incedere? nisi quod facilior causa est saturi siue temulenti, quam iniqui pariter & ieiuni. Ille enim peccare aliquando desinet qui ebrius aliquando obdormit, hic autem errare non cessat qui exercitatus malis ieiuniis semper inuigilat. Vnde inutile & inane est tale ieiunium quod inedia membra debilitat, & animam à perditione non liberat. De quo ieiunio dicit sanctus propheta ex persona Domini: Vt quid mihi ieiunastis? non tale ieiunium elegi, dicit Dominus. An putatis illū ieiunare, fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirat, sed surgens congregat seruos, disponit retia, canes producit, saltus syluâsque perlustrat? Seruos, inquam, secum pertrahit, fortasse magis ad Ecclesiam festinantes: & voluptatibus suis peccata accumulata aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto, quam de perditione seruorum. Tota igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum effert, nunc silentium latèter indicit, lætus si aliquid ceperit, iratus si id quod non habebat, amiserit: & tanto studio gerit, quasi ideo indictum ieiunium fuerit, vt venetur: In his er-

go luxuriis, fratres, dicite quis cultus sit Dei, quæ mentis possit esse deuotio: qui propterea ieiunat, non vt Deo atque orationibus vacet, sed vt tota die ociosus & liber proprias exerceat voluptates? Quâuis igitur qui eiusmodi es frater, vespere ad domum redeas, quamuis declinante iam sole manduces, potes videri tardius te refecisse, non tamen Domino ieiunasse: non enim potes videri voluptatem tuam exercens, fecisse Domini voluntatem. Hæc enim voluntas est Domini, vt ieiunemus à cibis pariter & à peccatis. Abstinentiam indicamus corpori, vt à vitis magis animam abstinere possimus. Frænum enim quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis, & parcendo copiis, replese cellarium, non mētē saginasse virtutibus. Nonnulli autem diuinorum immemores præceptorum ita circa seruos suos & subditos sibi potestatem dominationis exercent, vt in his diebus non dubitent flagris eos cadere, pœnis afficere, compedibus præpedire. Et si fortè cum ad reficiendum venitur, tardius minister affuerit, statim cum verberibus laniare, & prius se satiare seruuli sanguine, quam conuiuij voluptate. Horum tale ieiunium est, quod ideo ieiunatum est, non vt diuinitatis misericordiam prouocaret, sed vt clamorem familiæ ingemiscens effunderet. Quisquis autem cupit de Deo misericordiam promereri, ipse debet prior esse misericors. Scriptum est enim: Qua mensura mensi fueritis, eadem mensura remetietur vobis. Et quod magis dolendum est, Christianus Dominus Christiano in his diebus seruo nō parcat, minime respiciens quod et si seruus est cōditione, gratia tamen frater est. Etenim similiter Christum induit, iisdem participat sacramentis, eodem quo & tu vitur Deo patre, cur te nō vtatur vt frater? Sunt enim plerique qui de venatibus redeunt, magis canum quam seruorum curam gerunt, & faciūt eos iuxta se vel recumbere vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes: qui vtrum serui eius fame moriantur ignorant, & quod est grauius, nisi diligenter his præparatum fuerit, pro cane seruus afficitur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos & crassos canes discurrere, homines autem pallentes & titubantes incidere. Isti ergo miserebuntur aliquando pauperibus, qui minimè suis famulis & domibus miserebuntur? Scire igitur debemus, fratres, hoc acceptū Deo esse ieiunium, non solum vt abstinentia castigemus corpora, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad seruos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes. Surgentes primo diluculo ad Ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, peccatis veniam postulemus, rogātes præteritis delictis indulgentiā, cautelam futuris. Tota die sit nobis vel oratio vel lectio. Qui literas nescit, sanctum virum perquirens eius confabulatione pascatur, nulli actus seculi actus diuinitatis impediāt, non ludus tabulæ mentem auocet, non voluptas canum sensus abducat, non negotij compendium animam auertere peruertat. Quicquid enim aliud præter mandatum Dei feceris, quamuis abstineas, non ieiunas. Hoc est enim salutare ieiunium, vt sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrænatur à vitis.

Illud

Illud etiam fratres ad perfectionem ieiunij tacendum non est, vt qui abstinemus & minimè prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus. Hæc enim est vera iustitia, si te esuriēte de cibo tuo alius satietur, & tu prædictis tui ieiuniis Dominum roges, & ille pro te satiat exoret. Vtrūque tibi proficiens, & tua fames & saturitas medicorum. Ceterum qui sic abstinere, vt nihil pauperibus de suis epulis largiatur, videtur quæstum sibi suum fecisse ieiunium, & negotiationem parcendo. Ad hoc enim abstinuit, non vt placeret Deo, sed ne amplius erogaret. Aque ideo bona elemosyna cū ieiunio, quasi nō quoddam negotiationis genus, vt tam parce viuat, vt abstinentia sua monachos clericosque præcedat. Nisi hoc interest, quod illi hoc quæstus causa faciunt, nos salutis: illi pecuniæ compendio animas macerāt, nos propter animarum lucrum nostra corpora castigamus.

De Quadragesima. Sermo xxxiiii.

Nonnulli Christianorum, fratres, existimantes se diuinitatis præcepta religiosius obseruare pretermissa deuotione quadragesimæ, cuius hodie curamus exordium, Quinquagesimam se facere mentiuntur, cum id neque diuinis literis iubeatur, neque traditum sit autoritate maiorum. Sola igitur hoc faciunt animi præsumptione: & dum putant se deuotius agere, superstitiosius conuersantur. Dicit se obseruare Quinquagesimam qui fortè quadragesimā implere vix possit. Bonū est quidē cunctis temporibus ieiunare, sed melius quadragesimā ieiunare cū Christo. Hæc enim quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Quo dixi ieiunio, non ieiuniis. Vnum enim ieiunium Domini fuit, quia continuatis quadraginta diebus & noctibus cibum omnino non sumpsit. Quisquis ergo Christianus consecratam ieiunando non impleuerit quadragesimam, præuaricationis & cōtumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitis pro salute sua datam prandendo ipse rescindit. Rescindis enim legem, qui exemplum ieiunij dominici non custodis. Qualis autem Christianus es, cum Domino ieiunante tu prandes? Qualis Christianus es, cum Christo esuriēte tu refeceris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis ieiunare formidas? Dicite enim mihi, interrogo vos qui in quadragesima prandetis, si non in conscientis vestris rei estis, quod abstinente toto populo vos soli contra præceptum Domini deuoratis: si non vobis rubor est cum exitis in publicum, ne quis vobis ieiunus occurrat: aut si non cogitatis cum ad Ecclesiam proceditis, quemadmodum pacem episcopo porrigatis, ne fortè ipso spiritu osculi vestri vos reprobet? Quod si hæc non cogitatis forsitan, vehementer erratis. Scire enim debetis, cum in quadragesimæ diebus ieiunio pransus occurrit, nō bene de illo iudicat qui ieiunat. Hoc enim ideo dico, quia audio complures, quod grauius est, fideles, alternis in quadragesima hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare, hoc est prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio ieiunare. Quibus hoc dico, cur etiam per illos septem dies fraudem sibi

faciant ieiunando, cum illis ieiunium tale non proficit? Quamuis enim abstineat quis certis diebus, quâuis ciborum dulciora alimenta non sumat, non tamen illi accepto fertur quadragesimæ ieiunium, quod non diebus quadraginta ieiunat. Pudet dicere, senes & aniculæ quadragesimam faciunt, iuuenes & iuuenulæ non faciunt. Omni igitur sollicitudine tempus sacratissimum celebremus, non prætereant nos dies absque ieiunio, non nos transeat vna hebdomada absque vigiliis. Ille enim facit quadragesimam, qui ieiunando & vigilando ascendit ad pascha. Nam sicut reliquo anno ieiunare præmium est, ita in quadragesima non ieiunare peccatum est. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege: ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Sed videamus iste quadraginta dierum sacratissimus numerus vnde habere cepit exordium. Legimus primum in veteri testamento Noë temporibus, cum omne genus humanum scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cœli aquarum pluuia defluxisse, & mysterio quodam quadragesimæ inundatione orbi terrarum facta, non tam diluuium quam baptismum contigisse. Baptismum planè fuit, per quod in peccatoribus iniquitas sublata est, Noë iustitia conseruata. Ita ergo & modo nobis Dominus illius temporis quadragesimam dedit, vt constituto dierum numero, patefactis cœlis pluuia nos misericordiæ cœlestis irroret, & inundatione facta per baptismum lauacri salutaris nos imber illuminet, & sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extingatur in nobis delictorum iniquitas, virtutum iustitia conseruetur. Ipsa enim quæ sub Noë, & modo vertitur ratio. Baptismum enim peccatori diluuium est, consecratio est fidelis. Per lauacrum enim Domini saluatur iustitia, necatur iniustitia. Quod in vno eodemque factum videmus Apostolo Paulo, qui priusquam præceptis spiritualibus lauaretur, erat blasphemus, persecutor, & Saulus. At vbi pluuia super eum lauacri cœlestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur & Saulus, viuificatur Apostolus, viuificatur iustus, viuificatur & Paulus. Vsq̄que adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomen. Quisquis ergo in hac deuotione quadragesimæ dominica mandata seruauerit, necabitur in eo diabolica impietas, Apostolica autem reseruetur gratia, & succedens quodammodo sibi moritur ea parte qua peccator est, viuificatur ex illa parte qua iustus est. Videamus etiam si alibi in scripturis hunc mysticum quadragesimæ numerum possimus inuenire. Legimus quod sanctus Moyses in eremo quadraginta annorum curriculo filios Israël cœlesti manna nutrierit. Bonus ergo numerus, qui semper cœlum aperit. Bonus inquam numerus, per quem iustitia Noë saluatur, & Israël filij saginantur. Vnde & nos obseruemus hunc numerum vt aperiantur nobis cœli, quatenus & pluuia nos gratiæ spiritualis irroret, & spiritualium sacramentorum manna reficiat. Instar enim patrum nostrorum hæc obseruatione quadragesimæ & iustificamur & paschimur. Iustificamur lauacro, paschimur sacra mentis.

MM iij

Sed dicit aliquis, filios Israël in eremo quādo manna saturati sunt, minimè ieiunasse. Ego autem dico illos non nisi abstinentiæ tunc vacasse: atque ideo cœlestis alimonie gratiam meruisse. Primum, quia desertum omne ieiunium est, quia anxietas solitudinis concupiscentiam repellit escarum: deinde, in eremo vnde accurata epulæ? vnde vina pretiosa? vnde quadraginta annorum tēpore qualiscunque substantia? Intelligimus ergo ieiunasse filios Israël, quia cognoscimus illis escarum copiam defuisse, & tunc sumpsisse cibum, quando largienti Domino placuisset. Satis autem diu ieiunat qui cum Christi voluntate se reficit. Usque ad eò verò abstinentia filiorum Israël in eremo placuit saluatori, vt quorundam etiam inter ipsos intemperantia notaretur: ita vt quisquis audior duplum manę cibum sibi collegerat, hic hac iniuria feriretur, vt non tam cibum sibi inueniretur seruasse, quàm vermes, scilicet, vt quia supra moderatam refectioem concupierat, velut stimulis quibusdam conscientie in morem vermium vrgeretur. Igitur & nos fratres obseruantes quadagesimæ quotidiana & moderata ieiunia, & tanquam in eremo constituti, nihil deliciarum secularium cogitemus, nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo sollicitet. Simus sobrii, simus casti: habentes quidem conuersationem in urbibus, possideamus mente desertum. Si ita abstinentes egerimus, erit vt cœlestis manne reficiamur alimonia, & nullis vermium stimulis compungamur.

De ieiunio Domini in deserto, & quomodo non in solo pane viuunt homo. SERMO XXXV.

Meminisse debet vestra dilectio, hoc me anteriore dominica prædicasse, & dedisse rationem cur Dominus quadagesimam ieiunauerit, vel cur ipsa ieiunia in deserto transegerit. Diximus enim hæc omnia obseruasse cum non iustificationis suæ causa, qui erat virgo per omnia, sed nostræ salutis gratia: vt quorum generatio per intemperantiam peccauerat, per abstinentiam sanaretur. Videamus igitur quid illo in tempore vel in ipsa solitudine gestum sit. Dicit enim Euangelista affuisse ibi diabolum, & saluatorem eius versutia fuisse tentatum. Ait namque sacra lectio, esurisse Dominum, & dixisse illi diabolum: Si filius Dei es, dic lapidi huic vt fiat panis. Videte autem Domini qua aduersarium fraude circumuenit. Post multa ieiunia esurire se simulat, vt diabolum quem ieiunando iam vicerat, iterum esuriendo sollicitet. Spem enim illi congregandi ex infirmitate famis quodammodo tribuit, vt dum veluti contra imbecillum congregatur, gloriosius superetur. Hæc enim est vera victoria, vt quia Adam immortalē gloriosum & epulantem subuerterat, nunc ab homine mortali humili atque esuriente vincatur. Cernens enim esurientem diabolum Dominum, hominem putat, dubitat saluatorem, & ideo ait: Si filius Dei es, dic lapidi huic vt fiat panis. O misera Satanæ & extrema congressio: diabolum in deserto tentationis solida arma non inuenit, deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Eua, deest illi pomorum speciosa deceptio, & quia non inuenit cibum quem offerret esurienti, postulat in cibum saxa

Gmutari. Vndique exclusus, vndique defraudatus, ad pauimenta se confert. Satis enim manifestè ostendit vastitatem sibi eremi restitisse, cum putat propter inopiam rerum etiam elementa posse conuerti. Postulat igitur in panem lapides commutari. Versutus & callidus scit quid petat, nouit factum esse quod dicit. Meminit enim in veteri testamento sitientibus aquam de lapide profluxisse, vult etiam hic esurienti cibum de lapide ministrare. Retinet enim duritiam petre in liquorem fontium resolutam. Cupit etiam hic asperitatem saxi in panis dulcedinem transformari. Suspiciatur enim ipsum esse Christum, qui hæc operari soleat de natura saxorum, sicut ait Apostolus Paulus, Bibebant de spirituali consequenti petra. Petra autem erat Christus. Suspiciabatur inquam ipsum esse Christum cum postulabat vt de lapide panem faceret, sed putabat tantummodo solum hominem cum esurientem videbat. Saluator autem versutiam eius mira responsione condemnat. Nec facit quod dicit diabolus, ne videatur pro arbitrio aduersarij virtutis suæ gloriam declarare. Nec tamè respondit non posse fieri, qui negare non poterat quod sæpe iam fecerat. Igitur nec acquiescit petenti, nec denegat exploranti, ac per hoc & potentiam virtutis suæ suo reseruat arbitrio, & versutiam aduersarij diuino confutat eloquio. Respondit ergo illi: Non in solo pane viuunt homo, sed in omni verbo Dei: In quo sunt vitæ alimēta cœlestis. Verbum autem Dei Christus est Dominus, sicut Euangelista dicit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Quisquis ergo verbo Christi pascitur, terrenum pabulum non requirit. Nec enim potest seculi panem cupere, qui pane reficitur saluatoris. Habet enim Dominus suum panem, imò panis ipse saluator est, sicut docuit dicens: Ego sum panis qui de cœlo descēdi. De quo pane dicit propheta: Et panis cor hominis cōfirmat. Quo ergo mihi panem quem offert diabolus, cum habeam panem quem Christus impartit? Quo mihi cibum per quem protoplastum deiectum memini, Esau primitiuis fraudatum vidi, Iudam Scarioth proditoris scelere denotatum? Adam enim per escā paradisi perdidit, Esau per lentem honorem primatus amisit, Iudas per buccellam apostolatus sublime deposuit: ex quo enim buccellā sumpsit, nō iam Apostolus cœpit esse, sed proditor. Sic enim scriptum habes, dicente Domino: Cui intinctum panem dederò, ipse me tradet. Et continuo post buccellam introiuit in illum Satan: Non bonus cibus post quem negatur Dominus, post quem ingreditur inimicus. Non bonus cibus post quem Christus respuitur, deuoratur Antichristus. Nō bonus cibus qui benedictione caret, maledictione cōpletur. Illa ergo esca nobis necessaria est quæ vitam præstat, quæ animam pascit, postquā sequitur Christus, inimicus excluditur. Illam escam accipere debemus quàm saluator nō diabolus subsequatur, que perceptione sui cōfessorem faciat, non proditorem. Quàm bene autem ieiuniorum tempore verbum Dei dixit, eò quod reficit, vt ostenderet ieiunia nostra non debere seculi actibus occupari, sed sacris literis exerceri. Negligit enim famem corporis qui pabula lectiois intendit, nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cœlestis acquirit. Ipsa

Ipsa est enim refectio quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de diuinis scripturis cibum eloquij perennis accipimus. Ipsa est esca quæ vitam æternam tribuit, & insidias à nobis diabolicæ tentationis excludit. Quod autem sacrarum litterarum lectio vita sit, Dominus testatur dicens: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita est.

Item de quadagesima.

Sermo xxxvi.

An te dies deuotionem sanctæ Quadagesimæ prædicantes, sacrarum literarum exēpla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum, nec terrena cogitatione inuentum, sed cœlesti maiestate præceptum. Atque ideo qui constitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnus diei violator accusatur, sed vt totius Quadagesimæ transgressor arguitur. Vnde bonum est homini vt dictū numerum sine laboret ieiunet, & totius Quadagesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam sacerdotum præcepta quàm Dei sunt. Atque ideo qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum qui in suo loquitur sacerdote. Videamus igitur quo tēpore hanc obseruantiam nobis indixerit Dominus, si non veluti per istam deuotionē cūcta elementa voluerit habere profectū. Ecce enim indicta Quadagesima, constituta hyemali gelu terra resoluuit, & aquarū fluēta meatus suos glacie liquefacta recipiunt, sic quoque corporis nostrorum hoc eodem tēpore contracta sceleribus peccata soluuntur, & vitæ nostræ purior cursus liquefacto rigore Diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra, inquam, indicta Quadagesima asperitatem deponit hyemis, ego indicta Quadagesima asperitatem reiicio delictorum. Illa terra aratris scinditur, vt mūdānis sit congrua frugibus: mea terra ieiuniis exaratur, vt cœlestibus sit apta seminibus. Sicut enim redditum vberiore caput qui frequentius vexando exercet campum, ita maiorem gratiam percipit qui exercet corporis sui campum sapius ieiunando. Ecce enim abstinentiæ tempore herba segetum reuiuiscit in messem, furculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubescit in gēmam, & omnia de inferioribus ad altiora se subrigunt: ita hoc eodē tempore hominum spes intermorta reuiuiscit in posterum, fides perdita reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternum, & omne genus humanum ad cœlestia se subrigens, ab inferis ad altiora consurgit. Modò ferrum gestans agricola sarmenta deputat vinearum. Ita & nunc Euangelium tractans episcopus sordes amputat populorum, & isto quadragenario curriculo vniuersæ hoc agunt creaturæ, quatenus depositis superfluis ornata vel comptæ in Pascha procedant. Modò omnia sunt in partu, vt tunc reperiantur in fructu. Tunc enim cōtra naturæ speciem spina profert rosam, calamus fragrat liliū, suauiatem arida virgulta depromunt, & ita cuncta floribus adornantur, vt festiuitatem diei magni creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem ieiuniorum tempore producimus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiam, de seueritate misere-

Aricordiam, de auaritia largitatem. Ista enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocant animā, de quibus ait scriptura: Spinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cum me diuitiarū secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritiæ suæ radix est. Spina viro bono honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt. His ergo nisi vigilando & ieiunando carere non possumus, quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertentur in rosam. Producit enim ieiunando libido castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem. Hi enim sunt flores vitæ nostræ, qui suaue Christo redolent, qui odorem bonum Deo spirant. Vnde ait Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. Hanc ergo Quadagesimam largitus est nobis Dominus, vt huius temporis spatium in morem totius creaturæ nunc cōcipiamus virtutum germina, vt in die Paschæ fructum iustitiæ proferamus. Hoc autem quadragenario numero se ipse Dominus Christus exercuit, non vt profectum ipse caperet, sed vt profectum salutis nobis ostenderet. Nec enim erat in illo spina peccati, quæ verteretur in florem. Ipse enim erat flos natus non de spina, sed de virga, sicut ait Propheta: Exhibet virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virga enim erat Maria, nitida, subtilis & virgo, quæ Christum velut florem integritate sui corporis genuit. Continuatis ergo quadraginta diebus hæc ieiunia non esuriens Dominus procurauit: sed dicit illū Euangelista esurisse postea. Quomodo ergo potest fieri, vt qui tot dierum numero famem sitimque nō senserit, postea esurierit? Esuriebat planè, nec negare possumus quod esurierit. Esurit enim non cibum hominum, sed salutem: nec escarum secularium epulas concupiuit, sed animarum desiderauit cœlestium sanctitatem. Cibus enim Christi est redēptio populorum, cibus Christi est paternæ voluntatis effectus, sicut ipse ait: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris qui me misit. Vnde & nos esuriamus cibum non qui terrenis epulis apparatus: sed qui diuinarum scripturarum lectione colligitur. Ille enim corpus ad tempus nutrit, hic autem animam reficit in æternum.

Item de Quadagesima.

Sermo xxxvii.

Si bene retinet, fratres, vestra dilectio, hac superiore dominica prædicauimus quod sanctā Quadagesimam abstinendo ipse Dominus consecrauerit, & tot dierum noctiūque curriculo cibum omnino non capiens, vnum ac solidum ieiunij corpus effecerit, quod in totum non obseruare, sacrilegum est: ex parte violare, peccatum est. Hoc enim fecit causa salutis nostræ, vt rem vtilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, vt iisdem vestigiis quibus ad fidem currimus, ad abstinentiā graderemur. Sed videamus quæ causa steterit vt ieiunia Saluator indiceret, & ipse sibi primum vt boni humani generis medicus ieiunaret. Bonus enim medicus poculum quod ægro daturus est, prior gustat, vt peritiam artis suæ ante in se ipse demonstrat.

& experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute. Deinde quo loci hoc ipsum tempus ieiunij procurarit. Dicit enim Euangelista abstinuisse Dominum quadraginta diebus & noctibus in deserto. Arbitror itaque causam hanc esse ieiunij, vt quia primus Adam in paradiso constitutus per intemperantiam gulæ gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam repararet. Et quia contra mandatum Dei gustans de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nunc secundum mandatum Domini ieiunans, vitæ iustitiam mereretur. Hoc enim agit Saluator, vt iisdem vestigiis quibus admissa fuerint delicta, purgentur, hoc est vt quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo: vel quia epulando mulierem cognouerat, nunc eadem ieiunando despiciat. Adam enim Euam non nisi intemperantia prouocante cognouit. Quandiu autem mansit in illis intemerata parcitas, mansit & impolluta virginitas: & quandiu ieiunauerunt ab interdictis epulis, tandiu & à pudendis ieiunauere peccatis. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciuia. Saturitas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram. Igitur, sicut dixi, hoc agit Dominus, vt iis præiudiciis quibus homo obnoxius peccato fuerat, liberetur. Propterea namque per omnia secundum similitudinem Adæ nasci voluit, vt secundum similitudinem omnia hominis peccata dissolueret. Adæ enim de terra virgine natus est, & Christus de Maria virgine procreatus. Illius maternum solum necdum scissum fuerat, istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatum è limo, Christus Dei spiritu formatur in vtero. Vterque ergo oritur cum patre, vterque virgine vitur matre, vterque, sicut Euangelista dicit, filius Dei est, sed Adam creatura est, filius Christus verò substantia. Hoc ergo agit Dominus sicut Adæ secundus, vt quod prior homo manducando perdidit, hoc alter ieiunando recipiat, ac legem in paradiso abstinentiæ datam in deserto custodit. Sciebat enim præceptum Dei non vnus loci legem esse, sed mundi. Non enim interest, diuinitatis mandatum vtrum domi an in agro custodias, cum vbique sit qui præcepit. In deserto itaque Saluator implet mandatum Dei, vt ibi Adam saluaret errantem, vbi fuerat de paradisi possessione proiectus. Adam enim expulsus de paradiso, inculti mûdi deserta sustinuit. In deserto ergo primùm homini salus refunditur, vbi non sunt epulæ, vbi desunt deliciae, vbi (quod est omnium malorum causa) deest & mulier. Potuerat enim Adam inter illas paradisi inconcusus stare delicias, si Eua ibidem cum diabolicis illecebris non fuisset. Conueniens ergo est desertum saluti, vbi non est Eua quæ persuadet, non est mulier quæ blanditur. Videte rem miram, in paradiso cum Adam diabolus dimicat, vbi que insidiatur homini, vbique congregitur: sed vbi mulierem inuenit, vincit: vbi mulierem non inuenit, victus abscedit. Formam igitur dedit nobis Deus in hoc facto, vt ieiuniorum tempore tanquam desertum habitantes abstineamus epulis, voluptate, muliere, nec coniungatur nobis Eua, ne nos à casta obseruatione illecebrosa persuasione subuertat. In deserto enim quo-

dammodo videtur habitare qui Quadragesimæ tempore ieiunus & castus est. Desertum planè quoddam ipsum corpus est Christiani cum non repletur cibis, non poculis irrigatur, sed arētis inediae squalore negligitur. Desertum, inquam, est corpus nostrum cum abstinentia marcescit caro, siti pallor obducitur, & contemptu rerum totius hominis species inculta fordescit. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri, cum nostram terram fame squalidam ac siti aridam esse reperit, secundum quod ait Prophetæ Dauid: Sicut in terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Aliter enim sicut in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, inuia diabolicis concupiscentiis, & inaquosa libidinosis illecebris. Tunc habitans Saluator hoc desertum corporis nostri, omnes ibi diaboli factiones exuperat, & secretum ac securum à cogitationibus seculi esse suum facit habitaculum, vt deinceps nos intra nosmetipsos veluti in solitudine constituti, non nisi cælum respiciamus & terram, hoc est non cogitemus alium nisi cœlestis regni Dominum, & terræ resurrectionis authorem.

*Item de Ieiuniis, & Quadragesima.
Sermo xxxviii.*

Propitia diuinitate ecce iam penè transegimus Quadragesimæ indicta ieiunia, & præcepta Christi Domini abstinentiæ deuotione compleuimus. Superest nunc vt quemadmodum famuli eius Moyses & Helias hunc sacratissimum numerum obseruando, gratiam meruerunt, ita & nos hoc ipsum tempus custodiendo mereamur, sitque similis remuneratio in perceptione præmij, quorum similis labor est in obseruatione ieiunij. Helias enim cum esset clausum humanis iniquitatibus cœlum, & nulla mundanis rebus desuper pluuiarum stillaret vbertas, atque omnia longè siccitatis squalore languerent, & esset fames magna vniuerso generi humano (quonia enim cœlum pluuiam non dabat, nec terra pabulum germinabat) tunc Helias sanctus reserauit ieiuniis suis cœlum, terram orationibus focūdauit. Illius enim siccitatem conuertit in pluuiam, huius sterilitatem resoluit in partum. Tanta enim eius precibus orbem terrarum imbrium largitas irrigauit, vt arida reuiuiscerent, mortua resurgerent, languentia sanarentur. Et ita rebus cunctis fontium quidam meatus infusus est, vt purificatione facta per pluuiam, omnia creaturarum vitia lauantur, atque inundationis illius beneficio totius mundi species innouata confurgeret. Igitur & nos eadem quæ Helias obseruantes ieiunia, adhibitis precibus clausum cœlum nostris competētibus referemus, quatenus illos lauacri salutaris imber illuminet. Clausum enim illis est cœlum, quandiu nondum de cœlo Spiritus sanctus adueniens eorum corda viuificat, siccitatem quodammodo patiuntur, quia nondum gratia baptismatis irrigantur. Laborant etiam fame magna, quoniam velut esurientes cœlestia sacramenta desiderant. Referemus ergo illis cœlum, vt adueniente desuper spirituali pluuiâ, eorum terra lauacri irriguo satietur, & delictorum sterilitate depozita incipiant fructus

fructus germinare virtutum. Etenim cœlestis imber vita peccatorum diluit, iustitiæ incrementa producit, discutit aridum concupiscentiæ puluerem, lætificat vtilem castimoniam puritatem, obruit avaritiæ fordidam faciem, nutrit æternam misericordiæ largitatē. Sicut enim superueniente Heliæ pluuiâ omne pabulum terra produxit, ita & superueniente Christi lauacro omnem iustitiam anima germinauit. Et sicut illic pluuiarum fontes irrigauerunt orbem, vt viuificarentur herbarum mortificata iam semina, ita & fons baptismatis irrigat genus hominum, vt animarum mortificata corda viuificet. Hoc ergo obseruantium ista ieiunia est meritum, vt orationibus eorum aut innouetur mundus, aut fratres denuo renascantur. Referendum igitur competentibus nostris est cœlum, quoniam adhuc clausum est apud illos. Clausum est enim cœlum, quoniam mysterium nondum peruidet trinitatis. Clauso enim sibi cœlo, super cœlum quid agitur ignorant, nec scire possunt quæ sit filij patrisque substantia, nisi prius mundi elementa transcenderint. Tunc enim poterit quis trinitatis aspicere diuina mysteria, cum cœlos sua virtute habuerit apertos, sicut beatus Stephanus martyr referuit sibi martyrio suo cœlos, & stantem vidit ad patris dexteram saluatorem, secundum quod ipse ait: Ecce video cœlos apertos, & stantem Iesum ad dexteram dei. Ergo cui clausi sunt cœli, agendum est, vt aperiantur illi, quatenus super cœlos Christum possit aspicere. Nam quandiu clausi sunt homini, Christum non potest videre regnantem. Quemadmodum autem clausi cœli aperiendi sunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperi non posse nisi clauem Petri Apostoli sumpserimus, quas Domino largiente suscepit, sicut ipse dixit: Tibi dabo clauem regni cœlorum. Imò rogemus Petrum vt ipse nobis tanquam boni ianitor regni cœlestis aperiat. Quæ autem ista clavis sit, diligentius requiramus. Clauem Petri fidem esse dixerim Petri, per quam cœlos aperuit, penetravit inferna securus, maria calcavit intrepidus. Tanta enim Apostolica fidei virtus est, vt cuncta illi elementa pateant, hoc est non illi angelicæ claudantur ianuae, non portæ præualeant tartari, non aquarum fluenta sublidant. Ista autem ipsa clavis quam fidem dicimus, videamus quemadmodum constet, quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione constatam. Duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem suo consilio conflauerunt. Clauem enim quandam ipsum symbolum dixerim, per quod referantur Diaboli tenebræ, vt lux Christi adueniat: aperiantur conscientie clausa peccata, vt iustitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clavis ostendenda est fratribus nostris, vt & ipsi tanquam discipuli Petri inferna sibi reseraret cœlos aperire consuescant.

De Ieiuniis & Eleemosynis. Sermo xxxix.

Non dubito, fratres, contristari vos quotienscūque absentem me à vobis necessitas facit. Dum enim quem diligitis non videtis, tanquam boni filij pietatis stimulis laboratis. Sed ego quamuis corpo-

re vos interdum deseram, tamen vos spiritu non relinquo. Quocumque enim iero, dilectio vestra me sequitur: vbicumque fuero, ibi mecum vestra fraternitas commoratur. Quisquis enim in Christi mandatis permanet, necesse est vt Christi adhæreat sacerdoti: & licet longè positus videatur, fit tamen proximus dum illum vnus fidei gratia repræsentat. Ille se sanè separatam à sacerdotibus putet, qui actibus malis separatus à Christo est. Atque ideò, fratres, vos qui mandatum Saluatoris facitis, quamuis absentes à me fueritis corpore, dilectione tamē mihi minimè defuistis. Ita quos separabat longitudo terrarum, Christi gratia connectebat. Sunt autem nonnulli inter vos, fratres, quorum licet vultus in ecclesia videamus, cor tamen in agris esse cognoscimus: & præsentiam quidem eorum consideramus in plebe, sed conuersationem eorum inuenimus in rure. De terra enim semper cogitant, de terra tractant, quæ terrena sunt sapiunt. His conuenit diuina illa sententia: Quia terra es, & in terram ibis. Qui ideò aliquando ad ecclesiam veniunt, non quia ex fide Christiani sunt, sed ne Christiani ab hominibus non putentur. Quibus cum ieiunium indicitur, de intemperie se temporis semper excusant. Dicunt enim æstiuis mensibus, dies longa est, torrentior sol est, sicut ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus. Hyemis verò tempore, graue frigus est, rigores sunt pessimi, algorem tolerare nequimus, esicis calefieri nos oportet. Ita homines quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt: & dum se à ieiuniis excusant, tempora creatoris accusant. Dic mihi, ô delicate Christiane, qui æstus quem sustentaturus es, torrentior est gehenna? Nunquid hyems cui retrudendus es, horridior est tenebris? In exteriores enim tenebras abiiciuntur peccatores: ibi erit fletus, & stridor dentium, sicut ait Dominus: Stridor, inquam, dentium instar hyberni temporis erit in illis tenebris. Ergo sicut penetrante algore hyemis, toto homines corpore contremiscunt, ita & interueniente conscientia frigida delictorum, graui peccatores dentium stridore quatientur. Ita miser peccator dum hic hyberni rigorē metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit. Dum hic æstus solis cuitat, ibi gehennæ sustinebit ardorem. His autem ipsis hominibus cum dixeris vt aliquid pauperibus largiantur, statim tibi obiiciunt, necessitates infinitæ sunt, tributa sunt graua, fiscalia explicare non possumus. Et tanta tibi ingerunt, vt quasi reum te statuunt, cur hoc ipsum illos volueris commouere. Non intelligentes quod omnibus necessitatibus, salutis sit necessitas præferenda, & quod tributum reddere, alij prodest: eleemosynam facere, ipsi proficiat qui largitur. Tributi enim redditio illi præstat beneficium qui accipit, eleemosynæ autem operatio sibi confert meritum qui ministrat. Tributi, inquam, redditio detrimentum infert soluenti, eleemosynæ erogatio lucrum tribuit eroganti. Dittior enim fit vir misericors posteaquam minus habere incipit pauperibus largiendo. Beata igitur est eleemosyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem. Hilarem enim datorem diligit Deus. Atque ideo melius est illi prius dare. Lætus ergo &

hilaris est qui pauperibus subministrat. Rectè G planè lætus est, quia per numulos paucos, æternos thesauros sibi cœlestes acquirit. Et contra semper tristis est & mœstus qui tributa dissoluit. Nec immeritò tristis est, qui ad solutionem non dilectione adducitur, sed terrore constringitur. Christi enim debitor lætus, Cæsaris tristis est, quia hunc ad soluendum amor cogit, illum pœna cōpellit. Hic præmiis prouocatur, ille suppliciis coarctatur. Dicit sanctus Apostolus: Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, & neque in incerto diuitiarum sperare. Vides ergo o diues quia sunt tuæ incertæ diuitie: quid ergo aurū cōgregas in quo nulla fiducia est? Auri tui auaritia cesset, & terra est: solidi tui cupiditas auferatur, & sordes sunt. Aurum enim & argentum vilis est & abiecta materies: vbi aurum increuit humana concupiscentia, tunc & his speciebus accreuit ambitio. Aurum enim & argentum nō preciosum natura instituit, sed hominum voluntas effecit.

De Ieiuniis Niniuitarum. Sermo XL.

Legimus in prophetis cum Niniuæ ciuitati subuersio diuinitus immineret, & iuxta sententiam Dei, destruendi illam tempus ingrueret, consistētes in ea aliud non habuisse præsidium, nisi vt abiectis crapulosis epulis, ieiunia continuata susciperent, & diuitiarum ambitione seposita, humilitate se paupertatis induerēt, scilicet vt exinde remedium perciperent, vnde his perditio contingebat, hoc est, vt iram diuinitatis quam luxuriando prouocauerant, abstinendo lenirent: & offensam quam in eos superbia contraxerat, humilitas mitigaret. Dicitur enim **K** in illa tribulatione ipse rex deposita imperiali purpura, regali ambitione submota, membra sua cilicio præcinxisse, atque in sacco & cinere se diebus ac noctibus voluisse. Sapiens ergo rex, qui sciret quemadmodū aduersa sibi superare deberet: hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè rex, qui intelligeret quibus armis vteretur pro temporis qualitate. Cū enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica: cū irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ. Sapiēs inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse quàm regē. Obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deum regem omnium pertimescit: nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse dū proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, ieiuniis perseuerat, orationibus immoratur. Mira res, dum se regem hominū esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutauit. Principatum enim ante militaris disciplinæ tenuit, nunc cœlestium disciplinarum obtinet principatum. Non, inquam, perdidit imperium, quia siue ferro, siue iustitia pro ciuium salute primus inuigilat. Primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi rex primus indixit, & solus omnium causa prior cœpit esurire quàm miles. Neesse enim erat vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis. Exemplo igitur suo præparat religionis

exercitum, non armis sed sola deuotione munitum: iubet omnem sexum, omnem etatem à diurnis epulis abstinere. Additur religioso exercitui numerus, cū in tali deuotione etiam infantia militare compellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa, paruulis quoque cibi substantiam denegare. Non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata, paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuetus ablueret. Ista autem, fratres, omnia in commonitionem nostri facta esse nemo est qui nesciat, ad vt quotienscunque tribulationibus perurgemur, ad hæc præsidia concurramus, vt puta aduersarius imminet, inimicus in promptu est: ieiunemus, & vincamus. Solent quidam homines quotienscunque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gētes auxiliij causa destinare legatos. Nos, quod est melius, legationem ad Deum per ieiunia destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde & orationibus conferamus. Auxilium enim illi non aliunde rogando petiuerunt, sed de suis ieiunando visceribus exegerunt. Cur enim petat ab altero **I** qui intra se potest inuenire quod quærit? Quanto enim Deo viciniore fuerimus, tanto aduersarij nostri à nobis longius repellentur. Oportet igitur proximos nos fieri Deo, quoniam dicit Propheta: Ecce qui elongant se à te, peribunt. Quod si à Deo qui longè sunt, peribunt: vtique qui sunt proximi, saluabuntur. Aliter ergo proximi Deo esse non possumus, nisi ad eum ieiuniis, orationibus & eleemosynis propinquemus: Deus enim ipse misericors, ieiunus & sanctus est. Atque idè qui vult proximus Deo esse, debet imitari hoc esse quod est Deus. Tota igitur in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit. Benedixi, tota: nō solum enim senes, iuuenes & infantes, sed etiam pecudes legimus ieiunasse. Mira res, ieiunant pro ciuitatis peccato, quæ peccati conditio nō constringit. Vnde & nos, fratres, temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinencia deplorare. Nam quale sit, hoc Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt: nisi quod stolidior pecude est qui indicto pro se à sacerdote ieiunio non ieiunat. Nonne enim pecus est qui non intelligit quid illi imminet, quid incumbat? Et pecus quidem videns declinat foueam, cauet præcipitia, tu autem non vis ieiunando periculum declinare quod cernis? Desperationis enim genus est, tunc te māducare cū abstinere debeas: tunc gaudere cū debeas deplorare. De hac desperatione Apostolus dicit, quod à nobis auertat Deus: Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Ieiunemus ergo, fratres, sine intermissione, vt hostes nostros orationibus & abstinencia superare possimus per Dominum nostrum Iesum Christum.

De gratia Baptismi. Sermo XLI.

Quia constat, sicut ante dies aliquot profecuti sumus, Iesum Christū nō sui causa baptizatū esse, sed nostri: debemus fratres dilectissimi, vobis catechumenis loquor, gratiam baptismatis eius omni festinatione suscipere, & de fonte Iordanis quem il-

le be-

le benedixit, benedictionem consecrationis haurire, vt in eum gurgitē in quem se illius sanctitas mer-
fit, nostra peccata mergatur, scilicet vt eadem aqua quæ Dominum circumdedit, & seruos circumpurget, quatenus ex venerabili Christi lauacro nobis vnda sancta proficiat, & iisdem vestigijs atque mysterijs quibus benedictionem à Salvatore est mutuata, nos factu beatiore purificet, gratiamque quæ à Christo suscepit, in Christianos refundat. Ergo fratres, tingi debemus eodem fonte quo Christus, vt possimus esse quod Christus. Nam, quod salua fide dixerim, licet baptismum vtrumque sit Domini, tamen gratius puto hoc baptismum esse quo nos abluimus, quàm illud quo Saluator baptizatur. Hoc enim celebratur per Christum, illud celebratum est per Ioannem. In illo se magister excusat, in isto nos Saluator inuitat. In illo iustitia semiplena, in isto trinitas est perfecta. Ad illud sanctus venit, sanctus egressus: ad istud peccator venit, & sanctus abscedit. In illo benedictio confertur mysterijs, in isto mysterijs delicta donantur. Baptizari ergo, fratres, debemus eodem gurgite quo Saluator: sed vt eodem fonte mergamur, non nobis orientalis petenda est regio, non fluuius terræ Iudaicæ. Vbi enim nunc Christus, ibi quoque Iordanis est. Eadem consecratio quæ Orientis flumina benedixit, Occidentis fluenta sanctificat. Vnde etsi nomen fortè fluuii aliud sit de seculo, inest tamen illi mysterium de Iordane. Denique iisdem sacramentis res agitur quibus & tunc gesta est, nisi quod gratia plenior. Tunc enim trinitatem carnalibus oculis vidimus, modò eandē trinitatem fidei oculis contemplamur. Tunc Christum vix humanus vultus aspexit, nunc eundem mens humana complectitur. Tunc Spiritus sanctus velut columbæ specie hominem circumfudit, modò se in interiora hominis ipsa virtute diuinitatis infundit. Tunc pater à Domino propter filium longo auditu vocis aduenit, modò autem descendit ad nos pariter ipse cum filio. Plenior ergo gratia est vbi Deus nō assumpta specie descendit ad homines, sed propria substantia descendere dignatur ad filios. Ibi enim tanquam incredulis fidem vult signis corporalibus persuadere, hic tanquam fidelibus gratiā spirituali virtute conferre. Plenioris ergo gratiæ est Deum videre sicut est Deus, quàm videre eum sic vt requiras eum. Hic est perfecta trinitas, ibi adhuc scrutanda diuinitas. Plenior igitur est gratia Deum propria virtute cognoscere, quàm in assumpta specie suspicari. Faciamus ergo ipsi pro nobis quod Deum videmus fecisse pro nobis, faciamus circa nos quod fieri circa se Ioannes optauit. Quāto magis peccatores nos humiles & ignari gratiam hanc debemus ambire. Videte misericordiam Saluatoris, hoc nobis sponte defertur, quod Propheta postulans non meretur accipere. Quid autem causæ sit quod Ioannes petierit Christi baptismum, & non acceperit, debemus aduertere. Ait enim illi Dominus postulanti: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Scimus enim quod Ioannes Baptista typum legis gerebat: iustum ergo erat vt ipse baptizaret Dominum, scilicet vt quemadmodum secundum carnem de Iudæis Saluator est genitus, ita & secundum spiritum de lege Euangelium

nasceretur, vt vnde successionem ducebat originis, exinde & traditionē consecrationis acciperet. Hoc est igitur quod ait: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Iustum enim erat vt mandata legis quæ ipse condiderat, ipse completeret, sicut alibi dicit: Non veni legem soluere, sed adimplere.

De hostibus carnalibus non metuendis, & post cibum gratias Deo referri debere.

Sermo XLII.

Frequenter admonui vos fratres, vt dum licet, dum temporis in spatium est, saluti vestræ omnibus modis confuleretis, & in hac vita breui vitam vobis prouideretis æternam. Sapiens enim quisque intelligit quod hæc vita homini nō ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, vt hic laboret, & in posterum requiescat. Hic autem requies nulla est. Tantis enim malis hæc vita completa est, vt comparatione eius mors remedio putetur esse, non pœna. Nam ideo breuem illam Deus fecit, vt molestiæ eius quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denique sanctus Iob dicit: Piraterium est vita hominis super terram, hoc est, siue quod homines in hac vita omnia experiantur mala. Piraterium enim Latine experimentum dici potest. Seu certè pirateriū, quod in hac vita circa homines diabolus tanquam pirata desæuiat. Piraterium enim habitaculum piratarum est. Tandiu ergo in piraterio sumus, quandiu in hac carne positi prædonum spiritualium tentationibus subiaccemus, quamuis in hac ipsa vita etiam carnales nobis, qui sunt barbari, piratæ non desunt, minus tamen eos timeo, qui & si auferunt patrimonia, non possunt auferre iustitiam: si aurum tollunt, Christum tollere certè nō possunt: si diripiunt argentum, non possunt diripere saluatorem. Quis igitur non festinet habere sibi Christum quem non possit ab eo nec prædo diripere, nec hostis auferre, nec captiuitas separare? Qui enim habet Christum, hominem non veretur inimicum. Quid enim facturus sapienti? Pecora eius abducat? hoc etiam morbi lues facere consuevit. Armenta diripiet? istud damnum abactores tolerando iam didicit. Ipsum fortassis non illi admouet tædia, sed remouet: hoc enim illi intulit, quod maiore cum molestia febris afferret, præsertim cū dicat Dominus: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Illi igitur spirituales plus metuendi piratæ sunt, qui non solum corpora hominum, sed & animas spoliare consueverunt: qui non tam aurum mundi, quàm aurum fidei auferre nituntur: qui non tam seculi substantiam, quàm Christi sapientiam deprædantur. Nam ipsi nobis spirituales hostes hos carnales immittunt, vt probemur in tribulatione positi, quàm si mus confidētes in Deo, quæ de solo ipso remediū postulemus. Sunt enim quidam qui in tribulatione positi dicant malis artibus hostes vincere, iisdem eos artibus debere superari, desperantes de Deo, à dæmonibus victoriam flagitantes. Miseri homines, nesciunt quid faciant, quid loquantur. Dum enim rebus suis metuunt, obliui sunt religionis ac fidei. Qui res quidem suas fortè non perdent, sed quod est amplius, suas

animas perdidit. Dicit sanctus Iob: Si bona excipimus de manu Domini, quare non mala tolerabimus? Hoc est, si bonis superuenientibus iucundamur, quare non & aduersis accidentibus confortemur? Aduersa tolerare, sapienti virtutis exercitium, insipienti preuaricationis est occasio. Dixi ergo frequenter ut in hac vita breui, vitam vobis prouideatis aeternam: quod doleo cur hoc facere contemnatis. Cum enim ieiunandum dicimus, praeter paucos nemo ieiunat. Cum elemosynas faciendum, maior auaritia vos costringit. Orare autem, & gratias Deo agere quid sit, plerisque de vobis etiam arbitror ignorare, qui surgentes primo diluculo non nisi de prandio cogitent: cum pranderint somno se tradant, nunquam diuinitati gratias referentes, quae illis & prandium ad refectioem, & somnum dederit ad quietem. Vtique tu Christiane si es utilis, meminisse debes cuius panem comedis, & ei laudem dicere. Dic mihi, num si aliquid de tuo cuiuscumque largiris, expectas ut tibi gratias agat, ut benedicat domum de qua ei humanitas sit tributa? Qui si forte gratias non agit, quemadmodum a te denotatur ingratus? Ita ergo & a nobis expectat qui nos pascit Deus, ut pro praestitis ab eo tibi gratias referamus, & saturati donis ipsius laudes ei dicamus. Haec enim beneficiorum est retributio diuinorum, ut cum refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Caeterum si accipientes diuina munera, taciti & immemores fuerimus: tamquam ingrati & indigni eorum subministratioe fraudabimur: ut Deum quem beneficiis non cognouimus, malis ingruentibus requiramus, & aduersis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratias non egimus ad fruendum: sicut nunc contingit ut qui in pace pigri fuimus ad laudes referendas, modo in tribulatione trepidi existamus ad pericula deploranda.

Item de eodem. Sermo XLIII.

Satis abunde dixisse me credo superiore dominica ad correptionem eorum qui diuinis muneribus perfruentes gratias non referunt creatori, & videntes beneficiis caelestibus tanquam ingrati & indigni beneficiorum non remunerantur auctorem. Ingrati, inquam, qui Deum nec quasi ferui metuunt Dominum, nec quasi filij honorificant ut patrem. Dicit per Prophetam Deus: Si Dominus sum, ubi timor meus? Si pater, ubi amor meus? Hoc est, si feruus es, redde Domino timoris obsequium: si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Unde aut contumax feruus, aut superbus es filius. Qui est igitur utilis Christianus, semper debet patri ac domino suo laudes dicere, & in eius gloriam omnia procurare, sicut ait beatus Apostolus dicens. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei. Videte quale viri Christiani Apostolus voluit esse conuiuium, ut magis fides Christi, quam prandij sagina comedatur, & plus reficiat hominem dominici nominis frequens inuocatio, quam epularum multiplex & copiosa collatio, meliusque pascat esurientem religio quam sagina. Omnia, inquit, in gloriam Dei. Omnes ergo actus nostros

Christo vult socio vel teste compleri, hac scilicet ratione, ut bona ipso auctore faciamus, mala propter ipsius contubernium declinemus. Erubescit enim mala facere qui scit Christum se habere participem. Christus autem in bonis adiutor est, in malis noster est cōseruator. Ergo cum diluculo surgimus, debemus priusquam procedamus e cubiculo gratias agere Saluatori, & ante omnes actus seculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodiuit. Quis enim nisi Deus dormientem custodit hominem? qui ita resolutus in somnum, & oblitus sui vigoris humani, a se alienus efficitur, ut nesciat quid ipse sit, vbi nam demoretur, adesse sibi certe ipse non possit. Necessarius igitur Deus adest dormientibus, quia dormientes sibi adesse non possunt: & a nocturnis insidiis genus hominum ipse custodit, quia id temporis ad custodiendum alter nemo peruigilat. Debeo ergo illi gratiam qui ut ego securus dormiam, ille peruigilat. Ipse enim nos Deus ituros cubitum quodam gremio quietis suscipit, & thesauro pacis recondito seruat, & caliginum quadam tuitione in lucem defendit, ut malitia inimicorum hominum repellatur tenebris, quae non potest benignitate depelli, & pacem fessis praestet obscuritas, quam non praestabat humanitas. Dum enim nescit homo vbi suum aduersarium persequatur, pacem quam volens praestare noluit, praestat inuitus. Debemus ergo surgentes gratias Christo agere, & omne diei opus in signo facere Saluatoris. Nonne cum adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere: quae signa quibus rebus essent prospera, magna inquisitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero, scito quia in vno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas. Qui in hoc signo seminare coeperit, vitae fructum consequetur aeternae. Qui in hoc signo iter facere aggreditur, ad caelum usque perueniet. In hoc igitur nomine omnes actus nostri dirigendi sunt, & ad ipsum totius vitae nostrae commotio referenda, quia sicut ait Apostolus: In ipso viuimus, & mouemur, & sumus. Sed & cum vespere diem claudit, ipsi debemus per psalterium laudem dicere, & gloriam eius modulata suauitate concinere, quo operum nostrorum consummato certamine, veluti victores requiem mereamur, & laboris quaedam palma sit soporis obliuio. Hoc autem ut faciamus fratres, non solum docemur ratione, sed etiam admonemur exemplis. Non enim videmus minutissimas aues, cum illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare, & id studiose agere priusquam procedant, ut creatorem suum, quia loquela non possunt, suauitate demulceant: & quemadmodum vnaquaeque earum quoniam confessione nequit, modulis prodat obsequium, ita ut videatur sibi deuotius gratias agere, quae dulcius personauit: hoc etiam peracto diei cursu similiter facere? Quid ergo sibi vult ista certis temporibus disposita cantilena, & iugis intentio, nisi gratiarum quaedam sit immoderata confessio? Pastori enim suo auis innoxia, quia sermone non potest, suauitate blanditur. Habent enim & aues pastorem suum, sicut ait Dominus: Respiciate volatilia caeli, quoniam non nent, neque metunt, & pater vester qui est in caelis, pascit illa. At quibus

quibus tandem cibis pascuntur aues? vilissimis scilicet & terrenis. Aues ergo propter viles escas gratias agunt, tu preciosissimis epulis pasceris, & ingratus es? Quis igitur non erubescat sensum hominis habens, sine psalmodum celebritate diem claudere, cum ipsae aues ad gratificandum psalterij suauitate persultent, & eius gloriam non veruum dulcedine personare, cuius laudem volucres modulata cantilena pronunciant? Imitare ergo, frater, minutissimas aues mane & vespere creatori gratias referendo. Et si es deuotior, imitare lusciniam, cui quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula, & insomnem suscepti laboris industriam psalterij serie consolare. Et quia de his auibis mentionem feci quae noctibus vigilant, nolo te imitatore esse noctuae, quae licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel caeca est, quae grandibus oculis tenebrarum caliginem diligit, splendorem solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatur obscuritate, luce caecatur. Istud animal haereticorum figura est atque gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. De his ait Dominus: Oculos habent & non videbunt: in tenebris ambulant. Sunt enim acuti ad superstitiona, hebetes ad diuina, qui dum se putant subtilibus euolare sermonibus, tanquam noctuae veri luminis splendore turbantur.

De sancto latrone. Sermo XLIII.

Quoniam hesterno die de latrone fecimus mentionem, videamus quis ipse latro sit qui in cruce Domino constituto non solum peccatorum suorum veniam consequitur, sed etiam paradisi amoenitate donatur, ut qui propter scelera damnatus fuerat ad poenam, propter fidem transferretur ad gloriam, fueritque illi crux quam pertulit, non tam supplicij damnatio, quam salutis occasio. In cruce enim positus Christum Dominum nostrum credit crucifixum. Et ideo qui consortio passionis vtitur, consortio paradisi condonatur. Beatus enim latro dum supplicium patitur, regnum caeleste consequitur. Ecce reus dicitur, sicut qui damnari ad tempus expedit. Non enim perueniret ad gloriam, si non contraditus esset ad poenam. Videamus, inquam, cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore paradysum promeretur, cum alij multorum temporum lachrymis frequentibusque ieiuniis vix delictorum suorum veniam consequantur. Magna, fratres, & multiplex causa est. Primum quod iste latro deuotione fidei tam repente mutatus est, ut presentem poenam despiceret, ac de futura veniam precaretur, & magis crederet vtile sibi esse de aeterno iudicio petere, quam de temporali supplicio postulare. Reminiscens enim scelerum suorum, & poenitentiam gerens, plus incipit dolere quod sperat, quam sentire quod patitur: potuit enim nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crederat, de presenti magis supplicio deprecari. De S. Ambr. tom. 5.

inde illud ad gratiam eius maioris est meriti, quod Christum in cruce positum credidit: & passio quae aliis scandalum fecit, illi ad fidem profecit. Crucis enim passio multis scandalum fuit, sicut dixit Apostolus: Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Recte ergo meretur paradysum, qui crucem Christi non putauit esse scandalum, sed virtutem. Dicit enim idem Apostolus, Ipsi vocatis Iudaeis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Recte plane & Dominus huic donat paradysum, quia quae Iudas Scarioth in hortulo paradisi distraxerat, hic in crucis patibulo confitetur. Mira res, confitetur latro quem discipulus abnegauit. Mira inquam, res, latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem. Ab hoc pacis blandimenta venduntur, ab illo crucis vulnera praedicantur. Ait enim: Memento mei Domine, cum veneris in regno tuo. Haec est fidei plena deuotio, ut cum de vulneribus Domini profluens sanguis cernitur, tunc de potestate eius venia postuletur: cum videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas: cum morti addictus putatur, tunc regis illi honorificentia deferatur. Iste enim fidelis latro non credit moriturum quem annunciat regnaturum: non putat subdendum inferis, quem dominaturum confitetur in caelo: non arbitratur eum apud tartarum detineri, a quo se etiam postulat liberari. Cernat licet eius hiantia vulnera, spectet ipsius sanguinem profluentem, Deum tamen credit quem reum nescit, iustum fatetur quem non meminit peccatorem. Ait enim illi alteri exprobrati latroni: Nos quidem recte digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit. Intellexit enim quod pro alienis peccatis has plagas susciperet, pro alienis sceleribus haec vulnera sustineret: & sciuit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis: atque ideo plus amare coepit postquam in corpore eius sua vulnera recognouit. Ait enim Propheta: Quoniam ipse infirmitates nostras portat, & pro nobis dolet. Nos autem existimabamus eum esse in dolore, liuore eius nos sanati sumus. Plus ergo in cruce positus, liuorem eius cernens latro diligit Deum. Mira res, plus in cruce latro Christum diligit, quam Iudas dilexit in caena. Ille per cibum supplantat magistrum, hic credidit Dominum per dolorem, sicut ait Propheta: Qui edebat panes meos, ampliauit aduersum me supplantationem. Cognouit igitur hic latro omnem Dei passionem ex ipsius fieri voluntate, & in potestate eius esse, vel morti animam tradere, vel ad vitam iterum remeare, sicut ipse ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Usque adeo autem illum liberum ab inferni legibus iudicauit, ut etiam se ab his posceret liberari.

Item de eodem sancto latrone. Sermo XLIV.

Memento, fratres, vestra dilectio me dedisse rationem, cur tantorum criminum inueteratus latro, & scelerum suorum confessione damnatus, paradysum in ipso supplicij patibulo potuerit promereri, & tanta fuerit celeritate saluatus, ut peccata eius gratia

præuenerit antequam pœna, & prius in malis suis gloriarî cœperit, quàm puniri. Non enim patitur supplicium, dum paradîsum promeretur. Petro dicitur à Christo: Non potes me modò sequi, sequeris postea. Et huic dicitur: Hodie mecû eris in paradîso. Tanquam discipulus ille differtur, & hic tanquam socius inuitatur. Ille adhuc reseruatur ad præmium, etiam ad consortium iste deligitur. Non potes, inquit, me modò sequi. Impossibile est Petro sequi Dominû, etiã facîle latroni est esse cû Domino. Hodie mecum eris in paradîso. Non in aliud differtur tempus, nò in diem alteram reseruatur. Ipsa hora qua paradîsus Deum suscepit, suscepit & latronem: vnus passus est pro salute cunctorum, & duobus pariter immortalitatis ianua reseratur. Sed hanc tantã gloriam latroni fides præstitit. Fides enim est quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes: quamuis enim delinquentiû grandis culpa sit, fidei tamen maior est gratia. Plus enim credidisse Christo, quàm seculo deliquisse, & plenioris est meriti veniam sperasse de Domino, quàm culpam contraxisse de mundo. Sicut enim perfidia criminofum fecit, ita fides perfecit innocentem. Denique Iudas posteaquàm fidem perdidit, innocentiam Apostolatus amisit: omnium enim criminum reus factus est, posteaquàm virtutum omnium Dominum denegauit. Sicut ergo sufficit isti ad scelera deseruisse Christum, ita illi sufficit ad innocentiam Domino credidisse. Facit igitur & fides innocentes latrones, & perfidia Apostolos criminofos. Magna igitur & perfecta fides in illo latrone fuit. Magna planè est & admirabilis fides quæ Christum crucifixum glorificari magis credidit, quàm puniri. In hoc enim totius forma salutis est. Saluatorem tunc maieftatis Dominum recognofcit, cum videtur humilitatis patiëntia cruciari. Vnde ait Apostolus: Si cognouissent, nunquam Dominum maieftatis crucifixissent. Hæc, inquam, perfecta fides est, Christum in cruce Deum non reum credere. Vnde ille latro iustificatus est, quia Saluatore in patibulo constituto Iudæis insultantibus, & vel criminofa dicentibus: Libera teipsum si potes: ille certus de diuinitate eius, & securus de volûtate se magis postulat liberari. Magna, inquam, fides in illo latrone fuit, & sanctis Apostolis comparanda, nisi quòd & fortè præcesserit: præcessit enim deuotione, qui præcessit & præmio. Prior enim latro ad paradîsum quàm Apostoli peruenerunt. Denique Petrus Dominum sequitur, & iste comitatur. Dominus autem secundum fidem & meritum tribuit, & remunerationis obsequium. Omnes enim, sicut legimus, in passione Saluatoris discipuli trepidarunt, omnes eum penè cum traderetur reliquerunt, factû est sicut scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Denique fidem Petrus nec admonitus potuit custodire: totiens lapsus est, quotiens nelaberetur admonitus. Et nisi modum quendam tertio denegandi ei Dominus statuisset, forsitan sæpius interrogatus, sæpius abnegasset. Tantam enim trepidationem discipulis intulit passio Saluatoris, vt quod Apostolo Christus antè prædixerat, ancilla destrueret, & magis præualeret ostiaria ad perfidiam, quàm Apostolus ad cautelam. Non bona ostiaria, quæ

Petrum ideò in domum sacerdotis includit, vt à fide Saluatoris excludat. Malè Adam induxit Eua, malè Petrum introduxit ancilla. Illa exclusit à paradîso, hæc exclusit à Christo. Illa persuasione sua virum decepit, hæc interrogatione sua Apostolum circumscripsit. Illa ad præuaricandum Adam impulit, hæc Petrum compulit ad negandum. Et idem sexus in vtraque ostiariæ officium gerens, aut excludit à vita, aut includit ad mortem.

De pœnitentia Petri Apostoli. Sermo XLVI.

Diximus, fratres, quòd ad similitudinem Eua Petrum ostiaria mulier quoque deceperit, & sicut Adam fœmina circumscripsit, ita & Apostolû fœmina circumuenerit. Vfitatus enim ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit. Fideles verò non nisi per mulierem oppugnare consuevit. Ibi Adam per Eua superat, hic Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus in paradîso deliciarum diabolus: nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Iudæorû. Ibi imminebat Satanus serpens, hic Iudas coluber perurgebat. Est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro quæ in Adam fuit, quoniam eadem est & similitudo mandati. Accepit enim à Domino vterque mandatum, Adam ne tangeret, Apostolus ne negaret. Ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret. Sed transgrediens vterque præceptum pari modo delinquent. Gustat ille quod non licet, loquitur iste quod non decet, & tamen facilior negatio Petri, quàm Adæ præuaricatio. Citius enim Apostolo quàm Protoplasto subuenitur. Hunc etenim Deus ad vesperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem. Adam reus facti nudus erubuit, Petrus cõscius * dicti correctus ingemuit. Ille tãquam deprehensus festinat ad latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad lachrymas. Velut latenti enim & celanti à diuinitate Adæ dicitur, Adam vbi es? Non quòd Adam conspectum Domini latere potuerit, sed quòd peccatrici conscientiæ nullus locus tutus, vel certus sit dum metuit deprehèdi. Respexit Dominus, & apertis oculis eius emendauit errorem. Rectè oculis emendat, quia scriptum est: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Ergo Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Inuenio enim quòd fleuerit, non inuenio quòd dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem non lego. Rectè planè Petrus fleuit & tacuit, quia quòd defleri solet, non solet excusari: & quòd defendi nò potest, abluì potest. Lauat enim lachryma delictum quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & salutem, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt: veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quòd vtiliores lachrymarum preces sunt quàm sermonum, quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma semper totum prodit affectum. Et ideò Petrus iam non vtitur sermone

sermone quo sefellèrat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum quo vsus fuerat ad negandû, ac per hoc mauult causam suam flere quàm dicere, & quod voce negauerat, lachrymis confiteri. Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tã citò veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet quàm impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum est, sic precandum. Scimus iam hoc exemplo quemadmodum nostra peccata curemus. Ecce nihil nobis Apostolus nocuit quòd negauit, & plurimû profuit quòd emendauit. Denique imitemur eum dicentẽ alibi: Cùm enim tertio interrogaretur à Domino, Simon amas me? Respondit tertio, Domine tu scis quia diligo te. Ait Dominus, Pasce oues meas. Et hoc tertio, quod quidẽ dictum ad compensationem prioris profecit erroris. Qui enim Dominum tertio negauerat, tertio cõfitemur: & quotiens culpam delinquendo contraxerat, totiens gratiam diligendo conquirat. Videte ergo quãtum fletus profuerit Petro: antequàm fleret, lapsus est: posteaquàm fleuit, erectus est: & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit, qui prius seipse non rexit.

De fide Petri Apostoli. Sermo XLVII.

Astruximus superiore Dominica sanctum Petrum in Saluatoris passione sine erroribus profecisse, & posteaquàm negauit Dominum Deum, fuisse meliorem. Fidelior enim factus est postquàm fidem se perdidisse defleuit, atque ideò maiore gratiam reperit quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate deuotionis ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molèmq; contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra: petra autè erat Christus. Rectè consortiû meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit. Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat. Petrus enim tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic namque in mari dum super vndas temerarius viator ingreditur, nutat in cessu, sed conualescit affectu: periclitatur corpore, sed deuotione non labitur: mergitur pedibus, sed Christi dextera sustentatur: sustentat fides quem vnda mergebat: & quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio cõfirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus. Nò enim videbat vbi pedû vestigiû poneret, videbat autè vbi figeret vestigiû charitatis. In nauì enim positus considerat Domi-

num, & amore eius ductus descendit in mare: non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia: & dñ Christum respicit, non respicit elementum. Credit fide etiam inter vndas solidum inuenire vestigiû, iactetur licet fluctibus mare, ventis pelagus conturbetur, non tamen turbatur Petri semita, quæ ducit ad Dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus eius mollis vnda non cedit. Legimus in veteri Testamento, filios Israël per mare rubrum ficcis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur vnda, in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quanto hoc melius vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius inquam, est, vbi eadem vnda quæ fluctuat & sustentat: vbi idem gurges qui mergitur, & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israël, meatum suum natura perdidit: hic portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt. Temerarius ergo viator Apostolus noui itineris viam carpit, modò curuati gurgitis molem ascendit, modò subsidentis sinus vndam descendit, & inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensusque non deest: sed vbi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quòd credidit, statim ei gurges subtrahitur, vnda subducitur, mox defatiscente fide fatiscit semita: tunc exclamans Dominum Iesum, saluum se fieri deprecatur: quem apprehensum manu Saluator liberat, & obiurgat, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Hoc est, cur tam parua fidei es, vt qui credendo mare ambulare cœperas, non id perseuerando transires? Scriptum est enim: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Sed dum cunctoris & dubitas, iter quòd ingressus fueras, perdidisti. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, vt non ea fide qua venire cœperas, peruenires? Intellige ergo quia in mari credulitas te portabat, perfidia summergebat. Igitur, fratres, sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis quòd non nisi per pericula prope-ratur ad Christum. Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit.

De sepultura Domini. Sermo XLVIII.

Hesternæ die satis accepisse vos credo, fratres dilecti, tractatibus domini & fratris nostri præsentis episcopi, qui tanta facundia res diuinas disseruit, vt prædicatio eius plena fuerit sacerdotij gratia, oratoris eloquentia, institutione doctoris. Nec mirum si is qui in pontificio primatus honorem obtinet, obtineat etiam in prædicando primatus eloquium, & virtutes Dei quas sancti pectoris arcano depromit, fœcûdi sermonis oratione commendat, atque ideò paruitatem meam scio auribus vestris minus solito placitaram. Quis enim contentus sit potare de riuulo, cum possit haurire de fonte? Terra enim aquarum tenuem rorem omnino non suscipit, posteaquàm eam largus pluuiarum

imber infuderit. Sic igitur vestra dilectio inundata G sancti sacerdotis eloquio, sermonis mei patietur vile fastidium. Quamuis enim doctus vir, quamuis disertus orator, elinguis videbitur si cœperit loqui præsentem meliore, sed tamen habet solatium suum ista confusio. Nihil enim ruboris est comparatione summi sacerdotis displicere minimum sacerdotem, præsertim cum iuuare me possit beatorum in signe cõsortium. Si enim David vnus societate sancti alterũ sanctum fieri posse promat, dicēs: Cum sancto sanctus eris: cur ego me, quãuis imperitum, quamuis peccatorem, non putem fieri posse prædicatorem virtutum Domini tantorum consortio magistrorũ? Igitur quoniam beatissimus frater noster sanctorũ Apostolorũ laudes magno est profectus eloquio, debemus & nos ipsius sepulturam Domini prædicare: vt quia vnus corporis membra videmus similibus obsequiis procurata, similibus quoque integrũ corpus prædicationibus exornetur. Videamus ergo de Domini corpore posteaquam de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia vir iustus, sicut ait Euangelista, & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondum quisquã positus erat. Beatũ ergo corpus Domini Christi, quod cum nascitur, vtero virginis gignitur: cum recedit iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptũ, sicut seruauit illud Mariæ vterus illibatũ. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbique beato corpori defertur sanctitas, vbique virginitas: purus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam K vuluam dixerim, est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, & de Ioseph viuus sepultura surrexit: & sicut tunc de vtero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad euangelizandum renatus est de sepulchro, nisi quod gloriosior ista est quàm illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos. Religiosior planè ista est quàm illa natiuitas. Illa enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit, hæc autem L triduo tantum tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, hæc omnium salutem citius suscitauit.

De accusato Domino apud Pilatum, & de Susanna.

Sermo XLIX.

Mirum forsitan videatur vobis, fratres, cur Dominus apud præsidem Pilatum à principibus Sacerdotum adscusetur, & taceat, nec nequitiam eorum sua responsione conuincat, cum vtique ingestã accusationem non nisi refellere soleat subsecuta defensio. Mirũ, inquam, sit fratres, quod arguatur Saluator, & taceat. Taciturnitas enim interdum pro confensu habetur. Videtur enim confirmare quod obiicitur, cum non vult respondere quod quæritur. Accusationem ergo suam Dominus tacendo cõfirmat: Non planè accusationem suam tacendo con-

firmat, sed despicit nõ refellendo. Bene enim tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi qui metuit superari: festinet loqui qui timet vinci. Christus autem cum condemnatur, & superat: cum iudicatur, & vincit: sicut ait Propheta: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante iudicium, cui ipsum iudiciũ erat plena victoria? Vincit enim cum iudicatur Christus, qui sic innocens approbatur. Vnde ait Pilatus: Innocens ego sum à sanguine huius iusti. Melior est igitur causa quæ non defenditur & probatur: plenior iustitia est quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Taceat lingua necesse est, vbi ipsa æquitas sibi adest. Taceat lingua in bono negotio, quia & malas causas obtinere consuevit. Nolo sic defendi iustitiã, sicut solet iniquitas excusari. Quod vincit Christus, non orationis est, sed virtutis. Scit enim Saluator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret, atque ideò causam suam mauult comprobare quàm dicere. Quæ enim res illi compelleret ad loquendum, cum silentium satis sufficeret ad vincendum? Sed fortasse metus eum cogeret, ne salutem perderet, nisi quòd ipsa erat tota causa victoriæ. Suam enim salutem perdidit, vt salutem omnium lucraretur. In se vinci maluit, vt victor esset in cunctis. Sed quid de Christo loquar? Susanna mulier inimicos suos tacuit, & vicit. Non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, non patrocini sermonem tutata est, sed in sancta scemina tacente lingua pro ea castitas loquebatur. Castitas enim Susannæ affuit in iudicio, quæ eam defendit & in paradiso. Ibi enim pudori eius consuluit, hic salutem: ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocetia damnaretur. Castitas ergo Susannæ & presbyteros, & impudicos conuincit in paradiso, & in iudicio falsos accusatores obtinuit. Bisque victrix reos facit testimonij, quos reos fecerat adulterij, atque tandem iudicem meretur castitas Danielem puerum iuniorem necdum pubescentis ætatis. Multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promeretur. Secura enim est de victoria castitas, cui est iudicatura virginitas. Pudicitia autem causam nisi vir pudicus audire non debuit, talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Cognito igitur Daniel Susannæ negotio, cum eam falsis accusationibus vellet plebs imperita damnare, ait idem: Mundus ego sum à sanguine huius. Quo dicto peccantis populi reuocauit errorem. Hac ergo voce circa Susannam Daniel vtitur, qua circa Dominum vsus est & Pilatus. Ait enim Pilatus: Mundus ego sum à sanguine huius iusti. Eadem igitur sententia soluitur pudicitia, qua est absoluta iustitia: sed Daniel melius quàm Pilatus. Ille enim pudicum sanguinem non condemnat, sed liberat: hic autem iustum sanguinem & confitetur, & tradit. Quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentia, & velut reum addixisse nequitia, nisi quòd grauius peccatum est, vnum eundemque & pronunciare iustum, & tradere criminofum? Ipse enim iniquitatis suæ testis est, qui ore absoluit, & corde condemnat. Lauerit licet manus suas Pilatus, tamè sua facta nõ diluit. Et quãuis abstergere se putauerit

putauerit iusti sanguinem de suis membris, eo tamè A sanguine mēs eius tenetur infecta. Ipse enim occidit Christum qui eum tradidit occidendum. Iudex enim constans & bonus, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timori. Daniel ergo melius quàm Pilatus. Ille peccantis populi reuocauit errorem, hic autem furentis synagogæ sacrilegium confirmauit.

Item de eodem. Sermo L.

Ante aliquot dies profecti sumus sanctæ Susannæ iudicium simile admodum fuisse iudicio Saluatoris, & iisdem criminationibus laborasse memoratę castitatem scemine, quibus Christi laborauit integritas. Similiter enim persecutores in Susanna passa est pudicitia, sicut & in Christo passa est iustitia. Illa enim dum in adulterio conuincit presbyteros, ipsa tanquam adultera retinetur: hic dum in sacrilegio arguit Phariseos, ipse tanquam sacrilegus accusatur. Quod quidem sacrilegium in Phariseis maius adulterium vocari potest. Grauius est enim religionis adulterũ esse quàm corporis: & plus est integritatem diuinitatis lædere, quàm integritatem hominis violare. Condemnatur ergo Susanna, cõdemnatur & Dominus. Illa, quia castitatem corporis tuebatur, hic quia religionis castimoniam defendebat. Similis igitur erat in vtroque causa iudicij, nisi quòd meliore vsa est iudice Susanna quàm Dominus. Hunc enim præses iudicat, hanc Propheta. Hunc audit vir qui Phariseorum seditionibus terrebatur, hanc audit puer qui sancto Spiritu replebatur. Ille quod sentit, constanter pronunciat, non defendit. Susannæ enim iudex quam absoluit, & liberat: Domini cognitor quem absoluit, damnat & tradit. Simile ergo fuit penè per omnia Susannæ Dominique iudicium. Siquidem nec accusatio in iis fuerit ipsa dissimilis. Susannam enim seniores deserunt, Dominum Iudas accusat. Illam doctores sui, hunc discipulus proprius criminatur. Susannam, inquam, pseudopresbyteri arguunt, prodit pseudopiscopus Saluatorem. Episcopus enim & Iudas fuit, sicut ait Propheta de eodem dicens: Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Sed nec locus, fratres, in vtraque causa videtur esse dissimilis. Susanna enim in paradiso ab accusatoribus circumuenitur, Dominus in hortu paradiso à traditoribus circumdatur. Illa ibi insidiatores patitur, iste hic sustinet proditorem. Videamus autem exitum vtriusque iudicij. Susannæ accusatores tanquam falsi testes prophetica sententia feriuntur, & eiusdem criminis puniuntur rei, cuius damnare innocentis sanguinem gestiebant. Domini autem traditorem non inuenio à iudice esse damnatum. Non enim damnat eum Pilatus, non damnat populus, sed quod est grauius, seipse condemnat, & cessante iustitia iudicatur. Quem enim alter iudicat, potest vtrunque esse excusabilis: reus autè sine excusatione est qui conscientia suæ iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice sperare indulgentiã: qui seipse iudicat, à quo indulgentiam postulat? Referens enim Iudas Dominici sanguinis precium, ait Iudæis, Peccauit, quòd tradiderim sanguinem in-

nocentem. Magnum igitur dominicæ innocentia testimonium est, dum accusator eius & confitetur de scelere, & reus est de mercede. Dum enim miser refudit venditionis precium, putat se facinoris sui soluere posse contractum. Sed nec iste absoluitur. Dum enim author venditionis suæ reus est, constat istos sceleratum cum sacrilego iniisse contractum. Sua ergo sententia Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè sit vobis quòd non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc sacrilegij solet esse iudicium, vt impietatem suam ipse dum recordatur, & puniat: scelus suum dum recognoscit, & vindicet. Omnium enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia sua sententia condemnatur. Hoc, inquam, sacrilegi solet esse iudicium, vt conscientius facti ipse se damnet, sicut ait Apostolus Paulus de hæretico dicens: Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatur. Ipse enim se damnat hæreticus, cum de ecclesia ipse se proicit, & de cœtu sanctorum nullo compellente procedit. Ipse enim ostendit quid mereatur à cunctis, qui suo iudicio separatur à cunctis: ipse, inquam, se damnat hæreticus, quia cum omnes criminofis, episcopi sententia proiciantur de consortio Christiano, hæreticus cuncta præueniens sententia suæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hæreticus quali & Iudas pœna damnatur, vt idem sui & reus sit sceleris, & iudex sit vltionis. Tali, inquam, hæreticus quali & Iudas pœna damnatur, nec immerito, quia Dominum quem ille vendidit, iste blasphematur: quem ille persecutoribus tradidit quotidie iste persequitur. Persequitur enim hæreticus Dominum, cum diuinitatem ei derogat, & asserit creaturam.

De Iuda Scarioth. Sermo LI.

Retinet dilectio vestra, nos hoc proxima Dominica prædicasse, quòd Iudas Scarioth propria sententia condemnatur, ad Phariseos Dominici mercedem sanguinis reportarit, & actus pœnitentia refuderit venditionis precium, sed conscientia suæ non resoluerit scelus. Denique post redditum precium laqueo se suspendit, vt qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & vita. Intelligens enim quantum scelus admiserit, nõ suffecit ei sacrilegij carere mercede, nisi careret & salute. Dignum enim se morte iudicauit, quòd Christum vitam omnium tradidisset. Seuerissimus igitur iudex sui Iudas vel in vlciscendo confitetur, quem negauerat in tradendo. Restituit ergo pecuniam Phariseis, sed nec Pharisei eam libenter accipiunt. Dicunt enim illicitum sibi esse in suis eam habere thesauris. Videte igitur quanta vis dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reiecit, hinc Pharisei in oculos non recludunt. Iusti enim sanguinis precium pertimescit iniquitas possidere: consilium tamen ineunt Pharisei, vt ex ea ager figuli compareretur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quod quidem prouidentia factum puto, vt precium Saluatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret: non sacrilegis

NN ij

1. Pet. 1.

1. Ion. 3.

Psal. 2.

Genes. 2.

2. Cor. 3.

Roman. 9.
Esaia 45.

2. Cor. 5.

Colos. 2.

fit ad luxum, sed defunctis fit ad sepulchrum, ut iam exinde Christus & viuos sanguinis sui passione redimat, & mortuos preciosa passione suscipiat. Precio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in scripturis quod totius generis humani salus redempta sit sanguine Saluatoris, sicut ait Apostolus Petrus: Non enim redempti estis corruptibilibus auro vel argento, sed precioso sanguine agni incontaminati & immaculati Iesu Christi. Igitur si precium vite nostrae sanguis est Domini, vide ergo quia illo non tam redempta sit agri terrena fragilitas, quam totius mundi incolumitas sempiterna. Ait enim Euangelista, Non enim venit Christus ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Vide, inquam, ne pecunia illa non tam comparata sit agri parua portio, quam totius mundi copiosa possessio, sicut ait David Propheta: Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Ager ergo iste mundus hic totus est, in quo nos dispersi & disseminati Domino fructum boni operis germinamus. Sed fortasse perquiras a me, si ager mundus est, quisnam sit figulus qui mundi possit habere dominatum: Nisi fallor, ipse est figulus qui vascula corporis nostri fecit de limo, de quo dicit scriptura: Et fecit Deus hominem de limo terrae. Ipse est figulus qui carniem nostram cœnosum lutum vapore sui spiritus animauit, & materiem fluidam atque terrenam ignito calore decoxit. Ipse, inquam, est figulus qui nos per manus suas formauit ad vitam, per Christum suum reformauit ad gloriam, sicut ait Apostolus, Ad eandem imaginem reformamur de gloria in gloriam, scilicet ut qui a priore factura propriis vitiis corruimus, in secunda natiuitate figuli huius misericordia repareremur, hoc est, qui per Adæ transgressionem morte concidimus, per Saluatoris gratiam denuo resurgamus. Ipse planè est figulus, de quo dicit beatus Apostolus: Nunquid dicit figmetum ei qui se finxit, cur me fecisti sic? Et iterum: Nunquid non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ex eodem enim luto corporis nostri Deus pro meritis singulorum alios referuat ad penam, alios ad gloriam. Istius itaque figuli ager Christi sanguine emptus est peregrinis. Peregrinis, inquam, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur, ut quibus non est in mundo possessio, iis in Christo sit sepultura. Istos autem peregrinos quos esse dicimus nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes seculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem. Ideò autem peregrinis Christi sepultura promittitur, ut qui se a carnalibus vitiis tanquam peregrinum, & alienum custodierit, is Christi requiem mereatur. Sepultura enim Christi quid est aliud, nisi requies Christiani? Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tanquam hospites in hac luce versamur, sicut ait Apostolus dicens: Etenim dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Peregrini, inquam, sumus, & nobis Saluatoris sanguinis precio empta est sepultura. Consepulti enim sumus, sicut ait Apostolus, cum il-

lo per baptismum in mortem. Baptismum igitur Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientia resoluta, in altera natiuitate rediuiua infantia reparamur. Baptismum, inquam, Saluatoris, nobis est sepultura, quia & ibi perdimus ante quod viximus, & ibi denuo accipimus ut viuamus. Magna igitur sepulturae huius est gratia, in qua nobis & utilis mors infertur, & vita utilior condonatur. Magna, inquam, huius gratia sepulturae, quae & purificat peccatorem, & viuificat morientem.

De die sancto Paschae. Sermo LII.

Non immeritò, fratres, hodierna die psalmus hic legitur, in quo Propheta exultandum precipit & letandum. Omnes enim creaturas ad huius diei festiuitatem David sanctus inuitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur tartarus: per Neophytos ecclesiae innouatur terra, cœlum per Spiritum sanctum referatur. Apertus enim tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat resurgentes, cœlum referatum suscipit ascendentes. Denique ascendit latro in paradysum, sanctorum corpora ingrediuntur in sanctam ciuitatem, ad viuos mortui reuertuntur, & profectu quodam in resurrectione Christi ad altiora cuncta elementa se tollunt. Tartarus quos habet reddit ad superos, terra quos sepelit mittit ad cœlum, cœlum quos suscipit repræsentat ad Dominum. Et vna eademque operatione Saluatoris passio eleuat de imis, suscitatur de terrenis, collocat in excelsis. Resurrectio enim Christi defunctis est vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria. Omnem ergo creaturam ad festiuitatem resurrectionis Christi David sanctus inuitat. Ait enim exultandum in hac die quam fecit Dominus & letandum. Sed dicit aliquis, Si in die gratulandum est, iis utique gratulandum est quos dies ipsa complectitur. Cœlum autem & Tartarus extra huius mundi diem sunt constituta. Quomodo igitur possunt ea elementa ad festiuitatem huius diei vocari, quae huius diei ambitu non tenentur? Sed hic dies quem fecit Dominus, penetrat omnia, vniuersa continet, cœli & terram tartarumque complectitur. Lux enim Christus non parietibus obscuratur, non elementis diuiditur, non tenebris obscuratur. Lux, inquam, Christi dies est sine nocte, dies sine fine, ubique splendet, ubique radiat, ubique non deficit. Quod autem iste dies Christus sit, Apostolus dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquabit. Præcessit, inquit, nox, non sequitur: ut intelligas superueniente Christi lumine, & Diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & iugi splendore præteritas caligines depelli, surrepentia delicta prohiberi. Nam quia hic dies Christus, cœlum, terram, tartarumque collustret, scriptura testatur. Quod enim super terram fulgeat, dicit Ioannes: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod in inferno luceat, ait Propheta: Qui sedebant in regione umbræ mortis, lux orta est illis. Quod in cœlis iste permaneat, refert David dicens: Ponam in seculum seculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœli. Quis autem est dies cœli nisi Christus Dominus

Psal. 18.

1. Ion. 24.

1. Ion. 1.

Psal. 111.

Roman. 9.

Esaia 9.

Psal. 88.

1. Ion. 1.

minus: de quo dicitur per Prophetam. Dies diei cruciatum verbum? Ipse est enim dies filius, cui pater dies diuinitatis suae cruciatum arcanum. Ipse inquam est dies qui ait per Salomonem: Ego feci ut oriretur in cœlo lumen indeficiens. Sicut ergo diem cœli nox omnino non sequitur, ita & Christi iustitiam peccatorum tenebrae non sequuntur. Semper enim dies cœli splendet, lucet, & fulget, neque aliqua potest obscuritate concludi: ita & lumen Christi semper micat, radiat, corruscat, nec aliqua potest delictorum caligine comprehendi. Vnde ait Euangelista Ioannes: Et lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt. In resurrectione ergo Christi elementa omnia gloriantur. Nam & solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem. Necessè est enim ut sol in eius resurrectione gaudeat, in cuius passione condoluit: & cuius mortem lugubri quadam caligine persecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat: & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturae, modo corruscet in resurrectionis obsequium. In passione enim Christi caliginum se nocte circumdedit, & Iudaeorum facinus mundo teste congemit. Indicium enim quoddam doloris in sole est, tanto sceleri officium luminis denegasse, & ultione quadam Iudaeorum oculis tenebras infudisse: ut quorum mentem cæcitas inuaserat, eorum oculos cæcitas occuparet, nec lucret eis mundi lumen, a quibus fuerat lumen salutis extinctum. Damnatio igitur quadam ingeritur phariseis, ut tenebras in die iudicij peccatoribus repromissas iam apud superos patiantur. Apud superos ergo crucifixo immoratur tenebrae. Quid mirum si apud superos sunt tenebrae, cum lux descendit ad inferos? Igitur fratres omnes in hac die sancta exultare debemus, nullus se a communi letitia peccatorum conscientia subtrahat, nullus a publicis votis delictorum sarcina reuocetur: etenim peccator, in hac die indulgentia non debet desperare, est enim prerogatiua non parua. Si enim latro paradysum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et si illi Dominus cum crucifigitur miseretur, multo magis huic miserebitur cum resurgit. Et si passionis humilitas tantum præstitit confitenti, resurrectionis gloria quantum tribuit deprecanti? Largior enim ad præstandum solet esse, sicut ipsi scitis, læta victoria, quam addicta captiuitas.

De inuouatione fidelium. Sermo LIII.

Magnum fratres & mirabile donum concessit nobis Deus hunc Paschae salutarem diem, in quo resurgens Dominus resurrectionem præstitit vniuersis, & de imis ad altiora ascendens, nos quoque ad superiora de inferioribus in suo corpore subleuauit. Sumus enim secundum Apostolum omnes Christiani corpus Christi & membra. Resurgente igitur Christo omnia necessariò cum eo sua viscera surrexerunt. Dum enim ille ab inferis transit ad superos, nos de morte transire fecit ad vitam. Pascha enim Hebraicè, transitus dicitur vel profectus, scilicet quia per hoc mysterium de peioribus ad meliora transitur. Bonus transitus est transire de peccatis ad iustitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam è sene-

ctute. Infantiam autem dixerim non ætatis, sed simplicitatis: habent enim & merita ætates suas. In occiduis enim prius constituti eramus senio peccatorum, resurgente Christo renouati sumus innocentia paruulorum. Habet & Christiana simplicitas infantiam suam. Sicut enim infans nescit irasci, fraudare non nouit, referre non audet, ita & Christianitatis infantia lædentibus non irascitur, spoliantibus non resistit, cædētibus non repugnat. Denique, sicut iussit Dominus, etiam orat pro inimicis, auferenti tunicam relinquit & pallium, verberanti maxillam, præbet & alteram: nisi quod in hoc melior est Christi infantia quam natura. Illa enim peccare nescit, ista contemnit: illa per infirmitatem innoxia est, ista est innocens per virtutem. Atque ideo laudè magis scribendum est non tam malefacere non posse quam nolle. Ergo, sicut diximus, ætates quaedam sunt meritorum: nam & senectus morum inuenitur in pueris, & innocentia infantium reperitur in senibus. Denique quod in iunioribus senectus quaedam sit honestatis, dicit propheta: Senectus enim venerabilis est non diuturna, nec numero annorum computata: cani sunt enim sensus hominis. Ad Apostolos autem iam seniores & maiores natu dicit Dominus. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste, non introibitis in regnum cœlorum. Reuocat igitur eos ad originis suae fontem, & retrorsum ad infantiam redire compellit, scilicet ut qui corpore fragili senuerant, innocentiae moribus renascantur, sicut ait saluator: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei. Dicitur ergo Apostolis: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut puer iste: non dicit, sicut pueri isti, sed sicut puer iste: vnū elegit, vnum proponit. Videamus igitur quis ille tantus sit qui discipulis proponitur imitandus. Non hūc arbitror esse de plebe, non de publico, non de multitudinis cæterorum, præcipuè qui per Apostolos vniuerso mundo tribuit sanctitatis exemplum. Non inquam hunc de publico esse arbitror, sed de cœlo: ipse est enim de cœlo puer, de quo dicit Esaia propheta: Puer natus est nobis, filius datus est nobis. Ipse planè puer est, qui sicut innocens cum malediceretur non remaledixit, cum percuteretur non repercutit, quin potius in ipsa passione pro suis orauit inimicis dicens: Pater dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt. Ita simplicitatem quam infantibus natura tribuit, Dominus misericordiae bonitate cumulabat. Iste ergo puer est, qui imitandus paruulus proponitur & sequendus. Nam ipse dicit: Tolle crucem tuam, & sequere me.

Item de inuouatione fidelium. Sermo LIIII.

Retinet sanctitas vestra fratres me hoc nuperri-
mè prædicasse, quod homo in iuniorè ætatem per iustitiam reformetur, & quauis fessus senio, rursus in puerum innocentiae moribus renascatur, ita ut interueniente mysterio ex vetulis iterum videamus infantes. Innouatio enim quaedam est, desinere quod eras, assumere quod antè non fueras. Innouatio inquam est, vnde & Neophyti nuncupantur, quod nouitate quadam maculas vetustatis abiecerint, gratiam simplicitatis assumpserint; dicente Apostolo.

Coloss. 3.

Psal. 102.

Deponentes veterem hominem cum actibus eius, induite nouum qui secundum Deum creatus est. Vnde & Dauid sanctus ait: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Intelligens per gratiam baptismi occidua vitæ nostræ posse reuiuiscere, & iuuentute quadam renouari posse id quod in nobis fuerat delictorum vetustate collapsum. Vt autem intelligas quia de gratia baptismatis Propheta loquitur, innouationem ipsam aquilæ comparauit, quæ auis assidua commutatione habitus sui longam ducere fertur ætatem, & vetustis iam fatiscens plumis noua pennarum successione iuuenescere, ita ut depositis antiquitatis exuuiis, rediuiua indumentorum natiuitate se vestiat. Vnde intelligimus quod senectutem aquilæ non sentiunt membra, sed plumæ. De nouo ergo se vestit, & pullulantibus pennis vetusta mater iterum renouatur in pullum. Pullis enim tunc comparanda est, quando radiantibus plumis necesse est illi rursus meditari rudem volatum, & alarum olim exercitata remigia, tanquam nouella volucris intra nidum pigra compercerit: quamuis illi sit volandi notitia de consuetudine, deest tamen illi de pennarum raritate fiducia. De baptismatis igitur gratia hoc spiritus psalmographus prophetauit. Nam utique Neophyti nostri nuper baptizati, tanquam aquilæ depositis vetustatis exuuiis, noua sanctitatis indumenta sumpserunt, & fatiscens antiquis maculis sicut plumis leuibus, rediuiua gratia immortalitatis ornatur, ita ut in his senectutis occidua peccata senuerint, vita non senuerit. Tanquam aquila in pullum, sic illi in infantiam reuocati. Est eis seculi de conuersatione notitia, sed adest illis iustitiæ de reparatione securitas. Quid igitur sanctus Dauid dicat, adhuc diligentius videamus. Non enim ait, Renouabitur sicut aquilarum, sed sicut aquilæ iuuentus tua. Vnius ergo aquilæ renouandam in nobis asserit iuuentutem, quam unam & solam aquilam rectè Christum Dominum dixerim, cuius iuuentus renouata est tunc, cum à mortuis resurrexit. Depositis enim corruptelæ corporalis exuuiis, rediuiua carnis assumptione resloruit, sicut ipse ait per Prophetam: Et resloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. Resloruit, inquit, caro mea. Videte quo verbo usus est: non ait, floruit, sed resloruit. Non enim reslorescit nisi quod antè floruerit. Floruit autem caro Domini, cum primum de Mariæ virginis illibata vulua processit, sicut ait Esaias dicens: Exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Resloruit autem cum succiso per Iudæos corporis flore, rediuiua de sepulchro resurrectionis gloria germinauit, & in floris modum odorem pariter & nitorem, cunctis hominibus immortalitatis afflauit odorem, bonorum operum suauitatem, circumferens nitorem, incorruptelam perpetuæ diuinitatis ostendens.

De cruce Christi. Sermo LV.

Seculi ferunt fabulæ Vlysses illum qui decennio marinis iactatus erroribus ad patriam peruenire non poterat, cum in locum quendam cursus illum nauigij detulisset, in quo Sirenarum dulci cantus crudelis varietate resonabat, & aduenientes sic blanda modulatione mulcebat, ut non tam spectaculum

voluptatis caperent, quam naufragium salutis incurrerent. Talis enim erat illis oblectatio cantilenæ, ut quisquis audisset vocis sonitum, quasi quadam captus illecebra non iam tederet ad eum quem volebat portum, sed pergeret ad exitium quod nolebat. Igitur cum Vlysses incidisset hoc dulce naufragium, & suauitatis illius vellet declinare periculum, dicitur inserta cera auribus sociorum seipsum ad arborem nauigij religasse, quo & illi carerent perniciose aufferret. Si ergo de Vlysses illo refert fabula quod eum arboris religatio de periculo liberarit, quanto magis prædicandum est quod verè factum est, hoc est quod hodie omne genus hominum de mortis periculo crucis arbor eripuit? Ex quo enim Christus Dominus religatus in cruce est, ex eo nos mundi illecebrosa discrimina velut clausa aure transimus. Nec pernicioso enim seculi detinemur auditu, nec cursum melioris vitæ desectimus in scopulos voluptatis. Crucis enim arbor non solum religatum sibi hominem patriæ repræsentat, sed etiam socios circa se positos virtutis suæ umbra custodit. Quod autem crux ad patriam post multos errores redire nos faciat, Dominus declarat dicens latroni in cruce posito: Hodie mecum eris in paradiso. Qui utique latro diu oberrans ac naufragus aliter ad patriam paradisi, de qua primus homo exierat, redire non poterat, nisi fuisset arbori religatus. Arbor enim quadam in naui, est crux in Ecclesia, quæ inter totius seculi blanda & perniciose naufragia incolumis sola seruatur. In hac ergo naui quisquis aut arbori crucis se religauerit, aut aures suas scripturis diuinis clauferit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quadam suavis figula est mollis concupiscentia voluptatum, quæ noxiis blandimentis constantiam captæ mentis effœminat. Ergo Dominus Christus pependit in cruce, ut omne genus hominum de mundi naufragio liberaret. Sed ut omitteremus Vlysses fabulam, quæ ficta non facta est, videamus si quod in scripturis diuinis exemplum simile possumus inuenire, quod Dominus per semetipsum postea completurus, per prophetas suos antè promiserit. Legimus in veteri testamento cum Moyses sanctus filios Israël de captiuitate Ægypti produxisset, & atque idem populus in deserto graui à serpentibus in cursione laboraret, nec aliqua illis armorum defensio posset obistere, tunc sanctum Moysen diuino repletum spiritu, serpentem æreum affixum ligno inter medias morientium crexisse turbas, & mandasse populo ut de illo signo spem gererent sanitatis, atque hac re tantam medicinam contra morsum aspidum prouenisse, ut quisquis vulneratus in illam serpētis crucem aut respiceret, aut speraret, statim remedium salutis acciperet. Cuius facti etiam Dominus in Euangelio meminit dicens: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Vnde si affixus serpens ligno filiis Israël contulit sanitatem, quanto magis salutem præstat populis Dominus in patibulo crucifixus? Et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè planè, ut quia primus apud Deum peccauerat diabolus, primus crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur, ratiōnabiliter

nabiliter factum, ut quia homo in paradiso per arborem concupiscentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem saluaretur, atque eadem materia quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis. Deinde post serpentem in saluatore homo ipse crucifigitur, scilicet ut post authorem puniatur & facinus. Per primam crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis: hoc est, primum author ipse punitur, deinde eius malignitas cōdemnatur. Virus enim quod persuasionem suam in hominē transfuderat, nunc reicitur, nunc curatur. Nam cum homo passioni addicitur, non morti traditur, sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem quem suscepit, ut dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolicæ in eo inobedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber esset à morte. Habentes igitur Dominum Iesum, qui nos passione sua liberauit, in ipsum aspiciamus semper, & de ipsius signo speremus nostris vulneribus medicinam, hoc est, si fortè nobis venenum auaritiæ se diffundit, ipsum consideremus, & sanat. Si scorpionis nos libido compungit, ipsum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eundem precemur, & viuimus. Hi enim sunt spirituales serpentes animarum nostrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est, de quibus ipse ait: Super serpentes & Scorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocent.

Item de cruce Christi. Sermo LVI.

Diximus hesternam die quod crux Domini salutem generi contulerit humano, & verum est. Passio enim illius nostra redemptio est, mors eius vita nostra est. Ideo autem mala hæc cuncta sustinuit, ut nos bona omnia sentiremus. Ideo crudelitatem in se exerceri maluit, ut nobis misericordiam largiretur. Bonus ideo in nos esse ita voluit, ut antè in se esset immitis. Auferens enim per crucem humani generis iniurias, omnes eas in sua passione consumpsit, ut ulterius non esset homini quod noceret. Grande ergo crucis est sacramentum: & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluentia rumpantur, & hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim sacramenti quadam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce, atque ideo confidentia de mysterio veniente homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt. Sicut autem Ecclesia sine cruce stare non potest, ita & sine arbore naui infirma est. Statim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit: at ubi signum crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur. Sed & bonus agricola cum parat terram solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signum crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subiicit, affigit aures, stiuam inserit, figuram crucis imitatur. Compactio enim

ipsa similitudo quadam est dominicæ passionis. Cælum quoque ipsum huius signi figura dispositum est. Nam cum quatuor partibus, hoc est oriente & Occidente, ac Meridiano & Septentrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis continetur. Ipsi etiam incessus hominis cum manus leuauerit, crucem pingit, atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cum Christum quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo, Moyses sanctus cum contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis eum ad Deum manibus superauit: sic enim habes scriptum: Cum eleuasset manus suas, vincebat Israël: cum autem deposuisset manus suas, conualescebat Amalech. Hoc igitur dominico signo scinditur mare, terra colitur, cælum regitur, homines conseruantur. Hoc inquam dominico signo etiam referantur inferna. Nam ex quo homo Dominus Iesus qui ipsam crucem gestabat, sepultus in terra est, veluti dirupta ab eo exarata terra omnes quos retinebat mortuos germinauit. Sed videamus de hoc ipso Domini corpore posteaquam de cruce deponitur quid geratur. Accepit illud Ioseph ab Arimathia vir iustus, sicut ait Euangelista, & in nouo suo sepeliuit monumento, in quo nondum quisquam positus erat. Beatum ergo corpus Domini Christi, quod cum nascitur, vtero virginis gignitur: cum recedit, iusti tumulo commendatur. Beatum planè corpus, quod virginitas peperit, & iustitia custodiuit. Custodiuit illud Ioseph tumulus incorruptum, sicut seruauit illud Mariæ virginis vterus illibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur, ibi mortis corruptione non læditur. Vbiq; beato corpori defertur sanctitas, vbiq; virginitas: Nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Dominica ergo & virgo vulua, & virgo est sepultura. Quin potius ipsam sepulturam vuluam dixerim, est enim similitudo non parua. Sicut enim Dominus de matris vulua viuus exiuit, ita de Ioseph sepultura viuus surrexit: & sicut tunc de vtero ad prædicandum natus est, ita & nunc ad Euangelizandum renatus est de sepulchro, nisi quod gloriosior ista est quam illa natiuitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale. Post illam natiuitatem ad inferos descenditur, post hanc remeatur ad cælos. Religiosior planè est ista quam illa natiuitas. Illa enim totius mundi Dominum nouem mensibus in vtero clausum tenuit, hæc autem triduo tantum tumuli gremio custodiuit. Illa cunctorum spem tardius protulit, hæc omnium salutem citius suscitauit.

De sepulchro Domini nostri Iesu Christi.

Sermo LVII.

Fortasse quis dicat de prioris dominicæ prædicatione, in qua prædicauimus non minorem esse gloriam quod tumulus Ioseph suscitauerit Dominum, quam quod eum sanctæ Mariæ vterus pro-

crearit: quæ cōparatio ventris & tumuli, cū illa ex G
intimis visceribus edidit filium, hic autem solum-
modo locum præstiterit sepulturæ? At ego dico
non minorem Ioseph affectum fuisse quàm Mariæ.
Siquidem illa vtero Dominum, hic corde conce-
perit. Illa Saluatori membrorum suorum secretum
præstitit, hic secretum sui corporis non negavit.
Illa Dominum pannis inuoluit cū natus est, hic
lintheis cū recessit. Illa perunxit beatum corpus
oleo, hic aromatibus honoravit. Conueniunt ergo
sibi obsequia, conuenit & affectus. Vnde ne-
cesse est & meritum conuenire: nisi quod angelus
Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem so-
la iustitia persuasit. Ioseph in suo sepulchro posuit
Dominum. Legimus in Propheta: Sepulchrum
patens est guttur eorum. Si ergo sepulchrum pa-
tens est guttur hominum, vide ne fortè secundum
hanc similitudinem Dominum Ioseph non tam in
sepultura terrena posuerit, quàm in monumento
sui pectoris collocarit, & custodiendum illum susce-
perit non tam memoria fragili elementorum, quàm
memoria sancta virtutum. Hæc enim virtutum fi-
delis est memoria, quæ intra se continens Christum,
lædi eum hæreticorum corruptione non patitur.
De qua memoria in sacris dicit Dominus: Quo-
tiscunque hoc facietis, in memoriam mei facie-
tis, donec veniam. Quotiscunque enim Chri-
stum loquimur, totiens eum sacri oris memoria
commendamus. Sepulchrum ergo patens est gut-
tur eorum. Rectè planè dicit Propheta. Sepul-
chrum enim Christi patens est Euangelistarum bea-
tum guttur, per quod illud æterno literarum thesau-
ro condiderunt. Patens autem sepulchrum ideo
dicitur, quia qui vult ad Christi peruenire myste-
rium, non ingreditur ad illud nisi per Euangelicæ
scripturæ secretum. In literarum enim sacrarum
quasi quodam nouo vasculo commendandum est
Dominus. Quisquis igitur illum videre desiderat,
ibi & passionis eius sacramentum inuenit, & resur-
rectionis gloriam recognoscit. Patens ergo guttur
sanctorum est. Vnde Apostolus ad Corinthios ait:
Os nostrum patet ad vos ô Corinthij: inuitans eos
vt per prædicationis suæ semper apertam ianuam
ingrediantur Christi secreta mysteria. In hac igitur
pectoris memoria collocatur Dominus à Ioseph, vt
in iustitiæ sede requiescat, & habeat filius hominis
vbi caput reclinet. Videamus igitur quare Salua-
tor in aliena sepultura ponatur, ac suam non habeat
sepulturam. Ideo in aliena sepultura ponitur, quia
pro aliorum moriebatur salute. Mors enim ista non
illi illata est, sed nobis delata. Mors ista non illi ac-
cidit, sed nobis proficit. Vt quid ergo ei propria se-
pultura, qui in se mortem propriam non habebat?
Vt quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat
in cælis? Vt quid illi sepultura, qui tridui tantum
temporis spatium non tam in sepulchro mortuus ia-
cuit, quàm velut in lectulo dormiens conquieuit?
Ipsa enim temporis breuitas declarat somnum po-
tius fuisse quàm mortem. Sepulchrum autem, mor-
tis est habitaculum necessarium. Necessarium ergo
non erat mortis habitaculum Christo, qui vita est:
neq̄ opus habebat semper viuens domicilio defun-

ctorum. Rectè autem hanc vitam nos in nostro se-
pulchro condidimus, vt cum ipso viuificante mor-
tem nostram à mortuis surgeremus. Vnde & illa
Maria Magdalene quæ Dominum inter cæteros de-
functos in sepulchro quærebat, arguitur, & dicitur
illi: Quid quæris viuentem cum mortuis? Hoc est,
Quid quæris apud inferos, quem rediisse iam con-
stat ad superos? Quem illa adhuc non intellings,
nec cognoscens, respondit illi: Domine, si tu tulisti
eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego illum tol-
lam. Æstimabat enim illum, sicut dicit scriptura,
hortulanum esse. Sancta ergo & simplex fœmina
Christum requirebat à Christo, ac deuotione men-
tis prophetat & nescit. Ait enim Domino de se-
metipso: Si tu tulisti eum, dicito mihi. Rectè in-
terrogat, si tu tulisti eum: ipse enim tulit corpus
suum, qui suscitauit: ipse tulit corpus, qui illud ia-
cens & dormiens sua aspiratione collegit: ipse tulit
corpus, qui diuinitatis illud virtute gestans portat
ad cælos. Atque ideo mulier sapienter interrogat
& requirit: Si tu tulisti eum, dicito mihi, vbi posui-
sti eum? Hoc est, si illud auferens de sepulchro ad
paradisum transtulisti. Audierat enim illum dicen-
tem latroni: Hodie mecum eris in paradiso. Aut
certè de infernis in patris dextera collocasti, sicut
ait Apostolus: Quæ sursum sunt quærite, vbi Chri-
stus est ad dexteram Dei. Beatus ergo qui ita quærit
Christum Dominum, vt credat eum & in paradiso
constitutum, & in cælestibus collocatum. Nam qui
eum aut in infernis requirit, aut tumulus, dicitur ei.
Quid quæris viuentem cum mortuis?

De Maria Magdalene. Sermo LVIII.

Hæret adhuc sensibus vestris fratres, hoc nos
ante dies paucissimos prædicasse, quod Maria
Magdalene non leuiter fuerit obiurgata, cur post
resurrectionem Dominum quæreret in sepulchro,
quod non reminiscens verborum eius, quibus se ab
inferis tertia die rediturum esse dixerat, putaret eum
inferni legibus detineri. Arguitur enim non leu-
ter cur non memoraretur resurrectionis promif-
sum, ac mortis scrutaretur indicium. Fides enim
humilis & ignara quærit quod nescit, obliuiscitur
quod docetur. Festina quidem est ad obsequium,
sed non perfecta est ad credendum: anxia enim est
de dominicæ carnis iniuria, sed incerta est de resur-
rectionis gloria: plorat quidem amore Christi, sed
mæret desperatione corporis non reperti: periisse
putat quem iam regnare constabat: scrutatur enim
in tumulo quem vocare potius deberet è cælo: in-
crepatur igitur sancta Maria tanquam pigrior ad
credendum, & cū, sera licet, Dominum co-
gnouisset, dicitur ei à Salvatore. Noli me tange-
re, quia nondum ascendi ad patrem. Noli me tan-
gere, increpationis verbum est, hoc est, noli me tan-
gere manibus, quoniam resurrectionem meam mē-
tis obliuione non retines. Non potes me corporis
tenere complexibus, quoniam fidei perfectione non
tangis. Prohibetur tactu, quæ amisit auditum. Noli
me, inquit, tangere, quia nondum ascendi ad pa-
trem. Videamus quomodo nondum ad patrem af-
cenderit

cenderit Christus, cū ipse dicat, quia pater in me, A
& ego in patre. Quomodo ergo non ascendit ad
patrem, à quo per indiscretam diuinitatis substan-
tiam numquam est separatus? Deus enim vnus in
vno manet, semper patrem filiumque simul esse si-
gnificat. Aut nunquid illuc ascendere se dicit filius,
vbi antè habitat quàm ascendat? Dixit enim idem
Dominus: Nemo ascendit in cælum nisi qui def-
cendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Si er-
go cū descendit Saluator, in cælo est, multo mag-
is etiam priusquam ascendat, in cælo est. Sed vide
ne fortè ad obiurgationem Mariæ, vox ista pertineat
cui paulo antè inter sepulchra quærenti Dominum
dicitur: Quid quæris? viuentem cum mortuis?
Nunc addatur, noli me tangere, quia nondum af-
cendi ad patrem: hoc est, quid me contingere cu-
pis, quæ me dum inter tumulos quæris, adhuc ad pa-
trem ascendisse non credis: quæ dum me inter in-
ferna scrutaris, ad cælestia rediisse diffidis: dum in-
ter mortuos quæris, viuere cum Deo patre meo non
speras. Nondum, inquit, ascendi ad patrem: hoc
est, tibi nondum ascendi ad patrem, quia apud fi-
dem tuam adhuc detineor in sepulchro. Quantum
in te est enim, adhuc humilibus immoror, adhuc in-
hæreo terrenis, quia nondum me fides tua eleuauit
ad cælum. Quid ergo me festinas contingere vt Dei
filium, quem redeuntem ad patrem mentis deuotio-
ne non sequeris. Quisquis igitur vult cōtingere Do-
minum Saluatorem, prius illum debet fide sua ad
dexteram diuinitatis imponere, & credulitate cor-
dis collocare in cælestibus potius quàm inter de-
functos inquirere. Illi autem ascendit Dominus in
patrem, qui eum semper esse credit in patre. Ascen-
dit beatis Apostolis ad patrem, quibus ait: Qui me
videt, videt & patrem. Ascendit Ioanni Euangelistæ
qui apud patrem eum quæsiuit & reperit, atque ideo
ait: Et verbum erat apud Deum, & Deus erat ver-
bum. Ascendit etiam beato Paulo, qui non con-
tensus solum se scire quod nouerat, nos quoque do-
cuit quemadmodum Saluatorem in cælestibus quæ-
reremus, dicēs: Quæ sursum sunt quærite: vbi Chri-
stus est in dextera Dei sedens. Et vt nos ab hac hu-
mili vel terrena inquisitione Mariæ penitus submo-
ueret, addidit dicens: Quæ sursum sunt, sapite, non
quæ super terram. Ergo iam non super terram, nec
in terra, nec secundum carnem debemus quærere
Saluatorem, si volumus eum inuenire atque con-
tingere, sed secundum diuinæ maiestatis gloriam, vt
dicamus cum Apostolo Paulo: Nunc autem secun-
dum carnem non nouimus Christum. Igitur & Ste-
phanus beatus fide sua non super terram quæsiuit
Christum, sed stantem illum ad Dei dexteram reco-
gnouit: ibi illum reperit, vbi mētis deuotione quæ-
siuit. Non solum autem Stephanus in cælo videt
Christum, sed eum & martyrio suo tangit. Tangit
enim Dominum, cū pro inimicis suis orans velut
fide sua tenens illum dicit: Domine, ne statuas illis
hoc peccatum. Intelligite ergo quanta deuotionis
est gloria. Maria iuxta Dominum constituta eum
tangere non meretur, Stephanus in terris positus
Christum tangit in cælo. Illa inter angelos præsen-
tem non videt Saluatorem, Stephanus inter Iudæos
Dominum cernit absentem.

De auaritia & Anania. Sermo LIX.

Retinet dilectio vestra fratres ante dies cū ple-
bis eius quæ sub beatissimis Apostolis fuit, vna-
nimitatem largitatēque prædicarem, vsquē ad
Anania nos auaritiā peruenisse, qui illo tempore
in totius generis purissima vita tanquam ovis mor-
bida solus inuentus est. Tanta enim infectus erat a-
uaritiæ pestilentia, vt sanctus cum Petrus non tam
emendare voluerit quàm damnare. Legerat enim:
Eiice de concilio pestilentem, & exibeat cum eo om-
nis contentio. Solus ergo in cætu sancto pestilens
fuit, qui cunctis contemptu pecuniæ, lucrum vitæ
requerentibus, ipse tantum lucrum magis pecuniæ
mercatus est quàm salutis, & dum precij sperat com-
pendium, animæ reperit detrimentum. Ab Aposto-
lis igitur Ananias auarus inuentus est, iam nostra
excusatur humilitas. Minus enim mirandum est a-
bundare sub nobis hoc vitium, cū sub Apostolis
cæperit pullulare: & si illorum autoritas hæc in A-
nania emendare non potuit, nobis quid imputabi-
tur si eadem in plerisque fratribus corrigere non va-
lemus? In Anania enim Petrus auaritiā si potuisset
corrigere, non punisset: sed dum illum punit, alios
corrigit. Voluit enim vespæna ad vnum, metus au-
tem ad plurimos perueniret. Exemplum ergo auaris
omnibus in Anania propositum est, vt qui eiusdem
criminis reus fuerit, eiusdem supplicij in iudicij die
sententia feriat. Grande igitur malum est auaritia,
imò malorum omnium est origo, sicut ait Apo-
stolus: Radix autem omnium malorum est cupiditas:
quam quidam appetentes errauerunt à fide. Vides
ergo quia qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui
aurum redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæ-
citas est, errorem religionis inducit. Cæca inquam
est auaritia, sed diuersis fraudum oculata ingeniis,
non videt quæ diuinitatis sunt, sed cogitat quæ cu-
piditatis sunt. Semper enim quamuis diues sit, cogi-
tat vnde vel ex malo acquirere: totam vitam nego-
cium putat, compendiorum etiam omnia suppri-
mens, inanis præstationis suæ fœnus imponit. Erub-
escit vsuræ nomen, & lucrum non erubescit vsuræ.
Semper ergo auarus alieno vitur, alieno se pascit
damno, & illi præda egestas alterius est, illi lætitia
fletus alienus, sicut nuper factum vidimus. Quod a-
missa deplorant, super quæ inuasa plerique gratulan-
tur. Ecce senex pater captum deflet filium, & tu iam
super eum velut seruulum gloriaris. Innocens rusti-
cus perditum ingemiscit iuuenem, & tu eo rus tuū
excolere disponis, & fructus te putas posse capere
gemitibus alienis. Ecce religiosa vidua tota supelle-
ctile dispoliatam domum suam dolet, & tu eadem
supellectile domum tuam ornatam esse lætaris. Dic
mihi ô Christiane, non compungeris, non constrin-
geris cū vides in hospitio tuo lachrymas alienas?
Dicit scriptura sancta ad filios Israël: A bestia captū
ne tetigeris: pollutum enim & contaminatum est
quicquid fera cruenta contigerit. Et per hoc dete-
rior bestia est, quisquis sumit quod bestia superauit.
Dic igitur mihi tu Christiane, cur prædam relictam
à prædonibus præsumpsisti? Cur laceratum & con-
taminatum, sicut ipse putas, tuis ædibus importasti?
Cur quod hostilis superauit bestia, tu sæuior bestia

deuorasti? Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet ut rabiem suam rapina satient aliena: & quod leonum saturitati remanet, id luporum rapacitate consumatur. Sic & isti auaritiæ lupi prædonum vestigia subsequuti sunt, ut quod illorum rapacitati superauit, horum cederet feritati. Sed forsitan emisse te dicis, & ideo auaritiæ crimen euadis. Non ita solet constare emptio atque venditio. Bonum est emere, sed in pace, quod propria voluntate venditur, non in depredatione. Respice contractus originem, venditionis authorem, precij quantitatem, & intelligis prædæ magis, non venditionis emptorem. Vnde enim barbaro auri gemmarumque monilia? Vnde pellito serica vestimenta? Vnde rogo Romana mancipia sumis? Scimus ea comprouincialium nostrorum esse vel ciuium. Facit ergo ut Christianus & ciuis, qui ideo emit ut reddat.

De festo Pentecostes, & de psalmo centesimo nono.

Sermo LX.

Nosse credo vos fratres quæ sit ratio quod venerabilem hanc Pentecostes diem non minore lætitia celebremus, quam sanctum Pascha curauimus, & quod eadem deuotione huius solennitatis obseruantiam decurimus, sicut illius obsequia festiuitatis impleuimus. Tunc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus sabbato, vigilias celebrauimus, orationibus pernoctanter institimus: vnde necesse est similis obseruantia similem lætitiã subsequatur. Est lætitiã planè consimilis: tunc enim ab inferis resurgentem suscepimus Saluatorem, modo autem Spiritum sanctum expectamus à cœlis: tunc anxij vel solliciti Christi prædicabamus aduentum, modo trepidi vel ieiuni Paracleti desideramus aduentum. In omnibus enim Deus salutem prouidit humanæ. Tunc enim nobis ad resurgendum tartara Saluator aperuit, modo nobis ad regnandum Paracletus cœlestia referauit. Et quibusdam quasi profectuum gradibus tunc de morte ad vitam didicimus remeare, modo autem de terris ad cœlos meditatur ascendere. Hæc autem omnia operatur in nobis Christus Dominus, qui priusquam rediret ad cœlos, promisit discipulis suis dicens: Cum autem ascendero, rogabo patrem meum, & mittet vobis alium Paracletum qui vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis. Vnde credendum est ad patrem peruenisse Christum, cum videmus ad Apostolos descendisse Paracletum. Credendum inquam est, sicut ait de Saluatore Dauid, in Dei dextera cõsistere, quia cernimus Spiritum sanctum, sicut promisit Dominus, in discipulis exultare. Ait ergo Propheticus Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Secundum consuetudinem nostram illi cõfessus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratia promeretur ut sedeat. Ita ergo & homo Iesus Christus passione sua diabolũ superans, resurrectione sua inferna referans, tanquam perfecto opere ad cœlos victor adueniens audit à Deo patre, Sede ad dextram meam. Nec mirum si vnus sedis offertur filio cõfessus à patre, qui vnus est substantiæ & naturæ cum patre. Cur

G autem ad dextram filius esse dicatur, moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit ubi plenitudo diuinitatis est, tamè ideo ad dextram sedet filius, non quo præferatur patri, sed ne inferior esse credatur. Et ideo ad dextram filius, quia secundum Euangelistam ad dextram oues, ad sinistram verò constituentur hædi. Necesse est ergo partem ouium primus agnus obtineat, & secuturo immaculato gregi locum dux immaculatus anticipet, sicut ait Ioannes in Apocalypsi dicens: Hi sunt qui sequuntur agnum quocumque vadit, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt. Refert ego Propheta Dauid: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam: hoc est, Dominus pater Domino Deo Christo filio throni sui offert sublimem cõfessum, & honoris gratia ad dextram suam illum æterna sede constituit. Legimus in Actibus Apostolorum, dicente beato Stephano cum lapidaretur à Iudæis: Ecce video cœlos apertos, & stantem Dominum Iesum ad dextram Dei. Videamus ergo quæ sit ratio quod idem Dominus à Dauid sedens prophetatur, stans verò à Stephano prædicatur. Primo omnium Deus qui incorporalis est & inuisibilis, est enim spiritus, sicut ait Dominus: Deus autem spiritus est, sedere aut stare quomodo potest: deinde autem quali subsellio sedeat Deus, qui infinitus est & immensus, & intra se ipse magis creaturam cunctam contineat. Hæc autem propterea à sanctis viris dicta arbitror esse de Domino, non quo sint contraria sibi, sed ut modo eius omnipotentia, modo misericordia describatur. Nam utique pro potestate regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur. Ait enim beatus Apostolus: Quia aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum. Iudex ergo est Christus cum residet, aduocatus est cum assurgit. Iudex planè Iudæis, aduocatus Christianis. Hic enim stans apud patrem, Christianorum licet peccatum causas exorat, ibi residet cum patre Phariseorum persequentium peccata condemnans. Illis indignans vehementer vlciscitur, his interueniens leniter miseretur. Hic stat ut suscipiat Stephani martyris spiritum, ibi residet, ut condemnet Iudæ proditoris admissum.

Item de Pentecoste. Sermo LXI.

Scire debet sanctitas vestra fratres hanc sanctam Pentecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas, ita ut hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus, sed sicut dominica solemus facere, erecti & feriatu resurrectionem Domini celebremus. Dominica enim nobis ideo venerabilis est atque solennis, quia in ea Saluator velut sol oriens discuffis infernorum tenebris luce resurrectionis emicuit, ac propterea ipsa dies ab hominibus seculi dies solis vocatur, quod ortus eam sol iustitiæ Christus illuminet. Instar ergo dominicæ tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim dominica est. Nam in dominica resurgens Saluator reuersus ad homines est,

est, & post resurrectionem tota quinquagesima cum hominibus commoratus est. Aequalis ergo eorum necessarium ut esset festiuitas, quorum æqualis esset & sic quantitas. Sic enim disposuit Dominus, ut sicut eius passione in quadragesimæ ieiuniis contristaremur, ita eius resurrectione in quinquagesimæ feriis lætaremur. Non igitur ieiunamus in quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus commoratur. Non inquam ieiunamus præsentem Domino, quia ipse ait: Numquid possunt filij sponsi ieiunare quandiu cum illis est sponsus? Cur enim abstineat corpus à cibo, cum anima præsentia Domini saginatur? Non potest enim esse ieiunus qui reficitur gratia Saluatoris. Societas enim Christi quodammodo esca est Christiani. Reficimur ergo in quinquagesima nobiscum Domino conuersante. Cum autem post hos dies ascendit ad cœlum, iterum ieiunamus, sicut ait idem Saluator, dicens: Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Cum enim Christus ascendit ad cœlum, nostris aufertur obtutibus, famem patimur non corporis, sed amoris, & non tam cibi ieiunio quam desiderio laboramus. Desideria enim quædam nostri sustinent oculi, dum non perspicunt quem requirunt, sicut ait Propheta: Defecerunt oculi mei dum spero in Deo meo. Defecerunt enim Prophetæ oculi, quia nondum videbat quem sperabat se esse visurum. Sic nanque apostolorum defecerunt oculi cum euntem ad cœlum Dominum nequeunt intueri, secundum quod ait Lucas dicens: Et videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Stabant enim beati apostoli toto suspensi corpore, & ascendentem ad cœlum Dominum, quia incessu pedum non poterant, oculis sequebantur: & licet ad deducendum Saluatorem visio humana deficeret, fidei tamen deuotio non deficit. Vique ad nubem enim Christum deducunt, vsque ad cœlos autem cum Christo fidei deuotione comitantur. Vnde ait Apostolus sciens fidem nostram in cœlis esse cum Domino: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Nubes ergo ab oculis apostolorum suscepit Saluatorem. Videamus ergo quæ ista nubes sit, quam splendida, quam præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur. Neque enim poterat obscura esse ac tetra vel tenebrosa, quia scriptum est: Et tenebræ eam non comprehenderunt. Tenebræ enim lucem gestare non poterant. Illa enim est nubes quæ ascendente suscipit Christum, quæ & testimonium Christo etiam in monte perhibuit, de qua ait euangelista: Vox in nube audita est dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus pater recepit filium, & occurso quodam pietatis ascendente illum gremio molliore complectitur, Nam ideo pater dicitur suscipere filium nubis vmbraculo, ut ostendatur refrigerio quodam fouere eius vulnera passionis. Post crucem enim, post iniurias, post inferos non est maius Christo refrigerium, nisi quod virtute diuinitatis obumbraretur, sicut in natiuitate eius ad Mariam dicitur: Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Altissimus ergo pater, qui nascente Christo obumbravit in virtute Mariæ, ascendente eum suscepit in nube. Semper enim Deus quos post iniurias perducit

S. Ambr. tom. 5.

Ad requiem, protegit eos nubis vmbraculo, sicut filios Israel liberatos de Ægypto nubis columna protexit, & ut post multum laborem eos in terram repromissionis induceret, refrigerij fouit vmbraculo, sicut ait Propheta: Expandit nubem ad protegendum eos. Expandit enim nubem ne siccitate eremi fatigarentur, etiã solis ardore. Lætetur ergo in hac sancta die, sicut in Pascha lætati sumus. Est enim in vtraque die similis eademque solennitas. In Pascha enim omnes gentes baptizari solent. In Pentecoste autem apostoli baptizati sunt, sicut ait Dominus discipulis suis ascendurus ad cœlum: Ioannes baptizauit aqua, vos autem Spiritu sancto baptizabimini, quem accepturi estis non post multos hos dies. Et ideo dicit Lucas: Cum autem complerentur dies Pentecostes, factus est subito sonus de cœlo tanquam aduenientis spiritus validi, seditque super singulos eorum.

Item de Pentecoste.

Sermo LXII.

Non incommode ante dies complures, sicut retinetis fratres, prædicatio nostra processit, in qua descripsimus quod caro Domini rediuita velut in nitore floris de tumulo germinauerit, quem tumulum situm in hortulo euangelista testatus est, vnde non incongruè profecti sumus. Conueniens enim erat ut flos preciosior in hortulo congereretur, & bonæ frugis commendatum solo semine, intra septa domestica & amœna virentia salutem omnium pullularet. Christi enim resurrectio cunctorum est redemptio populorum. Ergo in hortulo Saluator rediuiuum corpus assumit, & inter florentes arbores & candentia lilia carne iam mortua reflorescit, & ita germinat de sepulchro, ut germinantia & nitentia cuncta reperiat. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam quodammodo sepulturam pullulare elementa omnia festinarunt, ut resurgente Domino & ipsa conurgerent. Nam utique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol candidior, terra fecundior, ex eo furculus in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem. Si igitur cum reflorescit Christi caro, omnia floribus vestiuntur, necesse est ut cum idem fructum affert, etiã vniuersa fructificent, sicut ait idem Dominus: Nisi granum tritici cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, cum autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Refloruit igitur Dominus cum resurrexit à tumulo: fructificat, cum ascendit ad cœlum. Flos est, cum de inferioribus terræ gignitur, fructus est cum altissima sede reconditur. Granum est, sicut ipse ait cum solus crucem patitur: fructus est, cum plurima apostolorum credulitate circumdatur. His enim post resurrectionem quadraginta diebus cum discipulis conuersatus, tota illos sapientia maturitatis edocuit, & ad bonam frugem eos omni disciplinarum fecunditate conuertit. Deinde ascendit ad cœlum, ad patrem scilicet, fructum carnis præferens, in discipulis iustitiæ semina derelinquens. Ascendit ergo ad patrem Dominus. Meminit sanctitas vestra quod aquilæ illi de psalterio, cuius innouatam iuuetutem legimus, cõparauerim Saluatorem. Est enim similitudo non parua. Sicut enim aquila humilia deferit, alta petit, cœlorum vicina conscendit: ita & Saluator

O O

humilia inferni deseruit, paradisi altiora petiit, cœlorum fastigia penetrauit. Et sicut aquila relictiis terrenis fordibus in sublime volans purioris aeris salubritate perfuitur, ita & Dominus terrenorum faciem deserens peccatorum, in sanctis suis volitans, purioris vitæ simplicitate lætatur. Per omnia igitur aquilę comparatio conuenit Saluatori. Sed quid facimus quod aquila prædam facit frequenter in alienum? Nec in hoc tamen dissimilis est Saluator. Prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, inferni raptum faucibus portauit ad cœlum, & alienę dominationis, id est, diabolicę potestatis seruum de captiuitate erutū duxit ad altiora captiuum, sicut scriptum est in Propheta: Ascendēs in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quę sententia vtiq; sic intelligitur, eo quod captiuitatem hominis, quem sibi diabolus captiuauerat, illi eruendo, sibi Dominus captiuarit, & ipsam (sicut ait) captiuitatem captam ad cœlorum alta sustulerit. Vtraque igitur captiuitas vno vocabulo nuncupatur, sed non æqualis vtraque est. Diaboli enim captiuitas seruituti subiicit: Christi autem captiuitas restituit libertati. Ascendit, inquit, in altum, captiuam duxit captiuitatem. Quam bene triumphum Domini Propheta describit. Solebat (sicut dicunt) regum triumphantium currus, captiuorum pompa præcedere. Ecce Dominum euntem ad cœlos non præcedit, sed comitatur gloriosa captiuitas: non ante vehiculum ducitur, sed ipsa euehit Saluatorem. Quodam enim mysterio dum filius Dei filium hominis sustulit ad cœlum, ipsa captiuitas portatur, & portat. Quod autem ait, Dedit dona hominibus: hoc victoris insigne est. Post triumphum enim victor semper dona largitur, & proprio regno residens seruulorum gaudia muneratur. Sic Christus Dominus victor diabolicum post triumphum residens ad dexteram patris, hodierna die discipulis dona largitus est, non auri talenta, non argenti metalla, sed Spiritus sancti cœlestia munera, vt inter cætera apostoli etiam linguis variis loquerentur, hoc est, vt Hebręe nationis homo Christi gloriam Romanę facundię eloquentia pertona-ret, & redemptionem generis humani peregrinę aures, quia Iudæa prædicante lingua non caperēt, propria loquela cognoscerent. Omnis lingua in prædicatione Christi resoluitur, vt maiestatem eius omnis loquela fateatur, sicut ait sanctus Dauid: Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Ne miremini autem quod ad dexteram patris residere dixi filium. Ad dexteram enim residet, non quia maior patre, sed ne minor patre esse credatur, sicut hæretici blasphemare consueverunt. Sicut enim diuinitas honorificentię gradum nescit, ita scriptura sancta nouit obuiare blasphemis.

De natali sancti Ioannis Baptistę. Sermo LXIII.

IN sancti ac beatissimi Ioannis Baptistę laudibus, cuius natalē hodie celebramus; quid potissimum prædicem nescio, vtrum quod mirabiliter natus sit, an quod mirabilis sit occisus? Natus enim est in prophetia, in veritate preemptus est: nascendo an-

nunciauit Saluatoris aduentum, moriendo cōdemnauit Herodis incestum. Vir enim sanctus & iustus, & qui præter communem hominum natiuitatem ex reprobatione generatus fuerat, hoc de Deo meruit ne communi cum cæteris de seculo morte discederet, sed corpus quod Domino donante susceperat, Dominum cōsistendo deponeret. Ergo Ioannes per omnia voluntatem Domini fecit, quia propter opus Domini & natus est & defunctus. Nam vt natiuitatis eius seriem breuiter repetamus, cū essent pater eius Zacharias & mater eius Helizabth ætatis senectute defessi, & nulla filiorum prole gaudent, procreandi etiā illis liberos tempus florentissimū præteriuisset, ita vt de suscipienda iam sobole ipsa etiam eos vota deficerent, subita per angelū reprobatione donatur, & nasci Ioannem Gabriel sanctus annunciat dicens: Ne timeas Zacharia, ecce exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Helizabth concipiet & pariet filium. Exaudita est, inquit, oratio tua: vnde intelligimus quod Ioannem Zacharię iustitia magis orando genuerit, quam Helizabth senectus procurando susceperit. Hinc, inquam intelligimus quod Ioannem obsecratio creauerit, non voluptas. Cū enim materni vteri viscera ætatis senectute frigerent, & fessi corporis membra fecunditatis gratiam perdidissent, contra impossibilitatem corporis, contra sterilitatem viscerum, Zacharię precibus Helizabth vterus intumescit & concipit Ioannem, non natura, sed gratia. Vnde necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus quam orationibus gigneretur. Minus autem mirari debemus quod tantam Ioannes gratiam in nascendo meruerit: debuit enim præcursor & præuius Christi aliquid simile habere natiuitati Domini Saluatoris. Siquidem Dominus de virgine gignitur, Ioannes de sterili procreatur. Ille de adolescētula, iste de iam fessa generatur. Habet ergo & huius natiuitas aliquid glorię atque miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse quam virginis, tamen sicut Mariam suspicimus quod virgo peperit, ita in Helizabth miramur quod anicula procreauerit. Quod quidem factum, mysterium aliquod arbitror continere, vt Ioannes qui veteris testamenti figuram gerebat, senis mulierculę frigido sanguine nasceret. Dominus autem qui regni cœlestis euangelium prædicaret, feruentis iuenculę flore progredetur. Maria enim conscia virginitatis miratur foetum visceribus inuolutum. Helizabth autem conscia senectutis erubescit partum vtero prægrauato. Dicit enim euangelista: Occultabat se mensibus quinque. Illud autem quam mirandum, quod idem Gabriel archangelus vtriusque natiuitatis officium repræsentat, Zachariam solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille cur dubitauerit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, verbum salutare concepit. Hoc etiam in laudibus Ioannis minimè tacendum videtur, quod nondum natus etiam prophetat: & adhuc in materni vteri sinibus constitutus, aduentum Christi, quia voce non poterat, gaudiis confitetur. Dicit enim Helizabth ad sanctam Mariam, Simul vt facta est vox salutationis tuę, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Exultat enim Ioannes antequam nascatur, & priusquam mundi

mundi oculis habitum recognoscat, iam spiritu mundi Dominum recognoscit. In quo arbitror prophetiam conuenire sententiam, quę dicit: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificauit te. Vnde mirari non debemus quod ab Herode missus in carcerem, clausus Christum semper suis discipulis intimaret, cū etiā clausus in vtero eundem Dominum gestibus prædicarit.

Item de natali sancti Ioannis Baptistę.

Sermo LXIII.

SANCTI Ioannis Baptistę natalem hodie profecurus tacere vellem, & laborē atque imperitiam meam silentio coercere: sed enim ipsa vis nominis minimè me filere permittit. Nam nuncupatio vocabuli ipsius, pectoris nostri vrget secreta, silentij nostri resoluit arcana, & quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur. Si enim pater Zacharias cū eum nominauit, vocem recepit: quanto magis nos cū laudemus illum, eloquium promeremur: & si illius os cum in seculo nasceretur aperuit, quanto magis cū pro Christo patitur, ora nostra fecundat. Cum enim Zacharias pater eius propter incredulitatem natiuitatis illius ab angelo Gabriele silentij esset taciturnitate multatus, etiam diu mutus verborum dispendio mentis secreta velaret, subito nato Ioanne filio, cū apud proximos esset contentio quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulę, vt vocabulum eius pro sui arbitrio ipse describeret, & quod sermone non poterat, literis loqueretur: tunc mirum in modum acceptis pugillaribus vt stylum figeret, linguam resoluit, ac literas sermone præuenit, & Ioannem non testatus est, sed locutus. Videte igitur sancti Baptistę meritum, vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Videte inquam meritum: os quod angelus alligauerat, Ioannes absoluit: quod Gabriel obstruxerat, paruulus referauit, quanquam & ipse sit angelus, sicut scriptum est de eo: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Respicite igitur Ioannem, quanta vis sit eius vocabuli, cuius nūcupatio reddidit mutō vocem, patri pietatem, populo sacerdotem. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, priuatus officio: at vbi Ioannes nascitur, fit repente pater propheta vel pontifex, loquela vsum recipit, prolem affectio suscipit, sacerdotem functio recognoscit. Cum ergo tanta vis sit eius vocabuli, dicturi de eo, & si tacere volumus, silere non possumus. Ipse enim Ioannes vox clamantis dicitur. Quis igitur qui vocem laudet & taceat? clamorem admiretur & mutus sit? Ait enim ipse de se: Ego sum vox clamantis in deserto. Videte quid dixerit: Non enim ait tantum: Ego sum vox, sed & clamantis vox, scilicet vt ad fidem consequendam, vox aures penetret, clamor corda concutiat, vox regnum prædicet, clamor iudicium comminetur. Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam saluator testimonium perhibet, dicens: Inter natos mulierum maior non est Ioanē Baptista. Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur patriarchas, & quisquis de muliere, inferior est Ioanne. Sed debemus diligenter inquirere cur ita Dominus dixerit, hoc est, inter natos

A mulierum, & nō potius dixerit: Inter filios virorum non est maior Ioanne, cū vtiq; mulieres natos sine viris habere non possint. Hoc autem dixit quia numerosior est proles mulierum quam virorum. Est enim mulieris filius, qui viri filius non est. Denique sancta Maria genuit filium, qui patrem hominem non haberet. Dominus enim est mulieris filius, & viri filius non est, sicut dicit Apostolus: Natum de muliere, factū sub lege. Vt qui matrem in terris habet, patrem haberet in cœlis. Ergo in laudem Ioannis fecundioris sexus generatio ponitur, vt nullius ab eo natiuitas separaretur. Dicit fortè aliquis, si inter natos mulierum maior est Ioannes, numquid etiā maior est Saluatore? Absit. Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est. Ille corruptibilis vteri sinibus effusus est, iste impollutæ vuluę flore progenitus. Ideo autem cū Ioannis natiuitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanę.

De sancto Ioanne baptista.

Sermo LXV.

DIXIMUS superiore dominica cū silentij nostri veniam peteremus, quod pro salute communi sacerdotibus etiam tacentibus doctrina euangelica non taceat, & quod silentium eorū suppleret diuina sententia. Semper enim diuina scriptura loquitur & clamat, sicut scriptum est de Ioanne: Ego sum vox clamantis in deserto. Non enim tantum in illo tempore clamauit Ioannes, quo pharisæis annuncians Dominum Saluatorem, dixit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Domini Dei nostri: sed & hodie clamat in nobis, & vocis suę tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum. Ac licet sancta martyrij morte dormierit, vox tamen eius viuit: dicit enim & nobis hodie: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Semper enim scriptura diuina clamat & loquitur. Vnde & ad Cain dicit Deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Nulla vtiq; sanguini vox est, sed clamare dicitur sanguis qui innocēs effusus est, nō tam verè quam causa, & interpellare Dominū nō prosecutione eloquij, sed indignatione cōmissi, ac reatum suum non tam verborum accusare sermonibus, quam conscientię ipsius criminatione constringere. Quamuis enim malum factum si in verba producat, excusationem fortasse recipit, nisi cōscientia reuocetur, nō potest excusari. Cōscientia enim reatū suum semper tacita sine contradictione cōuincit & iudicat. Hodieque ergo Ioannes clamat & dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Parate ergo iubemur viam Domini, scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatē. Dominus enim non terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac via fuerit moribus asperū, crudelitate durum, cōuersatione pollutum, iubemur mundare, exæquare, componere, vt superueniens Dominus non offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate puram, procliuem fide, elemosynis eminentē. Quod autē tali itinere incedere soleat Dominus, Propheta describit dicēs: Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est ei. Sed videamus, ipse Ioannes qui parare viā Domino iubet, quā ipse viā parauerit Saluatori.

Per omnia planè adueniente Christo tramitem viæ suæ composuit & direxit. Nam fuit utique ieiunus, humilis, parcus & virgo. Omnes enim has virtutes eius euangelista describens ait: Ipse autè Ioannes vestitum habebat de pillis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius. Esca autem eius erant locustæ, & mel syluestre. Quæ igitur maior causa humilitatis in propheta, quam contemptis mollibus vestimentis, pilorum asperitate vestiri? Quæ deuotior fides, quam præcinctum zona paratum esse semper ad omne seruitutis obsequium? Quæ præclarior abstinentia, quam spretis vitæ huius deliciis, stridulis vesci locustis ac melle syluestri? Quæ omnia hæc quoniam propheta vsui erant, arbitror in his ipsis prophetiam fuisse. Nam utique cum prænunciis Christi vestimentum habebat camelorum asperitate contextum, quid aliud significat, nisi quod ipse Christus adueniens vsurus esset indumento humani corporis, quod erat peccatorum asperitate densatum, & quod velut immundissimæ bestię, hoc est gentilis populi circumdatus exuuiis deformitatem eius ipse gestaret? Zona verò pellicea quid aliud demonstrat, nisi hanc fragilem carnem nostram, quæ ante aduentum Christi dominabatur ad vitia, post aduentum eius restrictam esse ad virtutem: vt quæ antè luxuriando dilatabatur in pinguedinem, nunc abstinendo attenuaretur in pellem? Exitum verò eius quàm beatum legimus, scilicet quod psalteria regis filia post illam mimicam voluptatem caput eius petierit. Quid mirum si psalteria occidit prophetam, quia luxuria semper est inimica iustitiæ: & quod iniquitas sine cessatione persequitur veritatem? In quo factò grande mysterium continetur. Nam utique ipsa psalteria synagoga est comparanda, quæ Christum dum luxuriatur, occidit. Quod autem ista psalteria synagoga sit, dicit Dominus ad Iudæos: Cantauimus vobis, & non saltaistis. Cur autem à Ioannis corpore caput ablatum sit, manifesta res est. Ioannes (sicut scripturis adstruitur) typum legis gerebat. De Domino autem legimus, quia viri caput Christus est. Ergo cum à Ioannis corpore caput eius auferretur, Christus quodammodo à Iudæis legis cultoribus separatur. Remansit enim illis sine saluatore lex exanimis & truncata. Nam ex eo utique Iudæi diuina non sapiunt, ex quo sine capite esse cœperunt. Iter igitur facit Domino qui inter cæteras continentię virtutes matrimonij limitem non excedit, nec coniugij præscriptum terminum adulterina permixtione commaculat. Sunt enim nonnulli qui cum legibus vxores duxerint, contra diuinitatis legem sibi sociant concubinas, non intelligentes quid contrahendo matrimonia propriis vinculis constrinxerunt. Qui enim legibus ducit vxorem, profitetur se contra legem non esse facturum. Reum ergo ipse se statuit, qui adhibendo sibi adulteram ius pollicitationis excedit. Sed dicit aliquis, vxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociavi. Audi quid dicat scriptura ad Abraham: Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Si igitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur autem quaeritur tale coniugium de quo susceptus filius nec successione possit hæres esse nec sanguinis? Nec enim habere potest hæreditatis consortium, qui non

habet originis priuilegium. Cur inquam quaeritur tale contubernium, de quo nati, non filij sint matrimonij, sed testes sint adulterij? Cur huiusmodi suscipiuntur adulteri, qui patri pudori sint, non honori? Dicit scriptura: Adulterorum filij in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, vt mereatur consortium, mereatur & nomen vxoris, præsta concubinæ tuæ libertatem & nomen vxoris, ne tu adulter sis potius quàm maritus. Sed & ille iter facit Domino Christianus qui professionis suæ exhibet ei fidele seruitium, & castitatem quam promissit, custodit tam mente quàm corpore. Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt: sed quaerunt sibi cõtubernia, atque vtinam fratrum. Inuenisti Christianum monachum, cui cum fratre non conuenit, & libentiùs ei conuenit cum sorore, qui non sequitur seniore[m] vtilia cõmonentem, & sequitur adolescentulam incongrua cachinnantem: eius & si syncere corpus sit, anima non potest esse synceris. Sed & ille clericus iter Domino facit, qui secundum euangelium viuunt, & per omnia obtemperat sacerdoti. Aliqui enim cum sint minus subditi, molestè ferunt, cum à senioribus arguuntur. Dicunt, grauius irascitur episcopus, patientior esse deberet. Audi ergo optime clerice, sacerdotis exigit patientiam, & tui non exigit disciplinam? Nescis quia mihi salutis causa arguere aliquando permissum est, tibi numquam peccare concessum est? Dicit enim. Apostolus: Increpa oportunè, importunè arguè. Esto ergo in omnibus subditus sacerdoti, si vis cum esse mansuetum.

De natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli.
Sermo LXVI.

Cum omnes beati apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in saluatore fidei virtute præcellere. Quod quidè ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clauem regni cœlestis dedit: Paulo tanquam idoneo doctore magisterium ecclesiasticæ institutionis iniunxit, scilicet vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem: & quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauè enim quodammodo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est qua ad fidem peccatorum corda referantur: mentium secreta panduntur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationali manifestatione producitur. Clauis in qua est quæ & conscientiam ad cõfessionem peccati aperit, & gratiam ad eternitatem mysterij salutaris includit.ambo igitur clauis à Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentia: diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur. Sunt enim scientiæ thesauri, sicut scriptum est: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ergo beatus Petrus & Paulus eminent inter vniuersos apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verum inter ipsos quis cui præponatur, incertum est: puto enim

enim illos æquales esse meritis qui æquales sunt passione, & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putamus quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christum pariter peruenirent. Vno in loco, ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morarentur. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quod cum Dominus Orientis regionem propria illustrauerit passione, Occidentis plagam, ne quid minus esset, vice sui, apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt. Sed videamus causam quare ista perpessi sunt, scilicet quod inter cætera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Cum enim idem Simon se Christum diceret, & tanquam filium ad patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad Dominum oratio quàm volatus, & antè peruenit iusta petitio quàm iniqua præsumptio. Antè Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret in cœlestibus quod tendebat. Tunc igitur Petrus velut victum illum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxum illidens eius crura confregit. Et hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulo ante volare tentauerat, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirum videatur, quod magus iste præsentè apostolo per aërem aliquandiu volitauerit: hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimius ascendere, vt altius caderet. Voluit enim in excelsum leuari à conspectu omnium, vt ruentem illum de excelsu oculi omnium peruideret. Hæc igitur est iniquitatis elatio, vt in altum se ferat, in sublime se erigat. Sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, vniuersam deiicit vanitatem.

Item de natali sanctorum apostolorum Petri & Pauli.
Sermo LXVII.

Natalem beatissimorum apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cõlatitia celebrare. Quis enim talium virorum solemnitate non magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solemnitate non magnos sibi exhibeat apparatus, vt quo plus expenderit, plus se apostolos confirmet amare? Veruntamen non opus est proprio sumptu ad refectio[n]em nostram: nam

A natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit. Est enim omnibus copiis refertum vas ei, quod illi de cœlo esurienti delatum est. Igitur qui esurit sicut Petrus, reficitur ipse cum Petro. Vt quid ergo præparemus nobis proprium prandium, cum apostolico ferculo saginemur? Cur nobis inquiramus terrenas epulas, cum cœlestes copias habeamus? Dicit enim sanctus Lucas in Actibus Apostolorum, post orationem esurienti Petro circa horam sextam aperto cœlo, vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatum, in quo erant quadrupedia & repentia terræ, & volatilia cœli, & dixisse Dominum ad eum: Petre surge, immola & madauca. Ecce Petrus qui dicit alibi: Aurum & argentum non est mihi: nunc conuiuij eius vasculum splendidius est argēto. Et qui propter Christum argenti speciem refutasset, per Christum argēti nitore ditatur. Pransuro igitur Petro, desunt cocorum apparatus, desunt obsequia famulorum: sed, quod est melius, ministeria diuina non desunt: & vtili commutatione sancto viro quod deest in terris, abundat in cœlis. Vt reficiatur enim Petrus, nõ cœlarium sollicitè referatur, sed cœlum ipsum protinus aperitur. Legimus in scripturis sanctum Heliam in deserto coruis ministrantibus pastum: quanto melius Petrus, cui non paruam escam terra auis porrigit, sed integrum cõuiuuium multitudo angelica subministrat? Post orationem ergo esuriit Petrus. Mirandum cur sanctum virum post orationem fames sequatur, cum soleat fames oratione depelli, esuriens anima non nisi obsecrationibus saginari? Sed puto Petrum post orationem non cibum esurisse hominum, sed salutem: nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cum enim Iudæicus populus perfidus & ingratus illo prædicante Christo non crederet, famem quodammodo Petrus sui officij sustinebat. Famem enim patitur qui minimè fructum sui laboris assequitur. In cœnaculum igitur ad orationem festinus ascendit. Bene ait, In cœnaculum ad orationem ascendisse Petrum, quia omnis sanctus quando orat, relinquens humilia vel terrena in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione sancta cœlo vicinus efficitur. Atq; ibi esuriēt illi, hoc est cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Iudæici populi, offertur vas diuersorum generum animalibus plenum, velut diuinitate dicente illi: Tu in Iudæos solos esuris, ecce famè fidei tuæ cunctarum gentium diuersitate reficio. Nam utiq; diuersa animalia collecta in vno vasculo, diuersarum gentium cõgregatio collecta in vna ecclesia demonstratur, quæ ecclesia in illius vasculo splendido dum non habet maculam neque rugam, linteum nitore resplendet. In qua primum animal Deo ex gentibus Centurio Cornelius est immolatus. De hoc ergo vasculo suo hodie nos reficit Petrus. Cum enim videmus gentium turbas ad fidem Christianitatis accurrere, simul cum apostolis gratulamur. Non enim mortui sunt quorum curam natalem hodie, sed renati viuunt pane, quia participes effecti sunt Christi, qui vita est omnium. Quamuis enim corpora passione cæsa sint, interruptus tamen nõ est ordo viuētium. Iugiter enim & Deo gratias agunt, & laudes saluatori referunt, nisi quod resoluta mēbrorum sarcina magis adhærēt Christo, sicut ait Paulus: Dissolui, &

cum Christo esse, quanto melius? Non ergo dicenda est mors qua interueniente caremus persecutoribus, & Christo connectimur. Non est planè dicenda mors, quæ Christo mortuum socians lucrum efficit morietis, sicut ait beatus Apostolus: Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Illa autem vera est mors, quæ etiam viuentem hominem peccatorum morte constringit: qui quamuis viuere videatur, sceleribus tamen suis morti iam videtur additus, sicut ait Apostolus de illa deliciosa vidua: Hæc autem viuens, mortua est.

Ibidem.

1. Tim. 5.

Item de eodem. Sermo LXVIII.

Notum omnibus vobis est fratres, & vniuerso mundo notissimum, quod beatissimorum Petri & Pauli natalis est hodie, nec aliquam partem orbis latere potest tanta deuotio. Siquidem de iis dicit Dauid propheta: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In omnem terram mirabilium Petri virtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarum Pauli verba penetrarunt. Quis enim nõ audiuit quod primum Petrus sedenti ad portam speciosam claudo, & ex matris suæ olim ventre iam debili pedum restituerit firmitatem, vt quod natura minus contulerat, apostolica gratia repararet? Cùm enim idem claudus stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab apostolis crederet accepturum, ait illi Petrus: Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc do tibi. In nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Beata planè largitas, quæ petenti argentum quidẽ non cõtulit, sed cõtulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecuniæ, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus & super hæc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est super quam ædificatur ecclesia, rectè prius pedes sanat: vt sicut in ecclesia fidei fundamentum cõtinet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè inquam primum in Christiano pedes curat, vt iam non intrepidus nec imbecillis possit super petram ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere. Vbi autem verba Pauli apostoli non leguntur? Quis locus ea non literis inscribit, corde retinet, cõuersatione custodit, quia Paulus à Domino vas electionis est nominatus? Bonum vas in quo preciosa mandatorum Christi præcepta conduntur. Bonum vas de cuius plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima apostolorum nomina, petra, & vasculum, necessaria domui saluatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur, utilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labatur sustentat populos, vas ad custodiam ne tententur operit Christianos. Exitus verò eorum de hoc seculo quàm beatus fuerit, nemo est qui nesciat. Nã prima hæc in illis beatitudo est, quod ambo vna die passi esse noscuntur, scilicet vt quos vna fides serui-

Psal. 18.

Acto. 3.

Matth. 16.

gio deuinxerat, vna dies martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamen quanta referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucis, sicut saluator, exitum tulit, & à dominicæ deuotionis similitudine nec morte discretus est, scilicet vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius quàm cruentum. Quæ quidẽ res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non escam. Hæc est planè repromissionis illa terra quam patribus nostris deus promisit dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutumque permiscet, sed de illa terra Pauli, & similibus Pauli, quæ iugiter purum suauèque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tanquam vbera ecclesiarum populos nutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in ipso quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Igitur iam Paulus possidet regnum, quoniam caret & sanguine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris positus etiam in regni cœlestis substantiam transformatur.

1. Cor. 3.

Exod. 3.

1. Cor. 1.

De natali sancti Eusebij Vercellensis episcopi. Sermo LXX.

Ad sancti martyris Eusebij laudem aliquid addere velle, decerpere est. Tam ineffabile enim doctrinarum magister extitit, vt merita eius facilius operibus cognosci possint, quàm sermonibus explicari. Tantum autem de eo conscientia retinet, quantum oratio & narratio non præualet. Igitur gesta illius non verbis adornanda sunt, sed perstringenda sententiis, præsertim qui scimus eam rem comere nos non debere sermonibus, quã videmus iam comptam esse virtutibus, cùm dicat Apostolus, Regnum Dei non in sermone est, sed in virtute. Ergo ad merita eius aliquid addere velle, decerpere est, me præcipuè, qui & ignarus rerum gestarum sum, & literarum imperitus sacrarum, & rudis sacerdotalium functionum. Potuissent autem prædicare sancti hæc præcessores mei vsu facilius, experimento probatius, doctrina præclarius, dominum & patrem specialiter beatum Exuperantium loquor, qui fuit eius minister in sacerdotio, comes in martyrio, particeps in labore. In cuius vultibus sanctum quoque Eusebium videre nos credimus, & quasi in quodam speculo bonitatis illius imaginem contuemur. Facile enim cognoscimus qualis magister fuerit, cuius talem videmus esse discipulum. Sed quoniam confessionis illius similis hunc gloria comitatur, maule reticere laudes paternas, ne proprias pariter iactare videatur. Quid ergo de martyris Eusebij gloria prædicem, cuius tota plebs ista sit gloria? Et cùm dicat scriptura, Gloria patris est filius sapiens: quantæ huius sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia & deu-

1. Cor. 4.

Prouer. 10.

deuotione lætatur? In Christo enim Iesu per euangelium ipse vos genuit. Quicquid ergo in hac sancta plebe potest esse virtutum & gratiæ, in sancti Eusebij magisterio reperitur. Ex hoc autem quasi quodam virtutum fonte lucidissimo riuulorum hæc puritas emanauit. Nam quia castitatis vigore pollebat, propositum virginitatis instituit. Quia abstinentiæ gloriabatur angustiis, monachorum introduxit forte seruitium. Quia blandimentis erat præditus lenitatis, cunctorum ciuium in Deum prouocauit affectum. Quia pontificij administratione fulgebat, plures è discipulis sacerdotij sui elegit heredes. Quamuis igitur nonnulli liberis suis relinquunt auri argenti que thesauros, nemo tamen sancto Eusebio ditiores reliquit. Siquidem omnes extiterunt aut sacerdotes, aut martyres. Nam vt cetera taceam, illud quàm admirabile est, quod in hac sancta ecclesia eodem monachos instituit, quos clericos, atque iisdem penetrabilibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conseruatur, vt esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio leuitarum: vt si videris monasterij lectulos, instar orientalis propositi iudices: si deuotiones cleri perspexeris, angelici ordinis obseruatione gaudeas. Illud autem tacendum omnino non arbitror, quod cùm Arrianorum detestanda perfidia totam cum vniuerso mundo Italiam perturbasset, atque eiusdem pestilentia sacerdotum simplicitatem sancti Dionisij martyris captiuassent, ita vt subscriptionis eius vinculum retineret, qua illi è manibus eorum sapientia liberauit? Sicut enim ait sanctus Paulus, Factus sum Iudæis tãquã Iudæus, vt Iudæos lucrifacerẽ: ita Eusebius hæreticis hæreticum se esse mentitus est, vt de hæresi filium liberaret. Dixit enim se eorum consentire perfidiæ, hoc sibi placere quod illis, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, grauius se moueri. Vos enim, inquit, qui dicitis filium Dei patri deo æqualem esse non posse, cur mihi filium prætulistis? Qua illi ratione permoti, statim sancti Dionysij chirographum deleuerunt, priorem locum subscribendi beato Eusebio deferentes. Quos ille increpans & irridens ait, Neque ego me vestris sceleribus pollo, neque filium meum vobiscum participare permitto. Vnde cùm dicat euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse quàm lucis, ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inuentus est. Tunc illi grauius indignantes ita nequitiam suam fuisse delusam, nouis cum per Cõstantium principem passionibus vexauerunt. Nam post multas iniurias Orientis plagæ illum in exilium relegarunt, in quo tãta passus est, vt martyrij inuictæ gloriã reportaret. Dicitur enim inter cetera passionum genera hoc pœnale passionis supplicium per tulisse, vt dum interrogaretur ab Arrianis, & se eorum communicare perfidiæ denegasset, scalarum procliui tractu supinis pedibus ad imum vsque pertraheretur, & iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuo cùm eadem respondisset, eadem pate- retur, ac sic frequentem interrogationem frequenter huiusmodi supplicium fuerit subsecutum. In qua passione sancti Eusebij martyris licet fuerit quassatum caput, elisum corpus, membra confracta, animus tamen fidei mansit inuictus. Nam quanto plus

1. Cor. 9.

Luc. 16.

illum Arriana perfidia corporaliter lacerabat, tanto magis eum catholica integritas spiritualiter refouebat. Quem quidem scalarum ascensum atque descensum possumus dicere quem Iacob somniã prophetari: & sicut ille vidit etiam istas scalas ab imo ad cœlestia vsque pertingere, sic quidem per has & Eusebius ascendit ad cœlum, & Arriani ad inferos descenderunt. Vnde fratres sanctum Eusebium Machabæorum martyrum choro annumerandum puto. Siquidem illi singulis membris martyrium pertulerunt, hic autem totius corporis passione Dominum sit confessus, nec disparem eorum esse gratiam quos etiam dies vna in martyrio copulauit.

Genes. 28.

2. Mach. 7.

Item de depositione sancti Eusebij. Sermo LXX.

Depositionem sancti Eusebij hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa vtrique quæ sepe- liendis in terra membrorum reliquiis clericorum manibus procuratur, sed illa qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad cœlum terrenum corpus exponit. Ipsa planè est depositio, in qua concupiscere abiicimus, cessamus delinquere, peccare desinimus & totum quicquid saluti est graue, quasi abiecta sarcina oneris, exponimus. Nam ideo hæc dies pro celebritate maxima procuratur, quia verè est summa festiuitas, mortuum esse vitium, soli vigere iustitiæ. Vnde & depositionis ipsa dies natalis dicitur, quod delictorum carcere liberati, libertati nascimur saluatoris. Sed videamus, sanctus Eusebius cum qua gloria ad hanc diem depositionis aduenerit. Dicitur enim ante aliquantum temporis exitus sui manifesta reuelatione vidisse se kalendis Augusti de monte ad montem volare, & prophetia quadam hoc interpretatus est hac die exiturum se esse de corpore. In quo facto nescio quid primum sit admirandum, vtrum quod meruit exitus sui finem nosse, an quod scire potuerit quæ illum post exitum gratia permaneret. Dicit sanctus Dauid: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, & reliqua. Ecce quod Propheta optauerat, martyr accepit: notitiam quam ille exorat, iste consequitur, nisi quod salua fide dixerim, amplius promeretur. Ille enim finem postulat nosse, iste etiam vltra finem quid futurum esset agnoscit. Ille vsque ad exitum quid desit ignorat, iste post exitum quid superfit edixit. Volare ergo se in hac die vidit Martyr Eusebius, sicut scimus. Volare non potest nisi quod purum, leue atque subtile est, cuius nec sinceritas intemperatã retardatur, nec alacritas, nec velocitas mole grauat. Grauari autem volatum dico non tam mole membrorum quàm delictorum. Vnde puto etiam in ipsis auibus ideo velocius columbam penè præ omnibus volitare, quod alacritatem & innocentiam comiteret. Denique sanctus Dauid cum puritate mentis volare concupisceret, non alterius animantis nisi columbæ optauit alas, dicens: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Intelligebat enim quod altiora facilius penetrantur simplicitate mentis quàm leuitate penarum. Volauit ergo hac die sanctus Eusebius. Festinemus iam eius innocentiam de volatu,

Psal. 38.

Psal. 54.

& puritatē eius de ipsa elatione iudicemus: tāquam columba enim in domo Dei degens assumpsit ipirituales pennas, & requieuit in monte. Et licet ipse de monte ad montem volare se dixerit, tamen in ipsa translatione maiorem requiem fuisse significo. Quid enim aliud est de monte ad montem volare, nisi de saluatoris gratia ad patris gloriam properare? Ipsi enim sunt montes, sicut dicit propheta: Mōs de mōte sine manibus cōcidentium, hoc est filius de patre absque vllius creationis accessu.

De natali sancti Laurentij leuita & martyris.
Sermo LXXI.

Inuenitur etiā inter Augustinianos de sancto 30.

Beatissimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo, & quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim martyrio eius gloria extitit, vt passione sua mundum illuminauerit vniuersum. Illuminavit mūdum planē Laurentius eo lumine quo ipse succensus est, & flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. Quis enim hoc exemplo nolit pro Christo ardere cum Laurentio, vt possit à Christo cum Laurentio coronari? Quis nolit ad horam sustinere Laurentij ignem, vt æternum gehennæ non patiatu incendium? Beati igitur Laurētij prouocamur exemplo ad martyrium, accendimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem. Et si nobis persecutoris flāma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subiicit mihi persecutor ignem, sed suggerit mihi ignem desiderium saluatoris. Esse autem saluatoris ignem legimus in euangelio, dicente eodem Domino: Nescitis quia ignem veni mittere super terram, & quid volo nisi vt accendatur? Quo igne succensi Amaus & Cleophas dixerunt: Nōne cor nostrum ardēs arat in nobis in via cūm aperiret nobis Iesus scripturas? Hoc igitur etiam sanctus Laurentius igne succensus, flammarum non sensit incendium: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœna non ardet. * In quantum enim in illo fidei ardor feruet, in tantum supplicij flāma frigescit. Corporali enim beatus Laurentius dum laborat incendio, hinc amore Christi succenditur, inde persecutoris flamma torquetur, sed diuinus saluatoris ardor materialem tyranni restinguit ardorem. Quamuis enim in fauillam membra soluantur, fidei tamē fortitudo non soluitur. Corporis detrimentum sustinet, sed lucrum salutis acquirit. Non enim, fratres, beatus Laurentius cita vel simplici passione perimitur. Nam qui gladio percutitur, semel moritur: hic autem lingua & multiplici pœna cruciatur, vt mors differatur, & non desit ad supplicium, & desit ad finem. Dicitur enim ab illo seuisimo persecutore hęc illi constituta pœna, vt ardētium exposita mole carbonum in super eum ferrea crate distētum lenta flāma consumeret, vt non tam inflammando citō interimeret hominem quandiu exurendo torqueret. Ita cūm vnus latus exultum persecutor cerneret, aliud latus ignibus obiceret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam & Misael beatissimos pueros à rege in camino ignis inclusos, in pœnarum suarum

Luca. 12.

Luca 24.

* pœnam non sentit.

Dan. 3.

G deambulasse flammis, & igneos globos pedibus conculcasse. Vnde & beatus Laurentius non minori est gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarum suarū flammis ambulant, hic in ipso supplicij sui igne discumbit. Illi vestigiis pedum conculcant incendia, hic laterum suorum deuotione restringit. Illi inquam stantes in pœnis eleuatis manibus orabāt dominum, hic autem prostratus in sua pœna toto corpore Deum deprecatur. Iterum ergo beatus Laurētius exultis lateribus in dorsum supinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur, vt impleretur psalmi propheta, quæ dicit ex persona Laurētij: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Duplice se vtique postulat igne comburi. Nam si de vno & solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos incēdiis obtulisse, cor autem nisi Christi flamma non vrit, sicut, Amaus & Cleophas dixerunt: Nōne cor nostrum erat ardens in via, cūm aperiret nobis Dominus scripturas? Atque ideo ad comprobendam deuotionem suam geminum sibi ignem postulat, vt luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quā pœnam tyranni. Honoremus * igitur fratres beatum Laurētium, qui dum fide sua persecutoris flammis vicat, ostēdit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superare, & amore Christi diem iudicij non timere. † Nos verō, fratres dilectissimi, si ad cōsortium sanctorum martyrum peruenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus. Debēt enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, vt pro nobis dignentur Dominum supplicare. Si enim tormēta, quę sancti martyres pertulerunt, sufferre non possumus, vel contra malas concupiscentias, ipsis intercedētibus pugnemus. Et quia non desunt quotidiana peccata, non desunt etiam quotidiana remedia. Nemo se credat aliquam felicitatē aut aliquod verum gaudium in hoc seculo possidere. Beatitudinē hic præparare potest, possidere non potest. Duo sibi tempora ordine suo succedent, tēpus flendi & tēpus ridendi. Nemo se circumueniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Scimus fratres quia omnis homo gaudere desiderat: sed totum ibi quærat gaudium vbi oportet inquiri. Verū etiam in hoc mundo gaudiū nec fuit, nec est, nec esse poterit. Sic enim ipse Dominus in euangelio suos discipulos admonet, dicens: In mundo pressurā habebitis. Et iterum: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra conuertetur in gaudium. Ac sic in hac vita cum labore & dolore, quod bonum est, auxiliante Domino faciamus, vt in futuro seculo bonorū fructus cum gaudio & exultatione percipere possimus. Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuūt & regnat in secula seculorum. Amen.

De natali sancti Cypriani. Sermo LXXII.

Sancti Cypriani festiuitatem, sicut omnibus notum est, hodie celebramus, & natali, sicut dicunt, imminente vindemia, natalem eius martyrij procuramus. Conueniunt igitur vota nostra & mundi. Mundus vindemiarum vbertate lætatur, nos sanctorum passione gaudemus. Quæ quidē passio vindemiis comparanda est. Sicut enim vuarum expressione

psal. 22. Math. 26. psal. 115.

psal. 138.

Luc. 24.

* al. Orm.

† Sic finit hic sermo Cypriani codice.

psal. 68.

fione vinum funditur, ita & sanctorum martyrio vini vice sanguis effunditur, nisi quod vna temporales fructus præstat, passio sempiternos. Rectē ergo martyrium vindemiis comparatur. Habet enim & ebrietatem suam, habet & calicem suum, de quo dicit propheta Dauid: Et calix tuus inebrians quā prælatus est. Et ipse Dominus in passionis suæ exitu constitutus ait: Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Et iterum Propheta: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Rectē inquam calix martyrio comparatur, quia sicut calix lætificat cūm bibitur, ac omnis humor noxius vini calore decoquitur, ita & martyrij poculum cūm hauritur, omnes peccatoris fæces passionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddam salutare martyrij est, quod cordi lætitiā præstat, calore fidei animæ puritatē. Vinum planē est spirituale de illa vna quæ pro salute omnium pependit in ligno expressum. Sicut enim botrus redditurus vinum prius in vinea quadam naturæ arte suspenditur: ita & Christus redditurus vinum spirituale martyrij in crucem quadam prouidentia diuinitatis aptatur. Ipse planē botrus est quē duo exploratores illi, hoc est Iesus Naue & Caleb filius Iephone in phalanga ad filios Israel propriis humeris detulerunt. Quod quidem factum iam tūc præfigurabat aduentum Domini saluatoris. Nam botrus in phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur. Duo autem in phalanga portantes vnam, duo populi demonstrantur, Christianus vtique & Iudæus. Et sicut mos est portantium, vnus præcedens, alter subsequens: ita prior Iudæorum designatur populus, Christianorum secundus. Et sicut antecedens quod portat non videt, & retrorsum idē semper habens quadam dorso auersione contemnit: qui autem sequitur, semper id oculis perspicit, semper custodit obtutibus, semper corporis vicinitate potitur: ita ergo Iudæus, & Christianus populus. Iudæus enim prior est, Christum in lege portat, & retrorsum eum ponens quadam dorso auersione contemnit: vnde ait Propheta: Obscuretur eorum oculi ne videant, & dorsum ipsorū semper incurua. Christianus verō sequens populus Christum semper oculis aspicit, semper custodit obtutibus, & quadam graduum suorum vicinitate complectitur. Et quanto eum ille populus prauo itinere post se relinquit, tanto eum iste directo cursu festinat attingere.

Item de sancto Cypriano. Sermo LXXIII.

Hic sermo ascribitur Maximo episcopo Mediolanensi.

An te dies, cūm beatissimi martyris Cypriani celebraremus natalem, suauissimē in eius festiuitate iucundati sumus: quia enim hoc vindemiarum tempore passus est, tanquam & nos de vindemia dulces & varios fructus ex eius passione collegimus. Impinguauit enim nos, & refecit musto martyrij sui. Est enim mustum quod reficit & inebriat Christianum, sed ebrietas illa magis sobrium facit. Qui enim inebriatur cœlesti gratia, exobriatur sarcina peccatorum. Hoc namque musto repleti sancti apostoli, sicut ait scriptura, alienis linguis Dei magna loquebantur. In quo facto pariter ebrij esse

videbantur, & sobrij. Ebrij enim putabantur, quod in iis loquela præter naturam altera personabat. Sobrij erant, quod iuxta consuetudinem mentis Deum deuotione laudabant. Quod quidem non elatione aliqua aut impudentia contigit, vt viri sancti peregrino sermone loquerentur, sed prouidentia diuinitatis factum est, vt quia ad magnificandum Deum vna loquela non sufficit, per plures linguas mentis deuotio solueretur. Iucundati enim sumus, quia de vinea Domini sabaoth, sicut dicit propheta, domus Israel est, quæ domus nos sumus. Secundum fidem enim Israelitæ nos sumus. Vnde dicit Apostolus: Quia si ex fide sunt ij, filij sunt Abraham. Quoniam igitur nos sumus Israel, vinea Domini sumus, videamus diligenter ne ex palmitate operis nostri non nascatur dulcedinis vna, sed fellis: ne dicatur nobis quod Iudæis dictum est per Prophetam: Sustinui vt faceret vnam, fecit autem spinas: & non iustitiam, sed clamorem. Quā dura conditio, vt possessio quæ Domino suo suauitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit. Hoc est, cūm Iudæi saluatorem debuerint tota fidei deuotione suscipere, spinarum eum coronauerunt passione. Quæ corona quidem, quantum in Iudæis est, erat iniuriarum contumelia: quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Iudæi Dominum dum coronant, compungunt dum crucifigunt. Vnde ait scriptura sancta: Videbunt in quem compunxerunt. Igitur fratres videte ne & nobis dicatur: Sustinui vt faceret vnam, fecit autem spinas. Hoc est, ne spinas quas Domino Iudæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, & compungamus eum non asperitate sentium, sed operum prauitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum Dei etiam vulnerare consueuerunt, de quibus meminit in euangelio saluator, dicens seminantis semen cecidisse inter spinas, & creuisse eas, ac suffocasse quod satum est. Quæ autem spinæ sint, ipse prosequitur dicens vtique sollicitudines esse mundanas, quæ cūm crescunt in corde hominis, mandata in eo saluatoris suffocant. Quis enim vnquam sollicitus de mundo, potuit bene sollicitus esse de Christo? Quis dum lucris Domus suæ prouidet, vtilitatibus ecclesiæ potuit prouidere? Vnde ait Apostolus: Qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Ergo fratres videte ne vinea vestra non vuas, sed spinas faciat, ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, & pauperibus non largitur: ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes non condit, & indigentibus non ministrat, iste non alimoniam fructus reposuit, sed tribulos auaritiæ congregauit. Nam propterea ait scriptura de terra vestra: Spinæ & tribulos germinabit tibi.

De natali martyrum. Sermo LXXIIII.

Dignum & congruum est, fratres, vt post lætitiā Paschæ quam in ecclesia celebrauimus, gaudia nostra cum sanctis martyribus conferamus, & iis annunciemus dominicæ resurrectionis gloriā,

Esa. 5.

Galat. 5.

Esa. 9.

Ioan. 19.

Matth. 13.

1. Cor. 7.

Genes. 3.

qui cōsortes sunt dominicæ passionis. Qui enim socij sunt contumeliæ, debent & participes esse letitiæ. Ita enim dicit beatus Apostolus: Sicut socij passionum estis, & resurrectionis eritis: si tolerabimus, inquit, & conregnabimus. Qui ergo tolerauerunt mala propter Christum, debent & gloriam habere cum Christo. Annunciemus inquam sanctis martyribus dominicæ Paschæ gratiam, vt dum sepulturæ illius prædicamus reſerata claustra, & horum sepulchra referentur. Dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus venis subito viguisse, horum quoque membra iam frigida immortalitatis calore foueantur. Eadem enim ratio martyrem suscitatur, quæ & Dominum suscitauit. Nam sicut viam passionis eius experti sunt: ita experientur & vitæ. Scriptum est enim in psalmo: Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc vtique in resurrectione ex persona dicitur Saluatoris, qui dum post mortem ab inferis redit ad superiores, incipiat notam habere viam vitæ quæ antè habebatur ignota. Ignota enim erat ante Christum via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio. At vbi Dominus resurrexit, nota facta solo attrita est plurimorum. De quibus sanctus euangelista ait: Multorum corpora sanctorum surrexerunt cum eo, & introierunt in sanctam ciuitatem. Vnde cum Dominus in resurrectione sua dixerit: Notas mihi fecisti vias vitæ, possumus & nos iam dicere Domino: Notas fecisti nobis vias vitæ. Ipse enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis semitam manifestauit ad vitam. Notas enim mihi fecit vias vitæ, cum me docuit fidem, misericordiã, iustitiam, castitatem. His enim peruenitur itineribus ad salutem: & licet nos in resolutione corporis mortis umbra circundet, tamen gressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias inferni leges incunctanter Christi virtutibus ambulamus. Vnde ait sanctus Propheta: Nam & si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quod manifestius Dominus ait de fidei, dicens: Qui autem credit in me, non morietur. Et licet moriatur, viuet. Ergo fratres cum sanctis martyribus Paschæ domini gloriam conferamus. Conferamus inquam: & licet melius nouerint omnia, tamen nos illis prædicemus quemadmodum de sepulchri gremio resurrexit ad superiores. Illi nobis reuelent quo pacto de inferni profundo remeauerit ad sepulchrū. Notum, inquam, nobis faciant quemadmodum in exanime iam corpus & frigidum sese calor insinauerit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, & gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitauerit. Notum, inquam, nobis faciant quemadmodum organum corporis dissipatum in priorem statum neruorum rursus coaptauerit resoluta compago, & harmoniam viscerum iam silentem in veterem concentum spiritus viuificans animauerit. Sacerdotes ergo prædicent quæ saluator post resurrectionem mirabilia gessit ad superiores, martyres reuelent quanta in ipsa morte refrigeria operatus sit in defunctos.

In natali sanctorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ.
Sermo LXXV.

Hodie beatissimorum Cantii, Cantiani, & Cantianillæ natalis est. Quam bene & iucundè tres

G martyres vno penè vocabulo nūcupantur. Nec mirū si similes sunt nomine, qui sunt similes passione, si vna est illis apud homines appellatio, quibus apud Deum est vna vocatio. Vniter enim vocati sunt à Domino, non interposito tempore aliter & aliter passi, sed omnes eodem icū pariter martyrium pertulerunt. Quod quidem illis parentiua quadam à Christo affectione concessum est, vt congruerent meritis qui vocabulis concordabant: & qui erant consanguinitate fratres, fieret etiam sanctitate germani: & quorum membra vnius corporis substantia vegetabat, eorum anima eiusdem fidei confessio coronaret. Refert autem de beatis supradictis historia, quòd tempore passionis cum eos persecutor inquireret, ascenso vehiculo iunctis mulabus eos secedere voluisse: & cum non longè ab vrbis mœnibus iter agerent, vnum animal de subiunctis subito corruisse, atque ita illos à persecutoribus comprehensos tentos ad pœnam. Quod factum quàm gloriosum sit, & à diuinitate dispositum, debemus aduertere. Semper enim Deus quos elegit, hos victores subiectione sublimi in aulam regni cœlestis inducit: Nam sicut Helias curru applicito quasi ascendit ad cœlum: ita & isti vehiculo admoto ad martyrium perueniunt: & quadriga sicut illum euexit ad requiem, ita hos portauit ad gloriam. Et quamuis illa ignea quadriga fuerit, hæc tamen inferior non habenda est, quia illa vnum gestauit prophetam, hæc tres martyres sustentauit. Sed dicit aliquis: Gloriosus est gestari quadriga ignea, quàm terrena. Nec hoc planè defuit sanctis viris. Nam sicut Heliam ignea quadriga portabat, ita & martyres fides ignea iam ferebat. Ferebat inquam illos Christus, qui lumen est, qui ignis est, de quo scriptum est: Dominus noster ignis cōsumens est. Ergo cum beatos de quibus loquimur, persecutor vrgeret, vehiculum conscenderunt. Qua causa? vt fugerent? Absit. Non vt fugerent, sed vt ad martyrium citius peruenirent: non vt latitarent, sed vt Christianos se cūctis transcuntibus manifestius approbarent. Cæterum occultius inter plures in ciuitate latere potuerat, tutius per diuersa singuli fugæ præsidium commendare. At verò vbi quis congregatione habita stratis vehiculis apparatu disposito per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda est, sed profectus est. Sancti enim viri hoc facto velut in triumphali curru positi contestabantur dicentes. Ecce persecutor, ecce proficiscimur, ecce præcedimus, quid refides? quid moraris? Subsequere nostra vestigia. Nolumus enim videri inuiti ducti ad pœnam, qui præcedere nos profiteamur ad gloriam.

De natali sanctorum martyrum.
Sermo LXXVI.

SI quantum me necesse est dicere, & vos oportet audire, tantum prosequi corporis mei posset infirmas: profectò omnes excusati essemus: sed ego insinuando præceptum, vos exequendo mādatur. Sed quoniam imbecillitate percellimur, quo minus quātum oportet dicere valeamus, excuset nos mentis deuotio, quos non excusat prædicationis oratio. Hoc est, etsi à laudibus Domini lingua cessamus, mirabilia

mirabilia tamen eius fidei operibus approbemus, si A non loquimur verbis eius gloriam, factis exequamur eius gloriam, quoniam dictis facta priora sunt. Nam Dominus in euangelio ita dicit: Qui fecerit sic, & docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum. Audis ergo quoniam præcedit factum, subsequitur doctrina. Siquidem benefacere, prima doctrina est. Cessantibus enim verbis hoc ipsum docet hominem opus optimum, dum videtur: quod etsi voce aures nō excitet, virtute corda tamen cōpungat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magistro vtēs eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt. Imò sine factis dicta nihil profunt. Nam ideo & Dominus fieri voluit, sic doceri, ne sine bono opere, verborum inutilis esset & superstitiosa iactatio. Melius ergo docemur facto quàm voce. Denique sancti martyres etsi voce tacēt, factorum virtute nos edocent: etsi lingua silent, martyrij passione persuadent. Vnde quamuis disertus orator facundia sua me doceat, id tamen quod vtile est mihi, melius discō exemplo sanctorum, quàm assertionem verborum. Citius mihi persuadent oculi quod cernunt, quàm auris potest insinuare quod præterit. Auditui enim citò irrepit obliuio. Oculorum autem historia semper inspicitur. Quis enim non omnibus horis momentisque conspiciat quemadmodum tunc beati martyres propter nomen Christi diuersis subiacuere suppliciis, & de ipsis pœnis quodammodo triumphabant? Quanto enim plura patiebantur, tanto se victoriosissimos credebant. Victoria enim est martyris, iudicium persequentis, sicut scriptum est: Et vincas cum iudicaris. Cum iudicatur enim martyr, & condemnatur, tunc vincit atque prosternit. Tali enim iudicio non est addictus ad mortem, sed absolutus ad requiem. Ac per hoc, manifestissima ratione vicisse est, non perisse. Constat igitur sanctos martyres plus passione docere quàm voce, quanquam ipsamet passio sine voce nō sit. Legimus enim animas eorum de sub ara Dei clamare vel dicere: Quousque sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum? Nam & Deus dicit de sanguine Abel ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat. Clamare igitur dicitur sanguis qui innocens effusus est, non tam voce, quàm causa. Sic & sanctorum martyrum animæ clamant, dum fidem atque innocentiam suam sensibus nostris ipsa passione commendant.

De natali sanctorum Octauij, Aduentij, & Solutoris
Tauricorum. Sermo LXXVII.

CVm omnium sanctorum martyrum, fratres, deuotissime natalem celebrare debemus, tum præcipue eorum solennitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet vniuersi sancti vbique sint, & omnibus prosint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed & ciuibus. Sibi enim patitur ad præmium, ciuibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam æter-

nam quærere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, vt alius saluaretur. Alter carnificem pertulit, vt Christum alter agnosceret. Alter morti additus est, vt alius vita potiretur æterna: & ad postremum sanctus occisus est, vt peccator euaderet. Beati igitur martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene viuendo cōuersionis, tolerando fortiter passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres voluit, vt tanquam idonei testes nos præsentem quodam fidei exemplo suæ confessionis vrgerent, vt humana fragilitas quæ prædicationi dominicæ aditu longiore vix credit, vel præsentem oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Cūcti igitur martyres deuotissime percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt. Hic ne peccatorum nos labes absumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc à maioribus prouisum est, vt sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dū illis Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes euadimus inferi tenebras eorum propriis meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim Dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei. Si ergo apostolo & martyri Petro inferni porta non præualet: quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos vtique iam regnare. Cernimus enim ab iis frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari, ita vt cœlesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producat de sua captiuitate captiuus, vt qui prædam paulo ante ceperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo fratres vereremur eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur: ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione quàm corpore.

De eo quod propheta ait ad filios Israel, Caupones vestri miscent aquam vino.
Sermo LXXVIII.

NON incommodè ante dies paucos profecti sumus functionem hanc sacerdotalem vicem quædam negocij retinere, & quæstum esse non modicum hoc clericatus officium. Est quæstus planè non modicus, vbi lucrum non pecuniarum, sed adquiritur animarum: est magna negociatio, vbi redemptio hominis constat non annunciatione precij, sed annunciatione præcepti. Præceptum enim Christi ta-

rauit vt propria sollicitudine animæ suæ diuitias spiri-
 rituales acquireret: vt puta quis continentia fortiter
 proposito cepit castimoniam custodire virtutem: me-
 retur audire quæ castitatis remuneratio sit futura, vt
 ad virtutis obseruantiam audiens renumeracionis glo-
 riam facilius possit pugnare quam cepit atterere. Alius ad
 misericordiam promptus debet audire quia ipsi mi-
 sererebitur Deus: & qui hanc terrenam substantiam cœ-
 lestibus diuitiis repensauit, necesse est vt oscultans
 vicissitudinem cœlestium præmiorum promptior ac
 liberior opus Domini prosequatur, & ad misericor-
 dia quod habet bonum, largitatis addat augmen-
 tum: ideo ait Dominus, Qui habet, dabitur ei: hoc
 est, qui diues fuerit bonis operibus, hic magis eu-
 angelica prædicatione ditetur. Cæterum si fornicato-
 ri prædices, & dicas quod virgo debeat permanere,
 & auaro quod omnia sua distrahare debeat atque
 donare, stultitia illi est. Hanc autem prædicatio-
 nem ridiculam putat, sicut ait Apostolus: animalis
 autem homo non percipit quæ sunt spiritus: stulti-
 tia enim est illi. Tale enim est iis prædicare quod
 perfectum est, quale si mendicum pannis obrutum
 holocerca velis induere, & esurientem rusticum pla-
 cento delectare: necesse est vt ab utroque reculetur
 oblatio. Illi enim displicet holocerca, qui necessa-
 ria magis frigori vestimenta desiderat: huic placen-
 tum amarum, dum escam magis saturitatis exquirat.
 Istis ergo personis auferenda potius sunt quæ sua
 sunt, sicut ait euangelium: Etiam id quod habet au-
 feretur ab eo: hoc est, cogendus est fornicator pan-
 nos suæ corruptionis abiicere, compellendus au-
 rus est panem suæ cupiditatis exponere. Vereor au-
 tē fratres ne hæc euangelica lectio plerisque de vo-
 bis congruat, quæ ait: Cantauimus vobis, & non sal-
 tastis: lamentauimus, & non plorastis. Annunciamus
 ergo vobis regni cœlestis gaudium, & minimè cor-
 da vestra motu quodam alacritatis exultant. Prædi-
 camus triste iudicium, & sensus vestri ad poenitentiam
 in lachrymas non prorumpunt. Infidelitatis enim,
 genus est, in diuinis rebus nec gaudere prosperis
 nec flere cōtrariis. Saltationem ergo à nobis requi-
 rit Dominus, non vtique sinuosi volubilitatem cor-
 poris, sed extollentis te fidei sanctitatem. Sicut enim
 qui corporaliter saltat, nunc in aere suspenditur, nunc
 ad altiora iactatur, nunc alternis saltibus loca diuer-
 sa collustrat, ita & qui spiritualiter saltat interueni-
 te fide, modo in aeris sublimitatem erigitur, modo
 ad syderum altiora tollitur, modo diuersis cogita-
 tionum saltibus paradysum cælumque collustrat.
 Et sicut qui corporaliter saltat, volubilitate mem-
 brorum se exercens gyrum sibi saltationis acquirit,
 ita & qui spiritualiter saltat fidei alacritate semper
 mouens, gyrum sibi totius orbis assumit. Solent au-
 tem homines sicut mos est, in suis votis, hoc est, nu-
 ptiis, præcipue saltare vel canere: vnde & nos habemus
 votiuas nuptias, in quibus saltare vel canere
 debeamus. Vota enim nostra celebrantur quando
 Christo ecclesia copulatur, sicut ait Ioānes: Qui ha-
 bet sponsam, sponsus est. Propter has ergo nuptias
 saltare nos conuenit. Siquidem Dauid rex pariter &
 propheta dum multa cecinerit, ante arcam testamen-
 ti etiā saltasse dicitur. Elatus enim gaudio, in salta-
 tionem prorupit. Præuidebat enim in spiritu Ma-

1. Corin. 2.

Matth. 13.

Luca 7.

Ioan. 3.

2. Reg. 6.

riam de germine suo Christi thalamo sociandam.
 Vnde ait: Et ipse tanquam sponsus procedens de
 thalamo suo. Ideo ipse præ cæteris prophetiarum au-
 thoribus plus cantauit, quia lætior cunctis per hæc
 gaudia suos posteros coniugabat, & ad propria vo-
 ta solito dulcius inuitas, docuit nos quid in ipsis nu-
 ptiis facere deberemus, cum ille ante nuptias tanta
 exultatione saltauerit ante arcam. Ergo saltauit pro-
 pheta Dauid ante arcam. Arcam autem quid nisi san-
 ctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intrinsecus
 portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius te-
 stamenti gestabat heredem. Illa intra semet legem,
 hæc euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat,
 hæc verbum: veruntamen arca intus forisque auri
 nitore radiabat, sed & sancta Maria intus forisque
 virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornaba-
 tur auro, iste cœlesti.

De eo quod scriptum est in euangelio: Hominis cuiusdam di-
 uitis vberes fructus ager attulit. Sermo LXXXI.

DVplex est tentationum species: aut enim tri-
 bulatio cor vexat humanum, & sicut aurum
 in camino per patientiam probatur vnusquisque &
 agnoscitur, aut interdum etiam ipsa vitæ prosperi-
 tas ad tentationem cedit hominibus. Similis nan-
 que eiusdem ignauie est, in aduersis humilem ac mi-
 serabilem fieri, & in prosperis insolenter efferri.
 Exemplum planè quod non debemus animo dei-
 ci in aduersis, habemus magnificum Iob indignari
 in tristibus penitus nescientem, qui omnem diabo-
 li violentiam velut torrentis cuiusdam aduersus se
 turbinem venientem immobili corde & inconcussa
 mentis viuacitate suscipiens, tanto clarior ex tenta-
 tionibus factus est, quanto difficiliora & periculo-
 siora ei sunt ab inimico intentata certamina. Exem-
 pla verò eorum qui per secundos vitæ successus pro-
 speritatisque tentantur, multa quidem habemus &
 alia, non minus tamen eius qui nunc de euange-
 lio recitatus est, diuitis qui alias quidem recondi-
 tas premebat diuitias, alias vana spe inaniter præsu-
 mebat, dum benignitas Dei auaritatis eius intem-
 perantiam non statim ab initio, nec continuo, vt
 publicare cepit, punit. Quinimo & reconditas
 diuitias nouis nihilominus & aduentitiis cumulat,
 si fortè cum aliquando nimietate ipsa satiatum, ad
 sensum & intelligentiam humanitatis adduceret, a-
 nimamque per abundantiam nimietatem suaderet a-
 liquid de indigentibus cogitare. Sed videamus quid
 de eo dicit sermo diuinus. Hominis, inquit, cuiusdam
 diuitis fructus vberes ager attulit, & cogitabat in-
 tra semetipsum, dicens: Quid faciam? Destruam
 horrea mea, & maiora ædificabo. Dicis fortasse, cur
 ager hominis nihil boni operaturi, vberes attulit
 fructus? Vt magis magisque Dei patientia noscere-
 tur, dum ad huiusmodi homines beneficia suæ be-
 nignitatis extendit, Pluit enim super iustos & iniu-
 stos, & solem suum oriri iubet super bonos & ma-
 los. Verum talis ista benignitas Dei sicut per ni-
 miam patientiam facultatem conuersionis & emen-
 dationis indulget, ita maiora & grauiora supplicia
 coaceruat, vt conuertat ingratos. Largitus ergo est
 Deus imbres vberes agri hominis auari, solem præ-
 stitit

Psal. 118.

Iob. 2.

Luca 21.

Ibidem.

Matth. 21.

stitit ad nutriendas segetes, multiplicandisque fru-
 ges, vt aceruos diuitis auget in omnibus moderata
 temperies. Igitur quæ à Deo præbentur etiam in-
 gratis, ista sunt, terræ fecunditas, aeris temperies,
 fructuum lætitia, & bouum subsidia, & omnia quibus
 anni prouentus fecundis successibus adimpletur.
 Quæ verò ab homine procedunt, qualia quæso
 sint videamus. Angustus animus, & parum putas om-
 ne quod nascitur, cuius abundantiam deesse sem-
 per aliquid computans, tū deinde inhumanū pro-
 positum impertiendi cuiquam causam nullam ido-
 neam putat. Vide beneficiis diuinis diues quam in-
 gratus existit. Communis hominum naturæ non me-
 minit, æquum non putat saltè ex superfluis aliquid
 egentibus impertiri, scriptum non legit, nec recor-
 datur præceptum esse vt fides & misericordia non de-
 serant se: & Confringe esurienti panem tuum. Et quæ-
 cunque vel à prophetis vel à cæteris doctoribus
 quotidie prædicantur, diues nec audit, nec videt,
 nec intelligit. Si horrea quidem diruit, & maiora
 reedificata fructibus largioribus replet, auaritia ta-
 men diuitis cor, & propositum non repletur: semper
 enim studet cumulare noua veteribus, & augmen-
 tis presentibus superare præterita: & dum cumulis
 semper crescentibus solidos cupit vincere numeros
 conditorum, ad istos inextricabiles cogitationum
 exitus deuolutus est, vt nec veteribus cederet, nec
 sufficeret nouellis. Propterea ergo cassæ quidè
 cogitationes eius, sollicitudo verò inutilis & inanis.
 Quid, inquit, faciam? Quis non talem misereatur?
 Quis non infelicitatem eius doleat? Angustatur ex
 abundantia, constringitur & coarctatur ex opulen-
 tia. Infelix in presentibus bonis, infelicior in futu-
 ris: & vt video, ager ei non tam redditus largiores
 quam gemitus attulit grauiore. Terra ei non fructuum
 copiam, sed curarum molestiam germinauit: ita vt
 curis ac mœroribus stimulatus, egentibus & esuri-
 entibus similes perferat cruciatus. Denique & egeni
 vox ista est: Quid faciam? vnde cibus, vnde vestitus?
 Eadem conqueritur & diues, Quid faciam, vbi re-
 condita? Iisdem cruciatibus pro sollicitudine faculta-
 tum quibus pauper pro egestate torquetur. Vides
 diuitem, nec optimis copiis posse lætari, sed mentem
 eius absumit ac soluit affluentia, dum nullo intelle-
 ctu humanitatis admonitus sentire non potest id si-
 bi abundare quod aliis deest. Non enim apostolicis
 cōmonitionibus accommodat aurem suam, vt dis-
 scat ab eo abundantie suæ rationem, cum dicit: Vt
 vestra abundantia fiat, id est, proficiat ad aliorum
 inopiam. Et quidem mihi videtur talis hæc passio a-
 nimæ similis esse iis qui tantum gulæ indulgent, vt
 dirumpi magis nimio cibo eligant, quam alicui in-
 dulgere reliquias. Sed recordare o homo, quis est
 qui largitus est tibi teipsum: qui sis, in memoriam
 reuoca. Seruus es Dei, & dispensatio tibi commissa
 est dominicæ facultatis. Recordare ergo quis est qui
 tibi iniunxit officium dispensandi familiam suam.
 Quid est quod multis prælatus es? non est vtique si-
 ne causa quod tibi à bono & iusto Deo officium tri-
 buit largiendi, aliis necessitas imponitur indigen-
 di. Dispensatorem igitur conseruorum tuorum te
 ex dominicis facultatibus esse cognosce. Nec existi-
 mes quod omnia ventri & deliciis tuis terra produ-

Esai. 58.

1 Cor. 8.

cat. Quæ in manibus habes, commissa tibi magis
 quam concessa cognosce. Paruo tempore aliquan-
 tulum super iis lætatis, & abuti eis voluptuosius de-
 lectaris: cum verò hæc patiter cum vita nostra de-
 fluxerint, rationem dispensationis nostræ vocamur
 Domino reddituri. Hic mihi te paulisper indulge o
 qui es qui diuitiarum dispensationem in hoc mudo
 fortitus es, & te in illo terribili Dei iudicis tribunali
 astatem paululum quid vacans, si tamen vacare po-
 tes à diuitiarum sollicitudinibus, intueri. Cum interro-
 gari ceperis: Commisisti tibi opes cum quibus egen-
 tibus diuisisti, quibus necessitatem patientibus sub-
 uenisti, quos de carceribus, de vinculis, de gladio
 profusa pecunia liberaisti, quibus pupillis pater, cui
 vidua vir castis prouisionibus exististi, pecunia
 mea, fructus mei quid apud te operis, quid utilitatis
 habuere? Tu ad hæc sine dubio respondebis: Omnia
 simul composita ac recondita claustris validissimis
 & signaculis tutissimis communiui, nulli quicquam
 tribui, quinimo & ad custodienda ea vigilias meas
 addidi, curas impendi, sollicitudines tribui. Sed stul-
 to consiliario vsus es temetipso, deliberas enim ait:
 Quid faciam? Consequens vtique erat te de talibus
 liberum ante dicere: Aperiam horrea mea, & reple-
 bo esurientes animas pauperum, patefaciam quæ re-
 condita sunt, & inuitabo indigentes, ac releuabo af-
 flictos, & imitabor beatum Ioseph, & humanitatis
 voce proclamabo: Si quis indiget panibus, veniat
 ad me, & gratiam quam Dominus indulgentiori li-
 beralitate mihi largitus est, communem cum omni-
 bus faciam. Velut ex communibus ergo fontibus
 hauriat vnusquisque quod sufficit. Sed tu nihil tale
 non solum proloqueris, verum nec cogitas quidè,
 quinimo hominibus quidè diuina inuides benefi-
 cia, tuâ verò ipsius animam malignis consiliis affligis,
 & cogitas abundantiam Dei humanam facere penuriam.
 Aderant qui animam repeterent, qui pignus huius vi-
 tæ reuocarent, & ille adhuc ad animam de opulentia
 loquebatur, hac nocte auferenda à se animam dice-
 bat: Anima, habes bona multa in annos multos,
 madauca, bibe, & epulare. Sed vide dispensationem
 iusti iudicij Dei: indulget ei prodere ac proferre om-
 nia cōsilia sua, publicare sententiam suam, vt & ipse
 dignâ tali mente ac voto condensationis sententiâ
 ferat. Quod vtique propterea scriptum est, non tantum
 vt quid ille passus sit nosceremus, sed quomodo nos
 effugere debeamus ne similiter condēnemur. Quod
 si difficile tibi putas o homo magnificentiam diuinam
 largitionis imitari, imitare terram: si leuare sursum
 oculos non potes, saltè ea quæ deorsum sunt, &
 in pedibus tuis, intueri. Affer tu fructum sicut
 terra, noli esse deterior insensibili elemento. Illa
 enim fructus quos affert, non suis vsibus vindicat,
 sed tuis ministrat obsequiis. Tu verò fructus illius
 solus inuadis, & tibi soli concludis. Quod si tantum
 auaritatis te morbus adstringit, vt tua velis facere
 omnia, accipe & ad hoc salutare remedium. Benefi-
 cium largientis præbenti magis permanet quam sus-
 cipienti. Nam misericordia quidem ad indigentem
 peruenit, gratia autem multiplicatæ mercedis per-
 manet tribuenti. Esurienti dedisti panem, ille qui-
 dè passus est & relictus, sed ad te redit quod dedisti
 cum fructibus & vsuris. Quod si difficile putas con-

Gen. 41.

Luc. 12.

sidera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis potius quam ad suscipientis lucra cedit: ita etiam dum cibus tribuitur indigentibus, cum multo scœnore diuinæ gratiæ restituetur in posterum. Sit ergo tibi finis agriculturæ huius, initiū cœlestiū fationum. Seminate enim, inquit, vobis ad iustitiā. Quid ergo afflictaris, quid temetipsū excrucias luto & lateribus concludens humanæ vitæ subsidia? Scriptum non legis: Melius est nomen bonum super diuitias multas? Si ergo & tu gloriam ex diuitiis quæris: cognosce quia melius est mille filiorum quos per misericordiam filios adquisieris, patrē vocari, quàm mille aureorum dominum dici. Facultates namque relinquuntur hîc etiā si nolumus, bonorum verò operum conscientia nobiscum pariter pergit ad Deum. Et considera quanta tibi tum erit gloria, cum te omnis ille populus qui ex promptuariis tuis pastus est & refectus, pro tribunali magni illius & iustissimi iudicis ceterua constipante circumdabit, pastorem te suum, ac tutorem pium, & misericordē patrem omni gratiarū voce testabitur. Quod si magistratus in theatris mimis & athletis & gladiatoribus, aliisque huiusmodi generibus hominū totū pene patrimonium suum largitur ac prodigit, vt vnus horū fauorē vulgi nimirum adquirat, nihil sibi vltius profuturum: tu dubitas & cunctaris munificus esse in huiusmodi largitionibus, in quibus iudex residet Deus, fauentium & acclamentium vulgus est angeli. Vbi omnes qui à seculo fuerūt sancti, laudatores & prædicatores tui sunt: Vbi laus & fauor non simul cum die cessat, sed cū seculis permanet: Vbi corona tibi non auri, sed iustitiæ dabitur: Vbi non honores vnus vr̄bis, sed cœlorum regna mereberis? Et hæc omnia conquiruntur per misericordias pauperum, per dispensationes indigentium, in quibus cibi corruptibilis precio incorruptibile regni cœlorū gloriam æternamque mercaris. Veni ergo, si videtur, si horum quæ dicimus, apud te fides vera est, & diuitias nostras consulte & vtiliter disponamus, præparemus noua & præclarissima munera, edamus primam candidam in vestitu & indumentis nudorum, secundam verò non minus nobilem, fessas & pereūtes fame animas reparamus, tertiā nihilominus editionē famosissimam præparemus, circuncamur vr̄bem, & requiramus eos qui ne ad misericordiam quidem poscendā per debilitatem venire potuerunt, præstemus sumptū, quæcūque sunt necessaria largiamur: nec te pigeat visitare agrum, requirere clinicum. Memento quoniam & nos cum decumberemus in grabato nostro, cū essemus debiles, & non possemus ipsi per nos ire ad Dominū, Deus ipse venit ad nos. Misit enim filium suum in similitudine carnis peccati, qui nobis attulit cibū seipsum. Ipse enim panis vitæ, qui de cœlo descendit, & vitam dat huic mūdo. Et quo ore quæso, qua impudentia panem de cœlo accipientes nos, panē de terra nō damus fratribus? Quod si adhuc nobis sufficit copia patrimonij, edamus etiam illā nouissimā, sed nō minus fauorabile editionē. Eamus ad carceres, requiramus vinc̄tos, humanis miseris & angoribus condoleamus. In his enim omnibus tibi occurrat Christus, qui cum sit incomprehensibilis secundum deitatis naturā, inuenietur tamen abs te per o-

pera misericordiæ. Ipse enim dixit: Quia esuriui, & deditis mihi māducare: sitiui, & potastis me: nudus fui, & operuistis me. Vides qualia munera præparat sermo diuinus. Ibi histriones accipiunt, & gladiatores, & perit omne quod perditis datur, hic in istis esurientibus ac sitientibus & nudis, ægris ac vinc̄tis, Christus se suscipere profitetur. Quid ergo agis o diues? quid cogitas? quid deliberas? Christo esuriente tu horrea tua claudis? Imò non claudis, sed minora destruis, & maiora reedificas? Christo indigēte vestitu, tuæ vestes tinea consumuntur? Christo egente, tu aurum quæris, aurum desideras, aurum recondis, omnia aurum vides, aurum tibi vigilanti cogitatio est, & somnia dormienti? Sicut enim ij qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mēs auari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurū, semper argentum videt, semper reditus computat. Gratius aurum intuetur quàm solem videt. Ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominū aurū quærit, & vellet atque optaret vt omnia ei in aurum conuerterentur. Denique, quod potest, frumentum aurum conuertere conatur, vinum in aurum mutat, lana ei aurū efficitur, omnes fructus eius, omne negociū, omne quod mouetur, in aurum vertitur. Interdum etiā vsuræ arte nequissima ex ipso auro aurum nascitur. Sed quid agis? Nec fatietas vnquam, nec finis aderit cupiditati. Nā interdum pueris gulæ nimium deditis indulgemus desideratos cibos auidius sumere, vt nimietate ipsa satiati horrescant, & auertāt se de reliquo ab huiusmodi cupiditate. Auaritia tamē nihil tale patitur, sed quanto plus inuenerit, tātō amplius quærit. Sed quid dicit scriptura diuina? Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Tu verò fluentes diuitias obstruis & concludis, vt intra locos tuos stagnantes etiam irruptiones operentur. Inde denique est quod etiam horrea tua rumpunt & deiiciunt, paternis non contentæ claustris, & auitos terminos excedentes. Sed quid dicis? Maiora, inquit, reedificabo. Ad hoc satis incertum est, quis tibi reedificandi tēpus indulget: Velocius enim tu deiiceris, quàm illa erigantur. Verum ille diues habebat & malignæ cogitationis finem dignum, & terminum competentem. Vos autem fratres si mihi auscultatis, reserate aditus promptuariorum vestrorum, & largior diuitiis vestris atque fluētior exitus procuretur quā dudum fuerat quæsitus ingressus, tanquam affluentissimus fluuius ad segetes rigandas multis deriuationibus trahitur per omnem terram misericordiæ affluentia. An nescitis, quia puteorum aqua si frequentius hauriatur, & salubrior efficitur, & abundantior: quod si ociosa remanserit & immobilis, inutilior & corruptior fit: si moueatur & operetur, communem omnibus & vtilem proferet fructum? Mere ergo vberes pecuniæ tuæ fructus, orationes dico pauperum, intercessionemque sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores, apud iustum iudicem Deum dignis operum tuorum allegationibus postulent. Cauemus exemplum diuitis istius, quid dum præsentis diuitias concludit, & de futuris sollicitudinem gerit, diuitiis pariter abreptus & vita, protrahitur ad tribunal horrificum, in quo accusatrix quidē huius assistit ipsa illa quæ & totius

totius vitæ eius comes exitit avaritia, defensor verò & intercessor nusquam vllus apparet. Circūspicit nanque sanctorum multitudinē diuinis tribunalibus assistentem, & inrētis ac sollicitis oculis circūstrat si quem fortē videat charum sibi ac familiarem in hac vita obsequio suo factum, nec vsquam tamen vllum inuenit. Nullus est qui dicat: Domine, dignus est cui ignoscas, dilexit enim gentē nostram, & ecclesiam ipse ædificauit. Nulla vidua quæ procedentes & flentes rogent Petrum, ostendentes vestimenta sua quæ eis largitus est diues. Nullus ergo miserebitur ei qui non est misertus. Scriptum est enim: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et iterum. Date, & dabitur vobis. Et qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Sed ne hæc fortassis aduersus eum temerē & immeritō coaceruare videamur, sermones ipsius percontemur, & videamus cum ei fructus ager vberes attulisset, quid sentit. Facit saltē hoc quod vtique etiam auaro facere competebat? Orat Deum & deprecatur vt fructus ad maturitatē sine læsione perueniant, ne grando verberet, ne turbo vastet, ne procella subuertat. Solent enim & hæc frugibus sæpe iam maturis, incidere. Nihil horū, sed destruere parat horrea, maiora ædificare. Et ipse qui dem in corde suo loquitur, sed qui videt in occulto, intra se loquētem audit in cœlis, propterea ei & inde responsa redduntur. Quæ autem sunt quæ loquitur? Anima, inquit, habes multa bona, māduca, bibe, & epulare. Nonne, si dici ita potest, muti animalis vox ista est? Si enim porcina animā habuisset, quid ei aliud quàm manducandi & bibendi bona nunciare debuerat? Nunc autem ita totus animalis homo est, & totus carnis, vt animam suam carnalibus & corruptibilibus elscis existimet esse paucendam, & ea quæ in secessum egeruntur, animæ præparat ad vtēdum. Cuius vtique natura talis est, vt virtutibus alatur, vt verbo Dei saginetur, vt intellectibus piis & religiosis disciplinis, atque exercitiis excollatur. Sed quid tale habes bonum? Hæc bona ad animam defer. Verum tibi quoniam Deus vter est, & totus seruus es carnis, audi dignā appellationem qua te non hominum quisquam, sed ipse Dominus appellat. Ait enim: Stulte, hac nocte aufertur abs te anima tua, & quæ præparasti, cuius erunt? Ipsi illis æternis cruciatibus maior est stultitiæ nota. Qui enim paulo post erat rapiendus à vita, quæ cogitat? Destruam, inquit, horrea mea. Cui ego respondeo, & rectē quidem facis: nam verē destruere debes horrea iniquitatis, & ea quæ malè ædificaueras, manibus tuis ipse subuerrere: destruere promptuarium, ex quibus nullus misericordiam consecutus est: deiicere ac subuerrere mammonæ obscura & tetra domicilia. Destruam, inquit, horrea mea, & maiora ædificabo. Quod si & ista repleueris, quid quæso facturus es? Et iterum sine dubio destrues, & iterum reedificabis. Et quis finis stulti huius laboris & vani, & instantæ ædificare, & instantius destruere? Si vis ergo ostēdam tibi horrea iam parata, esurientium pauperum ventres, in ipsis tuos concludere thesauros. Tales enim tibi thesauri seruabuntur in cœlis, in quibus neque tinea comedit, neque fures effodiunt & furantur. Sed dicis, Cū secunda

A horrea repleuero, tūc dabo pauperibus. Longos tibi promittis annos, & satis lata vitæ spatia polliceris. Talis ista promissio non futurā continet humanitatē, sed præsentis misericordiæ dilationem. Quid enim nunc misericordiam fieri vetat? Frumenti copia est, tempus anni prosperum, esurientes præsto sunt flētes, nudi circūstant gementes, vinc̄ti de carceribus, & ægri de lectulis miserabiliter & flebili lamentatione circūstrepunt, tu misericordiam quid in crastinum differs, cū hodie crudelis & immisericors fias? Audi saltem sapientissimi consilium Salomonis. Ne dicas, inquit, abi nunc, & redi crastino, & dabo tibi. Non enim scis quid pariat superuentura dies. Sed ne huiusmodi mandata suscipias, aures tibi obstruit avaritia. Non te oportebat gratias agere Deo, exultare & letari quod non ipse mendicans alienas circuis fores, sed alij ante tuas ianuas sedent à te misericordiam postulantem? Tu verò difficilis es ad præbendum, contristaris ac declinas ne quis tibi paulo molestior cogente necessitate paupertatis existat, quasi non potuisset fieri vt esset vnus ex iis qui ante ianuam tuam fame perdit iacent: & tu quidem satis dignē, nam voto, mēte, ac proposito pauper es, & totius boni egenus. Cū enim non habeas charitatem, cū tibi desit humanitas, desit fides, desit spes in Deo, cū tibi desit misericordia, quid te egestuosius, quidve mendicius? Pars tua cū tinea & muribus horreorum tuorum rosoribus erit. Qui vtique si talia non videres, si non corrumpi ea cereres & consumi, quis tibi suadere posset aliquid inde largiri? Sed ais: Quid iniustum est si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruo? O impudens dictum, propria dicis? quæ ex quibus reconditis in hunc mundum derulisti? Quando in hanc ingressus es lucem, quando de ventre matris existi, quibus quæso facultatibus, quibusque subsidiis stipatus ingressus es? Aduentum tuum in hunc mundum disce ab Apostolo Paulo dicente: Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quidē quid possumus: habentes autem victum & vestitū, his contenti simus. Terra communiter omnibus hominibus data est, proprium nemo dicat quod è communi plus quàm sufficeret sumptum, & violenter obtentum est. Veruntamen nudus ex vtre matris existi, nudus nihilominus & reuerteris in terram. Et si quidem terræ elementum putas fortuito substituisse, impius es qui ignoras conditorem Deū: si verò agnoscis beneficium largitoris, gratus esto creatori, & require apud temetipsū rationem cur plus tibi quàm ceteris præstitit. Nunquid iniquus est Deus, vt nobis nō æqualiter distribuatur vitæ subsidia, vt tu quidem esses asluens & abūdans, aliis verò deesset, & egerent? An idcirco magis quia & tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre, & alium per virtutem patientiæ coronare: tu verò susceptis Dei muneribus etsi in sinum tuum redauctis nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? Quis enim tam iniustus, tã auidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta, suū non vsum, sed abundantiam & delicias facit? Neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cū possis & abundes, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines: nudorum

Ofa 10.

Prouer. 22.

Luc. 7.

Matth. 5.
Luc. 6.
Ibidem.

Luc. 12.

Psal. 61.

Luc. 11.

Philipp. 3.

Luc. 12.

Rom. 8.
Iuan. 6.

Prouer. 3.

Ibidem 27.

1. Tim. 6.

Iob. 1.

indumentum est quod tu recludis: miserorum redemptio est & absolutio, pecunia quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias inuadere bona, quot possis præstare quod velis. Bona quidem ais sunt verba, sed melius est aurum. Nihil mirum. Nā & si quis cum impudicis de pudicitia loquatur, & scorta vituperet & exprobrat, ij animi quibus libido dominatur & ex ipsa cōmonitione ad impudiciā multo acrius accēduntur. Sed tibi iterum ante faciem adducam ipsas futuri iudicij Dei formas, vt intelligas quales tibi gemitus recondas. O quā multi pretij vbi in die iudicij sermo ille videbitur de quo superior diximus, qui ait: Venite benedicti patris mei, percipite regnū quod vobis præparauit pater meus a cōstitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Qualis tibi rursum horror, qualisque sudor, quales tenebræ superuenient audienti condemnationis illius sententiam, qua dicitur: Discedite a me maledicti: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Neque enim in his verbis qui alia inuasit arguitur, sed his qui non communiter vsus est iis quæ habuit, condemnatur. Nos quidem quod vile credidimus, commonuimus. Si quis autem obedire vult diuinis præceptis, nō ignorat quæ sit re promissionum merces. Qui verò obedire non vult & negligit, manifesta est ignis æterni comminatio, cuius opto vos expertes effici & alienos, & effugere pœnas impiis repromissas, facientes illud quod scriptum est, vt redemptio animæ vestræ sint diuitiæ vestræ, & ad præparata pergatis regna cœlestia, per eū qui vos vocauit, Christum Iesum, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen.

De defectiōe lunæ.

Sermo LXXXII.

ET ipsi videtis fratres quod mea nō cessat humilitas omni circa vos sollicitudine laborare, & ad frugem bonā vos tota festinatione conuertere: sed quanto plus laboro vobiscum, tanto amplius confundor in vobis. Cum enim video tot cōmonitionibus meis nullum vos habere profectum, labor meus iam non gratulationi est, sed rubori. Dicit beatus Apostolus: Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit? Ecce ego pascō gregem Christi, & gregis fructum extorquere non valeo: pascō gregē Domini, & nulla ex eo religiositatis alimenta percipio. Nulla enim me fidei eius dulcedo lætificat, sed quicquid ex eo profluit, asperū & amarum est. Tunc enim pastor Christiani gregis lacte reficitur, quādo bonorum operum eius candore lætatur. Quis enim fratres in vobis non grauius ferat? Non tamen de omnibus dico. Sunt enim inter vos quos ad religionis cultum debeatis habere exemplo. Quis inquam non molestē ferat sic vos esse vestræ salutis immemores, vt etiam cœlo teste peccetis? Nam cum ante dies plerisque de vestræ auaritiæ cupiditate pulsauerim, ipsa die circa vesperum tanta vociferatio populi extitit, vt irreligiositas eius penetraret ad cœlum. Quod cum requirerem qui sibi clamor hic velit, dixerunt mihi quod laboranti lunæ vestra vociferatio subueniret, & defectum eius suis clamoribus adiuuaret. Risi equidem, & miratus sum va-

nitatem, quod quasi deuoti christiani Deo ferebatur auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum, tāquam infirmus enim & imbecillis, nisi vestris adiuuaretur vocibus, non posset luminaria defendere quæ creauit. Bene igitur facitis, qui diuinitati exhibetis solatium, vt vobis iuuantibus possit cœlum regere. Sed si vultis hoc plenius facere, cunctis & totis noctibus peruigilare debetis. Nam quotiens putatis vobis dormientibus luna vim passa est, & tamen de cœlo non corrui? Aut nunquid semper circa vesperum defectum patitur, non aliquando & circa lucem laborat? Sed apud vos vesperinis tantum horis laborare consuevit, quando copiosa cœna venter distenditur, quando maioribus poculis caput mouetur. Tunc igitur apud vos laborat luna, quando laborat & vinum. Tunc inquam apud vos turbatur carminibus globus lunæ, quando calicibus turbatur & oculi. Quomodo igitur ebrius videre potes circa lunam quid agatur in cœlo, qui circa te non vides quid agatur in terra? Hoc est planè quod ait sanctus Salomō dicēs: Stultus sicut luna mutatur. Mutaris enim sicut luna, dū stultus & insipiens ad motum eius, qui Christianus fueras, incipis esse sacrilegus. Sacrilegiū enim creatori committitur, dū imbecillitas adscribitur creaturæ. Mutaris ergo sicut luna, vt qui paulo antè fidei deuotione fulgebas, postea perfidiæ infirmitate deficias. Mutaris sicut luna, dum cerebrum tuum ita exinanitur sapientia, sicut lunæ obscuritas: te verò teterrimæ tenebræ mentis inuadunt: atque vtinā ō stulte sicut luna muteris. Illa enim citò ad plenitudinem suam redit, tu ad sapientiam nec serò conuerteris. Illa velociter colligit quod amiserat lumē, tu nec tardē fidem recipis quā negasti. Grauior ergo tua quā lunæ mutatio est. Luna defectum luminis patitur, tu salutis. Quā bene igitur scriptum est de sapiente: Et permanebit cum sole. Permanet enim sapiens cum sole, cum constantia fidei permanet cum Salvatore. Sed dicit aliquis: Luna igitur non laborat? Laborat planè, negare non possumus, sed laborat cum cæteris creaturis, sicut ait Apostolus dicens: Quia omnis creatura ingemiscit & paratur vsque adhuc. Et infra. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, & reliqua. Liberabitur inquit à seruitute. Vides ergo quoniam luna nō laborat carminibus, sed laborat obsequiis: nō laborat periculis, sed laborat officiis: nō laborat vt pereat, sed laborat vt seruiat. Vanitati enim creatura subiecta est non sponte, & reliqua. Ergo luna à statu suo non sponte mutatur, tu de sensu tuo sponte mutaris. Illa in deminutionem sui cōditione deducitur, tu in detrimentum tui voluntate pertraheris. Nolo igitur frater ita sis sicut luna cum deficit, sed esto sicut quando est plena atque perfecta. Scriptum est enim de iusto: Sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.

Increpatio ad populum de absentia sua.

Sermo LXXXIII.

DEBEREM fratres post hos complures dies aliquid vberius prædicare, & reuertens à tanto examine sacerdotum, dulci vos sermone reficere. Bene

Bene dixi examine sacerdotum, quia sicut apes de diuinarum scripturarum flosculis suauia mella conficiunt, & quicquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Rectè comparantur apibus sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cœlestis exhibent, aculeū legis exercent. Puri enim ad sanctificationem, suaves ad refectionē, feueri sunt ad vltionē. Apibus planè sunt cōparandi, qui velut aluuario quodā gratiā matris ecclesiæ cōtinent, in qua diuerforū meritorū cellulas dulcissimis prædicationibus componētes, de vno saluatoris examine christianorum examina multa producant. Cum semper fratres non cessauerim vos paterna pietate corripere, miror nihil vos tot meis cōmonitionibus profecisse, & doleo quod frequens prædicatio mea non vos profectu aliquo salutis corrigat, sed quadam contestationis pœna constingat. Prædicatio enim sacerdotis in plebe saluādis est correctio, contestatio iudicandis. Contestamur enim illis ante iudiciū quod illos maneat in ipso iudicio, vt tunc omni exultatione submota, & rei sint de peccatis, & obnoxij contemptu. Vnde & ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo vos contumaciæ causas reddere, quā me negligentia sustinere iudicium. Comperi enim fratres quod per absentiam meā ita rari quique ad ecclesiā veniatis, ita pauci admodum procedatis, quasi me proficiscente mecum pariter veneritis, & quasi cum necessitatibus ego pertrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas. Pariter ergo à domo Dei absentes sumus: sed hoc interest, quod me absentem necessitas efficit, vos voluntas. Nescitis quia etsi ego ab ecclesia desum, christus ab ecclesia sua, qui est vbi que, non deest? Venis frater ad ecclesiam, non inuenis ibi episcopum: sed si fideliter venis, inuenies ibi episcoporum episcopum Saluatorem. Nā Christianus qui tunc tantum procedit ad ecclesiā, quando episcopus præsens est, non tam Dei causā videtur processisse, quā hominis, nec impleisse Christiani timentis officium, sed amici deferentis obsequium. Quid autem ego vos arguo, cum possitis me vno sermone conuincere? Conuincor enim cum in hac parte clericos vobis magis video negligentes. Quomodo enim possum corrigere filios, cum fratres emendare non possim? Aut qua fiducia succenseam laicis, cum à confortibus pudoris verecundia conticecam? Ego autem fratres nō de omnibus loquor. Sunt certè quidem deuoti, sunt & alij negligētes: ego neminem nomino, conscientia sua vnquamque conueniat.

Post increpationem consolatio ad populum.

Sermo LXXXIII.

AMARIOR fortasse fuerit increpatio mea superiore dominica, quod plerisque de vobis acius magisterij serueritate conuenerimus, & sim profecutus quæ aliquot non blandimenta deferrēt, sed tristitiam irrogarent. Verum nihil mea interest: ego enim gaudeo, sciens discipuli tristitiam magistri esse lætitiā. Tunc enim auditor proficit, quando austeriora annunciat prædicator, ei salus gignitur quando tristitia emendationis ingeritur. Dicit

A enim beatus apostolus, Nam quæ secundum Deum est tristitia, salutem stabilē operatur. Rectè ergo lætor, quia salutem operor cum obiurgo: mœreat licet filius mei asperitate sermonis, me tamen delectat, qui proficere illum intelligo per mœrorē. Ait sanctus apostolus, Quis est enim filius quem nō verberat pater? Non enim osculatur semper pater filiū, sed & aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eū pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas quæ dulciores sunt, cum amarū inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio, quā blāda remissio. Vnde ait propheta: Dulciora sunt vulnera amici, quā voluntaria oscula inimici. Igitur fratres quia post increpationis meæ vitilia verba credo vos benignitate sensuum profecisse, de sacris literis aliqua cōferamus. Sicut enim fōs qui non solito humore distillat, exagitur furcullis, & ita largior inuenitur, ac primum ex eo turbida aqua producit, vt vnda purior subsequatur: sic ergo & sanctitas vestra asperata quidem fuerat austeritate sermonis, sed deuotior facta est dulcedine pietatis. Turbulentum enim quiddam vestri animi forsitam retinebant, sed iā ex vestris moribus profuit omne quod purum est. Videamus ergo quid sit quod ait ad discipulos suos Dominus, Vos autē quæ me dicitis? Non igitur tanquam ignarus interrogat Dominus quid de eo populi discipulique sentirent, sed tanquam sciens vniuersorum mentes, fidem manifestare voluit singulorum, vt quod corde credebant, ore narrarēt. Alij enim Heliam esse credebant Dominum, alij Hieremiam, alij Ioannē baptistam, Petrus solus Christum Dei filiū confitetur. Gradus quidē sunt fidei & qui deuotius credit, religiosus confitetur. Pro hac deuotione dicitur Petrus: Beatus es tu Simon Bariona, quoniam caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis, Et ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Cum vocaretur ergo Simon, per hanc deuotionem vocatus est Petrus, Legimus dicente Apostolo de ipso Domino: Bibebant de spiritali petra, Petra autem erat Christus. Rectè igitur quia petra Christus, Simon nūcupatus est Petrus, vt qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & nominis dominici vnitatem, vt sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à petra Christo Petrus apostolus vocaretur. Sed nec populorum opinionē possumus reprobare, qui vnum de prophetis Dominū existimabant. Nam ideo nonnulli velut Heliam saluatorem forsitam putauerūt, quia ad cœlos Helias sicut saluator ascendit, sed non sicut Helias Christus est. Ille enim ad cœlos rapitur, iste regreditur. Ille tantum infirmus ignea quadriga subuehitur, hic tantum Deus propria virtute portatur. Ille sicut homo ducitur, hic sicut saluator ascendit. Ille ducentes sequitur angelos, comitantes sibi angelos iste præcedit. Denique iidem angeli remeantes in terrā à Domino saluatore dixerūt ad apostolos: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Hic Iesus qui receptus est à vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

De Barbaris non timendis.

Sermo LXXXV.

PP iij

4. Reg. 2.

1. Cor. 10.

Galat. 4.

Esai. 54.
Galat. 4.

Matth. 5.

Luc. 21.

aquarum benedixisse Helisæum, ut stillantem aquam prius sanctificatio susciperet, quam sinus fontis includeret. Igitur quoniam dicit Apostolus Paulus, hæc in figura contingebant illis: videamus ego ipsa figura quam habebat veritatem, hoc est, requiramus quæ sit ista ciuitas quæ sterilitate laborabat, vel quid sibi velit vas fictile, quid etiam ut aspersi sales afferant suauitatem. Legimus in eodem Apostolo dictum esse de ecclesia: Latere sterilis quæ non parit, erumpe & exclama quæ non parturis. Ergo ecclesia est illa sterilis ciuitas quæ ante aduentum Christi aquarum vitio, hoc est sacrilegio gentilium populorum sterilitatem sustinens, Deo filios procreare non potuit: at ubi venit Christus, velut vas fictile assumens corpus humanum, sanauit aquarum vitia, hoc est, refecit sacrilegia populorum: & statim ecclesia quæ erat sterilis, cepit esse fecunda. Vnde & Apostolus dicit: Latere sterilis quæ non parit, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii deserta magis quam eius quæ habet virum. Plures enim filios ex ea ecclesia quæ erat sterilis procreauit, quæ synagoga, quæ erat fecunda, suscepit. Aspersi autem sales qui sunt qui attulerunt medicinam, facile cognoscemus. Dicit Dominus ad apostolos suos: Vos estis sal terræ. Ergo si apostoli salibus comparati sunt, rectè figura completur. Sicut tunc effusi de vasculo sales condierunt aquas, ita & nunc missi à saluatore apostoli populos condiunt vniuersos, ut ablata sterilitate vitiorum, prolem incipiant germinare virtutum.

De bellico tumultu.

Sermo LXXXVIII.

Mouet fortasse vos fratres, quod tumultus bellorum & incursiones præliorum fieri audiimus assidue: & cur nostris temporibus fiant dilectionem vestram fortasse plus moueat. Sed hæc causa est, quia quanto magis proximi sumus mundi excidio, tanto magis regno sumus proximi saluatoris. Ipse enim Dominus ait: In nouissimis diebus exurget gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum: cum autem videritis bella, & terræ motus, & famas, scitote quoniam in proximo est regnum Dei. Ergo vicinitas ista bellorum vicinum magis nobis Christum esse demonstrat. Atque ideo venientem aduersarium timere non debeo, quia per hæc signa venire potius intelligo saluatorem. Quamuis enim iste metum incutiat temporalem, ille tamen deserit sempiternum. Potens est idem Dominus ut & hostilem à nobis repellat pauorem, & suam nobis præsentiam largiatur. Per hos igitur bellorum tumultus, mundi quoddam significatur excidium. Futurum enim iudicium Dei hæc inquietudo præcedit. Est autem quoddam commonitionis indicium Dei, videre quod metuis, ut possis intelligere plus superesse quod metuas. Dum enim cauti sumus ad ea quæ cernimus, cautiorem ad illa efficiamur quæ speramus. Vir autem sapiens his actibus terrenis instruitur quemadmodum futuri seculi debeat declinare iudicium. Dum enim perspicit in hac communi perturbatione priores viros tuitiones mœnibus præparare, ipse admonetur quemadmodum in futura euerfione mundi defensionem Christianis præparet

animabus. Cernimus armari ciuitatis portas, debemus etiam prius in nobis portas armare iustitiæ. Sunt enim portæ iustitiæ, de quibus sanctus propheta dicit: Aperite mihi portas iustitiæ & reliqua. Tunc autem ciuitatis porta munita esse poterit, si prius in nobis portæ iustitiæ muniantur. Cæterum nihil prodest muros munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis. Illa enim constituitur ferro, saxi & sudibus: hæc armetur misericordia, innocentia, castitate. Illa telorum multitudine custoditur, hæc orationum frequentia defendatur. Et ad plenam tuitionem urbium portas principum solent signa præcedere. Animarum autem nostrarum portas signum saluatoris anticipet. Ergo, fratres, propter futurum mundi iudicium armis nos cœlestibus muniamur, accingamur lorica fidei, salutis galea protegamur, verbo Dei velut spiritali gladio defendamur: qui enim his armis instructus fuerit, nec præsentem perturbationem metuit, nec futurum iudicium pertimescit. Siquidem sanctus Dauid hac deuotione protectus, Goliath illum fortissimum armatum & inermis occidit, & virum bellicosum sub munitionibus vndique circumseptum sola fidei virtute prostrauerit. Cum enim sanctus Dauid non operiretur galea, non præingeretur clypeo, non læcea vteretur, occidit illum non telo ferreo, sed gladio spiritali. Quamuis enim inermis oculis hominum videretur, satis tamē erat gratia diuinitatis armatus. Verum ipse spiritalis gladius, non fuit gladius. Non enim gladio Goliath, sed lapide prostratus occubuit. Legimus in scripturis lapidis vocabulo Christum figuraliter designari, sicut ait Propheta: Lapidem quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. Igitur cum lapide Goliath percutitur, Christi virtute prosternitur. Et in qua tandem corporis parte percutitur? In fronte scilicet. Gentilis enim & sacrilegus homo ibi percutitur à Christo, ubi deerat Christus: & ibi infertur ei mortis exitium, ubi signum salutis non inuenitur. Quamuis enim esset Goliath vndique armorum protectione munitus, frons tamen eius patebat ad mortem: quia signaculum saluatoris non gestabat. Atque ideo ibi perimitur, ubi nudus à Dei gratia reperitur. Hæc autem in figura facta esse nemo est qui nesciat. Nam & Dauid armorum indumentis sese ante præcinxerat: sed cum esset in iis grauis & impeditus, ita ut ambulare vix posset, eadē sine cunctatione proiecit, significans arma illa huius mundi vana & luxuriosa esse opera, quibus qui se permiscere voluerit, tanquam grauis & gradiendi ad cœlum cursum liberum non habebit. Simul & illud nos docuit, quod non in armis tantum speranda victoria est, sed in nomine saluatoris oranda.

De dedicatione Basilicæ. Sermo LXXXIX.

Legimus in sancto euangelio, cum Centurionis cuiusdam seruus, qui erat illi preciosior, graui paralyfis egritudine laboraret, & per seniores Iudeorum ille Centurio rogaret Saluatorem ut eius doloribus mederetur (erat enim, ut ait scriptura, moriturus) inter cetera ad maiorem commendationis gratiam seniores dixisse Domino: quia dignus est ut hoc illi

907

hoc illi prestes: diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse edificauit nobis. Si ergo commendatur Domino, qui edificauit synagogam, quanto est commendatior qui edificauit ecclesiam? Et si is meretur gratiam qui impietatis receptaculum præstitit, quanto maiorem meretur gratiam qui religioni domicilium præparauit? Et si ille cœlesti misericordia visitatur qui construxit locum ubi Christus semper negatur, quanto magis visitandus est qui fabricari fecit tabernaculum ubi Christus quotidie prædicatur? In Cœturione enim Dominus non quid operis fecit, sed qua mente operatus sit, comprobauit. Nam qui tempore quo nondum Christiani erant, sollicitè synagogam fecit: si fuissent utique Christiani, intelligitur quod multo sollicitius fecisset ecclesiam: sed tamen licet synagogam edificet, Christum debere illos suscipere Saluatorem: & demonstrat propterea se tabernaculum amplius edidisse, ut multipliciter Domini gloriam loquerentur. Si enim credit in Christum, conditor synagogæ, multo magis credere debet habitator ipsius synagogæ. Centurio ergo si iustificatus est propter opus fragile vel terrenum, iustificandus planè est vir clarissimus & prouidentissimus comes noster propter opus tam perpetuum vel cœlestis: qui comes sicut est Centurione dignitate potior, ita & fide debet esse deuotior. Sapiens vir & religiosus comes, qui quantum in bello Imperatori militat, tantum & in pace militat Saluatori: & quantum festinat de hostium manibus captiuos eruere, tanto magis festinat à diaboli se sacrilegio liberare. Ibi inimicos terreni regis interficit, hic aduersarios Domini cœlestis insequitur. Ibi Barbaros vincit, hic demones. Sapiens inquam, qui sicut comes Imperatoris est, ita & comes Christi esse desiderat. Nam bene utique & religiosè agendo dignitatem suam cupit esse perpetuam, secundum quod scriptum est in propheta: Et vos o boni reges bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & poenitebit Dominum mali quod locutus est aduersus vos. Ergo cum Centurio rogaret Dominum ut de morte erueret ægrotantem, & vellet Dominus ad domum Centurionis pergere, in qua seruulus decumbebat, ait Centurio: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Excusat igitur Centurio, & ne sub tectum eius ingrediatur Dominus, indignum se dicit. Ecce dignus est comes noster, sub cuius tectum hodie Saluator ingreditur. Videamus, ipsa Centurionis excusatio quam habeat gratiam. Ait enim hodie: Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed dic tantum verbo, & sanabitur. O fides Christiana, quæ cum humilitate totum impetrare consuevit. Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit dum se profitetur indignum: & dum ædes suas iniurias putat, magis eas honorificas fecit & gratas. Magnæ enim & perfectæ fidei vir, qui intelligeret Christum cœlorum esse, dum verebatur ne hospitij sui eum angusta non acciperent. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus. Non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina: non visitat egrum Saluator, sed visitat sanitas Saluatoris. De fratribus verò nostris sanctis viris Vitaliano &

A Maiano quid dicam? Scio illos gloriam ab hominibus non querere, nisi à solo Deo, sed tamen laudem eorum etiam ego taceam, ipsa opera loquuntur. Ad ipsorum enim laudem pertinet quicquid in aliis paulo antè laudauimus. Nam hoc tabernaculum etiam plurimi construxerunt, his tamen sumptu operati sunt vno assensu. Et quo tandem sumptu, cum sint in seculo mediocres & tenues? Illo scilicet de quo ait Apostolus: Abundantia fidei, & diuitiis simplicitatis. Est enim sanctis viris semper diues ipsa paupertas. Vnde credo hos beatos hanc ecclesiam non minus orationibus quam impendiis fabricasse. Sic enim oportebat ut opus Christi precibus magis cresceret, quam cæmentis. Totam enim substantiam in huius facturam operis expenderunt, & ipsis certè nihil deest. Ipsa planè est, sicut diximus, diues locuplesque paupertas, quæ expedit omnia. Sed hæc à Deo benedicta est, sicut illa vidua de qua dicit Dominus in euangelio: Mulier hæc vidua pauper plus quàm oēs misit: nam omnes hi ex abundantia sibi miserunt in munera Dei. Hæc autè totum victum suum quæ habuit misit.

De passione beate Agnetis virginis. Sermo LXXXX.

Seruus Christi Ambrosius virginibus sacris. Dies festum sacratissimæ virginis celebremus. Hinc Psalmi resonant, inde concrepent lectiones. Hinc populorum turbæ lætentur, inde sustententur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino, & ad edificationem virginum, qualiter passa sit Agnes beatissima ad memoriam reuocemus. Tertio decimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit: quia solum vitæ dilexit authorem. Infantia quidem computabatur in annis: sed erat senectus mentis immensa. Corpore quidem iuencula, sed animo cana. Pulchra facie, sed pulchrior fide, & elegantior castitate. Dum à scholis reuertitur, à præfecti urbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisisset, & inuenisset, cepit offerre plurima, & plura promittere. Denique detulerat secum preciosissima ornamenta, quæ à beata Agnete veluti quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est ut iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo: & putans eam meliora velle accipere ornamenta, omnium lapidum preciosorum secum detulit gloriam: & per seipsum, & per amicos, & notos, & affines, cepit aures virginis appellare, diuitias, domos, possessiones, familias, atque omnes huius mundi diuitias repromittere, si consensum suum eius coniugio non negaret. Ad hæc beata Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum: Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam alio amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subaruit me, longè te nobilior & genere & dignitate. Ornauit me inestimabili dextro cherio. Dextram meam & collum meum cinxit lapidibus preciosis. Tradidit auribus meis inestimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum si ei perseuerauero, repromisit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, & illi

derelinquere cum quo sum charitate deuincta. Cuius generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegatior. A quo mihi iam thalamus collocatus est, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Iam mel & lac ex ore eius suscepi. Iam amplexibus eius castis astricta sum, iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo est, cuius pater foeminam nescit. Cui angeli seruiunt, cuius pulchritudinē sol & luna miratur, cuius odore reuiuiscunt mortui, cuius tactu fouentur infirmi, cuius opes nunquam deficiunt, cuiusque diuitiē non decrescunt. Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo. Quem cum amauro, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum. Nec deerunt nuptiis filij, vbi partus sine dolore succedit, & foecunditas quotidiana cumulat. Audiens hæc insanus iuuenis, amore carpitur cæco, & inter angustias animi anhelo cruciatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor medicis aperitur. Fiunt nota patri quæ fuerunt inuenta à medicis, & eadem paterna voce quæ fuerant iam dicta à filio, ad petitionem virginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto prioris asserit sponsi foedera violare: Cùmque pater diceret in falsibus præfecturæ se agere, & idcirco non sibi quemuis illustrissimum virum etiā posse præferri, cœpit tamen vehemētissimē inquirere quis esset sponsus de cuius se agnes potestate iactaret. Tunc extitit quidam ex parasitis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, vt dicat christum suum sponsum. Audiens hæc præfectus lætus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu suis eam tribunalibus præcipit sisti. Et primo quidem blandis eā sermonibus secretius prouocat, deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur, sed eodem vultu, eodem animo persecrat, & terrentē similiter sicut blandientem animo deridebat. Vidēs itaque Symphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes eius alloquitur. Et quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequēti nanque die agnem sibi præsentari iubet. Et iterum iterumque repetens, replicare cœpit de iuuenis amore sermonem. Cùmque omnis sermo eius casto labore deficeret, sisti eam iterum suis tribunalibus iussit. Cui & dixit: Superstitio Christianorum, de quorum te magicis artibus iactas, nisi à te fuerit segregata, non poteris insanias abiicere pectoris, neque æquissimis consiliis præbere consensum. Vnde te ad venerandam deā Vestam properare necesse est, vt si perseverantia virginitatis placet, eius die noctūque sacrificiis reuerēdis insistas. Ad hæc beata Agnes dixit: Si filium tuū, quamuis iniquo amore vexatum, tamē viuētē hominem reculaui: hominē vtique qui est rationis capax, qui & audire & videre, & palpare, & ambulare potest, & flore lucis huius cum bonis frui: si ergo hunc causa amoris Christi nulla possum ratione respicere, quomodo possum idola muta & surda, & sine sensu, & sine anima, colere, & ad iniuriam summi Dei ceruicem meam vanis lapidibus inclinare? Audiens hæc præfectus Symphronius dixit: Cupio cōsultum infantia tua, & adhuc te deos blasphemantem idcirco differo, quia annos tuos infra sensum aspicio. Noli ergo temetipsam ita despiciere, vt motus deorū incurras. Beata Agnes dixit: Noli infantia corporalē ita in me despiciere, vt putes me te vel le habere propitium. Fides enim nō in annis, sed in sensibus inuenitur. Et Deus omnipotens mētes magis comprobatur quā ætates. Deos autē tuos, quorum motus me incurrere nō vis, ipsos irasci permitte, ipsi loquantur, ipsi hoc mihi præcipiant, ipsi iubeant se coli, ipsi iubeant se adorari. Verum quoniā ad hoc video te tendere quod impetrare non poteris, quicquid tibi videtur, exerce. Symphronius præfectus dixit: Vnum tibi ē duobus elige, aut cum virginibus deæ Vestæ sacrificia, aut cum meretricibus scortaberis in contubernio lupanari. Et longē erūt à te Christiani, qui te ita magicis artibus imbuerūt, vt hanc calamitatem intrepido animo te posse perferre confidas. Vnde vt dixi, aut sacrificia deæ Vestæ ad laudem generis tui, aut ad ignominiam natalium tuorum, eris publica abiectionis scortum. Tūc beata Agnes cum ingenti cōstantia dixit: Si scires quis est Deus meus, non ista ex ore tuo proferres. Vnde ego quia noui virtutem Domini mei Iesu Christi, secura contemno minas tuas, credens quōd neque sacrificem idolis tuis, neque polluar fordibus alienis. Mecum enim habeo custodem corporis mei angelum Domini. Nam vnigenitus Dei filius quem ignoras, murus est mihi impenetrabilis, & custos mihi est nunquam dormiens, & defensor mihi est nunquam deficiens. Dij autem tui aut ærei sunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vsus hominum: aut lapidei, ex quibus sternuntur plateæ. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat, sed in cœlis. Non in ære aut aliquo metallo, sed in regno superno consistit. Tu autem & similes tui nisi ab istorū cultu recesseritis, simul vos pœnæ concludent. Sicut enim illi igne cōflati sunt vt funderentur, sic colentes eos perpetuo incendio conflagrantur: non vt fundantur, sed vt confundantur in æternum, & pereant. Ad hæc insanus iudex iussit eam expoliari, & nudam ad lupanar duci, sub voce præconis dicentis Agnem sacrilegam virginem, diis blasphemiam inferentem, scortum lupanaribus datam. Statim autē vt expoliata est, crine resoluta tantam densitatē capillis eius diuina gratia concessit, vt melius videretur fimbriis eorū, quā vestibibus tecta. Ingressa autē turpitudinis locum, angelum Domini ita præparatum inuenit, vt circumdaret eam immenso lumine, ita vt nullus posset eam præ splendore respicere. Fulgebat enim tota cellula illa quasi radiās sol in virtute sua: & quanto quis curiosior oculis esse voluisset, tanto sibi visus acie obtundebat. Cūque se in orationē Domino prostrauisset, apparuit ante oculos eius stola candidissima, & apprehendens eam induit se, & dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui me in numero ancillarū tuarū cōputans, vestē hanc mihi largiri præcepisti. Ita namque ad mensurā corpusculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio cādore conspicuū, vt nullus dubitaret hoc angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis, in quo omnis qui fuisset ingressus, adoraret

adoraret & veneraretur, dans honorem immenso lumini, & mundior egredereetur foras, quā fuerat intus ingressus. Cūque hæc agerentur, præfecti filius qui author erat huius sceleris, venit ad locū cum sodalibus suis iuueniculis insultaturus puellā, cū quibus libidinis suæ se posse credebatur ludibrium exercere. Et ingressos ante se furentes pueros & turpiter sæuientes, cum omni veneratione & ingenti admiratione egressos cœpit impotentes arguere, atque vanos & molles ac miseros iudicare. Et irridens locum in quo virgo orabat, audacter ingressus est. Et vidēs tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo, sed irruēs in ipsum lumen, priusquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem suam, & præfocatus à diabolo expirauit. Videntes autem socij eius quod moras intus faceret, putabant obscœnis cum operibus occupari. Et ingressus est vnus ex iuuenibus qui ei familiarior erat, vt congratularetur insultationi eius, & mortuum eum inueniēs, exclamauit voce magna, dicens: Piissimi Romani succurrite, magicis artibus ista meretrix præfecti filium interfecit. Fit repente concursus populorum ad theatrum, & varia furentis populi acclamatio. Alij dicebant magam, alij innocentem, alij sacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium suum interisse, cum ingēti tumultu venit ad theatrum. Et ingressus locum in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingēti clamore dicebat: Crudelissima omnium foeminarum, ad filium meū voluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare? Et cum talia atque alia huiusmodi verba repeteret, & causas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatissima Agnes: Ille cuius voluntatem volebat perficere, ipse in eum potestatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingressi sunt, sani sunt? Quia vniuersi dederunt honorem Deo, qui misit angelum suum, & induit me hoc indumento misericordiæ, & custodiuit corpus meum, quod ab ipsis cunabulis Christo cōsecratum est, & oblatum. Videntes ergo splendorem angelicum adorabant omnes, & abscedebant illæsi. Hic autem impudens statim vt ingressus est, sæuire cœpit & fremere. Cūque manum suam ad me cōtingendum aptaret, dedit eum angelus Domini in reprobam quam cōspicis mortem. Dicit ei præfectus: In hoc apparebit quia non magicis artibus ista exististi, si deprecata fueris ipsum angelum vt restituat mihi filium meum sanū. Cui beata Agnes dixit: Licet fides vestra hoc impetrare nō mereatur à Domino, tamen quia tempus est vt virtus Domini mei Iesu Christi manifestetur, egredimini omnes, vt solitā ei orationem offeram. Cūque vniuersi fuissent egressi, prosternēs se in faciem planam, rogare cœpit Dominum vt iuuenem suscitaret. Orante autem illa apparuit angelus Domini, qui eleuauit eam flentem, & confortans animum eius, iuuenem suscitauit. Qui egressus foras cœpit voce publica clamare & dicere: Vnus Deus in cœlo, & in terra, & in mari, qui est Deus Christianorum. Nam omnia tēpla vana sunt. Dij qui coluntur, omnes vana sunt, & penitus nec sibi possunt nec aliis aliquod auxilium exhibere. Ad hanc vocem omnes aruspices, & templorum pontifices conturbabantur, & fit per eos vehementior quā fuerat seditio populorum, atque omnes vna voce clamabāt: Tolle magam, tolle maleficam, quæ & mentes mutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit. Sed veritus proscriptionem si contra templorum pontifices ageret, & Agnem contra suam sententiam defenseret, vicarium ad seditionem populi iudicem dereliquit: ipse autem tristis abscessit, quōd eam non potuit post resurrectionem filij sui liberare. Tunc vicarius Aspasius nomine, iussit in conspectu omnium ignem copiosum accendi, & in medium eam præcepit iactari flammaram. Quod cū fuisset impletum, statim in duas partes diuisæ sunt flammæ, & hinc atque illinc seditiosos populos exurebāt, ipsam autem penitus in nullo contingebat incendium. Eo magis non hoc virtutibus diuinis, sed maleficiis reputātes, dabant fremitus inter se populi, & infinitos clamores ad cœlos. Tunc beata Agnes expandens manus suas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum. Omnipotens, adorande, colende, tremende pater Domini nostri Iesu Christi benedico te, quia per filium tuum vnigenitū euasisti manus hominum impiorum, & spurcitiis diaboli impolluto calle transiui. Ecce & nunc rore cœlesti perfusus per Spiritum sanctum focus iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos à quibus in me ministratur, effunditur. Benedico te pater prædicāde, qui etiam inter flammam intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce iam quod credidi video: quod speraui, iam teneo: quod concupiui, complector. Te confiteor labijs & corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio viuū & verum Deū, qui cum Domino nostro Iesu Christo filio tuo, & cū Spiritu sancto viuis & regnas in cuncta secula seculorum, amen. Cūque cōpleisset orationem, ita omnis ignis extinctus est, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aspasius vrbs Romæ vicarius, populi seditionem non ferens, in guttur eius gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu, roseo sui sanguinis rubore perfusam Christus sibi sponsam & martyrem consecrauit. Parentes verò eius nullam penitus tristitiam habentes, cum omni gaudio abstulerūt corpus eius, & posuerunt illud in prædiolo suo, non longē ab vrbe, in via quæ dicitur Numentana. Vbi cū omnis turba Christianorum concurreret, insidias à Paganis perpeffi sunt: & videntes populum infidelium super se venientem armatum, omnes fugerunt. Aliquantum tamen lapidum ictibus læsi euaserunt. Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea eius, virgo sanctissima, licet catechumena, constanter intrepida stabat immobilis, & his verbis exprobrabat eis: Superflui, miseri, caduci, atque atrocissimi, Deum omnipotentem colētem occidistis, & percussione lapidum homines innocentes iugulastis. Hæc & his similia dum turbis furentibus diceret, lapidata est ab eis, & orans iuxta sepulchrum Agnes beatissimæ emisit spiritum. Non dubium est quōd in suo sanguine sit baptizata, quæ pro defensione iustitiæ dum confiteretur Dominum, mortem constanter excepit. Eadem denique hora fit terræ motus vehemētissimus, & cū nimia esset cœli serenitas, tātæ coruscationes, tantæque fulgura & tonitrua extiterunt, vt pars maxima insani populi expiraret. Vnde factum est vt nullus penitus ex eo aduenientibus

ad sepulchra sanctorum aliquas molestias excitaret: **G**in vestra imitatione fructum in conspectu Domini venientes autem parentes beatae Agnes cum sacerdotibus nocte, abstulerunt corpus sanctae Emerentianae virginis, & sepelierunt illud in confinio agelli beatissimae virginis Agnes. Igitur dum pariter beatae Agnes assiduis pernoctationibus vigilarēt ad tumulum eius, vident in medio noctis silentio exercitum virginum, quae omnes auro textis cycladibus indutae, cum ingenti lumine praeteribant. Inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Haec itaque dum viderent parentes eius, & qui simul erāt, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum figere. Et stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in caelis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. Et his dictis pertransiit. Haec visio publicè ab omnibus qui viderant quotidie vulgabatur. Vnde factum est ut post aliquantos annos ad Constantiam Constantini filiam hoc factum ab his qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina virgo prudentissima, sed ita obfessa vulneribus, ut à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandae salutis venit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur. Et vidit per visum beatissimam Agnem talia sibi monita praefertem: **C**onstanter age Constantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse Salvatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum quae in corpore tuo pateris sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, & sic sana, ut nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo Augusto, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota: fit laetitia militantibus atque priuatis, & vniuersis audientibus haec. Infidelitas gentium confundebatur, & fides dominica laetabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat ut basilica beatae Agnes construeretur, & sibi illic mausoleum collocari praecipit. Currit haec opinio ad omnes, & quotquot credentes ad eius tumulum aduenissent, sanabantur quacunque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsque in hodiernum diem. Perseueravit autem Constantia Augusti filia in virginitate, per quam multae virgines & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vsque in hodiernum diem multae virgines Romanae Agnem beatissimam quasi in corpore manentem attendunt, & eius exemplo agentes viriliter, integre perseuerant, credentes sine dubio quod perseuerantes perpetuam victoriae palmam acquirant. Haec ego Ambrosius seruus Christi dum in voluminibus diuinis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tantae martyris, sicut gesta eius agnouimus, conscripsi, & ad aedificationem vestram, o virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem Spiritus sancti, ut labor noster

in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat inuenire. Amen.

De inuentione corporum sanctorum Geruasii & Prothasii.
Sermo xci.

Hesternum tractavi versiculum, Dies diei cruciatum verbum prout nostri tulit captus ingenij: hodie mihi non solum superiore tempore, sed praesenti quoque prophetasse videtur scriptura diuina. Nam cum diebus ac noctibus continuatam videam sanctitatis vestrae celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declarare hesternum atque hodiernum, de quibus opportunissime dicitur: Dies diei cruciatum verbum, & istas noctes de quibus aptissime disputatur, quia nox nocti indicat scientiam. Quid enim aliud hoc biduo nisi verbum Dei intimo eructastis affectu, & scientiam vos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati vestrae, qui solent, inuident. Et quia celebritatem vestram inuidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atque amentiae in tantum prodeunt, ut negent martyrum merita, quorum opera etiam demones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio. Dicebat enim diabolus: Iesu fili Dei viui, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cum haec audirent Iudaei, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et nunc audistis clamantes demones & confitentes martyribus quod poenas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis ut ante tempus nos tam grauius torqueatis? Et Arriani dicunt. Non sunt isti martyres, nec torquere diabolus possunt, nec aliquem liberare, cum tormenta demonum ipsorum voce probentur, & beneficia martyrum remediis caecorum, & absolutorum indiciis declarentur. Negant eorum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video, qui non videbam. Ille dicit: Caecus esse desui, & probat facto. Isti beneficium negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis, Seuerus nomine, Iulianus ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines quorum ante sustentabatur obsequiis. Eos indices suae visitationis accersit, quos habebat testes, & arbitros caecitatis. Clamat, quia ut contigit simbriam de veste martyrum, qua sacrae reliquiae vestuntur, redditum sibi lumen sit. Nonne simile illud est, atque illud quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus authoris: nec interest vtrum opus sit, an munus, cum & muneretur in opere, & operetur in munere. Quod enim aliis faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudaeos cum viderent in illo caeco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium, Interrogabant, Quomodo videt filius vester? cum ille diceret, Caecus cum essem, modo video. Hoc & iste dicit: Caecus fui, & modo video. Interrogate alios si mihi non creditis, interrogate extraneos, ne astipulari mihi parentes puteris. Detestabilior istorum quam Iudaeorum pertinacia. Illi cum dubitarent, vel parentes interrogabant. Isti occulte interrogant, palam

palam negant, iam non operi increduli, sed auctori. **A** Sed quare qui non credant, vtrum a martyribus possint aliqui visitari, hoc est, Christo non credere. Ipse enim dixit: Et maiora his facietis: an ab istis martyribus, quorum merita iam dudum vigent, corpora dudum reperta sunt. Quare hic, vtrum mihi, an sanctis martyribus inuideant? Si mihi, nunquid a me aliqua virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident quod meum non est? Si martyribus (restat enim ut si mihi non inuident, martyribus inuidere videantur) ostendunt alterius fidei fuisse martyres quam ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent, nisi fide in his fuisse eam quam isti non habent, iudicarent. Fidem illam maiorum traditione firmatam, quam demones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant. Audiuius hodie dicentes eos quibus manus imponebatur, neminem posse esse saluum qui Patrem & Filium & Spiritum sanctum negaret, qui Trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confiteatur hoc diabolus, sed Arriani nolunt fateri. Dicit enim diabolus, sic torqueatur quemadmodum ipse a martyribus torquebatur qui Spiritus sancti deitatem negarit. Non accipio a diabolo testimonium, sed confessionem. Inuitus dixit diabolus, sed exactus & tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nesciunt Arriani. Quanta perpessi sunt, & quemadmodum Pharaon, malis suis indurantur. Dicebat diabolus, ut scriptum legimus, Scio te quis sis. Tu es filius Dei viui. Dicebant Iudaei: Nescimus quis sis. Dicebant hodie, & superiore die vel nocte demones: Scimus quia martyres estis. Et Arriani dicunt: Nescimus: nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt demones martyribus: Venistis perdere nos? Arriani dicunt, Non sunt demonum vera tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo vnquam fingere potuit ut demonia cum se esse simularet. Quid illud quod ita exagitari eos videmus quibus manus imponitur? Vbi hic locus fraudi est? Vbi suspicio simulandi? Sed non ego ad suffragium martyrum vsurpo vocem demoniorum. Beneficiis sacra passio suis comprobetur. Habet iudices, sed purgatos: habet testes, sed absolutos. Melior vox est quam sanitas loquitur eorum qui debiles aduenerunt. Melior vox est quam sanguis emit. Habet enim sanguis vocem canoram, quae de terris ad caelum peruenit. Legistis dicente Domino: Sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat coloris indicio: Sanguis clamat operationis praconio: Sanguis clamat passionis triumpho. Satisfactum est petitioni vestrae, ut condendas hesternum in hodiernum diem differemus reliquias.

De baptisimo sancti Augustini. Sermo xcii.

Quod his diebus contigit, fratres humanissimi, vidistis, quibus Domini nostri Iesu Christi summam potestatem & clementiam intelligere potuimus, memoriaeque mandare debemus, quod in nulla re magis Christianis gratulari possumus quam quod hoc tempore, & aetate nostra mirandum oculis nostris vidimus. Diuinae clementiae innumeras

gratias agere debemus, quod Augustinus Afer Carthaginensis, philosophus acutissimus, contempto gentilium cultu, ad veram Christianam religionem diuino nutu tandem peruenit. Hoc resurrectionis tempus duplici laetitia celebrandum est, Christi scilicet victoria potito ac deleto inferorum imperio, & Augustini conuersione, quae Christianis plurimum confert. Quis expugnauit animum? quis superauit? Non argumenta, non vis aliqua verborum, sed Dei dumtaxat virtus & clementia. Nonne rhetor hic habebatur praestantissimus? Nonne eius doctrina accinctus Mediolanum venit, vbi a cunctis ciuibus honorifice susceptus est? Ad quid tanta liberalium disciplinarum eruditio, tantum philosophiae acumen? Ad quid illud acre ingenium, illa dialectica, caeteraque artes sine praepatore adeptae? Ad hoc ut diuina potentia magis cluceat mortalibus. Quo Aristotelica institutio, in disputando simulationes, difficultates tendebat, versutiae, contentiones & astutiae, quibus maxime erat instructus, argumentaque contra sacrarum literarum scripturas cum vna essemus adducta, in quibus diuinum quandoque implorabamus auxilium? Quo tanta in dicendo hominis gratia, tanta in dicendo copia atque facundia, ut non temere eius dicta dissolui potuissent? Ad hoc ut fides Christi stabiliretur. Saepius me cum tentasse intelligitis, quo inter diffinitiones nostras virtus diuina operaretur. Optabam mirum in modum hominem tantae doctrinae illuminari, a quo summa gloria & splendor, ut in merito Christianae fidei oriri posset. Verum etiam Augustinus tanta interdum pertinacia, & disputationis suae acrimonia ac vehementia nos urgebat, ut inter supplicationes nostras quod Deus ab eius captionibus nos auerteret, rogare coacti simus. Matris eius Monicae precibus & lachrymis penes continuis, nostrisque orationibus aliquantisper adherere coepit, & praedicationibus nostris aliquando interesse cupiebat, in quibus fidei nostrae sinceritate omnibus disciplinis, & omnium artium argumentis antecedere ostendebamus. Diuino tandem auxilio, Christi veram religionem amplexus est, vnde humanum genus, & Christi fideles merito iubilare possunt. Veruntamen Simpliciano nostro probatae sanctitatis viro non minores gratiae agenda sunt, a quo Augustinus de religione beata, felicitateque vita instructus est. A quo idem multa de Christi fide tum exempla, tum miracula accepit, quibus si qua haereticis rubigo esset, penitus animus absterfit, quibus a se omnibus dubitationis timor procul propulsatus est. Quatis fratres charissimi lachrymis erroris confessus est suum? quanto luctu conuersionis diuturnitate conquestus est? quibus verbis & quo dolore seram poenitentiam dānauit? dimidia enim ferme vitae suae partem inter gentilium mores ac vanas disciplinas, mundanosque errores consumpsit. Iubilare de tanta victoria, in qua Augustinus tanquam dux cum commilitonibus suis Adeodato, & Alypio socio captiui nostri sunt. Haec quidem captiuitas Augustinum beatum faciet, regnum Dei parabit. Triumphare tamen visus est Augustinus illa praesertim hora in qua nouum hominem sacro baptisinate induimus, in quo vna nobiscum diuino quodam instinctu hymnum cantauimus de Christi fide. Et ut vberius instrueretur,

& à cæteris gentiliū opinionibus & erroribus remoueretur, totum cognitioni animum intendit. Nouū in Christi fide militem habemus, acerrimum contra gentiles hostem, contra hæreticos inuictissimum imperatorem. Nouum Christianum nouis vestimentis cuculla nigra induimus, cingulo excorio nos ipsi præcinximus, quod Simplicianus noster ingenti lætitia donauit. Agamus gratias Domino Iesu Christo ingentes, qui religioni nostræ talem ac tantum principem instituit. Gaudeamus omnes in Domino, qui omnia virtute sua continet, & incomprehensibili maiestate vniuersa complectitur. Gaudeat angeli Augustini tam celebri conuersione. Gaudeat cælum & vniuersa terra, benedicant omnes Dominum, quia ad conferendum hominibus subsidium creauit & illuminauit Augustinum, à quo tanquam religionis exordio Christiani auxilium caperent, & suffragium. A quo denique religionis constitutiones oriri poterunt. Hanc Augustini conuersionem in futurum homines diuinis prosequantur honoribus. Amen.

In natali sanctorum martyrum Nazarij & Celsi.
Sermo XCIII.

Etiam si martyribus regionis extraneæ pia vortorum debita redderemus, propriis consulere vtilitatibus & commodis probaremur. Nostros enim eos fides faceret, & remotis quamlibet finibus sperata nobis patrocinia conrogarent. Studiorum siquidem sunt huiusmodi suffragia non locorum. Proinde apud domesticos Dei tantum intercessionis promerueris, quantum venerationis impèderis. Oportet itaque vt alienos potius nobis deuotio religiosa cõciliet, quàm fortè proprios à nobis negligentia inreligiosi teporis alienet. Agnoscamus charissimi circa Ecclesiam nostram vberiore diuinorum munerum largitatem. Exultant felices singulorum vrbium populi, si vnus saltem martyris reliquiis muniantur. Ecce nos populos martyrum possidemus. Gaudeat terra nostra nutrix cœlestium militum, & tantorum parēs fœcunda virtutum. Rectè itaque & ex debito à filiis parentis Ecclesiæ horum beatorum martyrum celebrantur insignia. Qui inluminantes virtute fidei suæ innumerabiles populos soli quidem inlatam sibi sentire mortem, sed non solum mortis suæ beneficia possederunt. Immensa enim Dei nostri pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad salutem, proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore preciosam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis prospicit. Illorum siquidem merita nostra vult esse suffragia. Simulque dū nobis fidem veram duro martyrij agone commendat, afflictionē præcedentium, instructionem efficit posterorum. Quata est circa nos Dei nostri sollicitudo? Illos examinat, vt nos erudiat. Illos conterit, vt nos adquirat: eorumque cruciatus nostros vult esse profectus. Merito ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris vtilitatibus militant, qui per lucis vitæque contemptum edocent nos quatum Deo nostro debeamus affectum. Nouerimus itaque quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus.

Magni periculi res est, si post prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post martyrum vulnera, veterem fidē quasi nouellam discutere præsumas, & post tam manifestos duces in errore permanas, & post morientium sudores, ociosa disputatione cõtendas. Cõgratulamur ergo dilectissimi fratres magnæ fidei vestræ, per quam dum exules proflua charitate suscipitis, etiam incolas paradisi & cœli ciues habere meruistis. Beatum itaque Nazarium martyrem Christi sancta Mediolanensis Ecclesia licet totum corpore secum retineat, & mundo tamen totum in benedictione transmisit. Hæc est enim sanctorum martyrum gloria, quorum & si per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo. Veneramur ergo in tanto Christi milite fidem nostram: mater namque martyrij fides catholica est, in qua iste illustris athleta sanguine fuso mortem pro ipsa calcauit: mater, inquam, martyrij fides est. Veneremur ergo in sanctorum martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis euidèter asseritur. Nunquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorē perfectā definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum. Vnde & beatus Nazarius cuius hodie gloriosam de mundi hoste victoriam vniuersalis Ecclesia festa exultatione concelebrat. Cū tempore gentilitatis non ignobilibus parentibus oriundus existeret, sacrilegi adhuc puer genitoris militiam simul & doctrinā detestari ex improviso cœpit: atque ab innocente matre, quæ iam Christianæ fidei titulis insignita, Christo sedulè insistebat, sacrosanctæ regenerationis fluente fidelis iam spiritu ac fide instituta præueniens demonstrari sibi flagitabat. Nondum siquidem baptismum consecutus, sed inter religionis principia consummatus: & nondum manifestatis sibi legibus, Deo plenus, repete possessio atque habitaculum Dei factus est: atque ita peruenturæ vsque ad cœlos turris prius meruit eleuare fastigium, quàm disponderet fundamentum. Nōdum sacramentorum conscius, & in sacrificium iam præelectus. Quid ad hæc nos infelices respondere poterimus? Qui post nitorem baptismi, post conlatū nobis sacra regeneratione candorem, post adquisitionem indumētī nuptialis angelicam dignitatem in peccatorum cœnum relapsi, & in antiqua criminum volutabra reuoluti, niueum vestimētum tetrīs iniquitatū ac libidinum contagiis sordidamus? Et holosericam, in qua sigillū diuinæ imaginis acceperamus impressum, maculis mortiferæ corruptionis infecimus. Et post singularem Dei nostri indulgentiam innouata scēdamus, integra rescindimus, expiata violamus, repetentes opera non iam vndis purganda, sed flammis. Quid illud, quàmque insigne diuinæ gratiæ munus, quod accepto iam salutari lauacro, post innumera virtutum signa post peragratas circumquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones, cū pro Dei summi confessione diuersa per supplicia aduersus eum totus penè orbis baccharetur, &

& nunc atrocissimis artaretur pœnis cruciandus, A nunc in longinquis finibus transferebatur exulandus, ita robustissimo Christi athleta pectore tormenta omnia deuincebat, vt strenuum de prostrato reportaret hoste trophæum, interque cruenta Cæsaris iussa vasti maris gurgitibus deiectus, ambulare ei diuina super aquas concessum est prouidentia, & rerum obstupescente natura, per insueti itineris nouas vias pendulum inferēs gressum tumentia maris dorsa calcauit. Videres æquoreas sanctis substerni meritis vndas, supraque angelicis confortatum alloquitis in Christi Iesu laudibus exultare. Ecce prophanus hostis nunquam beato martyri tantum prodesset obsequio, quantum profuit odio. Sed tandem perfecto agonis certamine, cum Celso puerulo, quem ipse in holocaustum Deo polluto adsumpserat ex seculo, crudeli imperio damnatione absoluitur, gladio consecratur. Felix hic tali exitu quo omne delictum ita ab eo exiit, vt etiam redire non possit: quo sic debita sua soluit, ne vltra creditorem timeret: quo in se hostium peccata fide clausit, fide damnauit: per quem innocentiam deuotione quæsiuit, perseverantia inuenit, morte seruauit. Quæ cū ita sint charissimi, licet hic tantus Christi testis preciosus confessione, preciosior sanguine, crudeli vulnere preciosior, & tinctā veste candidior, licet hic Mediolanensium peculiaris putetur priuilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragij. Neque enim istius vrbis charitas proflua & fides auara, tantum huic martyri derogauerit dum sibi arrogat, vt solum erga mœnia sua, patrocinij illius beneficia affutura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Inuocasti vbique martyrem, vbique te exaudit ille qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua, & dispensat mœnia sua, intantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocati, in quantum fuerit fides deuota suscepti. Oratio enim quæ castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradysum, euolat vsque ad ipsum summæ maiestatis angelo cõferente conspectum. Sicut quodam loco vox testatur angelica: Et cum tu, inquit, orares, ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis Dei. Beata anima, charissimi, cuius votum, cuius compunctionis incensum, cuius supplicationis holocaustum, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebre fœtore pollutum, nulla sæuitia cruentum, nulla odij simultate maculatum, sed fide igneū, conscientia nitidum, sinceritate cordis odoriferum, concordia & charitate perfectum, vsque ad Dei vultum per cœlestium nunciorum defertur obsequia. Quæ cum ita sint, honoremus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, co-

heredes Dei. Quod si dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta, de qua nulla iam Deo cura est? Et vbi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per prophetam? Preciosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et iterum, Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro viuientis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confessionem Domini sacros cineres. Honoro in cineribus femina æternitatis. Honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles quod reuerentur & dæmones? quod & adflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

Vnde supra.

Audistis charissimi fratres ex lectione sancti Euāgelij, quod Dominus beatum Philippum Apostolum ad sequendum se vocauerit. Ille autem statim Nathanahalem reperit: vt secum ad Dominum veniret, hortatus est: quod factum hodiernæ festiuitati aptissime conuenit, quia sicut Apostolus Philippus Nathanahalem vocauit, ita beatus martyr Nazarius Celsum puerum perduxit ad Dominum. Nam & illi aptissime consonat. Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Solent enim pueri sine dolo & insidiis esse. Vnde alio loco Dominus dicit, nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Oportet igitur nos imitari quod hodierna festiuitate colimus, vt quicumque gratia Dei ad Christum vocatus fuerit, alios secum pertrahat & inuitet, atque dilectionem proximis suis exhibeat sine dolo, id est sine fraude. Dolus enim est, si quis proximo loquitur in ore, & iram seruat in corde. Quod quicumque fecerit, verus Israëlita esse non poterit, quia Dominum cernere non merebitur. Nam scriptum est, Beati pacifici, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Interroget vnusquisque conscientiam suam: & si à proximo suo verbum læsionis aut aliam quamlibet suscepit calumniam, pro Dei amore dimittat, & cum sancto Nathanahale dignus sit videre cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis. Quod ipse præstare dignetur.

F I N I S.

Index Epistolarum Diui Ambrosij Mediolanensis episcopi.

EPISTOLÆ LIBRI PRIMI.

Ambrosius Iusto, exponens quid significet illud didrachmum, cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Epistola I.

Ambrosius Simpliciano, explanans quid sibi velit quod Moyses post oblatum sacrificium, et immolatas Domino salutare hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare fuderit. Epist. II.

Ambrosius Simpliciano, causam reddens cur Moyses propheta maximus inueniatur, magis Aaron fratris consilium quàm suum probasse. Cur etiam tam difficile tamque rarum sit penitentiam peccati gerere in hac vita homini. Epist. III.

Ambrosius Irenæo, declarans quomodo intelligendum sit quod in Exodo legitur: Abominanda apud Aegyptios immolemus Deo? Qualibus præterea ductoribus, et qua via ad Ecclesiam Christi perueniatur. Qui illam ingrediantur, et quid eis in ipsa sit agendum. Epist. IIII.

Ambrosius Felici Comensi episcopo, asserens se et lectione sermonis illius, et spe futuri aduentus recollatum, simulque ut venire non negligat adhortans. Epist. V.

Ambrosius Irenæo, Pythagoricum mandatum commemorans, quo ille discipulos suos communem atque usitatam populo viam ingredi prohibuit, et ut idem à sacerdotibus obseruetur, multiplici ratione persuadens. Epist. VI.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, EPISTOLARVM, LIBER PRIMVS.

Diui Ambrosii ad Iustum, exponens quid significet illud didrachmum cuius dimidium Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Epistola I.



Ambrosius Iusto: Pulchrè admones frater vt epistolares fabulas, & sermonem absentium ad interpretationem conferamus oraculi cœlestis, interrogas me quid significet illud didrachmum cuius dimidiū Hebræus præcipitur offerre pro redemptione animæ suæ. Quid enim tam cōsociabile, quàm de diuinis rebus sermonem cōtexere. Est autem dimidium didrachmi, drachma. Redemptio autem animæ fides. Fides ergo drachma, quam illa mulier in Euangelio, vt legimus, amissam diligenter requirit, lucernam accendens, & mundans domum suam, & si inuenerit, conuocat amicas & vicinas, petens congratulari eas secum, quod inuenerit drachmam quam perdiderat. Magnum enim damnum animæ si quis fidem amiserit, vel gratiā, quam fidei precio acquisiuit sibi. Et tu ergo accède lucernam tuam. Lucerna tua oculus tuus est, ille interior oculus scilicet mentis. Istam lucernam accende, quæ accipit oleum spiritale, & lucet in tota domo sua. Querit drachmam, redēptionem animæ tuæ: quam qui amiserit, turbatur: qui inuenerit, exultat. Est & redemptio animæ misericordia. Redemptio enim animæ hominis, diuitiæ eius sunt, quibus vtique fit

misericordia, quæ sumptu pauperes iuuat. Fides igitur gratia, gratia misericordia, misericordia redēptio est animæ, quæ drachma, hoc est integro precio summe plenioris expenditur. Sic enim scriptum est, dicente Domino ad Moysen: Quod si acceperis computationem filiorum Israël in visitatione ipsorum, & dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino, & non erit in his ruina in visitatione eorū. Et hoc est quod dabunt quotquot perambulant visitationem, didrachmi dimidiam partem, quod est secundum didrachmum sanctum. Viginti oboli dimidiam drachmum. Dimidia autem pars didrachmi illatio Domino. Omnis qui intrauerit visitare à viginti annis & supra, dabunt illationem Domino. Qui diues est, non adiiciet: & qui pauper est, non minorabitur à dimidia parte didrachmi, cum cœperint dare oblationem Domino, & exorare pro animabus suis. Et accipies pecuniam illationis à filiis Israël, & dabis illam in opus tabernaculi testimonij, & erit filiis Israël legitimum memoriale in conspectu Domini, & orare pro animabus vestris. Ita ergo deerat vel diues qui plus offerret, vel pauper qui minus haberet, si in pecunia dimidiū didrachmū istud non in virtute esset. Vnde aduertendū quod nō materialis ista, sed intelligibilis drachma sit, quæ ex æquo ab omnibus cōferēda existimabatur. Deniq; etiā de illa cœlesti esca (Esca autē & delectatio alimēti cœlestis sapiētia est, qua vescēbatur in paradiso locati, qui erat indeficiēs animæ cibus, quem vocauit manna diuinus sermo) ita legimus distributionem factam per singulas animas,

ibidem 16.

Ecdes. 7.

1. Cor. 12.

Exod. 10.

Matth. 10. 2. Tim. 2.

Matth. 20.

1. Tim. 4.

Matth. 17.

animas, vt æqualis fieret diuisio. Et collegerunt secundum dispositionem Moyfi, is qui plurimum, & qui minimum, & mensuram fecerunt Gomor, & nō abundauit, & superfuit ei qui multum: & ei qui minus, non defuit. Vnusquisque enim pro numero animarum qui apud se erat in tabernaculis, collegerunt per singula capita Gomor, id est, mensuram vini, sicut habet interpretatio. Est autem mensura sapientiæ: quæ si supra mensuram sit, nocet, quia scriptum est: Noli esse multum sapiens. Et Paulus docuit secundum mensuram dari diuisionem gratiarū, cum dicit: Quia vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alij sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ secundum eūdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitarū in vno spiritu, & diuidi eam gratiā secundum voluntatē spiritus. Quod diuidit, æquitatis est: quod autem secundum voluntatem suam diuidit, potestatis. Vel quia id velit vnicuique conferre quod profuturum nouerit. Gomor ergo mensura est, & mensura vini, quod lætificat cor hominis. Quid autem nisi sapientiæ potus, iucunditas cordis est? Hoc est illud vinum quod miscuit in cratere sapientia, & offert bibendum, vt sumamus nobis sobrietatem & prudentiam, quod ea æqualitate transfundi oportet sensibus & cogitationibus nostris, & omnibus motibus, qui intra hanc nostram sunt domum, vt sciamus posse abundare omnibus, deficere nulli. Plenius autem de sanguine Christi intelligitur, cuius ad gratiam nihil minuitur, nihil adaugetur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadē perfecta est omnibus mensura redemptionis. Pascha quoque Domini, hoc est, agnum ita patres epulari iubentur, vt secundum numerum animarum epulentur suarum, neque plures, neque pauciores, neque aliis plus dari, aliis minus, sed secundum animas singulorum: ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis diuiditur, redemptio diuiditur, donum diuiditur. Neque plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redemptionis recedat. Plures sunt quando aliqui extra numerum sunt, sancti numerati sunt omnes, & capilli eorum. Cognouit enim Dominus qui sunt ipsius. Neque pauciores, ne magnitudine gratiæ sit ad recipiendum infirmior. Et ideo omnes æqualitatem deuotionis & fidei deferre præcepit ad Pascha Domini, id est ad transitum. Pascha autem est quando anima irrationabilē deponit passionem, sumit autem bonam compassionem, vt cōpatiatur Christo, & transitum eius in se suscipiat, vt inhabitet in ea, & deambulet, & fiat eius Deus. Gratia itaque æqualis per omnes, virtus autem diuersa in singulis. Vnusquisque ergo portionem competentem suis viribus sumat, ne aut fortior indigeat, aut oneretur infirmior. Habes hoc in Euangelio, quia merces æqualis omnibus soluitur in vinea laborantibus, sed pauci ad brauium, pauci ad coronā peruēniunt, pauci dicunt: Reposita est mihi corona iustitiæ. Alia est enim merces liberalitatis & gratiæ, aliud virtutis stipendium, laboris remuneratio. Ergo didrachmum redemptio est, imò dimidium didrachmi. Redimit autem nos à morte, redimit à seruitute, ne subiecti simus mundo, cui renunciamus. Vnde Dominus in Euangelio dicit ad Petrum, vt

vadat ad mare, & mittat hamum, in ore piscis inuentum staterem sumat, & det pro Domino & pro se, exigentibus didrachma. Hoc est igitur didrachma quod exigebatur secundum legem, sed non debebat illud filius regis, sed alienus. Quid enim se Christus redimeret ab hoc mundo, qui venerat vt tollet peccatum mundi? Quid se à peccato redimeret, qui descenderat vt omnibus peccatum dimitteret? Quid se redimeret à seruitute, qui se exinanauerat, vt vniuersis libertatem daret? Quid se redimeret à morte, qui carnem susceperat, vt morte sua omnibus resurrectionem acquireret? Non vtique opus habuit redemptionem redemptor vniuersorum, sed sicut circumcissionem accepit vt legem impleret, & ad baptismum venit vt impleret iustitiam, ita etiam didrachma exigentibus solutionem nō recusauit, statim staterem pro didrachma iussit pro se & Petro dari. Maluit enim supra legē soluere, quàm id quod erat legis negare. Ostendit autem contra legem Iudæos facere, qui ab vno didrachmum exigent, cum dimidiū didrachmi exigendum Moyses præscripserit. Et ideo & pro se & pro Petro tanquā singulas drachmas in statere solui mandauit. Bonus autem census Christi, qui statere soluitur, quia statera iustitia est, iustitia autem supra legem. Denique finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti. Hic stater in ore piscis inuenitur, illius piscis quem capiunt piscatores hominum, illius piscis qui ponderat sermones suos, vt igne examinatos proferat. Hunc staterem nescierunt Iudæi, quem proditori dederunt. Lex autem dimidium didrachmi pro redemptione animæ exigit, quam drachmā Deo deputat, quia totum didrachmum vindicare non poterat. Vix enim in Iudæo vel portio deuotionis poterat inuestigari. Qui autem verus est liber, verus Hebræus, totus est Dei: totum quod habet, libertatis est. Nihil habet illius qui libertatem recusat, dicens: Dilexi Dominum meum, & vxorem, & infantes: non abibo liber. Quod non solum ad Dominū sed etiam ad eius refertur infirmitatem qui se subiecit mundo, quod diligit mundum, vel mentem suam, id est, non huius auctorem voluntatis. Nec solum ad vxorem, sed etiam ad delectationem refertur, quæ domesticam non illam æternam curam suscipit. Huic ergo ad limen & ostium suum dominus suus aurem pertundit, vt meminerit sermonis sui quo seruitutem elegit. Et ideo tu Christiane istū ne imiteris, quia tibi scriptum est, non vt didrachmi dimidium (si tamen vis perfectus esse) Deo offeras, sed vt omnia tua vendas, & des pauperibus. Nec vt portionem seruitutis mundo referues, sed vt totū te abneges, & Domini crucem tollas, & sequaris eū. Cognouimus itaq; ideo dimidiū didrachmi lege postulari, quia dimidiū generi huius mūdi seruabatur, id est, conuersationi seculari, & vsui domestico & posteritati seruabatur, quibus necesse erat & sortem ex sorte, id est, transmissionis deputari. Vnde & Dominus tentantibus se Phariseis subdola interrogatione vtrum suaderet censum dari Cæsari, respondit: Quid me tentatis hypocritæ? ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium, in quo erat imago Cæsaris. Ait illis: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: ostendite

Roman. 16.

Exod. 21.

Matth. 19.

Ibidem 22.

Luca 15.

Matth. 6.

Dan. 1.

Ioan. 14.

Matth. 17.

Galat. 4.

Ibidem

Deut. 30.

Roman. 10.

dens illos ita esse imperfectos, qui sibi perfecti viderentur, vt prius Cæsari quam Deo soluerent. Quibus enim prior esset cura mundi, ab iis prius soluendum foret quod erat mundi. Vnde & ait: Reddite, id est, vos reddite quæ sunt Cæsaris, apud quos figura & imago inuenitur Cæsaris. Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui non adorauerunt imaginem regis, qui non receperunt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tenebantur ad solutionem tributum. Nihil enim eorum quæ sub rege terreno erant possidebant. Ergo eorum imitatores non soluunt tributum, quibus portio Deus est. Ideo Dominus ait: Reddite, id est, vos reddite qui protulistis imaginem Cæsaris, apud quos inuenitur: ego autem nihil debeo Cæsari, quia nihil huius mundi habeo. Venit enim huius mundi princeps, & in me inuenit nihil. Nihil debuit Petrus, nihil Apostoli mei, quia non sunt de hoc mundo: & si in hoc mundo sunt, ego misi eos in hunc mundum. Sed iam non sunt de hoc mundo, quia mecum sunt supra mundum. Ergo quod diuinæ legis est, solui iubetur, non quod Cæsaris. Et tamen & ipsum perfectus, id est, prædicator euangelij iam non debebat, qui plus prædicabat. Non debebat filius Dei, non debebat & Petrus in adoptionem à patre adscitus per gratiam: sed ne scandalizentur, inquit, vade ad mare, & mitte hamum, & cum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ibi staterem, illum sumens da iis pro me & te. O magna mysteria, dat dimidium didrachmi quod lex iubebat, & nõ negat quod legis est, quasi factus ex muliere, sub lege factus: secundum incarnationem locutus sum. Ex muliere secundum sexum: mulier sexus est, virgo species: sexus generis, virgo integritatis: in quo ergo venit sub lege, in eo factus est ex muliere, id est, in corpore. Et ideo didrachma solui iubet pro se & Petro, quia vterque sub lege generati. Iubet ergo secundum legem solui, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Et tamen staterem dari iubet, quo vectes imponerent ori suo, ne ex multiloquio peccatum admitterent. Et iubet dari in ore piscis repertum, vt agnoscerent verbum. Qui enim quod legis est, exigebant: cur quod legis est, nesciebant? Verbum enim Dei ignorare non debebant: quia scriptum est, Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Totum igitur didrachmum Deo soluit, qui seculo nihil referuauit. Deo enim iustitia soluitur, quæ est mentis sobrietas. Deo soluitur sermonis custodia, quæ est sermonis sobrietas. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Potest autem & drachma pro veteri Testamento accipi, didrachmum pro vtriusque testamenti precio, quia secundum legem vnusquisque per legem redimebatur. Qui autem secundum euangelium redimitur, soluit drachmam secundum legem: sanguine redimitur Christi secundum gratiam, geminam habens redemptionem, & deuotionis & sanguinis. Nec enim fides sola ad perfectionem satis est, nisi etiam baptismatis adipiscatur gratiam, & sanguinem Christi redemptus accipiat. Bona ergo drachma quæ Deo soluitur. Non est drachma denarius, sed diuersum est. Denique in denario imago Cæsaris est, in drachma imago Dei. Quia vnus est Dei, ad

imitationem ipsius, ab vno incipit, & in infinitum diffunditur. Et iterum de infinito numero in vnum quasi in finem omnia reuertuntur: quia Deus & principium & finis omnium est. Vnde nec numerum monada, sed elementum numeri quibus ea cura est appellauerunt. Et hoc propterea diximus, quia scriptum est: Ego sum & & ω, primus & nouissimus. Et, Audi Israël: Dominus Deus tuus Deus vnus est. Et tu ergo ad similitudinem Domini vnus esto atque idem. Non hodie sobrius, cras ebriosus: hodie pacificus, crastina die litigiosus: hodie frugi, crastina die incontinens. Mutatur enim vnusquisque morum varietate, & fit alter, in quo non agnoscitur quod fuit: & incipit esse quod non fuit, sui degener. Graue est enim mutari in peius, sed esto sicut imago in drachma, immutabilis, eundem habitum seruans. Quotidie videns drachmam, attende imaginem: hoc est, videns legem, attende in lege imaginem Dei Christum. Quia ipse imago Dei inuisibilis & incorruptibilis, luceat tibi velut in speculo legis. Confitere eum in lege, vt eum in Euangelio recognoscas. Si cognouisti in mandatis, recognoscis in operibus. Vale, & si non infructuosè didrachmum istud commissum mihi arbitraris, iterum si quid habes, committere ne dubitaueris.

Sancti Ambrosij ad Simplicianum, explicantis quid sibi velit quod Moyses post oblatum sacrificium, & immolatas Domino salutare hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare fuderit.
Epistola II.

Ambrosius Simpliciano. Motum te cum legeres, significasti mihi, quid sibi velit, quod Moyses post oblatum sacrificium, & immolatas Domino salutare hostias, dimidiam partem sanguinis in crateras miserit, dimidiam autem ad altare effuderit. Sed quid est quod ipse dubites, & à nobis requiras, cum fidei & acquirendæ cognitionis diuinæ gratia totum orbem peragraueris, & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ huius tempus deputaueris, acri præsertim ingenio etiam intelligibilia complectens? Vt pote qui etiam philosophiæ libros quàm à vero sint deuij demonstrare soleas, & plerisque tam inanes esse, vt prius scribentium in suis scriptis sermo quàm vita eorum defecerit. Tamen quia collatio sermonis, vt pecuniæ, magno est vsui, atque ea maximus in commune emolumentum negotiationis profectus paratur: quod mirabilis sit ista sanguinis diuisio, reticere non queo. Pars enim eius moralem sapientiæ disciplinam videtur significare, pars mysticam. Illa quæ in crateras mittitur, moralis est: hæc quæ ad altare effunditur, mystica: eo quod diuino munere & aspiratione quadam humanis infundatur mentibus, vt conuenientia & fidei plena de Deo sentiant. Denique qui locuti sunt de eius maiestate, & de cælestibus, vel Apostoli, vel sancti Prophetæ, non nisi ex reuelatione demonstrata sibi loqui ausi sunt. Vnde Paulus & raptum se in paradysum, & audisse se verba quæ non licet homini loqui, in epistola sua testificatus est. Stephanus quoque vidit cælos apertos, & Iesum ad dexteram Dei stantem. Et Esaias Propheta vidit sedentem.

Deut. 34.

Apoc. 1.

Ioan. 13.

Ioan. 20.

Exod. 4.

Hebr. 4.

Hebr. 9.

2. Cor. 12.

Actuum 7.

Esai. 6.

sedentem. Nam de Moysse quid loquar, de quo dicit scriptura, quod non surrexit amplius Propheta in Israël sicut Moyses, qui vidit Dominum facie ad faciem in omnibus signis & prodigiis quæ fecit in terra Ægypti? Mystica ergo Deo libantur, qui splendore diuinæ sapientiæ, cuius pater & genitor est, inflamat animæ vigorem, ac mentem illuminat. Sapientia autem Dei Christus, in cuius pectore recumbebat Ioannes, vt de principali illo secretoque sapientiæ hausisse diuina proderetur mysteria. Denique ipse conscius muneris hoc scripsit, qui sibi quod acceperat vindicare, & suo assignare ingenio reformidabat. Sed & ipse Dominus dicebat Apostolis os suum aperiens: Accipite Spiritum sanctum, quo declarauit se esse qui Moysi dixerat: Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Ergo hæc sapientia diuina inenarrabilis, impermixta atque incorrupta sanctorum animis sui infundit gratiam, & cognitionem reuelat, vt speculentur eius gloriam. Illa autem moralis sapientiæ disciplina est, quæ mittitur in crateras, & ex illis percipitur atque hauritur. Crateres igitur sensuum receptacula. Crateres oculi sunt duo, aures sunt, nares sunt, os quoque & aliæ partes conuenientes muneris. Oculi enim visum recipiunt & ministrant, auditum aures, odorem nares, ora gustatum, &c. In istos crateres verbum illud in quo est principatus sacerdotij vel prophetiæ, effudit sanguinis sui partes, vt viuificet atque animet irrationabiles portiones, & faciat rationabiles. Denique vbi legis diuinæ præcepta numerauit atque annunciauit populo, theoriam postea intelligibilis illius arcæ testimonij, vel candelabri, vel thymiamatis locuturus immolauit hostias & libauit, sanguinis partem infundens altaribus sacris, partem autem infudit crateribus. Fit ergo diuisio mysticæ illius, hoc est, diuinæ moralisque sapientiæ: λόγος enim diuisor est animarum atque virtutum: λόγος autem verbum Dei validum & acutum, quod pertransit & penetrat vsque ad diuisionem animæ, virtutes quoque distinguit & diuidit, cuius minister Moyses diuisione sanguinis virtutum genera distinxit. Et quia nihil præ cæteris in lege, nisi Christi aduentus annunciat, atque eius præfiguratur passio, vide ne ista sit hostia salutaris, quam verbum Deus in semetipso obtulit, atque in suo immolauit corpore. Quod primo moralem in Euangelio, sed etiam in lege docuit disciplinam, & in sua patientia atque in ipso actu & opere monstrauit, tanquam in crateras ita in mores nostros sensusque transfundens, velut substantiam quandam & vitalia ipsa sapientiæ, quibus mentes hominum viuificauit ad virtutis seminarium, & instituta pietatis: deinde accedens ad altare effudit hostiæ suæ sanguinem. Itaque siue ita hæc accipias, pius (vt arbitror) sensus est: siue secundum Salomonem velis, concurrat atque, vt quia sanguinem misit in crateras Moyses Propheta, cognoscas ipsum esse sanguinem de quo scriptum est: Quia sapientia miscuit in cratere vinum suum, dicens vt relinquerent insipientiam, & quærent sapientiam. Hauritur ergo de cratere sapientia, hauritur disciplina, hauritur intellectus, hauritur correctio, hauritur vitæ emendatio, hauritur morum & consiliorum temperatio, pietatis gratia, virtutis incrementum, fons vbertatis.

Quod verò ad altare effundit sanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare quasi hostiam effundit ad multorum exhaurienda peccata. Agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabilis naturæ, sed diuinæ potestatis, de quo dictum est: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Non solum enim mundauit sanguine delicta vniuersorum, sed etiam diuina potestate donauit. An non tibi videtur effudisse sanguinem suum, de cuius latere supra ipsum passionis altare aqua cucurrit & sanguis? Vale, & nos parentis affectu dilige, vt facis.

Diui Ambrosij ad Simplicianum, causam reddens cur Moyses Propheta maximus inueniatur, magis Aaron fratris consilium quàm suum probasse, cur etiam tam difficile tamque rarum sit pœnitentiam peccati gerere in hac vita homini.
Epistola III.

Ambrosius Simpliciano: Quantus sit vnusquisque in suo munere, exemplo debet esse lectio, quæ iure te mouit, quod Moyses ille quo nemo præsentius Deum vidit, neque surrexit amplius in Israël Propheta qui Deum facie ad faciem sicut Moyses videret, ille qui quadraginta diebus cum Deo iugiter & noctibus fuit cum legem acciperet in monte: ille, inquam, cui Deus dabat quos loqueretur sermones, inuenitur magis Aaron fratris consilium quàm suum probasse. Fuit ergo quisquam hominum Moysæ prudentior & instructior? Atque ipsum Aaron postea cum Maria circa Æthiopiæ personam legimus errasse: sed hoc ipsum diligenter discute, vbi Moyses scientia præponderet, vbi Aaron consilio. Moyses magnus Propheta, qui de Christo dixit: Sicut me, ipsum audietis. Et de quo ipse Dominus ait: Si Moysen & Prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis ad illos abierit, credent. Ergo in causa prophetiæ præfertur Moyses sicut Propheta. Vbi autem causa & munus, & officium sacerdotij est, præfertur Aaron sicut sacerdos. Tractemus ergo ipsum locum. Immolatus erat hircus pro peccato, & oblatum in holocaustum. Quæ fuit cum postea Moyses, & com bustus erat. Et iratus est Moyses ad filios Aaron Eleazar & Ithamar, qui superfuerant, dicens: Quare non manducaftis quod oblatum est pro peccato in loco sancto? Quoniam quidem sancta sanctorum sunt hæc vobis manducare, vt auferatis peccatum synagogæ, & intus manducandum esse, sicut mihi præceptum est, ait. Cum ergo iratum eum vidisset Aaron, placidè respondit ei: Si hodie obtulerint pro peccato suo holocausta sua contra Dominum, & acciderint mihi talia, manducabo quod pro peccato obtulerunt hodie, nunquid placebit Domino? Et audiuit Moyses, & placuit illi. Quid ista significant, consideremus. Nihil peccare, solius est Dei: emendare sapientis est, & corrigere erratum, & pœnitentiam gerere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominum. Quid enim tam rarum, quàm vt inuenias virum qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara itaque confessio de peccato, rara pœnitentia, rara in hominibus verbi eius assertio. Repugnat enim natura, repugnat verecundia. Natura, quia omnes sub peccato: & qui carnem gerit,

Hebr. 9.

Ioan. 1.

Deut. 34.

Exod. 34.

Deut. 18.

Luca 16.

Leuit. 10.

culpæ obnoxius est. Ergo repugnat natura carnis, & illecebra seculi innocentiae integritatque. Repugnat etiam verecundia, quia erubescit vnusquisque propriam culpam fateri, dum presentia magis quam futura cogitat. Studebat autem Moyses peccati vacuum reperire animam, vt exuias erroris deponeret, & nuda culpæ sine vlllo sui pudore discederet. Sed non inuenit, quia citò impetus irrationabilis præuenit, & flamma quædam celerrimi motus animam depascitur, atque exurit eius innocentiam. Præponderant enim futuris presentia, & violenta moderatis, & plura paucioribus, & iucunda feriis, & asperis mollia, & tristibus læta, & illecebrosa rigidioribus, & præpropera tardioribus. Velox enim est iniquitas, quæ ad nocendum occasiones suggerit, quæ ad veloces pedes eius ad effundendum sanguinẽ. Lenta autem virtus omnis & diuturna cunctatrix ante iudicat, & adorienda incipit. Ira mēs boni, specularix consiliorum suorum est, priusque examinat quid decorum atque honestum, iniquitas verò opere cogitationem anteuertit. Pigra igitur & verecunda est pœnitentia, quia premitur & reuocatur presentium pudore. Solis enim intendit futuris, quorũ spes sera, tardior fructus, & ideò petitio ipsa tardior. Inter hæc spei & virtutis molimina præcurrit impudentia, & specie presentium pœnitentia excluditur, & tãquam exuritur affectus eius, & huiusmodi aboletur in vitiis. Quærit eam lex, & non inuenit. Ambusta est enim seruore & fumo iniquitatis, & indignatio quædam legis mouetur. Dicit Moyses deuorandam fuisse pœnitentiam in sanctis sanctorum, sacerdotes quasi segniores increpat. Respondit Aarõ, prouidum debere esse iudicium sacerdotale, nec facile malè sanæ conscientiae committendum id muneri, ne fiat error deterior priore. Vase enim foetido vel oleum vel vinum facile corrumpitur ac deterioratur. Quomodo autem poterat vbi ignis alienus erat, peccatum exuri, & hoc sub conspectu Domini, cui & occulta sunt cognita? Nunquid potest placere Domino si quis cum adhuc versetur in iniquitatibus, & iniustitiam corde inclusam teneat, dicat se agere pœnitentiam? Simile est ac si quis æger se sanũ simulet, magis ægrotabit: quia nihil ei prodesse potest simulatio sanitatis, cum verbo adumbretur, nõ vlllo fulciatur subsidio virtutis. Ignis itaque alienus est libido. Ignis alienus est omne iniuste incendium cupiditatis. Ignis est alienus omnis ardor avaritiæ. Hoc igni nemo mundatur, sed exuritur. Nam vbi iste ignis alienus est, si quis in cõspectu se offerat Domino, ignis eum cœlestis absument, Abiud & Nadab quos exussit ignis cœlestis pariter cum iis quæ pro peccato sacris fuerat oblata altaribus. Qui ergo vult mūdare peccatum suum, ignem à se remoueat alienum. Illi soli igitur se offerat qui culpam non hominem exurit. Qui sit iste ignis, audi dicentem: Quia Iesus baptizat in Spiritu sancto & igni. Hic est ignis qui siccauit hæmorrhoeam per duodecim annos sanguinem profluentem. Hic est qui peccatum Zachai abstulit dicentis, quod dimidium bonorum suorum

daret pauperibus, & si cui quicquam abstulit, redderet quadruplum. Hic est ignis qui absterfit culpam latronis. Ignis enim consumens est qui dixit ei: Hodie mecum eris in paradiso. Illos itaque sanauit, in quibus simplicem & puram reperit confessionem, nihil malignum, nihil fraudulētum. Denique Iudas ad remedium peruenire non potuit, cum diceret: Peccaui quod tradiderim sanguinem iustum: qui alienum ignem voluebat in pectore suo, qui eum inflamauit ad laqueum. Indignus enim remedio fuit, quia non intimo mentis conuersus ingemuit, & sedulo gessit pœnitentiam. Tantæ enim pietatis est Dominus Iesus, vt & ipsi donaret veniam, si Christi expectasset misericordiam. Hanc ergo culpam sacerdotis non auferunt, neque peccatum eius qui in dolo se offert, & adhuc in studio delinquendi est. Non enim possunt epulari in eo quod plenum fraudis, & serpentis interius cicatricis est. Cibus enim sacerdotis est in peccatorum remissione. Vnde ait princeps sacerdotum: Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei qui in cœlo est. Quæ est voluntas Dei, nisi ea, cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris? In illo ergo sub dolo cibus nullus est. Denique nec ipse epulandi suauitatem capere potest in quo non sincera & pura conscientia est. Amaritudo enim fraudis epulandi suauitatem obducit: nec permittit mala conscientia vt reficiat & pascat obnoxium animum pœnitentia. Ideò ergo talis affectus, talis petitio, talis pœnitentia non est vsui aut voluptati sacerdotibus. Meritoque hircus ille qui pro peccato oblatu est in holocaustum, quia non fuit sincera hostia, exustus est, quia in eius sacrificio ignis alienus repertus est. Non est itaque complacitum & acceptum sacrificium Deo. Non est enim acceptum nisi quod fuerit in diuitiis sinceritatis & veritatis probatum. Ideò & alibi legis duos hircos, vnum in quo fors Domini, alterum transiussionis. Illum in quo fors Domini, offerri atque immolari pro peccato: illum verò in quo fors transiussionis, dimitti in desertum, vt accipiat populi iniquitates, vel alicuius peccatoris. Sicut enim duo sunt in agro, & vnus eorũ assumitur, alius derelinquitur: ita sunt duo hirci, vnus qui ad sacrificiũ est vtilis, alius qui in desertum dimittitur. Hic nulli vsui neque edendus, neque epulandus à sacerdotum filiis. Sicut enim ex iis quæ alimentorum sunt, quod bonum est editur, quod inutile aut malum, proiicitur: ita & bona opera epulatoria dicimus, quæ sunt esui. Non placebit ergo Domino si manducet sacerdos sacrificium in quo fraus sit oblationis, non sedulæ cõfessionis sinceritas. Et ideò hircus iste in desertum dimittendus est, vbi errauerunt patres nostri, errauerunt in eo, & non potuerunt ad resurrectionis terram peruenire, sed interiit à terra memoria eorum. Denique quæ sunt epulatoria opera, audi. Et erunt sabbata terræ nobis escæ. Epulatoria enim & refectoria requies in Deo, quæ facit animi tranquillitatem. Vnde & nos etiam in sermone requiescamus. Vale, & nos, vt diligis, dilige: quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, declarantis quomodo intelligendum sit quod in Exodo legitur, Abominanda apud Aegyptios immolemus Deo. Qualibus præterea ductoribus, & quæ via ad ecclesiam Christi perueniatur. Qui illam ingrediuntur, & quid eis in ipsa sit agendum.
Epistola 1111.

Ambrosius Irenæo. Moueri te significasti mihi cò quod legeris, Abominanda apud Aegyptios immolemus Deo. Sed habuisti quo istud solueres, quia in Genesi scriptum est quod Aegyptij pastore pecorum abominabatur. Non vtique propter hominem, sed propter pecora. Illi enim aratro terram inuertebant. Abraham autem & Iacob, & postea Moyses, Dauid, pastores fuerunt, regalem quandam in hoc munere disciplinam inducentes. Oderant ergo Aegyptij immolata sacrificia, id est, perfecta studia virtutum, & plena disciplinæ. Quod ergo vitiosi oderunt, hoc apud bonos syncerum ac pium est. Opus virtutis detestatur luxuriosus helluo, refugit Aegyptius: ita corpus quod illecebras diligit, auersatur animæ virtutes, abominatur imperium, refugit virtutum disciplinas, & omnia opera quæ huiusmodi sunt. Quæ ergo Aegyptius refugit, Aegyptius ille & non homo, hæc tu amplectere, qui habes humanitatis scientiam. Illa autem declina quæ illi sequuntur atque eligunt, quoniam duo sibi ita congruere non possunt prudentia & insipientia. Itaque sicut iis quæ in quodam censu imprudentiæ atque intemperantiæ sunt, abdicat se prudentia, abdicat continentia, ita eorum omnis exors insipiens est atque incontinnens, quæ in bonis atque in hæreditate sapientis viri sunt & continentis. Denique sanctæ illæ tali coniugio Lia & Rachel, vna laboriosa, altera aspiratio fortis, refugientes non generis necessitudinem, sed morum discrepantiam, cum viri exerciti Iacob sermone edoctæ essent quod vellet discedere, vt Laba & filiorum eius inuidiam declinaret atque ignauia, responderunt: Nunquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris nostri, & non sicut aliena existimamur ei? Vendidit enim nos, & deuorauit precium nostrum. Ecce primum, quia ignauus & inuidus laboriosam & disciplinæ tenacem alienat à se ac defugit, seseque cupit separare: quoniam eas oneri esse cernit sibi, & putat se lucrum fecisse quod alienauit eas, & hoc esse suum precium iudicat, eumque fructum voluptatis suæ. Nunc audiamus quomodo quæ habet virtus, non habeat ignauia. Aiunt enim omnes diuitiæ & gloria, quam tulit Deus patri nostro, nobis erit, & filiis nostris. Merito Deo arbitro dicunt esse sublata, quia ipse est author bonorum, cuius gratia ignaui exuuntur, quia decorem hereditatis diuinæ capere improbi atque infirmi non queunt, succedit autem intentus, & spiritum in se fortis habens. Quis autem fortis nisi solus Deus, qui omnia coërcet & regit? His ergo debetur hæreditas Dei. Vnde & Esaias dicit: Est hæreditas credentibus in Domino. Et pulchrè ait: Est hæreditas: ipsa enim sola hæreditas est, alia non est. Neque enim cæcus thesaurus hæreditas est, neque caduca omnia hæreditatis habent commodum. Sola est illa hæreditas, in quibus est portio Deus. Vnde sanctus Domini dicit: Portio mea Dominus. Et alibi: Hæres factus

sum testimoniorum tuorum. Videas quæ possideat iustus, mandata Dei, oracula eius, præcepta eius. In his diues est, his pascitur, in his delectatur, quasi in omnibus diuitiis. Hæc ergo possidentes Lia & Rachel, opes patrias non requirebant: in quibus erat pecunia adultera, irrationabilis species, & spiritalis expers vigoris. Denique quasi diuites & liberæ, non eum diuitem sed egentem arbitrabantur. Omnis enim bonarum & liberalium confors disciplinarum neminem insipientium diuitem putat, sed inopem atque egenum, abiectum quoque, et si regalibus diuitiis affluat, & superbus auro suam iactet potentiam. Fugienda est igitur talium societas, et si aliqua generis copulatur necessitudine. Noxiæ sunt enim conuersationes cum insipientibus, & insipienti sobriam mentem ac decolorant: quia sicut adheres sancto sanctus eris, ita cum peruerso peruersus eris. Frequenter enim accidit, vt quis cõtra propositum suum intemperantem audiens, cum velit ipse continentiae disciplinam tenere, succo insipientiæ coloratur, meritoque contrariæ sibi sunt & repugnantes disciplina atque insolentia. Vnde cum vir exercitatus earum sententiam quæreret, vocẽ emittunt probatæ iam diuturno exercitio virtutis. Nunquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris nostri? Id est, consulis nos vtum velimus ab eo recedere? Quasi verò nõ cognoueris quod nullam habeamus cupiditatem eius societatis, neque nos dulcis pluribus secularium diuitiarum cupiditas teneat, aut lætitia luxuriæ. Hæc sunt quæ nos miseria aliena nobis duximus. Hæc sunt quæ plena inopiæ atque egestatis arbitramur. Adiciunt etiam causam successionis, quia veram gloriam, & boni thesauri copias amisit Laban, in quibus maximus vigor datus est mentis, & bona moneta imaginis Dei & similitudinis, quia spiritualemente monetam amisit, quia splendida magis seculi elegit, quam vera & vtilia vitæ suæ: quorum decor expertem diuinorum bonorum præterit: quoniam ille quæ putat pulchra, in iis se fallit ipsum & decipit. Vnde audi eius verba & iudicia. Secutus sanctum Iacob, & filias suas, ne fortè apud eas suorum vitiorum reperiret aliquid, & reuocandi ad se haberet auctoritatem, coarguens iustum, cum ratione esset redargutus, & nihil responderi ac referre posset, quo eum deberet tenere: Si annunciaffes, inquit, mihi, emisiffes te. In quo prodidit quid iustus fugerit, ne eum prosequeretur, ne deduceret, ne tali comitatu stipatus procederet. Primum quod multorum dominorũ mancipio se subiicere non debuit, vt ab eo tanquam seruulus dimitteretur. Deinde quia vir exercitio intentus, & quærens veram viam ad virtutem persequi, non hominẽ deductorem, sed oracula quæ sunt cœlestia: Quæ me inquit, hinc præceperunt abire, & nunc comitatur viam. Sed quomodo me dimiffes? An cum lætitia tua, quæ plena est mœsitudinibus, cum tympanis scilicet atque organis immoderata modulantibus, & sonis tibiaram suauibus insuauia resultantibus sonis dissonis, crepitis discrepantibus, vocibus mutis, cymbalis animam ferientibus. His me delectari posse credidisti? his reuocari? Hæc sunt quæ ego fugi, nec vereor verborum tuorum inuidiam. Fugi, ne me talia sequerentur, ne quid de tuis accipiens abi-

Psal. 13.

Leuit. 10.

Matth. 3. Matth. 9.

Lucæ 19.

Ibidem 13.

Matth. 3.

Leuit. 10.

Genes. 46.

Leuit. 4.

Genes. 29.

Matth. 14.

Ibidem 37.

Ibidem.

Psal. 18.

Genes. 31.

rem. Non enim talibus deductoribus ad ecclesiam Christi peruenitur, ad quem tendebat Iacob, ut eò deduceret populorum copias, inueheret nationum diuitias, posteritatem infunderet, fugiens vnam inanium rerum, præferens infensibilibus simulachris virtutum spirantem decorem, plausibilibus præponens seria. Vides enim quemadmodum conuiuia gentiles adornent, festa annuncient, sed ea piis mentibus infestiora sunt: quia iis plerique decipiuntur, dulcibus capiuntur epulis, capiuntur saltantiu choris, dum ieiunia nostra fugiunt, dum ea sibi aspera putant, dum corpori noxia & molesta arbitrantur. An opinatus es quia aurum tuum desiderarem? Sed non habes aurum igne examinatum, quo iusti probantur. An quia argentum cuperem? Sed non habes argentum, qui non habes splendorem alloquij celestis. Sed fortasse speraui quod adiiiceres mihi ad obsequium seruos tuos. Ego verò liberos quero, fugio seruos peccati. Sed fortè comites itineris, & duces viarum necessarij fuerunt. Utinam sequi possent, ego illis monstrarem Domini vias. Sed qui Deum nescitis, vias eius quomodo nouistis? Vias eius ingrediuntur electi à Domino. Non quicumque intrant eas, sed tamen nemo excluditur. Sequatur qui paratus est, ingrediatur viam quæ ducit ad Mesopotamiam, ut qui eam petit, per aquas transeat, aquas Tygris atque Euphratæ, fortitudinis atque iustitiæ, per lachrymas pœnitentiæ, baptismum gratiæ. In ea est virtus exercitus Dei. Omnes enim qui sunt in ecclesia, Deo militant. In ea est grex ille insignis diuersarum virtutum, quem Iacob sibi elegit. Omnis enim sine signo anima, indocta & inerudita est, disciplinarum nescia: quæ autem insignita, eadem diues operum, & gratiarum opima. Ad eam qui venit, iratum fratrem reconciliet prius. Ad eam qui venit, Sichimam preciosam illam & actuosam inhabitet virtutum officinam, vbi lætæ castitatis grauis vltio. Ad eam qui venit, luçetur cum Deo, ut ad imitationem eius se exerceat, ad humilitatem Christi, & passiones eius congregiatur. Tollat crucem suam, & Christum sequatur. Denique bonus congregator non æmulatur, non inflatur, imò etiam benedicat congregantem sibi tali munere. Sequamur ergo sanctum Iacob, & vias eius, ut perueniamus ad eas passiones, ad eas congressiones, perueniamus ad murum, perueniamus ad patientiam matrem fidelium, & ad patrem Isaac, id est, iucunditatis capacem, lætitiæ redundantem. Vbi iam patientia, ibi lætitia: quia post tribulationes patientia, patientia autem probationem operatur, in qua est spes, de qua non confundimur, quoniam qui non fuerit confusus crucem Christi, nec Christus confundetur in eo. Vale fili, & non erubescas patrem interrogare, qui non erubescis in passionibus Christi gloriari.

*Diui Ambrosij ad Felicem Comensem episcopum, se & le-
Etione sermonis illius, & spe futuri aduentus refocillati
asserentis, simulque ut venire non negligat adhortantis.
Epistola v.*

Ambrosius Felici Comensi Episcopo: Etsi habitu corporis minus valebam, tamen vbi sermonem vnanimis mihi pectoris tui legi, nò medio-

crem sumpsi ad conualescendum gratiam, quasi quodam tui alloquij pulegio refortus, simul quia celebrè vtrique nostrum annūciasti diem affore, quo suscepisti gubernaculum summi sacerdotij, de quo ante momentum cum fratre nostro Bassiano loquebar. Ortus enim sermo de Basilica, quam condidit Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermoni viam: siquidē significabat quòd sedulo tuæ quæreret sanctitatis præsentiam. Tum ego nostris fabulis intexui diem natalis tui, qui foret in exordio ipso kalendarum Nouembrium, eumque (si non falleret) appropinquasse, & crastina celebrandum die, vnde posthac non excusaturum promisi ego de te, quoniam & tibi id de me licet. Promisi illi, exegi mihi. Præsumptum enim habeo quod affuturus sis, quia debes adesse. Non ergo te magis meum promissum tenebit, quam tuum institutum, qui id in animum induxeris, ut quod oportet facias. Aduertis itaque quia non tam promisi audax, quam tui cōscius fratris sponendi. Veni igitur, ne duos sacerdotes redarguas, te qui non affueris, & me qui tam facilè promiserim. Natalem autem tuum prosequemur nostris orationibus, & tu nostri in tuis votis non obliuiscaris. Te noster spiritus comitabitur, tu quoque cum ingredieris secundum tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum, facito nostro more, ut nos quoque tecum inducas cum spiritu. Adolens aureū illud thymiamaterion, nos ne intermiseris. Ipsum est enim quod in secundo tabernaculo est, de quo plena sapientiæ oratio tua sicut incensum dirigitur ad cœlestia. Ibi arca testamenti vndique auro tecta, id est, doctrina Christi, doctrina sapientiæ Dei. Ibi dolium aureum habens manna, receptaculum scilicet spiritualis alimonie, & diuinę promptuarium cognitionis. Ibi virga Aaron insigne sacerdotalis gratiæ aruerat ante, sed in Christo restoruit. Ibi Cherubim super tabulas testamenti, lætionis cognitio sacræ. Ibi propiciatorium, supra quod in excelsis Deus verbum est, imago inuisibilis Dei, quod tibi dicit: Loquar tecum desuper propiciatorium de medio duorum Cherubim. Sic enim loquitur nobiscum, ut nos eius sermonem intelligamus, vel quia non mundana, sed intelligibilia loquitur, sicut ait: Aperiam in parabolis os meum. Vbi enim Christus, ibi omnia, ibi doctrina eius, ibi peccatorum remissio, ibi gratia, ibi separatio mortuorum ac viuentium. Et Aaron quidem semel stetit in medio eorum obiciens se ne mors transfret ad viuentium agmina à funeribus mortuorum. Hic autem quasi verbum semper stat in singulis, quem nos non videmus intra nos, separans rationabiles virtutes à cadaueribus passionum lethaliū, & pestilentium cogitationum. Hic stat quasi qui in hunc mundum venerit, ut aculeum mortis hebetaret, deuoratoriu eius obstrueret, viuentibus æternitatem gratiæ daret, defunctis resurrectionem concederet. Huic tu militas bonam militiam, huius depositum custodis, huius pecuniam sceneras, secundum quod scriptū est: Fœnerabis gentibus. Bonum fœnus spiritualis gratiæ, quod veniens Dominus cum vsuris exiget, & cum te bene dispensasse inuenerit, dabit tibi plura pro paucioribus, eritque mihi fructus dulcissimus, quod meum in te iudicium comprobabitur, ordina tio

ordinatio non reprehendetur, quam accepisti per impositionem manuum mearum, & benedictionē in nomine Domini Iesu. Fac ergo bonum opus, ut in illo die mercedem inuenias, & ego in te, & tu in me requiescamus. Multa messis Christi, sed pauci operarij, & difficilè reperiuntur qui adiuuent. Verum hoc vetus, sed potens est Dominus qui mittat operarios in messem suam. Certè in illo ordine Comensium iam plerique cœperūt credere magisterio tuo, & doctrina tua verbum Dei receperunt, sed qui dedit credentes, & adiutores dabit, quo & tibi excusandi auferatur necessitas, quod serius nos inuiseris: & mihi crebrior tuæ præsentiae refundatur gratia. Vale, & nos dilige, ut facis.

Diui Ambrosij ad Irenæum, pythagoricum mandatum commemorantis, quo ille discipulos suos communem atque vsitatam populo viam ingredi prohibuit: & ut idem à sacerdotibus obseruetur, multiplici ratione persuadentis.

Epistola vi.

Ambrosius Irenæo: Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari inuenimus, quo ille discipulos suos cōmunem atque vsitatam populo prohibuerit ingredi viam. Sed hoc vnde assumpserit, non est incognitum. Nam cum ex populo Iudæorum (ut plerique arbitrantur) genus duxerit, ex eius disciplina deriuauit etiam magisterij præcepta, meritoque magnus apud Philosophos habitus, æqualem (ut aiunt) vix reperit. Legerat itaque in Exodo Moysi diuino præceptum esse oraculo: Solue calciamentum pedum tuorum. Id etiam præceptum Iesu Naue, videlicet ut detrita & popularis viæ deponerent puluerem, qui viam Domini ambulare desiderarent. Legerat præceptum eidem Moysi, ut montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Separauit igitur sacerdotes à populo, & postea ipsum Moysen introire intra nubem præcepit. Vides diuisiones? Nihil in sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque vsu, & moribus inconditæ multitudinis? Sobriam à turbis grauitatem, seriã vitam, singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te mirerur si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat quod ultra se inueniat, si quæ in se erubescit, in te quem reuerendum arbitrat offendant? Super egrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conuersationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus, ac vulgaris semitæ solum, quam currit ille cuius vita leuior cursore, de quo dicitur: Transiit, & non vidit. Sed quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, inuiam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deterat, maculosus scilicet ignauie suæ sordibus, & fumo iniquitatis oblitus, tenebrisque & parietinis quibusdam animæ ruinosus, qui nullam virtutis suauitatem gustauerit, aut certè limis eam spectandã magis quam directo affectu, & aperto sinu mētis suscipiendam arbitratus sit: & quod plerique amant, S. Ambr. tom. 5.

qui sibi faceti atque urbani videntur, pulchritudinē sapientiæ in dedecus versutiæ transfigurantes, verã non intuens gratiam, tanquam in nocte positus nō credit in die viuentibus: quia de numero Thematorum & Sabæorum est deficientium & auertentiū se à veritate, de quibus dicit Iob: Videte vias Thematorum, & semitas Sabæorum, quia confusionem incidit qui in ciuitatibus & diuitiis spem habent. Ita & vos insurrexistis in me sine misericordia, vnde viso vulnere meo timete: has igitur deuias semitas declinantium, & illum deficientiū puluerem, qui propter suam appetentiam ceciderunt sapē in deserto, derelinquamus. Conuertamur autē, & sequamur sapientiæ viam quam non calcauerunt filij glorificantium se & iactantium, quam interitus ignorat, mors nescit, quia Deus direxit eam. Abyssus dixit, Nō est in me: mare dixit, non est mecum. Sed si quæris viã sapientiæ & disciplinæ, colere Deū, atque ei subditū esse, sapientia est: abstinere autē à peccatis, disciplina est. Quid igitur nobis cum istius seculi via, in qua est tentatio imò ipsa vita hominis tētatio est, & exilior quàm sermo fabularū, habitare in luteis domibus, dies & noctes in lucris ponere, & de lucris semper cogitare, & sicut mercenarius diurnam mercedē quærere, atque (ut cicadas aiunt) aura quadam pasci cupiditatum? Verè sicut cicadas, quia de die in diem viuunt, quæstūque rumpuntur suo. Quid enim aliud sunt homines nullius pōderis, nullius disciplinæ, nisi vt videantur sicut cicadæ, ad mortem nati diurnam, strepentes magis quàm loquentes? Qui sub ardore feruentium cupiditatum se mulceant cantu sibi noxio, statimque occidant, nullum fructum ferentes, nihil habentes gratiæ. Horum igitur viæ noxiæ, tortuosæque serpentium, qui venenato lapsu corporis sese trahunt, atque in spiram nequitie sese colligunt, & erigere non queunt ad cœlestia. Ingrediamur autem portas Domini, portas iustitiæ, quas iustus qui fuerit ingressus, confitetur Domino. Sed hæc paucorum ingressio: vnde Dominus ait, Quia angusta porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Lata autem porta & spatiosa via quam multi gradiuntur, ad mortem dirigit, & viatores suos eò ducit. Sit ergo via nostra angustior, virtus exuberantior, trames pressior, fides sublimior, callis arctior, vigor mentis exundans, semitæ rectæ, quia inflexibilia sunt virtutum vestigia. Vnde Salomon: O qui dereliquerunt semitas rectas, sit gressus ad superiora, quia melius est ascendere quàm descendere. Denique, sicut lectum est hodie: Væ iis qui descendunt in Ægyptū. Non utique transire in Ægyptum, criminofum est, sed transire in mores Ægyptiorum, transire in eorum perfidiam, escæ cupiditatem, luxurię deformitatem, qui eò transit, descendit: qui descendit, cadit. Declinemus itaque Ægyptium hominem, & non Deum. Vitiis enim suis etiã ipse rex Ægyptiorum in potestatem est datus, cuius comparatione Moyses Deus existimatus est, imperans regnis, subiiciens sibi potestates. Vnde ei dictū legimus: Faciam te in Deum regi Pharaoni. Vale, & nos, ut facis, quasi filius dilige.

RR

FINIS.

Capita Epistolarum Libri secundi.

Ambrosius Simpliciano, eleganter de vera libertate, ac etiam seruitute disputans, fortissimisque argumentis, solum sapientem vera libertate gaudere, & omnem insipientem seruum esse comprobans, atque ad illam amplectendam plurimum cohortans. Epistola VII.

Ambrosius Faustino, eundem propter obitum germanæ acerbo dolore mœrentem, consolans. Epist. VIII.

Ambrosius Bellicio, graui aegritudine priusquam in Dominum Iesum crederet iactato, postea verò reualescente, illum ex diuinæ visitationis pietate in fide Christi confortans, & ad aliorum Sacramentorum perceptionem exhortans. Epist. IX.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS.

Diui Ambrosij ad Simplicianum, eleganter de vera libertate ac etiam seruitute disputantis, fortissimisque argumentis solum sapientem vera libertate gaudere, & omnem insipientem seruum esse comprobantis, atque ad illam amplectendam plurimum cohortantis.

Epistola VII.



AMBROSIVS Simpliciano. Proximè cum veteris amoris vsu familiaris inter nos sermo crederetur, delectari te insinuasti mihi cum aliquid de Pauli Apostoli scriptis corā populo ad disputandum assumerem, quod eius profundū in consiliis vix comprehendatur, sublime in sententiis audientem erigat, disputantem accendat, tum quia in plerisque ita se ipse suis exponat sermonibus, vt is qui tractat, nihil inueniat, quod adiciat suum, ac si velit aliquid dicere, Grammatici magis quam disputatoris fungatur munere. In eo tamen, tum quoniā & veteris affectum amicitia, & quod plus est, paternę gratię amorem recognosco: (nam vetustas habet aliquid cum pluribus consociabile, patrius amor nō habet:) tum quia nō ieiunè me fecisse iam quod postulas arbitratus es, parebo voluntati tuę: admonitus præsertim & prouocatus exemplo meo, quod mihi non difficillimum, quia non magnum aliquem sed meipsum imitabor, cum in meos non magnos aliquos vsus reuertor. Et de consiliis quidem, cum beatę vitę imago atque effigies nostro sermone exprimeretur, putamus eam factam complexionem, vt pluribus fortasse aliis, tibi certè amanti nostri non improbemur, licet difficilior sit tuo iudicio quam plurium non displicere. Sed iudicij pondus affectu ableuas, eoque mihi blandior. Hęc autem epistola quoniam te absentem offendit, de sententiis Pauli est Apostoli, qui nos à seruitute in liber-

1. Cor. 7.

tatem vocat, dicens: Precio empti estis, nolite fieri serui hominum, ostendens libertatem nostram * in Christi esse sapientia. Quę sententia magno à Philosophis fluctuata atque iactata est disputationis molimine, dicentibus quia omnis sapiens liber, omnis autem insipiens seruiat. Sed multò hoc prius Dauid filius dixit, qui ait: Stultus sicut luna mutatur. Sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergo idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus: nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinę, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicans fide. Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animum nescit, sed fulgebit sicut sol iustitię, qui in regno patris sui fulget. Vnde tamen hoc plenius hauserit philosophia, de qua patrum disciplina & prudentia consideremus. Nonne primus Noë cum aduertisset quia insipienter filius suus Cham nuderat nudatum patrem, maledixit ei, dicens: Maledictus Cham, seruus domesticus erit fratribus suis, & præposuit ei fratres eius dominos, qui sapienter patris senectutem honorandam putarunt. Nonne etiam fons ille, disciplinarum omnium Iacob vbertatem disputationis huius omnium pectoribus infudit, qui sapientia merito prælatus est fratri seniori? Denique pater pius qui inter duos filios affectu certaret paterno, sed disceptaret iudicio (affectus enim necessitudine fertur, meritis autem iudicia formantur) cum diuideret alteri gratiam, alteri misericordiam: sapienti gratiam, insipienti misericordiam, quia ad virtutem se propriis viribus erigere non poterat, nec spontaneum gressum attollere, benedixit eum, vt seruiret fratri suo, & esset ipse seruus: ostendens ita deterior-

* ad. in corpore esse sapientia.

Excels. 23.

Matth. 13.

Genes. 9.

riorem esse seruitute insipientiam, vt remedio ei seruitus sit, quia stultus regere se non potest: & nisi moderatorem habeat, præcipitatur propriis voluntatibus. Diligens ergo pater, & consulens seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio. Ideò inconsultis populis sapientes quique adhibentur rectores, qui plebeiam insipientiam vigore proprio regant, vt potentia specie dominantur, quo vel inuitos autoritate potestatis subiiciant ad obediendum prudentioribus, & obsequendum legibus. Imposuit igitur insipienti velut indomito iugum, & cui in gladio suo viuendum dixerat, libertatem negauit, ne temeritate laberetur: præfecit ei fratrem, cuius autoritate & moderatione subiectus proficeret ad conuersionem. Et quia seruitus habet discretionem (est enim necessitatis infirmior, voluntatis fortior, quia pulchrius est bonum, quod non ex necessitate fit, sed ex voluntate) ideò ei primo iugum imposuit necessitatis, postea benedictionem ei voluntaria subiectionis impartiuit. Non igitur natura seruum facit, sed insipientia: nec manumissio liberum, sed disciplina. Denique Esau liber natus est, & seruus factus est. Ioseph venditus in seruitutem est, & electus est ad potestatem, vt suis emptoribus imperaret. Non dedignabatur tamen obsequium sedulitatis, sed tenebat virtutis fastigiū, conseruabat libertatem innocentia integritatis autoritatem. Vnde pulchrè Psalmista ait: In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius. In seruum, inquit, venundatus est, non seruus factus. Humiliauerunt pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit: Ferrum pertransiuit anima eius? Nam cum aliorum animas peccatum transeat (ferrū enim peccatum est, quod est penetrabile) Ioseph sancti anima ita nō patuit peccato, vt magis peccatum ipsa penetraret. Denique nec herilis illecebrę flexus est delinimento, nec immeritò flammis non sensit libidinis, quia maiorem diuinę flagrabat ardorem gratia. Vnde & hoc pulchrè de eo dictum est: Quia eloquium Domini vssit eum, quo restrinxit igitas diaboli sagittas. Quomodo hic seruus, qui erudiuit principes populi in illa frumentaria dispensatione, vt futura inopia consulerent, & declinando prouiderent? Aut quomodo seruus, qui totam terram acquisiuit, & vniuersum populum Ægyptiorum in seruitutem redegit? Non vt cōditionem seruitij ignobilis irrogaret, sed vt tributum constitueret, præter possessionem tamen sacerdotalem, quam à tributis immunem reseruauit, vt apud Ægyptios quoque inuiolabilis haberetur religio sacerdotalis. Non fecit igitur eum seruum veditio: nam vtique negotiatoribus erat venditus. Verum si precium spectes, multos inuenies qui emerunt sibi puellas formę elegantioris, quarum amore capti turpi seruitio sese dederunt. Videbatur Apeme concubina Darij regis sedens ad dexteram eius, auferens de capite eius diademam, & suo imponēs vertici, palmis faciem eius sinistra manu verberans, quam rex aperto ore intuebatur, gaudens si quando arideret ei mulier: quòd si ea indignaretur, miserum se atque afflictum putabat, vt potestate submissa blanditias obtexeret, & conciliari sibi eam deprecaretur. Sed quid ista ma-

gno allegamus ambitu? Non videmus plerunque in potestatem piraticam, vel immaniū Barbarorum redactos parentes à filiis redimi? Nūquid leges pecunię potiores quam leges naturę? Nunquid in seruitute accrescit pietas? Plerique emptores leonū sunt, & tamen non dominantur leonibus, sed ita subiicitur versa vice, vt si exasperatos eos excutere ceruice toros viderint, fugiant & delitescant. Nihil ergo præiudicat pecunia, quę plerumque sibi dominos emit: nihil tabulę auctionales, quibus emptor frequenter adiudicatur atque addicitur. Contractus non mutat genus, nec sapientia libertatem adimit. Denique famulo sapienti multi (vt scriptum est) seruiunt liberi, & est seruus intelligens qui regat dominos stultos. Quem ergo magis liberum censes? Sola est sapientia libera, quę diuitibus pauperes præficit, & quę seruos propriis scenerare dominis facit, scenerare non pecuniam, sed intellectum, scenerare talentum illius Domini ceterique thesauri, qui nunquam corrumpitur, cuius & vsura preciosa est, scenerare illud intelligibile eloquiorum argentum cœlestium, de quo lex dicit: Scenerabis gentibus, tu autem non mutuaberis. Quod Hebræus scenerauit gentibus, ipse autem non accepit à populis doctrinam, sed tradidit, cui aperuit Dominus thesaurum suum, vt gentes pluuia sermonis sui faceret humescere, & fieret princeps gentium, ipse autem supra se principem nullum haberet. Liber est ergo qui sapiens est, precio emptus oraculorum cœlestium, illo auro, illo argento emptus sermonis diuini, precioque emptus sanguinis, (non enim nimium est emptorem agnoscere) precio emptus gratia, qui audiuit & intellexit dicentem: Qui sititis, ite ad aquam: & quicumque non habetis argētum, ite, emite, & bibite, & maducate. Liber est ille, qui progrediens in bellum, si viderit mulierem bonam aspectu, & deprædatus opes inimicorum suorum, repertam illic cōcupierit eam, demptis superfluis, & indumento captiuitatis detracto, in vxorem eam sibi copulauerit, iam non seruam, sed liberam: intelligit enim famulatu prudentiam & disciplinam non subiaccere. Ideoque lex dicit: Non venundabitur pecunia. Omne enim preciosum non est dignum. Et Iob dicit: Attrahe sapientiam in interiora. Non illi comparabitur Æthiopię topazion, quod auro habetur argētoque preciosius. Sed non ille solum liber qui Dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit, sed ille magis liber, qui intra se liber est, qui legibus naturę liber est, legem sciens naturę præscriptā esse moribus, non conditionibus, & mensuram officiorum consentaneā non hominis arbitrio, sed naturę disciplinis. Vtrum igitur iste liber tibi tantummodò, an quidam censor videtur, & præfectus moribus? Vnde verè ait scriptura, quia pauperes diuitum præpositi erunt, & priuati vtique administrantium. An tibi liber videtur qui pecunia suffragium sibi emit? Qui plausum populi magis quam iudicium requirit prudentium? Ille ergo liber est qui popularibus auris mouetur? Ille qui reformidat sibilum vulgi? Sed nō ista libertas, quam manu missus accipit, & palma licitoris donatus acquirit. Non enim munificentiam, sed virtutem libertatem esse arbitror, quę non suffragiis defertur alienis,

RR ij

Genes. 25. Genes. 37.

Job. 104.

Idem.

Idem.

Job. 4.

Deut. 15.

Esai. 55.

Iob. 28.

1. Tim. 1.

Roman. 2.

Prouerb. 5.

sed magnanimitate propria vindicatur ac posside-
tur. Sapiens enim semper liber, semper honoratus,
semper is qui præsist legibus. Denique iusto non est
posita lex, sed iniusto. Iustus enim ipse sibi lex est,
non habens necesse longius sibi arcessere formam
virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum ha-
bens opus legis in tabulis cordis sui, cui dictum sit:
Bibe aquam de tuis vasis, & de puteorum tuorum
fontibus. Quid enim nobis tam proximum quam
Dei verbum? Hoc est verbum in corde nostro, & in
ore nostro, quod non videmus & tenemus. Sapiens
ergo liber, quoniam qui ea facit quæ vult, liber est.
Sed non omnis bona voluntas, sed sapientis est om-
nia quæ bona sunt velle. Odit enim malum, quia quod
bonum est elegit. Ergo si quod bonum est elegit, ar-
bitratur electionis, & eligens operationis liber est, quia
quod vult facit. Liber ergo sapiens. Sapiens omnia
quæ facit, bene facit. Qui autem bene facit omnia,
rectè facit omnia. Qui verò rectè facit omnia, utiq;
inoffensè & irreprehensibiliter, & sine damno, &
commotione sui facit omnia. Cui igitur hoc subest,
vt inoffensè faciat, faciat irreprehensibiliter, faciat
sine commotione sui, sine damno: nihil insipienter
facit, sed sapienter omnia. Qui autem sapienter facit,
nihil habet quod metuat. Metus enim in peccato
est. Vbi autem nulla formido, ibi libertas: vbi li-
bertas, ibi potestas faciendi quod vult. Solus ergo
sapiens liber est. Etenim qui neque cogi potest, ne-
que prohiberi, is nequaquam seruus. Sapientis autè
est neque cogi, neque prohiberi. Non est igitur ser-
uus sapiens. Prohibetur enim qui non fungitur iis
quæ desiderat. Quæ autem desiderat sapiens, nisi ea
quæ virtutis & disciplinæ sunt, sine quibus esse non
potest? In ipso enim sunt, nec diuelluntur ab eo: quod
si diuelluntur, iam non sapiens, qui sit sine virtutis vsu
ac disciplina, quibus ipse se fraudet si non sit volun-
tarius virtutis interpres. Quod si cogitur, manifestum
est quod inuitus faciat. In omnibus autem factis aut
à virtute correctiones sunt, aut à malitia prolapsio-
nes, aut media ac indifferentia. Virtutis non coactus,
sed voluntarius executor est sapiens, quoniam omnia
quæ placent agit: malitiam fugitans, nec somnium
eius admittit. Indifferentibus ita non mouetur, vt
nullis momentis sicut vulgus hominum huc atque
illuc inclinatur, sed tanquam in statera mens eius æ-
qua lance pendeat, vt neque ad voluptaria propen-
dat, neque omnino ad ea quæ sunt auersanda, vel
leuiter studium inclinet suum, sed immobilis ma-
neat affectu. Vnde liquet quia nihil inuitus facit sa-
piens, neque cogitur: quia si seruus esset, cogeretur.
Liber igitur est sapiens. Apostolus quoque sic defi-
nit, dicens: Non sum ergo liber, non sum Aposto-
lus. Sed adeo liber, vt cum subintrassent quidam tē-
tare libertatem eius, nec ad horam ipse (vt ipse ait)
cederet subiectioni, vt veritas Euangelij prædica-
retur. Qui ergo non cessit, volens prædicauit. Vbi
voluntas, ibi merces voluntatis. Vbi necessitas, ibi
obsequium necessitatis. Melior ergo voluntas quam
necessitas. Velle ergo sapientis est, parere & seruire
insipientis. Hæc etiam Apostoli definitio dicentis:
Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si au-
tem inuitus, dispensatio mihi credita est. Sapienti
igitur merces defertur, sapiens autem ex volunta-

Ibidem

te facit. Liber itaque secundum Apostolum sapiens.
Vnde & ipse clamat: Vos enim in libertatem vocati
estis, tantum ne libertatem in occasionem carnis
detis. Sequestrata lege, Christianum ne inuitus vi-
deatur legi succumbere, vocat in Euangelium, quod
voluntas & prædicat, & operatur. Iudæus sub lege,
Christianus per Euangelium. In lege seruitus, in Eu-
angelio libertas, vbi cognitio sapientiæ. Omnis er-
go qui Christum recipit, sapiens: qui autem sapiens,
liber. Omnis igitur Christianus & liber, & sapiens.
Docuit me tamen Apostolus quod ultra ipsam li-
bertatem sit, vt & seruire libertas sit. Cum liber, in-
quit, essem, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.
Quid est ultra libertatem nisi habere spiritum gratiæ,
habere charitatem? Libertas enim liberum facit
hominibus, charitas amicum Deo. Vnde ait Christus:
Vos autem dixi amicos. Bona charitas, de qua dicitur:
Per charitatem spiritus seruite inuicem. Seruiuit & Christus,
vt omnes liberos faceret. Manus eius in cophino serui-
erunt, qui non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo,
formam serui accepit, & omnia omnibus factus est, vt omnibus
salutem afferret. Cuius imitator Paulus, & quasi sub
lege erat, & quasi sine lege vivebat pro eorum vilitate
quos cupiebat lucrari, & infirmis volens fiebat
infirmus, vt eos confirmaret, & currebat vt comprehenderet,
& corpus suum castigabat, vt potestates aëreas in
Christo triumpharet. Est ergo sapienti & seruire libertas.
Vnde colligitur quia stulto & imperare seruitus est:
& quod peius est, cum paucioribus præsit, pluribus
dominis & grauioribus seruit. Seruit enim propriis
passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum domi-
natum nec nocte potest fugere, nec die, quia intra se
dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile.
Gemina enim seruitus est, altera corporis, animarum
altera. Domini autem corporis quidem homines, animarum
autem malitiæ & passiones, à quibus sola animi
libertas sapientem vindicat, vt seruitio ei liceat exire.
Quæramus igitur illum verè sapientem, verè liberum,
qui quamuis sub plurium hominum dominatu degat,
liberè dicit: Quis est qui mecum iudicio contendat?
Tu solus manum tuam à me abstine, à cuius conspectu
non potero me abscondere, & timor tuus non me
percellat. Quem secutus Dauid rex ait: Tibi soli peccaui.
Regali enim subnixus fastigio, quasi legum dominus
legibus reus non erat, soli Deo obnoxius tenebatur,
qui Dominus est potestatum. Alium audi liberum:
Mihi autem pro minimo est, vt à vobis diiudicem,
aut ab humano die, sed neque me ipsum diiudico.
Nihil enim mihi sum conscius, qui autem diiudicatur
me, Dominus est. Vera libertas hominis spiritualis,
quia diiudicatur omnia, ipse autè à nemine diiudicatur,
nec à quæuunque creatura particeps, sed soli Deo se
subditum nouit, qui solus sine peccato est, de quo dicit
Iob: Viuit Dominus, qui sic me iudicat. Solus enim ille
potest iudicare iustum, cuius in conspectu cælum non est
mundum, nec stellarum pura & clara lumina. Quis est
qui Sophoclea in medium ferat carmina dicentia:
Iupiter mihi præest, nullus autem hominum? Quanto
antiquior Iob, quanto vetustior Dauid? Agnoscant
ergo de nostris se habere quæcunque præstantiora

Galat. 5.

Ibidem 44.

1. Cor. 9.

Ibidem 10.

Gal. 5.

Ibidem 8.

Philip. 2.

1. Cor. 9.

Ibidem.

Ibidem 7.

Ibidem 8.

Ibidem 4.

Ibidem 1.

Ibidem 2.

Ibidem 5.

1. Cor. 4.

Ibidem 1.

Ibidem 17.

tiora locuti sunt. Quis igitur sapiens, nisi qui ad ipsa
peruenit diuinitatis secreta, & manifestata sibi
cognouit occulta sapientiæ? Solus igitur sapiens, qui
duce Deo vsus est ad cognoscenda veritatis cubilia,
& mortalis homo immortalis Dei hæres, & succes-
sor est factus per gratiam, & quidam iucunditatis
particeps, sicut scriptum est: Propterea vnxit te Deus
Deus tuus oleo lætitiæ præ confortibus tuis. Si quis
igitur propius ipsa introspeciat rerum negotia,
cognoscat quanta sapienti adiumenta, & quanta in ipsis
insipienti refragia sint, quid huic adiumento liber-
tas, illi impedimento seruitus sit. Insurgit enim sa-
piens quasi victor debellatis à se ac triumphatis li-
bidinis, timoris, ignauitatis, mœstitudinis, cæterisque
vitiis, donec ea de possessione suæ mentis eliminat,
& omnibus terminis finibusque suis propulset atque
arceat, quoniam dux cautior nouit excursus cauere
latrocinantium, & quædam furta belli, quæ iniquis-
simi animæ nostræ aduersarij ignitis sæpè pertentan-
t spiculis. Sunt enim nobis quædam & in pace
prælia, & in bello pax. Vnde & ille ait: Foris pugna,
intus timores. Sed in his omnibus superamus pro-
pter eum qui dilexit nos. Dicit quia neque angustis,
neque persecutionibus, neque fame, neque periculo
mortis terretur. Qui verò hæc timet, qui mortem
reformidat, quomodo non seruus? Seruit profecto,
& miseram quidem seruitutem. Nihil enim sic ani-
mam ad omnem seruitutem deiicit quomodo formido
mortis. Quomodo enim se erigat abiectus & vilis
sensus atque ignobilis, demersus in omnem infirmitatis
voraginem vitæ huius cupiditate? Vide quomodo
seruus: abscondam me, inquit, & ero gemens & tremens
super terram, & erit, omnis qui inuenerit me, occidet
me. Itaque quasi seruus signum accepit, nec sic tamen
necem potuit euadere. Seruit igitur peccator formidini,
seruit etiam cupiditati, seruit avaritiæ, seruit libidini,
seruit malitiæ, seruit iracundiæ: & videtur huiusmodi
sibi liber? Sed magis seruit, quam si sub tyrannide
positus. Illi autem liberi sunt, qui legibus viuunt.
Lex autem vera sermo rectus, lex vera non insculpta
tabulis, nec ære incisa, sed impressa mentibus,
atque infixis sensibus, quando sapiens non sub lege,
sed ipse sibi lex est opus legis in corde suo continens,
naturali sibi stylo & quadam inscriptione formatum.
Tantumne igitur cæcitatibus est, vt non videamus
manifestas rerum expressiones, & virtutum imagines?
Et quomodo indignum, vt populi integri obediant
humanis legibus, quod sint libertatis participes:
sapientes autem veram legem naturæ expressam ad
imaginem Dei, veramque rationem signiferam libertatis
negligant, & derelinquant, cum in ea tanta
libertas sit, vt paruuli seruire vitiis nesciamus,
alieni ab ira, exortes avaritiæ, ignari libidinis.
Quomodo miserum igitur, vt qui nascimur in
libertate, moriamur in seruitute. Sed hoc fit leuitate
animi, atque infirmitate morum, quia curas inanes
voluimus, & operamur superuacua. Sapientis autem
cor actumque & opus radicatum esse decet atque
immobile. Hoc docuit Moyses quando manus ei
grauiores fiebant, ita vt vix sustineret eas Iesus
Naue. Ideoque vincebat populus quando non
perfunctoria gerebantur opera, sed plena ponderis
atque virtutis, non nutantis animi,

nec titubantis affectu, sed fundatæ mentis stabilitate.
Ergo sapiens extendit manus suas, stultus autem
contrahit, sicut scriptum est: Quia stultus complexus
est manus suas, & vorauit viscera sua, carnalia
magis cogitans quam spiritualia. At non filia Iudæ,
quæ expandens manus clamauit ad Dominum: Tu
scis quia falsum testimonium aduersum me dicunt.
Melius est arbitrata non peccare, & incidere in
calumnias accusantium, quam peccatum subire sub
impunitatis velamine. Ea ergo contemptu mortis
seruauit innocentiam. Sed nec filia Iephte, quæ
votum patris de immolatione sua proprio atque
hortatorio firmavit assensu. Non enim ego de
contemptu mortis libros Philosophorum depromo,
aut Gymnosophistas Indorum, quorum præ cæteris
Calani laudatur responsum Alexandro, cum eum iuberet
sequi. Qua me, inquit, laude dignum Græciam
petere poscis, si possum cogi facere quod nolo? Et
verè plenus autoritatis sermo, sed magis mens
libertatis. Denique & epistolâ scripsit Calanus
Alexandro: Amici persuadent tibi manus & necessitatē
inferre Indorum Philosopho, nec in somniis videntes
nostra opera. Corpora enim transferes de loco
ad locum, animas non coges facere quod nolunt,
non magis quam saxa & ligna vocem emittere.
Maximus ignis viuentibus corporibus dolorem inurit,
& gignit corruptionem, super hunc nos sumus:
viuentes enim exurimur. Non est rex neque princeps
qui extorqueat nobis facere quod non proposuimus.
Nec similes sumus Græciæ Philosophorum,
qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis
celebritatem. Nobis res sociæ verbis, & verba rebus:
res celeres, & sermones breues, in virtute nobis
libertas beata est. Præclara verba, sed verba: præclara
constantia, sed viri: præclara epistola, sed philosophi.
Apud nos autè & puellæ de mortis appetentia
sublimes vsque ad cælum erexere virtutum gradus.
Quid Theclam, quid Agnen, quid Pelagiam loquar,
quæ tanquam nobilia vitulina pullulantes, ad
mortem quasi ad immortalitatem festinauerunt?
Inter leones virgo exultauit, & prodeuntes bestias
expectauit intrepida. Et vt nostra cum Indorū
Gymnosophistis conferamus: quod ille verbis
gloriatum est, sanctus Laurentius factis probauit,
vt viuus exuretur, & flammis superstes diceret:
Versa, manduca. Haud deneger Abrahamidarum &
Macchabæorū concertatus puerorum, quorum alij
super flammam canebant, alij cum exurerentur
non rogabant vt parceretur, sed inuehebantur,
vt amplius persecutor inflammaretur. Liber igitur
sapiens. Quid autè sublimius sancta Pelagia,
quæ vallata à persecutoribus priusquam tamen in
eorum conspectum veniret, aiebat: Volens morior,
nemo me continget manu, nemo oculo proteruo
violabit virginem. Mecum feram pudorem,
mecum incolumem verecundiam. Nullum prædones
lucrum suæ capient insolentiæ. Pelagia Christum
sequetur, libertatem nemo auferet, nemo captiuam
videbit liberam fidem, insignemque pudicitiam,
& profapiam prudentiæ. Quod seruus est,
hic manebit nullos in vsus debitum. Magna
igitur piæ virginitatis libertas, quæ septa
agminibus persecutorum, inter maxima pericula
integritatis & vitæ nequaquam inclinata est.

Eccles. 4.

Dan. 13.

Iudic. 11.

At non ille cui dominatur ira, subiicitur enim iugo peccati. Homo enim iracundus peccatum effodit. Qui autem peccatum facit, seruus est peccati: at non ille liber qui seruit avaritiæ, non potest enim possidere vas suum. Non ille liber qui seruiens desideris & voluptatibus vago fluitat errore. Non ille liber qui curuatur ambitu: seruit enim alieno imperio: sed ille liber qui potest dicere: Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis. Ille liber qui ait: Quid enim libertas nostra iudicatur ab infideli conscientia? Libertas igitur sapienti non insipienti conuenit: quoniam qui delingat lapidem in fundibulo, similis est ei qui dat imprudenti claritatem, seipsum vulnerat, atque sibi potius dum intorquet iaculum, affert periculum. Certè sicut tormento acerbatur, & geminatur malum faxi ruina, sic insipientis in libertate ruina, vehementior est. Recidenda igitur insipienti potestas, non adicienda libertas est: seruitus enim ei conuenit. Ideoque addidit: Spinæ nascuntur in manu ebriosis, seruitus autem in manu imprudentis: quia sicut ille suis vulneratur poculis, ita insipiens suis factis. Ille bibendo se peccato inserit, iste operando se culpæ adiudicat, & factis suis trahitur in seruitutem. Videbat se Paulus in captiuitatem trahi à lege peccati, & ideò vt liberaretur, confugit ad libertatis gratiam. Non sunt igitur liberi insipientes, quibus dicitur: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In fræno & chamo maxillas eorum constringe qui nõ appropinquât tibi. Multa flagella peccatorum, quia multis flagellis opus est vt eorum imprudentia cõreatur. Disciplina hoc exigit, non inclemẽtia: denique qui parcit baculo suo, odit filiũ suũ: simul quia vnusquisque grauius suis peccatis flagellatur. Grauiã enim delictorum pondera, grauiã criminũ verbera, sicut onus grauantur graue, & infligant animæ cicatrices, & putrescere faciunt mentis vlcera. Deponamus igitur tam grauem seruitutis sarcinam, renunciemus luxuriæ ac deliciis, quæ nos quibusdam adstringunt nexibus cupiditatum, & vinculis ligat: nihil enim profunt delictiæ stulto. Et quicumque à pueritia dederit se deliciis, manebit in seruitute, vt viuens mortuus sit. Recidatur ergo luxuriosus, delictiæ refectur. Et si quis fuit luxuriosus, valedicat superioribus. Recisa enim vinea fructum affert, semiputata frondescit, neglecta luxuriat. Ideoque scriptũ est: Tanquam agricultura homo imprudens, & tanquam vinea homo egenus sensu: si reliqueris eum, desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrũ, castigemus illud, redigamus ad seruitutẽ, non illud despiciamus. Sunt enim membra nostra arma iustitiæ, sunt & arma peccati. Si eleuentur, arma iustitiæ sunt, vt peccatum in his non dominetur, si mortuum fuerit peccato, non regnabit in eo culpa, & erũt membra nostra à peccato libera. Non obediãmus igitur cupiditatibus eius, neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato. Si videris mulierem ad concupiscendum eam, membra tua arma peccati sunt. Si locutus es ad sollicitãdam eam, lingua tua & os tuum membra peccati sunt. Si abstulisti terminos à patribus positos, membra tua arma peccati sunt. Si festinasti velocioribus pedibus ad effundẽ-

dum innocentium sanguinem, membra tua arma iniquitatis sunt. Contra si vidisti egenum, & induxisti in domum tuam, membra tua arma iustitiæ sunt. Si eripuisti iniuriam accipientem, vel eum qui dicebatur ad mortem, si scidisti chirographum debitoris, membra tua arma iustitiæ sunt. Si confessus es Christum (arma enim intellectus labia sapientiæ) labia tua membra iustitiæ sunt. Qui potest dicere: Oculus eram cæcorum, pes claudorum, pater infirmorum, membra eius membra iustitiæ sunt. Ergo liberati à peccato, quasi precio empti sanguinis Christi non subiiciamur seruituti hominum vel passionum. Non erubescamus peccatum nostrum fateri. Vide quàm liber qui poterat dicere: Nõ reueritus sum multitudinem populi, vt non annunciarẽ in conspectu omnium peccatum meum. Qui enim confitetur Domino, exiit à seruitute. Iustus enim accusator est sui in principio sermonis. Non solum liber, sed etiam iustus: sed iustitia in libertate est, & libertas in confessione. Simul enim ac cõfessus quis fuerit, absoluitur. Denique, Dixi pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Mora ergo absolutio- nis in confitendo est, confessionem sequitur peccatorum remissio. Sapiens est igitur qui cõfiteretur. Liber cui peccatum dimissum est, nulla iam trahens æra peccati. Vale, & nos dilige, vt facis, quia & ego te diligo.

Diui Ambrosij ad Faustinum, eundem propter obitum germanæ acerbo dolore mœrentem consolantis.
Epistola VII.

Ambrosius Faustino. Acerbo te doliturũ dolo- re obitum germanæ tuæ non ignorabam, non tamẽ vt à nobis te ablegares, sed vt nobis redderes. Nã etsi minus iucunda solatia mœrentibus, tamen nonnunquã necessaria sunt. Tu autem abisti in secreta môtium, & inter ferarũ diuersaris spelæa, omni humanæ conuersationis vsu abdicatus, & quod grauius est, iudicio tuo. Tãtũmne de te commeruit germana tua, vt propter quam excellere apud te debuit conditio humana, quæ tam egregiam fœminã tulit, propter eam apud te minoris prærogatiuæ sit? Illa certè vita excedens hoc se mulcebat solatio, quod te sibi superstitem derelinqueret, parentẽ nepotibus, præsulem paruulis, auxiliatorem destitutis. Tu ita te & nepotibus & nobis abnegas, vt consolationis illius fructum non sentiamus. Illa te chara pignora vocant non ad dolendum, sed ad consolãdum, vt cum te vident, matrem sibi non credant obisse. In te eam recognoscant, in te eius præsentia teneant, in te vitam eius sibi manere arbitretur. Sed doles quod dudum florentissima repente occiderit. Verũ hoc nobis cõmune nõ solũ cũ hominibus, sed etiam cum ciuitatibus terrisq; ipsis est. Nempe de Bononiensi veniẽs vrbe à tergo Claternam, ipsam Bononiam, Mutinam, Rhegium derelinquebas, in dextera erat Brixillum, à frõte occurrebat Placentia, veterẽ nobilitatem ipso adhuc nomine sonãs, ad leuã Apœnini incultra miseratus, & florẽtissimorum quondã populorũ castella cõsiderabas, atq; affectu relegebas dolẽti. Tot igitur semirutarũ vrbiũ cada-

uera, terrarũq; sub eodẽ cõspectu exposita funera non te admonet vnus, sanctæ licet & admirabilis, fœminæ decessione consolabiliorem habendã, præfertim cum illa in perpetuum prostrata acciduta sint, hæc autem ad tempus quidem erepta nobis meliorem illic vitam exigat? itaque non tam deplorandã quàm prosequendam orationibus reor. Nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendãdam arbitror. Verum forte asseras securum te de meritis eius ac fide, nequire tamen ferre desiderium, quod eam iam non videas secundum carnem, idque tibi summo dolori sit. Nec illud te mouet Apostolicum quod ait: Quia neminem nouimus ex hoc secundum carnem: & si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Caro enim nostra perpetua esse ac diuturna non potest, necesse est occidat vt resurgat, necesse est resoluatur vt requiescat, vt fiat quidã finis peccati. Et ideò multos cognouimus secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Ipsum Dominum Iesum cognouimus (inquit Apostolus) secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Iam enim carnis deposuerat exuias, iam specie hominis non videbatur, iam pro omnibus mortuus erat, & omnes in illo mortui, sed vt per ipsum renouati, & viuificati spiritu iam non sibi, sed Christo viuerent. Vnde & alibi ait idem Apostolus: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus. Meritoque qui ante cognouerat secundum carnem Christum, iam operationes eius inuisibiliter agnoscẽs, iam non carnem eius sed potentiam scrutans, qui ante persecutor discipulos hominis, & pedisequos carnis infestis odiis vrgebat, postea doctor gentium factus veneratores maiestatũ eius ad prædicationem Euãgelij instruere atque informare cõperat. Et ideò addidit: Si quis in Christo noua creatura, id est, qui perfectus in Christo noua creatura est, quoniam qui caro est, imperfectus est. Denique ipse Dominus ait: Non permanebit spiritus meus in istis hominibus, quoniam carnes sunt. Carnalis itaque non est in Christo, sed si quis in Christo est, noua creatura est, non naturæ nouitate formatur, sed gratiæ. Vetera itaque quæ secundum carnem erant, transferunt, facta sunt noua omnia. Quæ illa? nisi quæ scriba doctus in regno cœlorum nouit, similis illius patris familias qui profert de thesauro suo noua, & vetera: neque vetera sine nouis, neque noua sine veteribus. Ideo & Ecclesia dicit: Quia noua & vetera seruaui tibi. Sed transferunt vetera, id est, legis mysteria abscondita: in Christo facta sunt omnia noua. Hæc est noua creatura, de qua Apostolus ad Galatas ait: In Christo enim Iesu neque circũciso aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Per quam iam renouata caro floret, & fructum inuenit gratiæ, quæ ante inueterati flagitij spinas habebat. Quid ergo est quod mœreamus, si iam ad animam dicitur: Renouabitur sicut aquilã iuuentus tua? Quid est quod ingemiscamus pro mortuis, cum iam reconciliatio mundi apud Deum patrem facta sit per Dominum Iesum? Quoniam ergo Christi beneficia tenemus, cũ apud omnes, tum apud te pro Christo legatione fungi-

mur, vt noueris irreuocabilia eius esse dona, vt credas quod semper credidisti, nec nimio mœrore tuã in dubium adducas sententiam, quia ideò peccatum factus est Dominus Iesus, vt tolleret peccatum mundi, & essemus in illo omnes iustitia Dei, iam non culpæ obnoxij, sed iustitiæ remuneratione securi. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Bellicium, graui ægritudine priusquam in Dominum Iesum crederet iactatum, postea autem reualefcere incipientem, illum ex diuina uisitationis pietate in fide Christi confortantis, & ad aliorum sacramentorũ perceptionem exhortantis.

Epistola IX.

Ambrosius Bellicio: Iactatum te graui ægritudine significasti mihi credidisse in Dominum Iesum, & iam cõpisse reualefcere. Ad salutem igitur ea infirmitas fuit, plus aculei quàm periculi ferens, quia diu promissum remordebas. Hoc est quod ait: Percutiam, & sanabo. Percussit infirmitate, sanauit fide. Vidit enim interiorem affectum tuum non vacuum piæ cupiditatis, sed executi dilationibus. Et ideò admonere maluit, ita vt salutem non læderet, deuotionem excitaret. Quomodo enim saluti noceret qui solet dicere, vt legimus in Euãgelio: Ego veniam, & curabo eum? Ergo & cum à tuis inuitaretur vt inuideret domum tuam, sine dubio dixit: Ego veniam, & curabo eum. Et si non audisti eum, ille tamen quasi Deus insensibiliter locutus est. Etsi non vidisti eum, ille tamen quod te incorporaliter inuiderit, dubitari non potest. Sed vidisti eum, qui credidisti ei: vidisti eum, qui recepisti eum hospitio tuæ mentis: vidisti eum spiritu, vidisti eum oculis interioribus. Tene ergo hospitem nouum diu expectatum, sed sero susceptum, in quo & viuimus, & sumus & mouemur. Gustasti igitur fidei prima exordia, nõ fiat verbum occultum in corde tuo. Hęc omnis gratia est, hoc omne munus. Nemo enim penetrat alia domus de ingressu æstimat. Siquidem omnis fructus in interioribus est. Neque enim sapientis est à fenestra respicere in domum, & stultitia hominis audire per ostium. Alia sunt sacramentorum perfectorum mysteria, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Deus diligentibus eum, vt dixit scriptura. Alia sunt illa quæ de gloria futura annunciarunt Prophetæ, quibus reuelatum est, & Euangelizarunt sancti, spiritu Dei misso de cœlo, in quæ concupiscunt & angeli videre, vt ait Apostolus Petrus. Alia sunt illa in quibus est mundi redemptio, peccatorum remissio, gratiarum diuisio, sacramentorum participatio: quæ cum acceperis, tunc mirabere tantum donatum esse homini, vt illud manna quod miramur fluxisse de cœlo Iudæis, nec tantæ operationis iudices ad salutem fuisse. Illud enim quicumque acceperunt, in deserto mortui sunt, præter Iesum Nauc, & Caleph. Hoc sacramentum quicumque gustauerit, non morietur in æternũ. Sanet te Dominus Iesus. Vale.

Capita Epistolarum Libri tertij.

Ambrosius Simpliciano, pulchre de veris diuitiis, ac contraria paupertate differens, & quod omnis solusque sapiens verè diues, atque insipiens pauper sit, demonstrans. Epist. X.

Ambrosius Irenæo, versiculum illum, Speciosus forma, &c. Græco sermone annotatum voluens pluribusque rationibus & exemplis nos prouocans, ut illi summo bono quod est Dominus Iesus, quo nihil est speciosius, animo intendamus, illud queramus, illud intueamur, illud teneamus, in illo versetur, illi adhareamus, & in eo pascamur. Epist. XI.

Ambrosius Irenæo, prosequens illud verbum Aggæi prophetæ: Si tempus vobis est ut habitetis in domibus calatis? multo ex hoc nos sermone commonens ut in superioribus domibus, et non in vallestribus & subterraneis habitemus, talisque domos nosmetipsos Domino ædificemus. Epist. XII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, EPISTOLARVM LIBER TERTIVS.

Diui Ambrosij ad Simplicianum, pulchre de veris diuitiis, ac contraria paupertate differens, & quod omnis solusque sapiens vere diues, atque insipiens pauper sit, demonstrans.

Epistola X.

Ambrosius Simpliciano. Videbatur proximè in disceptationes incidisse philosophiæ, cum de Apostoli Pauli Epistola summentes exordium, tractarem, quod omnis sapiens liber. Verum postea cū Petri Apostoli Epistolam legerem aduerti, quod omnis sapiens etiam diues. Nec sexum exceperit, qui fœminas ornatum omnem non in preciosis monilibus, sed in bonis moribus habere scripserit. Non enim, inquit, sit extrinsecus capillorum implicatio, aut auri circumpositio, aut habitus vestimentorum ornamentum, sed ille absconditus cordis homo. Duo sunt igitur, & esse hominem in homine, & illud esse diuitem, qui sibi nullarum diuitiarum vsum requirat. Pulchrè autem cordis hominem dixit, eo quod totus sapientiæ sit absconditus, sicut ipsa sapiëntia quæ non videtur, sed intelligitur. Nemo ante Petrum tali expressione vsus est, vt diceret cordis hominem. Exterior enim homo plurima in se membra habet. Interior autem cordis homo totus sapiëntiæ est, plenus gratiæ, plenus decoris. In incorruptione, inquit, quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum diues. Et verè diues, qui in conspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recõdat. Quis autem ante Deum diues, nisi quietus & modestus spiritus, qui numquam corumpitur? Nonne tibi videtur diues qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, vt nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, & noua querat, & semper desiderando fiat in summis diuitiis inops? Ea est pax vere diues, quæ

superat omnem mētem. Diues pax, diues modestia, diues fides. Fideli enim totus mundus possessio est. Diues simplicitas. Sunt enim & diuitiæ simplicitatis quæ nihil discutit, nihil cõtractum, nihil suspectum, aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. Diues bonitas, quam si quis seruauerit, pascitur in diuitiis cœlestis hæreditatis, & vt antiquioribus exemplis scripturæ vtamur, beatus, inquit, vir, quem arguit Dominus. Admonitionem autem Dei ne recusaueris. In fame liberabit te à morte, in prælio de manu ferri liberabit te, & à flagello linguæ te abscondet. Feræ bestiæ pacificæ erunt tibi, & scies quod in pace erit domus tua. Mitigatis enim carnis huius passionibus, quæ militare aduersum animam solent, tabernacula tua sine perturbatione erunt, domus sine offensione, semen sine defectu, posteritas sicut odor agri pleni, sepultura sicut messis. Siquidem quādo alij suum defectum arbitrantur, tunc acruus tritici sui supernis maturus infertur apothecis. Merito iustus semper fœnerat, iniquus indiget. Ille iustitias fœnerat mandato Dei pauperibus & egenis. At vero insipiens & quod putat se habere, nequaquā possidet. An putas illum possidere, qui thesauro suo die ac nocte incubans, auara & misera torquetur solitudine? Ille vero eget, & si alij diues videtur, sibi pauper est, qui non vtitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia desiderat. Vbi enim nullus cupiditatis modus, qui fructus diuitiarum? Nemo est diues, qui quod habet secum hinc auferre non potest. Quod enim hic relinquitur, non nostrum, sed alienum est. Diues Enoch, qui quod habuit secum transtulit, & omnem illum bonitatis suæ censum cœlestibus intulit receptaculis: qui ideo raptus est, ne cor eius malitia mutaret. Diues Helias, qui virtutum suarum thesauros curru igneo sublimis sedibus æthereis inuexit. Et tamen iste non mediocres diuitias hæredi reliquit, quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cum victus quotidiani indigens alimonia mitteretur ad viduam, vt pasceretur ab ea, quando ad eius vocem cœlum claudebatur & aperiebatur,

1. Pet. 3.

1. Pet. 3.

Philip. 4.

1. Sam. 33.

1. Tim. 11.

1. Sam. 118.

1. Tim. 33.

1. Tim. 3.

1. Sam. 44.

1. Tim. 5.

1. Tim. 4.

1. Tim. 44.

riebatur, quādo ad eius verbum hydria farinæ & vas olei non deficiebat per triennium: sed abundabat, nec minuebatur vsu, sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit, ad cuius voluntatē descēdebat ignis, quem in via flumina non concludebant, sed in suum fontem recurrabant, vt sicco propheta transfret pede? Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab, & pauperem Nabutham: quem horum pauperiorem, quem ditiozem credimus? Alter regali fulcro diuitiarum præditus, inexplibilis infatibilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desiderauit. Alter despiciens animo, βασιλεω τῶ; πολυχρύσῳ; τύχῳ; imperialisque gazas, suo erat contentus palmitē. Nonne videtur hic magis diues, hic magis rex, qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates, vt nihil alienum concupisceret: ille autem egentissimus, cui aurum suum vile, alienus palmes preciosissimus existimabatur? Sed qua ratione egentissimus, cognosce: Quia diuitiæ iniustæ congregatæ euomuntur, radice autem iustorum manet, & vt palma floret. An non egentior paupere is qui tanquam umbra præterit? Hodie impius exaltatur, cras non erit, nec inuenietur aliquis locus eius. Quid est itaque diuitem esse, nisi abundare? Quis autem abundat qui fit animo contractior? Qui autem animo contractior, vtique angustior. Quæ igitur in angustiis abundantia? Non ergo diues qui non abūdat. Vnde pulchre Dauid: Diuites, inquit, egerunt & esurierunt: Quoniā cum haberent scripturarum thesauros cœlestium, egerunt qui non intellexerunt, & esurierunt qui nullum spiritualis gratiæ gustarunt cibum. Nihil igitur affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius. Nā cum regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest? Et ideo præclare Apostolus: O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Præclare etiam Dauid, qui in via testimoniorum cœlestium quasi in omnibus diuitiis delectabatur. Expresse Moyses, qui ait: Neptalim satietas accipientium. Neptalim, abundantia significatur latina interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo abūdantia, vbi satietas. Vbi autem fames cupiditatum, vbi inexplibilis appetentia, ibi vtique paupertas. Sed quia vix vlla rei pecuniariæ vel mundi huius cupiditas satietatem habet, ideo addidit: Et replebitur benedictione. Secundū hæc Petrus Apostolus definiuit non in auro & argento, & indumentis fœminarum esse ornamētum, sed in occulto cordis homine atque abscondito: vnde nulla se exuat cultum pietatis, ornatum gratiæ, vitæ æternæ hæreditatem. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, versiculum illum: Speciosus forma, &c. Græco sermone annotatum voluentis, pluribusque rationibus & exemplis nos prouocatis, vt illi summo bono quod est Dominus Iesus, quo nihil est speciosius, animo intendamus, illud queramus, illud intueamur, illud teneamus, in illo versetur, illi adhareamus, & in eo pascamur.

Epistola XI.

Ambrosius Irenæo. Inter legēdum cum paululum requieuissem animo, quia lucubratione destiteram, versiculum illum cœpi mecū voluere, quo ves-

peri in vigiliis vsi fueramus, ἀρεῖος καλλιῶ; τοῦ; υἱῶ; τῶ; ἀνθρώπων ὡ; ἀρεῖοι οἱ πόδες τῶ; ἐπιτελειομένων αὐτῶν. Et verè nihil speciosius illo summo bono, cuius etiam prædicatio speciosa est nimis, & maximè perseuerantis sermonis processus, & quædam apostolicæ prædicationis vestigia. Sed illa qui possunt? Quibus donauit Deus non solum vt Christum annuntiarent, sed etiam pro illo paterentur. Nos quātum possumus intendamus, illo animum, & in illo firmus, illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, vt fiat illuminatione eius & fulgore speciosa anima nostra, & mēs dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate, & specie nemoris vel collis herbose omnem inæqualitatem ægrescentis obtutus repellunt, & quadam salubri specie pupillæ ipsæ atque orbis colorari videntur: quanto magis hic mētis oculus cum illud summum intuetur bonum, & in eo versatur, atque eo pascitur, splendescit atque enitet, vt fiat illud quod scriptum est: Tanquam adipe & pinguedine repleatur anima mea. Denique qui scienter agnoscit animas gregis sui, curam adhibet herbis cæpestribus, vt sint ei pascua plurima. Herbes enim suauioribus & agni pinguiore sunt, & succus lactis salubrior, quibus pascuis vsi sunt diuites illi qui manducauerunt & adorauerunt. Sunt enim bona fidei pascua, in quibus collocatur sanctus Dei. Est ergo & fœnum quo aluntur greges ouium, qui emittunt vellera sapientiæ, & dant amictum prudētiae. Et fortasse hoc est fœnum montanum, in quod verba descendunt prophetæ sicut nix super fœnum, & quod diligenter colligit sapiens, vt sint ei oues ad vestitum spiritualis vtique velaminis. Habet ergo cibum suum & amictum anima quæ illi summo bono adhæret, quod est diuinum, quod Apostolus Petrus suadet quærendum, vt per eius cognitionis acquisitionem diuinæ simus confortes naturæ. Huius cognitionem aperit sanctis suis Deus bonus, & donat hoc de thesauro suo bono, sicut testificatur lex sacra dicens: Quia iurauit Dominus patribus tuis dare tibi & aperire thesaurum suum bonum, de quo thesauro cœlesti dat pluuiam terræ suæ, benedicite omnia opera manuum tuarum. Hæc est pluuiæ eloquiū legis quod irrorat animam illam fœcundam & fertilem bonorum operum, vt habeat humorem gratiæ. Huius boni cognitionem querebat Dauid, sicut ipse significat dicens: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationes Domini, & considerē templum eius. Denique hoc esse summum bonum subtexuit statim in eodem psalmo: Credo videre bona Domini in terra viuientium. Hic enim queritur, illic facie ad faciem plene videtur. Hoc bonum in domo Dei est, in illo secreto eius ac recessu. Vnde iterū ait: Replebimur in bonis domus tuæ. Alibi quoque hæc summam esse benedictionis expressit, dicens: Benedicat te Dominus ex Sion, & videas quæ bona sunt Hierusalem. Ideo beatus qui illic habitat in ingressu fidei, hospitioque mētis, deuotionis habitaculo, cõuersatione virtutis. In illo igitur simus, atque in eo maneamus, de quo & Esaias dicit: Quæ speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona. Qui sunt qui euangelizāt, nisi Petrus, nisi Paulus,

Psal. 62.

2. Pet. 1.

Deut. 28.

Psal. 26.

Ibidem

Psal. 64.

Psal. 127

Esai. 52.

Rom. 10.

Psal. 52.

nisi omnes Apostoli? Quid Euangelizant nobis, nisi Dominum Iesum? Hic est pax nostra, hic est bonum illud summum quia ipse bonus ex bono: Ex arbore enim bona bonus fructus legitur. Denique & spiritus eius bonus qui ex ipso accipit, & deducit Dei feruulos in viam rectam. Quis autem habens spiritum Dei in se, neget bonum, cum ipse dicat: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hoc bonum veniat in animam nostram, in nostrę mentis viscera, quod propitius Deus dat petentibus se. Hic est thesaurus noster, hic est vita nostra, hic est sapientia nostra, iustitia nostra, pastor noster, & pastor bonus, hic est via nostra. Vides quanta bona in vno bono. Hęc bona nobis prædicant Euangelistę. Hęc bona requirens David, ait: Quis ostendit nobis bona? Et ostendit ipsum esse, bona, subiiciens: Signatum est in nobis lumen vultus tui. Quis autem lumē vultus patris, nisi splendor glorię, & imago inuisibilis Dei, in quo & videtur & clarificatur pater, sicut ipse clarificat filium suum? Ipse est ergo Dominus Iesus summum bonum quod nobis annunciatum à prophetis prædicatum ab angelis, promissum à patre, Euangelizatum est ab Apostolis. Qui nobis tanquam maturitas aduenit. Nec solum tanquā maturitas, sed tanquam maturitas in montibus adest, vt nihil acerbū, nihil immaturum in nostris consiliis sit, nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus, qui primus Euangelizans bona affuit. Vnde & ait: Ipse qui loquebar, adsum: id est, qui loquebar in Prophetis, adsum in corpore quod suscepi ex virgine, adsum interior imago Dei, character substantię, & adsum vt homo, sed quis cognoscit me? Hominem enim viderunt, sed operibus supra hominem crediderunt. An non vt homo cum Lazarū fletet, & rursus supra hominem cum eum resuscitaret? An nō vt homo cum vapularet, rursus supra hominem cum totius mundi peccatum tolleret? Ad illum igitur properemus, in quo summum est bonum, quoniam ipse est bonitas, ipse patientia Israēl, qui ad pœnitentiam te vocat, ne venias in iudicium, sed accipias remissionem peccatorum. Agite, inquit, pœnitentiam. Ipse est de quo clamat Amos propheta: Exquirite bonum. Ipse est summum bonum, qui nullius indiget, & abundat omnibus. Facile abundat in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Facile abundat de cuius plenitudine omnes accepimus, & in illo repleti sumus, vt dicit Euangelista. Hoc igitur verum & summum bonum si illo concupiscibili suo & delectabili anima gustauerit, & duabus his hauserit affectionibus, excludens dolorem & formidinem, incredibiliter exæstuat. Osculata enim verbum Dei modum non capit, nec expletur, dicēs: Suavis es Domine, & in iucunditate tua doce me iustificationes tuas. Osculata Dei verbum, cōcupiscit super omnem decorem, diligit super omnem latitiam, delectatur super omnia aromata, cupit frequenter videre, sæpe intēdere, cupit attrahi, vt sequi possit. Vnguentum, inquit, exinanitum est nomen tuum: propterea te diligunt adolescentulę, propterea certamus, sed comprehendere te non possumus. Attrahe nos, vt possumus currere, vt odore vnguentorum tuorū accipiamus virtutem sequendi. Festinat etiam interna mysteria videre, ipsam requiem verbi, ipsam boni illius summi

habitationem, & lucem eius, & claritatem. In illo sinu ac recessu primo festinat audire sermones eius: & cum audierit, super omnem suauitatem accipit. Doceat te propheta, qui gustauit, & ait: Quam dulcia faucibus meis verba tua, super mel & fauū ori meo. Quid enim aliud desideret anima quę semel suauitatem verbi gustauerit, quę semel claritatem eius viderit? Moyse in monte positus quadraginta diebus legem accipiens, cibū corporis non requirebat. Helias ad illam festinans requiem rogabat vt acciperetur anima sua à se. Petrus aspiciens & ipse in monte dominicę resurrectionis gloriam, nolebat descēdere, dicens: Domine, bonum est nos hic esse. Quanta igitur illa diuinę substantię gloria, quanta verbi bona, in quę concupiscūt & angeli prospicere? Anima igitur quę illud videt, corpus hoc non requirit, minimamque sibi familiaritatem cum eo esse debere intelligit, renunciat seculo, abducit se à vinculis carnis, exiit omnibus voluptatum istarū nexibus. Denique Stephanus Iesum videbat, & lapidari non formidabat: imò cum lapidaretur, non pro se, sed pro illis à quibus perimebatur rogabat. Paulus quoque raptus vsque ad tertium cœlum, cum corpore esset an sine corpore, nesciebat. Raptus inquam in paradysum, vsuū proprij iam non sentiebat corporis, & audiens verba Dei, quomodo ad corporis infirmitates descenderet erubescere. Itaque sciens quid vidisset in paradiso vel quid audisset, clamat, dicens: Quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis quę sunt omnia ad corruptelam ipso vsu. Volebat enim nos in figura esse istius mundi, non in possessione atque vsu, vt ita vtamur hoc mundo tanquam non vtamur, tanquam prætereuntes, non tanquam residentes, ambulantes tanquam in imagine seculi, non in cupiditate vt velocissima dispositione ipsam imaginem huius mundi transeamus. Denique ipse fide ambulans non specie peregrinabatur à corpore, sed aderat Domino: & cum esset in terris: non in terrenis, sed in cœlestibus cōuersabatur. Ergo anima nostra quę Deo vult appropinquare, elucet se à corpore, semper illi summo adhæreat, illi bono quod est diuinum, quod est semper, & quod erat ab initio, & quod erat apud Deum, hoc est Dei verbum. Ipsum est illud diuinum in quo viuimus, & sumus, & mouemur. Ipsum est quod erat in principio, ipsum est quod est. Dei enim filius Iesus Christus in nobis, inquit, est: in quo nō fuit, est & non, sed est in illo, fuit. Ipse dixit Moyse vt diceret: Qui est, misit me. Cum hoc igitur anima nostra sit, & sit (si fieri potest) semper, vt nostrū possit quis dicere: Anima mea in manibus tuis semper. Erit autem, si non in carne sit, sed in spiritu. Erit, si se terrenis non misceat. Cum enim ad carnalia reflectitur, tunc ei illecebra obrepit corporis, tūc ira & indignatione exæstuat, tunc mœstitia afficitur, tunc supinatur per arrogantiam, tūc dolore affigitur. Hęc sunt ægritudines animę graues, quibus plerumque ad mortem cogitur, dum oculi eius cæcantur, vt non videant verę lumen glorię, & diuitias æternę hereditatis. Quod si eos ad Deum semper intendat, accipiet à Christo fulgorem sapientię, vt illuminatum in agnitione Dei habeat obtutum, vt videat illam spem nostrę vocationis, aspiciat illud

Matth. 20.

Psal. 4.

Esai. 52.

Matth. 3.

Amos 5.

Coloss. 2.

Ioan. 1.

Psal. 118.

Cant. 1.

illud quod est bonum, & placitum, & perfectum. Quod enim bonum, complacitum patri: quod cōplacitum, perfectum: sicut habes in Euangelio, vbi dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, vt imitemini patrem qui pluit super iustos & iniustos, quod est vtique bonitatis. Et postea concludit dicens: Estote perfecti sicut pater vester qui in cœlis est, perfectus est. Caritas enim perfecta est, denique plenitudo legis est. Quid autem tam bonum quàm caritas, quę malum non cogitat? Et ideo terras fugito, in quibus inuidia est, vbi ambitio, ibi contentio. Boni ergo illius capacem se anima tua præbeat, vt supra nubes volet, sicut aquila renouetur, sicut aquila penas emittat, vt renouatis alarum remigiis alta petere non reformidet, hanc habitationem relinquat. Terrenum enim habitaculum grauat animā. Exuat vetera, abiiciat erroris desideria, abluat oculos suos, vt videat illum fontem verę sapientię, illum fontem vitę æternę, qui affluit atque exūdāt omnibus, nullius indigens. Quis enim dedit illi, cum ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia sint? Vitę igitur fons est summum illud bonum, ex quo viuendi substantia ministratur omnibus. Ipsum autem in se habet vitam manentem, à nullo quasi inops accipit. Largitur bona aliis, non aliunde assumit sibi. Neque enim nostri indiget. Vnde & ait ex persona hominis: Quoniam bonorum meorū non indiges. Quid ergo pulchrius quàm ei appropinquare ei adhærere? Quę maior voluptas est, quàm quod is qui viderit, & de fonte aquę viuę gratis gustauerit? Quid potest aliud desiderare? quę regna? quę potestates? quę pecunię? cum aduertat quàm miserę etiam hic regum conditiones sint, quàm mutabiles imperij status, quàm exigua vitę huius spatia, quanta in ipso imperio seruitia, cum ad aliorum non ad suum viuant arbitrium? Quis autem peculiatus ad vitam æternam trāsit, nisi virtutum sultus peculio, quod receptum omnibus, solis diuitibus impossibile pronūciatur? Non ergo his vt beatum est, sed illud videre quo ista despicias & vana veris refellas, atque inania & cassā iudices, illam nudę veritatis pulchritudinem diligas, quę has seculi fucosissimas vanitates redarguat. Erige igitur oculos anima tuos, illos de quibus tibi verbum Dei dicit: Corde nos cœpisti soror mea spōsa, corde nos cepisti vno ab oculis tuis. Ascende in palman, vince seculum, vt teneas verbi altitudinem. Imaginem istā mūdi foris relinque, foris malitiam, introduce autem bonitatem mentis, quę habet gratiam in ligno vitę, si lauerit stolam suam, & ingrediatur in ciuitatē, quę vera est patria sanctorum, in qua est Dei tabernaculum, circa quod scribę Domini prædunt, vbi nō dies, aut sol, aut luna lumen ministrant, sed ipse Dominus lumen est totam illam ciuitatem illuminans. Est enim lux mundi. Non vtique lux visibilis, sed animarum quę in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentię, & vt prædicatur in Euangelio, incorporeę virtutis inflammans vapore secreta mentium, animorūque penetralia. Si quis igitur incola esse cœperit illius ciuitatis supernę, incola videlicet conuersatione ac moribus, non discedat ab ea, non exeat, non reflectat vestigium, nō corporis dico, sed mentis vestigium. Non reuertatur retro. Retro lu-

xuria, retro impuritas est. Denique ascendens ad montem Loth, retro reliquit Sodomitana flagitia. Quę autem respexit retro, non potuit ad superiora euadere. Non ergo pedes tui retro, sed mores reuertantur. Non fiant manus tuę remissę, & deuotionis tuę ac fidei genua dissoluta. Non fiat voluntatis tuę recidiua infirmitas, non vllus intercurfus criminum. Si ingressus es, mane: peruenisti? cōsiste, saluans salua animam tuam. Ascendēs directum attolle gradum, nullus inde tuto redit. Hinc via, inde ruina est. Hinc ascensus, inde præcipitium. Ascendendi quidem labor, sed descendendi periculum. Sed potens est Dominus, qui te fundatum illic custodiat, septum propheticis muris, & apostolicis turribus. Ideo tibi dicit Dominus: Intrate, calcate, quia assistit vindemia. Intus, non foris simus. Et in Euāgelio Dei filius dicit: Qui est in tecto, non descendat vasa sua tollere. Non vtique de hoc tecto dicit sed dicit de illo. Extendit cœlum sicut cameram. Intus ergo esto intra Hierusalem, intra animam tuam pacificā, mitem atque tranquillam. Non exeat de ea, neque descendas vas tuum istud aut honoribus aut diuitiis aut arrogancia attollere. Intus esto, vt per te alienigenę non transeant, peccata animam tuam non transeāt, vanę operationes & cogitationes inanes, non transibunt autem si suscitaueris bellum pro deuotionis & fidei certamine, pro veritatis studio aduersus passionem illecebras, & sumptis arma Dei aduersum spiritalles nequitias, & astutiam diaboli, qui pertentat sensus nostros fraude ac dolo, quem mansuetus bellator facile poterit, qui non serat iurgia, sed sicut decet seruum Domini, cum modestia fidem doceat, & eos qui aduersantur, redarguat. De hoc dicit scriptura: Qui mansuetus est, bellator exurgat, & infirmus dicat: Omnia possum in eo qui me confortat. Hac fide fretus etiam qui infirmus est præualebit, & erit sancta anima eius, & stillabunt ei montes prophetici vel Apostolici dulcedinem, & colles fluent lac, qualis ille collis qui lactis potum Corinthiis dabat, & fluent ei aquę de suis vasis, & de puteorum suorum fontibus, vel de ventre eius aquę viuę, spiritalles videlicet, quas fidelibus suis Spiritus sanctus ministrat, qui etiam animam tuam dignetur rigare, vt abundet in te fons aquę salientis in vitam æternam. Vale, & nos vt filius dilige, quia nos te vt parentes diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenęum, prosequenti illud verbum Aggęi prophete: Si tempus vobis est vt habitetis in domibus cęlatis? multa ex hoc nos sermone commonentis vt in superioribus domibus, & non in vallestribus & subterraneis habitemus, talęque domos nosmetipsos Domino adificemus.

Epistola XII.

Ambrosius Irenęo. Vbi superiorem absolui epistolam, & perferendam tibi tradidi, venit in mentem illud quod Dominus in manu Aggęi prophete locutus est, dicēs: Si tempus vobis est vt habitetis in domibus cęlatis? Quid ergo istud est, nisi in superioribus habitandum, non in vallestribus & subterraneis habitaculis? Qui enim infra terram habitant, non possunt ædificare templum Dei, & di-

Genes. 19.

Matth. 24.

Psal. 103.

Phillip. 4.

Ioel. 3.

Ioan. 7.

Agg. 2.

cunt : Non venit tempus vt ædificetur domus Domini : simul quia luxuriosorum est hypogea quærere, captantium frigus æstium, eo quod resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare nequeant, & ideo requirant vmbrosa penetralia : vel quod desidiosus ignaua sub terris agant ocia : deinde quod tenebrosa illos & opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua credant, secundum illud : Tenebræ circumdant me & parietes, quem vereor ? Sed frustra hoc sperant, cum profunda abyssi & abscondita Deus cernat, & omnia deprehendat antequam fiant. An non Helias in hypogeis, non Helisæus habitabant ? Denique alter mortuum viduæ filium tulit ad superiora, in quibus consueuerat sedere, & ibi cum resuscitauit. Alteri quoque Sunamitis illa magna mulier (vt scriptura testificatur) in superioribus hospitium parauit, & ibi concipiendæ sobolis, quia non habebat, meruit prærogatiuam, eiusdemque resuscitati pignoris vidit miracula. Quid de Petro dicam, qui ad horam sextam ascendens in superiora, baptizandarum gentium cognouit mysteria ? At vero parricida Absalon in valle sibi regis titulum statuit, & in fossam proiectus est, cum esset peremptus. Ergo sancti ascendunt ad Dominum, flagitiosi ad vitia descendunt. Sancti in montibus, criminosi in vallibus. Deus enim montium est, & non Deus vallium. Qui ergo illic, id est in domibus habitant vellestribus, in quibus non habitat Deus, domum Dei in se habere non poterant. Hanc enim Dominus quærebat ab illis domum, vt semetipsos ædificarent, atque intra se Dei templum viuus fidei lapidibus attollerent. Neque enim terrenorum parietum constructiones, & syluestrium ligna culminum desiderabat, quæ cum fuissent, manus diruerat hostilis, sed illud templum quærebat quod in hominum conderetur mentibus, quibus dicendum foret: Vos estis templum Dei, in quo habitaret Dominus Iesus, & vnde ad redemptionem vniuersorum procederet, vt in vtero virginis sacra reperiretur aula, in qua rex habitaret cælestium, & corpus humanum Dei templum fieret, quod etiam cum solutum esset, in triduo resuscitaretur. Sed hæc domum non luxuriosi ædificant, qui cælatas inhabitant domos, & cælato argento delectantur. Sordet enim illis purum argentum, ita & istis fordet simplicis habitationis locus. Sinuant spatia domorum, & adiuciendo adiucunt, coniungentes domum ad domum, & villam ad villam, effodiunt terram, vt elementum quoque eorum cedat habitaculis, & quasi terræ filij intra eius recondantur vterum, & abscondantur aluo. Isti plane sunt de quibus dicit Hieremias : Væ qui ædificant domum suam non cum iustitia. Qui enim cum iustitia ædificat, non in terrenis ædificat, sed in cælestibus. Ædificasti, inquit, domum, metire superiora eius, perflatilia distincta fenestris, & contignata cedro, & illita minio. Metitur autem superiora, qui contemplatus iudicium Dei, iudicat iudicium humilis, & iudicium pauperis. Qui autem in auaritiam intendit, & in sanguinem innocentis, non ædificat superiora cum iudicio : nec mensuram tenet, quia non habet Christum : nec aspirare sibi diuinæ status explorat gratiæ, nec pleni luminis splendorem requirit : nec illita minio habet cœnacula : cui non potest dici. Sicut resticula coccinea labia

tua. Non sepelietur, inquit, huiusmodi. Qui enim viuum se sub terram infodit, & tanquam in sepulchro sepeliuit, eripuit sibi mortuo requiem sepultura. Depositus itaque in valle corporalium delectationum, non inuenit sepulchrum de quo possit resurgere. Huiusmodi ergo vir nec templum Deo ædificat, quia non nouit tempus correctionis suæ. Quomodo enim possunt tales homines templum ædificare, qui quasi feræ ac bestię in spelæa ferarum & bestiarum latibula sese receptant, atque in foueas serpentiũ more demergunt, & consuetudine fraudulentæ vulpis infodiunt ? Sed nec sepulchrum sibi condit qui ante tempus moritur. Viuens enim mortuus est, nec audit vocem Aggæi, id est epulantis, vt interpretatio declarat : quoniam non ingreditur tabernaculum Dei in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Quomodo enim vocem eius audit, qui opera eius non videt ? Nam si videret, audiret verbum quod in eius manu factum est, delectatus eius actibus quibus pulsauit & apertum est ei, & descendit in eius animam, vt epuletur in eo sinceritatis & veritatis cibus. Ergo quia non audiuit, fit iterum in manu Aggæi verbum, & dicit : Surgite de cælatis & depressis malitia domibus, & ascendite in montem scripturarum cælestium, & cædite lignum sapientiæ, lignum vitæ, lignum cognitionis, & dirigite vias vestras, ordinate actus vestros vt habeant ordinem suum debitum, qui necessarius & vtilis est ad ædificandum Domini domum. Nam si non feceritis : nec cælum dabit rorem suum, id est, sermo cælestis, qui sicut ros descendit super scœnum, non temperabit feruidos corporalium motus passionũ : nec ignita restinguet diuersarum spicula cupiditatũ, nec terra eius, id est, anima fructus dabit, eo quod arefcat, nisi repleatur irriguo verbi Dei, & perfundatur à rore cælesti, spiritualis vbertate gratiæ. Et quia sciebat desides esse habitantes in hypogæis, & voluptatum gurgustis. Excitabo, inquit, illis spiritum Zorobabel de tribu Iudæ, & Iosedec sacerdotem magnum, vt incitentur ad ædificationem diuinæ domus. Nisi enim Dominus ædificauerit sibi domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Ipse est Zorobabel iugis redundantia, vtpote fons vitæ, & verbum Dei, per quod omnia, & ex quo omnia, & omnia in ipso. Hæc dicit redundantia: Si quis fitit, veniat ad me, & bibat. Hoc est profluuium indeficientis meatus. Profluuium quoque nocturnum legimus quod est Zabulon, id est, propheticum, sed etiam & ipsum huius fluenti infusione respandit, per quod euauit illud profluuium vanitatis in Iezabel, quæ inimica veritati, & aduersaria prophetarum eloquiis, ita dilacerata est canum moribus, vt nullum eius superesset vestigium, sed toto corpore suo cum omnibus posteritatis suæ insignibus extingueretur. Ipse igitur Zorobabel ex tribu Iudæ, ipse Iesus magnus sacerdos, & tribu designatus & nomine, duo significari videntur, & vnus exprimitur. Qui idem quasi potens natus ex potente, quasi redemptor ortus ex virgine, in vtriusque idem naturæ diuersitate diuiduæ, vnius filij Dei veritatem gigas salutaris impleuit. Excitaturus itaque à mortuis Zorobabel sanctum ait: Adhuc ego mouebo semel cælum & terram. Et maria & desertum

Ecclesi. 23.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

1. Cor. 10.

2. Reg. 18.

3. Reg. 20.

2. Cor. 6.

Ioh. 2.

Hiere. 22.

Cantic. 4.

Ibidem.

1. Tim.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

Psalm. 118.

959

sertum mouerat ante hæc, cum de Ægypto liberaret populum suum, quando in cælo columna erat ignis, terra inter fluctus, murus in mari, via in aqua, in deserto messis quotidiana frugum cælestiũ multiplicabatur, petra soluebatur in fontes aquarum. Sed mouit & postea in passione Domini Iesu, quando cælũ tenebris obductum, sol refugit, petræ scissæ, tumuli aperti, mortui resuscitati, draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum non solum nauigantes in mari, sed etiã ambulantes sine periculo. Desertum quoque motum, quando infructuosus nationum populus in messem cœpit deuotionis & fidei flauescere, & eousque deserti & gentium commotio facta est, vt apostolorum quos direxit ad gentes vocandas, tanta esset & tam vehemens prædicatio, vt in omnem terram exiret sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Tanta inquam commotio deserti, vt plures filij fierent desertæ, quàm eius quæ habebat virum. Et floreret desertum vt liliũ, introirent electa gentium ad residuos populi, quo reliquæ salutæ fierent per electionem gratiæ. Et replebo, inquit, domum hanc argento meo & auro: eloquiis cælestibus, quæ sicut argentum igne examinatũ: & veri claritate luminis, sicut auro spirituali in sanctorum occultis mentibus resurgente. Has diuitias confert ecclesiæ suæ, quibus intelligibiles thesauri replentur, & gloria augetur domus super priorem gloriam quã populus habuit electus. Pax enim

A & tranquillitas animæ super omnem domus gloriã est, quia pax superat omnem sensum. Hęc est pax super pacem, quæ dabitur post terciã commotionem cœli, maris, terræ, deserti, quando destruet omnes potestates & principatus. Cælum enim & terra trāsibunt, & omnis istius mundi figura, & vnusquisque in romphæa insurget ad fratrem suum, id est, verbo penetrante medullas animæ, vt destruat quicquid est contrarium, currus ex Ephrem, & equus ex Hierusalem, vt Zacharias dixit. Et sic erit pax per omnia, vt nullis obfistentibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus Christus, subdita patri exhibēs corda vniuersorum. Vnde & ad ipsũ solũ mystice dicitur: Sumã te Zorobabel, & ponam te sicut signaculũ, quia te elegi. Etenim cum fuerit anima nostra pacifica, vt dicatur ei, Conuertere cõuertere Sunamitis, quod pacificam significat, & vt tuo nomine vtar, *εἰρηναῖον*, tunc accipiet in se sicut signaculũ Christũ, id est imaginẽ Dei, vt sit ad imaginẽ: quoniã qualis cælestis, tales & cælestes. Et oportet nos portare imaginẽ cælestis, id est pacẽ. Atq; vt sciamus verũ esse, habes in Canticis, in vltimo, iam perfectæ animæ dici, quod & tibi dicat Dominus Iesus: Pone me vt signaculum in brachium tuum, vt luceat pax in corde tuo, & in operibus tuis Christus, & formetur in te sapientia, & iustitia, & redemptio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Matth. 24.

1. Cor. 7.

Zach. 9.

Agg. 1.

Cantic. 6.

1. Cor. 15.

Cant. 8.

Capita Epistolarum Libri quarti.

- Ambrosius Ireneo, hanc questionem : Vtrum sit aliqua apud Deum differentia charitatis eorum qui à pueritia & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu crediderint, dissoluens. Epist. XIII.
- Ambrosius Ireneo, errorem remouens, ne quis eum de quo in superiori epistola dictum est, quod duas habeat uxores, duas ascuissse sibi animas intelligat. Epistola XIII.
- Ambrosius Ireneo, causam reddens cur lex prohibuerit mulieres vti veste virili, atque viros induistola muliebri. Epist. XV.
- Ambrosius Ireneo, epistolam ad Ephesios summaria ac breui explanatione perstringens. Epist. XVI.
- Ambrosius clericos quosdam qui propter leuem aliquam offensionem ab officio desistunt, redarguit, & ad constantiam exhortatur. Epist. XVII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
 MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM
 LIBER QVARTVS.

Diui Ambrosij ad Ireneum, hanc questionem, Vtrum sit aliqua apud Deum differentia charitatis eorum qui à pueritia, & eorum qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu crediderint, dissoluentis. Epistola XIII.



AMBROSIVS Ireneo. Differentia charitatis vtrum sit aliqua apud Deũ, eorum qui à pueritia crediderint, & eorũ qui iuuentutis aut posterioris ætatis processu, prudenter requirendum putasti. Nam hoc quoque scriptura diuina non prætermisit, neque intactum reliquit. Siquidem Dominus deus noster ad Iohel prophetam nõ ociose ait: Lamentare ad me super sponsam præcinctam sacco S. Ambr. tom. 5.

D in virum eius virginalem, dolens synagogam quæ antea virginitate sua desponsata Dei verbo foret, vel animam certe quæ de bonis meritis decidisset, ita offendiculum incidisse peccatorum flagitiis, vt odia contraheret, & inquinamento impietatis, ac perfidiæ obsoleta sordibus, miserabili esset despectui, longe mutata ab illius sponsæ gratia, quæ ante meruerat audire: Sponsabo te mihi in fide, & iustitia, & misericordia. Nec immerito lamentabilis pronuntiatur, quæ tantorum munerũ amiserat precium, & virtutum dotalium tam graue subierat dispendium, vt ei virginalis spõsus eriperetur. Nostris enim meritis verbum Dei nobis aut viuut, aut moritur. Nam si bona studia atq; operã nostra sint, viuut, nos te diligimus.

Iosa. 2.

atque operatur in nobis Dei verbum : si tenebrosæ cogitationes operationesque nostræ sint , occidit nobis sol iustitiæ . Et ideo lamentandum præcipit pro ea anima . Nam sicut illis gratulandum & epulandum est , cum quibus sponsus est , ita illi animæ lugendum cui sponsus fuerit ereptus , sicut de apostolis scriptum est in Euangelio : Quoniam cum auferetur ab eis sponsus , tunc ieiunabunt in illis diebus . Ergo & hæc anima habebat ante lætitiã & exultationem , cum haberet *παρθενηλον λόγον* . Et ideo non ieiunabat , quia dies erant epularum & refectiois , cum adesset sponsus inuehens quibus aderat , vberatis affluentiam cœlestis alimenti , copia vini rigatus , quo corda hominum lætificantur . sed postea quàm sponsum factis amisit suis , iubetur in cilicio agere pœnitentiam peccatorum suorum , & deslere semetipsam , quia mortuus est ei crucifixus pro ea Christus , qui est *παρθενηλος λόγος* . Si à prima ætate cõuenit , nec alterius anima hæc videtur experta copulam , sed à principio virginalem fidei suæ florẽ Christo dicauit , atque ipsi primis fœderata pietatis mysteriis sacros iuuenula cultus recepit , ipsa est Israelitica anima veteris profapiæ ex genere patriarcharum : quæ si inoffensum fidei seruasset curriculum , magni meriti foret sponsa verbivirginalis , tanquam illa quæ apprehendit iustitiam , & obuiauit illi quasi mater , & quasi mulier à virginitate suscepit illam . Altera quoque est acquisita ex gentibus , & vtraque sponsa vnus verbi , quod est magnum mysterium . Idque tibi demonstratur in libro regnorum . Siquidem Dauid duas vxores habuit , Achinaam Iezrahelitem , & Abigeam acquisitam sibi postea . Illam rigidiorẽ , istam misericordiæ plenã & gratiæ , hospitalẽ ac liberalem animam , quæ reuelata facie patrem vidit speculata eius gloriam , quæ suscepit diuinum illum paternæ gratiæ rorem , vt habet nominis interpretatio . Quid autem ros patris , nisi Dei verbum , quod humore fidei atque iustitiæ infudit corda vniuersorum ? Pulchrè igitur huic animæ verus dicit Dauid , quod illi Abigeæ dictum est , Benedictus Dominus Deus Israel , qui misit te hodie huc obuiam mihi , & benedicti mores tui . Et iterum dicit ei , Ascende in pace in domum tuam , vide , audiui vocem tuam , & reueritus sum faciem tuam . Denique in Canticis etiam hæc verba sunt sponsi ad spõsam , Ostende mihi faciem tuam , & insinua mihi vocem tuam . Et tunc quidem dimissa est , quoniam alterum habebat virum , qui dicebatur Hebraicè Nabal , Latinè insipiẽs , durus , inhospitalis , inhumanus , ingratus , qui officia nesciret referre : sed postea quã defunctus est vir eius , solutam à lege viri accepit eã sibi in vxorem propheta Dauid . Per cuius copulam Ecclesiæ credituræ ex gentibus significantur mysteria , quæ amisso viro cui ante iuncta fuerat , transiuit ad Christum , censu pio diues humilitatis & fidei , misericordiæ quoque dotata patrimonio . Sed hoc loco non ista deploratur , sed illa Achinaam quæ fuit male fortis in fratrem . Et ideo ille frater factus est in commotionem . Vnde ex persona eorum dictum est , Posuisti nos in parabolam in gentibus , commotionem capitis in populis . Quam nutantẽ inueniens diabolus , sicut leo diruit , & iucunditatem eius abstulit . Vineam eius & ficum euertit , sub quibus sole-

Math. 9.

1. Reg. 25.

1. Reg. 25.

Ibidem.

Can. 2.

1. Reg. 25.

Psal. 43.

bat ante requiescere , & arescere fecit fructus eius . Quos aridos miseratus atq; albentes siccitate nimia dicit ad prophetam Deus , Lamentare ad me super sponsam præcinctam cilicio , & super virum eius virginalem , id est , super animæ huiusmodi vel synagogæ virum mortuum . Cui loco alio exostulans dicit , Eo quod oblita propositi sui , oblita charitatis , immemor gratiæ , de via disciplinæ , superiorem vxorem affectum amiserit . Meritoque suis cam sermonibus redarguit , memorans & retexens eiusdem blanditias , & pietatis vocabula . Non sicut domesticum me vocabas , & patrem & initiatorẽ virginitatis tuæ . Ergo huic animæ cui per intemperantiam eius mortuum est Dei verbum , & ille *παρθενηλος λόγος* occidit , lucẽ indicit , intercessorem adhibet , vt vocetur ad pœnitentiam , quo possit mereri misericordiam . Illi autem quæ bona intellectu , & decora aspectu valde , sicut Abigea acquisita sibi erat in prælio , deuictis aduersariis , & mortuo viro qui valatus nequitiis spiritualibus repugnabat ac resistebat ne sibi speciosa vxor adimeretur , quasi victor & diligens sponsus iucunditatem confert & gratiam , emundans eam ab omnibus pulchritudinis eius impedimentis , & exuens vestimentis captiuitatis : vt depositis omnibus capitis sui capillis , id est , peccatorum crinibus , qui quasi superflui nostro in corpore videntur , quoniam si vir comam nutriat , ignominia est illi : in vnitæte fidei , in virum perfectum , in mensuram ætatis plenitudinis Christi studeat occurrere , vt omnem deponat animi perturbationem , & charitate fundata augeatur in Domino Iesu , & vniuerso acquirat incrementa corpori . Hæc est anima illa quam lex demonstrat tibi in specie mulieris bonæ , quam si videris in prædam , & concupieris accipere in vxorẽ tibi : induces , inquit , eam in Domum tuam , vt tota ei committas interiora domus tuæ , omnium tuorum viscerum possessionem , offeras eius superflua , tondeas lapsus , & nouacula non satis acuta , ne faciat dolum , tuarum exuias passionum , atq; inanes sensus recidas . Ideo ait , Rades eius caput , quo nulla obstacula patiantur oculi sapientis , qui sunt in capite eius . Et sedebit , inquit , triginta diebus in domo tua : peccata propriæ deplorans natiuitatis , & commenta nequissimi patris diaboli , qui vult congregare quæ non generauit : vt huius mystici numeri purificatione mundata , coniugij claus adificatur . Et pulchrè ait , Postea intrabis ad eam , vt totus ingrediaris in animam tuam , atque intra ipsam te colligas , & in ea habites : apud eam commorare , in ipsa tibi sit omnis conuersatio , vt sis non in carne , sed in spiritu , & proponas adiungere eam tibi ad consortium vitæ , sciens quoniam communicabit tecum de bonis , & perfunctus eius gratia , dicas , Puer autem erã ingeniosus , & sortitus sum animam bonam . Et illa tibi respondeat , Assumam te , & inducam te in domum matris meæ , & in secretum eius quæ me concepit . Bona mater animarum Hierusalem illa quæ in cœlo est . Erit ergo vxor tua , & inueniens te osculabitur te . Et si postea displicuerit tibi quod castiget corpus suum , & seruituti redigat , non patieris eam seruire , id est , voluptatibus corporis , nec subiicies eã carni , sed liberã permanere patieris : nec alienabis eã , hoc est eũ vendere : nec con-

Iob. 1.

Prout.

Deut. 21.

1. Reg. 15.

1. Cor. 11.

Eph. 4.

Deut. 11.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Sap. 8.

Cant. 8.

Gen. 29.

Gen. 29.

Gen. 29.

Gen. 29.

Gen. 29.

remnes eam , sed permittes seruire eam Deo suo in a castitate fidei , & bonorum operum sobrietate . Vale , & nos dilige , quia nos te diligimus .

Diui Ambrosij ad Irenæum , errorem remouentis ne quis eum de quo in superiori epistola dictum est quod duas habebat uxores , duas adsciuisse sibi animas intelligat . Epistola XIII.

Ambrosius Irenæo . Superiore epistola scripsimus liberandam ab aduersariis animam nostram , & cum ea indissociabilis vitæ subeundum consortium . Et quia sermo iste nobis de Deuteronomio exemplum assumpsit assertionis suæ , quo loci subiectum est de viro qui duas uxores habebat , vnã odibilem , alteram amabilem : non perfunctorie motus videris , ne forte duas animas istum sibi adsciuisse aliquis intelligat : quod fieri nequaquam potest . Verum ipse nõ ignoras quod interdu scriptura cum allegoriam dicit : alia ad speciem synagogæ , alia ad Ecclesiam refert : alia ad animam , alia ad verbi mysterium : alia ad diuersas species & qualitates animarum : quæ discernit qui diiudicat spiritu . Vnde sequenti capitulo legis non duas animas , sed diuersas qualitates vnus animæ comprehensas arbitror . Est enim amabilis animæ species , quæ concupiscit voluptaria , quæ laborem fugit , concupitiones declinat , iudicium Dei negligit . Ideo amabilis , quia dulcis & suavis ad tempus videtur , quæ mentem non afficiat , sed oblectet . At illa altera tristior , quæ zelo Dei conficiatur , sicut vxor seuera scortari comparem suum nolit , non patitur , non sinat , nihil indulgeat corpori , nihil voluptati & delectationi relaxet , abdicet occulta dedecoris , dura laborum sequatur , grauiã periculorum . Si igitur pepere rint ei ambæ , non poterit , inquit , primitiuum filium amabilis in hæreditatis institutione præponere primitiuo filio odibilis , cum sciat odibilis filium primitiuum esse . In quo non tam prælationem simpliciter significari puto quasi inter primitiuos duos , quàm expressionem solum odibilis filium primitiuum habere prærogatiuam . Primitiuus enim primogenitus est , sancti autem primogeniti sunt , quia omnis masculus adaperiens vuluam sanctus Domino vocabitur . Non tamẽ omnis primogenitus sanctus . Non enim sanctus Esau , qui vtique primogenitus , sancti autem primogeniti sunt . Denique habes in Numeris , Ecce tuli Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito qui aperit vuluam , à filiis Israel . Mihi enim in quo die percussit omne primitiuum Ægypti , sanctificauit omne primogenitum Israel . Ergo Leuitas pro primogenitis accepit , quasi sanctos enim primogenitos esse cognoscimus ex epistola ad Hebræos scripta , in qua habemus : Sed appropinquastis Sion monti , & ciuitati Hierusalem , & decem milibus angelorum , & Ecclesiæ primitiuorum . Ergo sicut primogeniti Ecclesiæ sancti , sic & Leuitæ , quoniam ipsi quoque primogeniti . Non enim nascẽdi ordine sancti , sed sanctificationis munere . Leui enim tertius filius fuit Lig , non primus vtique . Qui autem sanctificatus , ipse aperit vuluam . Quam vuluam ? Audi dicentem , Errauerunt peccatores ab vtero . Quia intellexisti primogenitum qui

aperit vuluam , intellige vterum bonæ matris , à quo non errant sancti , sed peccatores . Leuitæ autem auferuntur de medio Israel , quia nihil habent cõmune cum populo , cuius primogenita secularia destrunt . Primogenita enim seculi alterius matris sunt , à cuius vtero segregatus Paulus est cum ad gratiam vocaretur Dei . Et ideo de medio populi segregatus , verbum recepit , quod est medium in corde nostro .

Vnde & illud dictum est . Medius autem vestrũ stat , quem vos non videtis . Non ociosus itaque nobis à lege in legem excursus fuit , vt primogenitum non esse amabilis illius , id est , remissioris & voluptariæ filium diceremus , quamuis præpositi capituli verba hæc exprimant , dicente scriptura , Nõ poterit filium amabilis primitiuum præponere , cum sciat filium odibilis primitiuum esse . Ille est vere primitiuus , qui sanctæ matris sanctus est partus , sicut illa vera mater , à cuius vtero non errant veri filij , sed peccatores . Ergo ille non veræ matris filius , non primitiuus verus , sed quasi primitiuus iuuatur sumptu ne egeat , nõ vt diues sit honoratur . Hic autem dupla ex omnibus accipit , vt abundet : sicut etiam in Genesi habes patriarchas à fratre suo Ioseph geminæ singulostolæ donatos munere cum remitterentur ad patrem , vt significarent fratrem repertum Ioseph , quẽ defunctum esse crediderat pater . Primogenitus itaque hæreditatis accepit prærogatiuam , dicente scriptura : Hic est initium filiorum eius , & huic debentur primogenitalia . A primogenito igitur Dei filio primogeniti sancti : & ab illo initio (quia ipse est initium & finis) initium sanctus nuncupatur , initium filius , cui debetur primitiarum prærogatiua , secundum illud ad Abraham dictum , Ecce ancillam , & filium eius . Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac . Quod magis ad hæreditatem virtutum quàm pecuniæ spectare diuino oraculo docetur , dicente Deo , Omnia quæcumque tibi dixerit Sara , audi vocem eius , quoniam in Isaac vocabitur tibi semen . Quæ erat alia in Isaac , nisi sanctitatis hæreditas , quæ nobilitaret patrem ? Et filium quidem ancillæ super nationes præfecit , quasi simpla conferens patrimonij : filio autem Saræ dupla dedit , cui non solum temporalia , sed etiam superna & perpetua collata sunt . Vale , & nos dilige , quia nos te diligimus .

Diui Ambrosij ad Irenæum , causam reddentis cur lex prohibuerit mulieres vti veste virili , atque viros indui stola muliebri . Epistola xv.

Ambrosius Irenæo . Pertulisti ad me quasi filius quæsiuisti aliquos de te quid sibi velit quod tam seuerè lex immundos eos dixerit qui alieni sexus vterentur vestibus , vel viros scilicet vel mulieres . Sic enim scriptum est : Non erit res viri super mulierem , neque induetur vir stolam muliebrem , quia immundus est Domino omnis qui fecerit hoc . Et si vere discutias , incongruum est quod ipsa abhorret natura . Cur enim homo non vis videri esse quod natus es ? Cur alienam tibi assumis speciem ? Cur mentiris fœminam , vel tu fœmina virũ ? Suis vnumquemque sexum induit natura indumentis . Denique diuersus vsus , diuersus color , motus ,

Galat. 1.

Ioan. 1.

Deut. 21.

Genes. 45.

Deut. 21.

Apo. 1.

Genes. 21.

Ibidem.

Deut. 21.

incessus, diuersæ vires, diuersa vox est in viro & fœmina. Sed etiam in reliqui generis animantibus alia species leonis, alia leonæ, alia vis, alius sonus: alia tauri, alia vitulæ. In ceruis quoque quantum distat sexus, tantum discrepat species, vt eos etiam eminus possis discernere. In aibus vero etiam propria ad vestitum est inter eos & homines comparatio. In illis enim sexum naturalia ipsa indumenta discernunt. Pauri mares speciosi, fœminæ non item pennarum vario pinguntur decore. Fastanis quoque diuersus color, qui distinguat sexus discretionem. Quid in pullis? quàm canora vox galli? nocturnisq; vicibus solenne munus ad excitandum & canendum? Numquid illa mutant speciem suam? Cur nos mutare desideramus? Et quidem Græco more influxit vt fœminæ virilibus quasi succinctioribus tunicis vtantur. Esto tamen vt illæ imitari videantur melioris sexus naturâ. Quid viri qui inferioris sexus mentiri speciem volunt? Mendacium & in verbo turpe est, nedum in habitu. Denique in templis vbi mendacium fidei, ibi mendacium naturæ. Illic assumere viros muliebrem vestem, gestumque fœmineum, sacrum putatur. Vnde lex dicit, quia immundus erit Dominus omnis vir qui stolam muliebrem induerit. Arbitror autem quod non tam de veste, quàm de moribus dixerit vel de vsibus nostris atque actibus, quod alius virum, alius fœminam deceat actus. Vnde & Apostolus ait, quasi interpres legis: Mulieres nostræ in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogēt. Et ad Timotheum: Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum. Quàm deforme autem virū facere opera muliebria. Ergo & pariāt, ergo parturiant qui crispant comam sicut fœminæ. Et tamen illæ velantur, isti belligerantur. Verum habeant excusationem qui patrios vsus sequuntur, sed tamen Barbaros, vt Persæ, vt Gotthi, vt Armenij. Maior quidem est natura quàm patria. Quid de aliis dicemus, qui hoc ad luxuriam deriuandum putant, vt calamistratos & torquatos habeant in ministerio, ipsi promissa barba, illos remissa coma? Merito illic seruatur castimonia, vbi non tenetur sexus distinctio. In quo euidētia naturæ magisteria sunt, dicente Apostolo, Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos: Quod vir quidem si comam habeat, gnominia est illi: mulier vero si capillos habeat, gloria est illi, quoniam quidem capilli pro velamine ei sunt. Hæc sunt quæ referas requirentibus. Vale, & nos vt filius dilige, quia nos te vt parentes diligimus.

*Diui Ambrosij ad Irenæum, epistolam ad Ephesios
summaria ac breui explanatione perstrin-
gentis. Epistola xvi.*

Ambrosius Irenæo. Poposcisti vt summam epistolæ quæ ad Ephesios scripta est, inculcaremus tibi, quæ obscurior videretur, nisi e us distinctiones colligas, quibus persuadendum putauit apostolus de Dei regno nobis non desperandum.

G Proposuit itaque primum, quod bonis maximum solet esse ad studia virtutis incitamentum, præmiorum spem, & promissorum cœlestium hæreditatem, quæ in passione Christi & resurrectione appropinquauerint. Deinde subiicit non solum in paradysum reditum nobis reformatū esse per Christum, sed etiam cœlestis solij honorem per consortium Christi corporis carni huic esse imparitum, vt de ascendendi possibilitate iam nō dubites, qui confortia tua in carne Christi regno cœlesti adherere recognoscas, per sanguinem eius reconciliationem factam omnium quæ vel in terra vel in cœlo sunt. Qui ideo descendit, vt captiuitatem nostram auerteret: ideo ascendit, vt impleret omnia per apostolos, prophetas, sacerdotes, confirmationem vniuersorum, & congregationem gentium. Finem autem spei esse nostræ charitatem ipsius, vt augeamur in ipso per omnia, quia ipse est caput vniuersorum, ad quem omnes secundum mensuram operationis in vnum corpus ædificatione charitatis assurgimus. Nō ergo desperandum quod capiti suo membra adhæreant, præsertim cum in adoptionem filiorū Dei ab initio simus prædestinati per Iesum Christum in ipso: quam prædestinationem probauit, afferens illud quod ab initio prænūciatum est. Quia relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne vna, sacramentum esse Christi & ecclesiæ. Si ergo Adæ & Eux copula sacramentum magnum est in Christo & in ecclesia, certum est quod sicut Eua os de ossibus viri fuit, & caro de carne eius, & nos membra simus corporis Christi, os de ossibus Christi, & caro de carne eius. Nulla autem epistola tantum benedictionis increpuit in plebem Dei quantum ista, in qua nō solum benedictos nos à Deo, sed in omni benedictione benedictos & spirituali & in cœlestibus significauit diuinæ locuples gratiæ testis, & prædestinatos nos in adoptionem filiorum, in filio quoq; Dei nos cumulos gratia, abundasse ea ad cognoscendum mysterium æternæ voluntatis, tum præterea in plenitudine temporum, cum pacificarentur omnia in Christo, & quæ in terra sunt, & quæ in cœlo, forte nos in ipso constitutos, vt quæ legis sunt implerentur in nobis, & quæ gratiæ: cum etiam secundum legem electi videremur in iuuentutis ætate, quæ est vita immaculata, nihil habentes lasciuia puerilis, & senilis infirmitatis. Docti quoque prælium non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiā aduersus omnem militiam spiritualis nequitia, quæ est in cœlestibus, viuidis gerere virtutibus. Itaque sicut illis sortito obigit capta ex hoste terrarum possessio, nobis cecidit fors gratiæ, vt simus possessio Dei, qui renes possidet nostros, id est, seminarium castitatis & temperantiæ. Queris hanc sortem agnoscere? recordare illam quæ cecidit super Matthiam, vt in duodecimum apostolorum numerum subrogaretur. Sed etiam propheta Dauid ait, Si dormiatis inter medias sortes. eò quod is qui medius inter veteris sortem & noui testamenti est recumbens in vtroque, ad regni cœlestis tranquillitatem adsciscitur. Hanc sortem filia Salphe petebant hæreditatis paternæ, & earum petitio diuino iudicio probata est. Sed illæ petebant in vmbra. Salpe enim vmbra

vmbra oris significatur. In vmbra ergo sermonis petebant, loquebantur quod non reuelabatur. Paternæ itaque hæreditatis petitio Salphe filiabus in vmbra sermonis erat, nobis autem est in euangelij splendore, & reuelatione gratiæ. Simus itaque nos possessio Dei, & ille nobis portio, in quo sunt diuitiæ gloriæ & hæreditatis eius. Quis enim diues nisi solus Deus, qui omnia creauit? Sed multo magis diues misericordia, qui omnes redemit, & nos secundum carnis naturam iræ filios & morti obnoxios mutauit quasi author naturæ, vt simus filij pacis & charitatis. Quis enim naturā mutare potest nisi qui creauit naturam? Itaque suscitauit mortuos, & viuificatos in Christo sedere fecit in cœlestibus in ipso Domino Iesu. Non quo quisquam hominum prærogatiuam sedendi meruerit in illa sede Dei, de qua pater soli filio dixit, Sede à dextris meis: sed quia in illa carne Christi per consortium eiusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est. Nam sicut ille in nostra carne subditus legitur per vnitatem carnis, & obedientiam corporis, in quo fuit obediens vsque ad mortem, sic & nos in illius carne consideramus in cœlestibus. Non ergo sedemus, sed in Christo sedemus, qui solus sedet ad dexteram Dei filius hominis, sicut ipse dixit, A modo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram Dei. In eo enim abundauit gratia eius & bonitas super nos in Christo Iesu, vt operibus mortuos, per fidem redemptos, saluatos gratia tantæ donaret liberalitatis munere, in quo velut resuscitata etiā ipsa natura nouæ sensit creaturæ gratiam, vt in bonis operibus ambulemus creati in Christo, qui ante obnoxia hæreditatis vitio degenerauimus. Etenim sublatis inimicitias quæ erant in carne ante, pax facta est vniuersitatis in cœlo, vt essent homines sicut angeli in terra, vt essent gentes vnum atque Israelitæ, vt in homine vno & nouus homo & vetus sublato pariete mæceriæ, qui vtrumque dissidioso obice diuidebat, inter se conuenirent. Nam cum huius natura carnis iras, discordias ac dissensiones excitauisset, lex nos damnatorum nexuisset vinculis, Christus Iesus insolentiam atque intemperantiam carnis mortificatione compressit, legem mandatorum in decretis euacuauit, in quibus ostendit non secundum literam interpretanda legis spiritualis dogmata, cum & sabbati ignaua ocia & corporalis superflua destrueret circuncisionis, atque omnibus accessum ad patrem in vno reseraret spiritu. Quomodo enim potest discordia esse, vbi vna vocatio, vnum corpus, & vnus spiritus est? Quid enim aliud descendens operatus est Dominus Iesus, nisi vt de captiuitate nos in libertatem vindicaret, & illam captiuitatem vincam perfidiam vinculis sibi captiuam faceret alligatam sapientiæ compedibus, mittente vnoquoque prudente pedes suos in compedes eius, sicut scriptum est: Et cum descendisset, ascenderet, vt imple-ret omnia, & nos omnes de plenitudine eius acciperemus? Ideoque primum repletos spiritu suo posuit in ecclesia apostolos, prophetas alios, alios euangelistas, alios autem pastores & doctores, vt eorum adhortationibus consummaretur profectus credentium, & ministerij fidelis opus crederet, ædificaretur vnusquisque ædificatione virtutum in

A mensuram ætatis interioris, quæ mensura perfectior vitæ immaculatæ, id est, perfecti viri, accipiens de plenitudine Christi recipit gratiæ plenitudinem. Quis autem vir perfectus est nisi ille qui absolutus infantia puerilis ingenij, atque adolescentiæ incerto ac lubrico, & immoderato iuuentutis calore, in viri perfecti firmitatem successerit, atque ad illam morum maturitatem adoleuerit, non facile deuij disputatoris alloquio fluctatur, & quasi quadam doctrinæ irrationabilis turbidior in scopulos iactetur procella, ad erroris remedia se conferens, & qui veritatem non solum in sermone, sed etiam in operibus sequatur suis, & ædificationem charitatis in se suscipiat, vt in vnitatem fidei & agnitionis occurrat, & quasi membrum non desit capiti suo, id est, Christo, qui est caput omnium, ex quo totum corpus fidelium & sapientium per harmoniam rationabilem verbi: hoc est enim *συναρμολογούμενον ἀρμονία τοῦ λόγου δεδεμένον* id est, harmonia verbi compaginatum & compactum atque connexum: per omnem iuncturam ministracionis, in mensuram vniuscuiusque partis augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate, vt assurgat vnum templum Dei in omnibus, & vnum domicilij cœlestis habitaculum in spiritu vniuersorum. In quo non solum sanctorum hominum, sed omnium credentium, omnium etiam superiorum rationabilium virtutum ac potestatum, connexionem fidei spiritusque accipiendam arbitror, vt per harmoniam quandam virtutum ac ministeriorum corpus vnum ex omnibus rationabilis naturæ spiritualibus adhæreat capiti suo Christo, ita ædificationis compage connexa, vt ne tactu quidem iunctura singulorū adherentiū discrepare videatur. Hoc est enim quod dixit Græcus *ἀφὴν τῆς χορηγίας κατ' ἐργασίαν ἐν μετῶ* quod nō difficile erit tanto architecto secundum mensuram vniuscuiusque meritorum, ac fidei conuenientem sibi connectere, cum ædificatio charitatis ruinam offensionis excludat atque obstruat. Non est ergo dubitandum cœlestium potestatum adhæsura ad hoc templum ædificandum consortia, incongruum quippe intelligi quod ita assurgat humanæ charitatis ædificatio in templum Dei, vt fiat in nobis habitatio Dei in spiritu, non sic autem in cœlestibus potestatibus. Cuius rei gratia, vt maturius in nobis ædificatio huiusmodi procederet, hortatur nos Apostolus aperire oculos cordis, eleuare ad superiora, agnitionem Dei impense querere, veritatem discutere, abscondere in corde mandata Dei, deponere erroris desideria, dedecoris occulta, renouari per gratiam sacramentorum, temperare iracundiam, commotionem ante occasum solis relaxare, cauere ne superiora tua occupet aduersarius, spiritus ille habens potestatem, qui se immergit in cor Iudæ, & cōminuit animæ eius ianuas, ne posset resistere, furem excludere, mendacem auertere, exurgere à mortuis, sobrietatem assumere, vxorem viro vt ecclesiam Christo debere esse subditam, virum pro vxore animam suam offerre, sicut se pro ecclesia tradidit Christus. Postremo quasi bonū bellatorem sumere arma Dei ac prætereire semper, non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiā aduersus spirituales nequitias, ne à suis emolliri,

ab extraneis capi possit. Hæc breuiter comprehensa vt potui perstrinxi. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad clericos quosdam qui propter leuam aliquam offensionem ab officio desistunt, redarguentis, & ad constantiam exhortantis, Epistola XVII.

Ambrosius clericis. Plerumque humanis obrepit mentibus, vt aliqua leui perstricti offensione, si non illis cedant pro studio voluntaria, officio desistant. Quod in alio genere hominum tolerabile: in iis vero qui rei diuinæ intendunt, plenum doloris. Sunt enim aliqui in clericorum munere, quibus inimicus obrepere studet, si aliàs eas non potuerit circumuenire, vt legis huiusmodi serat cogitationes: Quid mihi prodes in clero manere, subire iniurias, labores perpeti, quasi non possit ager meus me pascere, aut si ager desit, quasi aliter exercere sumptum nequeam? Itaque huiusmodi cogitationibus etiam boni mores ab officio retrahuntur: quasi vero hoc solum sit in clerico, vt sumptum expediat suum, & non vt diuinum sibi post mortem potius subsidium locet: quanquam ille post mortem abundet, qui tutus hic potuerit decernere aduersum tot inimicorum insidias. Vnde Ecclesiastes ait: Optimi duo super vnū, quibus est merces bona in labore ipsorum: quia si ceciderit vnus, alter erigit socium suum. Vbi sunt duo optimi super vnū nisi vbi Christus est, & is quem Christus tuetur? Quia si ceciderit qui cum Domino est Iesu, erigit eum Iesus. Sed qua ratione dixit: In labore ipsorum? Ergo & Christus laborat? Vtique laborat, qui ait: Laboraui clamans. Laborat, sed in nobis. Denique ad puteum fatigatus sedebat. Sed quomodo labore, docuit nos Apostolus minore exemplo dicēs: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Docuit & ipse Dominus sua voce: Ager eram, & non visitastis me, nudus eram, & non operuistis me. Laborat vt me iacentem erigat. Vnde in Helisæo figura Domini præcessit, qui proiecit se vt mortuum erigeret, in quo symbolum est quod nobis Christus, commortuus sit, vt nobis resurgeret. Proiecit itaque se vsque ad nostram Christus fragilitatē, vt nos erigeret. Proiecit se, non cecidit, sed erexit consortem. Ipse enim consortes nos sibi fecit, vt scriptum est: Quia vnctus est oleo iustitiæ præ confortibus suis. Vnde pulchre ait Ecclesiastes: Quoniam qui ceciderit, alter erigit socium suum, nō ipse erigitur. Christus enim non alterius auxilio atque ope erectus est, sed ipse se resuscitauit. Denique soluite, inquit, hoc templum, & in triduo illud resuscitabo. Hoc autē dixit de templo corporis sui. Nec immerito erectus non est ab alio qui nō cecidit. Nā & ille qui a secūdo erigitur, cecidit: & qui cecidit, indiget auxilio vt erigatur. Quod & subiecta docēt, dicēte scriptura: vā illi vni cum ceciderit, & non est secundus qui cum erigat, quia & si dormiant duo, est calor illis. Commortui enim sumus Christo, & ideo cōiuuimus. Christus nobis commortuus est, vt nos calefaceret, qui ait: Ignem veni mittere in terram,

Mortuus eram, sed quia in baptisate commortuus Christo sum, accepi lumen vitæ à Christo. Et qui in Christo moritur, per Christum calefactus vitæ & resurrectionis vaporem accipit. Frigidus erat puer, calefecit eum Helisæus spiritu suo, dedit ei vitæ calorem. Condormiuit ei, vt eum calor quietis eius qui in symbolo consepultus ei fuerat, excitaret. Frigidus itaque est qui non moritur in Christo. Calefieri non potest cui ignis ardens non appropinquat. Inualefcere non potest alteri qui secum non habet Christum. Et vt cognoscas secundum mysterium dictum, non secundum numerum, quia optimi duo quàm vnus, subiecit mysticum. Et spartum triplex non corrumpitur. Tria enim quæ non sunt composita, non rumpuntur. Trinitas itaque incompositæ naturæ rumpi non potest, quia Deus vnus & simplex & incompositum est quicquid est. Quod autē est, permanet: non subiicitur. Bonum est itaque adherere alteri, & inferere collum in torques eius, & subiicere humerum, & portare illum, nec tædiare ad vincula, quia de domo alligatorū exiuit qui regnet, puer ille qui super regē seniore & stultū est. Ideoque qui eum sequuntur, alligati vinculis sunt. Denique Paulus vnctus Iesu Christi. Vnde & ipse Iesus captiuam duxit captiuitatem. Non satis visum est ei soluere captiuitatem, quam diabolus imposuerat, ne iterum liberos vacantēque inuaderet, sed perfecta absolutio existimata est sub Christo degere, & iniicere pedes in compedes sapientiæ ipsius, captiuum esse vt sis liber ab aduersario. Recte puer, quoniam puer natus est nobis, & vere optimus puer, cui dictū est à patre Deo: Magnum tibi est vocari puerum meum. Sapiens quoque, vt euangelium docet: Quia proficiebat ætate & sapientia. Conuenienter etiam pauper, quia cum diues esset, pauper factus est, vt nos sua inopia ditaret. Et ideo non fastidit in regno suo pauperē, sed exaudit eum, & liberat ex omnibus angustiis & molestiis. Sub hoc ergo viuamus, vt rex ille senior & stultus nullam habeat potestatem supra nos. Qui dum vult regnare quasi voluntatis suæ Dominus, nec sub vinculis esse Domini Iesu, inueteratus in peccatis, stultitiæ incidit deformitatem. Quid enim stultius quàm relictis cœlestibus ad terrena intendisse, & posthabitis perpetuis elegisse ea quæ caduca sunt & fragilia? Nemo ergo dicat: Non est nobis portio in Iacob, neque hæreditas in Israel. Nemo dicat, Non sum in clero, quia scriptum est: Date Leui clericos eius. Et iterum Dauid ait: Quia is qui inter clericos duos medius requiescit, ipse ad superna alis euolat spiritualibus. Non dicas de Deo tuo, Grauis mihi est: nec de loco tuo, Inutilis mihi est, quia scriptum est: Locum tuum noli relinquere. Vult enim auferre eum aduersarius, vult te abducere, quia inuidet spei tuæ, inuidet muneri. Sed tu quicumque in clero es Domini, portio eius & possessio, noli recedere de Domini possessione, vt dicas Domino: Possedisti renes meos, suscepisti me ex utero matris meæ. Et ille tibi quasi bono seruo dicat: Trāsi, recumbe. Valet filij, & seruite Domino, quia bonus Dominus.

Eccles. 4.

Psal. 68. Ioan. 4.

2. Cor. 11. Matth. 25.

4. Reg. 4.

Psal. 44. Eccles. 4.

Ioan. 2.

2. Tim. 2.

Capita Epistolarum Libri quinti.

- Ambrosius Horontiano, eum docens ex Michæa propheta, quomodo anima vetus & infirma à recto itinere deuians lapsa sit: quòve processu conuertatur, gradumque reparat ac reformet, et vt in proposito suo perseueret admonens. Epistola XVIII.*
- Ambrosius Horontiano, differens quemadmodum animam euangelicam quæ est ecclesie filia, Dominus Iesus primo suscepit, erudierit, atque consummauerit. Epist. XIX.*
- Ambrosius Horontiano, quæ sit diuina hæreditas desiniens, et cur tanti aestimetur, vt propter eam plerique morti se offerant. Epist. XX.*
- Ambrosius Horontiano, questionem de natura & substantia animæ subtili responsione dissoluens. Epistola XXI.*
- Ambrosius Horontiano, superioris questionis responsionem latius explanans atque complens. Epistola XXII.*
- Ambrosius Horontiano, dubitationem tollens de quo spiritu dictum sit, quia postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Epist. XXIII.*
- Ambrosius Marcello, narrans se causam veterinosi iurgij inter illum et fratrem ac sororem componendi tanquam arbitrum suscepisse, rationemque huiusmodi compositionis exponens. Epist. XXIII.*
- Gratianus Augustus beato Ambrosio, vt ad se docendum venire festinet postulans, et vt scripturis atque argumentis Spiritum sanctum Deum esse conuincat, rogans. Epist. XXV.*
- Ambrosius Gratiano Augusto, Epistolam ipsius plurimum commendans, suæque voluntati se satisfactorum pollicens. Epist. XXVI.*
- Ambrosius Valentiniano imperatori, legationis suæ expositionem insinuans. Epist. XXVII.*
- Ambrosius Theodosio imperatori, seipsum excusans, et vt ille facinoris sui penitentiam agat, rationibus atque exemplis suadens, rogans, hortans, et admonens. Epist. XXVIII.*
- Ambrosius Theodosio imperatori vindicari iubenti in episcopum & Christianos qui synagogam incendunt, vehementer eum ob hoc arguens, atque vt aliam epistolam dictari iubeat, et quod prius iussum fuerat emendet, exhortans. Epist. XXIX.*
- Ambrosius Valentiniano, eundem rogans atque conueniens ne ad petitionem Gentilium aras eorum imperatorio decreto instaurari iubeat, ostendensque ex tali decreto, primum Deo, deinde patri & fratri iniurias irrogari. Epist. XXX.*
- Symmachi urbis præfecti persuadentis ritus veteres circa cultum deorum esse seruandos, ad imperatores relatio. Epist. XXXI.*
- Ambrosius Valentiniano imperatori, relationi Symmachi respondens, aptissimisque confutationibus eam refellens. Epist. XXXI.*
- Ambrosius Valentiniano imperatori, recusans certare cum Auxentio Arriano in consistorio imperatore iudicatu, ex eo quod in causa fidei episcopi de laicis in ecclesia, et non laici de episcopis in consistorio debeant iudicare. Epist. XXXII.*
- Sancti Ambrosij in Auxentium de basilicis tradendis inuehentis, suosque ad constantiam atque tolerantiam exhortantis, oratio. Epist. XXXIII.*
- Ambrosius Marcellinæ sorori suæ, referens illi quid in causa de basilicis tradendis actum sit, et in quo statu res ipsa nunc consistat. Epist. XXXIII.*
- Ambrosius Theodosio imperatori, decessum Valentiniani Augusti vehementer se dolere, aptissimumque pro sepultura eius locum præparatum esse insinuans. Epist. XXXIII.*
- Ambrosius Eusebio episcopo, apparitori præfecturæ offensam quam contraxerat esse remissam, Faustinumque paruulum tussi laborantem ad sororem venisse referens. Epist. XXXV.*

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM LIBER QVINTVS.

Diui Ambrosij ad Horontianum, eum docentis ex Michea propheta quomodo anima vetus & infirma a recto itinere deuians lapsa sit: quoue processu conuertatur, gradumque reparat ac reformet, & ut in proposito suo perseueret admonentis. Epist. xviii.



AMBROSIVS Horontiano. Prophetæ quidem cōgregationem gentium, atque ecclesiæ annunciarunt ædificationem futuram, sed tamen quia in ecclesia nō solum fortium animarum iugis profectus, verumetiam infirmorum lapsus, & rursus conuersio est, ideo possumus ex prophetis libris colligere quemadmodum, aut præclara illa, & fortis anima sine vlla gradiatur offensione, aut infirmior labatur, aut lapsa reparat, ac reformet gradum. Itaque sicut in Canticis canticorum beatæ illius anime continuos processus legimus, ita in Michea, de quo nobis propheta sermo exortus est, consideremus lapsæ conuersionem. Non enim ociose te mouit: Et tu Bethleem domus Ephrata, quod dictum est ab hoc propheta. Quomodo enim potest Domus furoris esse, vbi Christus natus est? Hoc enim exprimit locorum vocabula, sed illustrant operationum mysteria. Ac primum consideremus quid interpretationis in latino habeat Micheas. Significat autem, quis à deo: vel, vt alibi inuenimus, quis iste, Morathi filius, id est hæredis. Quis autem hæres nisi filius dei, qui ait: Omnia mihi tradita sunt à patre? Et cum ipse esset hæres, nos esse voluit cohæredes. Merito, quis iste, non è populo vnus, sed electus ad gratiam Dei, in quo loquitur Spiritus sanctus, qui prophetare cœpit in diebus Ioathan & Achaz, & Ezechie regum. Quo ordine significatur visionis profectus. A malis enim regibus ad boni regis peruenit tempora. Et ideo quoniam anima afflicta sub malis ante laborabat regibus, quem processum conuersionis suæ habeat, considerandum videtur. Destructa erat quasi infirmior, & omnis munitio eius facta erat via transeuntium, & incurfus passionum, luxuriæ delictis resoluta ac contrita erat, ac relegata à facie Domini. Turris eius squalida erat, quæ posita est (vt in Esaia: cantico legimus) in medio florentis vineæ. Squallet etenim, quando vitis arefcit, & quis sua errat. Regrediente autē vitis viriditate, vel oue, splendet. Nihil enim squalidius iniquitate, nihil splendidius iustitia. Ad hanc turrim reuocatur ouis, quando anima reuocatur à lapsu, & in illa oue Christi regnum redit, quod est initium, quia ipse est initium & finis, vel initium salutis, sed tamen corripitur prius, eò quod tam grauius errauerit, & dicitur ei: Vt quid cognouisti mala, numquid rex non erat tibi? Hoc est, habebas regem qui te regeret & tueretur, deuiare à iustitiæ tramite nō debuisti, relinquere vias Domini qui tibi rationabiles sensus impartiuit. Vbi erant cogitationes tuæ, vbi consilia, quibus præuidere iniustitiam, propulsare iniquitates inuito tibi vi-

Michea. 5.

Matth. 11.

Esa. 5.

gore potuisti? Cur comprehenderunt te dolores parturientis, vt parturires iniquitates, & pareres iniustitias? Nullus enim maior est dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conscientiam, neque vllum grauius est onus quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimunt animam, curuat vsque ad terram ne se erigere possit. Grauiam filii grauiam nimis delictorum pondera. Denique illa in Euangelio mulier quæ curuata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi. Huic ergo animæ dicitur: Viriliter age, & appropinqua filia Sion vt parturias. Dolores enim parturientis tribulationem operantur, tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem nō confundit in æternum. Simul egeritur atque excluditur omne quod aduersum est bonis moribus, ne residentia eius fructescant semina, atque in nouos iterum germinet partus. Nec ociose dantur ei cornua & vngula, vt conterat omnes manipulos areæ, sicut vitulus Libani. Nisi enim manipuli cōtriti fuerint, paleæ ventilatæ, fructus apparere interiores & absolui nequeunt. Comminuit igitur atque excutit prius anima proficiens passionum superflua, vt fructus suos demonstrare possit in ipsa segete. Quanta aduersa sunt quæ partus impediunt bonos, hæc prius extirpanda sunt, ne his fructifera internecentur animæ sata. Tunc etiam illuc prospicit prouidus animæ consultor, vt concludat eam in voluptatibus suis, atque intercludat eius cupiditates, ne in iis delectetur. Vtiles enim sunt correptiones parentis, qui non parcat, vt obedientē præceptis salutaribus præstet animæ filij sui. Virga enim visitat, sicut legimus: Visitabo in virga iniquitates eorum. Itaque qui virga maxillam percutit Israeliticæ animæ, erudit eam ad disciplinam patientiæ dominica correptione. Nemo enim desperare debet quicumque corripitur atque arguitur. Qui enim diligit filium, corripit. Nemo de remedio diffidat. Ecce tibi vbi domus furoris videntis erat, ibi domus panis est: vbi crudelitas, ibi pietas: vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum redemptio, sicut scriptum est: Et tu Bethleem domus Ephrata non es minima inter principes Iudæ. Ex te enim exhibit princeps in Israel. Bethleem domus panis est, Ephrata domus furoris videntis. Hoc habet interpretatio istorum nominum. In Bethleem natus est de Maria Christus, eadem autem Bethleem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideo iam non domus furoris, sed domus panis, quia panem recepit eum qui descendit de cœlo. Domus autem panis furoris videntis Ephrata, quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi statuit infatulos, vnde vox in Rama audita est Rachael plorantis filios suos. Sed iam nemo timeat, quia requies illa quam quærebat David, audita est in Ephrata, inuenta est in campis syluæ. Tunc adhuc sylua erat nationum congregatio, sed posteaquam in Christum credidit, fructuosa facta est, quia

Luc. 13.

Rem. 5.

Matth. 23.

Gen. 35.

Gen. 12.

Gen. 22.

Cor. 10.

Psalm. 88.

Hebr. 11.

Eccles. 30.

Mich. 5.

Eierem. 31.

Matth. 2.

Psalm. 118.

quia benedicti ventris fructum recepit. Mortua est ergo Rachel parturiens, quia iā tūc quasi patriarchæ vxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simul quia in Ephrata & peperit Benjamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur, non minimos dolores matri præstitit, cuius filios persequebatur. Et illic mortua & sepulta est, vt nos commortui & cōsepulti cum Christo in ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione, vel fœcundata, vel repleta fructibus, Ephrata significatur. Hic tamen, id est, in libro prophetico inuenimus *ὄλιγος ἐστὶν ἰδ* est, in paucioribus es. In Matthæo autem: Et tu Bethleem domus Iudæ non es in paucioribus. Ibi domus Iudæ, hic domus Ephrata, in quo verborum discrepantia, non sensuum est. Nam & Iudæ interior vidit furorem, & exterior pertulit. Et in paucioribus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis per angustam viam. Et non est in paucioribus, id est, de proficientibus, quæ Christum non agnouit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, & diuinæ gratiæ receptaculum, & in eo minima cui is qui aliquid confert Christo, videtur deferre. Et qui appetit ecclesiam, Christum appetit. In quouis minimo enim Christus aut leditur aut honoratur, secundum quod ipse ait: Quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Ipsam autem Bethleem esse quæ est Ephrata, docet lectio Genesis, vbi ait Mortua est autem Rachel, & sepulta est in via Ephrata, ipsa est Bethleem. In via sepulta est sancta Rachel, quæ typus fuit ecclesiæ, vt transeuntes dicant: Benedictio Domini super vos, & venientes veniant in exultatione. Omnis itaque anima quæ recipit panem illum descendente e cœlo, domus panis est, hoc est panis Christi, quæ habitantis in se panis cœlestis firmamento alitur, & corde cōfirmatur. Vnde & Paulus ait: Omnes enim vnus panis sumus. Omnis anima fidelis Bethleem est, sicut Hierusalem dicitur, quæ pacem & tranquillitatem habet superioris Hierusalem quæ in cœlo est. Verus panis est qui fractus & comminutus satiauit vniuersos. Quinta autem traditio hoc habet: Domus panis. Beth domus est, Leem panis dicitur. De aliorum traditionibus propter perfidiam Iudaicam, ne ipsi se redarguerent, vel ab ipsis præteritum putamus, vel sublatum ab aliis. De Iudæ quoque tribu esse Bethleem docet lectio in Iudicum libro, quia vir ille Leuita accepit sibi concubinam de Bethleem Iudæ, & irata est ei concubina eius, & rediit in domum patris sui in Bethleem Iudæ. Egressus itaque Christus à diebus seculi (tunc enim nobis incipit seculum, quando dies salutis) & egressus ad currendam viam, dedit Israel vsque ad tempus parientis, cui aduenit Christus, aduenit fœcunditas, aduenit partus, sicut euenit ecclesiæ, quæ peperit plures quam quæ filios habebat, & peperit septem, id est legitimos, tranquillos, pacificos. Incipit ergo concipere anima, & formari in ea Christus, quæ receperit aduentum eius, & pascitur in diuitiis eius vt nihil ei desit, vt videtes etiam eam aliæ animæ reuertantur ad viam salutis, & erit ei pax, sed non potest probari nisi tentationibus. Tunc enim pax eius existimabitur & tranquillitas, cum excluderit vanas cogitationes vel compresserit, cum mo-

Aut omnes edomuerit passionum insurgentium, cum increbuerint angustia, persecutio, fames, periculum, gladius. Tunc erit, inquit, pax, quia in his omnibus superamus propter eum qui nos dilexit, quoniam confidimus in eo, quia neque mors, neque quiduis tentationum nos ab eius diuellat charitate & separet. Tunc ergo dabit tentationes eius vt iusti probentur. Et Dominus quidem dat tentationes ea voluntate, vt neminem decipi velit. Sed quia plerique vincuntur infirmi tētationibus, qui fortes sunt probantur. Tunc illis erit ros à Domino, tunc requies, tunc erit anima iusti sicut catulus leonis in ouilibus. Quod euangelico exemplo ad Christum referre nō dubitauerim, quia ipse dixit: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Comprimentur enim quadrigæ eius, irrationabiles scilicet: impetus & motus istius corporis: sed abitur illud: Foris pugna, intus timores: sed vbi que, id est intus & foris tranquillitas erit, & non erit qui respondeat & resistat bonæ voluntati, quia obedientia carnis sublato pariete maceria, cum fuerint vtraque vnum, omnes abolebit discordias. Si qua autem anima infirma, sicut ille secundum carnem Israel, titubauerit, & ab illa Christi charitate persecutionibus turbata se aliquatulum separauerit, corripitur atque arguitur quasi infida, quasi ingrata, quasi incredula, quæ liberata à vanitatibus seculi in eas respiciendo reciderit, à qua nō munera, non taurorum sacrificia, sed tantummodo vt bonū cognosceret, iustitiā faceret, postulatū est. Renunciatum est, inquit, tibi homo quid sit bonum, aut quid Dominus exquirat à te, nisi vt facias iudicium & iustitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum Domino tuo. Sed quia non seruauit hæc illa infirmior anima, ideo Dominus ait: Heu me quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemum in vindemia. Audiens ergo hæc propheta in quo loquebatur Deus, ait ad illam animam: Heu me anima quod non est plenus timoris à terra. Vel si ipse Dominus dicit, miseratus futuras pro peccatis ultiones, atque pro nostris erroribus ingemiscens. Audiens hæc anima, quia seminum suorum fructus non colliget, nullum messe amissa firmamentum inueniet sui, premet oliuam, & vntionem lætitiæ non habebit, neque bibet vinum iucunditatis. Cognoscens etiam in operibus carnis omnia plena sanguinis, plena circūscriptionis, fraudum, fallaciæ, ficta officia pietatis, compositas simulationes, & inimicos sibi omnes qui in domo sunt, ideoque proximi sibi corporis motus cauendos, qui sunt graues animæ nostræ aduersarij, conuertitur, & de Deo sperare incipit, & intelligens vere inimicam sibi carnem existere, ait ad eam: Noli supergaudere mihi inimica mea, quia cecidi, sed resurgam, quia si sedero in tenebris, Dominus illuminabit me. Considerans etiam insultare sibi aliquam potestatem quæ resistebat sibi ne meliorem sequeretur viam, & iniquitare quod tradita esset in interitum carnis, vt diuersis attereretur malis, quæ vel à domino propter peccatorum solutionem decernerentur, vel ab iniquo propter inuidiam conuersionis, vt ad se reuocaret afflicta, dicit: Adhuc iram Domini sustinebo, qui vel lapsum castigat, vel tibi potestatem affligendi dedit, quia peccaui, sustinebo tamen do-

Rem. 8.

Matth. 13.

2. Cor. 7.

Mich. 6.

Ibidem 7.

nec iustificet causam meam. Nisi enim confessa fuero, & exoluero precia iniquitatum mearum, non potero iustificari. Cum autem fuero iustificata, soluens duplicia peccata, educet iudicium meum deponens indignationem, quia satisfactum sententia est. Educet me ad lumen, ut videam iustitiam eius, & aspiciam delectationem eius. Videbit hoc lumen reconciliationis meae inimica mea, id est, diaboli nequitia, & operietur confusione, quae nunc dicit: Vbi est Deus tuus? Videbit in me misericordiam eius, videbit pietatem eius. Et ideo non audiamus eum quandoque in aduersis aliquibus seculi, cum aut dolor corporis est, aut filiorum amissio, vel ceterarum necessitudinum, non audiamus, inquam, dicentem: Vbi est Deus tuus? Tunc eius tentationes cauendae sunt, cum grauis vrget dolor, tunc animam agram auertere studet. Ergo anima quae illum non audierit insidiantem sibi, videns postea mirabilia Dei, videns se in caelo, diabolum autem sicut colubrum reptantem in terrestribus, gratulabitur dicens: Quis Deus sicut tu, auferens peccata, & transferens impietates? Qui non fuisti memor indignationis tuae, sed sicut in mari merfisti iniquitates nostras sicut Aegyptium plumbum, & redisti ad misericordiam voluntarius, quam gemino contulisti munere, dimittens peccata, atque abscondens, secundum quod scriptum est: Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Alia enim sanguine filij tui abluis, alia donas nobis, ut bonis operibus & confessionibus nostros errores tegamus. Quod ergo ait: Auferens peccata, ad remissionem pertinet, quia penitus ea tollit, ita ut non sint, quorum memor non erit. Quod vero ait: Transferens iniquitates, eod quod confitentibus nobis lapsus nostros, & obumbrantibus eos bonae operationis fructu, referantur in authorem culpae, & peccati incentorem. Quid enim aliud agit qui culpam fatetur, nisi ut aduersantis nequitiae spiritualis dolo se & malitia transductum probet? In eo itaque gratias agit anima ista, quia & aufert Dominus peccata, & transfert iniquitates, & demergit in profundum maris. Quod potest & ad baptismum referri, quo Aegyptius mergitur, Hebraeus resurgit, & quo altitudine sapientiae & bonorum operum abundantia regantur peccata superiora, per diuitias misericordiae Dei nostri, qui memor promissionis suae quam dederat Abraham, haeredem eius animam non est passus perire. Et illa quidem anima hoc reuocatur modo. Tu autem fili qui à primo flore pueritiae es haeres ecclesiae quae te suscepit & tenet, perseuerato in proposito, memor gratiae Dei & muneris quod per impositionem suscepisti manuum mearum, ut & in hoc gradu sicut in ministerio sacro fidem tuam demonstras atque industriam, & expectes remunerationem Domini Iesu. Vale, & nos ut filius dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Horontianum, differrentis quem admodum animam euangelicam, quae est ecclesiae filia, Dominus Iesus primo suscepit, erudierit, atque consummauerit. Epist. xix.

Ambrosius Horontiano: Superiore epistola de ca anima sermonem contulimus, quae itineris

fui deuos aliquos habuerit anfractus, ut verus Israel secundum carnem fluctuans, quia & ipse liberabitur per Domini nostri Iesu Christi gratiam, cum intrauerit plenitudo gentium, licet ista leuiore errore conuersione sese reformauerit. Hac vero epistola de ecclesiae filia nobis sermo sit, quam Dominus Iesus quemadmodum primo suscepit, erudierit, consummauerit in suo euangelio, consideremus. Suscepit itaque eam primo tuendam in confusione positam, (exul enim paradisi vbi nisi in confusione degeret anima vniuscuiusque hominis?) deduxitque eam in Bethleem. Iam profectus susceptae animae significatur, quod ascendit ad domum panis, in qua famem fidei & sterilitatem nesciat. De nostrarum animarum genere & ordine loquor, quibus nos viuimus & mouemur, non de aliqua specialiter. Non enim de proprietate & specie alicuius, sed de genere, ut dixi, animarum disputandum putamus. Descendit in Aegyptum Christus, patrocinium & ductum nostrae animae ferens, inde rediit in Iudaeam. Fuit in deserto, fuit in Capharnaum, fuit iuxta fines Zabuloe circa maritima, transiit per sata, fuit in Bethphage, fuit in Ephren, in Bethania, inde transiit in paradysum, vbi se capiendum dedit, passus est in Golgotha. Omnes isti processus animae nostrae sunt, per quos exercitata gratiam pie institutionis inuenit. Nam posteaquam exclusa de paradiso conditio humana in Adam & Eua in castellum relegata est, vagari coepit huc atque illuc, errabunda circumferens vestigia sine villo delectu. Tempore complacito sibi exinaniuit se Dominus Iesus, ut exulem in se susciperet, & veteri reformaret gratiam. Itaque inuentam recurso anfractu erroris reuocauit ad paradysum, ut euangelij docet lectio. Per sata eam duxit, ut ieiunam pasceret, primum in deserto, deinde in Capharnaui agri non vrbs incolatu, deinde iuxta fines Zabuloe, circa nocturna profluua, id est, prophetarum obscuriora enigmata, ut disceret praetendere ad fines gentium, quo omnes conuenirent, nec timeret fluctus vitae huius & procellas, quia habet Christus naues Tarfis, intelligibiles scilicet, quae percurrant mare, & ad templi constructionem pias merces deuehant. In huiusmodi nauibus nauigat Christus, & in puppe tamquam bonus gubernator tranquillo quiescit mari. Commotio excitatur, & increpat ventos, ut suis tranquillitatem refundat. Transiens quoque ad gentes hanc animam liberat, quae legis vinculis tenebatur, ne transfret ad nationum confortia. Venit in Bethaniam in locum obeditionis, ideo ibi mortuus suscitatur. Cum enim caro subdita fuerit animae, tunc iam non quasi mortua iacet in sepulchro suo conditio humana, sed resuscitatur per gratiam Christi. Ibi etiam se pro Dei nomine passioni discit offerre. De loco obeditionis, ut Ioannes docet, in Ephren ducitur, id est, ad bonorum fructuum fecunditatem: inde in Bethaniam reducitur, id est, obedientiam. Semel enim quae pie subiectionis fructum gustauerit, seruare eam, & in ea probari sapius nequaquam recusat. Vnde iam probata Hierosolymam venit, digna quae sit templum Dei, in qua Christus habitaret. Denique sedens super pullum asinae Dominus Iesus cum gratulatione & gaudio innocentis suscipitur aetatis. Postea in paradiso verba vitae aeternae

tae aeternae docentur. Vnde etiam Dominus se permisit capi, sicut Ioannes scribit euangelista, significans animam nostram vel potius conditionem humanam solutis erroris vinculis eo vnde eiecta erat in Adam, per Christum regressam. Vnde & latroni illi confitenti dicitur: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ille dixerat: Memento mei cum veneris in regnum tuum. Christus non de regno respondit, sed ad causam: Hodie mecum eris in paradiso, id est, reformandum est ante quod amissum est, postea conferendum id quod augendum est, ut per paradysum ad regnum perueniatur, non per regnum ad paradysum. Seruatur discipulis quod plus conferatur pro laboribus, ideoque incolatum promisit, regnum distulit. Itaque is qui sub ictu mortis conuertitur, & confitetur Dominum Iesum, mereatur incolatum paradisi. Qui vero multo ante se exercuit, & Christo militauit, acquisiuit populorum animas, pro Christo se obtulit, habeat paratum stipendium suis Dei regnum, cuius se remuneratione donatum gaudeat. Ideoque Petro dicitur: Tibi dabo clauis regni caelorum. Ex latrocinio conuersus requiem habet, in apostolatam probatus accepit potestatem. Haec est anima euangelica, haec est de gentibus, haec filia ecclesiae, longe meliore cursu quam illa ex Iudaea proiecta, ad Dominum Iesum & ad superiora se bonis consiliis & operibus attollens, quam suscepit in Golgotha Christus, vbi Adae sepulchrum, ut illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Vbi ergo in Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Horontianum, quae sit diuina haereditas desinientis, & cur tanto aestimetur, ut propter eam plerique morti se offerant. Epistola xx.

Ambrosius Horontiano. Non ociose quaerendum putasti quae sit rei diuina haereditas, & cur tanto aestimetur, ut propter eam plerique etiam mortem suam offerant. Verum si consideres quia & vsu humano haereditatis pecuniariae gratia facit ut venerabiliora fiat iura pietatis, quia hoc quoque plus desertur parentibus, ne laesa pietas patris vlciscatur se exhæredatione vel abdicatione contumacis pignoris, mirari profecto desines quae sit tanta diuinae haereditatis appetentia. Est autem haereditas proposita Christianis omnibus. Sic enim dicit Esaias: Est haereditas credentibus in Dominum. Quae speratur ex repromissione, non ex lege. Quod veteris testamenti exemplo probatur, dicente Sara: Expelle ancillam, & filium eius. Non enim haeres erit filius ancillae cum filio meo Isaac. Filius Sarae Isaac, filius ancillae Ismael. hi ante legem sunt. Ergo antiquior repromissio quam lex. Nos secundum Isaac filij per repromissionem, Iudaei secundum carnem filij ancillae. Nobis mater libera, quae non parturiebat, & postea ex repromissione effudit peperitque masculum: illis mater Agar, generans in seruitutem. Liber est cui gratia promittitur, seruus cui iugum legis imponitur. Prius ergo nobis repromissio quam illis lex, & secundum naturam antiquior libertas quam seruitus. Libertas igitur ex repromissione, ex lege seruitus. Sed licet repromissio ipsa ante legem sit, ut

diximus, ex repromissione autem libertas, in libertate charitas, secundum legem tamen est charitas, quae maior libertate est. Non ergo serui. Et quomodo scriptum est: Laudate serui Dominum? Quomodo ipse Apostolus ait: Sed ut serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate? Verum est & seruitus libera, quae est voluntaria, de qua Apostolus ait: Qui liber vocatus est, seruus est Christi. Haec est seruitus ex animo, non ex necessitate. Itaque nos serui quidem sumus creatoris nostri, sed libertatem habemus, quam per gratiam Christi accepimus generati ex repromissione secundum fidem. Vnde quasi ex libera geniti, libertatis sacrificium deferamus signati in fronte, sicut liberos decet, ut non confundamur, sed gloriamur signati spiritu, non carne. Quibus recte dicitur: State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Non dixit, nolite seruire, sed nolite iugo seruitutis contineri. Est enim grauius iugum seruitutis quam seruitus. Denique Isaac filio suo Esau petenti benedictionem ait: Ecce ab vbertate terrae erit tibi benedictio, & à rore caeli à summo, & super gladium tuum viues, & seruius fratri tuo. Erit autem, cum deposueris & solueris iugum illius à collo tuo. Quomodo istud conuenit, ut seruiat cum soluerit iugum fratris à collo suo, nisi distantiam esse intelligamus seruitutis? Quae igitur sit differentia, ipsa nobis exponat lectio. Bonus Isaac, & bonus nobis, qui secundum ipsum in libertatem nascimur: & bonus pater vtrique filio. Denique quod vtrumque diligeret, circa alterum affectu probauit, circa alterum benedictione. Seniori enim filio dixerat, ut cibum deferret sibi, & acciperet benedictionem: sed dum ille moram facit, & cibum agrestem & forenssem requirit, frater iunior domesticum detulit ex ouium grege. Bonus cibus omnium Christus est, bonus cibus est fides, suavis cibus misericordia, iucundus cibus gratia. Hos cibos epulatur populus ecclesiae. Bonus cibus spiritus Dei, bonus cibus peccatorum remissio. At vero ille praedurus cibus rigor legis, terrorque poenarum. Agrestis cibus obseruantia literae potius quam gratia indulgentiae. Denique ille populus sub maledicto, nos in benedictione. Velox cibus fides. Prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo: tardior cibus legis. Denique dum lex expectatur, populus errauit. Contulit igitur benedictionem pater impigro & fidei filio: sed quia bonus pater erat, seruauit & seniori filio benedictionem, ut eum seruum faceret fratris sui, non quo familiam suam degeneri vellet seruituti addicere, sed quia is qui regere se non potest & gubernare, seruire debet, & subditus esse prudentiori, ut eius regatur consilio, ne sua stultitia precipitetur, & labatur temeritate. Pro benedictione igitur huiusmodi confertur seruitus. Denique inter bona annumeratur, inter collatam terrae vbertatem, & rorem caeli à summo. Sed quia dixerat, Super gladium tuum viues: ne ei fortitudinis aut potestatis noceret praesumptio, addidit: Seruius fratri tuo, ut carnis fructus vberes, & diuinae rorem adipiscaris gratiae, & cum sequaris qui te suo gubernaculo regat. Sed tunc erit istud, Cum deposueris iugum eius à collo tuo, ut voluntariae seruitutis mercedem ha-

michea.7.

ibidem.

michea.7.

psal.31.

Rom. 11. Luca. 23.

Math. 16.

1 Cor. 15.

1 Cor. 21.

1 Cor. 11.

psal. 124. Ephes. 6.

1 Cor. 7.

Galat. 5.

ibidem.

Rom. 10.

beas, non iniuriam subeas, necessitatis. Inhonora huiuscemodi seruitus, quæ necessitate cogitur. Honorata autem quæ pietate defertur. Vnde apostolus: Si volens hoc ago, mercedem habeo, si inuitus dispensatio mihi credita est. Melius utique mercedis præmium quam dispensationis obsequium est. Nos igitur non contineamur seruitutis iugo, sed charitate spiritus seruiamus, quia dicit apostolus: Per charitatem spiritus seruite inuicē. Timor legis est, charitas euangelij. Deniq; initium sapientiæ timor Domini. Plenitudo autem legis charitas. Tamen & ipsa lex dicit, Et in hoc verbo omne mandatum instauratur, & in isto vno, inquit, sermone impletur: Diliges proximum tuum. Hoc est igitur quod proposuimus: quia etsi ex lege seruitus, tamen secundum legē libertas. Charitas enim libertatis, timor seruitutis est. Est igitur & charitas legis, & seruitus charitatis, sed lex charitatis prænuncia est, charitas euangelij piæ seruitutis arbitra est. Non superflua itaque lex, quæ tanquam pædagogus prosequitur infirmiores. Infirmitatem dico morum, non corporum. Infantes enim sunt qui fari verbum Dei nesciunt, qui eius opera nõ recipiunt. Nam si ætas senectutis vita immaculata, utique ætas adolescentiæ est vita maculosa. Lex ergo pædagogus fuit, id est, nomos, donec fides veniret. Et quasi infirmi, inquit, custodiebamur à lege, conclusi in eam fidem quæ reuelanda foret. Postquam autem fides aduenit, non dicit euangelium, sed fidem. Ea est enim sola fides, quæ est in euangelio. Nam licet iustitia Dei in eo reuelatur, quæ est ex fide in fidem, tamen sic illa legis est fides, si ei accedat fidei plenitudo. Merito ergo fides ista quasi sola dicitur, quia illa sine hac fides nõ est, sed in hac confirmatur. Denique vbi hæc fides venit, plenitudo aduenit, aduenit filiorum adoptio, cessauit infirmitas, abiit infantia, in virum perfectū assurgimus, Christum induimus. Quomodo igitur infirmus & paruulus esse potest, in quo Christus est Dei virtus? Ergo ad perfectionem venimus, perfectionis præcepta accepimus. Audisti hodie lectū: Non possum ego à me facere quicquam, sicut audio, & iudico. Audisti lectum: Ego non accuso vos, ego non iudico. Ego accuso, Moyses vos accusat, in quem speratis. Audisti lectum: Si ego testimonium perhibero de meipso, testimonium meum non est verū. Didici qualis iudex, qualis testis esse debeã. Non enim quasi infirmus dicit: nõ possum ego à me facere quicquam, sed infirmus ille qui sic intelligit. Nihil quidē sine patre facit filius, quia cõmunis operatio, & vnitas potestatis est. Sed hoc loco quasi iudex loquitur, vt cognoscamus homines in iudicando quòd nõ ex voluntate nostra & potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam. Cõstitue aliquem reū coargutum conuictum criminis, non adstruentem defensionis genera, sed deprecantem, ac volentem se ad genua iudicis, respondet ei iudex: Non possum à me facere quicquam. Iustitia in iudicando, non potentia est in iudicando. Ego non iudico, sed facta tua de te iudicant. Ipsa te accusant, & ipsa te condemnant. Leges te adiudicant, quas iudex non conuerto, sed custodio. Nihil ex me ego profero, sed ex te forma iudicij in te procedit. Secundum quod audio, iudico, non secundū quod volo, & ideo iudicium meum

verum est, quia non voluntati indulgeo, sed æquitati. Consideremus itaque quæ sit iudicandi religio. Dominus cœli atque terrarum iudex omnium dicit: Non possum à me facere quicquam, sicut audio, & iudico. Et hono dicit Domino suo: Nescis quoniam potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifigere te? Quare Dominus non potest? Quia iudicium, inquit, meum verum est. Non enim quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, id est, non voluntatem hominis quem videtis: non arbitrium hominis, quem vos hominem tantummodo iudicatis: nõ voluntatem carnis, quia spiritus promptus, caro autem infirma: sed voluntatem diuinam, quæ author legis, arbitraque iudicij est. Similiter & testis verus est, qui non sibi, sed alij fert testimonium. Scriptum est enim: Laudet te proximus tuus, & non os tuum. Pulchre autem dicitur Iudæis mystice: Ego vos non iudico, id est, ego vniuersorum redemptio, ego peccatorum remissio vos non iudico, quia me non recepistis. Non iudico, qui libenter indulgeo. Ego non iudico, qui sanguine meo redimo peccatores. Ego non iudico, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Ego non iudico, qui malo vitam quàm mortem peccatoris. Ego non iudico, quia non dāno, sed iustifico confitentes: Moyses vos accusat, ille vos arguit, in quem speratis: ille accusat vos, quia iudicandi non habet potestatem, quæ eius debetur authori. Ille ergo in quem speratis, accusat: iste in quem sperare nolulistis, absoluit. Magna, Iudæi, imprudentia. Merito accusantur in criminibus suis, quia accusatorem elegerunt, & bonum iudicem refutarunt. Ideoque deest illis absolutio, pœna non deest. Rectè ergo fili à lege cœpisti, in euangelio confirmatus es, à fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus enim ex fide viuit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Horontianum, questionem de natura & substantia animæ, subtili responsione dissoluentis. Epist. XXI.

Ambrosius Horontiano. Quæstisti à me vtrum anima cœlestis esse videatur substantiæ. Non enim aut sanguinem, aut ignem, aut neruorum harmoniam animam putas, vt vulgus philosophorum interpretatur, aut vt illa patricia quædam eorū profapia Platonis disputat, quod ipsum se mouet, & nõ mouetur ab alio, ipsa tibi anima videtur: vel certe vt Aristoteles acri ingenio quintum quoddam elementi genus induxit, probasti, id est, entelechian, ex quo componeres & velut fingeres animæ substantiam. De quo tibi Esdræ librum legendum suadeo, qui & illas philosophorum nugas despexerit, & abditiore prudentia, quam collegerat ex reuelatione, perstrinxerit eas substantiæ esse superioris. Apostolus quoque etsi non expressit, tamen intelligendum nobis reliquit quasi bonus magister, & spiritalis agricola, occultis doctrinæ seminibus excitas discipulorum ingenia, quòd animæ nostræ potioris creaturæ sint, & cuiusdam præstantissimæ naturæ. Cum enim dicit, quia vanitati creatura subiecta est, non sponte, sed propter eum, qui subiecit in spe, quoniam

1. Cor. 9.

Galat. 5. Eccles. 1. Rom. 13. Galat. 5.

Galat. 3.

Rom. 1.

1. Cor. 1. Ioan. 5.

Ibidem.

Ibidem.

1. Cor. 4.

1. Cor. 9.

1. Cor. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Rom. 8.

1. Cor. 5.

1. Tim. 1. 43.

1. Tim. 3. 8.

Rom. 8.

quoniã & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: ostendit non mediocre animarum esse gratiam, quarum vigore & virtute in adoptionem filiorum Dei assurgit humanum genus, habens in se quod ad similitudinem & imaginem Dei tributum est sibi. Animæ enim neque tactu aliquo comprehenduntur, neque visu corporeo videntur, & ideo præferunt illius incorporeæ & inuisibilis naturæ similitudinē, & supergrediuntur substantia sua corpoream & sensibilem qualitatem. Quæ enim videntur, temporalia sunt, temporalia significant, temporalibus agglutinantur. Illa autem quæ non videntur, æterno illi & summo adherent bono, atque in ipso viuunt, & sunt & mouentur, nec ab eo, si boni consulunt, se patiuntur separari ac diuidi. Vnaqueque ergo anima videns se corporeo isto clausam gurgustio, quæ tamen terrenæ huius habitationis cõsortio non degenerauerit, ingemiscit grauata corporis huius coniunctione: quia corruptibile corpus grauat animam, & inclinât terrenum habitaculum mentem multarum cogitationum: simulque cognoscens quia per fidem ambulat, non per speciem, peregrinari vult de corpore, & adesse ad Dominum. Aduertimus igitur quomodo vanitati creatura subiecta sit, non ex voluntate sua, sed ex diuino arbitrio, quo dispositum est animas corporibus coniungi oportere propter spem earum, vt dum sperant bona, dignas se præstent cœlesti remuneratione. Omnes enim nos oportet adesse ad tribunal Christi. Ideo vnus cuiusque anima præuideat rependenda sibi merita conuersationis suæ. Et pulchre ait: Propria corporis, id est, quod suscepit regendum, vt si bene rexit, præmium referat, propter quod in spe subiecta est, si male, supplicium, quia non sperauit in Deum, nec ad illam adoptionem filiorum, & ad veræ libertatem affectauit gloriæ. Docuit igitur Apostolus quòd humani generis creatura subiecta vanitati sit. Quid enim tam subiectum vanitati quàm homo & quàm anima eius? De confortibus eius dicit: Cum sumus in corpore isto, ingemiscimus grauati. Sed & Dauid dicit: Homo vanitati similis factus est. Et, vniuersa vanitas omnis homo viuens. Vita itaque hominis in hoc seculo vanitas est. Huic vanitati subiecta est anima. Itaque sanctus cum facit quæ sunt corporis, non sponte facit, non volens, sed propter eum qui subiecit in spe, facit, vt ei pareat. Ab hoc igitur exemplo animæ progrediamur ad creaturas reliquas. Propone tibi solem, lunam, & stellas que cœli lumina etsi preclaro fulgent nitore creaturæ sunt tamen, & ad quotidianum ministerium vel surgunt vel occidunt, seruientes dispositioni creatoris æterni, ministrantes splendorem quo vestiuntur, atque die nocteque emicant. Quotiens sol iste obtexitur nubibus, quotiens obiectum afferunt terræ, cum è regione eius luminis sui radius fuerit repercussus: oriuntur ipsi: sed vt ait scriptura, Luna nouit occasus suos. Nouit quando pleno orbe suo luceat, quando exinanito. Stellæ quoque nebulis obductæ vanescunt, quæ sustinent ministerium huius mundani vsus, non sponte utique, sed in spe, quia sperant etiam huius laboris gratiam S. Ambr. tom 5.

Ab eo qui subiecit eas. Ideoque propter eum sustinent, id est, propter eius voluntatem. Nec mirum si patienter sustinent, cum sciant Dominum suum, & creatorem omnium siue quæ in cœlo, siue quæ in terra sunt, suscepisse nostri corporis fragilitatem, nostræ conditionis seruitutem. Cur ergo illa seruitutem corruptionis suæ non patienter sustineant, cū Dominus omnium pro toto mūdo se humiliauerit vsque ad mortem, serui formam susceperit, peccatum mundi, maledictum etiam pro nobis factus sit? Illius ergo imitantes bonitatem cœlestes creaturæ, licet ingemiscant quod mundi huius vanitati subiectæ sint, consolantur se tamen quod liberabuntur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ, cū filiorum Dei adoptio venerit, quæ est vniuersorum redemptio. Cum enim intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus erit. Cui enim non ignoscit populo, qui ignoscit etiam illi persecutori suo qui dixit, Crucifige, crucifige: Sanguis eius super nos & super filios nostros? Sed quia vanitati etiam cœlestis subiecta creatura est, licet istud in spe, etiam horum perfidiam & temulentiam vanitate huius mundi lapsam pertinere ad veniam patietur veritatis pietas, & redemptio vniuersitatis. Ergo vt concludamus, & ille tantus ac talis sol, & illa luna quam noctis tenebræ non operiunt, & illæ stellæ quæ sunt ornamenta cœli, seruitutem corruptionis nunc sustinent, quia corruptibile omne corpus. Siquidem & cœli peribunt, & cœlum & terra præteribit. Postea autem & sol & luna & cætera stellarū lumina requiescent in gloria filiorū Dei, quādo erit Deus omnia in omnibus: qui & in te & in nobis sit per suam plenitudinē & misericordiam. An ipsos quoque angelos qui in istius mundi laboribus diuersa sustinent ministeria, sicut in Apocalypsi legimus Ioannis, non ingemiscere credimus cum adhibentur pœnarum & excidiorum ministri? Qui habentes vitam beatam malent utique eam in illo superiore tranquillitatis suæ statu currere, quàm nostrorum peccatorum pœnis vlttricibus interponi. Etenim qui gaudent vnus peccatoris redemptione, utique tantorum peccatorum ærumnis ingemiscunt. Si igitur etiam cœlestes creaturæ & potestates seruitutem corruptionis sustinēt, sed in spe, vt pro nobis postea & nobiscum lætentur, etiã nos pœsiones huius temporis futuræ spe & expectatione consolemur gloriæ. Vale filij, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Horontianum, superioris questionis responsionem latius explanantis atque completis.

EPISTOLA XXII.

Ambrosius Horontiano: Superior epistola tuæ inquisitioni respondit. Hæc meæ responsionis portio est, quæ non soluat, sed impleat superiorem. Nã dū vltiora recēseo, mouit me fateor quia addidit: Scim⁹ enim quòd omnis creatura cõgemiscit: cum in priori capitulo sine adiectione dixerit, quia creatura vanitati subiecta est. Nõ enim omnē creaturã, sed creaturã subiectã dixit. Et iterum ait: Quoniã & ipsa creatura liberabitur à seruitute corru

Philipp. 2. 2. Corin. 5.

Roma. 11.

Matth. 27.

Matth. 24.

1. Cor. 15.

Luc. 13.

Rom. 8.

Ibidem.

ptionis. Tertio autem addidit quod omnis creatura congemiscat. Quid sibi igitur vult ista adiectio? Nisi forte quia non omnis creatura subiecta vanitati est: & quia non omnis vanitati subiecta est, non omnis a seruitute corruptionis liberabitur. Quid enim liberetur a seruitute quae vanitatis & corruptionis eius expers atque immunis sit? Omnis autem congemiscat, non in suo, sed in nostro labore, & cōparturiat illum fortasse spiritum salutis, spiritum iucunditatis, expectans adoptionem filiorum Dei, vt cōmunem de redemptione humani generis cōsequatur lätitiam & exultationem. Aut propter charitatem igitur suam omnis ingemiscit nostrum laborē, aut propter membrum sui corporis, cuius caput Christus est. Sed siue ita vt diximus, siue simpliciter subiectam creaturam omnem dixerit congemiscere & comparturire, vt voles intellige. Nunc illud consideremus quod adiecit: Non solum autem illa, sed etiam nos primitias spiritus habentes ipsi intra nos ingemiscimus, adoptionem filiorū expectātes, redemptionem corporis nostri. Quid sit adoptio filiorū, superior pagina docet. Et ideo exponendi sensus gratia ad superiorem recurrendum est paginam. Qui spiritu, inquit, facta carnis mortificat, viuet. Nec mirum si viuat, cum filius Dei fiat, qui habet spiritum Dei. Adeo filius Dei, vt non accipiat spiritum seruitutis, sed spiritum adoptionis filiorū, eoque vt testimoniū spiritui nostro Spiritus sanctus reddat quod sumus filij Dei. Testimonium autem hoc est Spiritus sancti, quod ipse est qui clamat in cordibus nostris, Abba pater: sicut ad Galatas scriptum est. Sed & illud grande testimonium quod filij sumus Dei, quia sumus hāeredes Dei, cohāeredes autem Christi. Cohāeres autem est eius qui conglorificatur ei. Conglorificatur vero ille qui patiēdo pro ipso, compatitur ei. Et vt nos hortetur ad passiōem, adiungit: quia omnia quae patimur, minora sunt & indigna quorum pro laboribus tanta rependatur futurorum merces bonorum, quae reuelabitur in nobis, cum ad Dei imaginem reformati gloriā eius facie ad faciem aspiciere meruerimus. Et vt magnitudinē reuelationis futurae extolleret, addidit, quod & creatura hanc reuelationem expectet filiorum Dei, quae nunc vanitati subiecta est, non sponte, sed in spe, quia sperat de Christo gratiā ministerij sui: vel quia & ipsa liberabitur a seruitute corruptionis, vt assumatur in libertatem gloriā filiorū Dei, vt sit vna libertas creaturae, & filiorum Dei, cū reuelata fuerit eorum gloria. Verum nunc dum reuelatio procrastinatur, congemiscit omnis creatura expectās adoptionis & redemptionis nostrae gloriā, parturiens iam illum spiritum salutis, & volēs liberari a vanitatis seruitio. Cui cōiunxit Apostolus etiam sanctorum gemitum, qui habēt primitias spiritus: nam & ipsi ingemiscunt. Quamuis enim de suo merito securi sint, tamen quia futura est adhuc redemptio totius corporis ecclesiae, compatiuntur. Cum enim adhuc membra patiuntur corporis sui, quomodo alia membra licet superiora non compatiuntur membris vnus corporis laborantibus? Vnde puto dixisse Apostolum, quia tunc & ipse filius subiectus erit, qui ei subiecit omnia. Qui enim adhuc laborant, nondum subiecti sunt, in quibus

fortasse adhuc sitit Christus, adhuc esurit, in quibus nudus est, eō quod non impleant verbum Dei, non induant Christum, qui est indumentum credentium, amictus fidelium. Sed & illi in quibus aeger est, adhuc medicina indigent, & ideo nondum subditi. Subiectio enim ista virtutis est, non infirmitatis. Denique in fortibus & facientibus mandatum Dei, subiectus est Dei filius. Nunc autem magis in iis laborat qui non subueniunt laborantibus, quā in illis qui sibi postulant subueniri. Hāc est pia interpretatio & vera subiectionis Domini Iesu, qui ideo se subiiciet, vt sit Deus omnia in omnibus. Sēsum Apostolicum percurramus, nunc consideremus qui sunt primitias spiritus habentes. Et ideo legem interrogemus quid sit quod primitiarum vel initij nomine declarauerit. Initia, inquit, areae & lacus tui non fraudabis. Et infra: Initia primitiarum tuarum inferes in domum Domini Dei tui. Alię sunt primitiæ, aliæ decimæ. Primitiæ maioris gratiæ, sanctificationis obseruantissimæ. Ideo placuit Abel, quia non est suum munus moratus, qui de primitiuis ouium obtulit. Licet aliqui distantiam velint esse inter primitias & primogenita, id est, quae primo nascuntur, eō quod collectis feminibus quasi ex omnibus initia offerantur areae: tamen de messe quod primum tollitur, id offertur Domino, sed de hoc aliās. Sanctificari autem videtur primitiarum munere tota areae messis, sed ipsae sanctiores primitiæ sunt. Similiter sancti primitiæ sunt Domini, præcipuē apostoli. Primum enim Deus posuit in ecclesia apostolos, qui & pleraque prophetarunt, & euangelizarunt Dominum Iesum, quia primi receperunt eum. Recepit eum Symeon propheta, Zacharias propheta, Ioannes filius eius, Nathanael, in quo dolus non erat, & ideo sub ficu quiescebat. Ioseph qui dicebatur iustus, qui sepeliuit eum. Isti sunt primitiæ fidei nostrae, sed tamē eadem ceterorum natura feminum, quae primitiarum, licet in aliquibus minor gratia. Potens est enim Deus ex lapidibus filios Abrahæ excitare. En tibi exemplum de ipso Domino Iesu resurrectione mortuorum primogenitus ex mortuis dicitur. Eundem ipse Apostolus primitias significauit, dicens: In Christo omnes viuificantur, vnusquisque autē in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderūt. Eadē in illo corporis veritas quae in nobis, sed tamen & primogenitus ex mortuis dicitur, quia primus resurrexit: & primitiæ, quia sanctior omnibus fructus, qui etiam ceteros cōfortij sui fructus sanctificauit. Ipse etiam initium eorum qui ad imaginem, quasi imago inuisibilis Dei, in quo secundum diuinitatem nihil corporeum, nihil temporale, quia splendor est gloriæ paternae, & imago substantiæ eius. Produximus sermonem epistolarem, dum volumus quid sint primitiæ significare. Primitiæ ergo nostri apostoli electi ex omnibus presentis temporis fructibus, quibus dictum est: Et maiora his facietis. Fudit enim se in eos gratia Dei. Isti, inquam, ingemiscabant expectantes redemptionē totius corporis, & adhuc ingemiscunt, quia multorum est labor qui adhuc fluctuant. Et si aliquis ad superiora se littoris subsistat, & adhuc medio corpore

Eph. 5. Colof. 1.

Rom. 8.

Vbi supra.

Galat. 4.

Rom. 8.

Rom. 8.

Ibidem.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

Matth. 25.

1. Cor. 11. Rom. 8.

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Galat. 4.

Exod. 34.

Rom. 8. Luc. 18.

Gen. 4.

Philipp. 1.

Rom. 8.

1. Cor. 2.

1. Cor. 11.

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Luc. 11. Ibidem.

Ioan. 1.

Luc. 25.

Matth. 3.

Colof. 1. 1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

Hebr. 1.

1. Cor. 2.

Ioan. 14.

corpore cedatur fluctibus, ingemiscit & comparatur, donec totus euadat. Ingemiscit vtique qui adhuc nobis dicit: Quis infirmatur & ego non infirmor? Non ergo nos moueat quod ita scriptum est: Qui primitias spiritus habentes, ipsi intra nos ingemiscimus adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri. Sensus enim apertus est, eo quod primitias spiritus habentes ingemiscunt, adoptionem filiorum expectantes. Quae adoptio filiorum, redemptio totius corporis est, quando facie ad faciem quasi Dei filius per adoptionem videbit illud diuinum & aeternum bonum. Est enim adoptio filiorum in ecclesia Domini, quando clamat spiritus: Abba pater: sicut habes ad Galatas. Sed illa erit perfecta, quando resurgent omnes in incorruptione, honore, gloria, qui merentur Dei faciem videre. Tūc enim vere redemptā se humana iudicabit conditio. Vnde Apostolus gloriatur, dicens: Quia spe salui facti sumus. Saluat enim spes, sicut & fides, de qua dicitur: Fides tua te saluum fecit. Ergo creatura quae non sponte, sed in spe vanitati subiecta est, spe saluatur, sicut & Paulus cum sciret lucrum sibi esse mori, vt cum Christo esset solutus corpore, permanebat in carne propter eos quos Christo acquireret. Spes autem quid est nisi futurorum expectatio: Vnde ait: Spes autem quae videtur, non est spes. Non enim quae videntur, sed quae non videntur aeterna sunt. Nam quod videt quis, quid sperat? Videtur enim tenere ea quae videmus. Quomodo ergo quae tenemus speramus? Nihil igitur eorum quae sperantur videtur. Oculis enim non vidit, nec auris audiuit quae preparauit Deus diligentibus eū. Ergo si sperari non potest quod videtur, non bene habent aliqui, nam quod videt quis, quid & sperat? Nisi & forte sic intelligas, nā quod videt quis, quid & sperat, vel quid expectat? Quia illud verum est, quia id speramus quod non videmus: & ideo quāuis abesse videatur a nobis, expectamus illud per patientiam. Expectans enim expectaui Dominum, & respexit me. Ideo ergo expectamus patienter, quia bonus est Dominus sustinentibus eum. Et videtur conuenire, quia reddidit patientiam: Expectamus quae speramus, & non videmus. Multū enim facit qui sperat & ea expectat quae non videntur, & propterea quod intendat mentem ad illud, omne quod est sustinet. Pulchrē autem dicitur: Spes autē quae videtur, non est spes, de potestatibus istius seculi, de dignitatibus, de diuitiis. Vides nescio quae facibus praeinentem & curribus, nihil habet spei in curribus qui videntur. Nec in ipso caeli elemento spes est, sed in Domino caeli. Nec Chodaeus in stellis spē habet quas obseruat, nec diues in possessionibus, avarus in vsturis, sed ille spem habet qui in eum spem suam ponit quem non videt, id est, in Domino Iesu, qui medius nostrum stat, & non videtur. Denique quae oculus non vidit, nec auris audiuit quae preparauit. Dominus diligentibus eum.

1. Cor. 11. Rom. 8.

Galat. 4.

Rom. 8. Luc. 18.

Philipp. 1.

Rom. 8. 1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Psalm. 39.

Rom. 8.

1. Cor. 2.

Diui Ambrosii ad Horontianum, dubitationem tollentis, de quo spiritu dictum sit, quia postulat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Epistola xxiii.

Ambrosius Horontiano: Concatenantur sibi epistolae nostrae, vt tāquam inter praesentes videamur sermonem cedere. Ita ego ex tua interrogatione, tūque ex mea explanatione epistolis scribendis materiam damus. Moueri enim te indicasti, de quo spiritu dictum sit: Quia postulat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Superiora igitur repetamus, vt lectio manifestet quod querimus. Similiter, inquit, & spiritus videtur spiritus sanctus qui adiutor nobis est, sicut ille cui dicitur: Adiutor meus es tu, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus? Quis enim alius spiritus qui possit docere Paulum quid oraret? Docet autem spiritus Christi, sicut & Christus orare discipulos suos. Quis autem post Christum doceret nisi spiritus eius, quē ipse misit vt doceret, & dirigeret nostras orationes? Oramus enim spiritu, oramus & mente. Vt bene mens possit orare, praecedit spiritus, & deducit eam in viam rectam, ne obrepant carnalia, ne minora, ne etiam maiora viribus. Vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Denique scriptum est: Petite magna & parua adiciantur vobis. Petite caelestia, & terrena adiciantur. Ergo vult nos maiora petere, non in terrenis morari. Ille autem scit quid tribuat, diuidens singulis prout vult. Dicit enim interdum, sciens mensuram quam nos ignoramus. Non potestis hāc modo accipere. Peto mihi passionem martyrij: spiritus proptus est, sed videns infirmum carnis meae, ne dum maiora cupio, minora amittam, dicit: Non potes hāc accipere, Quales occasiones habui, & de ipso prope sine reuocatus sum. Nouit enim bonus medicus quae esca cui apta sit infirmitati, & cui temporari ad profectum valetudinis. Interdum opportunitas escae sanitatem reddit, quod si importunē aliquis accipiat, aut non conueniēter, implicat periculo. Ergo quia nos nescimus quid oremus, & quomodo oporteat, postulat pro nobis Spiritus sanctus, est enim aduocati nostri Iesu, & postulat gemitibus ineffabilibus. Dolet enim pro nobis & Christus. Et Deus pater dicit: Ventrem meum doleo. Et frequenter indignantem eum legimus & dolentem. Gemit autem vt auferat peccata nostra, doceat nos agere poenitentiam. Est enim pius gemitus, & plenus authoritatis, de quo dicit Propheta: Et gemitus meus non est absconditus a te. Non enim latebat vt Adam, sed dicebat: Ecce ego pastor, & grex iste quid deliquit? Ego peccaui, in me vindica. Ex hoc igitur gemitus Spiritus Dei, & ille prophetae gemitus, bene ineffabilis, quia caelestis. Ea enim quae in caelo audiuit Paulus, ineffabilia audiuit, vt fari ea homines non debeant: sed quae occulta hominibus, Deo nota sunt. Nouit enim omnia qui scrutator est cordis, sed illa scrutatur quae mundauit spiritus. Nouit ergo Deus quid postulet spiritus, & quae Spiritus sapientia sit, quia interpellat pro sanctis, sicut habes: quia & spiritus interpellat pro nobis. Pro quibus enim Christus passus est, & quos sanguine mūdauit suo, pro iis interpellat & spiritus. Vale & nos vt filius dilige, quia nos te diligimus.

Rom. 8.

Psalm. 26.

1. Cor. 14.

Ibidem. 12.

Rom. 8.

Hierem. 4.

Psalm. 37.

1. Para. 27.

2. Corin. 12.

Rom. 7.

*Dini Ambrosii ad Marcellum narrantis se causam vetero-
si iurgii inter illum & fratrem ac sororem componendi
tanquam arbitrum suscepisse, rationemque huiusmodi
compositionis exponentis. Epistola XXIII.*

Ambrosius Marcello: Apud me decursus est tui textus negocij, quod non intulisti, sed recepisti, quia erat & pietatis necessitas, & probanda in pauperes liberalitatis voluntas. Cognoui autem secundum sacrae formam praeeptionis, in qua me induit & beatissimi Apostoli autoritas, & tuae doctrinae ac vitae forma & disciplina. Nam cum ipse arguerem quod adhuc inter vos maneret veterosum iurgium, cognoscendi mihi necessitatem partes imposuerunt. Erubui recusare, fateor, cum praesertim rogati vtriusque partis inuicem se lacefferent dicentes, ut meo sub examine liqueret cui parti maiora iuris vel iustitiae suffragia foret. Quid plura? Cum iam conclusi essent dies, & paucarum horarum superesset spatium, quibus tamen alia audiret praefectus negocia, petierunt causae patroni prorogari paucorum dierum tempora, ut ego residere cognitor. Tantus ardor erat Christianis viris ne praefectus de episcopi iudicaret negocio. Aiebant praeterea nescio quae gesta indecora, & pro suo quisque studio iactabat, quae episcopo potius iudice quam praefecto examinari oporteret. His confusus, simul admonitus apostolicae praeeptionis quae arguit, dicens: Nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis? Et iterum: Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum: sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Recepi cognitionem, ita tamen, ut compositionis esse arbitrum. Videbam enim quod si pro tuis iudicarem partibus, posset ille non acquiescere: si pro illo ferretur sententia, obediret tua & sanctae sororis defensio. Erat ergo iniqua decernendi conditio. Posset etiam illis videri suspecta necessitudinis sacerdotalis gratia. Quando enim victus quemuis alium quam se aequiorem putat? Et quod verum est, erant vetusti iurgij intolerabilia vtrique parti dispedia si finis eius aut fructu careret, aut liberalitatis solatio. Cum igitur anceps iudicium, ius controuersum, multiplices ab vtraque parte actiones cernebam, inuidiae plenas supplicationes, rescriptorum quoque obreptiones obtexerent, aduerterem etiam graui conditione illum si vicisset, acturum de duplis fructibus, & de sumptibus annoae litis, tuo autem officio non conuenire, ut expensas iurgij posceres, nec competere ut quicquam de fructibus possessor ageres quos percipisses, malui iurgium compositione sedare, quam pronuntiatione acerbare. Alia enim habebant excitari iurgia. Tum, quod est grauissimum, & si iurgia sublata forent, erant tamen odia mansura, quae apud bonos mores dispedit sunt, inter hos aestus positus, cum me persona sacerdotis, feminei sexus, viduae grauitas, amici quoque contemplatio, trino quodam non perfunctorio conueniret nomine, illud sequendum putavi, ut neminem vinci vellem, & oes vincere: nec fessit

sententia. Vicistis enim omnes germanitati, vicistis naturae, vicistis scripturae dicenti: Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini? Sed putas te grauatam iactura iuris, damno pecuniae. Meliora vti que sacerdotibus dana quam lucra seculi sunt. Beatius est enim dare, quam accipere. Sed forte dicas, fraudem non debui pati, iniuriam non debui perpeti, damnum subire. Quid ergo? Inferre velles? Sed & si tu non inferres, ille se passum diceret. Itaque vide quid dicat Apostolus: Quare non magis fraudem patimini? ut prope videatur qui non patitur fecisse. Tolerare enim debet qui fortior est. Verum quid ego ita tecum ago, quasi hoc meum & non tuum sit? Tu enim obtulisti quasi arbitrum litis ut soror in diem vitae suae possideret partem praedij, post obitum eius fratri cederet omnis possessio. Neque quisquam eum vel tuo vel ecclesiae conueniret nomine, sed sibi haberet, si tam mallet, ut nihil dispensaret ecclesiae. Hoc cum ego praedicarem, & praferrem tantam animo tuo infusam liberalitatis gratiam, respondit germanus tuus placere sibi oblationem si metus deteriorandae possessionis decederet. Quemadmodum enim femina, & quod est amplius, vidua, possessionem reget tributariam? Quid sibi profuturum quod sibi iura possessionis cederes, si maiora ex incultu agri subeunda sibi damna arbitraretur? Mouebat hoc vtriusque partis togatos. Itaque omnium conspirante assensu placuit ut Latus agrum susciperet, & certum numerum frumenti, vini, olei, sorori quotannis pensitaret. Ergo sanctae germanae tuae non ius, sed sollicitudo decessit, non fructus, sed culturae labor, non redditus, sed incerti euentus quaedam (ut dicitur vulgo) alea. Si tempestates ventorum graues prouentum impederint, sorori tamen tuae sua vbertas manebit. Si nimia siccitate aruerint locorum gignentia, sorori tamen tuae stata non minuetur fecunditas. Sibi adscribit Latus conditionem oblationis suae. si necessitates temporum & extraordinariae incubuerint exactiones, germana tua beneficio tuo & dispendio Leti immunis erit. Letus autem se proprietate locorum solabitur. Vicistis ergo omnes. Latus, quia ius loci adeptus est quod non tenebat soror, qui annuis potietur fructibus, iam sine lite, sine iurgio, nemo tamen plenius, nemo gloriosius quam tu vicisti, qui dum erga sororem confirmari vis liberalitatem tuam, in vtrunque eam fraternae confortis necessitudinis contulisti: Nam & fratri concessisti proprietatem, & sorori vsus fructum. Nihil autem admittitur ecclesiae, quod pietati acquiritur. Caritas enim non damnum, sed lucrum Christi est. Denique charitas, fructus Spiritus sancti est. Apostolico igitur caractere cognitio decursa est. Dolebamus ante quod litae haberes. Profuit iurgium ut formam indueres apostolicae vitae & praeeptionis. Illud sacerdotio non congruebat, haec transactio & apostolica decet normam. Nec vereare ne immunis sit atque exors ecclesia liberalitatis tuae. Habet & illa fructus tuos, & quidem vberiores, habet fructus doctrinae tuae, habet tuae vitae stipendium, habet fecunditatem, quam tuis institutis rigasti. His diues redivitibus non quaerit temporalia, quia aeterna possidet. Addidisti autem ei non solum apostolicos, sed etiam euangelicos fructus.

1. Corin. 5.
Ibidem. 6.

Galat. 5.

fructus. Dominus enim dixit: Facite vobis amicos de iniquo mammona. Fecisti & tu amicos, & quod mirabile est, ex disfidetibus. Fecisti in ius germanitatis redire fratres, fecisti eos hac charitate, hac gratia securos quod suscipiantur in aeterna tabernacula. Christo igitur authore, & duobus arbitris sacerdotibus, te qui formam prior dedisti, me qui sententiam prompti, facta pax non claudicabit, quando tanta fidei conuenerunt suffragia, ut perfidia non possit esse sine poena. Arabit Letus sorori, cui antea alienos inuidebat labores: messem Letus sorori colliget, in qua ante ferre non poterat alienas donationes: deferet fructus ad sororis horrea, & hoc Latus faciet, recepta iam etiam nominis sui proprietate. Tu interea conformatus in apostolum Christi assumens propheticae auctoritatem dices ad Dominum, Possedisti renes meos. Haec melius Christum possessio decet, ut virtutes sacerdotis possideat sui, hos fructus capiat, quae sunt integritatis & continentiae, & quod est amplius, charitatis & tranquillitatis. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Gratiani Augusti ad beatum Ambrosium, ut ad se docendum venire festinet postulantis, & ut scripturis atque argumentis Spiritum sanctum Deum esse conuincat rogantis.

Epistola. xxv.

Ambrosio religioso sacerdoti omnipotentis Dei Gratianus Augustus: Cupio valde ut quem recordor absentem, & cum quo mente sum, cum eodem corpore sim praesenti. Festina igitur ad me religiose sacerdos, ut doceas doctrinam vere credentem, non quo contentioni studeam, aut velim magis Deum verbis quam mente complecti, sed ut magis aperto pectori reuelatio diuinitatis insideat. Doceret enim me ille quem non nego, quem fateor Deum ac Dominum esse meum, non ei obiciens quam in me video creaturam, qui Christo nihil me addere posse confiteor. Veruntamen ut etiam patri me commendem filium praedicando, non ego in Deum verebor inuidiam, non me talem laudatorem putabo, qui diuinitatem verbis augeam. Ego infirmus & fragilis, quantum possum praedico non quantum est ipsa diuinitas. Rogo te ut mihi de ipso tractatu quem dederas, augendo illic de Spiritu sancto fidelem disputationem, scripturis atque argumentis Deum esse conuincas. Diuinitas te seruet per multos annos & cultor Dei aeterni quem colimus Iesum Christum.

Dini Ambrosij ad Gratianum Augustum, epistolam ipsius plurimum commendantis, suaeque voluntati se satisfacturum pollicentis.

Epistola xxvi.

Beatissimo Augusto Gratiano, & Christianissimo principi Ambrosio episcopo. Non mihi affectus defuit Christianissime principum. Nihil enim habeo quod hoc verius & gloriosius dicam. Non, inquam mihi affectus defuit, sed affectum verecundia retardauit quo minus clementiae tuae occurrerem. Reuertenti tamen si non occurri vestigio, occurri animo, occurri voto, in quo maiora sunt officia sacerdotis. Occurri dico. Quando enim abfui, quem toto sequebar affectu, cui sensu ac mentibus inharebam? Et certe maior animorum praesentia est, tuum quo-

tidianum iter legebam, nocte ac die in tuis castris cura & censu locatus, orationum excubias praetendebam, & si inualidus merito, sed affectu fedulus. Et haec quidem cum pro tua salute deferebamus, pro nobis faciebamus. Nihil hic adulationis est, quam tu non requiris, ego alienam nostro, duco officio: sed plurimum gratiae quam dedisti. Scit ipse nostri arbiter quem fateris, & in quem pie credis, refici viscera mea tua fide, tua salute, tua gloria, meque non solum officio publico debitas pendere preces, sed etiam amore priuato. Reddidisti enim mihi quietem ecclesiae, perfidorum ora, atque (quod vti nam) & corda clausisti, & hoc non minore fidei, quam potestatis auctoritate fecisti. Nam quid de literis recentibus loquar? Scripsisti tua totam epistolam manu, ut ipsi apices fidem tuam pietatemque loquerentur. Sic Abraham sua manu quondam vitulum occidit, ut hospitibus epulantibus ministraret, nec in ministerio religioso aliorum adiumenta quaesuit. Sed ille priuatus aut Domino & angelis, aut Domino in angelis deferebat, tu Imperator dignatione regali honoras infimum sacerdotem. Sed Domino defertur cum seruulus honoratur. Ipse enim dixit: Quod vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis. At ego humilitatem tantummodo praedico in imperatore sublimem, ac non amplius fide, quam vere conscia meriti tui mente dixisti, quam docet te ille quem non negas? Quis enim alius docere te potuit, ut ei non obicias quam in te vides creaturam? Nihil moralis, nihil expressius dici potuit. Creaturam enim Christum dicere, pro obiectu contumeliae est, non pro confessione reuerentiae. Deinde quid tam insolens, quam id cum existimare quod nos sumus? Docuisti igitur me, a quo te discere velle profiteris: nihil tale adhuc legi, nihil tale audiui, quam pium autem illud, quam admirabile, quod in Deo non vereris inuidiam, de patre remunerationem pro filij amore praesumis, & laudando filium, non ei te posse aliquid addere confiteris, sed velle ut etiam patri te filij praedicatione commendes. Quod vti que solus te docuit ille qui dixit: Qui me diligit, diligitur a patre meo. Addidisti ad haec, quia tu infirmus & fragilis non te tale laudatorem putabis, ut diuinitatem verbis augeas, sed quantum possis praedices, non quantum est ipsa diuinitas. Haec infirmitas in Christo fortior est, sicut Apostolus dixit: Cum infirmior, tunc potens sum, haec humilitas excludit fragilitatem. Veniam plane, & festinabo ut iubes, ut haec praesens audiam, ut haec praesens legam, cum ex tuo ore procedunt. Misi autem duos libellos, quorum iam quia tuae clementiae sunt probati, periculum non verebor. De spiritu vero interim veniam scriptioni peto, quoniam quem iudicem mei sum sermonis habiturus agnouit. Interim tamen sententia & fides tua de Domino & Salvatore de precepta de Dei filio redundat ad assertionem vberimam, per quam sancti quoque Spiritus diuinitas sempiterna credatur, ut non ei obicias quam in te vides creaturam, nec Deum patrem Domini nostri Iesu Christi spiritui suo existimes inuidere. Quod enim creaturae caret comunione diuinum est. Si Dominus fauerit, huic etiam clementiae tuae satisfaciā voluntati, ut cuius accepisti gratiam, cum plane

Gen. 28.

Mat. 25.

10th. 14.

2. Cor. 12.

in Dei gloria præminentem suo nomine existimes G honorandum. Beatissimum te & florentissimum Deus omnipotens pater Domini nostri Iesu Christi tueri ætate proluxia, & regnum tuum in summa gloria & pace perpetua confirmare dignetur, Domine imperator Auguste, diuino electe iudicio, principum gloriosissime.

Diui Ambrosii ad valentinianum imperatorem, legationis suæ expositionem insinuantis, Epistola xxvii.

Ambrosius Valentiniano imperatori. Etsi superioris legationis meæ fides ita approbata sit tibi, vt ratio eius à me non quæreretur. Satis enim claruit eo ipso quod aliquot dies retentus sum intra Gallias, me violentiam à Maximo nõ recepisse, neque iis astipulatum quæ ad voluntatem eius magis quam ad pacem propenderent. Denique non commisisses secundam legationem, nisi primam probasses. Sed quia regredienti mihi decernendi secum imposuit necessitatem, ideo hac epistola expositionem legationis meæ insinuandam putavi, ne cuiusquam sermo viri prius vana intexeret, quam reditus meus integra & sinceræ veritatis expressa signaculo manifestaret. Cum peruenissem Treuiros, prostridie processi ad palatium. Egressus est ad me vir Gallicanus, præpositus cubiculi, eunuchus regius. Poposci adeundi copiam, quæsiuit num rescriptum haberem clementiæ tuæ. Respondi habere. Retulit non posse me, nisi in consistorio videri. Dixi non esse hunc morem sacerdotalem, certe esse aliquam de quibus serio deberem cum suo principe confabulari. Quid plura? Consuluit eum, sed eadem referenda credit, vt liqueret etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen alienum id quidem à nostro munere, sed me recepto officio non defuturum, gratam mihi esse humilitatem in tuo præsertim, & quod verum est, fraternæ pietatis negotio. Vbi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit vt osculum daret. Ego inter consistorianos steti, hortari cœperunt alij vt ascenderem, vocare ille, Respondi ego: Quid oscularis eum quem non agnoueris? Si enim me agnouisses, non hoc loco videres. Commotus es, inquit, episcope? Non, inquam, iniuria, sed verecundia, quod alieno consisto loco. Et prima, inquit, legatione ingressus es consistorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit. vocantis non ingredientis vitium est. Cur, inquit, ingressus es? Quia inquam, tunc vt inferiori pacem petebam, nunc vt equali. Cuius, inquit, beneficio æquali? Respondi, omnipotentis Dei, qui Valentiniano regnum quod dederat referuauit. Ad postremum erupit, dicens: Quoniam me lusisti, & ille Bauto qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit: qui etiã Barbaros mihi immisit, quasi ego non habeam quos possim adducere, cum mihi tot milia Barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quod si ego tunc quando venisti non essem retentus, quis mihi obstitisset & virtuti meæ? Ad hæc ego leniter: Nõ opus est, inquam, vt commouearis, cum causa nulla sit commotionis, sed patienter audias quæ referantur istis. Propterea & ego veni, quia prima legatione dum mihi credis, per me deceptum te esse asserbas: Gloriosum mihi

est hoc pro salute pupilli imperatoris. Quos enim episcopi magis quam pupillos debemus tueri? Scriptum est enim: Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & eruite iniuriam accipientem. Et alibi: Iudices viduarum, & patres orphanorum. Tamen non exprobrabo beneficium meum Valentiniano, vt verum eloquar. Vbi ego tuis legionibus obstiti quo minus influeres in Italiam? Quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? An verò corpore meo clausi tibi Alpes? Vtinam hoc meum esset, objectionem non timerem, non vererer criminationes tuas. Quibus promissis lusi te vt paci acquiesceres? Nõne intra Gallias iuxta urbem Mogontiacum comes Victor occurrit mihi quem direxisti vt pacem rogaret? In quo ergo te fefellit Valentianus, qui prius pacem à te rogatus est quam postularet? In quo fefellit Bauto qui deuotionem Imperatori exhibuit suo? An quia principem suum non prodidit? In quo ego te circumscripsi? Qui vbi primum veni, cum diceres quod Valentinianus ad te quasi filius ad patrem venire deberet, responderim nõ esse æquum vt aspero hyemis tempore puer cum matre vidua penetraret Alpes. Sine matre autem tantotineri dubiis rebus committeretur. De pace nobis legationem commissam, non de aduentu eius promissionem: spondere nos id non potuisse? certum est, quod mandatum non erat, me certe nihil spondidisse, adeo vt diceres, Expectemus quid Victor responsi referat. Illum autem liquet me retento peruenisse Mediolanum, negatumque ei quod postulabat. De pace tantum conspirare studia, non de aduentu imperatoris, quem moueri non oporteret. Præsens etiam vbi Victor rediit. Quomodo ergo reuocaui Valentinianum? Legati iterum missi ad Gallias, qui eius aduentum negarent, apud Valentianum Gallorum me repperunt: milites vtriusque partis qui custodirēt iuga montium, offendi reuertens. * Quos ego tuos reuocaui exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immisit Barbaros Bauto comes? Et quid mirum si hoc Bauto fecisset, Transrhenanus genere, cum tu miniteris imperio Romano Barbarorum auxilia, & turmas translimitanas, quibus comeatus prouincialium tributa soluebant? Vide autem quid intersit inter tuas minitationes, & Valentiniani Augusti pueri mæfuetudinem. Tu flagitabas quod Barbarorum stipatus agminibus Italia te infunderes. Valentianus Hunnos atque Alanos appropinquantem Gallia per Alemaniam terras reflexit. Quid habet inuidiæ si Bauto Barbaros cum Barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is aduersum se vtrinque præterdit, in medio Romani imperij sinu Iuthungum populabantur Rhetias. Et ideo aduersus Iuthungum Hunnus accitus est. Idem tamen quia de finimitimo proterebat, Alemaniam, & iam vicinia malè vrgebat Gallias, coactus est triumphos suos deserere, ne tu timeres. Confer vtriusque factum. Tu fecisti incurfari Rhetias, Valentinianus suo tibi auxilio pacem redemit. Aspice illum quoque, qui tibi ad dexteram assistit, quem Valentinianus cum posset suum dolorem vlscisci, honoratum ad te redire fecit. Tenebat eum in suis terris, atque in ipso nuncio necis fraternæ frænauit impetus: nec tibi vicem esse non parilis

non parilis dignitatis, eiusdem tamen necessitudinis retulit. Confer ergo te iudice vtriusque factum. Ille tibi fratrem tuum viuente remisit, tu illi vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi aduersum se auxilia non negauit? Sed vereris ne exuuiarum reditu renouetur militibus dolor? Hoc enim allegas: Quem viuente deseruerunt, eum defendent peremptum? Quid eum mortuum times, quem occidisti cum posses referuare? Hostis, inquit, meum peremi. Non ille tuus hostis, sed tu illius. Ille iam non sentit defensionem. Tuam causam considera. Si quis aduersum te hodie imperium in his partibus vsurpandum putet, quæro te, vtrum te hostem illius dicas, an illum tibi? Nisi fallor, vsurpator bellum infert, Imperator ius suum tuetur. Ergo quem non debueris occidere, eius reliquias negas? Habeat Valentinianus imperator vel fratris exuuias, pacis tuæ obfides. Et quomodo allegabas quod eum non mandaueris occidi, quem prohibes sepeliri? Poterit igitur credi quod ei non inuideris vitam, cui etiam sepulturam inuides? Sed ad me reuertar. Audio te queri quod se ad Theodosium imperatorem potius contulerint qui sunt cum Valentiniano imperatore. Quid igitur futurum sperabas, cum tu refugientes eos ad poenam posceres, captos necares. Theodosius autem muneribus ditaret, donaret honoribus? Quos, inquit, occidit? Respondi ei, Balionem. At quem virum? qualem bellatorem? Hæcine fuit iusta causa exitij, quod imperatori suo fidem seruauit? Nõ ego, inquit, eum iussu occidi. Respondi: Hoc audiuius quod occidi iussus sit. Sed, inquit, si ipse sibi vim nõ intulisset, iusseram eum deduci Cabillonum, & ibi viuam exuri. Respondi, Ergo propterea & illud creditum est quod eum occideris. Quis autem sibi parcendum putaret, cum occisus sit bellator strenuus, miles fidelis, comes utilis? Ita tum discessi, vt se tractaturum diceret. Postea cum videret me abstinere ab episcopis qui communicabant ei, vel qui aliquos deuos licet à fide ad necem petebant, commotus eis iussit me sine mora regredi. Ego verò libenter, etsi me plerique insidias euasurum nõ crederet, ingressus sum iter, hoc solo dolore percitus, quod Hyginum episcopum senem in exilium duci comperi, cui nihil iam nisi extremus superesset spiritus. Cum de eo conuenirem comites eius, ne sine veste, sine plumatio paterentur extrudi senem, extrusus ipse sum. Hæc est expositio legationis meæ. Vale Imperator, & esto tutior aduersus hominem pacis inuolucro bellum tegentem. Vale.

Diui Ambrosii ad Theodosium imperatorem, seipsum excusantis, & vt ille facinoris sui poenitentiam agat, rationibus, atque exemplis suadentis, rogantis, hortantis, & admomentis, Epistola xxviii.

Avgustissimo imperatori Theodosio Ambrosii: Et veteris amicitia dulcis mihi recordatio est, & beneficiorum quæ crebris meis intercessionibus summa gratia in alios contulisti, gratia memini. Vnde colligi potest quod non ingrato aliquo affectu aduentum tuum semper mihi ante hac exoptatissimum declinare potuerim. Sed qua causa hoc fecerim, breuiter expediam. Soli mihi in tuo comi-

tatu ius naturæ ereptum videbam audiendi, vt & loquendi priuaret munere. Motus enim frequenter es quod ad me peruenissent aliqua quæ in consistorio tuo statuta forent. Ego ergo expertus communis usus sum, cum dicat Dominus Iesus nihil esse occultum quod non manifestetur. Verecundia igitur qua potui, satisfacere imperiali arbitrio, & prospexi ne aut ipse causam commotionis haberes, cum id egerim, ne quid ad me de imperialibus deferatur statutis: aut ego cum fuero præsens, aut non audiam per metum omnium, & quasi conuiuentis famam subibo: aut ita audiam vt mihi aures pateant, vox intercludatur, vt audita non possim eloqui, ne eos qui in suspicionem proditoris venerint, lædam in periculo. Quid igitur facerem? Non audirem? Sed aures non possem cera veterum fabularum claudere. Proderem? Sed quod in tuis iussis timerem, in meis verbis deberem cauere, ne quid cruentum committeretur. Tacerem? Sed quod miserimum forte omnium, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et vbi illud: Sed si sacerdos non dixerit errantiis qui errauerit, in sua culpa morietur, & sacerdos reus erit poenæ, quia non admonuit errantem. Accipe illud Imperator Auguste, quod habes fidei studium, nõ possum negare: quod Dei timorem, non diffiteor. Sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, cito vertes ad misericordiam: si quis stimulet, in maius exsuscitas, vt eum reuocare vix possis. Vtinam si nemo mitigat, nullus accendat: libenter eum committo tibi: ipse te reuocet, & pietatis studio vincis impetum naturæ. Huc ego impetum malui cogitationibus tuis secreto committere, quæ meis factis publice fortassis mouere. Itaque malui officio meo aliquid deesse quam humilitati, & requiri in me ab aliis sacerdotis auctoritatem, quam à te desiderari in me amantissimè honorificètiã, vt represso impetu integra esset consilij eligendi facultas. Præterdi ægritudinem corporis reuera grauem, & nisi à viris mitioribus vix leuandam: vel emori tamen maluissem quam aduentum tuum biduo aut triduo non expectarem. Sed quid facerem, non erat. Factum est in vrbe Thessalonicensium quod nulla memoria habet, quod reuocare non potui ne fieret. Imò quod ante atrocissimum fore dixi, cum totiens rogarem: & quod ipse fero reuocando graue factum putasti, hoc factum extenuare non poteram. Quando primum auditum est propter aduentum Gallorum episcoporum synodus conuenerat, nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat facti tui absolutio in Ambrosij communionem. In me etiam amplius commisi exaggeraretur inuidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam. An pudet te Imperator hoc facere quod rex propheta auctor Christi secundum carnem profapia fecit Dauid: Illi dictum est, quia diues qui haberet plurimos greges, vnam pauperis ouem propter aduentum hostis eripuit & occidit: & cognito quod in hoc ipse argueretur, quia ipse fecisset, ait: Peccaui domino. Noli ergo impatienter ferre Imperator, si dicatur tibi: Tu fecisti istud quod Dauid regi dictum est à propheta. Si enim hoc sedulo audieris, & dixeris: Peccaui Domino. Si dixeris regale illud propheti-

Psal. 94.

2. Reg. 24.

Iob. 31.

1. Reg. 18.

2. Reg. 3.

Mat. 23.

cum: Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Dominum nostrum qui fecit nos: dicitur & tibi, Quoniam pœnitit te, dimittit tibi Dominus peccatum tuum, & non morieris. Iterum cum plebem numerari iussisset David, percussus est corde & dixit ad Dominum: Peccaui vehementer quod fecerim hoc verbum, & nunc Domine auffer iniquitatem serui tui quod deliqui vehementer. Et missus est iterum ad eum Nathan propheta, qui ei trium optionem cõditionum offerret, & quam vellet eligeret, famem tribus annis in terra, aut tribus mensibus fugeret à facie inimicorum suorum, aut triduo mortem in terra. Et respondit David: Angustie sunt tria hæc vehementer, veruntamen incidã in manum Domini, quoniam multæ misericordiæ eius nimis, & in manus hominis non incidam. Culpa autem erat, quoniam voluit scire numerum totius plebis quæ secum erat: quod scire Deo soli debuit reseruare. Et cum, inquit, mors fieret in plebe, ipso primo die ad horam prandij cum vidisset David percutiẽtem angelum in plebem, ait David: Ego peccaui, & ego pastor malignũ feci, & hic grex quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei. Itaque pœnituit Dominũ, & iussit angelo vt parceret plebi, sacrificium autem offerret David. Erant enim tunc sacrificia pro delictis, hæc nũc sunt sacrificia pœnitentiæ. Itaque ea humilitate acceptior Deo factus est. Nõ enim mirandum peccare hominem, sed illud reprehensibile, si nõ se cognoscat errasse, nõ humiliet Deo. Iob sanctus & ipse potens in seculo, ait: Peccatum meum non abscondi, sed coram plebe omni annunciaui. Ipsi immani regi Saul dixit Ionathas filius suus: Noli peccare in seruum tuũ David, & vt quid peccas in sanguinẽ innocentem, occidere David sine causa? Quia etsi rex erat, peccabat tamen si occideret innocentem. Denique etiam David cum iam regno potiretur, & audisset Abner innocentem occisum à Ioab duce militiæ suæ, ait: Innocens sum ego & regnum meum amodo & vsque in æternum à sanguine Abner filij Ner, & ieiunauit in dolore. Hęc ideo scripsi, nõ vt te confundam, sed vt regum exempla prouocent, vt tollas hoc peccatum de regno tuo. Tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio, vince eam. Peccatum non tollitur nisi lachrymis & pœnitentiã. Nec angelus potest, nec archangelus: Dominus ipse, qui solus potest dicere: Ego vobiscum sum: si peccauerimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. Suadeo, rogo, hortor, admoneo, quia dolori est mihi, vt tu qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui singulos nocentes non patiebaris periclitari, tot periisse non doleas innocentes. Etsi in præliis foelicissime egeris, & si in aliis quoque laudabilis, tamen apex tuorum operum pietas semper fuit. Id tibi inuidit diabolus quod habebas præstantissimum. Vince eum dum habes adhuc vnde possis vincere. Noli peccato tuo aliud peccatum addere, vt vsurpes quod vsurpasse multis officit. Ego certe in omnibus aliis licet debitor pietati tuæ, cui ingratus esse non possum, quam pietatẽ multis imperatoribus præferrebam, vni adæquabam. Ego, inquam, causam in te contumaciæ nullam habeo, sed

habeo timoris, offerre non audeo sacrificium si volueris assistere. An quod in vnus innocẽtis sanguine non licet, in multorum licet? Non puto. Postremo scribo manu mea quod solus legas. Ita me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet, quia nõ ab homine, neque per hominem, sed aperte mihi interdictum aduertit. Cũ enim essem sollicitus, ipsa nocte qua proficisci parabam, venisse quidem visus es ad ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Alia prætereo, vt potui cauere. Sed pertuli amore tuo, vt arbitror. Dominus faciat vt omnia cum tranquillitate cedant. Multifariẽ Deus noster admonet, signis cœlestibus, prophetarũ præceptis, visionibus etiam peccatorem vult nos intelligere, quo rogemus eum vt perturbationes aufferat, pacem vobis imperantibus seruet, fides ecclesiæ & tranquillitas perseueret, cui prodest Christianos & pios esse Imperatores. Certe vis probari Deo: omnis rei tempus, vt scriptum est: Tempus, inquit, faciendi Domine. Et tempus beneplaciti Deus. Tunc offeres, cum sacrificandi acceperis facultatẽ quando hostia tua accepta sit Deo. Nõne me delectaret habere gratiam Imperatoris, vt secundum voluntatem tuam agerem, si causa pateretur? Et simplex oratio sacrificium est, hæc veniam refert, illa offensionẽ: quia hæc habet humilitatẽ, illa cõtemptum. Dei enim vox est quod malit vt fiat mandatum eius, quàm deferatur sacrificium. Clamat istud Deus, ad populum Moyses annunciat, ad populos Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tempore plus placere: Misericordiam, inquit, malo quã sacrificiũ. Quare non illi magis sint Christiani qui peccatũ cõdemnant suum, quàm qui defẽdere putant? Iustus enim in exordio sermonis accusator est sui. Qui se accusat cum peccauerit, iustus est, non ille qui se laudauerit. Vtinam Imperator etiam ante mihi potius credidisset, quàm consuetudini tuæ: dum puto quod cito ignoscis, cito reuocas, vt sæpe fecisti & tu præuentus es, & ego non declinaui quod cauere non debueram. Sed gratias Domino, qui vult serulos suos castigare, ne perdat. Istud mihi commune est cum prophetis, & tibi erit commune cum sanctis. An ego Gratiani patrem non oculis meis præferam? Debent veniam sancta alia pignora tua. Dulce mihi nomẽ ante tuli, quibus amorem communiter detuli. Amo, diligo, orationibus prosequor. Si credis sequere. Si, inquam, credis, agnosce quod dico. Si non credis, ignosce quod facio in quo Deum præfero. Beatissimus & florentissimus cum sanctis pignoribus fruaris trãquillitate perpetua imperator Auguste.

Diui Ambrosii ad Theodosium imperatorem vindicari iubentem in episcopum & Christianos qui synagogam incenderunt, vehementer eum ob hoc arguentis, atque vt aliam epistolam dictari iubeat, & quod prius iussum fuerat emendet, exhortantis.
Epistola xxix.

Clementissimo principi ac beatissimo imperatori Theodosio Augusto Ambrosius episcopus. Exercitus semper iugibus fere curis sum Imperator beatissime, sed nunquã tanto in æstu fui, quãto nũc, cum video cauendũ ne quid sit quod adscri-

Psal. 118.
1. Reg. 3.

Psal. 118.
Psal. 66.

Osa. 6.
Mat. 9. 12.
Prum. 18.

1. Tim. 4.

Mat. 10.

batur mihi etiam de sacrilegij periculo. Itaque peto vt patienter sermonem meum audias. Nam si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas cõmittas preces. Ipse ergo non audies eum quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris iudicium tuum, ne cum indignum putaris quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur. Sed neque imperiale est libertatem dicẽdi negare, neque sacerdotale quod sentiat non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile est, quàm libertatem etiam in iis diligere qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere denunciare. Siquidem scriptum est: Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum & non confundebat. Et alibi: Filij hominis, speculatorẽ te posuidomui Israel, in eo, inquit, vt si auertatur iustus à iustitiis suis, & fecerit delictum quia non distinxisti ei, hoc est, non dixisti quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquirã. Tu autem si distinxeris iusto vt non peccet, & ipse non peccauerit, iustus vita viuet, quia dixisti ei: & tu animam tuam liberabis. Malo igitur Imperator bonorum mihi esse tecũ, quàm malorum confortium, & ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me interfero, alienis ingero, sed debitis obtempero, mādatis Dei nostri obedio. Quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conseruandæ salutis. Si id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sanẽ diuinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed nõ libenter. Malo enim te sine meo acceptum Deo esse & gloriosum periculo. Sin autem silentij mei dissimulationis que culpa & me ingrauat nec te liberat, malo importunior me quàm inutiliorẽ aut turpiorem iudices. Siquidem scriptum est, dicẽte sancto apostolo Paulo, cuius non potes doctrinam reuellere: Insta opportune, importune argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit, præsertim cum etiam Imperatoribus non displiceat suo quemque fungi munere, & patienter audiat vnum quemque pro suo suggerentem officio, imò corripatis si non vtatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in iis libenter accipitis qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur non quod volumus, sed quod iubemur? Scis enim lectum: Cũ stabitis ante reges & præfides, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et tamen si in causis reipublice loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit, nõ tãto adstringar metu si non audiar. In causa verò Dei quem audies, si sacerdotem non audies, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi verũ audebit di-

cere si sacerdos non audeat? Noui te pium, clementem, mitem atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem: sed plerunque aliqua nos fallunt. Habent aliqui zelum Dei, sed non secundũ sciẽtiam. Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cauendum arbitror. Noui pietatem tuã erga Deum, lenitatem in homines, obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarũ. Et ideo plus metuo, amplius sollicitor, ne etiam ipse tuo me postea iudicio cõdemnes, quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionẽ non euitaueris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere. Scriptum est enim: Si frater tuus in te peccauerit, corripe illũ primo, deinde increpa duobus & tribus testibus, si te non audierit: dic ecclesiæ. Causam ergo Dei tacebo? Quid igitur sit quod metuum, consideremus. Relatum est à comite Orientis militarium partiũ incensam esse synagogam, idque authore factum episcopo. Iussisti vindicari in ceteros, synagogam ab ipso ædificari episcopo. Non adstruo expectandam fuisse assertionẽ episcopi. Sacerdotes enim turbarũ moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cũ & ipsi mouentur iniuria Dei, aut ecclesiæ contumelia. Sit aliquis iste episcopus feruentior in exustione synagogæ, timidior in iudicio. Non vereris Imperator ne acquirat sententia tua, ne præuaricetur nõ times? Non etiam vereris quod futurum est ne verbis resistat comiti tuo? Necessẽ erit igitur vt aut præuaricatorem aut martyrem faciat. Vtrũque alienum temporibus tuis, vtrunque persecutionis instar, si aut præuaricari cogatur, aut subire martyrium. Vides quo inclinẽt causæ exitus, si fortem episcopum putas, caueto martyrium fortioris, si inconstantem, declina lapsum fragilioris. Plus enim adstringitur qui labi infirmum coegerit. Hac proposita conditione puto dicturum episcopũ quod ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos concluderit, ne amittat occasionem martyrij, & pro inualidis subiiciat validiorem. O beatum mendacium, quo acquiritur sibi aliorũ absolutio sui gratia. Hoc est Imperator quod poposci & ego, vt in me magis vindicares, & hoc si crimen putares mihi ascriberes. Quid mandas in absentes iudicium? Habes præsentem, habes contentem reum. Proclamo quod ego synagogam incenderim, certe quod ego illis mandauerim, ne esset locus in quo Christus negaretur. Si obiiciatur mihi, cur hic non incenderim? Diuino iam cremari cœpit iudicio, meum cessabit opus. Et si verum quæritur, ideo signior fui, quia nõ putabam hoc vindicandum. Quid facerem, quod nullo vltore sine premio foret? Tangunt hæc verecundiã, sed reuocant gratiam, ne fiat opus quo Dei summi contrahatur offensio. Esto tamen, nemo episcoporum ad hoc munus cõueniat. Rogauĩ enim clementiam tuam: & licet ipse hoc reuocatum adhuc non legerim, reuocatum tamen constituamus. Quid si alij timidiore dum mortem reformidant, offerant vt de suis facultatibus reparetur synagoga, aut comes vbi hoc compererit primo constitutum, ipse de Christianorum censu exædificari iubeat? Habebis Imperator comitẽ præuaricatorem, & huic vexilla cõmittes victricia, huic labarum, hoc est Christi sacratum nomine, qui synagogam instaurat, quæ

Rom. 10.

Mat. 18.

Christum nesciat? Iube labarum synagogæ inferri, G
videamus si non resistunt, Erit igitur locus Iudæo-
rum perfidiæ, factus de exuviis ecclesiæ: & patri-
monium quod favore Christi acquisitum est Chri-
stianis, hoc trāsferetur ad donaria perfidorum? Le-
gimus templa idolis antiquitus condita de manu-
biis Cimbrorum, de spoliis reliquorum hostium.
Hunc titulum Iudæi in fronte synagogæ suæ scri-
bent, Templum impietatis factū de manubiis Chri-
stianorum. Sed disciplinæ te ratio Imperator mo-
uet. Quid igitur est amplius, disciplinæ species, an
causa religionis? Cedat oportet censura deuotio-
ni. Non audisti Imperator, quia cum iussisset Iu-
lianus reparari templum Hierosolymis, quod diui-
no, qui faciebant repagulum, igne flagrarunt? Non
caues ne etiam nunc faciat? A deo à te non fuit iu-
bendum, vt Iulianus hoc iusserit. Quid tamen mo-
uet? Vtrum quia quodcunque edificium publicū
exustum est, an quia synagogæ locus? Si ædificio
incenso moueris vilissimū (quid enim in tam igno-
bili castro esse potuit?) non recordaris Imperator
quistorum Romæ domus præfectorum incensæ
sunt & nemo vindicauit? Imò si quis Imperatorum
voluit factum seuerius reprehendere, eius magis qui
tanto est percussus dispendio, causam grauet. Quid
igitur dignius vt Calinici castri in parte aliqua ædi-
ficiorum incendium, an vrbs Romæ vindicandum
existimaretur si oporteret? Tamen Constantinopo-
li dudum domus episcopi incensa est, & filius cle-
mentia tuæ intercessit apud patrem, vt & suam, hoc
est filij imperatoris iniuriam, & domus sacerdotalis
incendium non vindicares. Non consideras Impe-
rator ne & hoc cum vindicari iusseris, ipse iterum
interueniat ne vindicetur? Sed bene illud acqui-
situm à patre filio. Dignum erat enim vt suam iniu-
riam prius ipse donaret. Bene illud cum gratiæ di-
stinctione diuisum est, vt & filius pro sua, & pater
pro filij iniuria rogaretur. Hic nihil est quod filio
referues, & vide ne quid Deo deroges. Non est ergo
causa tantæ commotioni idonea, vt propter ædi-
ficij exustionem in populum tam seuerè vindicetur.
Multo autem minus quia synagoga incensa est, per-
fidiæ locus, impietatis domus, amentie receptacu-
lum, quod Deus damnauit ipse. Sic enim legimus
per os Hieremiæ dicente Domino Deo nostro. Et
faciam domui vbi inuocatum est nomen meum su-
per ipsam, in qua confiditis vos & loco quem dedi
vobis & patribus vestris, sicut feci Sylo: & proi-
ciam vos à facie mea, sicut proieci fratres vestros o-
mne semen Ephrem. Et tu noli orare pro populo isto,
& noli postulare illis misericordiam, & neque
accesseris ad me pro illis, quia non exaudia te. An
non vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iudæ? Deus
se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos
putas. At certè si iure gentiū agerem, dicerem quā-
tas ecclesiæ basilicas Iudæi tempore imperij Iuliani
incenderint, duas Damasci, quarum vna vix repa-
rata est, sed ecclesiæ non synagoge impendiis. Alte-
ra basilica informibus horret ruinis. Incensæ sunt
basilicæ Gazis, Acalone, Beryto, & illis fere locis
omnibus, & vindictam nemo quæsiuit. Incensa est
& basilica Alexandria à gentibus & Iudæis, quæ sola
præstabat cæteris. Ecclesia non vindicata est, vin-

dicabitur synagoga? Vindicabitur etiam Valenti-
nianorum phanum incensum? Quid est enim nisi
phanum, in quò est conuentus gentilium? Licet
gentiles duodecim deos appellent, isti triginta &
duos ñonas colant, quos appellant deos. Nam & de
ipsis comperi relatum & præceptum vt in mona-
chos vindicaretur, qui prohibentibus iter Valenti-
nianis quo psalmos canentes ex consuetudine vsu-
que veteri pergebant ad celebritatem Machabæo-
rum martyrum, moti insolentia incenderunt pha-
num eorum in quodam rurali vico tumultuariè cõ-
ditum. Quot se offerre habet tali optioni, cum me-
minerint tempore Iuliani illum quia aram deiecit,
& turbauit sacrificium, damnatum à iudice fecisse
martyrium? Itaque nunquam alias ille iudex qui
audiuit eum, nisi persecutor habitus est, nemo illū
congressu, nemo illum vnquam osculo dignum
putauit. Qui nisi iam esset defunctus, timerem Im-
perator ne in eum tu vindicares, quanquam vindi-
ctam cœlestem non euaserit suo superstes hæredi.
Sed refertur cognitionem mandatam iudicij, scri-
ptumque eo quòd non referre debuerit, sed vindi-
care. Requirenda quoque sublata donaria, vt omit-
tam alia. Incensæ sunt à Iudæis ecclesiarum basili-
cæ, & nihil redditum est, nihil repetitū, nihil qua-
situm. Quid autem habere potuit synagoga in ca-
stro vltimo, cum totum quicquid illic est, nō mul-
tum sit, nihil preciosum, nihil copiosum? Quid
deinde de incendio potuit rapi Iudæis insidiatibus?
Artes istæ sunt Iudæorum volentium calumniari, vt
dum ista quærentur, mandetur extra ordinem mi-
litaris censura iudicij, mittatur miles fortasse dictus
quod hic aliquando ante tuam Imperator dixit
aduentum, Quomodo poterit nos Christus iuuare,
K qui pro Iudæis aduersus Christum militamus?
Qui mittuntur ad vindictam Iudæorum, suos per-
diderunt exercitus, nostros volunt perdere. In
quas præterea non profiliant calumnias, qui etiam
Christo falsis testimoniis calumniati sunt? In quas
non profiliant calumnias homines & circa diuina
mendaces? Quos non authores seditionis fuisse di-
cant? Quos non appetant, etiam quos nō recogno-
scant, vt catenatorū ordines innumeros spectet de
Christiano populo vt captiua videant colla plebis
L fidelis, vt condēnētur in tenebras Dei seruuli, vt fe-
riantur securibus, dentur ignibus, tradantur metal-
lis, ne pœna cito transeat? Hunc dabis triumphum
Iudæis de ecclesia Dei? Hoc trophæum de Christi
populo? Hæc gaudia Imperator perfidis? Hanc ce-
lebritatē synagogæ? Hoc luctus ecclesiæ? Refert Iu-
dæorum populus hanc solennitatem in dies festos
suos, & inter illos profecto numerabit, quibus aut
de Amorrhæis, aut de Chananæis triūphauit, aut de
Pharaone rege Aegypti, aut de Nabuchodonosor
regis Babyloniæ manu liberari potuit. Addet hanc
celebritatem significans se de Christi populo trium-
phū egisse. Et cum ipsi Romanis legibus teneri se
negent, ita vt crimina leges putet, nūc velut Roma-
nis legibus se vindicandos putet? Vbi erant istæ le-
ges cum incēderēt ipsi sacratarum basilicarum cul-
mina? Si Iulianus non est vltus ecclesiam, quia præ-
uaricator erat, tu Imperator vlcisceris synagogæ
iniuriā quia Christianus es? Et quid tecum posthac
Christus

Christus loquetur? Non recordaris quid Dauid san-
cto per Natham prophetam mandauerit? Ego te de
fratribus tuis minorem elegi, & de priuato Impera-
torem feci: ego de fructu feminis tui in sede impe-
riali locaui. Ego tibi subieci nationes barbaras: ego
tibi pacem dedi, ego tibi inimicum tuum in pote-
statem tuam captiuum deduxi. Frumentum non
habebas ad exercitus alimoniam, ipsorum hostium
manu patefeci tibi portas, aperui horrea, dederunt
tibi hostes tui commeatu suos quos sibi parauerāt.
Ego perturbauit hostis tui cõsilia, vt se ipse nudaret.
Ego ipsum vsurpatorem imperij ita vixi, ac men-
tem eius ligauit, vt cum haberet adhuc fugiendi co-
piam, tamen cū omnibus suis tāquam metuens ne
quis tibi periret, ipse se clauderet. Ego comitem
eius atque exercitum ex altera parte naturæ, quos
ante disperferam ne ad belli societatem coirent, ad
supplementum tibi victoriæ congregaui. Ego exer-
citus tuum ex multis indomitis conueniam natio-
nibus quasi vnus gentis fidem & tranquillitatem &
concordiā seruare præcepi. Ego cum periculum
summum esset ne Alpes infida barbarorum pene-
trarent consilia, intra ipsum Alpium vallum victo-
riam tibi contuli, vt sine damno vinceret. Ego te
triumphare feci de inimico tuo, & tu de plebe mea
das meis inimicis triumphum? Nonne propterea
Maximus destitutus est, quia ante ipsos expeditio-
nis dies cum audisset Romæ synagogam incensam,
edictum Romam miserat quasi vindex disciplinæ
publicæ? Vnde populus Christianus ait: Nihil bo-
ni huic imminet. Rex iste Iudæus factus est, defen-
sorem istum disciplinæ audiuius. Quem mox
Christus probauit, qui pro peccatoribus mortuus
est. Si de sermone hoc dictum est, quid de vltione
dicetur? Ille igitur statim à Francis, & à Saxonum
gente, in Sicilia, Sicilia, Petauione, vbique denique
terrarum victus est. Quid pio commune cum perfido?
Abolenda cū impio sunt etiam impietatis exē-
pla. Quod illi nocuit, & quo victus offendit, hoc
non sequi debet, sed damnare qui vicit. Itaque illa
tibi non quasi ingrato recensui, sed quasi iure col-
lata enumerauit, vt his admonitus cui plus collatum
est plus diligas. Denique hoc respondentem Simoni
dixit Dominus Iesus: Recte iudicasti. Statimque
conuersus ad mulierem quæ pedes eius vnguento
vnxit typum ecclesiæ gerens, ait Simoni: Propter
quod dico tibi: Remissa sunt peccata eius multa,
quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimit-
titur, minus diligit. Hæc est mulier quæ in domum
Pharisæi intrauit, & eiecit iudæum, Christum autem
acquisiuit. Ecclesia enim synagogam exclusit: cur
iterum tēatur vt apud Christi famulum, hoc est de
pectore fidei, de domo Christi synagoga excludat
ecclesiam? Hæc ego Imperator amore & studio tui
in hunc sermonem contuli. Debeo enim beneficiis
tuis quibus me petente liberaſti plurimos de exiliis,
de carceribus, de vltimæ necis pœnis, vt male de-
beam pro salute tua etiam offensionem tui animi
non timere. (Nemo maiore fiducia vtitur, quàm
qui ex affectu diligit. Nemo certe debet lædere qui
sibi consulit ne tot amorum conceptam cuiuscun-
que sacerdotij gratiam vno momento amittam. Et
tamen non damnium gratiæ deprecor, sed salutis

A periculum. Quanquam quantum est imperator, vt
quærendum aut vindicandum non putes, quod in
hunc diem nemo quæsiuit, nemo vnquam vindica-
uit? Graue est fidem tuā pro Iudæis periclitari. Ge-
deon cum occidisset sacratum vitulum, dixerunt
Gentiles: Dij ipsi iniuriam suam vindicent. Quis
habet synagogam vindicare? Christus quæ occide-
runt, quem negauerunt? An Deus pater vindicabit
eos qui nec patrem recipiunt, qui filiū non recepe-
runt? Quis habet Valentinianorum hæresim vindi-
care? quam pietas tua quomodo vindicat, cum eos
excludi iusserit, nec conueniendi vsurpare copiam?
Si Iosiam tibi obiciam regē Deo probatum, hoc in
istis damnabis quod in illo probatū est. Certe si mi-
hi parum fidei defertur, iube adesse quos putaueris
episcopos, tractetur Imperator qui salua fide agi de-
beat. Si de causis pecuniariis comites tuos consulis,
quanto magis in causa religionis sacerdotes Domi-
ni æquum est consulas? Consideret clementia tua
quantos insidiatores habeat ecclesia, quantos ex-
ploratores: leuem rimam si offenderint, figent acu-
lucum. Secundum Deum timetur, qui etiam imperatoribus
iure præfertur. Si amico suo aliquid, si parenti aut
propinquo deferendum existimat, rectè ego & defe-
rendum Deo, & eum præferendum omnibus iudi-
caui. Consule tibi Imperator, aut patere me consu-
lere mihi. Quid respondebo postea si compertum
fuerit data hinc autoritate aliquos Christianorum
aut gladio, aut fustibus, aut plumbis necatos? Quo-
modo hoc purgabo factum? Quomodo excusabo
apud episcopos? Qui nunc quia per triginta & in-
numeros annos presbyterij quidam gradu functi,
vel mynistri ecclesiæ retrahuntur à munere sacro &
curiæ deputantur grauer gemunt. Nam cum ij qui
vobis militant, certo militiæ tempore seruentur,
quanto magis etiam eos considerare debetis qui
Deo militant? Quomodo, inquam, hoc excusabo
apud episcopos qui queruntur de clericis, & impres-
sione graui vastari scribunt ecclesias? Hoc tamen in-
notitiam clementiæ tuæ peruenire volui, de hoc vt
placet, arbitrio tuo cõsulere, & temperare dignaberis.
Illud autē quod me angit, & iure angit, excludē
atque eiice: Ipse facis quicquid fieri iussisti: Aut si
ille facturus non est, malo te magis esse clementem,
quàm illum nō fecisse quod iussus est. Habes in qui-
bus Domini adhuc debes circa imperiū Romanum
inuitare clementiam. Habes quibus amplius quàm
tibi speres. Illorū gratia, illorū salus te in hoc sermo-
ne conueniat meo: ne causam tuam alieno commit-
tas iudicio. Integra adhuc tibi sunt omnia. In hoc
me ego Deo nostro pro te obligo, nec verearis sa-
cramentum. Nunquid Deo displicere poterit quod
pro eius emēdatur honorificentia? Nihil mutaueris
certe in illa epistola, siue missa, siue nondū missa est,
dictari iube aliā, quæ plena fidei, plena pietatis sit. Ti-
bi integrū sit enēdare, mihi nō est integrū dissimu-
lare. Antiochenis tuam donasti iniuriam, inimici
tui filias reuocasti, nutriendas apud affinem dedisti
matri hostis tui, misisti de arario tuo sumptus. Hæc
tanta pietas, tanta erga Deum fides hoc factō obfu-
scabitur? Tu igitur qui armatis pepercisti hostibus,
& seruasti inimicos tuos, ne quæso tanto studio pu-

res vindicandum in Christianos. Nunc Imperator rogo vt non aspernanter acceperis me & pro te & pro me timentem. Sancti enim vox est. Vt quid factus sum videre contritionem populi mei, vt offensam incurram Dei? Ego certe quod honorificentius fieri potuit, feci, vt me magis audires in regia, ne si necesse esset, audires in ecclesia.

Diui Ambrosii ad Valentinianum, eundem rogantis atque conuenientis ne ad petitionem Gentilium aras eorum imperatorio decreto instaurari iubeat, ostendentisque ex tali decreto, primum Deo, deinde patri & fratri iniurias irrogari.

Epistola xxx.

Ambrosius episcopus beatissimo principi & Christianissimo Imperatori Valentiniano. Cū omnes homines qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacræ fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse non poterit nisi vnusquisque Deum verum, hoc est Deum Christianorum, à quo cuncta reguntur, veraciter colat. Ipse enim solus verus est Deus, qui intima mente veneretur, Dij enim gentium dæmonia, sicut scriptura dicit. Huic igitur Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conuiuentiam, sed fidei studium & deuotionis impendit. Postremo si non ista, consensum saltem aliquem non debet colēdis idolis & prophanis cæremoniā cultibus exhibere. Nemo enim Deū fallit, cui omnia etiā cordis occulta manifesta sunt. Ergo cū à te Imperator christi anisime fides Deo vero sit exhibēda, cū ipsi fidei studium cautio atque deuotio, miror quomodo aliquibus in spem venerit quod debeas aras diis gentium tuo instaurare præcepto, ad vsus quoque sacrificiorum prophanorum præbere sumptum. Quod enim iam dudum vel fisco vel arcæ est vindicatum, de tuo magis conferre videbere, quàm de suo reddere. Et de dispendiis queruntur qui nunquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa ecclesiarum ædificia subruerunt. Petunt etiam vt illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi nostris communem vsum Iuliani lege proxima denegarunt: & priuilegia illa quibus sæpe decepti sunt etiam Christiani. Nonnullos enim illis priuilegiis partim per imprudentiam, partim propter publicarum necessitatum molestias declinandas irretire voluerunt, & quia non omnes fortes inueniuntur, etiam sub principibus Christianis plerique sunt lapsi. Sed hæc si iam sublata non essent auferenda tuo imperio comprobarem. At cū per totum ferè orbem à pluribus retro principibus inhibita interdictione sint, Romæ autem à fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis: ne quæso vel fideliter statuta conuellas, vel fraterna præcepta rescindas. De negotiis ciuilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandū, & præceptum de religione calcatur? Nullus obrepit iuniori ætati tuæ: siue ille gentilis est qui ista deposcit, non debet mentem tuam vinculis suæ superstitionis innectere, sed proprio studio docere & admonere te debet quemadmodū

veræ fidei studere debeas, quando ille tanto motu veri vana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum & ego suadeo, sed Deum certum est omnibus præferendum. Si de re militari est cōsulendum, debet exercitati in præliis viri expectari sententia, consilium comprobari. Quando de religione tractatus est, Deū cogita. Nullius iniuria est, cui Deus omnipotens antefertur. Habet ille sententiā suam, Inuitum non cogitis colere quod nolit, hoc idē vobis liceat Imperator, & vnusquisque patienter ferat si non extorqueatur Imperatori quod molestē ferret si ei extorquere cuperet Imperator. Ipsi gentilibus displicere cōsuevit præuaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnusquisque fidele mētis suæ & seruare propositum. Quod si aliqui nominē Christiani tale aliquid decernendum putāt, mētem tuam vocabula nuda non capiant, nomina casā non fallāt. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est vnus sacrificium, quàm lapsus omniū. Totus hic Christianorum periclitatur senatus. Si hodie gētilis aliquis imperator, quod absit, aram statueret simulacris, & eō conuenire cogeret Christianos, vt sacrificantibus interessent, vt oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, fauilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret vbi iurati ad aram simulacri in sententiam cogerentur: (propterea enim interpretantur aram locatam, vt eius sacramento, vt ipsi putant, vnusquisque conuentus cansuleret in medium, cū curia maiore iam Christianorum numero sit referta) persecutionem esse crederet Christianus qui cogeretur tali optione ad senatum venire, quod sit plerunque: nam etiam iniuriis conuenire coguntur. Te ergo Imperatore Christiani in aram iurare cogentur? Quid est iurare, nisi eius quem testare fidei tuæ præfulem, diuinam potentiā confiteri? Te imperatore hoc petitur & postulatur, vt arā iubeas eleuari, sumptum sacrificiis prophanis dari. Sed hoc nō potest sine sacrilegio decerni. Vnde rogo te ne id decernas, statuas, vel in eiusmodi decreta subscribas. Conuenio fidem tuam Christi sacerdos. Omnes conueniremus episcopi, nisi incredibile hoc & repentinū ad aures peruenisset hominum, quod tale aliquid esset vel inconfistorio suggestum tuo, vel à senatu petitum: sed absit vt hoc senatus petisse dicatur. Pauci gentiles communi vtuntur nomine. Nam & ante biennium ferme cū hoc petere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ ecclesiæ sacerdos, iudicio Dei electus, libellum quem Christiani senatores dederūt, & quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere gentiliū istiusmodi petitionibus, non præbere consensum, quæsti etiam publicè priuatimque se non conuenturos ad curiam si tale aliquid decerneretur. Dignum est tēporibus vestris, hoc est Christianis temporibus, vt dignitas Christianis senatoribus abrogetur, quo gentilibus senatoribus prophanæ deferatur volūtatis effectus? Hūc libellū ego fratri clemētiæ vestræ direxi. Vnde constitit nō senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse legatis. Sed fortasse dicatur: Cur dudum non interfuerint senatui, cū ista peterentur? Satis loquuntur quid velint qui non interfuerunt, satis locuti

ris locuti sunt, qui apud Imperatorem locuti sunt. Et miramur tamen si priuatis resistendi Romæ eripiunt libertatem qui nolūt esse liberum tibi non iubere quod non probas, non seruare quod non sentis. Et ideo memor legationis proximè mandata mihi, conuenio iterum fidem tuam, conuenio mentem tuam, ne vel respondendum secundum huiusmodi petitionem gentiliū censeas, vel in eiusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adiungas. Certè refer ad parentem pietatis tuæ principem Theodosium, quem super omnibus fere maioribus causis consulere consuesti. Nihil maius est religione, nihil sublimius fide. Si ciuilis causa esset diuersæ parti responsio seruaretur, causa religionis est, episcopus conuenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, vt & ego plenius respondeam, & sic de omnibus cōsultus clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certè si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus, licebit tibi ad Ecclesiam cōuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit Ecclesia, quia templa gentiliū muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti. Vox enim tua, manus tua: & subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum Dominus Iesus recusat & respuit, quoniam idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Non potestis duobus Dominis seruire. Priuilegia tua sacrata Deo virgines non habent, & vindicant virgines Vestæ? Cur sacerdotes Dei requiris, quibus petitiones prophanas gentiliū prætulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respondebis his verbis, puerum esse te lapsum? Omnis ætas perfecta Christo est. Omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur. Paruuli etiā Christum intrepido aduersus persecutores ore confessi sunt. Quid respondebis germano tuo? Nonne tibi dicit: Victum me esse non credidi, quia te Imperatorem reliqui. Mori non dolui, quia te heredē habebam. Imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, præsertim de religione diuina, omnibus seculis mansura credebam. Hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has de seculo manubias, hæc spolia de diabolo, has ego de aduersario omnium exuias offerebam, in quibus æterna victoria est. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Abrogasti decreta mea: quod adhuc ille qui contra me leuauit arma, non fecit. Nunc grauius telum corpore recipio, quod à fratre mea statuta damnantur. Meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista virtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod est grauius, abrogatur à tuis, abrogatur à meis, & id abrogatur quod in me etiam mei aduersarij prædicarunt. Si volens acquieuisisti, damnaisti fidem meam, si inuitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo, quod grauius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri? qui te maiore dolore conueniet, dicens: De me fili pessime iudicasti, qui putasti quod ego gentilibus conuiuentiam præstitissem. Nemo ad me detulit aram esse in illa Romana curia, nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum gentiliūque concilio sacrificarent gentiles, hoc est, insultarent gentiles præsentibus

A Christianis, & inuiti Christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa & diuersa crimina me imperatore commissa sunt, vltus sum quæcunque sunt deprehensa, si quis tunc latuit, debet ergo dicere me probasse quod ad me nemo detulerat? De me pessime iudicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea seruauit imperium. Vnde cū aduertas Imperator, Deo primum, deinde patri & fratri iniurias irrogari si quid tale decernas, peto vt id facias quod salutari tuæ apud Deum intelligis profuturum.

B Symmachi urbis præfecti persuadentis ritus veteres circa cultum Deorum esse seruandos, ad imperatores relatio.

Vbi primum senatus amplissimus, semperque vester, subiecta legibus vitia cognouit, & à principibus piis vidit purgari famam temporū proximorum, boni seculi autoritatē secutus, euomuit diu pressum dolorem, atque iterum me querelarum suarum iussit esse legatum. Cui ideo diu principis denegata est ab improbis audiētia, quia non erat iustitia defutura, Domini Imperatores Valentiniane, Theodosi, & Arcadi inelyti victores, ac triumphatores semper Augusti. Gemino igitur functus officio, & vt præfectus vester gesta publica prosequor, & vt legatus ciuium mandata commendo. Nulla est hic dissensio voluntatum, quia iam credere homines desierunt, aliquorum ministris regū coguntur se studio præstare si discrepent. Amari, coli, diligi, maius imperio est. Quis ferat obfuisse reipublicæ priuata certamina? Merito illos senatus insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulērunt. Noster autem labor pro clementia vestra ducit excubias. Cui enim magis cōmodat, quod instituta maiorum, quod patriæ iura & fata defendimus, quàm temporum gloriæ? Quæ tum maior est, cū vobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Reperimus igitur religionum statum qui reipublicæ diu profuit. Certè numerentur principes vtriusque sectæ, vtriusque sententiæ, proximus eorum ceremonias patrum coluit, recentior non remouit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorū. Quis ita familiaris est barbaris, vt aram victoriæ nō requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus. Reddatur tamen saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debet. Auerfentur hanc potestatem quibus nihil profuit, vos amicis triumphis patrocinium nolite deserere. Cūctis potentia ista votiua est, nemo colendam neget quam profitetur optandam. Quod si huius ominis non est etiam iusta vitatio, ornamentis saltem curiæ decuit abstinere. Præstate oro vos, vt ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Cōsuetudinis amor magnus est. Merito diui Constantij factum diu non stetit. Omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis. Aternitatem curamus famæ & nominis vestri, ne quid futura ætas inueniat corrigendum. Vbi in leges vestras & verba iurabimus, qua religione mens fallā terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena sunt, nec vllus perfidis tutus est locus: sed plurimū valet

ad metum delinquendi etiam præsentia religionis G
vrgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara
fidem conuenit singulorum, neque aliud magis au-
thoritatem facit sententiis nostris, quàm quod om-
nia quasi iuratus ordo decernit. Patebit ergo sedes
prophana periuriis, & hoc inclyti principes mei pro-
babile iudicabunt, qui sacramentopublico tuti sunt?
Sed diuus Constantius idem fecisse dicitur, cætera
potius illius principis æmulemur, qui nihil tale esset
aggressus, si quis ante se alius non deuiasset. Corrigit
enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione
antecedentis exempli nascitur emendatio. Fas fuit H
vt parens ille clemētiæ vestræ in re adhuc noua non
caueret inuidiam. Num potest etiam nobis eadem
defensio conuenire si imitemur quod meminimus
improbatur? Accipiat æternitas vestra alia eiusdem
principis facta, quæ in vsum dignius trahat. Nil ille
decepit sacrarum virginum priuilegiis, repleuit no-
bilibus sacerdotia, Romanis ceremoniis non nega-
uit impensas, & per omnes vias æternæ vrbs lætum
secutus senatum, vidit placido ore delubra, legit in-
scripta fastigiis Deum nomina, percontatus est tem-
plorum origines, miratus est conditores. Cùmque I
alias religiones ipse sequeretur, has seruauit imperio.
Suis enim cuique mos, suis cuique ritus est. Varios
custodes vrbbus & cultus mens diuina distribuit.
Vt animæ nascentibus, ita populis fatales genij diui-
duntur. Accedit vtilitas, quæ maxime homini Deos
asserit. Nam cùm ratio omnis in operto sit, vnde re-
ctius quàm de memoria atque documētis rerum se-
cundarum cognitio venit numinum? Iam si longa æ-
tas autoritatem religionibus faciat, seruanda est tot
seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui se-
cuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assi- K
stere, atque his vobiscum agere sermonibus? Optimi
principes patres patriæ reueremini annos meos, in
quos me pius ritus adduxit, vt vtar ceremoniis aui-
tis. Neque enim me pœnitent viuere meo more, quia
libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit:
hæc sacra Annibalem à mœnibus, à capitolio Seno-
nas repulerunt. Ad hoc ergo seruata sum, vt longæua
reprehendar? Videam quod instituendum putatur?
Sera tamen & contumeliosa est emendatio senectutis.
Ergo diis patriis, diis indigetibus pacē rogamus.
Æquum est, quicquid omnes colunt, vnum putari. L
Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem
nos mūdus inuoluit. Quid interest qua quisque pru-
dentia verum requirat? Vno itinere non potest per-
ueniri ad tam grande secretum: sed hæc ocioforum
disputatio est. Nunc preces nō certamina offerimus.
Quanto commodo sacri ararij vestri Vestalium vir-
ginum prærogatiua detracta est? Sub largissimis im-
peratoribus denegatur quod parcissimi præstiterunt?
Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Vt
vittæ carum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur
sacrificij, vacare muneribus. Nudum quodammodo M
nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate
ac dispendio tutæ sunt. Itaque amplius laudi carum
tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Siquidem saluti
publicæ dicata virginitas crescit merito, cùm caret
præmio. Absint ab ararij vestri puritate ista compē-
dia, fiscus bonorum principum non sacerdotum dā-
nis, sed hostium spoliis augeatur. Vllū mne lucrum

compēsat inuidia? Et quia auaritia in mores vestros
non cadit, hoc inferiores sunt, quibus subsidia vete-
ra decerpta sunt. Etenim sub imperatoribus qui alie-
no abstinent, qui resistunt cupiditati, ad solam de-
trahitur amittentis iniuriam, quod desiderium non
mouet auferentis. Agros etiam virginibus & mini-
stris deficientium voluntate legatos fiscus retentat.
Oro vos iustitiæ sacerdotes, vt vrbs vestræ sacris
reddatur priuata successio. Dicitent testamenta secu-
ri, & sciant sub principibus non auaris stabile esse
quod scripserint. Delectet vos ista fœlicitas generis
humani, cœpit causæ huius exēplum sollicitare mo-
rientes. Ergo Romanæ religiones sub Romana iura
non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facult-
atum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas? Ca-
piunt legata liberti, seruis testamentorum iusta com-
moda non negantur, tantum nobiles virgines, & fa-
talium sacrorum ministri excluduntur prædiis heredi-
tate quæsitis. Quid iuuat saluti publicæ castū cor-
pus dicare, & imperij æternitatem cœlestibus fulci-
re prædiis, armis vestris, aquilis vestris amicas ap-
plicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere,
& ius cum omnibus non habere? Itaque melior
est seruitus quæ hominibus impenditur. Rempublicam
lædimus, cui nunquam expedit vt ingrata sit.
Nemo me putet solam causam religionum tueri: ex
huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani
generis incommoda. Honorauerat lex parentū Vesta-
les virgines, ac ministros Deorum, victu modico,
iustisque priuilegiis. Stetit muneris huius integritas
vsque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vi-
lium baiulorum sacræ castitatis alimenta verterunt.
Secuta est hoc factū famas publica, & spem prouin-
ciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc
vitia terrarum, nihil imputamus astris. Nec rubigo
segetibus obfuit, nec auena fruges necauit, sacrile-
gio anhus exaruit. Neesse enim fuit perire omni-
bus quod religionibus negabatur. Certe si est huius
mali aliquod exemplum, imputemus tãtam famam
vicibus annorum. Grauis hanc sterilitatem aura cō-
strinxit, syluestribus arbutis vita producitur, &
rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia
conuolauit. Quid tale prouinciæ pertulerunt cū
religionum ministros honor publicus pasceret? L
Quando in vsum hominum concussa quercus, quã-
do vulsæ sunt herbarum radices, quando alternos
regionum defectus deseruit fœcunditas mutua,
cum populo & virginibus sacris communis esset
annona? Commendabat enim terrarum prouen-
tus victus antistitum, & remedium magis, quàm
largitas erat. An dubium est semper pro copia
omnium datum, quod nunc inopia omnium vin-
dicauit? Dicit aliquis sumptum publicum dene-
gatum alienæ religionis impendiis. Absit à bonis
principibus ista sententia, vt quod olim de com-
muni quibusdam tributum est, in iure fisci esse vi-
deatur. Nam cū respública de singulis consistet:
quod ab ea proficiscitur, sit rursus proprium singu-
lorum. Omnia regitis, sed suum cuique seruatis, plū-
que apud vos iustitia quàm licentia valet. Consulto
certe munificentiam vestram, an hæc publica velit
existimari quæ in alios transtulistis? Semel honori
vrbs delata cōpendia desinunt esse tributium: &
quod

quod à principio beneficium fuit, vsu atque ætate fit A
debitum. Inanem igitur metum diuino animo ve-
stro tentat incutere si quis asserit conscientiam vos
habere præbentium, nisi detrahentium subieritis in-
uidiam. Fauent clemētiæ vestræ sectarum omnium
arcana præsidia: & hæc maxime quæ maiores ve-
stros aliquādo iuuerunt, vos defendant, à nobis co-
lantur. Eum religionum statum petimus, qui diuo
parenti culminis vestri seruauit imperium, qui For-
tunato principi legitimos suffecit hæredes. Spectat
senior ille diuus, ex arce sydereâ lachrymas sacerdo- B
tum, & se culpatum putat more violato, quem libe-
ter ipse seruabat. Præstate etiam diuo fratri vestro
alieni consilij correctionem, tegite factum quod se-
natui displicuisse nesciuit. Siquidem constat ideo
exclusam legationem, ne ad cum iudicium publi-
cum perueniret. Pro æstimatione est temporum su-
periorum, vt non dubitetis abolere quod proban-
dum est principis non fuisse.

*Diui Ambrosij ad Valentinianum Imperatorem, relationi
Symmachi respondentis, aptissimisque cōsutationibus eam
refellentis.*

Epistola X X X I.

Ambrosius Episcopus beatissimo principi, &
clementissimo Imperatori Valentiniano Au-
gusto. Cū vir clarissimus præfectus vrbs Symma-
chus ad clementiam tuam retulisset, vt ara quæ de
vrbs Romæ curia sublata fuerat, redderetur loco, &
tu Imperator, licet adhuc in minoris æui tyrocinio
florentibus nouis annis, fidei tamen virtute vetera-
nus obsecrata gentilium non probares, eodem quo D
comperi puncto libellum obtuli, quo licet compre-
henderim quæ suggestioni necessaria viderentur,
poposci tamen exemplum mihi relationis dari. Ita-
que non fidei tuæ ambiguus, sed prouidus cautionis,
& pij certus exanimis hoc sermone relationis asser-
tioni respōdeo, hoc vnum petens, vt non verborum
elegantiam, sed vim rerum expectandam putes. Au-
rea enim (sicut scriptura diuina docet) est lingua sa-
pientium literatorum, quæ phaleratis dotata sermo-
nibus, & quodam splendentis eloquij velut coloris
preciosi corrusco resultans, capit animorum oculos
specie formosi, visūque perstringit. Sed aurum si di-
ligētius manu tractes, foris precium, intus metallum
est. Volue quæso, atque excute seclatam gentilium,
preciosa & grandia sonant, veri effecta defendunt.
Deum loquuntur, simulachrum adorant. Tria igitur
in relatione sua vir clarissimus præfectus vrbs pro-
posuit quæ valida putauit. Quod Roma veteres, vt
ait, suos cultus requirat. Et quod sacerdotibus suis
virginibusque Vestalibus emolumenta tribuenda
sint. Et quod emolumentis sacerdotum negatis fa-
mes secuta publica sit, in prima propositione, flebili
Roma questu sermonis illachrymat, veteres, vt ait, F
cultus ceremoniarum requirens. Hæc sacra, inquit,
Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repu-
lerunt. Itaque dum sacrorum potentia prædicatur,
infirmas proditur. Ergo Annibal diu sacris insulta-
uit Romanis, & diis contra se dimicantibus vsque ad
muros vrbs vincēdo peruenit. Cur se obsideri passi

sunt, pro quibus Deorum suorum arma pugnabant?
Nam de Senonibus quid loquar, quos capitolij se-
creta penetrantes Romanæ reliquæ non tulissent,
nisi eos pauido anser strepitu prodidisset? En quales
templa Romana præfules habent. Vbi tunc erat Iu-
piter? An in anser loquebatur? Verum quid negem
sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Anni-
bal eosdem Deos colebat. Vtrum volunt igitur eli-
gant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginen-
sibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triū-
phata, nec Romanis utique profuerunt. Faceffat igitur
inuidiosa illa populi Romani querela. Non hæc
Roma mandauit. Aliis illa eos interpellat vocibus.
Quid me casto quotidie gregis innoxij sanguine
cruentatis? Non in fibris pecudū, sed in viribus bel-
latorum trophæa victoriæ sunt. Aliis ego disciplinis
orbem subegi. Militabat Camillus qui sublata capi-
tolio signa, cæsis Tarpeia rupis triumphatoribus re-
portauit, strauit virtus quos religio non remouit.
Quid de Attilio loquar, qui militiam etiam mortis
impendit? Africanus non inter capitolij aras, sed in-
ter Annibalis acies triumphum inuenit. Quid mihi
veterum exēpla profertis? Odi ritus Neronū. Quid
dicam bimestres Imperatores, & terminos regū cum
exordiis copulatos? Aut forte illud est nouum, Bar-
baros suis excessisse finibus? Nunquid etiā illi Chri-
stiani fuerunt, quorum miserabili nouoque exemplo
alter captiuus Imperator, sub altero captiuus orbis
sefellisse quæ victoriam promittebant, suas ceremo-
nias prodiderunt? Nunquid & tunc non erat ara Vi-
ctoriæ? Pœnitet lapsus, & vetusta canicies pudendi
sanguinis traxit ruborem. Non erubescō cum toto
orbe longæua conuerti, verum certe est quia nulla
ætas ad perdiscendū sera est. Erubescat senectus quæ
emendare se non potest. Non annorum canicies est
laudanda, sed morum, nullus pudor est ad meliora
transire. Hoc solum habebam cōmune cum barbaris,
quia Deum antea nesciebam. Sacrificiū vestrum
ritus est bestiarum cruore respergi. Quid in mortuis
pecudibus quæritis Dei voces? Venite & discite in
terris cœlestem militiam. Hic viuimus, & illic mili-
tamus. Cœli mysteriū doceat me Deus ipse qui con-
didit, nō homo qui seipsum ignorauit. Cui magis de
Deo quàm Deo credam? Quomodo possum vobis
credere qui fatemini vos ignorare quod colitis? Vno
inquit, itinere non potest perueniri ad tam grāde se-
cretū. Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cogno-
uimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex
ipsa sapientia Dei & veritate compertum habemus.
Non congruunt igitur vestra nobiscum. Vos pacem
diis vestris ab Imperatoribus obsecratis, nos ipsis
imperatoribus à Christo pacem rogamus. Vos manu-
uum vestrarū adoratis opera, nos iniuriā ducimus,
omne quod fieri potest, Deū putari. Nō vult se Deus
in lapidibus cœli. Denique etiā ipsi philosophi vestri
ista riserunt. Quod si vos ideo Christū Deū negatis,
quia illum mortuū esse non creditis: (nescitis enim
quod mors illa carnis fuerit, nō diuinitatis, quæ fecit
vt credentium iam nemo moriatur) quid vobis im-
prudētius, qui cōtumeliosè colitis, & honorificè de-
rogatis? Vestrum enim Deū lignum putatis. O con-
tumeliosa reuerentia, Christum mori potuisse non
creditis? O honorificæ peruicacia. Sed vetera, inquit,
V V ij

Proverb. 12.

reddenda sunt altaria simulachris, ornamenta delubris. Reposcantur hæc à confortate superstitionis, Christianus imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia ministeriū suis cogunt sacrilegiis exhibere? Vox Imperatoris nostri Christum resulet, & illum solum quem sentit loquatur, quia cor regis in manu Dei. Nunquid Imperator gentilis aram Christo leuauit? Dum ea quæ fuerunt reposcunt, exemplo sui admonent quātum Christiani imperatores religioni quam sequuntur debeant deferre reuerentiæ, quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt. Dum cœpimus, etiam sequamur. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium mouet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant. Nunquam nobis amplius contulerunt, quàm cū verberari Christianos atque proferri ac necari iuberent. Præmiū fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos: per iniurias, per inopiam, per supplicium nos credimus, illi ceremonias suas sine quæstu manere posse non credunt. Habeant, inquit, Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc qui nesciunt credere quod posset esse gratuita virginitas, prouocent lucris qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitie tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, vsui nobile castitatis non exquisita sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxur deliciarum, sed vsus ieiuniorum: non priuilegia, non lucra: omnia postremo talia, vt reuocari studia putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium prouocatur, suis castitas cumulatur dispendiis. Non est virginitas quæ precio emitur, non virtutis studio possidetur. Non est integritas quæcunque tanquam in auctione nūmario ad tempus sollicitatur compendio. Prima castitatis victoria est facultatum cupiditates vincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus, quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet vt qui totum sibi sub imperatoribus gentilibus vindicarunt, iidem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem? Sacerdotibus quoque suis & ministris queruntur alimenta publica non præberi. Quantus hinc verborum tumultus increpuit? At contra nobis etiam priuata successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quærat sacerdos, vt onus curiale declinet, patria atque auita & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles si haberent ingrauent querelâ, quod sacerdos ferias ministerij sui emat totius patrimonij sui damno, & priuatus vniuersæ commoditatis dis-

pendio vsus publici mercetur obsequij, prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministerium non vëdidit, sed gratiam comparauit. Conferte causas. Vos excusare vultis decurionem, cum Ecclesiæ excusare nō liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune ius clauditur, à quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel grauium viduarum, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio multa præscribitur. Quod sacerdotibus phani legauerit Christiana vidua, valet: quod ministris Dei, non valet. Quod ego non vt querar, sed vt sciant quid non querar, cōprehendi. Malo enim vos pecunia minores esse, quàm gratia. Sed referūt ea quæ vel donata vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata. Dicant & ipsi quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quæ si facta essent gentilibus, redderetur potius quàm inferretur iniuria. Nunccine demum iustitia prætenditur, æquitas postulatur? Vbi tunc erat ista sententia, cum direptis Christianorum omnium facultatibus, ipsos vitales anhelitus spiritus inuiderēt, & nullis vsquam negata defunctis inhiherent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista victoria est: quod & ipsam facta maiorum carpunt suorum: sed quæ melioratio, vt eorum munera petant, quorum gesta condemnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata aruspibus denegauit: sola sublata sunt prædia, quia non religiose vtebantur iis quæ religionis iure defendere. Qui nostro vtuntur exemplo, cur non vtebantur officio? Nihil Ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captiuos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus viuendi subsidia ministrauerint. Prædia igitur intercepta, non iura sunt. En quod factum, quod triste piare nefas: fames, vt aiunt, publica vindicauit, quia vsui omnium proficere cœpit quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, vt aiunt, arbuta exuta corticibus succo miserabili deficientium ora lambent. Propterea Chaoniam frugem glande mutantibus rursus in pecudum pastus, & ad infelicis vitæ alimenta reuocati, concussa quercu famem in syluis miseram solabantur. Noua videlicet prodigia terrarum quæ nunquam ante acciderant, cum superstitio gentilis toto orbe ferueret. Reuera quando antè vacuis auenis seges fallax auari vota lusit agricolæ, & spem rusticæ plebis quæsitâ sulcis frugis herba destituit. Et vnde Græcis oracula habitæ suæ quercus, nisi quia remedium syluestris alimonie cœlestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt Deorum. Quis Dodonæas arbores nisi gentium populus adorauit, cum pabulum triste sacri nemoris honore donaret? Non est verisimile quod indignantes eorum dii id pro pena intulerunt, quod solebant placati conferre pro munere. Quæ autem æquitas, vt paucis sacerdotibus dolentes victum negatum, ipsi omnibus

1015

bus denegarent, cū inclemētior esset vindicta quàm culpa? Non est igitur idonea quæ tantam ægritudinem mundi fallentis causa constrinxerit, vt virentibus segetibus subita spes anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt. Modo ne demum diis gentilium venit in mentem suas iniurias vltum ire? Propterea, nec assueto cursu Nilus intumuit, vt vrbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicauit suorum? Esto tamen si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant, cur præsentis anno contemptui fuere? Iam enim nec herbarum vultis radicibus rusticana plebs pascitur, nec bacca syluestris explorat solatia, nec cibum de sentibus rapit, sed operum læta foelicium dum messes suas & ipsa miratur, expleuit voti satietate ieiunium, vsurarios nobis reddidit terra prouentus. Quis ergo tam nouus humanis vsibus, vt vices stupeat annorum? & tamen etiam superiore anno pleraque nouimus prouincias redundasse frugibus. De Gallis quid loquar solito ditioribus? Frumentum Pannoniæ quod non seuerant vendiderunt, & fecunda Rhetia fertilitatis suæ nouit inuidiam. Nam quæ solebat tutior esse ieiunio, fecunditate hostem in se excitauit. Liguriam Venetiâque autumnus frumenta pauert. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quod largo foetu vineæ redundauerint. Itaque & messem foeneratam recepimus, & liberalioris vindemiæ beneficia possidemus. Postremus superest & maximus locus, vtrū ea quæ vobis profuerint imperatores restituere subsidia debeatis. Ait enim, vos defendant, à nobis colantur. Hoc est fidelissimi principes quod ferre non possumus, quia exprobrant nobis vestro se nomine diis suis supplicare, & vobis non mandantibus sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes, Sibi habeant præsidia sua, suos si possunt, illa defendant. Nam si iis à quibus coluntur, auxilio esse nō possunt, quomodo possunt vos defendere, à quibus non coluntur? Sed maiorum, inquit, seruandus est ritus. Qui quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreuerat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nōne postea distincto cœli, maris, terrarumque discrimine, rerum formas quibus speciosus videtur, accepit? Exuta humentibus tenebris nouum terræ stupere solem. Dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat, & calor exarsuat. Luna ipsa quæ prophetis oraculis species Ecclesiæ figuratur, cum primum resurgens in mensuras reparatur ætates, tenebris noctis absconditur, paulatimque cornua sua complens, vel è regione solis absolvens, clari splendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fructus terræ ante nesciebant, post vbi imperare aruis sollicitus cœpit agricola, & informe solum vestire vinetis, syluestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipsius ætas prima, quæ nos vsu parili colorauit, nutu gignentium: sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoque aui rudes sensus habemus infantie, sed mutari in annos ingenij erudimenta depo-

nimus. Dicant igitur in suis omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris obductum, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse quàm corporis, fideique iubar emicuisse quàm solis? Ergo & mundi sicut omnium rerum, primæua viam mutarunt, vt venerabilis cana fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, reprehendant messem, quia fera fecunditas est: reprehendant oliuam, quia postremus est fructus. Ergo & messis nostra fides animarum est, Ecclesiæ gratia, meritorum vindemia est, quæ ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos, vt aduerterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. Nulla enim sine aduersario corona victoriæ: sed explosa ea opinione quæ ante conualuit, id quod erat verum, iure prælatum. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam precio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid (vt de ipso respondeam quod queruntur) captarum simulachra vrbium, victosque Deos, & peregrinos ritus sacrorum, alienæ superstitionis æmuli receperunt? Vnde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele? Vnde Phrygij vates, & semper inuisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quam cœlestem Aphri; Mitram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diuersitate nominis, non pro numinis varietate. Sic deam esse & Victoriæ crediderunt, quæ vtique munus est, non potestas: donatur, non dominatur, legionum gratia, non religionum potentia. Magna igitur dea, quam militum multitudo sibi vindicat, vel præliorum donat euentus. Huius aram strui in vrbis Romæ curia petunt, hoc est, quod plures conueniunt Christiani. Omnibus in templis aræ, aræ etiam in templo victoriarum, quando numero delectantur, sacrificia sua vbique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, vnus aræ sacrificium vindicare? Ferendumne istud, vt gentilis sacrificet, & Christianus interfici? Hauriant omnes, inquit, hauriant vel inuiti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, & auersantium licet ora excitata focus nostris fauilla respergat. Non illis satis sunt lauacra, nō porticus, non plateæ occupatæ simulachris. Etiamne in communi illo concilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium vocibus, adiurantium sacramentis? Si refutet, videbitur mendacium prodere: si acquiescat, sacrilegium confiteri. Vbi, inquit, in leges vestras & verba iurabimus? Ergo mensuram quæ legibus tenetur inclusa, ceremoniis gentium suffragium colligit, fidem stringit iam non solum præsentium, sed absentium etiam? Et quod est amplius, imperatores, fides vestra pulsatur. Vos enim cogitis si iubetis. Constantius Augustæ memoriæ nondum sacris initiatus mysteriis contaminari se putauit si aram illam videret. Iussit auferri, non iussit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc præcepti non habet. Nemo sibi de absentia blandiatur, præsentior est qui se animis inserit quàm qui oculis protestat. Plus enim est mente connecti, quàm corpore copulari. Vos senatus cogendi cōsiliij præsu-

les habet, vobis coit, vobis conscientiam suam, non diis gentium prestat, vos liberis suis non tamen fidei suae praefert. Haec est charitas expetenda, haec est charitas maior imperio, si fides tuta sit, quae seruat imperium. Sed fortasse aliquem moueat ita fidelissimum principem destitutum: proinde quasi meritum precium caducis aestimetur praesentium. Quis enim sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum nouit negocia, quia non eodem semper successus habent, sed variant status, & mutant vices? Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miserunt? At is cum tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exul imperij, Canopei manu spadonis occubuit. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius Orientis terrae regem dederunt? Is quoque cum principis potentissimos aduersantes vicisset, victos reseruasset, muliebribus armis fufus interiit. Et ille rex qui superatos etiam confessus honore donauerat, execto capite, & intra virem plenum cruoris fatiari iussus in cluso, foemineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitae curriculo non paria paribus, sed longè diuersa referuntur. Quem etiam magis sacrificiis deditum quam Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? qui cum toto praelij tempore inter acies positus dimicantes sacrificium faceret, ubi partem suorum victa esse cognouit, in ipsos quos adolebat se precipitauit ignes, ut eos vel cruore suo restingeret, quos sibi nihil profuisse cognouerat. Nam de Iuliano * quid loquar? qui cum responsis aruspicum male credulus esset, ademit sibi subsidia reuertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa. Neminè etenim promissa nostra luserunt. Respondi laceffentibus tanquam non laceffitus. Refellendae etenim relationis, non exponendae superstitionis mihi studium fuit. Te tamen Imperator ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cum de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus ceremonias patrum coluit, recentior non remouit, addidisset etiam, si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum: euidenter docuit quod & fidei tuae debeas, ut gentilitij ritus non sequaris exemplum: & pietati, ut fratris statuta non violes. Si enim pro suis dumtaxat partibus eorum dissimulationem principum praedicarunt, qui cum essent Christiani, decreta tamen gentilium minimè remouerunt, quanto magis amori debent deferre. fraterno, ut qui dissimulare debent, etiam si quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, & nunc teneas quod & fidei tuae, & germanitatis necessitudini iudicas conuenire.

Diui Ambrosij ad Valentinianum Imperatorem, recusantis certare cum Auxentio Arriano in consistorio imperatore iudicaturus, ex eo quod in causa fidei Episcopi de laicis in Ecclesia, & non laici de Episcopis in consistorio debeant iudicare.

Epistola XXXII.

Clementissimo Imperatori & beatissimo Augusto Valentiniano Ambrosius episcopus. Dalmatius me tribunus & notarius mandato, ut allegauit,

G clementiae conuenit tuae, postulans ut & ipse iudices eligerem, sicut elegisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina qui fuerant postulati, sed id addidit quod in consistorio esset futura certatio arbitro pietatis iudicio tuae. Cui rei respondeo, ut arbitror, competenter. Nec quisquam contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram quod Augustae memoriae pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Haec enim verba rescripti sunt: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quinetiam si alias quoque argueretur episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiae tuae? Ille qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi forte vilis quibusdam tati Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia comprobata est, & sapientia melioratae reipublicae profectibus praedicatur. Quando audisti clementissime Imperator in causa fidei laicos de episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, ut sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alius putem esse credendum? Si docendus est episcopus a laico quid sequatur, laicus ergo disputet, & episcopus audiat, episcopus discat a laico. At certe si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam, fidei episcopos solere de imperatoribus Christianis, non imperatores de episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate K prouectior, & tunc de hoc censebis qualis ille episcopus sit qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus Deo fauente vir maturioris aevi dicebat, Non est meum iudicare inter episcopos. Tua nunc dicit clementia, Ego debeo iudicare? Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicij: clementia tua, cui adhuc emerenda baptismatis sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cum fidei ipsius sacramenta non nouerit? Quales autem elegerit iudices, possumus existimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant plane si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam iudex residat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiae sacerdote: si audierit illum populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius: non inuidebo. Omitto quia iam ipse populus iudicauit: taceo quia eum quem habet, de patre tuae clementiae postulauit: taceo quia pater pietatis tuae quietem futuram spopondit si electus susciperet sacerdotium. Hanc fidem secutus sum promissorum. Quod si de aliquorum peregrinorum assentatione se iactat, ibi sit episcopus, unde sunt ij qui eum episcopatus putant nomine esse donandum. Nam ego nec episcopum noui, nec unde sit scio. Vbi illud constituimus Imperator, quod iam ipse tuum iudicium declarasti, imò etiam dedisti leges, ne cui esset liberum aliud iudicare? Quod cum praescripsisti aliis, praescripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Vifne

Vifne igitur experiar, ut incipiant ij qui iudices eliguntur, aut aduersus tuam venire sententiam, aut certè excusare quod Imperatoris tam se uero, & tam districto imperio non potuerint obuiare? Sed hoc contumacis non modesti est sacerdotis. Ecce Imperator legem tuam iam ex parte rescindis, sed vti nã non ex parte, sed in vniuersum. Legem enim tuam nollem esse supra Dei legem. Dei lex nos docuit quid sequamur, humanæ leges hoc docere non possunt. Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt. Quis erit igitur ille qui cum legat per tot prouincias vno momento esse mandatum, ut quicumque obuiauerit Imperatori, feriat gladio: quicumque Dei templum non tradiderit, protinus occidatur. Quis, inquam, est qui possit vel vnò, vel inter paucos dicere Imperatori: Lex tua mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere sacerdotibus, permittitur laicis? Et iudicabit de fide, qui aut gratiam sperat, aut metuit offensam? Deinde ipse committam ut eligam iudices laicos, qui cum tenuerint fidei veritatem, aut proscibantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? Ego igitur aut prauaricationi offeram homines, aut poenae? Non tanti est Ambrosius, ut propter se deiiciat sacerdotium. Non tanti est vnus vita, quanti est dignitas omnium sacerdotum, quorum de consilio ista dictaui, intimantibus ne fortè etiam gentilis esset aliquis aut Iudaeus qui ab Auxentio esset electus, quibus traderemus de Christo triumphum, si de Christo iudiciũ committeremus. Quid illos aliud nisi Christi iniuriam audire delectat? Quid illis aliud potest placere, nisi (quod absit) ut Christi diuinitas denegetur? Cum iis planè bene conuenit Arriano, qui creaturam Christum dicit, quod etiam Gentiles ac Iudaei promptissimè consentunt. Hoc scriptum est in Ariminensi synodo: meritoque concilium illud exhorreo, sequens tractatum concilij Niceni, a quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Quam fidem etiam parens clementiae tuae Theodosius beatissimus Imperator & sequitur, & probauit. Hanc fidem Galliae tenent, hanc Hispaniae, & cum pia diuini spiritus confessione custodiunt. Si tractandũ est, tractare in ecclesia didici: quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factũ est sub Constantino augustae memoriae principe, qui nullas leges ante praemisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus. Factũ est etiam sub Constantio augustae memoriae Imperatore, paternae dignitatis haerede. Sed quod bene coepit, aliter consummatum est. Nam episcopi sinceram primò scripserant fidem: sed dum volũt quidam de fide intra palatium iudicare, id egerunt, ut circũscriptionibus illa episcoporum iudicia mutarentur. Qui tamè inflexã statim reuocauere sententiã. Et certè maior numerus Arimini Niceni concilij fidem probauit, Arriana decreta damnauit. Si ad synodum prouocat Auxentius, ut de fide disputet: licet non sit necesse propter vnum tot episcopos fatigari, qui etiam si angelus de caelo esset, paci ecclesiarum non deberet praeferi: cum audiero synodũ congregari, & ipse non deero. Tolle igitur legem, si vis esse certamen. Venissem Imperator ad consistorium clementiae tuae ut haec coram suggererem, si

me vel episcopi vel populus permisissent, dicentes de fide in ecclesia coram populo debere tractari. Atque vti nam Imperator non denunciaffes ut quò vellem pergerem. Quotidie prodibã, nemo me asseruabat. Deuisti me quò volueras destinare, què ipse omnibus offerebam. Nunc mihi à sacerdotibus dicitur, Non multum interest vtrum volens relinquas, an tradas altare Christi. Cum enim reliqueris, trades. Atque vti nam liquidò mihi pateret quòd Arrianis ecclesia minimè traderetur: spontè me offerrem tuae pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de aliis omnibus inuadendis ecclesiis est praecipuum? Vti nam confirmetur ut ecclesiis nullus molestus sit, opto ut de me, qualis videtur, sententia proferatur. Dignanter igitur Imperator accipe quod ad consistorium venire non potui. Ego in consistorio nisi pro te stare nondidici, & intra palatium certare non possum, qui palatij secreta nec quaero, nec noui. Ego Ambrosius episcopus hunc libellum obtuli clementissimo Imperatori, & beatissimo Augusto Valentiniano.

DIVI AMBROSII IN AVXENTIVM, DE BASILICIS TRADENDIS inuehenti, subque ad constantiam atque tolerantiam exhortantis,

ORATIO.



DEO vos praeter solitum subito esse turbatos, atque asseruantes mei. Miror quid hoc sit, nisi fortè quia per tribunos me vidistis aut audistis imperiali mandato esse conuentum, ut quò vellem abirem hinc, & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo ne ecclesiam desererem, & dum saluti meae timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipse mandauerim, potuistis aduertere, defendendae ecclesiae mihi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi quam seculi huius Imperatorem timerem. Sanè si me vis aliqua abduceret ab ecclesia, carnem meam exturbari posse non mentem. Paratum me esse ut si ille faceret quod solet esse regiae potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consuevit. Quid ergo turbamini? Volens nūquam ius deseram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, hostes, Gotthos quoque, lachrymae meae arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo nec possum resistere. Fugere autem & relinquere ecclesiam non soleo, ne quis grauioris poenae metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi quòd imperatoribus soleam deferre, non cedere suppliciis me libenter offerre, nec metuere quae parantur. Vti nam essem securus quòd ecclesia haereticis libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, ut in palatio magis certarem quam in ecclesia. Sed in consistorio non reus solet Christus esse, sed iudex. Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit huc veniat: inclinatum iam vel Imperatoris iudiciũ, quòd lata lege patefecit, quo impugnat

fidem: vel sperata ambientium quorundam studia non requirat. Non committo ut quisquam vendat iniuriam Christi. Circumfusi milites, armorum crepitus, quibus vallata est ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant, ne dum me teneris, perniciosum aliquid vestra oboriatur saluti. Ego enim iam didici non timere, sed vobis timere plus cepi. Sinite quæso vestrum sacerdotem congregari, habemus aduersarium qui laceffit. Aduersarius enim noster diabolus sicut leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, ut Apostolus dixit. Accepit sine dubio, accepit (non fallimur, sed admonemur) tentandi huiusmodi potestatem, ne forte corporis mei vulneribus possim à fidei intentione reuocari. Legitis & vos quia multis aliis tentauit sanctum Iob diabolus: ad postremum potestatem huiusmodi petiit, & accepit, ut tentaret corpus eius, quod perferdit vlceribus. Cum esset propositum ut ecclesiam vasa iam traderemus, hoc responsum reddidi, Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud quod custodiendum non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria. Hæc plena humilitatis sunt, & (ut arbitror) plena affectus eius quem Imperatori debet sacerdos. Sed quia lucta nobis est non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiam (quod grauius est) aduersus spiritualia nequitie, que sunt in cælestibus, tentator ille diabolus per ministros suos certamen auget, vulneribus corporis mei experiendum arbitratur. Scio, fratres, vulnera hæc quæ pro Christo excipimus, non esse vulnera quibus vita amittitur, sed propagatur. Sinite quæso esse certamen, spectatores vos esse decet. Considerate quia si quem habet ciuitas vel atletam, vel alterius nobilis artis peritum, optat offerre certamini. Cur in maioribus rebus repudiatis, quod vel in minoribus velle consuectis? Non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. Certè si Dominus huic nos certamini deputauit, frustra perugiles tot noctibus & diebus custodias exhibetis. Impletur Christi voluntas. Omnipotens enim noster est Dominus Iesus: hæc est fides nostra. Et ideò quod fieri mandat, implebitur: nec conuenit vos diuinæ obviare sententiæ. Audistis quod hodie lectum sit, Petrus sibi asinæ Saluator per Apostolos iussit adduci, mandauitque ut si quis resisteret, diceretur: Dominus operam eius desiderat. Quid si & nunc illum istum asinæ, hoc est animalis quod grauem sarcinam portare consuevit, sicut est humana conditio, cui dicitur: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam, tollite iugum meum, quia leue est. Quid si, inquam, pullum istum ad se modo iussit adduci missis Apostolis, illis qui iam exuti corpore incomprehensibilem oculis nostris Angelorum speciem gerunt? Nonne si ab aliquo resistatur, dicit: Dominus operam eius desiderat? Si resistat vel vitæ huius cupiditas, si resistat caro & sanguis, si resistat conuersatio corporalis, quia aliquibus forsitan gra-

ti videmur: sed qui nos hic diligit, multò amplius diligit si sinat fieri hostiam Christi: quia dissolui, & cum Christo esse, multo melius: etsi manere in carne, magis necessariū propter vos. Nihil est ergo quod vereamini fratres dilectissimi, scio enim quia quicquid passus fuero, pro Christo patiar. Et legi quod eos timere non debeam qui possunt carnem occidere. Et audiui dicentem: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Ergo si vult Dominus, certū est quod nullus obstat. Quod si adhuc nostra differt certamina, quid veremini? Seruum Christi non custodia corporalis, sed Domini prouidentia sepere consuevit. Turbati estis quia apertas reperistis geminas fores, quas captus oculis quidam dum hospitium proprium repetit, patefecisse memoratur. In quo cognoscite quod nihil suffragetur humana custodia. Ecce vnus qui videndi munus amisit, soluit vestra vnuerfa munimina, & custodias lussit. Dominus autem suæ misericordie custodiam non amisit. Nonne ante biduum ut meministis etiam illud repertum est, quod à parte laua basilicæ ingressus quidam peruius fuit, quem putabatis clausum esse atque munitum? Sepserunt nempe armati basilicam, explorabant hos atque illos aditus: cæcitate perfusi sunt, ut quod apertum erat, videre non possent: itaque per plurimas noctes quod apertum fuerit, non ignoratis. Desinite ergo sollicitari, quia hoc erit quod Christus iubet, & hoc esse expedit. Denique exempla vobis legis proferam. Helisæus quærebatur à rege Syriæ, missus erat exercitus qui eum caperet, circumuallatus erat vndique, cepit timere eius seruulus, quia seruulus erat, hoc est, non erat libera mentis, & liberæ potestatis. Petiuit aperiri eius oculos sanctus Propheta, & ait: Respice, & vide quanto plures sint pro nobis quam contra nos. Et respexit, & vidit Angelorum millia. Aduertitis igitur quod seruulos Christi iam magis custodiant qui non videntur, quam qui videntur. Sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus aduocati. Legistis nempe eos ipsos qui Helisæum quærebant, ingressos esse Samariam ad eum ipsum quem capere gestiebant, cui non solum non potuerunt nocere, sed ipsius aduersus quem venerant, intercessione seruati sunt. Petrus quoque Apostolus vtriusque rei vobis edit exemplum. Nam vbi cum Herodes quæsiuit & cepit, recepit in carcere. Non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est iudiciū non timētis. Missus est Angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere, mortem ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone cum præcepta Dei populo seminare, doceret castimoniam, excitauit animos gentiliū: quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatae sunt ut paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine, quò venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat

poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Quod enim mortuus est, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeavit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum. Videtis igitur quod in seruulis suis pati velit Christus. Quid si & huic seruulo dicit: Illum volo sic manere, tu autem me sequere: & de hac arbore gustare vult fructum? Nam si illius cibis erat, ut faceret voluntatem patris, idem cibis illius est ut nostris passionibus epuletur. Nonne (ut de ipso Domino sumamus exemplum) quando voluit, passus est: & cum quæreretur, inuentus est? Quando autem hora non venerat passionis, per medium quærentium transibat, & videntes eum tenere non poterant. Quo utique euidenter ostendit, quia quando Dominus vult, vnusquisque inuenitur & capitur. Quando autem differt, etiam si quærentium manibus occurrat & oculis, non tenetur. Ego ipse non quotidie vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad martyres? Non regiam palatij præregebam eundo atque redeundo? Et tamen nemo me tenuit, cum exturbandi me haberent, ut prodiderunt postea, voluntatem, dicentes: Exi de ciuitate, & vade quò vis. Expectabam fateor magnum aliquid, aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt, sed athleta Christi non delicias sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet quod aut carrum præparauerant, aut dura, ut videbatur sibi, Auxentij ipsius qui se dicit episcopum, ore iactata. Plerique narrabant percussores præmissos, pœnam mortis esse decretam: nec illa timeo, & ista non desero. Quò enim abibo, vbi non omnia plena gemitus sint atque lachrymarum, quando per ecclesias iubentur eici catholici sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mandatum impleuerint? Et hæc episcopi manu scripta, & ore dictata, qui se ut probaret doctissimum, vetus non omisit exemplum. Legimus enim in Propheta, quod viderit falcem volantem. Hanc imitatus Auxentius gladium volentem per omnes vrbes direxit. Et Satanas transfiguratur se in angelum lucis, & in malum imitatur eius potentiam. Tu Domine Iesu vno momento mundum redemisti. Auxentius vno momento tot populos, quod in ipso est, trucidabit, alios gladio, alios sacrilegio. Meam basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Cui bene præfens respondit lectio: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? id est, non conuenit paci & furori, non conuenit Christo & Belial. Meministis etiam quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ interpellatum petitione regia ut vineam suam daret, vbi rex succis vitibus olus vile sereret, eumque respondisse, Absit ut ego patrum meorum tradam hæreditatem. Regem contristatum esse quod sibi esset alienum ius relatione iusta negatum, sed muliebri consilio deceptum. Nabuthe vites suas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dicit enim conuentus: Absit à me ut tra-

dam Christi hæreditatem. Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi, Absit ut tradam hæreditatem patrum, hoc est, hæreditatem Dionysij qui in exilio in causa fidei defunctus est, hæreditatem Eustorgij confessoris, hæreditatem Myroclis, atque omnium retro fidelium episcoporum. Respondi ego quod sacerdotis est, quod imperatoris est, faciat imperator. Prius est ut animam mihi quam fidem auferat. Ac cui tradam, præfens lectio euangelij docere nos debet, quid petatur, à quibus petatur. Audistis nempe legi quod cum Christus super pullum asinæ sederet, clamabant pueruli, & molestè ferebant Iudæi. Denique interpellauerunt Dominum Iesum dicentes ut faceret eos tacere, respondit: Si hi tacebunt, lapides clamabunt. Deinde ingressus templum eiecit nummularios, & cathedras, & columbas videntes in templo Dei. Lectio nempe ista nulla nostra dispositione recitata est, sed casu, quæ præsentibus bene aptatur temporibus. Semper ergo Christi laudes verbera perfidorum sunt. Et nunc cum laudatur Christus, dicunt hæretici quia seditio commouetur, dicunt hæretici quia his mors paratur: & verè mortem habent in laudibus Christi. Quomodo enim laudes eius ferre possunt, cuius infirmitatem prædicant? Itaque & hodie cum laudatur Christus, Arrianorum amentia verberatur. Geraseni præsentiam Christi ferre non poterant, isti peiores Gerasenis nec laudationem Christi sustinere possunt: Vident pueros Christi gloriam concinentes, quia scriptum est: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Irrident istam etatulam fidei plenam, cum dicunt: Ecce quid clamant? Sed respondit iis Christus: Si hi tacerint, lapides clamabunt, hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, clamabunt & senes, isti lapides ad illū iam solidati, lapidem de quo scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. His igitur laudationibus inuitatus templum suum Christus ingreditur, & flagellum præhendit, & eiecit de templo nummularios. Non patitur enim in suo templo pecuniæ esse vernaculos, non patitur in suo templo esse eos qui vendant cathedras. Quid sunt cathedre, nisi honores? Quid sunt columbe nisi simplices mentes vel animæ fidem candidam & puram sequentes? Ego ergo inducam in templū quem Christus excludit? Iubetur enim exire qui dignitates vendit & honores. Iubetur enim exire qui vendere vult simplices mentes fidelium. Ergo Auxentius eiecit, Mercurius excluditur. Vnū portentum est, & duo nomina. Tenim ne cognosceretur quis esset, mutauit sibi vocabulum: ut quia hic fuerat Auxentius episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, vocaret Mercurinum. Mutauit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutauit. Exiit lupum, & induit lupum. Nihil prodest quod mutauit nomē, quid sit agnoscitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur: nomina pro regionibus habet. Habet ergo iam duo nomina: & si hinc aliò perrexit, habebit & tertium. Quomodo enim patietur ut maneat ei vocabulum ad tanti sceleris iudiciū? Minora fecit in Scythia, & ita erubuit ut mutaret vocabulum: sceleratiora hic ausus est, &

1. Petr. 5.

Iob 1. 2.

Ephes. 6.

Luca 19.

Matth. 11.

Philip.

Matth. 10.

Matth. 21.

Matth. 14.

4. Reg. 6.

Matth. 11.

Matth. 11.

Matth. 49.

Matth. 21.

Luca 19.

Psalm. 8.

Luca 19.

Psalm. 117.

volet, quocumque perrexerit, nomine suo prodi tātorum populorum sanguinem? Manu sua scribet, & poterit cōsistere animo? Paucos excludebat Dominus Iesus de tēplo suo, Auxētius nullū reliquit. De tēplo suo Iesus flagello eiicit, Auxētius gladio. Iesus flagello, Mercurius securi. Pius Dominus flagello exturbat sacrilegos, nequam persequitur pios ferro. De quo bene dixistis hodie: Leges suas secum ferat. Feret etiam si nolit, feret conscientiam suam. Et si non fert chartulam, feret sanguine inscriptam animam suam, etsi atramento inscriptam epistolam nō feret. Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & vngue adamantino, & scripta in pectore tuo, hoc est ibi scripta vnde processit. Is mihi etiam audet mentionem facere retractandi, plenus sanguinis, plenus cruoris? Qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans quod lex fidē possit hominibus imperare. Nō audiuit, & id quod hodie dictum est: Quoniam non iustificatur homo ex operibus legis? Aut, Per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam: id est, per legem spirituales interpretatione legis est mortuus corporali. Et nos per legem Domini nostri Iesu Christi moriamur huic legi, quę sancit decreta perfidię. Non lex ecclesiam congregauit, sed fides Christi. Lex enim non est ex fide, iustus autem ex fide uiuit. Iustum ergo fides non lex facit, quia non est per legem iustitia, sed per fidem Christi. Qui autem fidem repudiat, & legis iura prescribit, ipse se testatur iniustum, quia iustus ex fide uiuit. Hanc ergo legem quisquam sequatur qua firmatur Ariminense conciliū, in qua creatura dictus est Christus: Sed aiunt: Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Ergo factum legunt, hoc est creatum. Nōne hoc ipsum considerant quod proposuerunt, quia factus dicitur Christus, sed ex muliere, hoc est, secundum partum virginis factus est, qui secundum diuinam generationē ex patre natus est? Legerunt & hodie quia Christus nos redemit de maledictō legis, factus pro nobis maledictum. Nunquid maledictum Christus secundum diuinitatem est? Sed quare maledictum dicitur, Apostolus te docet, dicens, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Hoc est, qui in carne sua nostram carnem, in suo corpore nostras infirmitates & nostra maledicta suscepit, vt crucifigeret. Non enim ille maledictus, sed in te maledictus. Denique habet alibi: Qui peccatum non cognouit, sed pro nobis peccatum factus est: quia nostra peccata suscepit, vt sacramento suę passionis aboleret. Hęc ego fratres, coram ipso apud vos plenius disputarem, sed certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen, & gentiles quosdam quatuor aut quinque ferme homines eligit cognitores sibi, si tamen aliquos eligit, quos vellem adesse in cōtū omnium, non vt de Christo iudicent, sed vt maiestatem audiant Christi. Tamen illi iam de Auxentio pronunciauerunt, cui tractanti quotidie non crediderunt. Quę maior eius condemnatio, quā quod sine aduersario apud iudices suos victus est? Ergo & ipsorum sententiam contra Auxentium iam tenemus: & quod gentes elegit, iure damnandus est, quia Apostoli pręcepta dimisit, cum A-

postolus dicat: Audet aliquis vestrum aduersus alterum habens negocium, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Aut nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et infra ait: Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratres, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Vides quia quod ille obtulit, contra auctoritatem Apostoli sit? Vos eligite vtrum Auxentium, an Paulum sequi debeamus magistrū. Sed quid dicam de Apostolo, cum ipse Dominus clamet per Prophetam: Audite me populus meus qui scitis iudicium, quorum in corde lex mea est. Deus dicit, Audite me populus meus, qui scitis iudicium: Auxentius dicit, Nescitis iudicium. Videtis quia iam Deum contemnit in vobis, qui sententiam cęlestis refutat oraculi. Audite me, inquit, populus meus, dicit Dominus. Non dicit audite gentes, non dicit audite Iudęi. Iam enim [non] populus Dei qui fuerat, populus erroris est factus. Et qui populus erat, populus Dei esse cępit, quia in Christum credit. Iste ergo populus iudicat, cuius in corde lex diuina est, non humana, lex non atramento scripta, sed spiritu Dei viui non in charta exarata, sed in corde signata: lex gratię, non cruoris. Quis igitur vobis iniuriam facit, qui recusat vestram, an qui eligit audientiam? Conclusus vndique ad veritatem patrum suorum confugit, de imperatore vult inuidiam cōmouere, dicens iudicare debere adolescentem catholicum sacramentum sacrę lectionis ignarum, & in confistorio iudicare. Quasi verō superiore anno quando ad palatium sum petitus, cum pręsentibus primatibus ante confistorium tractaretur, cum imperator basilicam vellet eripere, ego tunc aulae contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim sacerdotis, aut imminuto iure discesserim. Nōne meminerunt quod vbi me cognouit populus palatium petisse, ita irruit, vt vim eius ferre non possent, quando comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt omnes se neci pro fide Christi? Non tunc rogatus sum vt populum multo sermone mulcerem? Sponderem fidem quod basilicam ecclesię nullus inuaderet? Et cum pro beneficio meum sit officium postulatum, tamen quod populus ad palatium venisset, mihi inuidia commota est. In hanc igitur inuidiam merere desiderant: reuocauit populum, & tamen inuidiam non euasi: quam quidem inuidiam ego temperandam arbitror, non timendam. Quid enim timeamus pro Christi nomine? nisi fortē illud mouere me debet quod aiunt, Ergo non debet imperator vnā basilicam accipere ad quam procedat: & plus vult Ambrosius posse quā imperator, vt imperatori prouidendi facultatem neget? Quod cum dicit, apprehendere sermones nostros gestiunt, sicut Iudęi qui Christum versuto sermone tentabant, dicentes: Magister, licet tributum dare Cęsari, aut non? Sempērne de Cęsare seruulis Dei inuidia commouetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impictas, vt imperiale nomen obtendat? Et isti possunt dicere quod eorum non habeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium? Et tamen videte quanto peiores Arriani sunt quā Iudęi. Illi querebant vtrū soluendum putarent Cęsari ius tributū, isti imperatori

Ioh. 2.

Hiere. 17.

Gala. 2. Ibidem.

Rom. 1. Ibidem.

Gala. 4.

Ibidem 3.

Ibidem Deut. 21.

2. Cor. 5.

Matth. 22.

Esaia.

Genes. 1.

Hebr. 1. Ioh. 14. Ibidem 10. Ibidem 16.

Ibidem.

Matth. 19.

Philip. 2.

Roman. 5.

Matth. 22.

tori volunt dare ius ecclesię. Sed vt perfidi suum sequuntur authorem, ita & nos quę nos Dominus & author noster docuit, respondeamus. Considerans enim Iesus dolum Iudęorum dixit ad eos: Quid mententis? ostēdite mihi denarium. Et cum dedissent, dixit: Cuius imaginem habet & inscriptionē? Respondentes dixerunt: Cęsaris. Et ait illis Iesus: Reddite quę sunt Cęsaris, Cęsari: & quę sunt Dei, Deo. Ergo & ego dico illis qui mihi obiciunt: Ostendite mihi denarium. Iesus Cęsaris denarium vidit, & ait: Reddite Cęsari quę Cęsaris sunt, & quę Dei sunt, Deo. Nunquid de ecclesię basilicis occupādis possunt denarium offerre Cęsari? Sed in ecclesia vnā imaginem noui, hoc est, imaginem Dei inuisibilis, de qua dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginē & similitudinem nostram. Illam imaginem de qua scriptum est: Quia Christus splendor glorię, & imago substantię eius. In ista imagine patrem cerno, sicut dixit ipse Dominus Iesus: Qui me videt, videt & patrem. Non enim hęc imago a patre est separata, quę vnitate me docuit trinitatis, dicens: Ego & pater vnū sumus. Et infra: Omnia quęcunque habet pater, mea sunt. Et de Spiritu sancto, dicens: quia spiritus Christi sit, & de Christo accepit, sicut scriptum est: Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Quid igitur non humiliter responsum a nobis est? Si tributum petit, non negamus. Agri ecclesię soluunt tributum. Si agros desiderat imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrū interuenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris inuidiam, tollant eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego. Aurum quęrunt, possum dicere: Argentum & aurum non quęro. Sed inuidiam faciunt, quia aurum erogatur, nec ego hanc inuidiam perhorresco. Habeo ararios. Ararij mei pauperes Christi sunt. Hunc noui congregare thesaurum. Vtinam hoc mihi semper crimen adscribant, quia aurū pauperibus erogatur. Quod si obiciunt quod defensionem ab iis requirant, non nego, sed etiam ambio: habeo defensionē, sed in orationibus pauperum. Cęci illi, & claudi, debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. Denique munera pauperum Deum obligant, quia scriptū est: Qui largitur pauperi, Deo facerit. Pręfida bellatorum diuinam sapē gratiam non meretur. Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populū ferunt. Planē nec hoc abnuo. Grāde carmen istud est, quo nihil potentius. Quid enim potentius quā confessio trinitatis, quę quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidē fateri, Patrem, & Filiū, & Spiritum sanctū norunt versibus prędicare. Facti sunt igitur omnes magistri, qui vix poterant esse discipuli. Quid igitur obaudientius potest esse, quā vt Christi sequamur exemplum, qui specie inuentus vt homo, humiliavit semetipsum factus obediens vsque ad mortem? Denique omnes per obediētiam liberauit. Sicut enim per inobediētiam vnus hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per vnus obediētiam iusti constituentur multi. Si ergo ille obediens, accipiant obediētiam magisterium, cui nos inbaremus, dicētes iis qui nobis de Imperatore inuidiam faciunt: Soluimus quę sunt Cęsaris Cęsari,

& quę sunt Dei Deo. Tributum Cęsaris est, nō negatur. Ecclesia Dei est, Cęsari vtique non debet addici, quia ius Cęsaris esse non potest Dei templum. Quod cum honorificentia Imperatori nemo dictū potest negare. Quid enim honorificentius quā vt Imperator ecclesię filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra ecclesiam, non supra ecclesiam est. Bonus enim Imperator quęrit auxiliū ecclesię, non refutat. Hęc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladiū, deportationem minantur. Didicimus Christi seruuli non timere: non timentibus nunquam est grauis terror. Denique scriptum est: Sagittę infantium factę sunt plagę eorum. Satis igitur propositis respōsum videtur. Nunc illos interrogo quod Saluator interrogauit: Baptismum Ioannis de cęlo est, an ex hominibus? Et non potuerunt respondere ei Iudęi. Si baptismum Ioannis non soluerunt Iudęi, Auxētius soluit baptismum Christi? Non enim istud ex hominibus est baptismum, sed de cęlo, quod detulit nobis consilij magni Angelus, vt iustificemur Deo. Cur igitur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat baptizatos in nomine Trinitatis, cū Apostolus dicat: Vna fides, vnū baptismus? Et se hominum dicit aduersarium esse, non Christi, cū consilium Dei spernat, & condemnet baptismum, & quod Christus nobis ad redimenda nostra peccata donauit.

Diui Ambrosij ad Marcellinam sororem suam, referentis illi quid in causa de basilicis tradendis actum sit, & in quo statu res ipsa nunc consistat.

Epistola xxxiii.

Quoniam omnibus epistolis ferē sollicitē quęris de ecclesia, accipe quid agatur. Postridie quā accepisti literas tuas quibus significaueras quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum grauiū cępit moueri. Nec iam portiana, hoc est, extramurana basilica petebatur, sed basilica noua, hoc est intramurana, quę maior est. Conuenerunt me primō principes virtutum, viri comites confistoriani, vt & basilicam traderem, & procurarem ne quid populus turbatum moueret. Respondi quod erat ordinis templum Dei tradi a sacerdote nō posse. Acclamatum est sequenti die in ecclesia, etiam pręfectus eō venit, cępit suadere vt basilica portiana cedremus. Populus reclamauit. Ita nunc discessum est, vt intimaturū se Imperatori diceret. Sequenti die, erat autē dominica, post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisterijs tradebam basilicę. Illic nūciatum est mihi comperto quod ad portianam basilicam de palatio decanos misissent, & vela suspēderent, populi partem eō pergere. Ego tamen mansi in munere, missam facere cępi. Dum offero, raptū cognoui a populo Castulum quendam quem presbyterum dicerent Arriani. Hūc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissimē flere, & orare in ipsa oblatione Deum cępi, vt subueniret, nec huius sanguis in causa ecclesię fieret, certē vt meus sanguis

Psalmo. 63.

Luca. 20.

Ephes. 4.

pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa? Missis presbyteris & diaconibus eripui iniuram virum. Condemnationes illicò grauius decernuntur, primò in corpus omne mercatorum. Itaque sanctis diebus hebdomadis vltimæ, quibus solebant debitorum laxari vincula, stridunt catenæ, imponuntur collo innocentium, exiguntur ducenta pondo auri intra totum triduum. Respondent aliqui se tantum aut duplū si peterentur duros, dummodò seruarent fidem. Erant pleni carceres negotiatoribus. Palatina omnia officia, hoc est, memoriales, agentes in rebus, apparitores diuersorum comitum temperare à processu iubentur specie qua seditioni interesse prohibebatur, honoratis multa minabantur grauius nisi basilicam traderent. Feruebat persecutio, ac si aperuissent portam prorupturi in omne facinus videbantur. Conuenior ipse à comitibus & tribunis, vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorē iure suo vti, eò quòd in potestate eius essent omnia. Respōdi, si à me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum me non refragaturum, quāquam omnia quæ mea sunt, essent pauperum. Verum ea quæ diuina, imperatoris potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: si corpus, occurrā. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo cum armatos ad basilicam ecclesie occupandam missos cognoscerem, ne dum basilicam vindicāt, aliqua strages fieret quæ in perniciem totius vergeret ciuitatis. Orabā ne tantæ vrbs vel totius Italiae busto superuierem. Detestabar inuidiam fundendi cruoris, offerebam iugulum meum. Aderant Gothi tribuni, adorabar eos dicens: Propterea vos possessio Romana suscepit, vt perturbationis publicæ vos præbeatis ministros? Quò transibitis si hæc deleta fuerint? Exigebatur à me vt compescerem populum. Referebam in meo iure esse vt non excitarem, in Dei manu mitigaret. Postremò si me incentorem putarent, iam in me vindicari oportere, vel abduci me in quas vellent terrarum solitudines. His dictis illi abierunt, ego in basilica veteri totum exegi diem, inde domum cubitum me recepi, vt si quis abducere vellet, inueniret paratum. Ante lucem vbi pedē limine extuli, circumfuso milite occupatur basilica. Idque à militibus Imperatori mandatum dicitur, vt si prodire vellet, haberet copiam, se tamen præsto futuros, si viderent eum cum Catholicis conuenire. Alioquin se ad eum cœtum quem Ambrosius cogeret, transituros. Prodire de Arrianis nullus audebat, quia nec quisquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi. Quibus vt olim plaustrum sedes erat, ita nunc plaustrum ecclesia est. Quocumque fœmina ista processerit, secū suos omnes cœtus vehit. Circumfusam basilicam esse gemitu populi intellexi, sed dum leguntur lectiones, intimatur mihi plenam populi esse basilicam etiam nouam, maiorem videri plebem quàm omnes cum essent liberi, lectorē efflagitari. Quid plura? Milites ipsi qui videbatur occupasse basilicam, cognito quòd præ-

cepissem vt abstinerentur à communionis confortio, ad conuentum hunc nostrum venire cœperunt. Quibus visis turbantur mulierum animi, proripit se vna. Ipsi tamen milites se ad orationem venisse, non ad prælium loquebantur. Clamauit aliqua populus, quàm moderatè, quàm constanter, quàm fideliter poscebat vt ad illam pergeremus basilicam. In illa quoque basilica fertur quòd populus præsentiam flagitabat meam. Tunc ego hunc adorsus sermonem: Audistis filij librū legi Iob, qui solemni & munere est decursus, & tempore. Sciuit & vsu hunc librum etiam diabolus intinandum, quo virtus omnis suæ tentationis aperitur & proditur. Et ideò se hodie motu maiore concussit. Sed gratias Deo nostro, qui nos ita firmavit fide atque patientia. Vnū Iob miraturus ascenderam, omnes Iob quos mirarer inueni. In singulis vobis Iob reuixit, in singulis sancti illius patientia & virtus refulsit. Quid enim præsentius dici potuit à Christianis viris, quàm id quod hodie in vobis Spiritus sanctus est locutus? Rogamus Auguste, non pugnamus: non timemus, sed rogamus. Hoc Christianos decet, vt & tranquillitas pacis optetur & fidei, veritatisque constantia, nec mortis reuocetur periculo. Est enim præsul Dominus, qui saluos faciet sperantes in se. Sed veniamus ad propositas lectiones. Videtis diabolo tentandi licentiam dari, vt boni probentur. Inuidet inimicus bonis profectibus, tentat diuersis modis. Tentauit sanctum Iob in patrimonio, tentauit in filiis, tentauit in dolore corporis. Fortior in suo corpore tentatur, infirmior in alieno. Et mihi meas diuitias quas in vobis habeo, volebat auferre, & hoc tranquillitatis vestræ patrimonium dissipare cupiebat. Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium. Vos ruinis quibusdā publicæ perturbationis conabatur inuoluere. Duo igitur iam genera tentationis excepi. Et fortasse quia infirmiorē me Dominus Deus nouit, adhuc in corpus meum non dedit potestatem. Et si ipse cupiā, & si offeram, adhuc me fortasse huic certamini imparem iudicat, & diuersis exercet laboribus. Nec Iob ab isto cœpit certamine, sed in hoc consummauit. Tentatus est autem Iob nunciis coaceruatis malorum, tentatus est etiam per mulierem, quæ ait: Dic aliquod verbum in Deum, & morere. Videtis quanta subito moueatur, Gothi, arma, gentiles, mulla mercatorum, pœna sanctorum. Aduertitis quid iubeatur cum mādatur: Trade basilicam, hoc est, dic aliquod verbum in Deum, & morere. Nec solum dic aduersum Deum, sed etiam fac aduersum Deū. Mandatur, Trade altaria Dei. Vrgemur igitur præceptis regalibus, sed confirmamur scripturæ sermonibus, quæ respondit: Tanquam vna ex insipientibus locuta est. Non mediocris igitur ista tentatio: namque asperiores tētationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres. Denique per Euam etiam Adam supplantatus est: eoque factum est vt à mandatis cœlestibus deuiaret. Quo errore cognito, præuaricatricis cōscientiæ reus latere cupiebat, sed latere nō poterat, & ideò ait ei Deus: Adam, vbi es? Hoc est, quis eras ante? vbi nunc esse cœpisti? vbi te constitueram? quòd ipse trāsgressus es? Agnoscis esse te nudū, quia bona indumenta fidei perdidisti. Folia sunt

Reg. 19. Math. 24. Psal. 16. Ibidem 22. Ibidem 78. Ibidem 75. Ibidem 29.

sunt ista quibus nunc velare te quæris. Repudiasti fructū, sub foliis legis latere cupis, sed proderis. Recedere à Domino Deo tuo propter vnam mulierem desiderasti, propterea fugis quem videre quærebas. Cum vna muliere te abscondere maluisti, relinqueres speculum mundi, incolatū paradisi, gratiam Christi. Quid dicam quòd etiam Heliam Iezabel cruenta perlecuta est? quòd Ioānem Baptistam Herodias fecit occidi? Singulæ tamen singulos. Mihi quòd minor longè merita, eò tentamenta grauiora. Virtus infirmior, sed plus periculi. Succedunt sibi mulierū vices, alternantur odia, commenta variantur, seniores conueniuntur, præteritur regis iniuria. Quæ ratio igitur est aduersus hunc vermiculum moliri grauiore tentationes, nisi quia non me, sed ecclesiam persequuntur? Mandatur denique: Trade basilicam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Domum priuatū nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauari Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus: scriptum est, Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesie. Publicorum tibi incenium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse, Debeo & ego vnam basilicam habere. Respōdi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Dum hæc tracto, suggestum est mihi cortinas regias esse collectas: refertam autem populo basilicam præsentiam mei poscere: statimque eo conuerti sermonem meū dicens: Quàm alta & profunda oracula sunt Spiritus sancti. Matutinis horis lectū est, vt meministis fratres, quod summo animi dolore respōdemus: Deus, venerunt gētes in hæreditatem tuam. Et reuera venerunt gentes, & plus etiā quàm gentes venerunt. Venerunt enim Gothi, & diuersarum nationum viri, venerunt cum armis, & circumfusi occupauerunt basilicam. Hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, sed nostra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes, sed verè in hæreditatem tuam venerūt. Qui enim gentes venerunt, facti sunt Christiani. Qui ad inuadendam hæreditatem venerunt, facti sunt cohæredes Dei. Defensores habeo quos hostes putabam: socios tenco, quos aduersarios existimabā. Cōpletū est illud quod de domino Iesu dauid propheta cecinit: Quia factus est in pace locus eius, & confregit cornua arcuum, scutum, & gladium, & bellum. Cuius enim hoc munus, cuius opus, nisi tuum domine Iesu? Videbas ad templum tuum armatos venire, hinc gemere populum, & frequentem adesse, ne basilica dei traderetur: inde vim militibus imperatori: mortem ante oculos mihi: ne quid inter hæc furori liceret, inseruisti te domine medium, & fecisti vtraque vnum. Compescuisti armatos dicens profecto: Si ad arma concurratur, si in templo meo lis commouetur, quæ utilitas in sanguine meo? Gratias itaque tibi Christe: non legatus, neque nūcius sed tu domine saluum fecisti populum tuum, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitiā.

Hæc ego dicebam ratus imperatoris animum studio militum, obsecratione comitum, precatu populi posse mitescere. Interea nunciatur mihi missum notarium qui mandata deferret. Concessi paululum, mandatūque intimat. Quid tibi visum est, inquit, vt contra placitum faceres? Respondi: Quid placitum sit ignoro, quidve temerè factum dicatur, incertum habeo. Ait: Cur presbiteros ad basilicam destinasti? Si tyrannus es, scire volo, vt sciam quæ admodum me aduersum te præparem. Retuli dicens me nihil in præiudicium fecisse ecclesie: eo tempore quo audieram occupatam esse à militibus basilicam, gemitum tantummodò liberiores habuisse: multisque adhortantibus vt eò pergerem, dixisse, Tradere basilicam non possum, sed pugnare nō debeo. Postea verò quàm cognouerim cortinas regias inde esse sublatas, cum me populus eò ire deposceret, direxisse presbyteros, me tamen noluisse ire, sed dixisse, Credo in Christo quod ipse nobiscū faciet Imperator. Si hæc tyrannis videtur, habeo arma, sed in Christi nomine, habeo offerēdi mei corporis potestatem. Quid moraretur ferire si tyrannū putaret? Veteri iure à sacerdotibus donata imperia, nō usurpata: Et vulgò dici quòd Imperatores sacerdotium magis optauerint, quàm imperiū sacerdotes. Christus fugit, ne rex fieret. Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis sacerdotis, infirmitas est. Cum infirmior, inquit, tunc potens sum. Cauere tamen ne ipse sibi tyrannum faceret, cui Deus aduersarium nō excitauit. Non hoc maximum dicere, quòd tyrannus ego sim Valentiniani, qui se meæ legationis obiectu queritur ad Italiam non potuisse transire. Ad didi quia nunquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpè sunt passi. Exactus est totus ille dies in mœrore nostro, scissæ tamen ab illudētibus pueris cortinæ regie. Ego domū redire non potui, quia circumfusi erant milites, qui basilicam custodiebāt. Cum fratribus psalmos in ecclesie basilica minore diximus. Sequenti die lectus est de more liber Ionæ, quo completo hunc sermonem adorsus sum. Liber lectus est fratres, quo prophetatur quòd peccatores in pœnitentiam reuertantur. Acceptū est ita vt speraretur in præsentem futurum. Addidi quòd vir iustus etiā offensam contrahere voluisset, ne vel spectaret, vel denunciaret excidiū ciuitati. Et quod ludobres esset illud dictum. Cōristatus quoque sit quod aruisset cucurbita. Deum quoque dixisse ad Prophetam: Si tristis es pro cucurbita? Respondisse Ionā: tristis. Dixisse Dominum, si illud doleret quòd exusta esset cucurbita, quantò magis sibi curæ esse oportere tantæ plebis salutem? Et ideò excidium quod paratum toti vrbi fuerat remouisse. Nec mora, nūciatur Imperatorem iussisse vt recederent milites de basilica, negotiatoribus quoque quòd exacti de condemnatione fuerant redderetur. Quæ tunc plebis totius lætitia fuit? qui totius populi plausus? quæ gratia? Erat autem dies quo sese Dominus pro nobis tradidit, quo in ecclesia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites, irruentes in altaria oculis significare pacis insigne. Tunc agnouit quòd Deus vermē antelucanū percusserat, vt tota ciuitas serueretur. Hæc gesta sunt, atque vtinam iam finita, sed grauiore motus futuros plena commotionis im-

Ioan. 6. 2. Cor. 12. Ioan. 4.

rialia verba indicant. Ego tyrannus appellor, & plus quam tyrannus. Nam cum Imperatorem comites obsecrarent ut prodiret ad ecclesiam, idque petitu militum facere se dicerent, respondit: Si vobis iusserit Ambrosius, vincitum me tradetis. Quid post hanc vocem superfit, considera. Quam vocem omnes cohorrerunt, sed habet à quibus exasperetur. Denique etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi ut impleas quod minaris. Ego enim patiar quod episcopi, tu facies quod spadones. At utinam Dominus auertat eos ab ecclesia, & in me omnia sua tela conuertant, meo sanguine sitim suam expleant.

Diui Ambrosij ad Theodosium Imperatorem, decessum Valentiniani Augusti vehementer se dolere, aptissimumque pro sepultura eius locum præparatum esse insinuantis.

Epistola XXXIII.

Ambrosius Theodosio Imperatori. Silentium meum rupit sermo clementiæ tuæ. Nihil enim in tam tristibus rebus melius facere in animum induxeram, quam si fieri posset meipsum abdere. Sed quia in secessu aliquo delitescere, & sacerdotio exire non poteram, vel silentio intra me latebam. Doleo enim fateor dolore acerbo, non solum quod immatura ætate Valentinianus Augustus decesserit, sed etiam quod informatus fide, ac tuis institutis tantam deuotionem erga Deum nostrum induerat, atque tanto in me incubuerat affectu, ut quem ante persequeretur, nunc diligeret: quem antequam aduersarium repellebat, nunc ut parentem putaret. Quod ego non pro recordatione iniuriæ veteris exprompsi, sed pro testimonio conuersionis. Illud enim alienum, hoc suum, quod à te infusum sibi ita tenuit, ut matris persuasionem excluderet. Ille se à me nutritum præferrebat, ille ut sedulum patrem desiderabat. Ille simulato à quibusdam aduentus mei nuncio, impatienter prætolabatur. Quin etiam illis ipsis publici doloris diebus cum sanctos & summos sacerdotes Domini intra Gallias haberet, ut à me tamen sacramentis baptismatis initiaretur, scribendum arbitratus est. Quod etiam si non rationabiliter, amabiliter tamen erga me suum studium testificatus est. Hunc ergo non intimo anhelem spiritu, secretisque mentis atque animi visceribus amplectar? Hunc mihi mortuum putem? imò mihi magis viuum. Quas ego Domino deferebam gratias, quod ita in me conuersus esset, quod inemendatus, quasi senioris cuiusdam ætatis mores induisset: quas clementiæ tuæ quod eum non solum regno reddidisses, sed etiam quod est amplius, instituisse fidei & pietatis tuæ disciplinis: Hunc ergo non doleam æui integrum, an-

tequam sacramentorum quæ desiderauit adipisceretur gratiam, repentina obisse morte? Refrigerasti animum quod etiam ipse dignatus es ferre testimonium dolori. Te Imperator arbitrum teneo affectus mei, te meæ mentis interpretem: sed flendi tempora aliàs non deerunt. Nunc de sepultura eius, quoniam scripsit clementia tua ita hic procurandum. Sed exors recessit baptismatis: quid cognouerim, non repressi. Est hic porphyreticū labrum pulcherrimum, & in vsu huiusmodi aptissimum. Nam & Maximianus Diocletiani socius ita humatus est. Sunt tabule porphyreticæ preciosissimæ, quibus vestiebatur operculum quo regales exuuiæ claudantur. Hoc fuerat præparatum, sed expectabatur rescriptum clementiæ tuæ, cuius perceptione recreatæ sunt sanctæ filiæ tuæ, filij tui Valentiniani sorores, quæ se grauibus afficiunt modis, & amplius exagitabantur quod diu nihil scriberetur sibi. Vnde iis non parum accessit solatij, sed dum inhumatæ sunt reliquiæ, nequaquam sibi parcunt. Videntur enim sibi germani sui quotidianum funus tenere. Et reuera cum sine fletu magno ac sine dolore graui nunquam sint, tamen quotiescunque eò accedunt, exanguis reuertuntur. Et ipsis igitur consulatur, & charissimis exuuiis, si acceleretur sepultura, ne æstiuo penitus soluantur calore. Vix enim superiorem ætatem transegimus. Mandatum tuum seruo, & commendo Domino. Diligat te Dominus, quia tu Domini seruos diligis.

Diui Ambrosij ad Eusebium episcopum, Apparitori præfecturæ offensam quam contraxerat esse remissam, Faustinumque paruulum tussi laborantem, ad sororem venisse referentis.

Epistola XXXV.

Ambrosius Eusebio episcopo. Apparitor præfecturæ qui propter operas portuenses offensam contraxerat, iam in portu nauigat, opportunè autem aduenit. Nam simul ut accepi literas tuas, vidi præfectum, rogavi pro eo, ignouit illicò, iussi retrahi epistolam quam de facultatibus eius publicandis dictauerat. Quod si tardius venisset, nemo magis probasset inexplicabile illud opus esse portus reformandi, quam iste qui illic naufragium fecerat, nisi te habuisset gubernatorem, ut aliter non posset inde nisi nudus exire. Faustinus paruulus tussi laborat, ad sanctam sororem curatū venit, & venit spontè. Expertus enim est melius sibi ventrem curari. Denique & me medicum putat, expectat prandium. Itaque hinc bis ad diem curatur, & cœperat pulchre valere, sed dum eum nimio amore abstinere gestiuit, tussire de ventre plus cœpit, & laborabit adhuc, nisi ad medicamenta sua reuertatur. Vale, & nos diligite, quia nos te diligimus.

F I N I S.

Capita

Capita Epistolarum Libri sexti.

Ambrosius Sabino episcopo, eos qui indignum duxerint, quod Paulinus venditis facultatibus, & seculo relicto, secretum quoddam elegerit, confutans & comprobans, quod non ignominiosum ac turpe, sed gloriosum sit, opprobriosum, vilem & nudum fieri pro Christo. Quid etiam denudatio ipsius David figurauerit, exponens.

Epistola XXXVI.

Ambrosius Chromatio, ex illo quod in libro Numerorum à Balaam dictum esse legitur: Quia non mentitur Deus, nec est augurator in Israel: discutiens unde habuerit iste qui augur erat, ut oraculum Dei loqueretur, & futura manifestaret.

Epist. XXXVII.

Ambrosius Horontiano, rationem huic questionem reddens, cur prius omnia vel volatilia, vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, producta fuerint, quam homo propter quem cuncta illa creata sunt, formaretur.

Epistola XXXVIII.

Ambrosius Horontiano, de diuisione Prophetica quæ operatorem atque opera distinxit, ratione quoque sex dierum quibus factus est mundus, & mysterio septimi atque octauæ numeri subtiliter differens.

Epist. XXXIX.

Ambrosius Sabino, libellos illi mittens, atque rogans ut scrutanter discutiatur, et quæ corrigenda decreuerit, arbitrij sui iudicio corrigat.

Epist. XL.

Ambrosius Sabino, ex eo quod illi complacuit vsus epistolarum, spondens se frequentius eum scriptis suis, præsertim cum solus sit, velle alloqui, solitudinemque plurimum commendans atque suadens.

Epistol. XLI.

Ambrosius Sabino, de paradiso quid alij senserint referens, & quæ sua de mystico paradiso sit sententia, pulchra expositione declarans.

Epist. XLII.

Ambrosius Sisynnio, pietatem illius commendans quod filio ignouerit, qui eo inconsulto uxorem acceperat.

Epist. XLIII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI

MEDIOLANENSIS, EPISTOLARVM

LIBER SEXTVS.

Diui Ambrosij ad Sabinum episcopum, eos qui indignum duxerint quod Paulinus venditis facultatibus, & seculo relicto, secretum quoddam elegerit, confutantis & comprobantis quod non ignominiosum aut turpe, sed gloriosum sit, opprobriosum, vilem & nudum fieri pro Christo. Quid etiã denudatio ipsius David figurauerit, exponentis.

Epistola XXXVI.

AM BROSIVS Sabino episcopo. Paulinum splendore generis in partibus Aquitanie nulli secundum, venditis facultatibus tam suis quam etiam coniugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conserat quæ rededit in pecuniam, & ipse pauper ex diuite factus, tanquam deconeratus graui sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quod impensius Deo seruiat. Elegisse secretum affirmatur Nolanæ vrbs, vbi tumultum fugitans, æuum exigit. Matriona quoque virtuti & studio eius proximè accedit, neque à proposito viri discrepat. Denique transcriptis in aliorum iura suis prædiis, virum sequitur, & exiguo illic coniugis contenta cespitate solabitur se religionis & cha-

ritatis diuitiis. Soboles eis nulla, & ideò meritorum posteritas desiderata. Hæc vbi audierint proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa profapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse à senatu, interceptam familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse? Et cum ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isis suscipiunt sacra, si fortè christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant. Equidè doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in veritate negligentiam ut confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam religionem videri, non considerantes vocem dicentis: Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Sed non confusus est Moyses, qui cum esset adscitus in domum regiam, thesauris Egypti opprobrium Christi præferendū putauit. Non confusus est David, qui ante arcam testimonij coram omni populo saltauit. Non confusus est Esaias, qui nudus & discalciatus ibat per populos oracula clamans cœlestia. Quid utique tam deformis visibili spectaculo quam histrionicos sinuare gestus, & foemineo vsu mollire membra? Deliciarū

XX ij

Psal. 46.

Ezech. 21.

2. Reg. 6.

Matth. 11.

Eccles. 4.

Matth. 5.

Psal. 109.

Esaia 20.

comes & luxuriæ ludibriū est lasciuia saltatio. Quid illud quod ipse cecinit, dicens: Omnes gentes plaudite manibus? Nempe si corporalia consideremus, tanquam muliebribus intermixtum choreis putamus eum concrepare manibus, & turpi sono plaudere. Nam & de Ezechiele dictum est: Plaudite manu, & percutite pedes. Sed hæc quæ corporeo aspectu fiunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione reuerenda sunt, ut qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos reprehensionis animas suas induant. Denique reprehendit Michol saltatorem Dauid, & ait ad eum: Quid honorificatus est hodie rex Israël, quia denudatus est hodie ante oculos puellarum suarum? Et respondit ei Dauid: Coram Domino ludam qui elegit me pro patre tuo, & pro vniuersa domo eius, ut constitueret me regem super populum suum Israël. Et ludam coram Domino, & denudabor adhuc sic, & ero nugax ante oculos tuos, & cum puellis quibus dixisti me denudatum, honorificabor. Nō erubuit igitur Dauid scemineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio verecūdatus est. Ludebat enim Domino puer suus, & ideō amplius placuit: quia ita se humiliavit Deo, ut regale posthaberet fastigium, & vltimum exhiberet Deo quasi seruulus ministerium. Denique illa quæ saltationem huiusmodi reprehendit, sterilitatis damnata non dedit sobolem regiam, ne superbo crearet: & quod verum est, nullam est adepta posteritatis suæ meritorumque successione. Quod si quis adhuc dubitat, accipiat euangelicum testimonium. Dixit enim Dei filius: Cantauimus vobis, & non saltastis. Derelicti sunt itaque Iudæi qui nō saltauerunt, qui nescierūt manibus suis plaudere. Ascitæ sunt gentes quæ spiritualem Deo plausum dederunt. Stultus enim complexus est manus suas, & deuorauit viscera sua, id est, corporalibus se implicauit negotiis, & deuorauit viscera sua sicut mors præualens, & ideō non inueniet vitam æternam. Sapiens autem attollens opera sua, ut luceret coram patre suo qui in cælis est, nō assumpsit, sed eleuauit viscera sua vsque ad resurrectionis gratiam. Hæc gloriosa sapientis saltatio, quam saltauit Dauid, & ideō vsque ad sedem Christi sublimitate spiritualis saltationis ascendit, ut videret atque audiret dicentem Dominum Domino suo: Sede à dextris meis. Ergo si non absurdè cecidisse nobis hanc de saltatione interpretationem iudicas, non supersedeas adhuc lectionis laborem, ut etiam de Esaia tecum recenseas, quod bene tibi cognitū est, illum non ludibriosè, sed gloriosissimè denudatum esse in conspectu populorum occurrentium, utpote qui oracula Domini ore proprio resultabat. Sed fortè aliquis dicat: Non igitur erat turpe ut vir nudus omnino iret per populos, cū ei & virilis sexus & muliebris occurreret? Non ipsa species offendeat oculos omnium, & maximè mulierum? Nōne ipsi nos inspicere nudos plerumque reueremur? Denique idcirco indumentis operiuntur genitalia hominum, ne deformi visu obtutū aciemque perstringant oculorum intuentium. Acquiesco & ego, sed considera quæ figura sit facti huius, quidve prætendat species huiusmodi. Eō quod ita nudi ambulabunt pueri Iudæorum, & virgines in captiuitatem deducti, sicut puer, inquit, meus Esaia va-

dit nudus & excalciatus. Potuit quidem hoc & sermone exprimere, sed exemplo acerbare maluit, ut species ipsa plus incuteret horroris, & quod in Prophetæ corpore auerfabantur, in se pertimescerent. In quo igitur horror grauior turpitudinis, in corpore Prophetæ, an in perfidorum peccato quod tantā meritis suis erumnā incidit captiuitatis? Quid si in prophetico corpore nihil opprobrii? Ille enim corporalibus non intendebat, sed spiritualibus. Namque in excessu mentis non dicit: Audiam quid loquar, sed quid loquatur in me Deus. Neque attendit vtrū nudus, an vestitus sit. Denique Adam ante peccatū nudus erat, sed nudum se nesciebat, quia erat indutus virtutibus. Postea quā verò peccatum commisit, nudum se esse vidit & texit. Noë nudatus erat, sed non erubescerebat, quia erat plenus iucunditatis, & spiritualis lætitiæ. Denique qui cum risit ut nudū, ipse mansit perpetuè obnoxius opprobrio turpitudinis. At verò Ioseph ne turpiter nudaretur, vestem reliquit, & nudus aufugit. Quis igitur turpis, illa quæ vestem alienam tenuit, an is qui suam exiit? Sed ut plenius liqueat quia non se, neque ea quæ iuxta pedes sunt: Prophetæ aspiciunt, sed cœlestia. Lapidabatur Stephanus, & videbat cælos apertos, & Iesum ad dexteram Dei stantem. Et ideō lapidū ictus non sentiebat corpori, non considerabat vulnera, sed oculis erat Christo affixus, illi adhærebat. Ergo & Esaia nudum se non conspiciebat, sed diuinæ vocis organum se præbebat, ut prouerret quod in eo loquebatur Deus. Sed esto ut se videret, poterat non facere quod iubebatur? Poterat turpe arbitrari quod imperabat Deus? Sara quia risit, incredulitatis coarguta est, Abraham laudatus, quia in verbo Dei non hæsitauit. Et donatus remuneratione maxima, quia iubente Deo piè posse fieri credidit etiam patricidium. Hic igitur quid verecundiæ esset Prophetæ ubi aliud gerebatur, & aliud figurabatur? Iudæi propter flagitia sua destituti à Domino Deo, cœperant vinci ab aduersariis suis, conferre se volebant ad Ægyptios, ut sibi essent præsidio aduersum Assyrios, qui redire magis ad fidem, si bonos consulerent, debuissent. Iratus Dominus significat vanam illos spem gerere, qui offensam Domini putarunt maiore peccato leuandam, cū illi ipsi vincendi forent, in quorum auxiliis populus Iudæorum consideret. Hoc secundum historiam. Figura autem illa, quia in Ægyptiis confidit qui luxuriis deditus est, mancipatus lasciuie. Nemo autem se luxui committit, nisi qui recedit à præceptis Dei veri. Vbi autem cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ ac libidini, pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitauerit atque immerferit huiusmodi volutabris, perfidiam laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare & bibere, & fieri sibi deos alienos poposcit. Vnde docet Dominus, quoniam qui duobus istis flagitiorum generibus dederit animam suam, exiit indumento non vestis lænæ, sed viuidæ virtutis, cuius amictus non temporalis, sed æternus est. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui

Diui Ambrosij ad Chromatium, ex illo quod in libro Numerorum à Balaam dictum esse legitur, Quia non mentitur Deus, nec est augur in Israel: discutientis vnde habuerit iste qui augur erat, ut oraculum Dei loqueretur, & futura manifestaret. Epistola XXXVII.

Ambrosius Chromatio. Nunquidnam mentitur Deus? Sed non mentitur, quia impossibile est mentiri Deum. Impossibile quoque istud, numquidnam infirmitatis est? Non utique. Nam quomodo omnia potest, si aliquid efficere non potest? Quid ergo ei impossibile? non quod virtuti arduum, sed quod naturæ eius contrarium. Impossibile, inquit, est ei mentiri. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis & maiestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus leuitatis errorem. Ideoque sit Deus verax, omnis autem homo mendax. Veritas itaque semper in eo est, fidelis manet, mutare se & negare non potest. Si enim verum se negat, mentitur: mentiri autem non virtutis sed infirmitatis est. Nec mutare se potest, quia natura eius non recipit infirmitatem. Hoc igitur impossibile eius, plenitudinis est, quæ minuere se & augere non potest, non infirmitatis, quæ in eo quod se auget, imbecilla est. Ex quo colligitur impossibile Dei potentissimum esse. Quid enim potentius quàm nescire quicquid infirmitatis est? Est tamen & aliud infirmum Dei, quod fortius est hominibus: & stultum Dei, quod sapientius est hominibus: sed hoc crucis, illud diuinitatis. Si ergo quod infirmum eius, potentia est: quod potentia, quomodo infirmum est? Sit igitur nobis positum, quia non mentitur Deus: sed nec augur augurij in Israël, secundum legem Dei. Quomodo ergo Balaam prohibitu se oraculo Dei dicit, ut vadat ad maledicendum populo Israël, & iuit, & occurrit ei Angelus Domini, qui eum prohiberet pergere, ita ut obfisteret asinæ eius quæ vehebat eum, & nihilominus & ipse dixit ei ut iret, sed hoc diceret quod sibi infunderetur? Si augurator nō est in Israël, vnde isti oraculum Dei quod futura manifestauit, qui augur erat? Si oraculū Dei loquebatur, vnde meritum diuinæ aspirationis assumpserat? Sed non mireris infusum auguri à Domino quod loqueretur, quando infusum legis Euāgelio etiam principi synagogæ vni ex persecutibus Christum: Quia oportet vnum hominem mori pro populo. In quo non prophetiæ meritum, sed assertio veritatis est, ut aduersariorum testimonio manifestaretur, quo perfidia non credentium, vocibus suorum augurum redargueretur. Ideo Balaam ille Chaldæus accitur ad fidem, ut Chaldæorum superstitione cōticesceret. Nō igitur confitentis meritum, sed vocantis oraculum est reuelante Dei gratia. Quid igitur cōtraxit offensionis, nisi quia aliud loquebatur, aliud machinabatur? Deus enim vas mundum requirit, non immunditia inquinatum & sordibus. Tentabatur igitur Balaam, non probabatur: erat enim plenus fallaciæ ac doli. Denique cū primò consuluisset, utrum ad illum vanitatis populum deberet pergere, & prohibitus esset, excusauit. Postea missis legatis honoratioribus, promissis vberioribus, muneribus cumulatioribus illectus, qui renunciare debuerat, iterum consulendum putauit, quasi Deus precio aut mun-

ribus inflecteretur. Responsum est quasi auaro, non quasi ei qui verum quæreret, ut illuderetur potius quàm informaretur. Cœpit ire, occurrit ei Angelus in angusto, demonstrauit se asinæ, non demonstrauit auguri. Illi se reuelauit, istum obtruiuit: tamen ut aliquando & ipse cognosceret, aperuit oculos eius: vidit, & adhuc tamen non crediti euidenti oraculo: & qui vel oculis credere debuisset, inuoluta & ambigua respondit. Tunc indignatus Dominus, per Angelum dixit: Vade, & quæcunque tibi inspiraerō, hæc dices, id est, non quæ vis, sed quæ cogis loqui. Quasi organū inane sonum meis præbebis sermonibus. Ego sum qui loquar, non tu: qui ea quæ audieris resultabis, & quæ non intelliges. Nihil proficies eundo qui sine mercede remeabis pecuniæ, & sine profectu gratiæ. Denique ea prima vox eius est: Quid maledicam cui non maledicit Deus? Ut ostenderet non in sua voluntate esse benedictionem Hebræi populi, sed in Dei gratia. A summis, inquit, montibus conspiciam eum, quoniam non oculis cōprehendere possum hunc populum qui habitabit solus fines suos, non locorum possessione determinans, sed virtutis incolatu, & morum singulariū proprietate, in æterna diffundens secula. Quis enim annumerabitur ei de nationibus aliis, qui finitimorū populorum excedit consortia iustitiæ sublimitate? quis constitutionem generationis eius colliget? Corpora quidem eorum humanis seminibus cōcreata & figurata aduertimus, sed de superioribus & mirabilibus seminariis animæ eorum pullulauerunt. Moriantur anima mea in animis eorum, moriantur hæc corporalem vitam, ut in animis iustorum illius æternæ vitæ adipiscatur gratiam. In quo iam tunc sacramenti huius cœlestis & sacri baptismatis reuelata est magnificentia, per cuius operationem moriuntur homines culpæ veteri, & iniquorum operibus, & nouitate vitæ in consortia iustorū transfigurati, in eorum mores resurgant. Et quid mirū de hominibus, cū moriantur peccato, ut Deo viuant? Hæc audis Balach, indignatus est dicens: Ad maledicendum te adduxi, & tu benedixisti? Respondit ille: Calumniam patior de eo quod nescio. Ego enim nihil meum loquor, sed quasi cymbalum tinniens sonum reddo. Iterum aliō atque aliō transductus, cū vellet maledicere, benedicebat: Non est labor in Iacob, neque dolor, Deus illum protegit. Et infra iubet parari aras septem & sacrificia. Vtique debuit discedere, sed per infirmitatem mentis, & mutabilitatem sententiæ putabat quod auertere posset Dei voluntatē. Ipse autem per excessum mentis aliud cupiebat, & aliud loquebatur. Quam speciosa, inquit, habitacula tua, o Hebræorum militia: tabernacula tua sicut nemora obumbrantia, sicut paradisi supra fluuiū, & sicut cedrus secus aquas. Exhibet homo ex Iacob, & obtinebit multas gentes, & attolletur regnum eius in altum, in terris quoque extendet principatum suum in Ægyptum. Qui benedixit eum, benedixentur: & qui maledixerint ei, maledicti erunt. Quem igitur nisi Christi populum significat, & benedixit Deus? In cuius medullas verbum Dei descendit vsque ad diuisionem animæ, artuum quoque & medullarum: in quo habuisset Balaam gratiam Domini, si id ex sententia & affectus sui pro-

posito fecisset. Sed quia reuincitur mala mens con-
 filiis suis, & occulta animi produntur exitu, idè se-
 quentibus infidiis animus eius aperitur. Vnde & di-
 gnam mercedem suæ inuenit maleuolentiæ. Nam
 cum aduerteret quod non posset in excessu mentis
 positus maledicere, dat consilium regi dicens: Illa
 sint oraculorum quæ Deus præcepit, accipe consi-
 lium aduersus oracula Dei. Populus iste iustus est,
 habet protectionem Dei, quia non diuinationibus
 & auguriis sese dedit, sed soli æterno Deo: idè cæ-
 teris fide præstat. Interdum tamen & fideles mētes
 corporis labūt illecebra, & formę lenocinio. Sunt
 tibi mulieres plurimæ, & pleræque non indecores
 pulchritudine. Virilis autem sexus nullo magis lu-
 bricus quàm muliebri decore citò capitur, & maxi-
 mē si ardor mentium alloquiis inflammetur frequē-
 tibus, & quasi facibus inardescat, si spem potiendi
 hauriat, affectum deferat. Iaciāt igitur mulieres tuæ
 vocibus suis hamos, nec difficiles primos congres-
 sus suos præbeāt, sed & visu faciles, & dictu affabiles
 circumerrent, & toto se circumfundant exercitui,
 atque hos arte tractent viros, vt concubitu non in-
 dulgeant, nisi amoris mutui fidem consortio sacri-
 legij comprobauerint. Sic enim poterunt cœlesti
 protectione destitui, si ipsi à Domino Deo suo sacri-
 legiis deuiauerint. Non igitur iustus Balaam utpote
 consiliarius fornicationis & sacrilegij, sicut euidē-
 ter etiam in Apocalypsi scriptum est Ioannis Euan-
 gelistæ, dicente Domino Iesu ad Angelum ecclesiæ
 Pergami: Habes illic tenentes doctrinam Balaam,
 qui docebat Balach mittere scandalum coram filiis
 Israël, manducare immolata, & fornicari. Ita habes
 & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Quo appa-
 ret inde Manichæorum sacrilegia manasse, qui mi-
 scent atque adiungunt sacrilegium turpitudini. Er-
 go nec Deus iniustus, nec mutabilis eius sententia.
 Deprehendit enim mentem eius, & occulta cordis,
 & idè tentauit eum quasi diuinum, non elegit qua-
 si Prophetam. Et utique vel tantorum oraculorum
 gratia, & reuelationum sublimitate cōuerti debuit,
 sed animus nequitia plenus verba prompsit, non fi-
 dem detulit, consiliis infirmare cupiens quod an-
 nunciabat futurum. Et quia oracula fraudare nō po-
 terat, consilia fraudulenta subministrabat, quibus
 leues populi Iudæorum tentati quidem sunt, sed nō
 expugnati. Vnius enim viri sacerdotis iustitia, solu-
 tum est omne facinorosi hominis cōsiliū: multo-
 que mirabilius per vnum hominem potuisse libera-
 ri exercitum patrum, quam potuisse decipi. Hoc
 munusculum sanctæ menti tuæ transmisi, quia vis
 me aliquid de veterum scriptorum interpretationi-
 bus paginare. Ego autē assumpsi epistolas familiari
 sermone attexere redolentes aliquid de patrū mo-
 ribus, quarum gustum si probaueris, post hæc huius-
 modi mittere non verecundabor. Malo enim seni-
 libus verbis de supernis rebus hallucinari tecum,
 quod Græcè dicunt ἀδολοχίας μεγαλαύτας εἶναι ἢ ἀνω
 ἀδολοχίαδες, vt enitente Rebecca, futuræ ecclesiæ
 animo videns mysteria: malo, inquam, hallucinari
 tecum verbis senilibus ne videar artem desisse, quā
 concitationibus desflare aliquid iam nec studiis no-
 stris aptum nec viribus. Vale, & nos dilige, quia nos
 te diligimus.

Hebr. 4.

Apoc. 2.

G Diui Ambrosij ad Horontianum, rationem huic questioni reddentis, cur prius omnia vel volatilia, vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, producta fuerint, quàm homo, propter quem cuncta illa creata sunt, formaretur.
 Epistola XXVII I.

Ambrosius Horontiano. Moueri te insinuasti
 mihi lecto hexamero quod ipse scripsi: quia
 cum tantum diuinæ scripturæ serie vel stylo sermo-
 nis mei collatum aduerteres homini, quantum nul-
 li in hac terra animantium, prius omnia vel volati-
 lia, vel terrestria, vel quæ in aquis sunt, produxerit
 terra vel aqua, quàm homo propter quem illa crea-
 ta sunt generaretur: cuiusque rei rationem de me re-
 quirere, quam & Moyses siluerit, & ego non ausim
 attingere. Et fortè ille oraculi interpret diuini con-
 silio conticuerit, ne cœlestis dispositionis arbitrum
 se & consiliarium præstare videretur. Aliud est enim
 loqui quod infundebatur à Dei spiritu, aliud volū-
 tatem Dei interpretari. Nos autem non quasi inter-
 pretes Dei, sed quasi ex vsu humano rationis femi-
 naria colligētes, existimamus posse nos ex eo quod
 humano vsui in cæteris rebus ipse Dominus infude-
 rit, opinari quoniam decuit hominem postremum
 creari. Etenim qui conuiuium adornat, vt ille Euan-
 gelicus diues (oportet enim diuina diuinis confera-
 mus, quo melius colligere possimus) utique omnia
 prius præparat, tauros & saginata occidit, & tunc
 amicos ad cœnam inuitat. Prius ergo quæ leuio-
 ra sunt parantur, & tunc rogatur honoratior. Vnde &
 Dominus homini ante animalium cæterorum præpa-
 rauit epulas, tunc ipsum quasi amicum ad suū voca-
 uit conuiuium. Et verè amicum quasi claritatis di-
 uinæ participem, & hæredem gloriæ. Denique ipse
 dicit: Amice, quomodo huc venisti ad nuptias? Pre-
 cedētia ergo ministeria sunt, amicūque postremus
 rogatur. Accipe aliud. Quid est mundus, nisi quidā
 agon plenus certaminum? Vnde & in Apocalypsi
 Dominus ait. Vincenti dabo coronam vitę. Et Pau-
 lus ait: Certamen bonum certauit. Et alibi: Nemo
 nisi qui legitimè certauerit, coronatur. Huius ago-
 nis instaurator utique omnipotens Deus est. Qui igitur
 agonem suscipit in hoc seculo, nōne omnia
 præparat quæ agoni sunt necessaria, & tunc athletas
 vocat paratis præmiorū infulis certaturos ad coro-
 nam, ne moram patiat qui vicerit, sed præmio do-
 natus recedat? Præmia ergo hominis, terrarum fru-
 ctus sunt, & cœli lumina. Illa ad vitæ præsentis v-
 sum, hæc ad spem vitæ æternæ. Quasi athleta igitur
 postremus ingreditur in agonem, erigit ad cœlum
 oculos, videt quia & cœlestis creatura vanitati sub-
 iecta est non sponte, sed propter eum qui subiecit in
 spe. Videt quia omnis creatura congemiscit expe-
 ctans redemptionem. Videt quia omnis manet la-
 bor, erigit oculos, videt coronas luminum, lunæ &
 stellarum globos considerat. Quoniam iusti qui vi-
 cerint, erunt sicut stellæ in cœlo. Et castigat corpus
 suū, ne sibi aduersetur in certamine, vngit oleo mi-
 sericordiæ, exercet diurna virtutis palæstra, puluere
 se oblitit stadij, currit non quasi in incertum, iētus
 dirigit, lacertos excutit, sed non in vacuum, percu-
 tit aduersarium quem non videt, quia illum solum
 attendit, cui cedunt omnes etiam qui non viden-
 tur,

Ephes. 6.
 1. Cor. 11.
 Matth. 21.
 1. Cor. 15.
 1. Tim. 4.
 2. Tim. 4.
 1. Cor. 9.
 1. Cor. 10.
 1. Cor. 11.
 1. Cor. 13.
 1. Cor. 15.
 1. Cor. 16.
 1. Cor. 17.
 1. Cor. 18.
 1. Cor. 19.
 1. Cor. 20.
 1. Cor. 21.
 1. Cor. 22.
 1. Cor. 23.
 1. Cor. 24.
 1. Cor. 25.
 1. Cor. 26.
 1. Cor. 27.
 1. Cor. 28.
 1. Cor. 29.
 1. Cor. 30.
 1. Cor. 31.
 1. Cor. 32.
 1. Cor. 33.
 1. Cor. 34.
 1. Cor. 35.
 1. Cor. 36.
 1. Cor. 37.
 1. Cor. 38.
 1. Cor. 39.
 1. Cor. 40.
 1. Cor. 41.
 1. Cor. 42.
 1. Cor. 43.
 1. Cor. 44.
 1. Cor. 45.
 1. Cor. 46.
 1. Cor. 47.
 1. Cor. 48.
 1. Cor. 49.
 1. Cor. 50.
 1. Cor. 51.
 1. Cor. 52.
 1. Cor. 53.
 1. Cor. 54.
 1. Cor. 55.
 1. Cor. 56.
 1. Cor. 57.
 1. Cor. 58.
 1. Cor. 59.
 1. Cor. 60.
 1. Cor. 61.
 1. Cor. 62.
 1. Cor. 63.
 1. Cor. 64.
 1. Cor. 65.
 1. Cor. 66.
 1. Cor. 67.
 1. Cor. 68.
 1. Cor. 69.
 1. Cor. 70.
 1. Cor. 71.
 1. Cor. 72.
 1. Cor. 73.
 1. Cor. 74.
 1. Cor. 75.
 1. Cor. 76.
 1. Cor. 77.
 1. Cor. 78.
 1. Cor. 79.
 1. Cor. 80.
 1. Cor. 81.
 1. Cor. 82.
 1. Cor. 83.
 1. Cor. 84.
 1. Cor. 85.
 1. Cor. 86.
 1. Cor. 87.
 1. Cor. 88.
 1. Cor. 89.
 1. Cor. 90.
 1. Cor. 91.
 1. Cor. 92.
 1. Cor. 93.
 1. Cor. 94.
 1. Cor. 95.
 1. Cor. 96.
 1. Cor. 97.
 1. Cor. 98.
 1. Cor. 99.
 1. Cor. 100.

tur, in cuius nomine potestates aëreæ diuerbe-
 rantur. Ille ergo iētum librat, & Christus percutit.
 Ille calcem leuat, & Christus in vulnus dirigit. De-
 nique etfi non videbat Paulus quos cæderet, non
 quasi aëra tamen cædebat, quia in Christi prædica-
 tione omnes spirituales nequitias quæ sibi aduersa-
 bantur conuulnerabat. Non immerito ergo postre-
 mus homo ingressus est stadium, cui parabatur co-
 rona, vt eum præcederet cœlum, quasi sui præmium.
 Sed non solū aduersus nequitia spiritalia quæ sunt
 in cœlestibus, sed etiam aduersus carnem & sangui-
 nem luēta nobis, luēta aduersus fatietatē, luēta cum
 ipsis frugibus terræ, luēta cum vino quo etiam iustus
 inebriatus est, quo etiam integer Iudæorum exerci-
 tus supplantatus est: luēta cum feris bestiis, luēta cū
 volatilibus cœli, quibus caro saginata non redigitur
 in seruitutem: luēta cum periculis itinerum, pericu-
 lis fluminum, vt ait Paulus: luēta cum virgultis ar-
 borum, quibus cædebantur Apostoli. Vides quanta
 certamina. Terra ergo exercitium est hominis, cœ-
 lum corona. Aut quasi amicum igitur præcedere de-
 buerunt ministeria, aut quasi athletā corona & præ-
 mia. Specta aliud. In omnibus rebus præstantiora
 sunt principia & finis. Si domum consideres, potio-
 ra omnibus fundamenta & culmina, si agrum, satio
 & messis, plantatio & vindemia. Quàm iucunda infi-
 tia arborum, quā fructus votiui. Ita ergo & cœlum
 primò est conditum, nouissimus homo quasi quædā
 cœlestis in terris creatura. Nam etfi corpore cum
 bestiis confertur, animo tamen cœlestibus annume-
 ratur. Sicut enim portauimus imaginem terreni, ita
 portemus & imaginem cœlestis. Quomodo nō cœ-
 lestis, qui ad imaginem & similitudinem factus est
 Dei? Rectè ergo in constitutione mundi primum
 cœlum, & nouissimum cœlum, in quo quod ultra
 cœlum est, Deus cœli est. Denique de eo magis ac-
 cipitur: Cœlum mihi thronus. Non enim Deus su-
 pra elementum sedet, sed in corde hominis. Vnde &
 Dominus ait: Veniemus ad eum, & mansionem ap-
 pud eum faciemus. Principium ergo operis munda-
 ni cœlum, finis homo. Cœlum de mundo, homo su-
 pra mundum. Illud enim mundi portio, iste paradisi
 incolæ, Christi possessio. Cœlum incorruptibile pu-
 tatur, & præterit: homo corruptibilis habetur, & in-
 corruptionē induit. Illius figura perit, iste quasi im-
 mortalis refurgit. Vtrumque tamen manus Domini
 fecerunt secundum scripturæ autoritatem. Sicut
 enim de cœlis legimus: Et opera manuum tuarum
 sunt cœli: ita & homo dicit: Manus tuæ fecerunt
 me, & plasmauerunt me. Similiter quoque enarrant
 Dei gloriam: & vt cœlum stellarum fulget splendo-
 ribus, ita & homines meritorum luminibus micant,
 quorum opera coram patre suo lucent, qui est in cœ-
 lis. Firmamentum cœli supernum illud, hoc quoque
 non dissimile firmamentum, de quo dictum est: Su-
 per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Illud
 firmamentum elementorum, hoc virtutum. Iā illud
 præstantius suserunt oleum de firma petra. Petra e-
 nim caro Christi, quæ cœlum & totum mundum re-
 demit. Quid illa attexam, & quasi toto stadio te vr-
 geam, quod hominem Deus diuinæ fecit cōsortem
 naturæ, sicut in epistola Petri legimus? Vnde non
 immerito quidam ait: Cuius & genus sumus. Dedit

enim nobis de cognatione sua, rationalis scilicet
 naturæ, vt quæ ramus illud diuinum quod non lōge
 est ab vnoquoque nostrum in quo & viuimus & su-
 mus & mouemur. Cum itaque contulisset homini
 quod est gratiarum maximum, quasi charissimo &
 domestico animanti concessit ea quæ in hoc mundo
 sunt omnia, vt nullius indigeret quod esset necessa-
 rium vel ad vitam, vel ad bonam vitam. Quorum a-
 lia ministraret abundantia copiarum terrestrium ad
 voluntatis perfunētionem, alia cognitio secretorum
 cœlestium, quæ mentem inflāmaret hominis amore
 & desiderio disciplinarum, per quas ad sublime illud
 diuinorum penetralium possumus peruenire. Vtrū-
 que igitur præstantissimum, vt & subiectas haberet
 omnes mundi opes, omnia volatilia, terrestria, etiam
 pisces, & vsu maris, tanquam rex elementorum, ac
 sine labore, sine indigentia, ad imitationem & simi-
 litudinem venerandi authoris abundaret omnibus,
 atque in summa degeret copia, & vias sibi aperiret,
 gradūque admoueret, per quos ad cœli ascēdat reg-
 iam. Cuius difficilis itineris viatorem non facile re-
 peries, illum virum qui ita sit animi inductione for-
 matus ac voluntate, vt minima sibi cum suo corpo-
 re sit familiaritas, neque in vllum ingrediatur vicio-
 rum contubernium, nullis assentantium pumicetur
 sermonibus, neque in rotis secundorum temporum
 positus humiles fastidiat, mœsta fugiat, sanctorum
 laudes excutiat atque eleuet. Neque gloriæ ardore
 aut pecuniæ præsumptæ spei omnem exurat cupidi-
 tatem. Cuius animum non inflectat mœstitia, non
 frangat iniuria, nulla sollicitet suspicio, libido nō ex-
 agitet, non expugnent passionēs corporis, non ine-
 quitet vanitatum appetētia, voluptatum gratia. Iam
 si adiungas ei virtutes, castimoniam, sobrietatem, ac
 temperantiam, facile refrænare potens sit immode-
 ratos impetus leuium passionum, mensuramque im-
 ponat delectationibus suis & cupiditatibus. Æqui-
 tate ambigua distinguat, tranquillitate mentis dubia
 componat. Et velut compositis omnibus corporis
 & mentis iurgiis, quasi bonus arbiter inoffensam te-
 neat exterioris hominis atque interioris concordia,
 placidans eos in semetipso, ac si causa exigat, nullus
 eum malus cōsiliarius reuocet metus à passionis co-
 rona. Is plane non solum quasi amicus, sed etiā quasi
 filius assumetur à patre, vt diuitias gloriæ & hæredi-
 tatis eius adipiscatur. Merito ergo postremus quasi
 finis naturæ formatus ad iustitiam inter cætera ani-
 mantia iusti arbiter. Et si licet exemplum arcessere,
 sicut inter homines finis legis Christus ad iustitiam
 omni credenti, & nos tanquam iumenta cōtempla-
 tione Domini: sic enim propheta ait, ἡμῶν εὐαγγελιστὴν
 ὡς οὐλοῖ, id est, iumentum existimatus sum apud te:
 & quæ tamen comparatio, cum ille pereuntes rede-
 merit, nos immolemus: ille seruos ad libertatem vo-
 cauerit, nos liberis irrogemus captiuitatē? Sed quis
 similis Deo processit? Tamen postremus creatura-
 rum omnium homo, specie gratus, mente sublimis,
 vt omni esset creaturæ miraculo. In quo ad similitu-
 dinem æterni Dei ἡμῶν esset inuisibilis, humana spe-
 cie amictus. Hinc est ἡμῶν animæ vigor, principatum
 animæ & corporis sibi quasi rector vindicans. Quem
 etiam si non vident animalia cætera, tamen reformi-
 dant, sicut nos Deum, quem quia non videmus, ti-

1. Cor. 17.

1. Cor. 10.

1. Cor. 72.

Genes. 1.

Hier. 23.

Hier. 27.

Psal. 16.

memus, & eo plus metuimus, quia non videmus. **G** Namque vt ad imaginem eius & similitudinem, sicut scriptum est, presumamus dicere, cum ille se fundat maiestatis suae plenitudine, & videat omnia, caelum, aërem, terram, mare, complectens vniuersa, & penetrans per singula, vt eum nihil prætereat, & nihil sit quod non consistat in eo, atque ex ipso pendeat, & ipsius plenum sit, sicut ipse ait: Caelum & terram ego compleo, dicit Dominus: ita ¹⁰⁰⁵ hominis videt omnia, & non videtur, habens sui inuisibilem substantiam, disciplinis & consiliis ac sensibus comprehendit latentia, penetrat occulta maris, atque omnia diffusa terrarum latibula vtriusque scrutator naturæ, ad similitudinem Dei summi, quem imitatur & sequitur, cuius imago pro exiguis portionibus in singulis figuratur. Eleuans quoque se in aërem, & eius nubilosa prætergrediens, ad caeli alta se dirigit, studio cognitionis, & ardore sapientiæ, vbi paulisper stupefactus admiratione stellarum celestium, & luminum delectatus claritate, prospiciens desuper mundana ista, conferens quoque se ad hesperum atque arcturum & cæteros illos ἀπλανήτους, & videns quod inoffensus ille sit error, quem sine errore, quo magis omnia obeant, intextere atque oberrare videantur, maiore se cupiditate attollit ad ipsum gremium patris, in quo est vnigenitus Dei filius enarrans secreta Dei, & facie ad faciem postea reuelanda. Hunc tamen quibus dignatur, ex parte demonstrat, atque in ænigmate, simulque de spiritu & vultu suo splendorem luminis more torrentis effundit, vt eo illuminatus dicat: Et erat ignis flammigeras in ossibus meis, & dissolutus sum vndique, & ferre non possum. Et Dauid ait: De vultu tuo iudicium meum prodeat. Hoc igitur mentis **K** vigore, vt reuertar vnde digressus sum, quo & externa subigit, & separata & distantia videt, & validiora viribus animalia subiicit, tantam cæteris venerationem sui infundit, vt certatim quasi regi obediât, voci eius obsecudent. Et cum sint irrationabilia, rationem agnoscant, & disciplinam eam imprimant, quam natura non tribuit. Denique videtes ferae eius mansuetudinem, eius imperio mansuescunt. Sæpe suspenderunt morsus suos reuocante sono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi. Leones quoque ipsos, si vox hominis resaltauerit, prædam dimittere. Pardos atque vrsos incitari ac reuocari vocibus: equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum. Denique sæpe sine verbere prætereunt verberatos. Ita vehementius illos incitat linguæ flagellum. Quid vero de muneribus loquat? Nutrit aries vellera, vt placeat homini, atque in fluuio mersatur, vt nitorem augeat. Oues quoque meliora pabula legunt, vt suauiore succo lactis foeta distendant vbera, subeunt partus dolores, vt homini sua munera ferant. Tauri depresso fulcis per totum diem aratro gemunt. Cameli præter subeundi oneris obsequia tondendos se exhibent vt arietes, quo velut regi diuersa animalia tributum suum conferant, pendantque vectigal annuum. Equus tanto se iactans equite, glomerat gressus superbos, atque ad Domini adscensum dorsus sinuatus herili terga substernit sedili. Sed ne forte adhuc moueat quod nouissimus homo factus sit, idem equus nos

doceat non ad contempionem referendum esse, sed honorem. Portat posteriorem suum, nec despicit, sed reformidat, & per diuersa eum suo circumfert labore. Vno momento homo longinqua obit, circumerrat distantia, tum equis singularibus, tum quadrigis triumphalibus. Et quoniam triumphales memorauit quadrigas, necesse est atroxam iis currus Helias, quibus per aëra vectus est. Currus Elephantorum, quibus homo victor assistens, cum sit postremus, priores regit. Sic quoque gubernator nauis in puppi sedet, & totam nauem gubernat. Vnde puto illud non ociosum esse in Euangelio quod Dominus Iesus in puppi dormiebat, denique excitatus imperauit vento & mari, & sedauit tempestatem, ostendens ideo se nouissimum venisse, quia gubernator veniret. Vnde Apostolus ait: Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Et addidit: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo celestis. Recte ergo nouissimus quasi totius summa operis, quasi causa mundi propter quem facta omnia, quasi omnium habitator elementorum inter feras viuit, cum piscibus natat, super aues volat, conuersatur cum angelis, terram inhabitat, & caelo militat, fulcat mare, aëre pascitur, cultor soli, viator profundis, piscator in fluctibus, in aëre auceps, in caelo hæres, Christi cohæres. Hæc secundum industriam. Accipe etiam quod supra hominis substantiam. Moyses in imo ambulauit mari, in summo Apostoli. Abacuch sine pennis volauit. Helias in terris vicit, & in caelo triumphauit. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Horontianum, de diuisione prophetica quæ operatorem atque opera distinxit. Ratione quoque sex dierum quibus factus est mundus, & mysterio septimi atque octauæ numeri subtiliter disserentis.

Epistola xxxix.

Ambrosius Horontiano. Diuisionem egregie aduertisti prophetica, vel potius diuinam. Non enim sua Moyses, sed infusa & reuelata sibi scripsit, ea præcipue quæ sunt de cõstitutione mundi, quæ diuisio operatorem atque opera distinxit. Nam cum aliud impassibile esset, aliud passionis receptabile: quod erat impassibile, ad Deum operatorem retulit, quod autem passibile, sine anima, sine motu proprio, motum & animam & figuram à creatore accipiens suo, deputauit huic mundo. Quem factum non oportuit sine gubernatore & quodam patre indefensum relinqui. Et ideo inuisibilem Deum visibilis huius mundi rectorem esse, & quasi tutorem, apertissimè describit. Quod ergo inuisibile, sempiternum: quod autem videtur, temporale. Sex itaque diebus factum mundum exprimit, non quod Deus tempore indigerit ad constitutionem eius, cui intra momentum suppetit facere quæ velit, (dixit enim, & facta sunt) sed quia ea quæ fiunt, ordinem quærunt. Ordo autem tempus & numerum plerumque exigit. Illud quoque præcipue, quoniam nobis ad operandum formam daturus, numerum dierum

Genes. 1.

Genes. 2.

Math. 2.

Isaia 61.

1. Cor. 15.

Exod. 12.

Dan. 14.

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

Matth. 11.

Matth. 17.

Psal. 148.

1. Cor. 15.

dierum seruaui & tempora. Nos enim tempore indigemus vt aliquid maturius agamus, ne præcipitemus consilia atque opera nostra, ne ordinem prætermittamus. Cum enim Dominum legimus, vt scriptura ostendit, cum sapientia & quodam consilio & dispositione fecisse & ordine, vt primo caelum faceret quod est pulcherrimum, oportet vt eo primum oculos erigamus, illo nobis contendendum esse arbitremur, illam sedem terrenis omnibus præferendam putemus. Sex itaque diebus mundum creauit, septimo die requieuit ab operibus suis. Bonus septimus numerus, quem nõ Pythagorico & cæterorum philosophorum more tractamus, sed secundum formam & diuisiones gratiæ spiritualis. Septem enim virtutes principales Sancti spiritus propheta Esaias complexus est. Hæc hebdomas sicut ipsa patris & filij & Spiritus sancti venerabilis trinitas, sine tempore, sine ordine, author numeri, non sub numeri lege deuincta. Itaque sicut ad æternæ trinitatis gratiam caelum, terram, maria formata, sicut Sol, Luna, & stellæ: ita etiam ad illum septenarium virtutum spiritualium circuitum atque orbem operationis diuinæ vigore præstantem, septenarium quoddam ministerium planetarum creatum aduertimus, quo hic mundus illuminatur. Quarum concurrere fertur militia ad earum numerum quas inenarrabiles ferunt stellas, & vt Græci dicunt ἀπλανήτους. Septentrio quoque inde Latine nomen accedit quod septem in eo fulgor stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores quasi ducem feruntur intendere. Descendit hæc de caelo in terras prærogatiua. Nam vt transeã septiformem capitis nostri gratiam in oculis duobus auribus & naribus binis, ore quoque per quod magnam suauitatem percipimus: quantum istud miraculi quod septimo mense in plerisque origo legitima formatur, & qui fuerit editus, vitalis generationis curricula sortitur: octauo autem mense interdicta naturali lege pariendi cernimus tempora, ac si forte letalis necessitas partus claustra laxauerit, periculum pariter generantis propretur & pignoris. Sed tamen ille septimanus, etsi bene nascatur, ad labores nascitur: qui autem octaua die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, & ad hæreditatem regni cœlestis vocatur. Magna in virtutibus Spiritus sancti hebdomadis gratia, eadem tamẽ hebdomadem sonat, ogdoen cõsecrat, in illa sonus, in ista fructus est: ideoque octauo die soluta paradiso reddidit spiritus gratia, quos extorres sua fecerat culpa. Nouit ogdoen istam, quam octauam Latine dicimus, vetus testamentum, siquidem ait Ecclesiastes: Da partem illis septem, & illis quidem octo. Hebdomas veteris testamenti est, octaua noui, quando Christus resurrexit, & dies omnibus nouæ salutis illuxit. Ille dies, de quo ait Propheta: Hic dies quem fecit Dominus, exultemus & lætemur in eo, quo die se fulgor plenæ atque perfectæ circumcisionis humanis pectoribus infudit. Propterea & vetus testamentum dedit partem octauæ in circumcisionis solennitate. Sed illa adhuc in vmbra latebat. Venit sol iustitiæ, & consummatione passionis propriæ reuelauit sui luminis radios, quos retexit omnibus, & vitæ claritatem aperuit æternæ. Isti ergo sunt septem & octo, de quibus & Osee dicit quod eo numero con-

A duxerit sibi, & acquiserit fidei plenitudinem. Sic enim habes: Et abij, & conduxi mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & semicoro hordei, & neuel vini. Conducendam autem ei meretricem Dominus præceperat. In superioribus itaque manifestum est quod conduxit eam, qui etiam mercedis quantitatem expressit. Quindecim autem argentei ex septem, & octo constant, hebdomadam itaque & octauam significant. Duorum igitur testamentorum, id est, plenæ fidei precio prophetia consummatione accepti fidei, Ecclesia plenitudinem. Primo enim testamento Israël acquisitus est populus, secundo nationum & gentium. Fide ergo plena conducitur meretrix, vel ex gentibus copulam sui quærens, vel ex adultero Iudæorum populo, qui Dominum suum & authorem virginalis fidei dereliquerat, conuentus suos totius orbis spatio diffundens. Quod autem dixit, in coro & in semicoro hordei: in coro mensuræ plenitudo est, in semicoro semiplena mensura. Plenitudo in Euangelio, semiperfectio in lege: sicut legimus dicente Domino: Non veni legem soluere, sed implere. Et alibi habemus dicente Domino per Michæam prophetam: Quia tunc pax erit in terra Israël, cum venerit Assyrius in terram eius, & insurrexerint in eum septem pastores, & octo morsus hominum. Tunc enim plena pax est fideli populo ab omnibus tentationibus & vanitatibus absoluto, cum mundi huius vanitatem excluderint de cordibus nostris pax & gratia. Pax veteris, gratia noui testamenti. Septem pastores, præcepta legis sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moyli per desertum ductus & gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata Euangelij, & dominici oris alloquia. **D** Corde enim creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos vitæ æternæ munus gustauimus, peccatorum remissionem in Christi corpore deuorantes. In veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Deuorauit mors præualens. In nouo testamento suavis morsus est vitæ, quæ mortem absorbit. Propterea Apostolus ait: Deuorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Atque vt apostolicis vtamur testimoniis, vbi hominem fecit Deus, requieuit ab omnibus operibus suis in die septima. Sed quia populus Iudæorum per contumaciam contempsit mandata Dei sui, ait Dominus: Si introibunt in requiem meam. Et ideo aliam Deus præfinit diem, de qua dicit: Hodie si vocem meam audieritis. Duos enim dies comprehendit scriptura generales, Heri, & hodie. De quibus dicit: Imitamini fidem Iesu Christi, heri & hodie, ipse est in secula. In superiore die promissio est, in cõsequenti solutio. Sed quia hesternæ die neque Moyses neque Iesus Naue populum induxit in requiem, hodierna die Christus induxit, cui dixit pater: Ego hodie genuite. Per suam enim resurrectionem Iesus populo requiem comparauit. Requies enim in caelo, non in terra est. Requies nostra, Dominus est Iesus, qui ait: Hodie mecum eris in paradiso. Quid igitur opus est, vt explorem ortus signorum atque obitus, quorum ad exortum duris inarata vomeribus findantur noualia, vel ad occasum læta messis recumbat? Vna mihi stella abundat pro omnibus, stella splendida &

Matth. 5.

Michæa 5.

Rom. 10.

1. Cor. 15.

Heb. 4.

Ibidem 13.

Psal. 2.

Luca 23.

Hierem. 31.
Matth. 2.

matutina, cuius ad exortum feminata est non frugū, sed martyrum seges, quando Rachel plorauit filios suos, vt lachrymis ablutos suis pro Christo offerret infantulos: cuius stellæ obitus non cremiorum infensibilium, sed spirantium defunctorum triumphales manipulos de tumulis resuscitauit. Celebratur itaque hebdomas, eò quod per septem ætatum cursus vita hominum vsque ad senectutem transcurritur, sicut Hippocrates medicinæ magister scriptis explicuit suis. Prima ætas infantia est, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuentus, quinta virilis ætas, sexta æui maturitas, septima senectus. Est ergo infans, puer, adolescens, iuuenis, vir, veteranus, senex. Solon autem decem fecit ætatum ordines per annos septenos, ita vt prima ætas infantia vsque ad emissionem sit dentium, quibus conficiat cibum, sermonemque distinguat, vt possit effabilis videri. Pueritia quoque vsque ad annos pubertatis procedit, & genitalia tentamenta. Adolescentia vsque ad barbæ lanuginem. Iuuenta vsque ad perfectæ virtutis processum. Quinta ætas virilis est, apta copulis coniugalibus per totam hebdomadam. Sexta quoque hebdomas virili deputatur ætati, & ad prudentiæ processum habili, & ad agendum strenuè. Septima quoque hebdomas & octaua æui maturum, & sensum vigentem, & sermonem non insuauis alloqui gratia præditum produnt. Nona hebdomas reliquias adhuc habet aliquas virium, lingua ac sapientia mollior. Decima vero hebdomas mensuram implet, ad quam is qui peruenire potuerit, non immaturo temporum cursu pulsabit mortis fera vestibula. Ergo Hippocrates & Solon vel septem ætates vel hebdomadas ætatum norunt, in illis se hebdomas præferat. Octaua autem vnam & perpetuam ætatem inuehit, qua excrescimus in virum perfectum in agnitione Dei fidei plenitudine, in qua legitimæ ætatis mensura impletur. Est etiam in visceribus nostris hebdomadis explorata gratia. Ferunt enim septem quoque esse in nobis interiora viscera, stomachum, cor, pulmonem, lien, hepar, renes duos. Septem quoque exteriora, caput, posteriora, ventrem, binas manus, & binos pedes. Præstantissima hæc, sed obnoxia dolori. Quis autem dubitet maius esse octauæ munus quæ totum renouauit hominem, vt iam nihil possit dolere? Itaque septima mundi ætas conclusa est, octaua illuxit gratia, quæ fecit hominem iam non huius mundi esse, sed supra mundum. Iam enim non vitam nostram, sed Christum viuimus. Nobis enim viuere Christus & mori lucrum. Itaque iam non in carne, sed in fide viuimus Christi. Vnde colligimus, quia conclusus est mundi dies. Denique nouissima hora venit Dominus Iesus, & pro nobis mortuus est, & omnes in illo mortui sumus, vt viuamus Deo. Non ergo nos qui eramus viuimus, sed viuunt Christus in nobis. Abiit ergo hebdomas, venit octaua. Abiit heri, venit hodie, illud hodie quod promissum est, quo admoniti sumus vocem Dei audiendam & sequendam. Abiit ergo ille dies testamenti veteris, venit dies nouus, quo testamentum consummatum est nouum, de quo dicit: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & confirmabo domui Israël, & domui Iudæ testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patri-

Philip. 1.

Hierem. 31.
Heb. 8.

bus illorum in die qua apprehendi manus ipsorum educere illos de terra Ægypti. Et qua ratione mutatum sit testamentum, adiicit: Quoniam ipsi non manserunt, inquit, in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Abierunt sacerdotes legis, legis tribunalia. Accedamus ad sacerdotem nouum, ad sedem gratiæ, visitatorem animarum nostrarum, sacerdotem non secundum legem mandati carnalis creatum, sed secundum virtutem infatigabilem electum. Non enim ipse sibi honorem præripuit, sed electus à patre est, sicut ipse pater ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nouus ergo sacerdos videmus quid obtulerit? Alij sacerdotes pro se offerebant, & pro populo suo, hic quia non habuit peccatum, vt pro se offerret, pro vniuerso mundo se obtulit, & per sanguinem suum intrauit in sancta sanctorum. Hic est ergo sacerdos nouus, & noua hostia, non ex lege, sed supra legem: aduocatus mundi, lux seculi: qui dixit: Ecce venio, & venit. Ad quem accedamus in abundantia fidei, adorantes, & obsecrantes, & sperantes in eum, quem non videmus oculis, sed affectu tenemus, cui est omnis honor semper & gloria. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Sabinum libellos illi mittentis, atque rogantis vt scrutanter discutiatur, & quæ corrigenda decreuerit, arbitrij sui iudicio corrigat.

Epistola XL.

Ambrosius Sabino Remisisti mihi libellos, quos tuo iudicio probatiores habeo. Ideo misist alios non iudicij fauore delectatus, sed promissa à te, & petita à me veritate illectus. Malo enim tuo corrigatur iudicio si quid mouet, priusquam foras prodeat, vnde iam reuocandi nulla facultas sit, quam laudari à te quod ab alijs reprehendatur. Itaque arbitrum te eorum quæ postulas rogauit. Neque enim legi à te mea quæ non nunquam tribuo in vulgus, sed in tuæ calculum venire sententiæ desiderauit. Non erit longi subsellij ista iudicatio & mora, vt dictum est antiquitus. Facile est tibi de nostris iudicare. Ego certe huc inuitatu tuo prodeundum putauit, tuum est liquido decernere, & scrutanter discutere quæ corrigas, ne tibi vitio vertant ea quæ nobis potuerunt obrepere. Nescio quo enim modo præter imprudentiæ caliginem quæ me circumfundit, vnumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautius plerumque aliquid promittitur, aliquid accipitur maleuolentius, aliquid exit ambiguum, tum quia alieno examinanda iudicio, non pro nostra debemus magis quam pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos maleuolentiæ. Assume igitur beneuolo animo aurem versutiæ, & pertracta omnia, sermones ventila, si in iis non forenses blanditiæ, & suasoria verba, sed fidei sinceritas est, & confessionis sobrietas. Notam appone ad verbum dubij ponderis, & fallacis stateræ, ne quid pro se esse aduersarius interpretetur. Esto vt reuincatur si congregari cœperit. Male se habet liber

Hebr. 7.

Psal. 10.

Hebr. 9.

Apo. 11.

Colos. 2.

Philip. 2.

1ma. 7.

Ambrosii.

1. Cor. 4.

Matth. 28.

Colos. 2.

Philip. 2.

1ma. 7.

ber qui sine assertore non defenditur. Ipse igitur pro se loquatur, qui procedit sine interprete. Habetur hic tamen, non egredietur à nobis, nisi à te acceperit auctoritatem. Itaque cum eum fide tua prodire iusseris, committetur sibi. Tamen quoniam non in sermone est regnum Dei, sed in virtute: verbum si offenderit, virtutem professionis interrogato. Professio autem fidei sententia est, quam aduersum Sabellianos & Arrianos ita à maioribus traditam tenemus, vt patrem Deum, & filium eius vnigenitum, & Spiritum sanctum veneremur, hanc trinitatem vnus esse substantiæ, maiestatis, diuinitatis. In hoc nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizare nos, quemadmodum scriptum est: Filium itaque coæternum patris suscepisse carnem, natum de Spiritu sancto & virgine Maria æqualem patri secundum diuinitatem in Dei forma, id est, in omni plenitudine diuinitatis, quæ in illo habitat, vt dixit Apostolus, corporaliter, qui in persona hominis formam serui accepit, & se humiliavit vsque ad mortem. Ergo & aduersus Photinum hæc nobis sententia est: aduersus Apollinarem autem legitima circumspèctio, vt confiteamur sicut in Dei forma nihil ei defuit diuinæ naturæ & plenitudinis, sic in illa forma hominis nihil ei defuisse quo imperfectus homo iudicaretur, qui ideo venit, vt totum hominem saluum faceret. Neque enim decebat vt qui perfectum opus in alijs consummauerat, hoc imperfectum in se esse pateretur. Si enim aliquid ei defuit, non totum redemit. Si non totum redemit, fefellit igitur qui dixit ideo se venisse, vt totum hominem saluum faceret. Sed quia impossibile est mentiri Deo, non fefellit ergo: quia ita venit, vt totum redimeret, & saluum faceret, totum vtique suscepit quod erat humanæ perfectionis. Nostra sententia huiusmodi est, vt meministi. Si verba alicubi mouent, non præiudicant fidei. Etenim sermonem dubium mens non dubia obumbrat, & defendit à lapsu. Hæc tecum prælusimus, quæ in libros nostrarum Epistolarum referam si placet, atque in numerum reponam, vt tuo commendentur nomine, & tuis ad nos, & nostris ad vos literis augeatur mutuus amor per Dominum, vt ita legas quo iudices, & quod mouerit, scribas ad me. Amor enim verus constantia probatur. Placet iam quod senibus vsu facilius est, quotidiano & familiari sermone Epistolas texere, & si quid de scripturis diuinis obuium inciderit, attexere. Vale frater, & dilige amantem tui, quia plurimum te diligo.

Diui Ambrosij ad Sabinum, ex eo quod illi complacuit vsus Epistolarum, spondentis se frequentius eum scriptis suis, præsertim cum solus sit, velle alloqui, solitudinemque plurimum commendantis atque suadentis.

Epistola XLII.

Ambrosius Sabino. Quoniã tibi quoque complacuit nostrarum vsus Epistolarum, in quibus quidem inter absentes præsentium sermo est, pergam frequentius te in meis scriptis & cum solus sum alloqui. Nunquam enim minus solus sum, quam cum solus esse videor, nec minus ociosus quam cum

ociosus. Certe pro arbitrio arcesso quos volo, atque adiungo mihi quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror, nemo interpellat, nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo, & de scripturis confero, & prolixiorum simul sermonem cedimus. Sola erat Maria, & loquebatur cum Angelo. Sola erat quando superuenit in eam Spiritus sanctus, & virtus altissimi obumbravit eam. Sola erat, & operata est mundi salutem, & concepit redemptionem vniuersorum. Sola erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognouit mysteria. Sola erat Adam, & non est præuaricatus, quia mens eius adhebat Deo. Postquam vero ei mulier adiuncta est, non potuit inhære mandatis cœlestibus, & ideo se abscondit quando Deus deambulabat in paradiso. Et nunc deambulat in paradiso Deus quando diuinis scripturas lego. Paradisus est Genesis liber, in quo virtutes pullulant patriarcharum. Paradisus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta. Paradisus Euangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ spei mandata diffundit per vniuersos populos. Audiens itaque, Dilige inimicos: Audiens, Dimitte omnia tua & sequere me: Audiens, Qui te percutit in maxilla, præbe ei alteram: & hæc non faciens, & vix diligens eum qui me diligit, non dimittens quæ habeo, iniuriam acceptam vlcisci volens, & sublaturum mihi extorquere, cum scriptura dicat etiam aliud, id est, plus quam petiturum aut ereptum est, concedendum: video me contra mandata Dei facere. Et aperiens oculos conscientia deambulare mihi Deum præsentem recognosco, cupio me abdere, cupio velare, sed nudus sum Deo, apud quem nuda & intacta sunt omnia. Erubescens itaque tegere pudenda facinora desidero, quasi membra mei corporis: sed quia Deus omnia videt, folijs obumbratus, latebris tectus appareo. Puto me abscondi, quia corpore amictus sum. Ipsa est tunica pellicea cum qua Adam de paradiso eiectus est, nec à frigore tutus, nec tectus ab opprobrio, sed & iniuriæ & culpæ patens. Liquet igitur ex his quia soli cum sumus, tunc nos offerimus Deo, tunc mentem ei nostram aperimus, tunc amictum fraudis exuimus. Sola erat Adam quando in paradiso constitutus est, solus erat & quando ad imaginem Dei factus est, sed non erat solus quando de paradiso eiectus est. Sola erat Dominus Iesus quando mundum redemit. Non enim legatus neque nuncius, sed ipse Dominus solus saluum fecit populum suum: etsi nunquam solus est ille, in quo pater est semper. Vnde & nos soli simus, vt Dominus nobiscum sit. Vale & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Sabinum, de paradiso quid alij senserint referentis, & quæ sua de mystico paradiso sit sententia, pulchra expositione declarantis.

Epistola XLIII.

Ambrosius Sabino. Lecto hexaemero vtrum paradysum subtexuerim, requirendum putasti, & quam de eo haberem sententiam significandum, idque velle te studiose cognoscere. Ego autem iam dudum de eo scripsi, nondum veteranus sacerdos.

Luca 1.

Acto. 10.

Genes. 2.

Matth. 5.
Matth. 19.
Luca 6.

Heb. 4.

Genes. 3.

Genes. 1.
3.

Sententias autem de eo diuersas esse plurimorum G comperi. Nam Iosephus, utpote historiographus, locum dicit refertum arboribus virgultisque plurimis, irrigari etiam flumine qui diuidatur in quatuor fluuios. Collecta etenim in vnum congregatione aquarum, non se penitus exinauit terra, & fraudauit irriguis suis, sed hodiè que in fontes prorumpit, & deducit meatus fluminum, quibus pignora sua quasi pia mater plenis lactat vberibus. Alij alias. Omnes tamen congruunt in paradiso & lignum vitæ radicatum, & lignum scientiæ quæ discernat bonum & malum, cætera quoque ligna plena vigoris, plena viuificationis, spirantia, & rationabilia. Ex quibus colligitur paradysum ipsum non terrenum videri posse, non in solo aliquo, sed in nostro principali, quod animatur & viuificatur animæ virtutibus, & infusione spiritus Dei. Denique Salomon in spiritu paradysum in homine esse euidenter declarauit. Et quia mysteria exprimit vel animæ & verbi, vel Christi & Ecclesiæ, ideo ait de virgine anima, vel Ecclesia quam volebat virginem castam assignare Christo, Paradysus conclusus soror mea sponsa, paradysus conclusus fons signatus. Paradysus Græcè, Latinè ortus dicitur. Denique Susanna in paradiso erat, & sic legitur Latinè. Et Adam in paradiso erat, & sic legitur. Ergo non te moueat quòd alij codices Latini ortum habent, alij paradysum. Ibi ergo est casta vxor, vbi virgo. Licet virgo excepta habeat claustra & signacula sua, sed vtraque in paradiso, vt aduersum æstus corporis & carnis flagrantiam refrigeretur virtutum vmbraculis. Ergo paradysus in principali nostro est, syluescens plurimarum opinionum plantariis, in quo principaliter lignum vitæ constituit Deus, id est, pietatis radicem. Ea est enim vitæ nostræ substantia, si Domino & Deo nostro debitos cultus defera- mus. Constituit etiam scientiæ boni & mali semina- rium. Homo enim solus in cæteris animantibus ter- renis habet scientiam boni & mali. Alia quoque illic plantaria diuersa, quorum fructus virtutes sunt. Sed quia scientia capax hominis affectus cognitus est Deo quòd citius ad astutiam inclinaretur, quàm ad summum prudentiæ. (Neque enim iudicem qui fi- nes certos in anima nostra constituit, operis sui qua- litas latere poterat) eliminare voluit astutiam de pa- radiso, quasi prouidus author nostræ salutis, & vitæ studium, & disciplinam pietatis infundere. Ideoque præcepit homini ab omni ligno quod est in para- diso, gustandum, de ligno autem scientiæ boni, & ma- li non esse gustandum: sed quia creatura omnis pas- sioni obnoxia, ideo delectatio sicut serpentino illa- psu humanis irrepsit affectibus. Itaque non immeri- to sanctus Moyse delectationem serpentis figura- uit similitudini. Prona est enim in ventrem sicut ser- pens, non pedibus incedens, aut vllis eleuata cruri- bus, sed sinuoso flexu totius velut corporis sui lubri- ca: Ei terra cibus est sicut serpenti, quoniam escam nescit cœlestem. Corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus ha- bet, quibus vnusquisque se euiscerat luxuriosus, heluo internecat, abliguritor perimit. Quantos ruperunt vina, dissoluit ebrietas, distendit crudi- tas? Nunc intelligo qua causa Dominus Deus in-

sufflauit in faciem hominis. Ibi enim sensus omnis, ibi sedes atque illecebra delectationis, in oculis, au- ribus, naribus, atque in ore, vt sensus nostros aduer- sus delectationem fortiores faceret. Hæc ergo no- bis, sicut serpens astutiam, infudit. Non enim dele- ctatio, sed labor & diuturna meditatio cum Dei gra- tia dat perfectam prudentiam. Tamen quia ser- pentis fraudibus inuoluta est humani generis hære- ditas, in eo astutiam serpentis sequamur, vt caput nostrum non proiciamus in pericula, sed præ cæteris integrum custodiamus. Caput autem nostrum H Christus est. Hoc maneat incolume, vt serpentis ve- nena nobis non possint nocere. Bona est enim sa- pientia cum hæreditate, id est, cum fide, quoniam est hæreditas credentibus in Dominum. Quod si primus ille homo qui cum Deo loquebatur in para- diso positus, labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quæ ad verbum Dei formata & creata re- centi fuerat exortu, nondum ea parricidalis cædiu- que concreta sanguine, flagitiis & dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledictio obnoxia hæreditatis: quanto facilius postea lubrica ad pec- candum via maius aduexit humano generi præcipi- tium, cum deterior tolerabiliore per vices genera- tionis successerit? Etenim si magnetis lapis tantam naturæ vim habet, vt ferrum ad se trahat, & trans- fundat se in illius speciem, ita vt plerisque experiri volentibus cum plures annulos ferreos ad eum la- pidem admouerint, omnes pari teneat modo: deinde si ei annulo cui adhæserit lapis, alium admoueas annulum, & rursus per ordinem singulis substituas, licet in omnes penetret per ordinem ex illo lapide vis naturæ, tamen priores nexu vehemientiore con- stringit, posteriores remissiore: quanto magis hu- mani generis conditio atque natura ex puriore sta- tu in deteriorem lapsa est, quando nequiores atti- git: Nam si per eas species minuitur natura quæ non sunt culpæ capaces, quanto magis per animos atque artus labe pollutos scelerum virtus eius hebetatur? Vnde quia excreuerat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat qui faceret bonitatem, non erat v- que ad vnum: venit Dominus, qui reformaret nat- uræ gratiam, imò augeter, vt vbi superabundauit peccatum, superabundaret gratia. Ergo liquet & quia author hominis Deus, & quòd Deus vnus, non multi dii, sed vnus qui mundum operatus est, & vnum non multos mundos, vt dicunt philosophi. Primum igitur mundum creauit, deinde habitato- rem mundi, cui totus mundus patria foret. Nam si hodie quocunque accesserit sapiens, vbique cuius est, vbique sua omnia intelligit, nusquam se peregrin- um, nusquam hospitem iudicat, quanto magis ille primus homo totius mundi incola, & vt Græci dicunt, κοσμοπολίτης, opus Dei recens, confabula- tor assiduus, cuius sanctorum, complantatus virtuti- bus, præpositus omnibus terrenis animantibus, marinis, volatilibus, totum mundum suam posses- sionem putabat, quem Dominus tuebatur vt opus suum, neque vt bonus parens atque author desere- bat? Denique eousque creatum fouit, vt abdicatum redimeret, eliminatum reciperet, mortuum passio- ne filij sui vnigeniti resuscitaret. Est ergo hominis author Deus, & diligit opus suum operatur bonus, nec

Cantic. 4.

Dan. 13. Genes. 2.

Genes. 2.

Ibidem.

1. Cor. 11. Ephes. 4. 4.

Psal. 11.

Rom. 5.

nec derelinquit bonus pater, quæ etiam sicut diues A paterfamilias censu propriæ hæreditatis redemit. Caueamus ergo ne hominem istum, id est, vnu, mu- lier illa, id est, passio sensuum nostrorum, delectatio- ne & ipsa decepta atque illusa effœminet, & circun- scriptum in leges suas & sententiam trahat. Fugia- mus delectationem sicut serpentem: multas artes habet, & maximè in hominem. Nam alia animantia cibi auiditate capiuntur, homo quanto plures sen- sus oculorum auriumque habet, tanto maiora peri- cula. Vale, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligi- mus.

Diui Ambrosij ad Sisynnium, pietatem illius commendantis, quòd filio ignouerit qui eo inconsulto vxorem acceperat.

Epistola XLIII.

Ambrosius Sisynnio. Quod filio nostro remisi- sti meo rogatu, quia te inconsulto vxorè acce- perat, pietati magis tribuo quàm nostro amoris. Plus est enim pietatem ipsam de te impetrauisse, quàm cuiusquam petitionem. Certe sacerdos tunc magis impetrat, cum virtus præualet. Sacerdotis enim pe- titio, doctrina pietatis est. Impetrauit igitur natura, impetrauit filius, eo plenius, quia postulati contem- platio temporalis solet esse, virtutis autem diutur- nus habitus, & iugis animarum inductio. Pulchrè itaque gestum, vt te patrem recognosceres: simul quia iusta indignatio fuit. Malo enim culpam fateri, vt plus laudetur paterna indulgentia: sed & ipsa pa- terna offensus fuit, quoniam venturam in locum fi- liæ tuæ debuisti eligere iudicio, cui fieres pater. Nã- que aut natura filios suscipimus, aut electione. In natura casus est, in electione iudicium: magisque in adoptatis offendimus quàm in genitibus filiis: quia genitales filios esse degeneres, ad naturam refertur: ascitos vel adoptione vel copula dedecores esse, non nisi errori adscribitur. Fuit ergo quod succen- seres filio, sed fuit etiam quod remitteres, quia sibi vxorem elegit. Adquisisti filiam sine electionis pe- riculo. Si bonam duxit, tibi acquisiuit gratiam: si cr- E raui, recipiendo meliores facies, refutando dete- riores. Maturiore quidem consilio puella filio à pa- tre traditur, sed maiore obsequij proposito à filio ad patrem ducitur, & à viro lecta ingreditur foci domum, dum metuit & filius displicere iudicium suum, & nurus ministerium. Illum paternæ electionis præ- rogatiua attollit atque erigit, istam offensionis hu- miliat metus, inclinât verecundia. Non habebit fi- lius quod in vxorè referat quasi exors culpæ si quid S. Ambr. tom. 5.

fortasse offensum sit, quod habet vsus: imò amplius elaborabit vt in vtroque suum possit probari & in vxore iudicium, & in se obsequium. Fecisti igitur quod boni parentes, vt cito ignosceres, sed obsecra- tus. Nã antequàm rogareris, non erat ignoscere, sed factum probare. Deinde diutius differre veniam, & tibi acerbum, & illis inutile. Neque enim paterna viscera diutius tolerare possent. Summè deuotionis proposito Abraham filium suum secundum oraculum Dei offerebat in holocaustum, & quasi exors naturæ exerebat gladium, ne mora sacrificium de- coloraret: tamen vbi abstinere à filio iussus est, gla- dium libenter recòdit: & qui immolare vnigenitum fidei intentione properabat, maiore pietatis studio festinauit ouè subrogare sacrificio. Ioseph quoque vt fratrem iuniorem teneret, simulabat iracundiam fratribus, & compositam à se furti fraudem indigna- tus est: tamen cum aduolueretur ad genua eius vnus ex fratribus Iudas, akerent alij, fraterno victus & cò- passus affectu, diutius tenere non potuit simulatio- nem seueritatis, remorisque arbitris aperuit fratri- bus quod germani sui essent, & ipse esset Ioseph quæ vendidissent: nec se memorem suæ esse iniuriæ, & non fraternæ venditionis acerbiter fraterne ex- cufare, atque id quod posset arguere, ad altiores causas referre, cò quod ita oportuisset fieri procurante Deo, vt transiret in Agyptum qui gentem suam frugis externæ egentem pasceret, vt sterilitatis tempore alendis patri & filiis subsidio foret. Quid autem de sancto Dauid loquar, qui degenerem fi- lium, & fraterno oblitum sanguine, ad vnus mulie- ris petitionem paternis visceribus mentem emolli- tus domo recepit? Ipse ille euangelicus pater adole- scentiorem filium qui prodegerat omnem substan- tiam à patre acceptam viuendo luxuriose, regredien- tem tamè vnus sermonis inflexus humilitate, quod in patrem peccasse se fatebatur, occurfu pio fouit, supra collum eius cecidit, primam illi stolam, annu- lum & calceamenta deferri iussit, atque honoratum osculo, donatum munere, admirabili suscepit con- uiuium. Horum te imitorem præbuiisti pietate pa- tria, qua proxime ad Deum accedimus: & ideo ego prompte filiam nostram adhortatus sum vt etiam hyemali tempore viæ laborem exciperet, commo- dius hybernatura non solum in hospitio, sed etiam in affectu paterno, cum iam successerit indignationi gratia: quando quidem vt plenè te ad similitudi- nem atque imitationem sanctorum referres, eos ac- cufauisti qui compositis mendaciis animum tuum aduersum filios excitandum arbitrati sunt. Vale, & nos dilige, quia nos te diligitimus.

Gen. 21.

Genes. 44.

2. Reg. 14.

Luc. 15.

F I N I S .

YY

Capita Epistolarum Libri septimi.

Ambrosius Constantio, in suscepto ecclesie gubernamine illum confortans, ac diligenti commonitione instituens qualem se debeat coram plebe Domini exhibere loquendo, docendo, admonendo, hortando, persuadendo, obsecrando, ut vitiis et terrenis cupiditatibus renunciant, virtutes sectentur, bonorumque operum diuitias querant, et Domino in sobrietate et gratia et tota mentis sedulitate seruiant. Demum eidem aliam quandam ecclesiam commendans. Epist. XLIII.

Ambrosius Sabino, causam reddens cur post scripturam prius directam codicem apertius scriptum transmissit. Cur etiam propriam manum stylo suo affixerit, ad epistolarem inde ludum eum inuitans, et usum illius exponens. Epist. XLV.

Ambrosius Eusebio, iucunditatem illius in filiis et filiorum benedictionem recensens. Epist. XLVI.

Ambrosius Irenaeo, confutans errorem cuiusdam maledici Apollinarista, qui non potest audire quod Dominus noster Iesus Christus pro nobis seruitutem suscepit. Epist. XLVII.

Ambrosius Irenaeo, prosequens illud quod in Hieremia scriptum est: Clamauit perdix, congregauit quae non peperit: naturam istius auis describendo, et eam diabolo ac membris suis adaptando. Epist. XLVIII.

Ambrosius Syricio, narrans illum Prisco aduenienti literas dedisse, et se eidem reuertenti alias reddidisse. Et quia utrumque eorum officio remuneratus sit, etiam eius officij precium incrementa debere adipisci gratia. Epist. XLIX.

Ambrosius Attico, scribens literas suas Priscum sibi, et se illi alias reddidisse, Priscum dilectioni sua amplius commendans. Epist. L.

Ambrosius Felici, significans tuberum sibi missorum partem amicis direxisse. Et illum quod se tam diu nequaquam reuiserit, arguens. Epist. LI.

Ambrosius Romulo, quaestioni illius, cur videlicet Deus dixerit: Ponam caelum areum, et terram ferream, satisfaciens. Epist. LII.

Ambrosius Titiano, illi congaudens quod a Rufino liberatus sit, quem sibi grauiorem iudicem in negotio cum nepte sua arbitrabatur. Epist. LIII.

Ambrosius Syricio, gratum sibi asserens cum et ab ipso literas accipiat, et ille aliquos de conseruitio suo dirigat, eosque se diligere contestans, qui non patiuntur se a suo munere diutius abesse, et ad sequendum Dominum Iesum suadens. Epist. LIIII.

Ambrosius Faegadio et Delphino episcopis, insinuans Polybium ut utriusque eorum scriberet poposcisse, ac post datam epistolam utriusque nomine conscriptam, altera exegisse, et ei se illam dedisse. Epist. LV.

Ambrosius Romulo, de eo quod Aaron populo poscenti sibi Deos fieri aurum detraxerit, et quod eo auro figuratum sit vituli caput, et quod Moyses tam dure indignatus sit ut inberet quemque insurgere in necem proximi sui, quid ipse sentiat exprimens. Epist. LVI.

Ambrosius Seuero episcopo, scribens compresbyterum suum Iacobum Campaniae sibi ad requiescendum littora, ubi orationi vacet, et Deo seruiat, elegisse, se vero in medio omnium molestiarum freto versari conquerens. Epist. LVII.

Ambrosius Studio, pia illi persuasione respondens quid in causa cuiusdam criminosi potius agere debeat. Epist. LVIII.

Ambrosius sacerdotibus quibusdam et omni clero plebis Thessalonicensium, de obitu, vita, virtutibus, et conuersatione sancti viri Acholij. Epist. LIX.

Ambrosius Anyisio sancti Acholij successoris, de successione eius congaudens, vitamque sancti Acholij commendans, et illius adolescentiam, iuuentutem atque senectutem benedicens. Epist. LX.

Ambrosius Candidiano, splendorem sermonis et fulgorem affectus eius commendans, illique benedictionem optans. Epist. LXI.

DIVI

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM
LIBER SEPTIMVS.

Diui Ambrosij ad Constantium, in suscepto ecclesie gubernamine illum confortans, ac diligenti commonitione instituens qualem se debeat coram plebe Domini exhibere loquendo, docendo, admonendo, hortando, persuadendo, obsecrando, ut vitiis et terrenis cupiditatibus renunciant, virtutes sectentur, bonorumque operum diuitias querant, et Domino in sobrietate, et gratia, et tota mentis sedulitate seruiant: demum eidem aliam quandam ecclesiam commendantis. Epistola XLIIII.



AMBROSIVS Constantio. Suscepisti munus sacerdotij, & in puppe ecclesie sedens nauim aduersus fluctus gubernas. Tene clauum fidei, vt te graues huius seculi turbare non possint procellae. Mare quidem magnum & spatiosum, sed noli vereri, quia ipse super maria fundauit eam, & super flumina preparauit eam. Itaque non immerito inter tot mundi freta ecclesia Domini tanquam supra apostolicam aedificata petram immobilis manet, & inconcusso aduersum impetus saeuientis salis perueerat fundamine. Alluitur undis, non quatitur, & licet frequenter elementa mundi huius magno in ista resulent fragore, habet tamen quo laborantes excipiat, tutissimum portum salutis. Sed tamen & si in mari fluctuat, currit in fluminibus, & vide ne in illis fluminibus magis, de quibus dictum est, Eleuauerunt flumina vocem suam. Sunt enim flumina quae de ventre eius fluunt, qui potum a Christo acceperit, & de spiritu Dei sumpserit. Haec ergo flumina cum redundant spirituali gratia, eleuant vocem suam. Est & fluuius qui decurrit in sanctos suos sicut torrentis. Est & fluminis impetus, qui latificat animam pacificam atque tranquillam. Ex huius fluminis plenitudine quicumque acceperit, sicut Ioannes euangelista, sicut Petrus, Paulus, eleuat vocem suam, & sicut apostoli euangelicae praedicationis vocem usque in totos fines orbis terrarum canoro diffuderunt praedicatione, ita & iste incipit euangelizare Dominum Iesum. Accipe ergo a Christo, vt & tuus sonus exeat. Mare est scriptura diuina, habes in se sensus profundos, altitudinem prophetorum aenigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina. Sunt ergo & fluuij dulces atque perspicui, sunt & fontes niui qui saliant in vitam aeternam, sunt & sermones boni sicut faui mellis, & gratiae sententiae quae animos audientium spirituali quodam potu irrigent, & praecptorum moralium suauitate mulceant. Diuersa igitur scripturarum diuinarum fluentia. Habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum. Collige aquam Christi, illam quae laudat Dominum. Collige aquam de pluribus locis quam effundunt nubes propheticae. Quicumque colligit de montibus aquam, atque ad se trahit, vel haurit de fontibus, & ipse rigat sicut nubes. Imple ergo gremium mentis tuae, vt terra tua humescat, & domesticis irrigetur fontibus. Ergo qui multa legit

& intelligit, impletur: qui fuerit impletus, alios rigat. Ideoque scriptura dicit: Si impletae fuerint nubes, pluuiam in terram effundet. Sint ergo sermones tui profui, sint puri & dilucidi, vt morali disputatione suauitatem infundas populorum auribus, & gratia verborum tuorum plebem demulceas, vt volens quod ducis sequatur. Quod si aliqua vel in populo vel in aliquibus contumacia vel culpa est, sint sermones tui huiusmodi vt audientem stimulent, compungant male conscium. Sermones enim sapientum tanquam stimuli. Stimulauit & Dominus Iesus Saulum, cum esset persecutor. Quam salutaris fuerit stimulus, considera, qui ex persecutore apostolum fecit dicendo: Durum tibi est vt aduersus stimulum calces. Sunt etiam sermones sicut lac, quos infudit Paulus Corinthiis. Qui enim fortiolem cibum epulari non queunt, succo lactis ingenij sui exercent infantiam. Eloquia tua plena intellectus sint. Vnde & Salomon ait: Arma intellectus labia sapientis. Et alibi: Labia tua alligata sint sensu, id est, fulgeat sermonum tuorum manifestatio, intellectus coruscet, & alloquium tuum atque tractatus aliena non indigeat assertione, sed sermo tuus velut armis suis sese ipse tueatur, nec vllum verbum tuum in vanum exeat, & sine sensu prodeat. Est enim alligatura quae constringere solet animorum vulnera: quam si quis reicit, desperata sui prodit salutem. Et ideo circa eos qui graui vlcere vexantur, vt ere oleo sermonis quo foueas mentis durtiam. Appone malagma, adiunge alligaturam salutaris praecpti, vt vagos & fluctuantem circa fidem, vel erga disciplinae obseruantiam, nequaquam soluto animo & remisso vigore patiaris perire. Admone igitur plebem Domini atque obsecra vt abundet in operibus bonis, renunciet flagitiis, non accendat flammaram incendia. Non dicam in sabbato, sed in omni tempore, ne comburat corpus suum, fornicatio & immunditia non sit in Dei seruulis, quia immaculato seruumus Dei filio. Nouerit vnusquisque se, & vas possideat suum, vt subacto quodam sui corporis solo, fructus expectet debitos. Nec spinas & tribulos ei terra sua germinet, sed dicat & ipse, terra dedit fructus suos: atque in hac dumosa quondam passionum fragilitate, infitua virtutum effloreat. Edoce etiam atque institue vt faciat quod bonum est, & vnusquisque non intermittat opus probabile, siue a pluribus videatur, siue sine arbitro sit. Abundat enim sibi locuples testis conscientia. Fugiat etiam mala opprobria, etiam si se credat non posse conuinci. Nam etsi clausus parietibus sit, & opertus tenebris, sine teste, sine conscientio, habet tamen facti arbitrum quem nihil fallat, ad quem facta clamant omnia. Denique clamauit & vox sanguinis. Sibi ipsum vnusquisque animum suum seuerum iudicem sui, vltorem sceleris, & vindicem criminis habet. Denique timens & tremens oberrabat Cain paricidalis facinoris luens poenas, vt ei remedio sua mors fuerit, quae vagum exulem formidato per omnia momenta terrore mortis per mortem exiit. Nemo

Michea. 3.

Prover. 15.

Esai. 43.

Prover. 22.

Luc. 15.

igitur vel solus vel cum altero aliquid turpe aut improbum faxit. Et si quis solus est, seipsum præ cæteris erubescat, quem maxime debet vereri. Nec concupiscat plurima, quia & pauca ei plurima sunt. Paupertas & opes, inopiæ & satietatis vocabula sunt. Nec diues est qui indiget aliquo, nec pauper qui non indiget. Nec quisquam viduam spernat, circumscribat pupillum, fraudet proximum suum. Vt enim illi qui congregatam dolo habet substantiam, & in sanguine ædificat ciuitatem, id est animam suam. Hæc est enim quæ ædificatur sicut ciuitas. Hanc ciuitatem non ædificat auaritia, sed destruit: non ædificat libido, sed exurit atque incendit. Vis bene ædificare ciuitatem? Melius est exiguum cum Dei timore, quam thesauri magni sine timore. Diuitiæ hominis ad redemptionem animæ debent proficere, non ad destructionem. Et thesaurus redemptio est, si quis eo bene utatur: & iterum laqueus est, si quis uti nesciat. Quid enim homini pecunia sua, nisi quoddam viaticum est? Multa oneri, moderata vsui. Viatores fumus vitæ huius. Multi ambulat, sed opus est vt quis bene transeat. Cum illo enim Dominus Iesus, qui bene transit. Ideoque legis: Si transeas per aquam, tecum sum, flumina te non concludent: nec ignis exuret vestimenta tua, si transeas. Qui autem ignem alligat in corpore suo, ignem libidinis, ignem immodicæ cupiditatis, non transit, sed exurit inuolucrum istud animæ suæ. Præclarior est bona existimatio quam pecunia, & super omnes argenti acervos bona est gratia. Fides ipsa abundat sibi, satis superque censu suo diues. Sapienti quoque nihil alienum nisi quod virtuti incongruū. Quocumque accesserit, sua omnia, totus mundus possessio est, quoniam toto eo quasi suo vitur. Quid igitur circumscribitur frater? quid fraudatur mercenarius? Non magna, inquit, lucra de mercede meretricis, id est, lubricæ istius fragilitatis. Meretrix ista non specialis, sed publica est. Non vna mulier, sed vaga omnis cupiditas meretrix est. Omnis perfidia, omnis fallacia meretrix, non illa sola quæ corpus prostituit suum, sed omnis anima quæ spem suam vendit, quæ deformes quæstus & degenerem stipem quærit. Et nos mercenarij sumus, qui ad mercedem laboramus, & huius operis nostri mercedem speramus à Domino nostro & Deo. Si quis cognoscere vult quam mercenarij sumus, audi dicentem: Quantis panibus mercenarij patris mei abundans: ego autem hic fame pereor. Et infra: Fac me, inquit, sicut vnum mercenariorum tuorum. Omnes mercenarij, omnes operarij. Qui tamen fructum expectat laboris, consideret quod is qui alium mercede fraudauerit debita, & ipse fraudabitur sua. Fœneratum istud offendit, & postea cumulatiore mensura exoluet. Ergo qui non vult amittere quod est perpetuum, non eripiat alij quod temporale est. Nemo etiam in dolo loquatur ad proximum suum. Laqueus est in labiis nostris, & sæpe vnusquisque sermonibus suis non explicatur, sed inuoluitur. Fouea alta est os maleuoli, grande innocentiae præcipitium, sed maius malevolentiae. Innocens dum credit facile, cito labitur, sed tamen iste lapsus resurgit: maledicus autem suis artibus præcipitatur, vnde numquam exiliat atque euadat. Pöderet ergo

vnusquisque sermones suos non cum fraude & dolo. Statera fallax improbabilis apud Deum: non illam stateram dico quæ mercedem appendit alienam, & in vilibus quidem rebus raro constat fallacia, sed statera verborum ipsa apud Deum est execrabilis, quæ præterdit pondus grauitatis sobriæ, & subnectit versutias fraudulentiae. Hoc maxime condemnat Deus, si decipiat aliquis proximum suum promissorum benignitate, & subdola iniquitate defœneratum opprimat, nihil sibi profuturus æstutiæ suæ artibus. Quid enim prodest homini si totius mundi capiat opes, animam autem suam vitæ æternæ defraudet stipendio? Alia piis mentibus consideranda statera, qua singulorum facta trutinantur, in qua plerumque ad iudicium peccata propendunt, aut bene gesta peccatis præponderant. Vt mihi si præcedant flagitia, & ad mortis præiudicium letali vergant pondere, tolerabilis si subsecuantur. Omnia tamen manifesta Domino & ante iudicium: nec bona possunt latere: nec ea quæ plena sunt offensionis, abscondi. Quam beatus qui radicem vitiorum refecare potuerit auaritiam. Is profecto stateram hanc non reformidabit. Auaritia enim plerumque sensus hebetat humanos, & peruertit opiniones, vt quæstum pietatem putent, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ. Merces autem magna pietatis est: & quæstus sobrietatis, habere quod vsui est satis. Quid enim in hoc mundo profunt diuitiarum superflua, cum in iis & nulla adiumenta nascendi sint, nec impediméta moriendi? Nam & sine integumento in hoc mundo nascimur, & sine viatico discedimus, sine hæreditate sepelimur. Pendet per singulos nostrorum statera meritorum: atque exiguis vel boni operis, vel degeneris flagitij momentis huc atque illuc sæpe inclinatur: si mala vergant, heu me: si bona, præsto est venia. Nemo enim à peccato immunis: sed vbi propendunt bona, eleuantur peccata, obumbrantur, teguntur. Ergo die iudicij aut nostra opitulabuntur nobis opera, aut ipsa nos in profundum tanquam molari depressos lapide mergent. Grauis est enim vtpote talento plumbeo suffulta iniquitas, intolerabilis auaritia, atque omnis superbia, tetra fraudulentia. Et ideo hortare plebem Domini sperare magis in Domino, abundare in diuitiis simplicitatis, in quibus ambulet sine laqueo, sine impedimento. Bona etiam puri sermonis sinceritas, & locuples apud Deum, etiam si inter laqueos ambulet. Tamen quia alij nescit insidias aut vincula innectere, non alligatur. Illud quoque præcipuum, si persuadeas vt nouerint humiliari, sciant verum humilitatis colorem, naturam nouerint. Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent: multi eam foris præterdunt, & intus impugnant. Ad fucum præferunt, ad veritatem abiurant, ad gratiam negant. Est enim qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt doli. Et est qui se nimium submittit ab humilitate multa. Non est ergo humilitas nisi sine fuce, sine fraude. Ipsa est vera quæ habet piam mentis sinceritatem. Magna virtus eius. Denique per inobedientiam vnus hominis mors introiuit, & per obedientiam vnus Domini Iesu Christi facta est vniuersorum redemptio. Sciuit humiliari

Prover. 10.4. Phil. 2.2. Genes. 39. Heb. 4. Tim. 6. 1. Cor. 11. 2. Cor. 15. Phil. 3. Luc. 9. Genes. 37.9

humiliari sanctus Ioseph, qui cum esset à fratribus in seruitutem venditus, vel à negociatoribus coemptus, humiliatus in compedibus, vt scriptura dicit, virtutem humilitatis didicit, infirmitatem repudiavit. Itaque emptus in Ægypti partibus à seruo regio coquorum præposito, non profapia nobilis concientia, quasi germen Abrahamidarum, dedignatus obsequia vernacula, fastidiuit degenerem conditionem, sed magis gnauum se & fidelem herili imperio præbuit, alto intendens consilio nihil interesse in quo statu quis probabilem se præstaret, sed illū esse finem bonorum, vt in quocumque statu probarentur: illudque præcipuum, si magis mores commendarent statum, quam status mores. Etenim quo status inferior, eo virtus eminentior. Talem itaque se exhibebat, tam sedulum, vt ei Dominus suus totam domum suam crederet, ipsi omnia committeret. Vnde & vxor eius oculos iniecit in eum capta formæ venustate. Nihil enim ad nos si petulantibus oculis aut ætas expetitur, aut pulchritudo. Ars desit, nullum est crimen decoris: illecebra facessat, inoffensa est species, & formæ gratia. Itaque pericita atque animi furens interpellat iuuenem, & cogentel libidine victa passionum stimulis crimen faretur. Verum ille abiurat flagitium, dicens nec moribus Hebræorum conuenire nec legibus vt alienum violent thorum, quibus cura est tuendi pudoris, vt integri nuptiarum integris societur virginibus, nec vlli conueniant sceminae quæ legitimi vsus thori nesciat: religionemque sibi esse ne ebrius turpis intemperantiæ, ingratus herilis indulgentiæ, cui obsequium deberet, ei grauem inferret contumeliam. Numquid erubescere illum vilem Dominum tamen dicere, & se seruum fateri? Quinetiam cum ambiret mulier, obsecraret etiam metu proditionis, vel amoris sui lachrymas funderet ad extorquendi necessitatem, nec misericordia flexus ad flagitij consensum, nec coactus metu, & precibus restitit, nec minis cessit, præponens præmiis periculosam honestatem, quam turpem remunerationem casto pudori. Iterum quoque mulier maioribus adorsa tentamentis, cum inflexibilem aduerteret, etiam secūdō immobilem passione, effera impudentia vires ministrante, iuuenem aggreditur, veste apprehensa ad cubile trahens, complexum offerens, & pene ceperat, nisi exuisset Ioseph vestem qua tenebatur, ne exeret amictum humilitatis, indumentum pudoris. Sciuit igitur humiliari, qui humiliatus est vsque ad carcerem: & cum sustineret calumniam, maluit crimē falsum subire, quam verum referre. Sciuit inquam humiliari, qui humiliabatur pro virtute. Humiliabatur in typo eius qui se erat humiliaturus vsque ad mortem, mortē autem crucis: qui venturus erat vt vitam hanc de somno resuscitaret, & somnū esse hunc viuendi vsu doceret, in quo diuersæ commutationum vices tãquam ebriæ, & nihil solidum, nihil firmum, tãquam dormientis somnium videntes non videmus, & audientes non audimus, & manducantes non satiamur, gratulantes non gratulamur, currentes non peruenimus. Vanæ spes hominum in hoc seculo, qui ea quæ non sunt, tanquam quæ sint sequenda arbitrentur. Itaque inanes & vacuæ rerum species tanquam

in somno venerunt, abierunt, astiterunt, euauerunt. Circumfusa & dispersa sunt, teneri videntur, & non tenentur. Denique vbi quis audiuit dicentem, Surge qui dormis, & de seculi istius somno exurrexit: falsa hæc intellexit omnia: euigilauit, & fugit somnium, fugit potestas, abiit cura patrimonij, formæ venustas, honorū studium. Hæc enim somnia sunt, quibus non mouentur qui vigilant corde, sed dormientes exagitantur. Vadatur hunc sermonē meum sanctus vir Ioseph, non esse perpetua nec diuturna quæ sunt huius seculi, qui ab initio nobilis genere, censu diues, subito ignobilis seruulus, & (quod ipsam seruitij vilitatem acerbat) degeneris Domini ære emptum mancipium. Minus enim vile putatur seruire libero: geminatur autem seruitus, vbi seruitur vernaculis. Seruus igitur ex genere præclaro, pauper ex parte diuite, de amore ad odium, de gratia ad suppliciū, rursus de carcere ad aulam, de reatu ad iudicium traductus, neque aduersis fractus est, neque eleuatus secundis. Astipulatur etiam momentarias esse vices rerum etiam sancti David frequenter variatus status, qui despectus patri, preciosus Deo, triumpho nobilis, inuidia vilis, accitus ad ministerium regium, electus ad affinitatem, postremo faciem & ora mutatus, exul regni, fugitans parricidij, nunc sua offendicula deplorabat, & rursus aliena remouebat, conciliato hærede nobilior quam decolorato. Expertus igitur omnia, pulchrè dixit: Bonū mihi quod humiliatus sum. Quanquā hoc & ad eum possit referri, qui cum esset in Dei forma, facilis inclinare cœlos, descendit tamen, & formam serui accipiens nostras portauit infirmitates: qui præuidēs sanctos suos, non quasi rapinam sibi proprium honorem assumere, sed subiicere se æqualibus, & alios sibi anteferre, dixit: Bonum mihi est quod humiliatus sum. Bonum mihi est quod me subiicit, vt subiecta mihi sint omnia, & sit Deus omnia in omnibus. Hanc infunde humilitatem singulorum animis, & te ipsum formam præbe omnibus, dicens: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Discant bonorum operum diuitias quærere, & morum esse locupletes. Pulchritudo diuitiarum nō in sacculis diuitum, sed in alimentis pauperum est. In illis infirmis & egenis melius opes lucent. Discant itaque pecuniosi non sua sed ea quæ sunt Christi quærere, vt illos & Christus requirat, vt illis sua largiatur. Impendit pro illis sanguinem suum, effudit illis spiritum suum, offert illis regnum suum. Quid amplius dabit qui seipsum obtulit? Aut quid est quod non sit daturus pater, qui pro nobis vnicum filium tradidit morti? Admone igitur illos seruire Domino in sobrietate & gratia, & tota mentis sedulitate erigere oculos ad cœlestia, nihil ponere in lucro nisi quod vitæ æternæ sit. Nam iste omnis huius quæstus seculi, animarum dispendium est. Denique omnium detrimentum passus est qui volebat Christum lucrari: quod etsi mirabiliter dixerit, minus tamē expressit quam acceperat. Hic enim de alienis locutus est, Christus autem dixit: Qui vult post me venire, abneget seipsum sibi, vt ipse suum detrimentum sit, quo fiat lucrum Christi. Caduca hæc omnia, cum damno, sine lucro: illud solum est lucrum, vbi fructus perpetuus, vbi æternæ merces quietis.

Ephes. 5. Phil. 1.18. Phil. 2. Esai. 53. 2. Cor. 15. 1. Cor. 11. Phil. 3. Luc. 9. Luc. 9.

Commendo tibi fili ecclesiam quæ est ad forū Cornelij, quo eam de proximo interuisas frequentius, donec ei ordinetur episcopus. Occupatus diebus ingruentibus quadragesimæ, tam longè nō possum excurrere. Habes illic Illyrios de mala doctrina Arrianorum, caue eorum zizania, non appropinquent fidelibus, non serpent adulterina semina: aduertunt quid propter suam perfidiā acciderit sibi, quiescant, aut veram fidem sequantur. Difficile quidem imbuti animi infidelitatis venenis abolere possunt impietatis suæ glutinū, si tamen in iis virus infaustum inoleuerit: nec facile iis credendum putes. Nerui enim sunt, & quidam artus sapientiæ, nō temere credere, maximè in causa fidei: quæ raro perfecta est in hominibus. Tamen si quis est qui licet suspecta sit infirmitatis, & annunciantis affectus, purgare habitam de se opinionem velit, permitte, vt satisfecisse se putet: indulge aliquantulum. Cuius enim excluditur satisfactio, auertitur animus. Nam etiam mendendi periti cum vident notas ægritudines, vt ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant, nec deserunt inualidū, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt, palpant delimentis, ne aut intermissa ægritudo desperatione animi grauescat, aut crudior medicinam respuat, eò quòd ad maturitatē peruenire nequeat si indigesta insolens rerum huiusmodi medicus adhibeat manus. Siquidem & pomum cum immaturum exagitur, citò deperit. Et quia de agro exemplum sumpsimus, præcipe illis inuiolata cōfinij seruare iura, paternos custodire terminos quos lex tuetur. Supra fraternam charitatem frequenter est vicini gratia. Ille enim sæpe longe, hic in proximo est, vitæ omnis testis, conuersationis arbiter. Delectet eum per finitima spatia laxare liberum pecus, & in herba viridi proiectum secura captare ocia. Seruos quoque Dominus iure seruitij subditos habeat pro moderamine coercitionis quasi animæ confortes. Paterfamilias enim dicitur, vt quasi filios regat, quoniam & ipse Dei seruus est, & patrem appellat Dominum cœli, moderatorem potestatum omnium. Vale, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Sabinum, causam reddentis cur post scripturam prius directam, codicem apertius scriptum transmissit: cur etiam propriam manum stylo suo affixerit, ad epistolarem inde ludam cum inuicantis, & usum illius exponentis.
Epistola XLV.

Ambrosius Sabino. Trāsmisi petitum codicem scriptū apertius atq; enodatius quàm ea scriptura est quam dudum direxi, vt legendi facilitate nullum iudicio tuo afferatur impedimentum. Nam exemplaris liber non ad speciem, sed ad necessitatē scriptus est. Non enim dictamus omnia & maximè noctibus, quibus nolumus aliis graues esse ac molesti: tum quia ea quæ dictantur, impetu quodam proruunt, & profluo cursu feruntur. Nobis autem quibus cura est senilem sermonem familiari vsu ad vnguem distinguere, & lento quodam figere gradu, aptius videtur propriam manum nostro affigere stylo, vt non tam deflare aliquid videamur, quàm abscondere, neque alterum scribentem erubescamus:

sed ipsi nobis consciij sine vllō arbitro, nō solum auribus, sed etiam oculis ea ponderemus quæ scribimus. Velocior est enim lingua quàm manus, dicente scriptura: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Sed fortè dicas quia velocitatem ad scribentem retulit. Non te fallit tamen id significari, quòd scribæ velociter scribentis celeritas sola possit linguæ propheticæ excipere sermones. Apostolus quoq; Paulus sua scribebat manu, sicut ipse ait. Mea manu scripsi vobis, ille propter honorificetiam, nos propter verecundiam. Tamen dum adhuc habes de libris iudicium, interludamus epistolis: quarū eiusmodi vsus est, vt disiuncti locorum interuallis, affectu adhæreamus: in quibus inter absentes imago refulget præsentia, & colloquio scripta separatos copulat: in quibus etiam cum amico miscemus animum, & mentem ei nostram infundimus. Iam si, vt hortaris, aliquid & de veteribus scriptis redolet in epistolis, non solum animi conglutinari videtur per veræ doctrinæ profectum, sed etiam plenioris colloquij species & forma exprimi, vt inter quærendi & respondendi mutuas vices assumpta concertatio in vnum conducere, & coram videatur amicos locare, qui tali se laceffunt & complectuntur munere. Quid autem maiorum nostrorum exempla proferram, qui epistolis suis fidem iufuderunt populorum mentibus, atque ad integros & confertos scripserunt populos, & præsentem se esse, cum absentes scriberent, significarunt, dicente sancto Apostolo quia absens erat corpore, sed præsens spiritu, nō solum cum scriberet, sed etiam cum iudicaret? Denique absens per epistolam condemnabat, & idem absoluebat per epistolam. Epistola enim Pauli quædam effigies erat eius præsentia, & forma operis. Non enim vt aliorum epistolæ graues, inquit & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis, talis & Apostoli: sed talis huius epistola, vt talis esset forma præcepti, qualis esset operationis substātia: quia quales sumus, inquit, verbo per epistolas absentes, tales & præsentem sumus in opere. Imaginem præsentia suæ in epistolis expressit, fructum testimonij in opere significauit. Vale, & nos dilige, vt facis.

Diui Ambrosij ad Eusebium, iucunditatem illius in filiis, & filiorum benedictionem recensentis.
Epistola XLVI.

Ambrosius Eusebio. Faustinus vterq; tibi reditus est, nobis vtrumque Ambrosium pignus resedit. Ipse habes quod primum in patre, & quod iucundissimum est in filio minore, quia & virtutis apicem tenes, & humilitatis exhibes gratiam: nos quod medium inter patrem & iuniorem filium. Tecum summa totius domus, & perpetuati vocabuli iugis successio. Apud nos parca mediocritas, quæ & de summo pēdeat, & in posteriore subsistat. Tecum igitur requies vtriusque nostrum, quæ cum inuicem nobis refunditur, omnem animi abstergit sollicitudinem. Tecum is qui & moribus & operibus suis & sobole tali inuenit gratiam apud Dominum nostrū. Tecum is qui inter mūdi huius procellas spiritalem nutriuit columbam, quæ ei fructus asserat pacis, vincta oliua integritatis. Tecum is qui ædificauit aram Deo,

Genes. 9.

Deo, quem benedixit Deus, & filios eius dicens: Crescite, & multiplicamini. Cum quo testamentum pacis statuit suæ, vt sit ei & filiis eius in progeniem æternam. Habes igitur heredem diuinæ benedictionis, consortem gratiæ, participem iustitiæ. Sed vide quæso, ne iste noster Noe agricola, bonus plantator feracis vineæ, cum fuerit amoris & gratiæ tuæ inebriatus poculo, tanquam crapulatus a vino, diutius quieti indulgeat: ac forte indormierit, excitet eum Sem nostri desiderium. Est & ibi Iaphet iunior ex fratribus, qui pietatis reuerentia patrem induat, quæ pater & dormiens videat, nec vnquam de pectore dimittat suo, quin semper oculis & cōplexu teneat, atque euigilans intelligat quæ ei fecerit filius suus iunior, qui latitudo Latinè dicitur, eò quòd in labijs eius diffusa gratia, & sit in moribus, propter quod benedixit eum Dominus, quia ipse tanquam bonus retrorsum rediens patrem texit pio charitatis velamine, & detulit pietati honorem, de quo & pater ait: Latificet Deus Iaphet in domibus Sem. Vnde & in enumeratione generationum præfertur seniori fratri, in benedictione substituitur. Præfertur propter honorem nominis, substituitur propter prærogatiuam senioris ætatis, & honorificentiam naturæ debitam. Sem autem dicitur Latinè nomen. Et bene hic noster Ambrosius bonum nomen, in cuius domibus latetur Iaphet, quia potius est nomen bonum super multas diuitiarum copias. Sit ergo & iste benedictus, & gratia eius super aurum & argentum, sit in portione eius semen Abrahæ, sint benedictiones, in posteritate, & omni familia iusti viri. Sed maledictus nemo, benedicti omnes. Benedictus enim Saræ fructus. Salutant te Ambrosij, salutat Parthenius dulcissimus, salutat Valentinianus paratus ad humilitatem, quod Hebraicè Canaan dicitur, quasi puer fratris sui, cui & nomine suo cessit. Et ideo tanquam Nemroth gemini gigas nominis, venator egregius super terram, de quo dictum est, Tanquam Nemroth gigas venator ante dominum. Namque ingenio subrusticus, viribus validus, quos ingenio æquare non potest, viribus superat, vt Comacinas rupes gestare secum, & faciem tauro propior vultu videatur exprimere, post habitum se indignatus, & paterno exutum vocabulo metropolitana virum Bononiensis subditum, quia infantia nescit blanditias, & de nutricis gremio se illæsus excussit. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, consulantem errorem cuiusdam maledici Apollinarista, qui non potest audire quòd Dominus noster Iesus Christus pro nobis seruitutem suscepit.
Epistola XLVII.

Ambrosius Irenæo. Quem scripsisti maledici sermonis seminatore, leuissimus est, qui iam veneni sui mercedem recepit. Siquidem responsum est ei publice: & quod priuatim scuerat, palam mesuit. Ego autem vanum ante & inuisorem tantum habebam. At vbi iste sermo ad aures peruenit meas, statim respondi quòd eum virus infecerit Apollinare, qui non potest audire quòd Dominus noster Iesus pro nobis seruitutem suscepit in istius corporis susceptione, cū apostolus clamet quod formam

A serui acceperit. Hoc munimentum, hæc sepes est fidei nostræ, qui hanc destruit, destruetur ipse, sicut scriptum est, Quia destruetem sepem mordebit serpens. Equidem primo leniter mandauit ei, qua ratione bonam rem malo animo facis? Ego enim beneficio annuero si quis mea legens scripta dicat mihi quod videatur moueri. Primum quia & in iis quæ scio, falli possum. Multa aurem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant. Pulchrū est, si fieri potest, cauere omnia. Deinde quia non debeo molestè ferre si cum de apostolicis & ipsis euangelicis dominicisque verbis plerique multas quæstiones serant, etiam in meis scriptis reperiant de quo disputandum putent. Plerique enim studio indulgent suo, vt iste qui propterea orbem circuiuit vt quæreret quem reprehenderet, non quem sibi imitandum arbitraretur. Hic igitur vt arroderet aliquid de meis scriptis, causam sibi amplam reperit, quoniam eo loci vbi dixit Dominus Iesus: Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ: diximus ideo dictum vt nos intelligamus patrem filij esse, & Dominum creaturæ. Quamquam in psalmo euidenter Dominum dixit patrem filius. Viderunt me, & mouerunt capita sua: adiua me Domine Deus meus. Etenim secundum formam serui locutus Dominū vocauit quem patrem nouerat, æqualis in Dei forma seruum secundum carnis substantiam se prædicans. Seruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis est. Aduertis igitur primum pro tua admirabili prudentia ea quæ in euangelio dicuntur, ad euangelij tempus referri, quo Dominus Iesus inter homines humana specie conuersabatur. Nunc ergo secundum hominem iam non nouimus Christum, sit ita visus & cognitus veteribus, iam transferunt vetera, & omnia noua facta sunt. Omnia tamen ex Deo, qui nos sibi per Christum reconciliauit. Eramus enim mortui, & ideo vnus pro omnibus mortuus, & vnus pro omnibus seruus factus est. Quid dicam, seruus factus est? Peccatum, opprobrium, maledictū factus est. Dixit enim apostolus, Quia pro nobis peccatum factus est, quia maledictum factus est Dominus Iesus. Dixit quia cum sibi subiecerit omnia, tunc & ipse subiectus erit. Dixit & Petrus, In nomine Iesu Nazareni surge, & ambula. Dixit quia glorificauit puerū suum Iesum, & nemo calumniatur de tempore. In Apocalypsi autem & agnus dicitus est à Ioāne, dicitus est in psalmo vermis, & non homo. Hæc omnia factus est, vt nostræ obtunderet mortis aculeum, nostram seruitutem tolleret, maledicta peccata, opprobria deleteret. Hæc & alia quæ consulenti cuidam, & multo plura à te scripsisti relata, cum scriptura diuina habeat, quemadmodum quisquam dubitabit dicere quæ pie scripta sunt, quoniam ad gloriam Christi spectat non ad imminutionem. Nam cum de dono eius, hoc est manna dictum sit, quia & qui minus collegit, non deminuit: & qui plurimum, non ampliavit: vnde potuit ipse vel minui vel augeri? Quid enim in eo imminutum est quod nostram seruitutem, nostras infirmitates suscepit? Erat humiliatus, erat in serui forma, sed idē in gloria Dei patris. Erat vermis in cruce, sed idem dimittebat peccata etiam persecutorum suorum. Erat opprobrium, sed idem maiestas Domini, sicut scriptum est: Et videbitur

Eccles. 10.

Matth. 11.

Psalm. 108.

1. Cor. 5.

Ibidem.

Acto. 3.

Apoc. 5. Psalm. 21.

Genes. 16.

Esai. 40.

Esa. 53.

Philip. 2.

Psal. 44.

Galat. 4.

Matth. 3.

Ioan. 11.

Philip. 2.

Timo. 2.

Ioan. 1.

Psal. 118.

Psal. 88.

Psal. 85.

Psal. 30.

maiestas Domini, & videbit omnis caro salutare Dei. Quid amisit cui nihil minus est? Non habebat quidem speciem neque decorem, sed habebat plenitudinem diuinitatis. Infirmus existimabatur, sed non destiterat esse Dei virtus: videbatur vt homo, sed fulgebat in terris maiestas diuina & patris gloria. Vnde pulchrè Apostolus eiusdem verbi repetitione vsus est, dicens de Domino Iesu: Quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Quid est in Dei forma, nisi in plenitudine diuinitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinē naturæ & perfectionis humanæ: sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit: Speciosus forma præ filiis hominum. Concluditur Apollinarista, nec quò se vertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixerat, Formam serui accepit, non seruus lectus est. Iterum ergo interrogo, quid est in forma dei? In natura Dei. Sunt enim, ait Apostolus, qui non sunt natura dii. Quæro quid sit formam serui accipiēs? Sine dubio perfectionē naturæ & conditionis (vt dixi) humanæ, vt esset in hominum similitudine. Et pulchrè non carnis, sed hominum dixit similitudinem, quia in carne eadem. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Vnde & propheta ait: Et homo est, & quis cognoscit eum? Homo secundum carnem, sed vltra hominem secundum diuinam operationem. Denique cum leprosum tangeret, homo videbatur, sed vltra hominem cum emundaret. Et cum Lazarum fleret mortuum, quasi homo flebat: sed supra hominem erat cum mortuum iuberet vinctis pedibus exire. Homo videbatur cum penderet in cruce, sed supra hominem cum referatis tumulis mortuos resuscitaret. Nec sibi blandiatur virus Apollinare, quia ita legitur, Et specie inuentus vt homo. Non enim negatus est homo Iesus, cum alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sed confirmatus est. Id enim est vsus & moris scripturæ sic significare. Sic & in euangelio legitur: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Sicut ergo quasi vnigenitus dicitur, & non abnuit vnigenitus Dei filius, ita vt homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur. Cum esset igitur in forma serui humiliatus vsq; ad mortem, erat tamen in Dei gloria. Quid ei igitur obfuit seruitus? Seruus autem factus legitur, quia legitur factus ex virgine, & creatus in carne. Omnis enim creatura seruit, dicente propheta, Quia vniuersa seruiunt tibi. Vnde & Deus pater ait, Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto vnxi eum. Ipse vocabit me, pater meus es tu, Deus salutis meæ: & ego primogenitum ponam eum. Et in alio psalmo: Custodi animā meam, quoniam sanctus sum, saluū fac seruū tuum. Et infra in codē psalmo: Da potestatem puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Cōgessi enim patris & filij voces, vt ei non argumenta humana, sed diuina responderent oracula. Alibi, inquit, In manus tuas commendo spiritum meum.

Statuisti in loco spatioso pedes meos, super omnes inimicos meos factus sum opprobriū. Et in eodem psalmo: Illustra faciem tuā super seruum tuum. Per Esaiam quoque dicit ipse filius Dei, Ex vtero matris vocauit Dominus nomen meum, & posuit os meum vt gladium acutum, & sub tegmēto manus suæ protexit me. Posuit me sicut sagittam electam, & pharetra sua texit me, & dixit mihi, Seruus meus es Israel, Dicitur enim Dei filius & Israel, sicut alibi, Iacob puer meus, Israel dilectus meus. Solum enim verè Deum patrem non solum vidit, sed etiam enarrauit. Et sequitur, In te glorificabor. Et ego dixi, in vacuum laboraui, & in nihilum dedi vires meas, ideo iudicium meum ante Dominum, & dolor meus ante Deū meum. Et nunc sic dicit Dominus: Qui finxit me seruum ex vtero sibi ad congregandum Iacob & Israel. Quis congregauit Dei populū nisi Christus? Quis glorificatus est ante Dominum? Quis est Dei virtus? Cui dixit pater, Magnum tibi est vocari te puerum meum? Et cui dicit, Ecce posui te in testamentum generis mei, in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ? De quo etiam per os Ezechiei locutus est dicens: Suscitabo super eos pastorem vnum, & reget eos seruus meus Dauid, & erit eorum pastor, & ego Dominus ero illis in Deum, & Dauid in medio eorum princeps. Dauid vtique rex iam defunctus erat, & ideo verus Dauid, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis Dei filius hoc annunciat nomen: qui etiam in Zachariæ prophetæ libro significatur, dicēte Deo patre: Ecce ego mittam seruum meum, oriens nomen est ei. Numquid quia habebat vestimenta fordida, ideo fulgorem diuinitatis suæ sol iustitiæ nō habebat? Et quid plura? An infirmus putamus seruitium esse quā peccatum, quā maledictum, quā opprobriū, quā infirmitates, quas pro nobis suscepit, vt à nobis auerterentur? Factus est enim hæc omnia, vt vniuersa vacuaret. Sed hæc ideo non recipiunt, quod seruus, opprobrium, peccatum, maledictum factus sit, quia verbum & carnem vnus asserunt esse substantiæ, & dicunt, ergo qui nos redemit, seruus dictus est, & peccatum debuit dici. Nec aduerterunt quòd hæc Christi gloria sit, quia seruitutem suscepit in corpore suo, vt libertatem omnibus redderet: peccata nostra portauit, vt mundi peccatum tolleret. Seruus, peccatum, maledictum factus est, vt tu peccati seruus esse desisteres, te diuinæ sententiæ maledicto absolueret. Ille ergo maledictum suscepit tuum. Maledictus enim omnis qui pendet in ligno. Ille maledictum in cruce factus est, vt tu benedictus esses in Dei regno. Ille dehonestatus & depreciatus est, nec aliquid existimatus. Ille dicebat, In vacuum laboraui, per quem meruit Paulus dicere: Non in vacuum laboraui, vt boni operis fructum, & euangelicæ prædicationis gloriam suis conferret seruulis, per quam vniuersi sarcina laboris absoluerentur. His igitur auditis derelictus est in dimidio dierum suorum perdix, qui clamauit vt congregaret quæ nō peperit, & oppressus est voce Domini Iesu. Denique adornat fugam. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Esa. 49.

Ezech. 34.

Zach. 3.

Deut. 21.

Esa. 49.

Philip. 2.

Hierem. 17.

Diui

Diui Ambrosij ad Irenæum prosequentis illud quod in Hieremia scriptum est, Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit: naturam istius auis describendo, & eam diabolo ac membris suis adoptando. Epistola XLVIII.

Ambrosius Irenæo. Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit. Licet enim mihi de superioris sine epistolæ sequentis mutuari exordium. Celeberrima quæstio, & ideo vt possimus eam abfoluere, quid de natura auis istius habebat historia, consideremus. Nam & hoc considerare non mediocri prudentiæ est, siquidem & Salomon cognouit naturas animalium, & locutus est de pecoribus, & volatilibus, & de reptilibus, & de piscibus. Dicitur itaque auis ista plena esse doli, fraudis, fallaciæ, quæ decipiendi venatoris vias calleat, atque artes nouerit, vt eum à pullis auertat suis, omniæque tentamenta verutiæ non prætermittit, quo possit venantem abducere à nido & cubilibus suis. Certè si insistere aduerterit, tamdiu illudit, quamdiu soboli fugiendi signum tribuat & potestatem. Quam vbi euasisse senserit, tunc se & ipsa subtrahit, & lubrica arte deceptum insidiantem relinquit. Fertur etiam promiscuæ esse permixtionis, vt in fœminas cum summo certamine mares irruant, & vaga calefiant libidine. Vnde impurum & maleuolum & fraudulentum animal aduersario & circumscriptori generis humani, fallacissimoque, & impuritatis auctori conferendum putatur. Clamauit ergo perdix, qui à perdendo nomen accepit, Sathanas ille, qui Latine contrarius dicitur. Clamauit in Eua primum, clamauit in Cain, clamauit in Pharaone, Dathan, Abiron, Chore. Clamauit in Iudæis, quando petierunt sibi fieri Deos cū Moyses legē acciperet. Clamauit iterum, quando de saluatore dixerūt: Crucifigatur, Crucifigatur, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Clamauit quando sibi regē fieri postulauerunt, vt recederent à Domino Deo rege. Clamauit in omni vano & perfido. His vocibus congregauit sibi populos quos non creauerat. Deus enim hominem ad imaginem suam fecit, & diabolus sibi hominem vocis suæ fraude sociauerat. Congregauit sibi nationum populos faciens diuitias nō cum iudicio. Vnde in proverbio est de diuite auaro: Quia perdix iste congregat diuitias non cum iudicio. At vero meus Iesus quasi iudex bonus cum iudicio omnia agit, qui venit, sicut scriptum est, dicens: Ego loquor iustitiam, & iudicium salutis. Ea igitur gratia deprehdatus est perdicem illum diabolum, abstulit ei male congregatas diuitias multitudinis, reuocauit ab errore animas gētium, mentesque nationum deuiantium. Et quia diaboli voce deceptos sciebat, & ipse vt vincula nexūque veteris erroris solueret, clamauit primum in Abel, cuius clamauit vox sanguinis. Clamauit in Moyse, cui dixit: Quid clamas ad me? Clamauit in Iesu Naue. Clamauit in Dauid, qui ait: Clamaui ad te, salua me. Clamauit in omnibus prophetis. Vnde & ad Esaiam dicit: Clama, & ille ait: Quid clamabo? Clamauit in Salomone conuocans cum altissima prædicatione ad sapientiam: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Clamauit etiā in corpore suo, sicut scarabæus in ligno. Clamauit vt insidiatorem falleret & cir-

acumueniret, dicens: Deus Deus meus quare me dereliquisti? Clamauit vt despoliaret respondēs latroni: Amen, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Itaque vbi clamauit Iesus, continuo perdix ille à congregatis in dimidio dierum suorum derelictus est. Vnde & quidam naturæ perdicis etiam istud aptandum putarunt, eò quòd aliena diripiet oua, & foueat suo corpore, atque hac sua fraude partus alienos studeat acquirere. Sed (quod aiunt, cornicis oculum, habent enim & volatilia suas artes) vbi istud aduerterit cuius aut singula oua direpta, aut cubile fuerit inuasū, sollicitata soboles errore similitudinis, speciei simulatione decepta, & si infirmior viribus, induit se atque armat verfugia, & cum labor omnis impensus nutrimentorum educantem exhauserit, atque adolescere pulli cœperint, tunc vocem emittit, & quadam pietatis tuba prolem aduocat. Quæ naturali quodam auditu excitata agnoscit parētem, & simulatam deserit. Ita cum vult congregare quæ non peperit, amittit quos nutriendos putauit. Non superfluo igitur & Iesus clamauit, vt quia totius mundi populus voce perdicis, blanditiis, arte, specie deceptus ab authore proprio deuiauerat lubricas artes secutus, veri parētis voce reuocatus fallacem relinqueret, atque in dimidio dierum eius fraudulentum desereret, id est, ante huius finem seculi, cui nos eripuit Dominus Iesus, & ad vitam æternam vocauit. Itaque nunc mortui mundo, viuimus Deo. Cum igitur perdix iste penitus à falsis filiis derelictus fuerit, tunc erit stultus ille quem elegit Deus, & sapientem confudit, saluus: quoniam quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. Ideo si quis videtur sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Vale fili, & nos dilige vt facis quoniam nos te diligimus.

Matth. 27.

Luca 23.

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

Diui Ambrosij ad Syricium, narrantis illum Prisco aduenienti literas dedisse, & se eidem reuertēti alias reddidisse. Et quia vtrumque eorum officio remuneratus sit, etiam eius officij precium incrementa debere adipisci gratia. Epistola XLIX.

Ambrosius Syricio. Prisco amico & æquauo meo dedisti aduenienti literas. Ego quoque reuertenti reddidi, quas & pro officio, & pro amore debui. Vtrumque igitur nostrum suo officio remuneratus est, quo & mihi tuas, & meas tibi restituit. Ideo eius officij precium incrementa debet adipisci gratiæ. Vale, & nos frater dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Atticum, scribentis literas suas Priscum sibi & se illi alias reddidisse, Priscum dilectioni suæ amplius commendantis. Epist. L.

Ambrosius Attico. Prisco meo dedisti literas, Priscus meus mihi reddidit, & ego Prisco. Tu Priscum vt soles dilige, & plus etiam quā soles, quod eo suadeo, quia & ipse Priscum meum facio plurimi. Est enim erga eum priscus hic noster amor, qui à pueritia iam inde nobis cum ætate accreuit simul, sed eum multo post vidi tempore, vt vere mihi non solum nomine, sed etiam tanti intervallo temporis priscus aduenerit. Vale, & amantes tui dilige, quia nos te diligimus.

Widem.

Matth. 27.

Genes. 1.

Genes. 4.

Exod. 14.

Nu. 117.

Exod. 40.

Num. 9.

Diui Ambrosij ad Felicem, significantis tuberum sibi missorum partem amicis direxisse, & illum quod se tamdiu nequaquam reniserit arguentis.

Epistola LI.

Ambrosius Felici. Misisti mihi tubera, & quidem miræ magnitudinis, ut stupori forent ea tam grandia. Nolui in sinu, ut aiunt, abscondere, sed aliis quoque demonstrare malui. Itaque partem direxi amicis, partem mihi referuavi. Suaue munus, non tamen ita præpotēs ut comprimeret querelam meam iure excitatam, quod nos tamdiu amantes tui nequaquam renisas. Et caue posthac ne maiora inuehas tubera. Nam huius nominis diuersa ratio. Ut enim grata in munere, ita in corpore atque in affectu molesta sunt. De te impetra quo minus te abesse doleam. Nam causa commotionis meæ desiderium est tui. Effice si potes, ut minus gratus sis. Rem exposui, causam probaui. Intorquenda est amentata illa non manipularis sententia, metuisti certe, sed vide quam mouear, ut delectet iocari, postea tamen ne excusaueris. Etenim quamuis tua hæc vestigalis mihi sit excusatio, malè de te iudicat, nec de me melius, si aut tuā absentiam muneribus compensandam, aut me muneribus redimendum putes. Vale, & nos amantes tui dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Romulum, quaestioni illius, cur videlicet Deus dixerit: Ponam cælum æreum, & terram ferream, satisficientis.

Epistola LII.

Ambrosius Romulo. Cum sis in agro, miror qua ratione de me quærendum putaueris cur dixerit Deus: Ponam cælum æreum, & terram ferream. Nam species ipsa agri & præsens fertilitas docere nos potest quanta clementia sit aeris, & cæli indulgentia, quando dignatur Deus vbertatem dare: quædo autem sterilitas quemadmodum clausa omnia, spissus aer, ut in rigorem æris solidatus putetur. Vnde alibi habes quia in diebus Helix clausum est cælum annis tribus, & mensibus sex. Significatur igitur clausum cælum æreum esse, vltimum sui terris negare. Terra quoque ferrea est: cum prouentus abnuat, & iacta sibi semina tanquam hostili duritia genitali excludit aluo, quæ gremio solet blandæ matris fouere. Quando enim ferrum fructificat? Quando æs imbres relaxat? His igitur miserandâ famem minatur impiis, ut qui pietatem filiorum communi omnium Domino & patri exhibere nesciunt, careant nutrimento paternæ indulgentiæ, sit illis cælum æreum concreto aere, & solidato in metalli rigorem, sit illis terra ferrea partus suos nesciens, & quod plerumque inopia habet, discordias ferens. Rapto enim vtuntur qui victu indigent, ut alienis dispendiis famem suam ableuent. Iam si & offensa inhabitantium huiusmodi sit, ut diuina commotione iis inferantur prælia, verè terra est ferrea, telorum segetibus inhorrens, & suis nuda fructibus, fœcunda ad pœnam, sterilis ad alimoniam. Vbi autem abundantia, Ecce ego pluo vobis panes, dicit Dominus. Vale, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Titianum, illi congaudentis quod à Rufino liberatus sit, quem sibi grauiorem iudicem in negotio cum nepte sua arbitrabatur.

Epistola LIII.

Ambrosius Titiano. Venit tibi innocens victoria, ut sine voti amaritudine potiaris victoriæ securitate. Rufinus enim ex magistro officiorum factus est in consulatu præfectus præfectorio, ac per hoc plus posse cœpit, sed tibi iam nihil obesse. Est enim aliarum præfectus partium. Quam gaudeo vel illi ut amico, quia honore auctus inuidia leuatus est: vel tibi ut filio, quia liberatus es ab eo quem tibi grauiorem iudicem arbitrabare, ut si de negotio definaueris cum tua nepte, pietatis tuæ sit, nō formidinis. Ideoque promptior esto decisioni, cuius & spes potior & fructus est. Spes, quia pater neptis tuæ, qui de illius sententia sibi plurimum blandiebatur, iam quod de eo speret non habet. Ille enim alia curat, præterita negligit, vel cum illo quod tunc gerebat, deposuit officio: iste negocij sui meritum, non sententiæ patronum considerat. Et fructus iucundior est, ut tibi referatur decisionis gratia, qui potueris iam spernere, & non sperueris, pietatem spectans necessitudinis, non stimulum offensionis. Vale, & nos dilige ut filius, quia nos te ut parentes diligimus.

Diui Ambrosij ad Syricium, gratum sibi asserentis cum & ab ipso literas accipiat, & ille aliquos de conseruatio suo dirigat, eosque se diligere contestantis qui non patiuntur se à suo munere diutius abesse, & ad sequendum Dominum Iesum suadentis.

Epistola LIIII.

Ambrosius Syricio. Gratum est mihi cum literas accipio tuas. At cum de cōseruatio nostro aliquos dirigit, ut fratrem nostrum, & compresbyterum Syrum, tuis es profecutus literis, geminatur lætitia. Sed vtiā fructus fuisset iste diuturnior. Nā statim ut venit, recurrendum putauit: quod quidem ad desiderium meum plurimum minuit, ad sui gratiam multum addidit. Nam ego diligo eos vel presbyteros vel diaconos qui cum aliquo processerint, nequaquam se patiuntur à suo diutius abesse munere. Dicit enim propheta: Non laboraui sequens post te. Quis autem potest laborare sequens Iesum, cum ipse dicat: Venite ad me omnes qui laboratis, & operati estis, & ego vos reficiam? Sequamur ergo Iesum semper, nec desinamus. Quod si semper sequamur, numquam deficiamus. Dat enim vires sequentibus se. Itaq; quo propior virtuti fueris, eo fortior eris. Plerumque cum sequimur, dicitur nobis ab aduersariis: Vbi est verbum Domini? veniat. Sed nos non fatigemur sequendo, non auertamur subdola interrogationis impedimento. Dicebatur hoc propheta cum mitteretur in carcerem, cum demergeretur in voraginem luti: Vbi est verbum Domini? veniat. Sed ille multo magis secutus est, & ideo ad brauium peruenit, ideo accepit coronam, quia non laboraui qui sequebatur Iesum. Nō est enim labor in Iacob, nec dolor videbitur in Israel. Vale, & nos dilige, quia & nos amantem nostri ut parentem diligimus.

Diui

Diui Ambrosij ad Fœgadium & Delphinum episcopos, insinuantis Polybium ut utriusque eorum scriberet poposcisse, ac post datam epistolam utriusque nomine conscriptam alteram exegisse, & ei se illam dedisse.

Epist. LV.

Ambrosius Fœgadio & Delphino episcopis. Polybius filius noster cū de Africanis regressus partibus, in quibus proconsularem iurisdictionē egregiè representauit, aliquantulos nobiscum exegisset dies, summa gratia se meis visceribus infudit. Deinde cum abire hinc & demicare vellet, poposcit ut utriusque vestrum scriberem. Promisi futurum. Itaque dictaui epistolam, & utriusque conscriptam nomine dedi. Postulauit alteram. Dixi ad utrumque vestrum datam more vsuque nostro, eò quod sancta mens vestra non epistolarum numero, sed coniunctione nominum delectaretur. Nec perpeti posset ut fieret vocabulorum separatio, quorum affectus conueniret. Ideoque præscriptum nostro muneri ut vteremur charitatis compendio. Quid plura? Exegit alteram, dedi, ut neque illi negarem quod posceret, nec mihi immutarem, quod in vsum venerat. Ita & ille habet quod utriusque reddat: quia id solum præterdit, ne cum alteri reddidisset, alteri vacuus foret. Et ego vobis indiuisæ gratiæ munus sine vlllo depēdam offensionis periculo, & diuisionis scrupulo: cū præsertim etiam hæc forma scriptionis apostolicæ sit, ut & vnus ad plures, ut Paulus ad Galatas: & duo ad vnum possint scribere, sicut scriptum est, Paulus vincētus Iesu Christi, & Timotheus frater, Philemoni. Salutem vobis dico, diligite nos, & orate pro nobis, quia ego vos diligo.

Diui Ambrosij ad Romulum, de eo quod Aaron populo poscenti sibi Deos fieri, aurum detraxerit, & quod eo auro figuratum sit vituli caput, & quod Moyses tam dure indignatus sit, ut iuberet quemque insurgere in necem proximi sui quid ipse sentiat exprimentis.

Epistola LVI.

Ambrosius Romulo. Epistolarum genus propterea repertum, ut quidā nobis cum absentibus sermo sit in dubium non venit. Sed sit hoc vsu exemplōque pulchrius, si inter parentem ac filios crebra & iucunda alloquia cedantur, ut verè inter disiunctos corpore quædam imago referatur præsentia. His enim adolescit officiis amor, sicut tuis ad me, aut meis ad te augetur literis. Sed hoc multo locupletius proximis tuæ dilectionis experiri cœpi affatibus, quibus me consulendum putasti quid tibi vellet quod Aaron aurū detraxerit populo poscenti sibi fieri Deos, & quod ex auro figuratum sit vituli caput, vel quod Moyses tam dure indignatus sit, ut iuberet proximū quemque insurgere gladii in necem proximi sui. Magnum est enim nullum pati absentibus damnum irreperere non solum suauitatis, sed etiam collationis & liberalis scientiæ. Quid igitur de eo sentiam quoniam exposcis, conferendi magis quam exponendi studio loquar. Cum Moyses in monte Syna legem acciperet, populus erat cum Aaron sacerdote. Et quamuis frequenter ad culpam lubricus, tamen quamdiu lex dabatur, sacrilegio er-

asse non proditur. Verum vbi diuinum conticuit oraculum: peccatum irrepsit, ut peterent sibi fieri Deos. Coactus Aaron petit annulos eorum, & in aures mulierum, quæ tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput. Neque excusare tantum sacerdotem possumus, neque condemnare audemus. Nō imprudens tamen qui annulos Iudæis & in aures abstulit. Etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant, nec ornamenta aurium. Deniq; & patriarcha Iacob abscondit in aures cum simulachris gentium, quando in Sichimis abscondit, ut nullus audiret superstitiones gentium. Pulchrè autem dixit: Deponite annulos & in aures aureas, quæ sunt in aures mulierum vestrarum. Non quo virorum in aures relinqueret, sed quod viros nō habere manifestaret. Congruè quoque in aures auferuntur mulieribus, ne iterum Eua vocem serpentis audiret. Et ideo quia sacrilegium audierant, conflatis earum inauribus conflata est imago sacrilegij. Qui enim male audit, cōflare sacrilegium solet. Cur autem caput vituli exierit, sequentia docent: quia significabatur futurum quod Hieroboam posteriore tempore hoc genus sacrilegij induceret, ut populus Hebræorum adoraret vitulos aureos, siue quod omnis perfidia similis immanitatis atque insipientiæ bestialis sit. Cuius rei indignitate percitus fregit tabulas Moyses, & comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, ut omnia impietatis aboleret vestigia. Fractæ sunt enim primæ tabulæ, ut repararetur secundæ, quibus per euangelij prædicationem perfidia comminuta euauit. Sic Moyses typum illum dissipauit Ægyptium, & altitudinem extollentem se compressit æternæ legis autoritate. Vnde & Dauid ait: Et confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani. Itaque absorbit populus omnem perfidiam ac superbiam, ne eum absorberet impietas & arrogātia. Melius est enim ut vnusquisque præualeat carni & vitii eius, ne dicatur de eo quia deuorauit eum mors præualens, sed dicatur magis: Deuorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Et de Domino dictum: De torrente in via bibet. Quia acetum accepit, ut absorberet vniuersorum tentationes. Quod autem occidi fecit à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum euidentis quia præferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas quæ præponit diuina humanis, perpetua temporalibus. Vnde & ipse Moyses ad filios Leui dixit: Qui paratus est à Domino, veniat ad me. Et dixit illis: Hęc dicit Dominus Deus Israel: imponite vnusquisque gladium suum in femore suo, & pertransite, ut contemplatione atque amore reuerentiæ diuinæ perimeretur omnis affectus necessitudinis. Et occisa quidem videntur tria milia hominū. Nec numeri inuidia mouemur, quia melius est paucorum supplicio vniuersos exui, quam in omnes vindicari. Neque vero aliquid durum videtur pro vindicta iniuriæ cœlestis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarū, quorum portio Deus. Nesciunt enim suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam sanctis omnia Deus est. Est etiam ille Leuita verus vltor & vindex, qui carnem

*Leuit. 26.
Deut. 28.*

Luc. 4.

Exod. 16.

Genes. 35.

3. Reg. 12.

Psalm. 18.

1. Cor. 15.

Psalm. 109.

Exod. 32.

Eccl. 32.

Marth. 11.

Hierem. 17.

1. Cor. 9.

Luc. 2.

interimit, vt feruet spiritum qualis erat ille qui ait: **C**astigo corpus meum, & seruituti redigo. Quid autem tam proximum quam caro animæ? Quid tam proximum quam sunt passiones corporis? Eas in se **L**euita bonus interimit spiritali gladio, qui est verbum Dei bis acutum & validum. Est & gladius spiritus, qui pertrāsīt animam, sicut ad Mariam dictum est: Tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Nonne caro animæ fraterno quodam copulatur consortio? Nonne etiam mēti nostræ affinis & propinquus sermo est? Cū igitur comprimimus sermonem ne multiloquio peccatum incidamus, ius germanitatis abrupimus, & fraternæ vinculum propinquitatis dissoluimus. Irrationabile quoque suum anima tanquam cognatum rationabili vigore dissociat. Sic ergo **M**oytes docuit populum insurgere in proximos suos, per quos fides reuocaretur, virtus impediretur, vt desecaretur in nobis quicquid à virtute deuium foret, confusum erroribus, vitis innoxum. Hac institutione populi meruit vt non solum deliniret indignationem diuinam, atque offensam auerteret, verum etiam conciliaret gratiam. Pro capto itaque nostro quid sentiremus, quoniam consuluisti expressimus. Ipse si quid melius habes, nobis comparticipato, vt ex te & ex nobis discamus quid potius eligendum & sequendum sit. Vale, & vt filius nos dilige, quoniam & nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Seuerum episcopum, scribentis compresbyterum suum Iacobum Campaniæ sibi ad requiescendum littora vbi orationi vacet, & Deo seruiat, elegisse, se vero in medio omnium molestiarum freto versari conquerentis.
Epistola LVII.

Ambrosius Seuero episcopo. Ex vltimo Persidis profectus sinu Iacobus frater & compresbyter noster Campaniæ sibi ad requiescendum littora, & vestras elegit amœnitates. Aduertis quibus in locis quasi ab huius mundi vacuum tempestatibus suppetere sibi posse presumpserit securitatem, vbi post diurnos labores reliquū vitæ exigat. Remota enim vestri ora littoris non solum à periculis, sed etiam ab omni strepitu tranquillitatem infundit sensibus, & traducit animos à terribilibus, & sauis curarum æstibus ad honestam quietem, vt illud commune omnium specialiter vobis videatur congruere & conuenire, quod ait Dauid de sancta ecclesia: Ipse super maria fundauit eam, & super flumina preparauit eam. Etenim liber animus à Barbarorum incurſibus, & præliorum acerbitatibus, vacat orationibus, inseruit Deo, curat ea quæ sunt Domini, fouet illa quæ pacis sunt & tranquillitatis. Nos autem obiecti Barbaricis motibus & bellorum procellis in medio versamur omnium molestiarum freto, & pro his laboribus & periculis grauiora colligimus futuræ vitæ pericula. Vnde de nobis propheticum illud concinere videtur pro laboribus: Vidi tabernacula Æthiopum. Etenim in istius mundi tenebris quibus obumbratur veritas futuræ perfectionis, cū annum tertium & quinquagesimum iam perduxerim in hoc corpore situs, in quo tam graues iandudum sustinemus gemitus, quomodo

non in tabernaculis Æthiopum tendimus, & habitamus cum habitantibus Median? Qui propter tenebrosi operis conscientiam diiudicari etiam ab homine mortali reformidant. Spiritualis enim diiudicat omnia, ipse autem à nemine diiudicatur. Vale frater, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Studium, pia illi persuasione respondentis quid in causa cuiusdam criminosi potius agere debeat.
Epistola LVIII.

Ambrosius Studio. Recognosco puræ affectum mentis, & fidei studium, & Domini nostri Iesu Christi timorem. De quo etiam ego vererem responsum referre, constrictus altero quod est commissum vobis propter custodiam legum, altero autem propter misericordiam & gratiam, nisi de hoc apostolica haberes auctoritatē, quia non sine causa gladium portat qui iudicat: Dei enim vindex est in eos qui male agunt. Quod tamen etſi cognitum tibi foret, nō ocioſe sciscitandum putasti. Nā nō sunt extra ecclesiam tamen qui in aliquos capitalem sententiam ferendam existimauerunt. Plerique etiam sponte se abstinent, & laudantur quidem, nec ipsi eos possumus non prædicare, quia auctoritatem Apostolica tenus obseruamus, vt iis communionem nō audeamus negare. Vides igitur quid auctoritas tribuat, quid studeat misericordia, exultationem habebis si feceris: laudem si non feceris. Sed si non potueris facere, nec tamen innocentes atterere squalore carceris & absoluere, plus quasi sacerdos probabo. Potest enim fieri vt causa cognita recipiatur ad sententiam reus, qui postea aut indulgentiam sibi petat, aut certe sine graui seueritate (quod quidam ait) habitet in carcere. Scio tamen plerosque gentilium gloriari solitos quod incruentam de administratione provinciali securim reuexerint. Si hoc gētiles, quid Christiani facere debent? Ad omnia tamen accipe responsum saluatoris: Nam cū adulteram reperissent Iudæi, obtulerunt eam saluatori captantes, vt si absolueret eam, videretur legem soluere, qui dixerat: Non veni legem soluere, sed adimplere, si dannaret: videretur aduersum finem venisse propositi sui. Hoc igitur præuidens Dominus Iesus, inclinato capite scribebat in terra. Quid scribebat nisi illud propheticū: Terra terra, scribe hos viros abdicatos quod de Iechonia lectum est in Hieremia propheta? Cū Iudæi interpellār, in terra scribūtur nomina Iudæorum. Cū adeunt Christiani, non scribūtur in terra fidelium nomina, sed in cœlo. In terra autem scribuntur abdicati à patre proprio, qui patrem tentant, & contumelias irrogant auctori salutis. Cū interpellant Iudæi, inclinat caput Iesus, & quia non habet vbi reclinet caput suum, iterum erigit quasi dicturus sententiā, & ait: Qui sine peccato est, prior lapidet eam. Et iterum inclinat capite scribebat in terra. Audiētes illi, exire coeperūt singuli incipiētes à senioribus: vel quod ipsi plura haberent crimina qui diu vixerant, vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores: & coeperunt sua magis peccata deslere, qui alieni criminis venerant accusatores. Recedentibus ergo illis remansit solus Iesus, & eleuans caput ad mulierem: ait: Vbi sunt qui

1. Cor. 2.

Rem. 17.

Ioan. 8.

Matth. 5.

Ioan. 8.

Hierem. 22.

Matth. 8.

Ioan. 8.

te accu-

te accusabant? nemo te lapidauit? E illa respondit: Nemo. dicit ei Iesus: Nec ego te damnabo, vade, & ammodo vide ne pecces. Non damnat quasi redemptio, corrigit quasi vita, quasi fons abluit. Et quia quando se inclinat Iesus, ideo inclinat vt iacētes eleuet, ideo ait remissio peccatorum: Nec ego te damnabo. Habes quod sequaris. Potest enim fieri vt ille criminofus possit habere spem correctionis, si sine baptismo est: vt possit accipere remissionem: si baptizatus, vt pœnitentiā gerat, & corpus suū pro Christo offerat. Quanta sunt ad salutem viæ. Et ideo maiores maluerunt indulgentiores esse circa iudices, vt dum gladius eorum timeretur, & reprimere scelerum furor, non incitaretur. Quod si negaretur communio, videretur criminoforū vindicata pœna. Maluerunt igitur priores nostri vt id in voluntate magis abstinentis, quam in necessitate sit legis. Vale, & nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Diui Ambrosij ad sacerdotes quosdam & omnem clerum plebis Theſſalonicensium, de obitu, vita, virtutibus, & conuersatione sancti viri Acholij.
EPISTOLA LIX.

Ambrosius Anatolio, Numerio, Seuero, Philippo, Macedonio, Ammiano, Theodosio, Eutropio, Claro, Eusebio, & Timotheo dominis sacerdotibus, & omni clero plebis Theſſalonicensium dilectis salutē. Dum semper affixum tenere animo desidero virū sanctum, atque omnes actus eius quasi in specula positus exploro, hausi nimia indagine sollicitudinis amaritudinē nunciij celerioris, & quod adhuc mallet nescire, cognoui in cœlestibus iam requiescere virum sanctum Acholium, quem in terris requirebamus. Quaritis quis hoc annunciauerit cū vestræ sanctitatis nondum venissent literæ? Nō teneo authorem nunciij, & vsu quidem venit vt non libenter teneamus nuncium mœstitudinis, sed tamen clauso mari, occupatis terrarum Barbarica infestatione regionibus, cū deesset qui aduenire potuerit, non defuit qui nunciaret, vt mihi videatur ipse sanctus annunciasse se nobis, eo quod iam perpetuo laboris sui potiretur stipendio, & solutis vinculis corporis inter angelorum ministeria Christo adhæreret, cupiens amantis sui errorem absoluere, ne illi longauitatē vitæ huius deprecemur, cui vitæ æternæ iam præmia deferebantur. Abiit ergo, non obiit, & emigravit à nobis veteranus Christi Iesu cœlo, terræque istius solum mutans, & plaudens alis atque remigijs spiritualibus dicit: Ecce elongaui fugiens. Cupiebat enim apostolico spiritu iam dudum terras relinquere, sed tenebatur votis vniuersorum, sicut de Apostolo legimus, quia remorari eum diutius in carne erat ecclesie necessarium. Viuebat enim non sibi, sed omnibus, & populis erat vitæ æternæ minister, vt prius eius fructum etiam in aliis quam in se adipisceretur. Est igitur iā superiorū incola, possessor ciuitatis æternæ illius Hierusalem quæ in cœlo est. Videt illic vrbs eius mensuram immensam, purum aurum, lapidem preciosum, lumen sine sole perpetuum, & hæc omnia iam dudum quidem sibi comperta, sed nunc facie ad faciem

Philim. 54.

Philim. 1.

A manifesta videns, dicit: Sicut audiuius, ita & videmus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. Ibi ergo positus appellat populum Dei, dicens: O Israel quàm magna est Domus Dei, & quàm ingens locus possessionis eius, magnus & nō habēs finem. Sed quid hoc est? Dum merita viri considero, & quasi discedentem spiritu sequor, & sanctorum choris deducentibus intermiscor, non merito vllō, sed affectu penē sum oblitus mei. Itane ergo raptus est nobis murus fidei, gratiæ, & sanctitatis, quem totiens ingruētibus Gotthorum cateruis nequaquam tamen potuerunt Barbarica penetrare tela, expugnare multarum gētium bellicus furor? Denique in cæteris populatores locis, illic pacem rogabant: mirantibusque quid sibi sine milite vllō obſisteret, à prudentioribus intimabatur Helisæi intus imitatore degerere, etate supparem, nō imparē spiritu: cauerent ne exemplo Syrinici agminis sibi quoque cæcitas offunderetur. Et tamen circa discipulos suos diuerſa dona Christi sunt. Helisæus quidem in Samariam captiuas acies induxit Syrorum. Sanctus autem Acholius precibus suis fecit vt de partibus Macedoniæ victores fugaret. Nonne & hoc intelligimus virtutis superioris fuisse, vt vbi miles nullus aderat, illic pellerentur sine milite? Nonne & hoc cæcitas est vt fugerent, quos nullus vrgebat, sed vrgebat & præliabatur sanctus Acholius, non gladiis, sed orationibus: non telis, sed meritis? an incognitum nobis est dimicare sanctos etiā cū ferientur? Nonne ocioſus erat Helisæus? Ocioſus scilicet corpore, sed vibrabat spiritu, & orationibus præliabatur, quando in castris Syriæ vox equitum & vox virtutis magnæ audiebatur, adeo vt putarent Syri aliorum regum aduersus se venire exercitus, qui populo Israel adiumento forent, vnde perculli magno fugerunt pauore. ita vt leproſi quatuor qui mortis egressi fuerant desiderio, castra hostium deprædarentur. Nonne in Macedonia similia Dominus per orationes sancti Acholij fecit miracula, aut prope maiora? Non enim inani metu nec superflua suspicione, sed sauiente luce, & ardenti pestilentia perturbati Gotthi ac terri sunt. Denique tunc fugerunt vt euaderent, regressi postea pacem rogarunt vt viuerent. Vidimus itaque intati viri meritis superiora secula, & opera prophetarum quæ legebamur aspeximus. Quasi Helisæus inter arma, inter acies, dum vixit versatus est, meritis suis componens prælia. Denique vbi securitas cohabitantibus reddita est, quod ipso fuit durius bello, sanctum exhalauit spiritum, & quasi Helias vsque ad cœlum eleuatus est, non curru quidem igneo, nec equis igneis, nisi forte illa non vidimus, nec incommotione aeris, sed in voluntate & placiditate Dei nostri, & sanctorum angelorum lætitia, qui ad se tantum virum transiſſe gratulabantur. Certe dubitare illa nequaquam possumus, quandoquidem reliqua congruerunt. Siquidem eodem momento quo ille adhuc eleuabatur, velut quodam melotidis suæ demisso amictu sanctum Anyſium discipulum suū induit, & sui vestiuit infulis sacerdotij, cuius meritum & gratiam non nunc primum audio, nec in vestris epistolis didici, sed in vestris literis cognoui. Nam

1. Sam. 47.

Baruc 3.

4. Reg. 6.

4. Reg. 6. & 7.

quasi p̄scius successurū sibi, etsi promissis tegebat, G tamen iudiciis designabat, adiutum se eius cura, labore, officio memorans, vt iam declarare confortem videretur, qui nō quasi nouus ad summū sacerdotium veniret, sed quasi vetus sacerdotij executor accederet. Cui pulchrē conuenit dictum illud euāgelicum: Euge bone serue & fidelis, quoniam super pauca fidelis fuisti, super multa te constituam. Hęc mihi de sancto Acholio vobiscum communia. Illud tamē speciale, quo deuinctus sum beatę memorię viro quia tribuit mihi vt eum non ignorarem. Nam cum eo veniente ad Italiam egritudine confectus tenebam, vt nō possem occurrere, ipse ad me venit, & visitauit. Quo studio, quo affectu ipse in me, & ego in eum irruimus? Quo gemitu mala istius seculi, & ea quę hęc acciderent, deplorauimus, ita vt lachrymarum profluuiio vestem infunderemus, dū salutatione exoptatissima, mutuo desiderio & expetito diu fruatur, adheremus amplexu. Itaque quod voti mei erat, illius beneficij fuit quia potui illum videre. Nam etsi maior portio, & plenior cognitio sit in spiritu videre quos diligimus, tamen etiam in figura corporis videre desideramus. Sic aliquando reges terrę querebant faciem Salomonis videre, & audire eius sapientiam. Dicesit igitur à nobis, & nos in hoc reliquit salo: sed quod illi vtile, id multis ipso Barbarico furore est grauius: quia illum iste depellebat, hunc nobis quis poterit representare? Sed representat Dominus, & seipsum in discipulo representat. Representat iudicia vestra, quibus dictū est: Date Leui manifestos eius, & veritatem suam. Viro sancto dedistis manifestum eius, vt pote eius institutione fundatum, dedistis imitatoremi viri eius qui dixit patri suo, & matri suę, non vidi te: & fratres suos nō sciuit, & filios non recognouit, & custodiuit verbum Domini, & testamentum eius obseruauit. Narrabunt populi iustitiã eius. Talis viri vita, talis hereditas est, talis conuersatio, talis successio. Ille se monasterijs puer dedit, & intra Achaiã angusto clausus tugurio, gratia tamen multarum terrarum peragrauit diuortia, ad summum sacerdotium à Macedonicis obsecratus populis, electus à sacerdotibus, vt vbi ante fides per sacerdotem clauderetur, ibi postea per sacerdotem muralia fundamenta fidei confirmarentur. Non aliter etiam eius discipulus imitatione, qui & ipse dixit patri suo & matri suę, non vidi te. Non vidit enim studio, non vidit affectu, & fratres suos non sciuit, quia Deum scire desiderauit. Et hic recognouit verbum Domini, & custodiuit testamentum eius, & imponit honorem in ara eius semper. Benedic Domine fidem eius, sanctitatem, sedulitatem. Benedictio tua veniat super caput eius, & super verticem ipsius. Sit honorificus inter fratres suos, sit in eo tantę speciei, vt ventilet corda inimicorū, & sanctorum mentes demulceat, & iudicium sacerdotum tuorum in eo sicut lilium floreat. Valete fratres, & diligite me, quia ego vos diligo.

Diui Ambrosii ad Anyfium sancti Acholij successorem de successione eius congruenter, vitamque sancti Acholij commendantis, & illius adolescentiam, iuuentutē, atque senectutem benedicens. Epistola LX.

Ambrosius episcopus Anyfio fratri. Iam dudū te teneo, & si nūc primum lego, meritifque compertum habeo quem oculis non videram. Doleo quidem illud accidisse, sed hoc successisse gaudeo: quia licet superstitē me non optauerim illud contingere, speraui tamen post illius sancti viri exitum hoc solum posse merito succedere. Teneamus ergo te sanctę memorię Acholij dudum discipulum, nūc successorem heredemque eius vel honoris vel gratię. Magnum meritum frater gaudeo tibi ne vno quidem momēto de successore tāti dubitatum viri: & magnum onus frater tanti nominis pondus subisse, tantę librę, tantique examinis. Queritur in te Acholius, & sicut erat in affectu tuo, ita in officiis desideratur illius virtutis, illius disciplinę effigies, illius fortitudo animi in tam senili corpore. Vidi fateor virum, nam & hoc meritis illius debeo quod illum viderim. Vidi ita illū esse in corpore, vt extra corpus putarē. Vidi imaginem illius qui se siue in corpore siue extra corpus nesciens, raptum ad paradysum viderat. Ita enim percurrerat omnia ex cursu frequenti, Constantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, vt iuniores cum non possent consequi. Cedebant fortiores corpore, quia eū sine impedimento esse corporis nouerant, vt eo tātum pro velamine vteretur, non pro officio certe ad seruitium, non ad subsidium. Ita enim affecerat corpus suum, vt in eo mundum crucifigeret, & mūdo semetipsum. Benedictus Dominus, & benedicta adolescentia eius quam exegit in tabernaculis Dei Iacob, positus in monasterijs, in quibus cum quæreretur à parentibus vel proximis, dicebat: Qui sunt fratres mei, aut quę mater mea? Non noui patrem vel matrem, vel fratres meos, sed eos qui audiunt verbum Dei, & faciunt. Benedictus etiam processus iuuentutis ipsius, in qua ad summum electus est sacerdotium, maturo iam probatus virtutum stipendio. Venit enim tanquam Dauid ad pacem populi reformandam. Venit tāquam illa nauis aurum secum intelligibile vehens, & ligna cedrina, & lapides preciosos, vt illas columbę pennas deargentatas, quibus medias inter sortes summo pacis & tranquillitatis sopore dormiuit. Est enim sanctorū etiā somnus operarius, secundum quod scriptum est: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et secundum quod Iacob sanctus diuina dormiens videbat mysteria, quę vigilans non viderat, de cęlo ad terras aerem peruium sanctis, respicientem Dominum, & pollicentem terrę eius possessionem. Itaque breui somno dormiens impetrauit quod magno labore postea acquisiuit. Hereditas eius est enim somnus sanctorum, feriatas ab omnibus corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione, tranquillitatem menti inuehens, placiditatem animę, tanquam soluta nexu corporis se ableuet, & Christo adherat. Hic est somnus vita sanctorū, quā viuebat sanctus Acholius, cuius benedicta etiā senectus ipsa est. Verē senectus illa venerabilis, quę nō canis, sed meritis albescit. Ea est enim reuerēda canicies, quę est canicies animę in canis cogitationibus & operibus effulgens. Quę est enim verē ætas senectutis, nisi vita immaculata, quę non diebus aut mensibus, sed seculis

Matth. 25.

Esai. 60.

1. Paral. 9.

2. Cor. 11.

Galat. 6.

Matth. 23.

Canit. 5.

Gen. 28.

1. Tim. 6.

1. Tim. 6.

Sapient. 4.

seculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longeuitas? Quo enim diuturnior, eo fortior (eo quod diutius eam vitam vixerit) in virum perfectum excreuit. Huius igitur successore te Dominus non solum honore, sed etiam moribus probet, & summa fundare dignetur gratia vt ad te quoque populi concurrant, de quibus dicas: Qui sunt isti qui sicut nebulę volant, & sicut columbę cum pullis suis? Veniant quoque sicut naues Tarsis, quę accipiāt frumentum quod Salomō verus impartiuit viginti mensuras tritici. Accipiant oleum & sapientiam Salomonis, & sit pax inter te, & populum, & testamentum pacis custodias. Vale frater,

A & nos dilige, quia nos te diligimus. Diui Ambrosii ad Candidianum, splendorem sermonis, & fulgorem affectus eius commendantis, illique benedictionem optantis. Epistola LXI. Ambrosius Candidiano fratri. Summus quidē splendor in sermone est tuo, sed magis in affectu elucet mihi. Nā in epistolis mentis tuę aspicio fulgorē dilectissime frater ac beatissime. Dominus te benedicat, & det tibi sui gratiam. Nam & ipse in epistolis tuis vota magis quā mea merita recognosco. Quę enim merita mea tantis tuis sequentur sermonibus? Dilige nos frater, quia nos te diligimus.

FINIS.

Capita Epistolarum Libri octau.

- Ambrosius Irenæo, questionem, cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat, dissoluens. Epistol. LXII.*
- Ambrosius Iusto, differens quod veteres quos plerique secundum artem scripsisse negant, secundum gratiam quę super omnem artem est, scripserint: de quorum tamen scriptis ij qui de arte scripserunt, artē inuenerunt. Epist. LXIII.*
- Ambrosius Syagrio Veronensis ecclesię episcopo, literis illius respondens, eumque vehementer arguens de iudicio attentato in causa cuiusdam virginis per turpes quasdam personas accusatę, & cur causam istam ad se reuocauerit, & qualem in ea sententiam pronunciauerit exponens. Epistola LXIII.*
- Ambrosius Syagrio, pro castitatis contumelia dolentem querelam faciens, atque ex scripturis sanctis ostēdens quantum maiores nostri reuerentię detulerint castimonie, quātūmve vltionis studium aduersum temeratores pudicitie fuerit. Epist. LXV.*
- Ambrosius Paterno eūdem quia filio neptem ex filia copulare voluit, redarguens, & vt ab ea discedat intentione, commonens. Epist. LXVI.*
- Ambrosius Quinegio, illum de consultatione sua commendans. Epist. LXVII.*
- Ambrosius Antonio, amorem eius in se, & sui animum in illum commemorans. Epist. LXVIII.*
- Ambrosius Alipio, literas illius sibi esse redditas, & se suis respondisse literis significans. Epistol. LXIX.*

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS, EPISTOLARVM
LIBER OCTAVVS.

Diui Ambrosii ad Irenæum, questionem, cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat, dissoluentis. Epistola LXI.

Ambrosius Irenæo. Queris à me cur Dominus Deus manna pluerit populo patrum, & nunc non pluat. Si cognoscis, pluit, & quotidie pluit de cęlo manna seruientibus sibi. Et corporeum quidem illud manna hodie plerisque in locis inuenitur, sed nūc nō est tanti res miraculi: quia venit quod perfectum est. Perfectum autem panis de cęlo, corpus ex virgine, de quo satis euangelium te docet. Quanto prestantiora hęc superioribus? Illud enim manna, hoc est, panem illum qui manducauerunt, mortui sunt:

C hunc autem panem qui māducauerit, viuet in æternū. Sed est spirituale māna, hoc est pluuia spiritualis sapientię, quę ingeniosis & quærentibus de cęlo infunditur & irrorat mētes piorum, & obducat fauces eorum. Qui igitur intellexerit infusionē diuinę sapientię, delectatur, nec alium cibū requirit, nec in solo pane viuit, sed in omni verbo Dei. Qui curiosior fuerit quærit quid sit istud quod melle dulcius sit. Respondet illi minister Dei: Hic est panis quē dedit tibi Deus māducare. Qui sit iste panis, audi. Sermo, inquit, quem ordinauit Deus. Hęc ergo ordinatio Dei, hęc alimonia alit animam sapientis, & illuminat atque obdulcat, resplendens veritatis corusco, & mulcēs tāquam fauo quodam diuersarū virtutum suauitate, & sermone sapientię. Fau

1. Ioan. 6.

Matth. 4.

Prouer.16. enim mellis sermones sunt boni, sicut scriptum est in Prouerbiis. Cur autē minutū sit, causam accipe: quia & granum sinapis minutum est, quod comparatur regno cœlorum, & fides quæ sicut granum est sinapis, potest montes tollere, & iactare in mare. **Lucæ 13. Ibidem 17. Luca 13.** Et fermento simile est regnum cœlorum quod abscondit mulier in farina mensuris tribus donec fermentetur totum. Et Moyses caput vituli aurei cōminuit sicut puluerem, & misit in aquam, & dedit populo bibere. Incrassatum enim erat cor egrū per fidię immanitate, vt emolliretur, & fidei sumeret subtilitatem. Denique illa mulier quæ bene emoluerit assumetur, ea autem quæ male emoluerit derelinquitur. Emole ergo & tu fidem tuā, vt sis sicut illa anima quæ Christi in te charitatem excitat, quā mirantur ascendentes virtutes cœlorum quod sine offensionē ascendat, & ex hoc mundo ascendat cū lætitia & iucunditate, sicut vitis propago, & sicut fumus ad suprema subrigat fragrans odorem resurrectionis piæ, & suauitatem fidei, sicut habes scriptū: **Cantic. 3.** Quæ est hæc quæ ascendit à deserto sicut vitis propago, fumo incensa, odorificata myrrha & thure ab omnibus pulueribus vnguenti? Pulchre subtilitatem eius expressit pulueris comparatione, & vnguenti cōmemoratione, quia in Exodo subtile legimus, & ex multis compositum thymiamata illud esse incensum propheticum, quod est sanctorum oratio, vt dirigatur in cōspectu Domini, sicut & David dicit: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Denique, Græcus κατεβουθήτω ή σεσουχημς ώς θυμίαμα ενώπιον ος dixit. Et in Apocalypsi Iōannis legimus, quia stetit angelus ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt ei thymiamata multa de orationibus sanctorum omnium. Et ascendit, inquit, fumus thymiamatum orationum sanctorum de manu angeli in conspectu Dei. Et umbilicus animæ ac venter subtilis est illius quæ ascendit ad Christum. Ideoque laudatur voce sponsi dicentis: Umbilicus tuus crater tornatilis, nō deficiens multo, venter tuus acruus tritici minuti inter lilia. Est enim in omni doctrina tornatus, & potius spiritualis non deficiens plenitudine, & cœlestium secretorum cognitione. Venter quoque animæ mysticus sicut umbilicus, quo ventre non solum fortem cibum sumit, quo corda firmanantur, sed etiam suauem ac florulentum quo delectantur. Et fortasse hoc docuit Moyses multis orationibus & piis illud mitigandum sacrilegium. In libro quoque Regnorum cū se Dominus sancto reuelaret Helix, vox auræ tenuis præcesserit, & statim se ei Dominus reuelauit, vt cognoscamus ea quæ corporea sunt, crassa esse & pingua: & quæ spiritalia, mollia & subtilia, vt non possint comprehendi oculis. Denique & spiritus sapientię subtilis & mobilis legitur in libro Sapientiæ: quia est in illa Spiritus intelligentiæ, sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, & mobilis, qui sermones suos molat prius ne quid offendat vel in sensu, vel in alloquio. Denique illi Babyloni cū destrueretur, dicitur: Et vox molæ non audietur in te amplius. Hoc igitur manna subtile erat, & ad diem colligebatur, in diem alterum nō seruabatur, eo quod inuenta sapientię in tempore sint gratiora, nec tam miranda quæ spatio temporis reperiuntur,

quàm illa quæ præsentis funduntur ingenij viuacitate: siue quia futura reuelantur mysteria, eo quod seruatum manna vsque ad solis exortum, esui iam esse non posset, id est vsque ad Christi aduentum habere gratiam. Oriente autem iustitię sole, & splēdidioribus Christi corporis & sanguinis sacramentis refulgentibus cessarent inferiora, & perfecta illa sumenda populo forent. Vale, & nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Diui Ambrosii ad Iustum, differentis quod veteres quos plerique secundum artem scripsisse negant, secundum gratiā quæ super omnem artem est, scripsissent: de quorum tamen scriptis ij qui de arte scripserunt, artem inuenerunt.

Epistola LXIII.

Ambrosius Iusto. Negant plerique nostros secundum artem scripsisse. Nec nos obnitimur: non enim secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam, quæ super omnem artem est. Scripserunt enim quæ spiritus iis loqui dabat. Sed tamen ij qui de arte scripserunt, de eorum scriptis artem inuenerunt, & condiderunt cōmenta artis, & magisteria. Denique in arte requiruntur præcipue, vt sit *ἀπὸν ὕλη ἀπὸν σποτέλεσμα*. Cū igitur legamus sanctum Isaac patri dicere: Ecce ignis & ligna, vbi hostia? quid horum deest? Nam qui quærit, dubitat: qui respondet quærenti, pronunciat, & dubitationem absoluit. Ecce ignis, id est *ἀπὸν*. & ligna, id est *ὑλη*, quæ latinè materia dicitur. Tertium quid superest nisi *σποτέλεσμα*. quod filius quæsiuit, pater retulit dicenti, vbi hostia? Deus, inquit, prouidebit sacrificium fili. Differamus paulisper mysterium. Ostendit Deus pendentem Arietem cornibus. Arietem autem est verbum plenum tranquillitatis, & moderationis, atque patientiæ, quo ostenditur bonum sacrificium iustitię etiam sapientiam, & prudenter emerendi ac propiciandi rationem cognoscere. Vnde & propheta ait: Sacrificate sacrificium iustitię. Itaque iustitiæ, ita vt sapientiæ sacrificium est. Ecce ergo mens calida & feruens vt ignis quæ operatur. Ecce & intelligibilia, id est materia, vbi est tertium intelligere. Ecce color, vbi est videre. Ecce sensibilia, vbi est sentire. Materia enim non ab omnibus videtur, ideoque Deus dat munus intelligendi, & sentiendi, & videndi. Verbū ergo Dei *σποτέλεσμα* est, id est definitio & consummatio disputationis, quod infunditur prudentioribus, & dubia confirmat. Pulchrè autem etiam ij qui in aduentum Christi non crediderunt, se ipsos reuincunt, vt confiteantur quod negandum putant. Dicunt enim arietem verbum Dei, & non crediderunt passionis mysterium, cū in illo mysterio verbum Dei sit, in quo impletum est sacrificium. Ergo primū accendamus in nobis ignem mētis, vt operetur in nobis. Queramus subiicientes materiā quid sit quod nutriat animam, tanquam in tenebris requiramus eam. Neque enim vel patres sciebant quid esset manna. Inuenerunt, inquit, manna dicentes ipsum esse sermonem & verbum Dei, vnde omnes disciplinæ fonte iugi ac perpetuo fluunt ac deriuantur. Hæc est esca cœlestis. Significatur autē ex persona dicētis: Ecce ego pluā vobis panes de cœlo. *ἀπὸν*, ergo, eo quod operatur Deus, qui

qui irrigat mentes rore sapientiæ. *ἄλη*, quia videntes animæ & gustantes delectantur, & requirunt vnde sit illud splendidius luce, dulcius melle. Respondetur eis scripturę seric, Hic est panis quem dedit vobis manducare Dominus, & hoc est verbum Dei quod disposuit Deus vel ordinauit, quo pascitur anima prudentium & delectatur. Est cādium & suauitate demulcens audiētium animas. In se enim didicerat propheta qui esset consummandę rei *ἀπὸν*. Nam cum mitteretur ad populum Dei liberandum, ad regem Agypti, ait: Quis sum ego vt vadam, & educam populum à regis potestate? Respondit Dominus: Ego ero tecum. Interrogabat Moyses: Quid dicam illis si requirant, quis est dominus qui misit te? & quod nomen est illi? Dixit Dominus: Ego sum qui sum, dices: qui est, misit me. Hoc verum nomen Dei, esse semper. Vnde & apostolus de Christo, Dei enim filius Iesus Christus, qui in nobis est, qui per nos prædicatus est, per me & Sylluanum & Timotheum, non fuit in illo, inquit, est & nō, sed est in illo fuit. Respondit Moyses: si non crediderint mihi, neque obedierint voci meæ, dicentes, quia nō apparuit tibi Deus, quid dicam illis? Dedit illi signa facere, vt crederetur quia à Domino missus est. Tertio ait Moyses: Nō sum dignus, & gracili voce sum, & tardiori lingua, quomodo me audiet Pharaos? Responsum est ei: Vade, & ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Interrogationes ergo illæ in medio & responsiones habent sapientiæ semina & theoriam. Gratium tamen *σποτέλεσμα* est, quia ait: Ego ero tecum. Et quamuis dederit ei signa facere: tamen dubitanti iterum (vt scias quia signa non credentibus, promissum autem credentibus) respondit ad infirmitatem vel meriti, vel voti. Ego aperiam os tuum, & instruam te quid debeas loqui. Perfectum ergo *σποτέλεσμα* seruatum est. Habes hoc & in euāgelio, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Pete *σπὸ τῆς ὀπίς*, id est, ab authore quære. Habes *ἄλη*, intelligibilia quibus quæras, pulsa & aperit tibi Deus verbum. Quæ petis, mens est, quæ operatur sicut ignis intelligibilia, in quibus mentis ardor operatur sicut ignis in lignis, aperit verbū tibi Deus, quod est *σποτέλεσμα*. Habemus & alibi in euāgelio dicente Domino: Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eritis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Habes hoc & in Genesi, dicente Isaac: Quid est quod tam cito inuenisti fili? Qui dixit: Quod tradidit Dominus Deus tuus in manus meas. *σποτέλεσμα* Dominus est, qui per Dominum quærit inuenit. Labam denique qui per Dominum non quæsiuit, quia quærebat idola, non inuenit. Pulchrè autem quod dicunt, horos seruauit. Primus est horos. Vade affer mihi de venatione tua vt mādudem. Excitat atque adolet velut igni quodā adhortationis suæ mentem eius, vt operetur & quærat. Secundus horos, Quid est quod tam cito inuenisti? Hic in interrogatione est. Tertius horos in responsione. Quod tradidit Dominus Deus in manus meas, *σποτέλεσμα* Deus est, qui concludit & cōsum-

mat omnia: de quo dubitandum non est. Est & ille horos de spontaneis: Si non seminaueritis, nō metetis. Nam etsi cultura prouocet semina, tamen natura spontaneo quodam vt surgant in iis operatur ingenio. Vnde Apostolus: Ego plantaui, inquit, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est quicquam, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Dat tibi Deus in spiritu, & in corde tuo seminat Dominus. Age ergo vt inspiret, & seminet vt metas: si non seminaueris, nō metes. quasi admoneris vt semines. non seminasti, non metes: sententia est. Principio finis conuenit. principium semen est, finis metesis. Disce, inquit, ex me: natura adiuuat discentem, Deus autem author naturæ est. Dei quoque, vt benedicemus, quia hoc naturę est, perdiscere. Duri enim corde non discunt. Incrementa per naturam quæ diuini habet gratiam muneris, consummationem & perfectionem Deus dat, id est illa præstantissima & diuina trinitatis natura & substantia. Vale, & nos dilige, vt facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Syagrium Veronensis ecclesię episcopum, literis illius respondentis, eumque vehementer arguentis, de iudicio attentato in causa cuiusdā virginis per turpes quasdam personas accusatæ, & cur causam istam ad se reuocauerit, & qualem in ea sententiā pronuntiauerit exponētis.

Epistola LXIII.

Ambrosius Syagrio Veronensis ecclesię episcopo. Prospiciendum esse ne de nostro obloquatur iudicio charissimi nostri Veronenses, propriis tenuisti literis. Non arbitror fore, certe non solent. Aut si obloquantur, de quo obloqui soleant, haud dubiè liquet, cū exasperati huc veniant, pacifici ad te reuertantur, præsertim cū hoc iudicium nostrum cum fratribus & confacerdotibus nostris participatum processerit. Tu autem sine alicuius fratris consilio hoc iudicium tibi solus iudicandum putaris in quo tamen ante iudicium præiudicium feceris, vt puellam Zenonis sanctæ memoriæ iudicio probatā, eiusque sanctificatā benedictione, post tot annos sine authore criminationis, sine accusatore, sine professore delationis, in periculum reatus deducendam arbitrare. Cui inuidia esset à vanis, ab hæreticis, vt ipsi volunt, à turpibus personis conflata per scelus, per auaritiam, per intemperantiā, quærentibus proprii libertatem flagitij, ab iis postremo qui domo eius eiecti atque eliminati forent, quod discolora opera subtexerent quā prima fronte suæ professionis prætenderāt. Huiusmodi accusatores, huiusmodi testes in tuo cōstituebas iudicio, qui neque accusare audebant, neque delationis se nexu obligare, atque ita inspectioni adiudicandā cōstituebas virginē, quam nullus argueret, nullus deferret. Vbi hæc cognitionis solēnitās? Vbi talis iudicandi formula? Si leges publicas interrogemus, accusatorē exigūt: si ecclesiæ, duobus, inquit, & tribus testibus stat omne verbum: sed illis testibus qui ante hesternum & nudius tertius nō fuerint inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci sese velint. Inoffensus igitur affectus testium quæritur, ita

tamen vt accusator prius in medium procedat. Ipsi G illi presbyteri Iudeorum manus suas prius supra caput imposuerunt Sufannæ, & accusationem professi sunt, & pariter addiderunt testimonij authoritatem quam imprudenter populus sub errore positus acceperat. Sed diuino iudicio per prophetam re-rexit & redarguit omnipotens Deus, vt liqueret omnibus eos velle inuidiam præfeminare aduersum innocentis periculum, qui deficerentur accusationis argumento, & firmamento probationis, conuictes videlicet quod si præoccupatis vulgi auribus inuidia mentem inaccesseret, præiudicium examinanda veritatis inferret. Et enim cū audita præueniunt, aurem obstruunt, animum occupant, ne probatio desideretur, vt rumor pro conuicto teneatur crimine. Nos igitur accusatorem exegimus, & auctorē totius scenæ Maximum perurgendum arbitrati sumus. Verum ille accusationem quam studio informauerat, verbo detulerat, deseruit professione, & tamē affectu vrgebat, arte exequabatur, sed refugiebat nomine, quod diffideret probationi. Denique sparsis rumoribus, sed etiam epistolis compositis & destinatis quæsiuit acerbare inuidiam delationis, sed nequaquam opprimi potuit integritas & circūueniri. Nam si habuisset probationes, nunquam inspectionem tua sententia flagitauisset. Quid igitur sibi velit, & quod spectet quod obstetricem adhibendam credideris, non possum aduerrere. Itane ergo liberum erit accusare omnibus, & cū probatione desiterint, patebit vt genitalium secretorum petant inspectionem, & addicentur semper sacre virginis ad huiusmodi ludibria, quæ & visu & auditu horrore & pudori sunt? Denique non minima etiam in tuis literis tentatę exprefionis verecūdia est. Quæ ergo sine damno pudoris in alienis auribus resonari non queunt, ea possunt in virgine sine eius tentari verecundia? Inuenisti tibi vile mancipium, procacem vernulam, cur non abutaris pudibundo ministerio, & exponas eius modestiam, cū præsertim nihil sanctius in virgine sit quàm verecundia? Non enim sacra virgo vt corpore tantummodo integra sit quæritur, & non vt in omnibus eius inoffensus maneat pudor. Virgo Domini suis est nixa fulcris ad sui probationem, nec alienis dotibus eget vt se virginem probet, nec abditorum occultorumque inspectio, sed obuia omnibus modestia ad stipulatur integritati. Non placet Deo quæ non suorum grauitas morum probat. Non probatur Domino quæ vnus obstetricis indiget testimonio, quod plerumque quæritur precio. Ea ergo tibi locuples videtur ad fidem, quæ & redimi & falli potest, vt excuset ream, & crimen tegat, aut nesciat, & non possit flagitium deprehendere: Neque vero illud iustum arbitror quod tuis comprehendi-sti literis, quia nisi inspecta fuerit, integritas periclitetur, & incerto sui fluctuet. Ergo omnes quæ inspectæ non sunt, periculum subierunt pudoris? Ergo & quæ nupturę sunt, prius inspiciantur vt nubant probatores? Ergo, & quæ velandę sunt, prius subiciendę sunt huiusmodi attractioni? Nō enim visitantur, sed attristantur, & rectius secundum tuā sententiam inspiciunt non probata quàm consecrata. Quid quod etiam ipsi archiatri dicunt non satis li-

quido comprehendi inspectionis fidem, & ipsis medicina vetustis doctoribus id sententię fuisse? Nos quoque vsu hoc cognouimus, saepe inter obstetricis obortā varietatē, & quæstionē excitatā, vt plus dubitatum sit de ea quæ inspiciendam se præbuerit, quàm de ea quæ non fuerit inspecta. Siquidem & proximo id comperimus exemplo. Nam quædam cōditionis seruilis Altini inspecta & refutata, postea Mediolani, non meo quidem iussu, sed Nicenti ex tribuni & notarij Domini vel patroni sui voluntate visitata est à peritissima & locupleti fœmina huiusmodi artis: & cū simul ista suppetere, vt neque paupertas obstetricis suspectam faceret fidem, neque indocilitas imperitiam, tamen adhuc manet quæstio. Quid profuit igitur eam inspicere, cū damnatio maneat? Nam vt quisque voluerit, aut imperitam medicam aut redemptam asseret, ita sine effectu villo iniuria inspectionis est. Quid deinde fiet? Quotiescunque emerferit qui non credat, totiens virgo attrētabitur? Nam si vnquam se visitandam obnuerit, secundum assertionem tuam de crimine confitebitur. Et facilius est vt refutet quod nunquam fecerit, quàm quod fecerit. Variabuntur igitur obstetrices, ne suspecta aliqua repetatur gratiæ. Erit itaque inter plures, quanquam paucorum etiam in magnis vrbibus hic vsus medendi sit. Erit inquam, vel maleuola, vel imperita, quam pudoris claustra prætereant, & per imperitiam integro notā affigat pudori. Vides in quod periculum inducas virginalem professionem dum obstetricē adhibendā putas, vt iam nō solū verecūdię suę dispendio, sed etiam obstetricis incerto periclitetur. Nunc consideremus quod obstetricis officium sit. Legimus etiam in veteri testamento obstetrices, sed non inspectrices. Denique ad parturientes ingrediebantur, non ad virgines, vt partus fusciperent, non vt pudorem examinarent. Vnde & obstetrices dictæ, eò quod obsistant dolori: vel certè pignori, ne laxatis vteri genitalibus claustris in terram defluat. Secundo & tertio loco in scripturis inuenimus obstetrices adhibitas, sed vtique partui, nusquā inspectioni. Primo vbi Rachel parturit, deinde vbi Thamar parit, tertio vbi necandos mares Pharaō mandat Hebræorum obstetricibus: quando responderunt illæ, non eo more Hebræas fœminas parere quo pariunt Aegyptiæ, sed Hebræas prius parere quàm introeant obstetrices ad eas. Qui locus vt superiori utilis ad Hebræorum salutem, ita reliquo confragosus ad obstetricum fidem, quæ didicerunt mentiri pro salute, & fallere pro excusatione. Quid igitur suspecta & dubia captamus, cū maiora sint alia examinandæ veritatis documenta & testimonia, in quibus expressiora insignia vel temerati pudoris sint? Quid enim est quod magis publicum sit, quàm offensa pudoris, & defloratio virginittatis? Nil profecto quod magis se probet quàm castitatis dispendium. Tumescit aluus, & incedentem fœtus sui onera grauant, vt prætermittamus alia quibus se vel tacita prodit cōscientia. Ac forte sterilitatis obtentu abscondi in aliquibus possit flagitium. Hic verò cū editus partus & expositus vel necatus (dum inuidiæ magis quàm probationi consulitur) dissipatus sit per aures vniuersorum, strangulata

Genes. 35.
Ibidem. 38.
Exod. 1.

strangulata est libertas calūniarum: si peperit nempe, Veronæ fuit, visebatur frequenter à virginibus & mulieribus. In honore enim semper erat: Visebatur & à sacerdotibus propter pudicitie reuerentiam, & grauitatis speculum. Quomodo ergo potuit occulere crimē quod se vel specie sui proderet? Quomodo texit vterum? quomodo non refugit aspectum mulierum, oculos salutantium? quomodo parturiens vocem represit? Sed hoc nō patitur dolor. Denique scriptura hos maximos dicit dolores qui sunt parturientis. Sic enim inquit: Dies Domini subito venit, & improuisus adest, vt dolor partus qui intercludit omnia effugia delitescendi. Hæc est verior documentorum fides quam erubescunt & mulieres. Denique Helisabeth occultabat se mensibus quinque, eo quod sterilis conceperat in senectute. His signis & ipsa Mariæ virginitas apud ignaros mysterij, probri suspectabatur. Vnde & Ioseph cui desponsata erat virgo, suspectum habebat vitium, dum adhuc nesciret dominicę incarnationis sacramentum. Quid ergo? negamus inspiciendas virgines interim. Quod nusquam legerim, non adstruo, nec verum arbitror. Sed quia pleraque ad speciem facimus, non ad veritatem, & erroris gratia compluria frequenter pretendimus: sunt enim qui nesciant recte facere nisi metu pœnæ: relinquamus hoc illis quas nō verecūdia reuocat à lapsu, sed solus iniuriæ deterret metus, apud quas nulla cura pudoris, & castitatis gratia, sed pœnæ timor est. Relinquamus vernaculis quibus formido est deprehēdi magis quàm peccasse. Absit à virgine sacra vt obstetricem nouerit: partus putatur, & remedium doloris ducitur, non examen pudoris. Relinquamus etiam illis si quæ grauibus appetitæ calumniis, oppressę testimoniis, strangulatæ argumētis, ad id cōfugiant, vt se offerant inspectioni, quo vel corporis probetur custodia, si tamen deprehendi potest: in quibus nutat pudoris gratia, & disciplina integritatis. Malè tamen se habet causa vbi potior est carnis quàm mentis prerogatiua. Malo morum signaculo, quàm corporis caustro virginitatem exprimi. Iam illud præclarum, quod scripsisti insinuat tibi à quibusdam quod nequaquam tibi communicarent si eam sine visitatione suscipiendam crederes. Ergo iudicandi accepisti formulam. Quales illi qui volunt præscribere sacerdotibus quid sequi debeamus? Liberauimus itaque te à cognitionis grauisimæ necessitate ne necesse haberes formulam mādātam exequi. Quid nobis futurum est qui eorum studiis non obtemperauimus? sed tamen scio illic plerosque esse qui timeant Dominum. Nam & hic vidimus dudum, & illic esse comperimus qui compositam hanc querantur calumniam, quos aiunt eò offensos fauisse Maximo, quod ista virgo non circumueat domos, nec eorum matronas salutet atque ambiat. Quid igitur fiet? quo tanto eā exuemus crimine? Quomodo persuadebimus vt cultus assumat nouos, suos exuat? Graue flagitium virginem intra secreta domus degere, claudi penetralibus suis. Sic certe lectio docet Mariam domi repertam cū ad eam Gabriel archangelus venisset. Sufanna fugiens turbarum inducitur. Denique cū se lauaret, paradisum claudi iubebat. Quid autem præsertim

Luc. 1.
Daniel. 13.

in virgine, cuius præcipuum opus verecundia, quæ secreta est, tutius secreto, ad omnes actus expedit? Munia enim pudoris induit, non concursationis. Sed de aliis videro, tuæ nūc mihi respondendū epistolę est. Te miror frater, qui tãtopere defendas Maximum non fuisse accusatorem, sed parentis dolore doluisse inuidiā sparsi rumoris, cū ille se inimicū & aduersarium litigatorem proposito iam iurgio negare non potuerit aduersus sacram virginem iudicia attentauisse, murōque interiecto discretas ædes vxoris suæ ac virginis, diuisam germanitatis inter sorores societatem, aliāque pro dolor, & quod virgo in agro affinitatis suæ refugisset consortium. Quomodo ergo non accusator, qui affectum accusatoris iam dudum exercuit? qui sermone suo accusationem detulit: aures tuas impleuit clamore? & testes auditionis deduxit? cognitionem poposcit? Quamlibet argumētatus negare non potuisti quod ad Indiciam scripsis, quoniam Maximus seu impulsu aliorum, seu dolore proprio, crimen graue detulerit. Sola hæc æpistola satis est ad excusationis testimonium. Neque enim te ego tuis ad me datis literis vrgendum putauit, sed iis lectis quas ad virginē dederas, aduertit diuersum esse quod ad me scripseras: & tamen cum epistolæ tuæ sibi non cōuenirent, consulendum te non arguendum putauit. Quid igitur sibi vult illa argumētatio, quia illud detulerit quod ad me scripseras, delatam videlicet eam in turpi crimine, ita vt editum & obrutum partum dici asserat? Quasi verò istud ad Indiciam non ad me scripsis. Illa vbi audiuit literis tuis Maximū subduci accusationis, literas tuas protulit, quibus eum criminis delatorem probauit: ad me datas non legerat, nec quid haberent sciebat. Ego autem exhorruī à primo calumniam, quia aduertebam non crimen intendi, sed iniuriam virginis desiderari, cuius inspectio & visitatio postulabatur, non aliquod flagitium deferebatur. Quis enim istud à principio fraude compositum nequaquam sibi congruere & conuenire non arbitraretur? Cucurrisse mulieres viles ad monasterium, iactasse partum virginis, & necem pignoris, de monasterio rumorem per populos sparsum, eumque affluxisse in aures noui affinis Maximi, ab ipso interpellatum episcopum, dimissas eas quæ dixisse ferebantur, atque in fugam coactas, vt apud nos patuit eos qui audisse se dicerent, ad ecclesiam vocatos prodiisse. Renatū & Leontium duos illos iniquitatis viros quos apposuit Iezabel, redarguit Daniel, subornauit Iudæorum populus, vt authorem vitæ suæ falso appeterent testimonio. Qui tamen cū simul composuissent flagitium, simul ingressi essent viam, & ne quid præteream, adiuncti Maximo comitantibus (vt dixit Leontius) iis qui illum rumorem sparserant, tamen vbi in meo astiterunt iudicio, cū primo de origine causæ quærerem, diuersa & distantia prompsere, nō locorum separati, sed mendaciorum diuortio. Cū igitur sibi ipsi non conuenirent, Mercuriam & Leam vilissimæ conditionis & detestabilioris nequitie personas amandauissent, aufugisset Theudule non ignara obiciendi sibi facinoris, quod ante lectum Renati sola cubitauisset, ancilla presto esset alia quæ stupro eiusdem Renati se diceret coinquinatam: die

ipso qui dictus erat cognitioni, subtraxerunt se episcoporum conuentui, licet etiā pridie subito se profecturos idem Renatus clamauerit. Vnde ego iudicio prescripsi diem, & tamen nullo accusante, nullis testimoniis perurgentibus insinuauī sanctæ sorori quod peteres coram ipsa inspici & visitari memoratam virginē. At illa sanctē inspectionē quidē recusauit, sed testimonium non declinauit, dicens nihil se in Indicia cōprehendisse nisi quod esset uirginis pudoris & sanctitatis. Habitasse eā Romæ in domo nostra nobis absentibus, nulli eā se uirorū familiaritati dedisse, optare cum ea sibi à Domino Iesu partem referuari in regno Dei. Paternam quoque filiā nostram interrogauī, quod ab ea nunquam soleat discedere, cuius charitas vitæ huius testimonium est. Itaque etsi quod iniurata diceret, fidei sacramēto conferendum foret, sub obtestatione tamē professā est alienā criminis quo appetebatur, nec quicquam in ea scire se bonæ uacuum conuersationis. Nutricem quoque liberæ conditionis interrogauimus, cui & status haud quaquam degeneri seruitio obnoxius libertatem uera fatendi daret, & fides atque ætas ad ueritatem aspicularetur, & officium nutriticis ad cognitionē secreti. Ea quoque nihil se indecorum uidisse, nihil sibi quasi parētī commissum à uirgine aliqua dignum reprehensione. His moti Indiciam inoffensā uirginem muneris pronunciauimus. Maximū autem & Renatum & Leontium ita inuoluit sententia, ut Maximo si errorem emendaret, spes reditus referuaretur, Renatus autē & Leontius ex eam nunciati manerent, nisi forte probata sui pœnitentia, & huius facti diuturna deploratione, dignos se præberent misericordia. Vale frater, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Syagrium, pro castitatis contumelia dolentem querelam facientis, atque ex scripturis sanctis ostendentis, quantum maiores nostri reuerentiæ detulerint castimoniam, quantum uel uoluntis studium aduersum temeratores pudicitia fuerit. Epistola L X V.

Ambrosius Syagrio. Quæ sint in nostro iudicio decursa, comperta retines, & ideo nunc quasi animæ portionem conuenio meæ, habens apud te pro castitatis contumelia familiarem & dolentem querelam. Itane oportuit inhonoratā atque inauditā uirginitatis causam adiudicari, ut nō possit absolui? Hoc est nisi sua iniuria, nisi ab honesto pudore traducatur ad indecorē sui corporis oblationem, grande uidelicet relatura sui testimonium, ut exponatur ludibrio, & procacitatis notetur. Hanc igitur prærogatiuam detulisti integritati, huiusmodi honorificentiam, qua se lacepsi aut inuitari gaudeant quæ hoc munus recipiendum putant, ut amittant libertatem communis assertionis, nec se iure tueantur vel sanctæ legis vel publico, ut non accusatorem exigat, non accersitorem uergeat, sed impudentiam solam induat, ac sese proiciat ad iniuriam? Non ita maiores nostri despicabilem habebant castimoniam, cui tantum deferebant reuerentiæ, ut bellum aduersum temeratores pudicitia suscipiendum putarent. Denique tantum fuit ultionis studium, ut omnes tribules de Benjamin tri-

bu extinguerentur, nisi sexcentos qui bello reliqui forent, natura editioris loci defendisset. Sic enim lectionis diuinæ serie expressum tenetur, cuius tenorem recensere congruit. Leuites uir animo maior quā opibus, habitabat in partibus montis Ephren. Ei quippe tribui sortito obtigerat locus in possessionem terræ datus pro funiculo hæreditatis. Is sibi accepit iugalem de Iudæ Bethleem. Et ut se habent prima copularum exordia, ardebat iuuenula immodica animi cupiditate: simul quia similibus eius nō fungebatur, exardescere magis, atque immane exæstuabat. Vnde quia nihil referebatur ex parte adolescentulæ, uel leuitate amoris, uel uel doloris, quod haudquaquam mercede pari secum decerneret, cum eadem expostulabat, hinc frequens iurgium, quo mulier offensa clauis remisit, domum reuertit. At ille amore uictus, qui quod speraret nō habebat aliud, cum quartum iam mēsem fluere cerneret, eo contendit, fretus quod consilio parentum emoliretur animus adolescentulæ. Occurrit pro foribus socer, generum introduxit, filiam reconciliauit, & ut lætiores dimitteret, triduo tenuit, quasi repararet nuptias, ac uolenti abire, quartum quoque diem comperendinauit, præsentia humanitatis specie moras innectendo. Pari modo cum etiam quintum diem uellet adiungere superioribus, & iam nouæ deessent causæ morandi, paterno tamen affectu retinendæ filiæ desiderium nō deforet, promissam profectionis copiam distulit in meridiem, ut uiam cibo curati adorirentur. Post epulas quoque uolēs dilationem attexere, eo quod iam uesper appropinquaret, generi precibus, ægre licet, tamē acquieuit. Ille iter suum perrexit lætus animi, quod dilectam sibi recuperauisset, qui uino comitati seruulo cum iam declinaret dies, festino uiam celabant gradu. Mulier uehebatur iumento, uiro nullus sensus laboris, qui fructu desiderij simul & uario mulieris ac uernaculi sermone uiam leuaret. Denique ubi Hierosolymā appropinquarūt, quæ triginta stadiis aberat, quam Iebusæi tenebāt, suggestit puer despectendum in ciuitatem, quia sub noctem inspecta essent etiam illa quæ tutiora sunt, cauendaque tenebrarum ambigua, maxime quia locorum incolæ non essent de filiis Israel. Et ideo præuertendum ne quid aduersa studia gerentes insidiarum inferrent ut obscuro noctis dolum quærentibus ad perpetrandum facinus satis opportuno. Sed Domino eius haud quaquam placuit sententia, ut inter alienigenas hospicio succederent, cum Gaba & Rama non longe abessent ciuitates Benjamin. Itaque præualens sententiā posthabuit seruuli suggestionē, quasi ex conditione consilium æstimaretur, & non consilio quamuis infima conditio ableuaretur. Et iam sol in occasu erat, denique uix occurrit, cum iam uirgeretur uespere, in ciuitatem succedere. Gabaonitæ incolebant locum inhauspitales, immites, intolerabiles, omnia tamen tolerabiliora quā si aliquem hospicio recepissent. Denique commo- dius huic uiro Læuitæ cesserat si in Gabaa hospitium non reperisset. Verum ne quid deesset offensionis, primo ingressu diuersorium non reperit: & cum in publico situs alienam misericordiā imploraret, offendit aduenientem ex agro senem, quem

uesper ex opere agresti compulsi nocti decedere. Et cum esset ei conspicuus, rogatus quo iret, & unde aduentaret, respondit, de Bethleem Iudæ reuertor, contendo ad montem Ephrem, & mulier est mecum, sed ecce huc diuertit, & nemo est qui hospitio recipiat, & requiescendi usum ministret. Non quo cibi aut potus sibi, aut pecori pabulorum esset indigentia, sed tecti hospitio prohiberentur: præsto esse illa nudum tecti hospitium desiderari. Ad ea senior benigne satis & placide, Pax, inquit, tibi, & succede hospes pariter & ciuis. Nam & mihi origo de montis Ephrem partibus, & hic hospitalis habitatio, sed tempore diuturno incolatus sedes fundauit. Itaque receptos domicilio, ministerio sui & subsidiis hospitalibus iuxta fouit. Hortabatur ad lætitiā senior, & frequenter uisibus prouocabat poculis, ut uino adoleret curarum obliuio, cum subito circumsistunt eos Gabaonitæ iuuenes ad omnem proiecti libidinem, nihil pensum ac moderatum habentes, quos forma mulieris illexerat, & in omnem amentiam præcipitabat. Capti enim eius decore, & per senectutem hospitis, atque infirmitatē subsidij accepta spe potiendi poscunt mulierem, & pulsant ianuam. Itaque egressus senior rogabat eos ne hospitales mensas turpi flagitio scædarent, & reuerendum ius etiam indomitæ Barbararum gentium nationibus uiolandum arbitrarentur: contribulem illum sibi, Israelitem uirum legitimi thori subnixum copula nō sine indignatione cœlestis arbitri tanta affici contumelia. Quod ubi parum procedere aduertit, esse sibi filiam uirginem adiecit, illam se offerre maiore parentis dolore, sed minore gratiæ hospitalis dispendio, publicum flagitium priuato dedecore tolerabilius habere. At illi exagitati æstu furoris, & inflammati incentiuo libidinis, eò amplius ardebant formam iuuenulæ, quo magis negabatur. Et iustitiæ exortes ridebant uerba æquitatis, filiam senis, quia minore inuidia sceleris offerebatur, despectui habentes. Itaque cum piæ nihil proficerent preces, & seniles frustra hospes manus tenderet, desperato præsidio rapitur mulier, & per totam noctem iniuriæ impleretur. At ubi lux finem intemperatiæ dedit, ianuam hospitalem repetit, non quo uiri conspectum exposceret, quem magis declinandum putaret contumeliæ pudore miserabilis, sed ut affectu uiro referret, quæ castitatem amiserat, & contumeliæ suæ funus lamentabili specie ante ianuam hospitalem exponeret. Egressus itaque Leuita cum iacentem inuenisset, arbitratus quod uerecundia uultum nequaquam attollere auderet, consolari cœpit, quia non uoluntate, sed inuita tantæ iniuriæ succubisset, hortari assurgere, & secum repetere domum. Sed ubi nullum responsum referebatur, quasi quiescentem maiore uoce è summo excitare. Verum ubi mortis supremæ patuit fides, impositas iumento reliquias domum pertulit, & diuinos artus mulieris in partes duodecim misit per singulas tribus Israel. Quo commotus uniuersus populus conuenit in Masphat, atque ibi querela per Leuitam cognita, omnes in bellum exarsere statuentes neminem uirorum fas esse in tabernaculum succedere prius quā de tanti sceleris authoribus ultio capeferetur: animisque ruebant in prælium. Sed consiliū

prudenciorum prauertit sententiam, non temerè configendum bello cum ciuibus, sed prius uerbis experiendum de flagitio, & decernendum conditionibus pro delictis. Neque iustum uideri ut paucorum sceleris precium ad omnes perueniret, & priuata adolescentium peccata statum salutis publicæ labefactarent. Itaque miserunt uiros qui denunciarent Gabaonitæ ut tanti reos flagitij offerrent. Sin autem, cognoscerent non minoris esse criminis tantum facinus defendisse, quā exercuisse. Verum illis superba referentibus, consilia pacis bello mutata: neque primo aut secundo conflictu, cum plurimi à paucis afflicterentur, cedendum Israelitæ aduersis præliis existimauerunt. Quadraginta enim milia uirorum bellatium, aduersum uiginti quinque milia Benjamin tribus & septingentos Gabaonitas expertos belli iuuenes decertabant. Et cum sinistra forte duo sibi iam cecidissent prælia, animi tamen promptus haudquaquam deposuit Israel uincendi fiduciam, & uiciscendi præsumptam spem. Sed quia causa numeroque præstantiores, inferiores pugnae euentu pedem retulerant, diuinam offensam rati, ieiunio & fletu maximo reconciliationem gratiæ cœlestis affectauerunt. Itaque orata Domini pace acciores in bellum reuertuntur, ut pote quibus oraculum animos dederat, spem accumulauerat. Et simulato à fronte quod cederetur, ac dispositis per noctem insidiis à tergo urbis, in qua locata erat manus hostium, dum hi cedunt, & illi insectantur, inuadendi urbem uacua facta copia & mox admotato statimque adulto incendio, flammarum fragor atque æstus furens captæ urbis speciem manifestarunt. Quo & suis fracti animi, & erecti hostium. Nam & Benjamin uiri clausos se & circumuictos rati prius quā à tergo inuaderentur, dispergere sese, atque in desertum fugere cœperunt, & contra Israel gemino agmine uirgere eos, ac palantes persequi. Cæsa itaque uiginti quinque milia, id est omnes fere de uiris Benjamin, præter sexcentos, qui arrepto scrupæ rupis munimento, partim loci ingenio & subsidio naturæ, partim desperatione uictoribus terrori fuerunt. Nam secundæ res cautionis admonent, in aduersis ultio pro uictoria habetur. Nec sceminarū numerus tanti discriminis exors fuit, sed omnis tribus Benjamin muliebris sexus cum pueris & puellis omni- que ætate gladio aut igne extinctus, sacramentūque additum ne quis tribus illius uiro filiam suam in uxorem daret, quo reparandi nominis omnis aboleretur successio. Belli finis simul atque iræ factus, & furor in pœnitentiam uertit: armisque positis in unum conuenientes uiri Israel fleuerunt fletum magnum, & celebrarunt ieiunium, dolentes unam tribum perisse ex fratribus, atque extinctam populi sui validam manum: iure quidem pro delicti precio bellatum aduersum propugnatores flagitiorum, sed miserè in sua populum conuersum uiscera, & bello

Judic. 21.

Faciili utrumque afflictum. Lachrymarum effusio mouit passionem animi, & affectum perculit, sæuitiæ ratio successit. Misique legati ad sexcentos illos Benjamin uiros, qui per quatuor menses edito se præruptarū tuebatur rupium, aut deserti indigentia, quæ multitudini obsidentium periculosa foret, deplorauerunt communem illam esse ærumnam, quod

illi contribules, isti cognatos & socios amisissent, sed tamen non penitus interceptam reparandam tribus successione: consulere se in medium quomodo & sacramenti fides sibi constet, & tribus vna nequaquam à corpore auulsa intercidat. Altari itaque posito reconciliationis, & pacis oblatum sacrificium. Et quia Iabab Galaad populus erat pœnæ & maledicto obnoxius. Obstrinxerat enim se omnis Israel magno sacramento, ut si quis non ascendisset cum eo ad puniendum flagitium, morte moreretur: duodecim milia bellatorum directa, ut & viri omnes & mulieres ferro extinguerentur, solas virilis thori exortes referuarent adolescentulas. Interfectis itaque omnibus Iabab Galaad, solæ virgines quadringentæ exitio cæterorum superferunt. Quas accipiens Israel statuit viros Benjamin belli metum deponere, & in coniugium sibi sumere integras aui ac pudoris puellas: quibus & causa esset apud viros integra, quod nemo suorum aduersum eos bellum susceperat, & charitatis gratia, quia propter eos supremo supplicio ereptæ forent. Hoc igitur modo quadringentis iuuenibus quæ sita copularum confortia sunt. Sed quia ducenti numero supererant, quibus iugales deerant, iis quoque sine fraude sacramentorum consultum accepimus. Dies festus in Sylo quotannis celebratur. Ibi exultare solitæ virgines, & choreas ducere in honorem religionis, alię præire matribus, & totum iter agmine vianum repleri. Dixit vnus ex vineis siti excubias tenderent, donec se omnis feminea turba effunderet, & surgentes ex vineis vnusquisque quam occurfus dederat, vxorem sibi vendicaret, fraudi id nequaquam futurum: populum etenim fauere reparandæ tribus successioni, propter sacramentum in partem non posse filiarum suarum societatem: neque tamen contra sacramentum videri si prohibendum non putaret, quia sacramento neque cogendi neque prohibendi necessitas imposita videretur, illos sibi sine metu consulere oportere. Sane si puellarum parêtes vindictam efflagitarent, partim prece, partim etiam retorquendo in ipsos inuitæ culpam custodia, sese reuocatuos: quia cum scirent Benjamin viros exortes esse iugalium, cum filiabus procefferint: dignam sane tribum iam non pœna, sed misericordia: fati dure scruitum in eos, & debellatam corporis sui partem: immoderatus exaruisse plebem, ut successione domesticam extingueret, atque ex suis necaret: placere Deo non perire populo tribum, neque pro vna muliere tam acerbe consuli. Probauerunt consilium Israelitæ, executi sunt viri Benjamin, & dispositi in vineis loco oportuno & tempore, plenas femine agminis vias occupauerunt. Præbuit illis festum nuptiarum religionis solennitas. Auulsa de complexu patrum filia tanquam in manum ab ipsis parëtibus tradebantur, & velut pacta è gremio matris non abduci, sed prodire arbitrarentur. Ita tribus Benjamin pene intercepta atque extincta breui floruit, documentum exhibens quod magno exitio sit insolentibus vindicta pudicitia, læsæ castitatis vltio. Nec hoc solo loco, sed plerisque scriptura hoc docet. Nam & in Genesi legimus exercitum quæstionibus regem Aegypti Pharaonem quod Saram attentauisset, &

tamen alienam esse vxorem nesciebat. Est igitur Domino castitatis tuendæ voluntas, quanto magis est defendendæ integritatis? Vnde nulla debet virginibus sacris irrogari iniuria. Quæ enim non nubunt, & qui vxores non ducunt, habentur sicut angeli in cælo. Et ideo cœlesti gratiæ non inferamus corporalem contumeliam, quoniã potens est Deus quem nec prauaricatio prætereat, & moueat accepti sibi muneris & consecratæ virginitatis acerba & grauis contumelia. Vale frater, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosii ad Paternum, eundem quia filio neptem ex filia copulare voluit redarguentis, & ut ab ea discedat intentione, commonentis. Epistola LXVI.

Ambrosius Paterno. Paterni quidem vnanimis mei salutationem legi, sed cōsultationē haud quaquam paternam, ut velis filio neptem copulare ex filia, sed nec auo te nec patre dignam. Itaque quid consulueris, considera. Omne enim quod agere volumus, prius nomen facti eius interrogemus, & tunc vtrum laude an vituperatione dignum sit, existimabimus. Verbi gratia, misceri mulieri quibusdam voluptas est, medicorum etiam pueri corporibus vtile ferunt. Sed cōsiderandum vtrum cōiugi, an extraneæ, deinde nuptæ an innuptæ. Si quis desponsata sibi & tradita vtatur, coniugium vocat. Qui alienæ expugnat pudorem, adulterium facit, cuius vel solo nomine reprimitur plerumque tentadi audacia. Hostem ferire victoria est, reum equitas, innocentem homicidium. Quod si quis percipiat animo, reuocat manum. Ergo etiam tu quid consulas, quæso tecum retractes. Coniugium vis inter filios nostros componere. Quæro vtrum pares copulandi an impares sint. Sed, nisi falor, compares appellari solent. Boues qui iungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit, & vt ætas conueniat & forma: nec natura discrepet, nec decoloret diuersitas. Tu copulare paras filium tuum, & neptem ex filia, hoc est vt accipiat sororis suæ filiam, diuersa licet matre quàm socrus editus. Interroga nomen religionem: nempe auunculus iste illius, illa huius neptis vocatur. Nec ipse te reuocat sonus nominum, cum hic auum resonet, illa hoc nomen ad auunculum quod ad auum referat. Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum. Idem auus & focer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diuerso nomine nuncupabitur. Mutuabuntur etiam fratres diuersa vocabula, vt illa socrus fratris sit, iste gener sorori. Nubat auunculo suo neptis, & immaculorum pignorum charitas illecebrosi amore mutetur? Super hoc igitur meam à sancto viro episcopo vestro expectari sententiam non opinor neque arbitror. Nam si ita esset, & ipse scribendum putasset. Non scribendo autem significauit quod nequaquam hinc dubitandum arbitretur. Quid enim est quod dubitari queat, cum lex diuina etiam patruales fratres prohibeat conuenire in coniugalem copulam qui sibi quarto sociatur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam ciuili iure à consortio coniugij exceptus videtur. Sed prius sacræ legis scita interrogemus. Preten-

dis

dis enim in tuis literis quod permissum hoc diuino iure connubium huiusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. Ego autem & prohibitum assero: quia cū leuiora interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leuiora adstringit, grauiora non soluit, sed aligat. Quod si ideo permissum putas, quia specialiter non est prohibitum, nec illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiam suam accipiat vxorem. Nunquid ideo licet, quia non est prohibitum? Minime. Interdictum est enim naturæ iure, interdictum est lege quæ est in cordibus singulorum. Interdictum est inuolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta huiusmodi inuenies non esse interdicta lege per Moysen edita, & tamen interdicta sunt quadam voce naturæ. Multaque sunt quæ licet facere sed non expedit. Omnia enim licet, sed non expeditur: omnia licent, sed non edificant. Si ergo etiam ab iis nos reuocat Apostolus quæ non edificant, quomodo faciendum putamus quod & non licet legis oraculo, & non edificat discrepante pietatis ordine? Et tamen illa ipsa vetera quæ fuerant duriora, temperata sunt per euangelium Domini Iesu. Transferunt vetera, ecce facta sunt noua. Quid tam solene quàm osculum inter auunculum & neptem, quod iste quasi filie debet, hæc quasi parenti? Hoc igitur inoffensæ pietatis osculum suspectum facies de talibus cogitando nuptiis, & religiosissimum sacramentum charis pignoribus eripies. Sed si diuina te prætereunt, saltem imperatorum præcepta, à quibus amplissimum accepisti honorē, haudquaquam prætereire te debuerunt. Nam Theodosius imperator etiam patruales fratres & consobrinos vetuit inter se coniugij conuenire nomine, & seuerissimam pœnam statuit si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, & tamen illi inuicem sibi æquales sunt: tantummodo quia propinquitatis necessitudine, & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere quod nati sunt. Sed di eis alicui relaxatum: Verum, hoc legi non præiudicat. Quod enim in commune statuitur ei tantum proficit, cui relaxatum videtur. Longe diuersa iniuria. Illud tamen licet in veteri testamento legimus vt aliquis vxorem suam sororem diceret, istud inauditum, vt quisquam neptem suam in vxorem accipiat, & coniugem dicat. Iam illud pulcherrimum quod negasti neptem tuam auunculo tuo tuo filio propinquo semine conuenire, quia non agnationis ei legitimo iure, sed cognationis copuletur necessitudine. Quasi verò & vterini fratres, id est diuerso patre, sed eadem matre geniti possint diuerso sexu inter se

coniugio conuenire, cum & ipsi agnationis ius habere non queant, sed cognationis tantum sibi titulo connexi sint. Vnde oportet ab ea discedas intentione, quæ etiam si liceret, tamen tuam familiam non propagaret. Debet enim tibi filius noster nepotes, debet etiam neptis charissima pronepotes. Vale cum tuis omnibus.

Diui Ambrosii ad Quinegium, illum de consultatione sua commendantis. Epistola LXVII.

Ambrosius Quinegio. Quam ingenuo te commendasti pudore, quia de eo consuleres quod non probares, sed morem gereres parenti, vt pietatem non læderes, securus quod non aliud à me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines. Ego verò libenter tua in me onera suscepi, & auo neptem, vt opinor, refudi. Quam nescio planè qua opinione nurum tibi fieri desiderabat, vt auum socero mutaret. Plura non opus est, ne hoc quoque accedat ad verecundiam. Vale filij, & nos dilige, quia nos quoque te diligimus.

Diui Ambrosii ad Antonium, amorem eius in se, & sui animum in illum commemorantis. Epistola LXVIII.

Ambrosius Antonio. Nunquam es tacitus mihi, nec vnquam tuo me transmissum silentio querar, qui sciam quod tuo non desim pectori. Nā cum id pendas quod pluris est, qui potes id negare quod sæpe etiam in multos defluit, non tam amoris vsu, quàm officij vicissitudine? Ego verò etiam ex meo animo tuam vicem æstimo, vt nunquam me tibi, & te mihi absentem putem, quoniam semper animis hæremus, nunquam tuas literas mihi deesse opiner, aut meas tibi cum te quotidie coram alloquar, in te oculos, studia, atque omnia officia mea dirigam. His tecum delectat congregari. Nam literæ tuæ (vt aperte cum indiuiduo pectoris mei loquar) verecundari me faciunt. Vnde peto vt supercedeas gratiarum relatu. Mihi enim mei in vos officij summa merces est, si me debito erga vos muneri non defuisse arbitrarer. Vale, & nos dilige, quia ego quoque te diligo.

Diui Ambrosii ad Alypiū, literas illius sibi esse redditas, & se suis respondisse literis significantis. Epistola LXIX.

Ambrosius Alypio. Antiochus vir cōsularis reddidit mihi eximitatis tuæ literas, nec supercedi respondendi munere. Nam per meos homines dedi literas, & ni fallor, alia oborta copia geminaui epistolam. Sed quia non tam remetienda amicitia munia, quàm contumeliam non cumulandam arbitror, oportuit ipso præsertim regrediente qui me tanto literarum tuarum affecit nomine, referri aliquod officium sermonis mei, vt ego vtique vestrum & ille tibi absolueretur qui debebat referre quod acceperat. Vale, & diligentes te dilige.

FINIS.

Capita Epistolarum Libri Noni.

Ambrosius Vigilio, instituens eum quomodo plebem docere debeat, ac inter cætera vt coniugia ex alienigenis refugiant. Sampsouique exemplo comprobans quàm perniciosum sit alienigenæ mulieris copulam adscimisse. Epist. LXX.

Ambrosius Irenæo, occasione eius quod in Apostolo scriptum est: Lex enim iram operatur, & c. quæstionem cur lata sit lex, absolvens. Epist. LXXI.

Ambrosius Irenæo, causam reddens cur pleraque in lege præcepta sint, quæ per euangelium vacuata videntur, vt est circumcisio corporalis, & observatio sabbati, aliaque plura huiusmodi, cur etiam lex pedagogus dicatur. Epist. LXXII.

Ambrosius Clementiano, vim Apostolica disputationis in superiori epistola notatæ aperiens, simulque ostendens Iudæum non esse secundum adoptionem heredem. Epist. LXXIII.

Ambrosius Horontiano, ex eo quod ab Apostolo commemoratum est, Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, &c. colligens quod magis Abraham filii qui ex fide heredes sunt, ipsam quoque fidem plurimum commendat. *Epist. LXXIII.*
 Ambrosius Bellicio, exponens quid sibi velit illud quod dominus Iesus videns a generatione caecum, expuit, & fecit lutum, & superunxit oculos caeci, &c. *Epist. LXXV.*
 Ambrosius Studio, questionem ab eo propositam quam in quadam epistola superius ad eundem scripta absoluit, latius ac plenius pertractans & absolvens. *Epist. LXXVI.*
 Ambrosius Constantio, causam reddens cur circumcisio veteris testamenti auctoritate quasi utilis imperetur, & novi testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, aduersantiumque obiectiones arguta responsione dissoluens. *Epist. LXXVII.*

DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANENSIS, EPISTOLARVM LIBER NONVS.

Diui Ambrosii ad Vigilium, insituentis cum quomodo plebe docere debeat, ac inter caetera, ut coniugia ex alienigenis refugiat, Sampsonisque exemplo comprobatis quam perniciosum sit alienigenae mulieris copulam adsciuisse. Epi. LXX.

Ambrosius Vigilio. Poposcisti a me institutionis tuae insignia, quoniam nouus accitus es ad sacerdotium. Et quoniam te ipsum aedificasti, ut oportuit, qui dignus habitus es tanto munere: quomodo & alios edifices, significandum videtur. Primum omnium cognosce ecclesiam tibi Domini commissam, ideoque vitandum semper ne quid obrepat offensionis, & fiat velut commune corpus eius gerilium admixtione. Vnde scriptura tibi dicit: Ne accipias vxorem de filiabus Chananæorum, sed vade in Mesopotamiam in domum Bathuelis id est domum sapientiae, & eius tibi acquire copulam. Mesopotamia autem regio est in partibus orientis, quae duobus maximis per ea locorum Euphrate & Tigri fluminibus circumuenitur, quibus origo est in Armeniae locis. Influunt autem diuerso meatu in mare rubrum, & ideo Mesopotomiae nomine signatur figura ecclesiae, quae maximis fluentorum prudentiae irriguis atque iustitiae fecundat mentes fidelium, quibus sacri baptismatis, cuius typus praecessit in rubro mari, infundit gratiam, culpamque abluit. Doce ergo plebem ut non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis coniugij queratur copula. Nemo fraudet mercenarium mercede debita, quia & nos mercenarij sumus Dei nostri, & ab eo mercedem laboris nostri expectamus. & tu quidem o quicumque es negociator, mercenario tuo mercedem pecuniariam negas, id est vilem, caducam: tibi autem negabitur merces promissorum caelestium. Non fraudabis ergo, ut lex dicit, mercenarium mercede sua. Non dabis pecuniam tuam ad vsuram, quoniam scriptum est, quod is qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, habitabit in tabernaculo Dei. Nam ille est supplantator, qui vsurarium captat emolumenta. Itaque vir Christianus si habet, det pecuniam quasi non recepturus, aut certe sortem quam dedit recepturus. Habet in ea non mediocrem vsuram gratiae. Alioquin decipere istud est, non subuenire. Quid enim durius, quam ut des pecuniam tuam non habenti, & ipse duplum exigas? Qui simplum non habuit unde solueret, quemadmodum duplum soluet? Exemplo nobis sit Thobias, qui nunquam requisit pecuniam quam dederat, nisi extremo vitae suae tempore, magis ne fraudaret

hæredem, quam ut depositam pecuniam cogeret ac recuperaret. Populi saepe conciderunt faenore, & ea publici exitij causa extitit. Vnde nobis sacerdotibus id precipue cura sit, ut ea vitia reseceamus, quae in plurimos videntur serpere. Hospitem doce voluntarium magis quam ex necessitate esse oportere, ne in hospitio deferendo inhospitalem affectum animi sui prodatur, & in ipsa hospitis susceptione per iniuriam violetur gratia, sed magis excolatur officiorum vsu, & aliquo humanitatis ministerio. Non enim a te munera exiguntur ditia, sed officia voluntaria, plena pacis, & conuenientis concordiae. Meliora sunt enim olera cum amicitia & gratia, quam si exquisitis dapibus adornetur conuiuium, si desit affectus gratiae. Legimus peremptos graui populos excidio propter violata iura hospitij Leuitis de Ephraim. Propter libidinem quoque commissa bella atrocia. Sed prope nihil grauius quam copulari alienigenae, vbi & libidinis & discordiae incentiua, & sacrilegij flagitia conflantur. Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, vbi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares deuotione potest esse coniugij communis charitas? Saepe plerique capti amore faenarum fidem suam prodiderunt, ut patrum populus in Beelphegor. Vnde Phinees arrepto gladio interfecit Hebraeum & Madianitem faenariam, & mitigauit indignationem diuinam, ne totus populus extingueretur. Quid de pluribus exemplis loquar? Ex multis vnum proferam, ut eius commemoratione liqueat, quam perniciosum sit alienigenae mulieris adsciuisse copulam. Quis fortior, & ab incunabulis suis munitior Dei spiritu quam Nazareus Sampson? Et ipse proditus est, & ipse per mulierem non potuit suam tenere gratiam. Cuius generationis & vitae totius seriem historico digestam stylo enarrabimus secundum sacri libri continentiam, quae in hunc est mundum, non verborum serie, sed sensu. Multos per annos Hebraeorum populum subditum Palaestini ac subiectum habebant, quoniam fidei prerogatiuam amiserat, qua victoriam patres adepti fuerat. Non penitus tamen intercederat insigne electionis apud auctorem suum, & funiculus hereditatis. Sed quia rerum secularium insolentia saepe extollebatur, dabat eos plerumque in potestatem hostium, ut more ingenij humani remedium malorum de caelo sibi quaereret. Tunc enim Deo subditi sumus, cum aduersa-

Gene. 28.

Dent. 24.

Psal. 14.

Thob. 4.

1103

aduersariis aliquibus vrgemur. Secundae res mentem extollunt. Quod cum alias vsu probatum sit, maxime in ea rerum conuersione qua rursus ad Hebraeos a Palaestinis versa vice res mutatae. Naque cum diuturna iniuria longae subiectionis ita essent depressa Hebraeorum pectora, ut nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Sampson diuino oraculo praedestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis praestantissimus, & quod sine vlla controuersia sit, viribus corporis omnium facile primus, eoque ingenti admiratione nobis spectandus a principio, non illa quae temperantiae & sobrietatis iam inde a pueritia vini abstinentis praecleara insignia dedit, nec illa quae intonso capite Nazareus sacra diu seruauit custodia: sed ab adolescentia, quae in aliis aetas mollior, in hoc egregia, atque supra humanum modum perfecte virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quod non perfunctorie tanta eum anteisset gratia, ut descenderet angelus per quem ortus eius praeter spem parentibus annuntiaretur, futuri regimen & praesidium suis. Nam grauibus iam diu Palaestinatorum imperiis afflictabantur. Pater illi erat de tribu Dan timens Deum, haud ignobili genitus loco, praestans caeteris: mater vtero sterilis, sed animi virtutibus haud infaecunda: quae propriae hospitio mentis recipere meruit visionem angeli, mandatum tenuit, oraculum impleuit. Nec tamen passa sine viro scire vel diuinitatis secretum, insinuauit marito visum sibi hominem Dei praecleara specie future sobolis ferentem oracula: qua pollicitatione sese fidentem cum coniuge fidem promissorum caelestium participare. Quod vbi comperit, pie Deum precatus orauit, ut sibi quoque visionis eius gratia tribueretur, dicens: In me Domine angelus veniat tuus. Vnde ego arbitror, non zelo mulieris quae esset spectabilis pulchritudinis, aliquid eum suspectum habuisse, ut quidam existimauit, sed magis diuinae zelo gratiae prouocatum, conspectus sacri voluisse participari munere. Neque enim vitium animi praue affectus tantam apud Deum inuenisset gratiam, ut angelus in eius domum reuerteretur, qui monitis eius quae vsus oraculi postulauisset, subito flammam vehementis eleuatus specie, sese recepit. Id formidolosum viro mulier salubrius interpretata, in gaudium vertit, atque ademit sollicitudinem, eo quod prosperorum indicium non aduersantium sit visere Deum. Talibus a caelo commendatus insignibus, vbi primum adoleuit, coniugio mentem intendit, siue quod vagam ac familiarem adolescentulis abhorreret animo lubricae libidinis consuetudinem, siue quia iam causa quaerebatur quemadmodum a ceruicibus plebis suae auerteret Palaestinatorum potentiam duraque imperia. Pergens itaque in Thanata (vbi hoc nomen est in illis positae locis, quae tunc Palaestinatorum incolis frequentabatur) virginem aspexit gratae speciei, & vultu decoro, & parentes proprios quorum comitatu fultus gradiebatur, orauit ut eam in coniugium sibi poscerent. Verum illi ignorantes quod eorum intentio vergeret, ut Palaestinis aut negantibus infestior foret, aut acquiescentibus affectus inferendae in subditos iniuriae demeretur, cum ex coniunctione aequalitas, par & gratia confortij iure accresceret,

ibidem 13.

ibidem 14.

ibidem 15.

Prover. 11.

Iudic. 20.

Num. 25.

Iudic. 16.

aut si quid offensum esset, longius vitionis studia procederent, quasi alienigenam declinandam arbitrabantur. Sed vbi fletere animum pignoris legitimum obiectu frustra experti, in arbitrium eius volentes concessere. Recepta itaque petitione, Sampson cum sibi promissam reuiceret diuertit, & paulisper de aggere deflexit, continuoque occurrit ei leo ferus de sylua, agresti libertate saeuior. Comes nullus, telum in manibus haudquaquam suppedibat: cedere pudor, & conscia virtus fiduciam dare, irruentem in se brachiis amplexus necat, & laceratorum nodo exanimatum, praeter aggerem supra syluestria germina proiecit ac dereliquit. Locus erat laetus pabuli herbofo gramine, vinctis confitus. Itaque apud dilectissimam sibi sponsam exuuias ferre credidit sine momento futuras, cum talium rerum tempora non terribilibus spoliis, sed mitibus gaudiis & festa fronde fiant venustiora. Denique post eadem regrediens via fauum in vtero leonis offendit, atque abstulit, donum parentibus ac puellae futurum. Talia enim sponsam munera decent: ac degustato melle fauum praedictis edendum dedit, causam repressit. Sed forte quadam die nuptialis festi celebrabatur conuiuium, lata in epulis iuuentus mutuis se ad ludum inuitabat sermonibus, cum alium alium salubre dicacitate perstringeret, sicut se huiusmodi vsus habet, certamen laetitiae accendebatur. Ibi tum questionem huiusmodi proposuit Sampson iuuenibus coepulantibus: De manducante exiuit esca, & de forti processit dulce. Absoluentibus pollicens praemium quasi mercedem sapientiae triginta sindones, & totidem stolas secundum numerum virorum comessantium, aut multam ignorantibus. Qui cum enodare implexa, & distinguere ambigua nequirent, mulierem eius partim minis exagitando, partim fatigando precibus, eo impulere, ut a viro posceret quaestione eius absolutionem, insigne futuram coniugalis gratiae in mercedem amoris. Atque ea seu animi territa, seu muliebri ingenio inflexa, veluti pio quaestu maritalis odij dolorem praetercere coepit quod secretum viri confors totius vitae & consocia non comperisset, similisque caeteris habitata foret, cui arcanum viri proprium non crederetur. Odisti me, inquit, & non amasti, quam celsi vsque adhuc. His atque caeteris talibus inuictus certe animus, muliebribus emollitus blanditiis, aperuit dilectae propositam quaestionem, & illa ciuibus. A quibus vix tandem septimo die qui praescriptus absoluendae parabola fuerat, ante occasum solis comperta soluta sunt, atque in hunc modum relata. Quid fortius leone? quid dulcius melle? Et ille respondit: Nec muliere aliquo perfidiosius. Nam si non domuissetis vitulam meam, nunquam intelligeretis parabolam meam. Et statim descendit in Ascalonam, & triginta viros peremit, quorum exuuias auferens, eos qui propositam quaestionem soluerant, promisso munere donauit. Abstiniuit autem coniugio puellae cuius perfidiam deprehenderat, atque in patriam domum sese recepit. Turbatamque animi iuencula quae indignationem laesi, ferociam fortissimi fraudi sibi futuram iusta formidine perhorresceret, in alterius viri concessit nuptias, quem tamen paranympum sibi Sampson

ibidem 14.

Iudic. 14.

quasi fidum solidum sodalem, cum duceret eam uxorem, asciuerat, nec sic tamen prætento licet coniugio offensiois periculum auerit. Namque ubi res prodita, volentique ad coniugem redire, interclusa copia, quod pater eam alij viro nupuisse diceret, sororem sane eius si vellet, ducere liceret: stimulo iniuriæ exulceratus, publicam excogitauit ultionem capeffere domesticæ contumeliæ indignatione: correptisque vulpibus adulta ætate, cum iam matura essent in agris frumenta, binas sibi inuicem cauda ad caudam ligauit, atque in medium earum ardentem inseruit facem, nodoque adstrinxit inextinguibili, & ultor iniuriæ super manipulos messis dimisit frumentariæ, quam secuerant incolæ Palæstinorum. At illæ igitur exterritæ quacunquæ præcipites conuoluebantur, spargebant incendium, & exurebat spicas eorum. Quo dispendio commoti, quod omnes sibi locorum fructus interierat, factum principibus suis intimauerunt. Et illi miserunt viros in Thannatam qui mulierem quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum parentisque igni inuolueret, quod ea causa suæ vastitatis & iniuriæ foret, nec oportuisse lædi virum pronunciantes qui posset malo se publico vlscisci. Nec tamē Sampson populis Palæstinorum delicti gratiam fecit, atque eo vindictæ sine contentus fuit, sed concidit eos strage maxima, plurimique eorum ferro interiere. Ipse autem concessit in Ethan ad torrentem in deserto. Petra illic erat munitio tribus Iudæ. Palæstini verò qui eum non auderent laceffere, nec munitiois prærupta arduaque superare, tribum Iudæ denunciato adorsu vrsere prælio: quod subditos sibi & tributarios, perditum iri nequaquam iustum & æquum atque ex vsu videretur publico, pro alieno præsertim facinore: consulentes in medium, tradi sibi designatorem tanti flagitij postulauerunt, atque ita illis quod ab eo commissum esset, futurum sine noxa. Qua præscripta sibi conditione viri de tribu Iudæ tria milia ex suis congregantes ascenderunt ad eum, & præfato quod essent subditij Palæstinorum, quibus sibi necessitas obediendi non ex arbitrio, sed ex periculi formidine maneret, facti sui inuidiam retorquebant in eos qui ius cogendi habebant. Tum ille, Et quæ, inquit, iustitiæ forma est genus Abrahamidarum, vt circumscripte primo coniugis, deinde abductæ perniciofa mihi vindicta sit, & sine periculo domesticam iniuriam non licuerit vlscisci? Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obsequiū vt executores vos alienæ præbeat in solentia, atque in vosmet ipsos vertatis manus? Si pereundum est quia dolorem habui liberum, iuuat perire manibus Palæstinorum. Tentata domus, sollicita vxor. Si non licuit mihi viuere sine eorum fraude, saltem liceat mori sine scelere vestro. Retuli ego acceptam iniuriam, non intuli. Vos existimate an digna vicissitudo fuerit. Illi de damno fructuum quærentur, ego de coniugis amissione. Conferte manipulos messis, & fociam thori. Dolorem meum ipsi probarunt, cuius iniurias vindicauerunt. Videte quo vos ministerio dignos putant. A vobis eum morte affici volunt, quem ipsi ultione dignum de iis qui me læserant iudicauerunt, & qui vindictæ præbuere ministerium. Sed si adeo subdita superbis corda geritis, tradite

me hostium manibus, vos nolite occidere. Non mortem abnuo, sed vestrum fugio contagium. Verum si formidine ceditis insolentibus, alligate vinculis manus: inermes licet, inuenient sibi arma nodis solutæ. Certè conditioni impositæ satis futurum arbitrati sunt, si viuentem in potestatem daretis. Quibus illi auditis, quamuis tria milia virorum ascenderant, sacramentum dederunt quod à se vitæ eius vis nulla irrogaretur, tantummodo patiens vinculorum esset, vt deditioem eius patrent, quo vacui fierent eius cuius arguebantur facinoris. Accepta itaque fide spelæo egressus deseruit petra munitioem ac duobus innexus funibus, vbi appropinquare accitos ad suscipiendum Palæstinorum validos videt, infremuit spiritu, & vniuersa dirupit vincula, atque arripiens maxillam asini iacentem percussit mille viros, fugauit alios grandi virtutis spectaculo, cum inermis & vni cederet armatorum agmina. Et qui comminus ausi fuerant congregari, facili negotio nullo labore obtruncati: aliis fuga exitium depfit. Vnde hodiè que Agon loco nomen est, quod ibi Sampson gloriosum certamen virtute egregia consummauerit. Sed vtinam quàm fortis in hostem tam moderatus in victoria fuisset. Verum quod facile vsu venit, insolens rerum secundarum animus, qui debuit euertum pugnae diuino fauori & præsidio deferre, sibi arrogauit, dicens: In maxilla asini deleui mille viros. Nec aram statuit Deo, nec hostiam immolauit, sed negligens sacrificij, assumptor gloriæ, vt triumphum suum perpetuo cõsecraret nomine, vocauit locum maxillæ interfectionem. Et mox siti grauiter cœpit inardescere, & potus deerat, nec iam ferre ac tolerare poterat. Vnde intelligens quod nihil tam facile esset humanæ opis quod sine diuino adiumento non difficile foret, exclamauit atque obsecrauit ne sibi Deus omnipotens in offensam verteret, quod imprudenter incauto sermone sibi aliquid assignauisset. Quinetiam illam victoriam Deo deputabat, dicens: Tu dedisti in manu serui tui salutem magnam hanc, & nunc subueni, quia ecce morior siti, & in potestatem eorum de quibus tantum donasti triumphum, sitis necessitate adiudicor. Quomodo Dei misericordia, cum proiecisset ille maxillam, aperuit scissuram eius, & fons erupit ex ea, & bibit L Sampson, & resumpsit spiritum, & vocauit locum inuocationem fontis, eo quod victoriæ iactantiam inuocationis precibus emendauisset: ita diuersa iudicia maturè edita, quod & arrogantia cito offensam incurreret, & humilitas sine vlla offensione sese recõciliaret. Verum vbi decursa seriè bellum Palæstinorum composuit, & suorum declinans ignauia, & hostilem despiciens manum, Gazam sese contulit (ca ciuitas erat in locis Palæstinorum) & habitabat illic in diuersorio. Quod cognitum Gazæi haudquaquã dissimulatione præterierunt, sed festinantes circumdederunt diuersorium eius, & obfederunt vniuersos aditus domus, ne fugam in noctem componeret. Itaque Sampson cognito quid pararetur, compositas insidias noctis medio præuertens, columnas domus manibus amplexus, materiem totam & culminis molem ceruice valida sustentans, in verticem montis altissimi transportauit, qui imminebat vbi Hebron, quæ populis Hebræis incolebatur. Cum

Cum libero & vago motu transgrederetur, non solum regionis paternæ terminos, sed etiam motum limites, & maiorum obseruatione præscriptos, eam sibi futuræ mox cladis pestem inuenit. Namque parum fida expertus alienigenæ vxoris prima connubia, qui debuisset cauere vel postea, rursus Dalilæ mulieris fornicariæ copulam non declinavit: & cum eam diligeret impensè, tentandi se causam dolis hostilibus præstitit. Ascendentes enim Palæstini ad eam, polliciti sunt pecuniam viritim duros mille & centum denarios, si proderet eis in quo ille fiducia virtutis suæ constitutam haberet, quo cognito circumueniri & capi posset. At illa quæ semel se pecuniæ prostituerat, astutè satis & callidè inter epulas ad illecebras amoris quasi admirans fortitudinis eius eminentiam, quærere cœpit quo tandem genere tantum præstaret reliquorum virtutibus, simul & quasi pauida atque sollicita orare, vt dilectæ suæ committeret qui nexus adstrictum alienæ potestati substerneret. Ille autem adhuc sobrius & fortis animi aduersus delinimenta meretricia dolum dolo retulit, dicens: quia si vitibus virentibus adhuc & non aridis alligaretur, infirmitate corporis adæquaret aliorum similitudinem. Quo Palæstini per Dalilam sibi comperto, cum vitæ soporanti circumdedissent vincula, quasi de improviso excitum, haud degenerem offendere notæ & solitæ fortitudinis, cum solitus nexibus virtus libera multis licet resisteret ac repugnaret. Sed vbi id parū processit, rursus Dalila quasi derisa & conquerens repetere artes suas, & fidem amoris poscere non prætermittebat. Cui Sampson validus adhuc consilij, dolum ridens, significauit ligatum se septem funibus qui adhuc sine vsu forent, venturum se in potestatem hostium, sed & hoc frustra fuit. Tertio quoque tanquam de mysterio deprompsit, iam lapsuro propior, si dissoluti essent crines septem capitis sui, & quasi in cubitum intexti, discederet ab eo virtus sua. Et hoc quoque lusit insidiarum fabricatores. Ad postremum cum illusum sibi totiens procaz mulier deplorauisset, indignam se habitam dolens cui committeretur arcanum, dilectique id quod pro remedio quæreret, ad prodicionem suspectari videret, lachrymis fidem coëgit: simul quia debebatur inuictæ ad id tempus fortitudinis viro, vt incideret ærumnam, saucius animi secretum aperit, prætereundum in se virtutem Dei, & esse Domino sanctificatum, secundum eius præceptum comam pascere, quæ si attonderetur, defineret Nazaræus esse, & propriæ virtutis vsu amitteret. Palæstini per mulierem comperta infirmitate viri, sceleris mercedem afferunt, vt precio obnoxia dolum patraret. At illa meretricis delinimētis fessum amoris in soporem compulit, & tōsore adhibito septem crines capitis eius admota nouacula abscidit. Continuoque interdicti præuaricatione vires minutæ. Denique ex somno experrectus: faciam, inquit, sicut soleo, & excutiam me super aduersarios: sed nec animi sui alacritatem nec virtutem agnouit, nec vigor erat, nec gratia manebat. Itaque reputans secum quàm improvidè se mulieri aduersariorum credidisset, vt caluatus tentare ulterius aliquid damnarus infirmitatis nequiret, cæcatus oculos vinculis manus

A præbuit, & compedibus innexus carcerem intrauit multis sibi incognitum tempestatibus. Et iam processu temporis crescere ei coma cœperat. Itaque cū esset celebre conuiuium, Palæstinorum conuentui producitur de carcere Sampson, ac statuitur in populi conspectu. Erant tria milia ferme hominum virilis ac muliebris sexus, & grauibus in eum insultabant conuitiis, circumagebant ludibriis, quod durius & vltra ipsam captiuitatis speciem viro ingentæ virtutis conscio tolerabatur. Nam viuere & mori naturæ functio: ludibrio esse, probro ducitur. Cuiuspiens igitur tantam contumeliā vel ultione solari, vel morte in reliquum præuerrere, simulato quod infirmitate corporis & nodis compedum sustentare sese nequiret, poposcit à puero qui dirigebat vias eius, vt admoueret cum ad columnas proximas, quibus domus omnis suffulciebatur. Et admotus, vtraque manu fulcra totius comprehendit ædificij, atque intentis ad festa sacrificij Palæstinis, quod Dagoni Deo suo deferebāt, per quem sibi aduersarium suum datum in potestatem arbitrabantur, muliebris perfidiæ dolos beneficiis annuerantes cœlestibus exclamauit ad Dominum, dicens: Domine adhuc semel memor pueri tui esto, vt pro duobus oculis meis vindictam tribuas de nationibus, ne dent gloriam suis diis, quod ipsis iuuantibus me in potestate acceperint, nec vitam meam pluris facio. Moriatur anima mea cum Palæstinis, vt agnoscant sibi infirmitatem meam nō minus quàm virtutem exitialem fuisse. Concussit itaque columnas magna vi, ac dissoluit & comminuit eas, quas secuta ruina superioris culminis, & ipsum inuoluit, & vniuersos qui desuper aspectabant præcipitavit. Ibi magna vis marium fœminarumque promiscuè exanimata, & triumphus quæsitus perempto supra omnes superiores victorias haudquaquam degenerare & decolorare exitu. Nam etsi inuolabilis ad id locorum & deinceps, atque incomparabilis in hac vita expertis belli fuerit viris, tamen in morte seipsum vicit, & insuperabilem gessit animum, vt contemneret & quasi nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit quod victoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum sed triumphalem inuenit. Circumscriptionem autem fuisse à muliere, naturæ potius quàm personæ adscribendum: quia humana conditio maior, quàm culpa inferior. Premittitur enim & cedit illecebris flagitorum. Itaque cum scriptura ei testificetur quod plures in morte quàm in lumine vitæ istius positus occiderit, videtur ad aduersariorum magis exitum captus, quàm quo ipse deiectionis fieret, aut minor esset. Non est enim se expertus inferiorem, cuius sepultura præstantior quàm potentia fuit. Denique non telis, sed cadaueribus hostiū pressus humatus est, proprio tectus triumpho, clarum insigne relinquens posteris, eo quod populum suum quem captiuum inuenerat, viginti annis in libertate iudicio suo rexit, & sepultus in patrio solo libertatis hæredem dimisit. Hoc ergo exemplo liquet alienigenarum consortia refugienda, ne pro charitate coniugij prodicionis insidiæ succedant. Vale, & nos diligite, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, occasione eius quod in Apostolo G scriptum est: Lex enim iram operatur, &c. questionem cur lata sit lex, absoluentis.

Epistola LXXI.

Ambrosius Irenæo. Decursa lectione Apostoli non perfunctoriè motus es, quia audisti hodie lectum: Lex enim iram operatur. Vbi autem non est lex, nec præuaricatio. Vnde & consulendum arbitratus es cur lata sit lex si nihil proderat, imò oberat, quæ operaretur iracundiam, & præuaricationem introduceret. Equidem secundum interrogationem tuam certum est non fuisse legem necessariam quæ per Moysen data est. Nam si naturalem legem, quam Deus creator infudit singulorum pectoribus, homines seruare potuissent, non fuerat opus ea lege quæ in tabulis scripta lapideis implicauit atque innodauit magis humani generis infirmitatem, quam elaqueauit atque absoluit. Esse autem legem naturalem in cordibus nostris etiam Apostolus docet, qui scribit: Quia plerunque & gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & cum legem non legerint, opus tamen legis scriptum habent in cordibus suis. Ea igitur lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed proflo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus vel futuri iudicij metu seruare, cuius testis conscientia nostra tacitis cogitationibus apud Deum ipsa se prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cum semper pateat Domino, tum maxime in die iudicij manifestabitur, quando occulta cordis in examen venient quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio, occultorum scilicet, nequaquam noceret si lex naturalis inesset pectoribus humanis. Est enim sancta, sine versutia, sine fraude confors iustitiæ, expers iniquitatis. Denique interrogemus infantiam, videamus si in ea crimen reperitur, si auaritia, ambitio, dolus, sæuitia, insolentia. Nihil suum nouit, nullos honores sibi arrogat, præferre se alteri ignorat, fraudem nescit, vindicare sese nec vult nec potest. Insolentia quid sit, puro ac simplici nequit animo comprehendere. Soluit hanc legem Adam, qui voluit sibi arrogare quod non acceperat, ut esset sicut creator & cõditor suus, & diuinum honorem affectaret. Itaque per inobediẽtiam offensam traxit, & culpam incidit ex insolentia. Qui si non rupisset imperium, & obediens fuisset mandatis cœlestibus, prærogatiuam naturæ atque ingenitæ sibi innocentia hæredibus propriis reseruasset. Ergo quia per inobediẽtiam prærogatiua naturalis legis corrupta atque interdita est, ideo scriptum legis existimatum est necessarium, ut vel partem haberet, qui vniuersum amiserat. Et cui perierat quod nascendo assumpserat, discendo saltem cognosceret & custodiret. Simul quia causa deiectionis eius superbia fuit: superbia autem orta est ex prærogatiua innocentia: debuit ea lex ferri quæ subditum Deo & subiectum redderet. Nam sine lege peccatum nesciebatur, & minor erat culpa, vbi erat culpæ ignorantia. Vnde & Dominus ait: Si non venissem, & locutus fuisset iis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem

non habent de peccato. Lata est ergo lex, Primum vt excusationem tolleret, ne quis diceret, peccatum nesciui, quia præscriptum non erat quid cauerem. Deinde vt omnes subditos faceret Deo agnitione peccati. Omnes autem subditos fecit, quia non solum Iudæis data est, sed etiam gentes vocauit. Profelyti enim ex gentibus sociabantur. Neque verò exceptus videri potest qui vocatus defuit. Lex enim quos vocauit, & alligauit. Vniuersorum itaque culpa operata est subiectionem, subiectione humilitatem, humilitas obedientiam generauit. Itaque quia superbia culpam contraxerat, econtrario culpa obedientiam generauit. Vnde lex scripta quæ videbatur superflua, facta est necessaria, vt peccatum peccato solueret. Sed ne rursus aliquis deterreatur, & dicat incrementum peccati factum esse per legem, & legem non solum non profuisse, sed etiam obfuisse arbitretur, habet quo solari suam possit sollicitudinem, quia & si per legem superabundauit peccatum, superabundauit & gratia. Quid sit hoc, intelligamus. Superabundauit peccatum per legem, quia per legem agnitio peccati, & cœpit mihi obesse scire id quod per infirmitatem vitare non possem. Ad cauendum enim prodest præscire: sed si cauere non queam, obfuit nosse. Versa ergo lex in contrarium, tamen ipso peccati incremento facta est mihi utilis, quia humiliatus sum. Vnde & dixit Dauid: Bonum mihi quod humiliatus sum. Humiliando autem me, solui vinculum erroris superioris, quo Adam & Eva exuerant omnem propriæ seriem successionis. Vnde & Dominus quasi obediens venit, vt inobediẽtiæ & præuaricationis humanæ laqueus solueretur. Itaque sicut per inobediẽtiam peccatum intrauit, ita per obedientiam peccatum solutum est. Vnde & Apostolus ait: Quia sicut per inobediẽtiam vnus hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per obedientiam vnus hominis iusti constituentur multi. Habes igitur vnum, quia lex & superflua fuit, & facta est non superflua. Superflua in eo, quia non fuisset necessaria si illam legem naturalem seruare potuissemus. Sed quia non seruauimus, ista lex per Moysen necessaria facta est, vt doceret me obedientiam, & laqueum illum solueret præuaricationis Adæ, qui laqueus totam adstrinxit hæreditatem. Creuit quidem culpa per legem, sed & culpæ author superbia, soluta est: idque mihi profuit. Superbia enim culpam inuenit, culpa autem gratiam fecit. Accipe aliud. Non fuit necessaria lex per Moysen. Denique subintravit, quod vtique non ordinarium, sed velut fortuitum significare videtur introitum, eo quod in locum naturalis legis intrauerit. Itaque si illa suum seruasset locum, hæc lex scripta nequaquam esset ingressa. Sed quia illam legem excluderat præuaricatio, ac propemodum aboleuerat, peccatoribus humanis regnabat superbia, inobediẽtiæque sese diffuderat: ideo successit ista, vt nos scripto conueniret, & omne os obstrueret, vt totum mundum faceret Deo subditum. Subditus autem mundus eo per legem factus est, quia ex præscripto legis omnes conueniuntur, & ex operibus legis nemo iustificatur, id est, quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur: videbatur lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores: sed veniens Domi-

Colos. 2. ROMAN. 5.

ROMAN. 1.

Dominus Iesus peccatum omnibus, quod nemo poterat cuitare, donauit, & chirographum nostrum sanguinis effusione deleuit. Hoc est quod ait: Superabundauit peccatum per legem: superabundauit autem gratia per Iesum: quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit: sicut testificatus est Ioannes, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo gloriatur in operibus, quia nemo factis suis iustificatur, sed qui iustus est, donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est. Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille cui peccatum remittitur, & venia donatur. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Irenæum, causam reddentis cur pleraque in lege præcepta sint quæ per Euangelium vacuata videntur, vt est circucisio corporalis, & observatio sabbati, aliæque plura huiusmodi: cur etiam lex pædagogus dicatur.

Epistola LXXII.

Ambrosius Irenæo. Audisti fili hodie lectum in Apostolo: quia lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. Quo vno absolutas arbitror quæstiones quæ plerosque mouere consueverunt. Sunt enim qui dicunt: Cum legem Deus Moysi dederit, quid causæ est vt pleraque in lege sint quæ per Euangelium iam vacuata videantur? Et quomodo vnus vtriusque conditor testamenti, cum quod licebat in lege, per Euangelium cœperit non licere: vt est circucisio corporalis, quæ licet etiam tunc signo data sit, vt circucisionis spiritualis veritas teneretur, tamẽ qua ratione vel in ipso signo fuit? Cur ista diuersitas existimatur, vt tunc circucidi pietas crederetur, nunc impietas iudicaretur? Deinde sabbati diem feriatum esse debere obseruabatur ex lege, ita vt si quis onus aliquod lignorum portasset, mortis fieret reus: nunc autem diem ipsum & oneribus subeundis & negociis obeundis sine pœna aduertimus deputari. Et pleraque præcepta sunt legis, quæ præsentis tempore cessare videantur. Quid ergo causæ sit consideremus. Nõ enim ociose dixit Apostolus quia lex pædagogus noster fuit in Christo. Pædagogus cuius est, maturioris, an adolescentis, aut pueri, hoc est, ætatis infirmæ? Pædagogus ergo, sicut etiam interpretatio latina habet, doctor est pueri: qui vtique imperfectæ ætatis non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere non queat. Denique per prophetam Deus legis ait: Dabo vobis præcepta non bona, hoc est non perfecta. Quod enim bonum, vtique perfectum. Idem autem Deus Euangelio perfectiora seruauit. Siquidem ait: Non veni legem soluere, sed implere. Quæ igitur istius causa distantiæ, nisi humana varietas? Sciebat duræ ceruicis populum Iudæorum, lapsum, humilem, perfidiæ promptiore, qui aure audiret & non audiret, oculis videret & non videret, lubrico quodam infantia leuem, & immemorem præceptorum, & ideo legem tanquam pædagogum mobili plebis ingenio & mēti adhibuit infirmæ, ipsaque legis præcepta moderatus, aliud legi voluit, aliud intelligi: vt insipiens saltem quod legeret custodiret, & a præscripto literæ

Galat. 3.

Psalm. 111.

ROMAN. 8.

ibidem.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

ibidem.

Rem. 2.

ibidem.

Genes. 3.

ROMAN. 7.

IOAN. 15.

non recederet, sapiens intelligeret diuinæ mētis sententiam, quam litera non resonaret: imprudens seruaret legis imperium, prudens mysterium. Ideo lex feueritatem gladij habet tanquam pædagogus baculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ saltem denunciatione deterreat. Euangelium autem indulgentiã habet, quo peccata donantur. Iure ergo ait Paulus: quia litera occidit, spiritus autem viuificat. Litera igitur occidit exiguam corporis portionem: spiritus intelligens, circucisionem totius animæ corporisque custodit, vt superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quàm auaritiæ vitia, libidinisque peccata, quæ natura non habuit, culpa quæ fuit?) castimonia reneatur, frugalitas diligitur. Signum igitur circucisio corporalis, veritas autem circucisio spiritualis est. Illa membrum amputat, ista peccatum. Nihil imperfectum in homine natura generauit, nec tanquam superfluum iubebatur auferri: sed vt aduerteret qui partem sui corporis amputabant, multo magis amputanda peccata, recidēdos eos qui delicta luadent, etiam si quadam vnitate corporis conneckerentur, sicut habes scriptum: Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te. Expedi enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Ergo sicut pueris, ita Iudæis mandata sunt non plena præcepta, sed ex parte: & velut vnam membri sui partem mundam seruare præcepti sunt, qui totum corpus suum mundum seruare non poterant. Sabbati quoque ferias vno die in hebdomada celebrare iussi sunt, vt nulli oneri subderentur, qui à mundanis operibus absoluti vtinam sic abissent, vt in illud perpetuum futurorum sabbatum seculorum nulla secum grauium veherent onera delictorum. Sed quia lubricum populum Deus nouerat, partem infirmioribus diei vnus obseruatione præscripsit, plenitudinem fortioribus reseruauit: synagoga diem obseruat, Ecclesia immortalitatem. In lege igitur portio, in Euangelio perfectio est. Populus Iudæorum ligna portare prohibetur, hoc est illa quæ consumuntur incendio. Vmbram tenet qui solem refugit. Tibi sol iustitiæ, umbram impedimento esse non passus, apertum gratiæ suæ lumen infundens ait: Vade, & amodo vide ne pecces. Tibi æterni illius solis imitator ait: Si quis autem superædificauerit super fundamentum aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam: vnus cuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini manifestabit, quoniam in igne reuelabitur. Et vnus cuiusque opus quale sit, ignis probabit. Et ideo illud superædificemus supra Christum. Christus enim nostrum est fundamentum quod non exuratur, sed melioretur. Aurum melioratur, igitur melioratur argentum. Audisti aurum & argentum, putas hoc materiale, congregare desideras, sed ludis operam. Hoc aurum & argentum onus habet, fructum non habet. Onus quærentis est, sumptus hæredis. Hoc aurum sicut lignum exuritur, non perpetuatur. Hoc argentum in die illo detrimentum vitæ tuæ, non lucrum affert. Aliud aurum, aliud argentum à te quæritur, hoc est sensus bonus, verbum optimum, de quibus dicit Deus, quia dat vasa aurea & argentea. Hæc sunt munera Dei, eloquia Domini, eloquia casta,

2. Cor. 3.

Matth. 5.

IOAN. 8.

1. Cor. 13.

Psalm. 111.

argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplo. Gratia sensus tui, nitor casti sermonis exigitur: splendor fidei, non tinnitus argenti. Hoc manet, illud perit: hoc mercedem habet, & migrat nobiscum: illud detrimentum habet, quod hic relinquitur. Si quis diuitum putat quod illud argentum repositum & reconditum ei suffragari possit ad vitam, onus inane portat, quod iudicij ignis absumat. Hic relinquit ligna vestra diuites, ut onus vestrum futuro incendio incrementum non addat. Si erogaueris, minuetur onus: & quod remanserit, onus non erit. Noli auare recondere, ne fias nudo quidem nomine Christianus, opere Iudæus, cum aduerteris onera tua tibi esse supplicio. Dictum est enim tibi non per umbram, sed in sole, Cuius opus manserit, mercedem accipiet: si cuius arserit, detrimentum patietur. Et ideo tanquam perfectus eruditus in lege, confirmatus in Euangelio, utriusque fidē suscipe testamenti. Beatus enim qui seminat super omnem aquam, ubi bos & asinus calcat, sicut hodie lectum est: hoc est qui seminat super populos, qui sequuntur testamenti utriusque doctrinam. Bos est ille aratorius, legis iugum portans, de quo lex dicit: Boui trituranti os non alligabis: qui habet scripturarum cornua diuinarum. Pullum autem asinæ Dominus in Euangelio in figura populi gentilis ascendit. Puto autem (quoniam diues est verbum Dei) quod etiam illud intelligere debeamus, quia bos habet cornua plena terroris, taurus ferociam habet, asinus mansuetudinem: quod bene ad præsentia deriuatur, quia beatus qui & seueritatem & mansuetudinem tenet, ut altero disciplina seruetur, altero innocentia non opprimatur. Nimia enim seueritas extorquet plerunque terrore mendacium. Deus diligere maluit quam timeri. Dominus ergo charitatem exigit, seruus timorem, cum perpetuus in homine terror esse non possit, quia scriptum, sicut hodie lectum est: Ecce in timore vestro ipsi timebunt quos timebatis. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

1. Cor. 3.

Esai. 23.

Deut. 25.
1. Cor. 9.
Luca 16.

Diui Ambrosij ad Clementianum, vim apostolicæ disputationis in superiori Epistola notat. e aperientis, simulque ostendentis Iudæum non esse secundum adoptionem hæredem.

Epistola LXXIII.

Ambrosius Clementiano. Etsi sciam quod nihil difficilius sit quam de Apostoli lectione differere, cum ipse Origenes longe minor sit in nouo quam in veteri testamento: tamen quoniam superiore Epistola visus tibi sum cur pædagogus lex diceretur, non absurde explicauisse: hodierno quoque sermone vim ipsam apostolicæ disputationis meditabor aperire. Superiora enim lectionis eius hoc habent. Eo quod ex operibus legis nemo iustificetur, sed ex fide: quoniam qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: Christus autem redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Non ex lege igitur hæreditas data est, sed ex repromissione. Et enim Abraham dicte sunt repromissiones & semini eius quod est Christus. Lex itaque præuaricationum gratia posita est, donec veniret semen cui repromissum est, & ideo conclusa sunt omnia sub peccato, ut

Galat. 3.

repromissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Postquam venit autem fides, iam non sub lege, hoc est sub pædagogo sumus, quia sumus filij Dei, & omnes sumus in Christo Iesu. Si autem omnes sumus in Christo Iesu, ergo Abraham semen sumus secundum promissionem hæredes. Hæc est Apostolicæ conclusio sententiæ. Sed occurrit adhuc ei quod poterat etiam Iudæus dicere. Et ego hæres sum, quoniam sub lege sum. Lex autem, vetus dicitur testamentum. Vbi autem testamētum, ibi hæreditas. Et licet ad Hebræos ipse dixerit quia testamētum non valet nisi mors in-

Hebr. 9.

tercedat testatoris, id est, quoniam testamētum non valet quandiu uiuit testator, sed eius morte firmatur: tamen quia in Hieremia Dominus locutus est de Iudæis, & ait: Facta est hæreditas mihi sicut leo, hæredes eos negare noluit. Sed sunt hæredes sine re, sunt & cum re. Et dicuntur hæredes testatore uiuente, qui scripti sunt, sed sine re. Sunt etiam hæredes paruuli, qui nihil differunt a seruulo, quoniam sub curatoribus sunt & actoribus. Ita, inquit, & nos eramus Iudæi sub elementis mudi huius seruietes. Postquam vero venit plenitudo temporis, & Christus aduenit, iam non sumus serui, sed liberi, si credamus in Christum.

Hiere. 10.

Galat. 4.

Ergo dedit illis speciem hæreditatis, possessionem negauit. Habent nomen hæredis, vsum non habent: quia sicut paruuli hæredes nomen nudum hæreditatis non auctoritatem vsurpant, iubendi ius & vtendi non habent, quia plenitudinem suæ ætatis expectant, ut a curatoribus liberentur. Sicut ergo paruuli, ita & Iudæi sub pædagogo sunt. Lex pædagogus est. Pædagogus ad magistrum ducit: magister noster solus est Christus. Nolite dicere vobis Dominum & magistrum, quia Dominus & magister vester vnus est

Matth. 23.

Christus. Pædagogus timetur, magister viam salutis ostendit. Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem, charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem. Ergo ubi fides, ibi libertas: seruus enim sub metu, liber ex fide. Ille sub litera, iste sub gratia: ille in seruitute, iste in spiritu. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si igitur ubi fides, ibi libertas: ubi libertas, ibi gratia: ubi gratia, ibi hæreditas: Iudæus autem litera non spiritu in seruitute est, qui non habet fidem, non habet spiritus libertatem. Vbi autem nulla libertas, nulla gratia: ubi nulla gratia, nulla adoptio: ubi nulla adoptio, nulla successio. Tanquam clausis ergo tabulis cernit hæreditatem, non possidet, auctoritatem non habet lectionis. Nam quomodo dicit, Pater noster, qui verum Dei filium negat, per quem adoptiuus acquiritur? Quomodo testamentum nuncupat, qui mortem testatoris negat? Quando libertatem vsurpat qui negat sanguinem quo redemptus est? Hic enim est nostræ precium libertatis, sicut Petrus dicit, Sanguine precioso redempti estis, non agni vtique, sed eius qui mansuetudine & humilitate tanquam agnus aduenit, & totum mundum vna sui corporis hostia liberauit, sicut ipse ait: Sicut agnus ductus sum ad immolandum. Vnde & Ioannes ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ergo Iudæus hæres in litera, non spiritu, tanquam paruulus est sub curatoribus & actoribus. Christianus autem qui plenitudinem tēporis agnouit, qua Christus aduenit factus ex muliere, factus sub lege: ut omnes qui sub lege erant redimeret, Christianus,

1. Cor. 3.

1. Petri. 1.

Ioan. 1.

Galat. 4.

Epist. 4.

inquam, per vnitatem fidei & agnitionem filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis exurgit, plenitudinis Christi. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Horontianum, ex eo quod ab Apostolo commemoratum est, Abraham credidit Deo, & reputatū est ei ad iustitiam, &c. colligentis quod ij magis Abraham filij qui ex fide hæredes sunt, ipsam quoque fidem plurimum commendantis.

Epistola LXXIII.

Genes. 15.

Galat. 4.

Idem 3.

Idem 5.

Exod. 4.

1. Cor. 13.

Gal. 5.

Deut. 6.

1. Cor. 13.

Ambrosius Horontiano. Si Abraham credidit Deo, & reputatū est ei ad iustitiam: quod autem reputatur ad iustitiam, ex incredulitate ad fidem est: vtique ex fide iustificamur, non ex operibus legis. Abraham autem ipsi duo filij Ismael & Isaac, vnus de ancilla, alter de libera. Et responsum huiusmodi, ut expelleret ancillam, & filium ancillæ: non enim hæredem fore ancillæ filium. Et ideo non ancillæ nos filios esse, sed liberæ, qua libertate nos Christus liberauit. Vnde colligitur quod ij magis Abraham filij, qui ex fide. Præstant enim fidei quam generationis hæredes. Lex pædagogus est, fides libera. Abiiciamus ergo opera seruitutis, teneamus gratiam libertatis. Deseramus umbram, solem secuti, ritus Iudæicos deseramus. Circūcisio membri vnus nihil prodest. Denique ait Apostolus: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit. Non quia non possit, sed quia indignos beneficiis suis iudicet, qui vias eius deserant. Et quidem ante Sephora circumcidit filium suum, & periculum depulit quod imminerebat. Sed tunc profuit cum Christus adhuc perfecta differret, cum paruulus esset populus credentiū. Venit non paruulus, sed perfectus in omnibus Dominus Iesus. Circūcisus est primò secundum legem, ne legem solueret: postea per crucem, ut legem impleret. Cessauit ergo quod ex parte est, quia venit quod perfectum est. Crux enim in Christo non vnus membrum, sed totius circumcidit superfluas voluptates. Fortasse adhuc quaeritur qua ratione circumcidi ex parte voluerit, qui venerat perfectam circumcisionem demonstraturus. De quo non puto esse diutius deliberandum. Nam si peccatum factus est, ut nostra peccata mundalet: si maledictum pro nobis factus est, ut legis maledicta vacuaret: ea ratione & circumciscus pro nobis est, ut circumcisionem legis auferret, daturus salutem crucis. Spiritu igitur ex fide spem iustitiæ expectandam nobis asserit Apostolus, & in libertatem vocatos, libertatem nostram in occasionem carnis non debere conferre. Siquidem neque circumcisio aliquid valet, neque præpucium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et ideo scriptum est: Diliges Dominum tuum. Qui autem diligit, vtique credit: & credendo vnusquisque diligere incipit. Denique Abraham credidit, & sic diligere cepit, & credidit non ex parte, sed per omnia. Aliter enim habere plenam non poterat charitatem, quia scriptum est: Charitas credit omnia. Si non credit omnia, non videtur charitas esse perfecta. Ergo perfecta charitas omnem fidem habet. Non tamen facile dixerim, quod continuo omnis fides perfectam charitatem habeat, quia

Apostolus dixit: Si habeam omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Etenim cum tria sint maxime in viro christiano, spes, fides, charitas: maior his charitas. Sed arbitrator propofiti gratia hoc dixisse Apostolum. Neque enim videtur mihi qui habeat omnem fidem, ita vt montes transferat, charitatem non habere: quomodo & illud, Si habeat aliquis omnia mysteria, & omnem scientiam, quomodo non habeat charitatem, cum dicat Ioannes, quia omnis

ibidem

1. Ioan. 4.

ibidem 3.

1. Petri. 4.

Luc. 17.

Matth. 14.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 4.

1. Cor. 13.

Galat. 6.

B qui credit quia Iesus Christus est, de Deo natus est. Et supra ipse dixerit: Quoniam qui de Deo natus est, non peccat: Vnde colligitur, Si is qui credit quia Iesus Christus est, de Deo natus est: & qui de Deo natus est, non peccat: vtique is qui credit, quia Iesus Christus est, non peccat. Si quis autem peccat, non credit. Qui autem non credit, non diligit. Qui autem non diligit, peccato obnoxius est. Ergo non diligit qui peccat. Charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quod si charitas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem excludit foras, plena est vtique perfecta fidei charitas. Denique Apostoli qui futuri erant amici, dixerunt: Adauge nobis fidem: petentes a bono modico vt infirmantem in se fidem sanaret. Infirmabatur adhuc fides in iis, cum audiret etiam Petrus: Minimæ fidei, quare dubitasti? Ergo fides velut præuia charitatis occupat animam, & preparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis fides est, ubi perfectio charitatis. Ideo puto dici quia charitas credit omnia, hoc est facit fidem omnia credere, & habere huiusmodi animam omnem fidem. Ac per hoc vbi perfecta charitas, ibi omnis fides: sicut vbi perfecta charitas, spes omnis. Denique sicut omnia credit, ita scriptum est, quia sperat omnia. Ideo maior, quia spem fidemque complectitur. Hanc charitatem habens nihil timet, quia charitas timorem excludit foras, & ideo ablegato & exuto timore omnia suffert, omnia sustinet. Qui ergo per charitatem omnia sustinet, non potest timere martyrium. Et ideo quasi victor alibi in fine ait: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

C qui credit quia Iesus Christus est, de Deo natus est: & qui de Deo natus est, non peccat: vtique is qui credit, quia Iesus Christus est, non peccat. Si quis autem peccat, non credit. Qui autem non credit, non diligit. Qui autem non diligit, peccato obnoxius est. Ergo non diligit qui peccat. Charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quod si charitas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem excludit foras, plena est vtique perfecta fidei charitas. Denique Apostoli qui futuri erant amici, dixerunt: Adauge nobis fidem: petentes a bono modico vt infirmantem in se fidem sanaret. Infirmabatur adhuc fides in iis, cum audiret etiam Petrus: Minimæ fidei, quare dubitasti? Ergo fides velut præuia charitatis occupat animam, & preparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis fides est, ubi perfectio charitatis. Ideo puto dici quia charitas credit omnia, hoc est facit fidem omnia credere, & habere huiusmodi animam omnem fidem. Ac per hoc vbi perfecta charitas, ibi omnis fides: sicut vbi perfecta charitas, spes omnis. Denique sicut omnia credit, ita scriptum est, quia sperat omnia. Ideo maior, quia spem fidemque complectitur. Hanc charitatem habens nihil timet, quia charitas timorem excludit foras, & ideo ablegato & exuto timore omnia suffert, omnia sustinet. Qui ergo per charitatem omnia sustinet, non potest timere martyrium. Et ideo quasi victor alibi in fine ait: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

D qui credit quia Iesus Christus est, de Deo natus est: & qui de Deo natus est, non peccat: vtique is qui credit, quia Iesus Christus est, non peccat. Si quis autem peccat, non credit. Qui autem non credit, non diligit. Qui autem non diligit, peccato obnoxius est. Ergo non diligit qui peccat. Charitas enim multitudinem operit peccatorum. Quod si charitas peccandi excludit affectum, quandoquidem etiam timorem excludit foras, plena est vtique perfecta fidei charitas. Denique Apostoli qui futuri erant amici, dixerunt: Adauge nobis fidem: petentes a bono modico vt infirmantem in se fidem sanaret. Infirmabatur adhuc fides in iis, cum audiret etiam Petrus: Minimæ fidei, quare dubitasti? Ergo fides velut præuia charitatis occupat animam, & preparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis fides est, ubi perfectio charitatis. Ideo puto dici quia charitas credit omnia, hoc est facit fidem omnia credere, & habere huiusmodi animam omnem fidem. Ac per hoc vbi perfecta charitas, ibi omnis fides: sicut vbi perfecta charitas, spes omnis. Denique sicut omnia credit, ita scriptum est, quia sperat omnia. Ideo maior, quia spem fidemque complectitur. Hanc charitatem habens nihil timet, quia charitas timorem excludit foras, & ideo ablegato & exuto timore omnia suffert, omnia sustinet. Qui ergo per charitatem omnia sustinet, non potest timere martyrium. Et ideo quasi victor alibi in fine ait: Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. Vale fili, & nos dilige, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Bellicium, exponens quid sibi velit illud quod Dominus Iesus videns a generatione cæcum, expulit, & fecit lutum, & superunxit oculos cæci, &c.

Epistola LXXV.

Ambrosius Bellicio. Audisti frater, lectionem Euangelij, in qua decursum est quod præteriens Dominus Iesus vidit a generatione cæcum. Ergo nec nos quidem præterire debemus quæ prætereundum Dominus non putauit, præsertim cum a generatione cæcus fuerit, quod non ociose est positum. Est enim cæcitas quæ plerumque vi agritudinis aciem obducit oculorum, eademque temporis spatio mitigatur. Est cæcitas quæ humorum infusione generatur. Ea quoque vitio plerumque sublato, medicinæ arte depellitur: vt cognoscas, quia quod iste sanatur qui a generatione sua cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donauit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit Dominus Iesus quos nemo curaret. Quam

Ioan. 9.

stolidi autem Iudæi qui interrogant: Hic peccavit, an parentes eius? debilitates corporum referentes ad merita delictorum. Et ideo Dominus ait: Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Quod enim naturæ defuit, creatori competit reformare, qui author naturæ est. Vnde addidit: Cum in hoc mundo sum, lux sum huius mundi. Hoc est, omnes possunt videre quia cæci sunt, si me lumen requirant. Accedite & vos, & illuminamini, ut videre possitis. Deinde quid sibi vult quod is qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens mortuo: Exi foras, & egressus est Lazarus de sepulchro, dicens paralytico: Surge, tolle grabatum tuum, & surrexit paralyticus, & cepit grabatum ipse portare, in quo solutus membris omnibus portabatur? Quid inquam, sibi vult, quod expuit & fecit lutum, & superunxit oculos cæci, & dixit ei: Vade & lava in Siloa, quod interpretatur missus: & abijt, & lauit, & videre cepit? Quæ ista ratio est? Magna ni fallor. Plus enim videt quem Iesus tangit. Simul & diuinitatem & sanctificationem eius aduerte. Quasi lux tetigit, & lumen infudit. Quasi sacerdos per figuram baptismatis mysteria gratiæ spiritualis impleuit. Expuit, ut aduerteret quia interiora Christi lumen sunt. Et verè videt qui Christi mundatur internis. Lauat salua eius, lauat sermo eius, sicut habes: Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Quod autem lutum fecit, & superunxit oculos cæci, quid aliud significat, nisi ut intelligeres quia ipse hominem luto illito reddidit sanitati, qui de luto hominem figuravit, & quod hæc caro luti nostri per baptismatis sacramenta æternæ vitæ lumen accipiat? Accede & tu ad Siloam, hoc est ad eum qui missus est à patre, sicut habes: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Diluat te Christus, ut videas. Veni ad baptismum, tempus ipsum adest: veni festinus, ut & tu dicas: Abij & laui, & videre cepi. Ut & tu dicas, sicut iste refuso lumine ait: Nox præcessit, dies appropinquavit. Nox erat cæcitas, nox erat cum Iudas accepit buccellam à Iesu, & tunc introiuit in eum Satanas, Iudæ nox erat, in quo diabolus erat. Ioanni dies erat, qui in Christi pectore recumbebat, Petro quoque dies erat, cum lumen Christi videret in monte. Nox erat aliis, sed Petro dies erat. At verò ipsi Petro nox erat quando Christum negabat. Denique gallus cantavit, & flere cepit, ut emendaret errorem. Iam enim dies appropinquabat. Interrogabant Iudæi cecum, Quomodo vidisti? Grandis amentia. Interrogabant quod videbant, interrogabant causam cum factum viderent. Et maledixerunt ei dicentes: Tu sis discipulus eius. Maledictio eorum benedictio est, quia benedictio eorum maledictio est. Tu sis, inquit, discipulus eius. Tunc profunt quando nocere se credunt. Vale fili, & nos dilige, ut facis, quia nos te diligimus.

Diui Ambrosij ad Studium, quæstionem ab eo propositam quam in quadam epistola superius ad eundem scripta absoluit, latius ac plenius pertractantis & absoluentis.

Epistola LXXVI.

Ambrosius Studio. Etsi superiore epistola hæc quam proposuisti quæstiunculam absoluerim,

G tamen aliquid plenius requirenti tibi ut filio asserere atque exculpere non supercederim. Ac semper quidem decantata quæstio, & celebris absolutio fuit mulieris eius quæ in libro Evangelij quod secundum Ioannem scribitur, adulterij rea oblata Christo est. Id enim Iudæorum commenta est tergiuersatio, ut si contra legem absolueretur, contra legem prolata Domini Iesu sententia teneretur. Si autem damnata esset ex lege, vacare Christi videretur gratia. Sed vehemèrior facta est posteaquam episcopi reos criminum grauius in publicis iudiciis accusare, alij & vrgere vsque ad gladium supremamque mortem, alij accusationes huiusmodi & cruentos sacerdotum triumphos probare ceperunt. Quid enim aliud isti dicunt quam dicebant Iudæi reos criminum legibus esse publicis puniendos, & ideo accusari eos etiam à sacerdotibus in publicis iudiciis oportuisse, quos asserunt secundum leges oportuisse puniri? Eadem causa est, sed numerus minor, hoc est, non dispar iudicij quæstio, sed penè dispar inuidia. Vnà Christus puniri ex lege non passus est, isti maiorem numerum asserunt esse punitum. At quo loco hoc iudicat Christus? Nam plerumque secundum qualitates locorum in quibus docebat famulos suos, disputationes suas formare dignatus est, ut in porticu Salomonis, hoc est sapientis, deambulans loquebatur: Ego & pater vnum sumus: ut in templo Dei dicebat: Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Hoc quoque iudicium in templo positus exercet, sicut scriptum est in posterioribus. Sic enim habes: Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum. Quid est gazophylacium? Collatio fidelium, sumptus pauperum, requies egenorum, iuxta quod sedens Christus, ut habes secundum Lucam, duo æra mulieris viduæ diuitum muneribus censuit præferenda, diuino videlicet testimonio præferens opimæ præmiis largitatis sedulæ liberalitatis affectum. Qui tale habebat iudicium, videamus quid ipse iuxta gazophylacium positus conferebat. Non enim ociose viduam prætulit duo æra mittentem. Preciosa ista paupertas est, fidei opulenta mysterio. Ista sunt duo æra quæ Samaritanus ille euangelicus ad eius curanda vulnera qui incidit in latrones, stabulario dereliquit. Ergo & ista specie vidua in typo ecclesiæ hoc gazophylacio sacro conferendum putauit, in quo pauperum sanarentur vulnera, peregrinorum ieiunia sedarentur. Vnde & nunc quid Christus conferrat, spiritualiter te oportet expendere. Diuidebat enim populis argentum igne examinatum eloquiorum cœlestium, & imaginis regis pecuniam populorum annumerabat affectibus. Nemo plus misit, quam qui totum donauit, satiabat esurientes, replebat inopes, illuminabat cæcos, redimebat captiuos, paralyticos erigebat, mortuos resuscitabat, & quod est amplius, conferebat absolutiones reorum, peccata donabat. Hæc sunt duo æra quæ misit ecclesia posteaquam accepit à Christo. Quid enim sunt duo æra nisi precium noui & veteris Testamenti? Precium scripturæ, fides nostra est. Nam quod legitur, pro intelligentis estimatur arbitrio. Remissio igitur peccatorum vtriusque precium testamenti est, quæ per agnum in typo annunciata est, in veritate completa per

per Christum. Ideo habes neque septem dierum purgationem sine trium dierum esse purgatione. Septem dierum purgatio secundum legem, quæ in specie presentis sabbati, spirituale sabbatum annunciauit: trium dierum purgatio secundum gratiam, quæ euangelij testificatione signatur, quia tertio die Dominus resurrexit. Vbi pœna præscribitur, debet esse pœnitentia peccatorum: vbi remissio donatur gratia est. Præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neque pœnitentia ergo sine gratia, neque gratia sine pœnitentia. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, ut gratia possit abolere. Ideo typum legis accipiens Ioannes baptizauit in pœnitentia, Christus ad gratiam. Septimus ergo dies legis mysterium signat. Octauus resurrectionis, sicut habes in Ecclesiaste: Da partem illis septem, & illis octo. Nam & in Propheta Osee legisti dictum ad eum, Conduc tibi fornicariam quindecim denariis: eò quod gemino ære veteris & noui Testamenti, hoc est integro fidei precio, mulier illa vago quodam & meretricio gentium conuenarum comitatu sulca conducitur. Et conduxit, inquit, eam gomor hordei, & semigomor. Per hordeum significat quia imperfectos vocaret ad fidem, ut perfectos redderet. Per gomor intelligitur plena mensura, per semigomor semiplena mensura. Plena mensura in euangelio est, semiplena in lege, cuius plenitudo nouum est Testamentum. Siquidem ipse Dominus ait: Non veni legem soluere, sed implere. Nec ociose quindecim anabathmorum Psalmos Dauidicos legimus, & quindecim gradibus ascendisse solem, cum Ezechias iustus rex vitæ huius acciperet comiteum. Significabatur enim esse venturus sol iustitiæ, qui gradus quindecim veteris & noui Testamenti illuminaturus esset præsentis suæ lumine, quibus nostra fides ad vitam ascendit æternam. Vnde & hoc quod hodie in Apostolo lectum est, mysticum reor, eò quod quindecim diebus apud Petrum manserit. Videtur enim mihi quod à postolis sanctis scripturæ diuinæ interpretationem sermone secum vario conferentibus pleni luminis resulserit claritudo, ignorantia vmbra decesserit. Sed iam veniamus ad mulieris huius adulteræ absolutionem. Oblata erat à Scribis & Phariseis Domino Iesu adulterij rea, & hac oblata fraude, ut si eam absolueret, legem soluere videretur: sin verò damnaret, propositum sui mutaret aduentus, quia peccata omnium remissurus aduenit. Denique supra ait: Ego non iudico quenquam. Offerentes ergo eam, dixerunt: Hanc mulierem inuenimus publicè mœchantem. Scriptum est enim in lege Moyfi omnem mœcham lapidari. Tu verò quid dicis de ea? Quæ cum dicerent: Iesus inclinato capite digito scribebat in terra. Et cum expectarent ut audirent eum, erigens caput dixit: Qui sine peccato est, prior lapidet eam. Quid tam diuinum quam ista sententia, ut is peccata puniat qui exors ipse peccati sit? Quomodo enim feras aleni vltorem, & proprii criminis defenorem? Nonne se magis ipse condemnat, qui in alio damnat quod ipse committit? Hoc autem dixit: Et scribebat in terra. Quid? Vtique dicens: Festucam quæ in oculo est fratris tui vides, trabem autem quæ in oculo tuo est, non vides.

A Libido enim velut festuca est, citò accenditur, properè consumitur. Sacrilegium perfidiæ, quo Iudæi negabant propriæ salutis authorem, sceleris magnitudinem personabat. Scribebat autem in terra digito quo legem scripserat. Peccatores in terra scribuntur, iusti in cælo, sicut habes dictum ad discipulos: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Secundò autem scripsit, ut gemino testamento Iudæos scias esse damnatos. Audientes autem hoc verbum, exierunt foras vnus post vnum, incipientes à senioribus, & sedebant cogitantes de se. Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Bene ait quod exierunt foras qui nolbant esse cum Christo. Foris litera est, intus mysteria. Sequebantur enim diuinarum lectionum quædam velut arborum folia, non fructum, qui viuabant in vmbra legis, & solem iustitiæ videre non poterant. Denique descendibus illis remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Donaturus peccatum, solus remanet Iesus, sicut ipse ait: Ecce venit hora, & iam venit, ut dispergamini vnusquisque in sua, & me solum relinquatis. Non enim legatus, neque nuncius, sed ipse Dominus saluum fecit populum suum. Solus remanet, quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune ut peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi. Meruit & mulier absolui, quæ recedentibus Iudæis remansit sola cum Christo. Eleuans autem caput Iesus, dixit mulieri: Vbi sunt qui te accusabant? Nemo te lapidauit? Et illa respondit: Nemo Domine. Et ait ad illam Iesus: Nec ego te damnabo, vade, & amodò vide ne pecces. Vide lector diuina mysteria, & clementiam Christi. Cum accusatur mulier, caput Christus inclinat, eleuat autem vbi deficit accusator. Ita nullum damnari vult, absolui omnes. Breuiter autem omnes hæreticorum interimit quæstiones dicendo, Nemo te lapidauit: qui dicunt Christum diem nescire iudicij, vel qui ait: Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis: ecce & hic ait: Nemo te lapidauit? Quomodo vtiq; interrogat quod videbat? Sed interrogat nobis, ut nosceremus non esse lapidatam. Est etiam humani affectus hæc consuetudo, ut interrogemus sapissimè quod videmus. Et ideo mulier respondit: Nemo Domine. Hoc est dicere: Quis potest lapidare quam ipse non damnas? Quis potest alium sub tali sententiæ conditione punire? Cui respondit dominus: Nec ego te damnabo. Aduerte quomodo propriam sententiam temperauit, ut Iudæi de absolutione mulieris calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent si queri vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur, quia deerat accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergo quererentur qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij destiterunt? Addidit autem deuia: Vade, & amodò vide ne pecces. Emendauit eam, non crimen absoluit. Etenim seueriore sententia culpa damnatur si vnusquisque crimen suum oderit, & in se incipiat condemnare delictum. Etenim cum reus occidit, persona magis quam culpa punitur. Vbi vero culpa deponitur, absolutio personæ est, pœna peccati. Quid

Ioan. 9.

Psalm. 33.

Ioan. 11.
Marc. 2.

Ioan. 9.

Ibidem 15.

Ioan. 7.

Rom. 15.
Ioan. 13.Eccles. 11.
Osee 3.Ibidem 10.
Ibidem 7.

Matth. 5.

Ibidem 8.

Luc. 12.

Galat. 1.

Ibidem 10.

Ibidem 8.

Psalm. 11.

Ibidem 7.

Ibidem 20.

Matth. 7.

Lucæ 10.

Iona 16.

Matth. 20.

est ergo: Vade, & amodo vide ne pecces? Hoc est, Ex quo te Christus redemit, corrigit gratia quam pœna non emendaret, sed plecteret. Vale fili, & nos dilige vt filius, quia nos te vt parentes diligimus.

Diui Ambrosij ad Constantium, causam reddentis cur Circumcisio veteris Testamenti autoritate quasi utilis impereetur, & noui Testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, aduersantiumque obiectiones arguta responsione dissoluentis.

Epistola LXXVII.

Ambrosius Constantio. Non mediocri plerisque mouet quæstio, qua causa Circumcisio & veteris Testamenti autoritate quasi utilis impereatur, & noui Testamenti magisterio quasi inutilis repudietur, cum præferim Abraham primus oraculum Circumcisionis celebrandæ acceperit, qui diē Domini Iesu vidit & gauisus est. Quod vtique in euidenti est, quia non corporalibus, sed spiritualibus legis diuinæ intenderit: & idēo veram Dominici corporis passionem in agni conspexerit immolatione. Quid ergo dicemus secutum patrem Abraham, vt id primus institueret quod eius non sequeretur hæreditas? Aut qua ratione circumciduntur infantulorum corpora, & in ipso ortu subiiciuntur periculis, & hoc imperari oraculo, vt discrimen salutis fiat de mysterio religionis? Quid hoc significat? Latet enim causa veri, & oportuit aut aperto aliquid mysterio significari, aut non periculoso mysteriorum iudicio mandari. Cur verō signum testamenti diuini in ea datur parte membrorum quæ visu inhonestior existimatur? Aut qua gratia ipse operator corporis nostri in ipso nostræ generationis exordio circumcidi opus voluit suum & vulnerari, & cruentari, & abscindi partem quam velut necessariā (quia omnia disposuit ordinatē) cum cæteris membris faciendam putauit? Aut enim præter naturam est hæc portio corporis nostri, & non oportuit habere omnes homines quod esset præter naturam: aut secundum naturam est, & non decuit amputari quod secundum naturam perfectionem creatum foret, cum præferim alieni à portione Domini Dei nostri id præcipuè irridere soliti sint. Deinde cum propositum sit Deo, vt frequenter ipse testificatus est, plures ad sacræ obseruantiam prouocare religionis, quanto magis inuitarentur si non aliqui Circumcisionis ipsius aut periculo, aut opprobrio reuocarentur? Ergo vt ad prima redeamus, & propositum prosecutionum ordinem, de ipsa Circumcisionis qualitate dicendum videtur. Cuius gemina debet esse defensio, quia duplex est accusatio. Vna quæ irrogatur à gentilibus, altera quæ ab iis qui de populo Dei sunt existimatur. Vehementior autē gentiliū, qui viros Circumcisione signatos etiam opprobrio & illusione dignos arbitrantur. Sed etiam ipsorum sapientissimi quique ita Circumcisionem approbant, vt electos suos erga cognoscenda & celebranda mysteria circumcidendos putent. Denique Aegyptij, qui & geometriæ & colligendis syderum cursibus operantur, inuenerunt suam, impium iudicant sacerdotem qui

nequaquam habeat Circumcisionis insigne. Nam neque magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam iudicant viam suam obtinere sine Circumcisionis signaculo. Et idēo vt impetrandi vim operationi adhibeant suæ, purgationem quandam vatum suorum Circumcisionis arcano celebrandam existimant. Reperimus autem in historia veterum non solos Aegyptios, sed etiam Aethiopum & Arabum & Phœnicum aliquos Circumcisione exga suos vsos. Et hanc putant se adhuc probandæ viam seruare rationis, eō quod sui corporis primitiis, & sanguinis initiati insidias dæmonum quas illi generi nostro molantur, exiguæ partis arbitrentur consecrationibus destruendas: vt qui totius hominis salutem nituntur nocere, infirmari operationem suam putent Circumcisionis sacræ vel lege vel specie. Arbitror enim quod in præteritum ipse dæmonum princeps, cessare suas artes erga noxiæ operationis effectum existimauerit, si ei nocere conaretur quem signaculo Circumcisionis sacræ initiatum aduerteret, aut ei qui videretur in hoc saltem munere legi diuinæ obtemperare. Iam qui singulorum membrorum officia diligenter expendit, non ociosam causam in hac membri huius portiuncula existimare poterit, qua ratione non solum circumcitur puer, verum etiam octauo circumcidatur die: quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quæ ante octauum diem fertur in sanguine immundo sedere. Hæc aduersum eos dicta sunt, qui nulla nobis vnitæ fidei sociantur, & idēo tanquā aduersum dissidentes difficilius disputandi locus. Responsum autem sibi huiusmodi habeant qui credunt in Dominum Iesum, quod nudare nolimus, cum aduersum opiniones gentilium disputaremus. Nam si redempti sumus non corruptibilibus argento & auro, sed precioso sanguine Domini nostri Iesu Christi, (quo vtique vendente, nisi eo qui nostrum iam peccatricis successione are quæsitum seruitiū possidebat:) sine dubio ipse flagitabat precium, vt seruitio exueret quos tenebat obstrictos. Precium autem nostræ liberationis, erat sanguis Domini Iesu, quod necessariō soluendum erat ei cui peccatis nostris venditi eramus. Donec igitur hoc precium pro omnibus solueretur hominibus, quod Dominici sanguinis effusione pro omnium fuit soluendum absolute, opus fuit singulorum sanguine, qui lege & consuetudinis ritu, sacræ præcepta sequerentur religionis. Sed quia precium pro omnibus solutum est, posteaquam passus est Christus Dominus, iam non opus est vt virum sanguis singulorum Circumcisione fundatur, cum in sanguine Christi Circumcisio vniuersorum celebrata sit, & in illius cruce omnes simul crucifixi simus cum eo, & consepulti in eius sepulchro, complantati similitudini mortis eius, vt ultra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Quod si quis, vt Marcion & Manichæus, reprehendendum Dei putat esse iudicium, quia vel oraculum de Circumcisione celebranda edendum putauit esse, vel legem qua sanguinis effusio mandatur, necesse est vt is etiam Dominum Iesum reprehendendum arbitretur, qui non exiguum, sed multum

Math. 16.

multum sanguinem pro huius mundi effudit redemptione, & hodiēque nos fundere iubet sanguinem nostrum pro tanto religionis certamine, dicens: Qui vult me sequi, tollat crucem suam, & sequatur me. Si autem nequaquam iusta est accusatio cum aliquis totum se pro pietate offerat, & multi sanguinis se mundet effusione, quomodo legem possumus reprehendere exigui stillam exigentē sanguinis, cum prædicemus Dominum Iesum multi effusionem sanguinis, & totius corporis mortem imperantem? Nec ipsum Circumcisionis signaculum & species feriebatur, quo populus Dei velut quodam sigillo signatus corporis discernebatur à cæteris nationibus. Nunc autem Christi donatus nomine signum corporis nequaquam requirit, qui prærogatiuam diuinæ meruit nuncupationis. Quid autem absurdum si propter pietatem aliquid doloris vel laboris inferri videbatur, quod plus deuotio per hæc certamina probaretur? Pulchrum etiam vt ab ipsis vitæ incunabulis insigne religionis adolesceret, & puderet vnumquemque ætatis prouectioris vel labori, vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia vicisset. Sed iam leui Circumcisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mentis contemptum inscribit, vt pote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse. Quis enim acutatur ad præliandum, cum telis instructus sit validioribus? Iam illud quibus facile refellendum aduertit, quia propositum est plerisque potuisse ad sacræ religionis prouocari obsequium, nisi essent doloris timore vel laboris contuitu reuocati. Et potuit hoc terrere maiorem, quod infantuli plerique sustinebant sine periculo? Esto tamen aliquos infantulos Iudæorum, cum dolorem circumcisi corporis plagæque feruentis sustinere non potuerint, defunctos fuisse: sed hoc nec cæteros deterrebat prouectiori ætate robustos, & laudabiliorem faciebat eum qui præceptis obedisset cælestibus. Quod si hoc in exiguo dolore arbitrantur confessionis fuisse obstaculum, quid de martyrio dicunt? Nam si reprehendunt Circumcisionis dolorem, reprehendant & martyrum mortem, per quos cumulata non minuta religio est. In tantum autem abest nocuisse fidei Circumcisionis dolorem, vt probabiliorē fidem faciat dolor. Maior enim fidei gratia, si quis pro religione contemnat dolorem. Et hic magis habet præmium, quàm ille qui idēo dolorem voluit Circumcisione subire, vt gloriaretur in lege, & laudem ex hominibus magis quàm ex Deo quæreret. Oportuit igitur Circumcisionem ex parte fieri ante eius aduentum, qui totum circumcideret hominem. Ex parte enim debuit assuescere humana conditio, quemadmodum in id quod perfectum est crederetur. Si autem oportuit circumcidi, in qua magis parte membrorum oportuit Circumcisionem fieri, quàm in ea quæ quibusdam videretur inhonestior, vt iis quæ putarentur ignobiliora esse membra corporis nostri, honestatem abundantiorē circumdarent, & quæ inhonestæ sunt nostra, honestatem abundantiorē haberent? Vbi enim magis vir sanguinis sui admoneri debuit, quàm in ea parte quæ ministerium errori exhibet? Nunc tempus est vt &

illis respondeamus qui dicunt: Si ea pars corporis nostri secundum naturam est, nequaquam eam amputari oportuisse: si non est secundum naturam, non debuisse simul nasci. Qui quoniam tam arguti sunt, & ipsi mihi respondeant vtrum secundum naturam successio humana sit quæ generationibus adolefcit, an contra naturam. Si enim secundum naturam, numquam igitur intermittenda est. Et quomodo integritas virorum, virginitas puellarum, abstinentia viduarum, continentia coniugum prædicatur? Nullum ergo studium quærendæ successione ferari debuit. Sed ipse author naturæ non vtique generationi obsecutus est, qui de se cum esset in corpore constitutus, præbuit magisterium, & hortatus est discipulos ad integritatem dicens: Sunt spadones qui se castrauerunt propter regnum cælorum: qui potest capere, capiat. Cum sit autem homo compositus ex corpore & anima: (satis est enim interim hoc dicere, & silere de spiritu) non est in vtroque idem secundum naturam: sed quod est secundum corporis naturam, id contra naturam est animæ. Et quod secundum naturam est animæ, id contra naturam est corporis: vt si dicam, quod secundum naturam est visibili, id contra naturam est ei quod non videtur. Et quod secundum naturam est ei quod non videtur, id contra naturam est visibili. Nihil ergo incongruum in hominibus Dei si fiant aliqua contra naturam corporis, quæ sint secundum animæ naturam. Qui autem dicunt quoniam plures credidissent si Circumcisio non fuisset, ij sibi responsum hoc habeant, quoniam plures crederent si martyria non essent: sed præstantior est fortitudo paucorum, quàm remissio plurimorum. Sicut autem plurima baptisum genera præmissa sunt, quia secutorum erat verum illud vnum in spiritu & aqua sacramentum baptismatis, quo totus redimitur homo: ita plurimorum Circumcisio præmittenda fuit, quia secutura erat Circumcisio Dominicæ passionis, quam pertulit Iesus quasi agnus Dei vt tolleretur peccatum mundi. Hæc idēo scripsimus, vt ostenderemus quia & debuit præmitti Circumcisio quæ foris est, & ea iam post aduentum Domini iure videatur exclusa. Nunc autem Circumcisio est necessaria quæ in occulto est, sicut Iudæus præstantior qui in occulto in spiritu non litera: quoniam cum sint in vno homine duo homines de quibus dictum est: Et si qui foris est homo noster, corrumpitur secundum desideria erroris, sed qui intus est, renouatur de die in diem. Et alibi: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Interior est homo noster qui est ad imaginem & similitudinem Dei factus, exterior qui figuratus est limo. Sic denique & in Genesi duas tibi creaturas hominis ostendit, secundum creatum hominem significas. Sicut ergo duo homines, ita & gemina conuersatio est, vna interioris hominis, altera exterioris. Et quidem plerique actus interioris hominis perueniunt ad exteriorē hominem, quemadmodum castimonia interioris hominis transit etiam ad castitatem corporis. Qui enim adulterium cordis ignora, idem vtique nescit corporis adulterium. Non tamen etiam illud est consequens, vt qui non adulterauit corpore, non adulterauerit etiam corde, secundum illud: Quoniam qui

Ibidem 19.

Ioan. 1.

2. Cor. 4.

Rom. 7.

Math. 5.

viderit mulierem ad concupiscendum eam, iā adulteravit eam in corde suo. Nam et si adhuc non sit adulter corpore, tamen iam affectu adulter est. Ergo est interioris hominis Circumcisio. Nam qui circumciditur, totius carnis illecebras tanquam præputiū exiit, ut sit in spiritu, non in carne & spiritu mortificet corporis sui actus. Et hæc est quæ in occulto est Circumcisio, sicut Abraham ante in præputio erat, postea factus est in Circumcisione. Sic interior homo noster quando est in carne, tanquam in præputio est: quando autē iam non est in carne, sed in spiritu, incipit esse in Circumcisione, non in præputio. Sicut autem qui circumciditur, non totam carnem exiit, sed solum præputium, ubi corruptela frequentior: ita qui in occulto circumciditur, carnem illam exiit: de qua scriptum est: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius ut flos fœni, aruit fœnū, & flos eius decidit. Verbum autem domini manet in æternum. Et remanet caro, quæ videbit salutare dei, sicut scriptū est: Et videbit omnis caro salutare dei. Quæ sit ista caro, mūda aures, ut intelligas. Talis ergo debet esse in occulto circumcisio, ut nullam habeat cōparationem cum ea quæ foris est circumcisio. Et ideo qui in occulto Iudæus est, ipse præstat, qui est à Iuda, cuius manus supra ceruicem inimicorum eius, qui recubans requieuit ut leo, & ut catulus leonis, quem laudant fratres eius. Ab hoc Iuda non deficit princeps, quia sermo eius principes facit, qui non subiiciantur illecebris secularibus, & captiuentur voluptatibus istius mundi. Et quia ipse Iudas in hęc generationem venit, ideo plurimi qui postea generati sunt, proficiunt ut virtutū principatu gaudeant. Habemus itaque Circumcisionem in occulto, & occulto Iudæum, qui est spiritualis. Spiritualis autem, ut pote princeps, diiudicat omnia, ipse autem à nemine diiudicatur: Debuit ergo legis mandato præscripta Circumcisio quæ ex parte erat, cessare, posteaquam venit qui Circumcisionem faceret totius hominis, & impleret Circumcisionem legis. Quis autem est iste nisi qui dixit: Non veni legem solvere, sed implere? Quamquam si diligenter intēdas, & illa sit ratio qua iam cessare debuerit præputij Circumcisio, quia plenitudo gentium venit. Non enim gentibus Circumcisio mandata est, sed semini Abraham. Sic enim habes in primo oraculo: Et dixit Deus ad Abraham: Tu autem testamentum meum obseruabis, tu & semen tuum post te in progenies eorum. Et hoc est testamentum meum quod obseruabis inter me & vos, & semen tuum post te in progenies eorum: Circumcidetur vestrum omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij ve-

stri, & erit in signo testamenti inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur vobis, omne masculinum in progenies vestras. Vernaculus domus tuæ & pecunia emptus ab omni filio alterius qui nō est ex semine tuo, Circumcisione circumcidetur, & erit testamentum meum in carne vestra in testamentum æternum. Et in circumcisus masculus qui non circumcidit carnem præputij sui octava die, exterminabitur anima illa de generatione illa, quia testamentum meum transgressus est. Hebræus quidē negatur habere de octava die, sicut Aquila significat. Sed non in Aquila omnis autoritas, qui quasi Iudæus in litera præterit nec posuit octauum diem. Interim & octauū diem & in signo datā Circumcisionem audisti. Signū autem rei maioris iudiciū est, iudiciū veritatis futurę, & datum testamentū Abraham & semini eius, cui dictum est: In Isaac erit semen tuum. Ergo circumcidi licuit Iudæum vel domi natum, vel pecunia eius emptum. Non possumus deriuare hoc ad alienigenam, aut profelytum, nisi fuerint in domo Abraham nati, aut pecunia eius empti, vel feminis eius. Denique nihil dixit de profelytis, de quibus quando voluit dicere, nominavit eos, sicut habes: Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnes filios Israël, & dices ad eos: Homo homo à filiis Israël, & à profelytis qui sunt appositus vobis, quicūque fecerit holocaustum. Vbi ergo comprehendit eos, ibi lex eos tenet. Vbi oraculo non significatur, quomodo astringi videtur? Sic habes denique: Dic filiis Aaron, quando de sacerdotibus dicit. Habes quando & de Leuitis dicit. Ergo omnifariam claret etiam secundum literam legis, quamquam lex spiritualis sit, & secundum ipsam tamen literam ad Circumcisionem teneri non potuisse nationum populos, sed ipsam Circumcisionē in signo fuisse donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret, circumcisus corde, non exigua membri vnus parte. Ergo satis & excusata à nobis, & exclusa est Iudæorum manens hodiēque Circumcisio. Quod autem reprehensionem eam dicunt fuisse vel esse gentilibus, primū non habent reprehendere ipsi vel irridere quod alij consortes faciunt sui. Esto tamen fuerit quod irrideret. Quid hoc nos mouere debet, cum ipsa crux Domini Iudæis scandalum, Græcis stultitia, nobis autem virtus Dei sit atque sapientia? Et ipse Dominus dixerit, Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego eum coram patre meo qui est in cœlis. Docens nos iis quæ ridentur ab hominibus, non commouendos, si qua pro religionis obsequio deferuntur.

FINIS.

Capita

Capita Epistolarum Libri decimi.

Ambrosius Theophilo, dolenter conquerens de statu causę discordiarum inter Euagrium & Flavianum, & quid eum in hac re agere velit, exponens. Epist. LXXVIII.

Ambrosius Theophilo & Anytio, excusans se de iudicio ferendo inter Bonosum episcopum & accusatores eius, illisque causam istam committens. Eisdem præterea approbans merito abhorruisse blasphemiam quorundam qui inuolatam virginem Mariam plures peperisse filios mentiuntur. Epist. LXXIX.

Syricius papa Mediolanensi ecclesię, narrans quid actum sit contra hæreticos qui sub velamento pij nominis serpētino sermone catholicam veritatem corrumpere, ac fideles Christianos sauciare moliti sunt, admonensque ut ab illis se custodiant. Epist. LXXX.

Ambrosius, Bassianus et ceteri Syricio papę, pastorem illius sollicitudinem circa ouile Christi custodiendum, & lupos arcendos commendantes, virginitatemque contra istorum dementia conugio præferentes: Immaculatam præterea Christi genitricem Mariam, ratione, testimoniis, figuris, & exemplis astruentes in partu virginem permansisse: Praconia denique viduitatis attexentes, ac tandem Iovinianum & reliquos hæreticos esse damnatos insinuantes. Epist. LXXXI.

Ambrosius Vercellensi ecclesię, & eis qui inuocant nomen Domini nostri Jesu Christi, dolenter conquerens quod ipsa sola adhuc sacerdotem non habeat, illisque admonens ut parentum exempla sequantur ad postulandum sacerdotem. Eorum præterea errorem qui nullum dicunt esse abstinentiæ meritum, vel virginitatis fructum, rationibus, scripturis et exemplis confutans, voluptatem quoque condemnans, & ieiunium, abstinentiam, temperantiam ac virginitatem excellenter commendans: Vercellenses deinceps ad constantiam & alias virtutes exhortans. Quodque maxime in Episcopi petitione abesse debeat malignitas. Ac tandem qualis in episcopum eligendus, qualisve & ipsi esse debeant, exponens. Epist. LXXXII.

Ambrosius episcopis per Aemiliam constitutis, eos de celebritate paschali instruens. Epist. LXXXIII.

Ambrosius sacrę virgini Demetriadi, magnis præconiis veram humilitatem exaltans, aduersantemque illi superbiam digna vituperatione confundens. Ac per hoc ipsam ad elationem cauendam, & præstidio syncerę humilitatis armandam persuadens. Epist. LXXXIII.

DIVI AMBROSII EPISCOPI
MEDIOLANENSIS EPISTOLARVM
LIBER DECIMVS.

Dini Ambrosij ad Theophilum, dolenter conquerentis de statu causę discordiarum inter Euagrium & Flavianum, & quid eum in hac re agere velit exponens.

Epistola LXXVIII.



AMBROSIVS Theophilo. Non habet quod vrgat Euagrius, & habet quod metuat Flavianus, ideoque refugit examen. Dent fratres veniam dolori iusto, quia propter ipsos vniuersus orbis cōcutitur. Et illi tamen nostro non compatiuntur dolori, perstringi saltem se æquanimiter ferant ab iis quos vident lva per tantorum curricula temporum vexari intentione. Inter hos etenim duos nihil quod ad Christi pacem pertineat, eligentes, grauis toto orbe stabat discordia. Cui bonę pacis naufragio sancta synodus Capuensis tandem obtulerat portum trāquillitatis, ut omnibus per totum orientem daretur communio catholicam confitentibus fidem, & duobus istis tuę sanctitatis examē impartiretur, fratribus & confacerdotibus nostris Ægypti. S. Ambr. tom. 5.

ptiis pariter confidentibus: quia hoc verū iudiciū futurum arbitrati sumus, quod neutri parti sociatā communionē aliquo fauore protenderet. Cum ex his igitur æquissimæ synodi cōstitutis sperarem iā remedium datum finemque oblatū discordiæ, scribit sanctitas tua iterum fratrem nostrum Flavianum ad precum auxilia, & imperialium rescriptorum suffragia remeauisse. Frustra ergo tantorum sacerdotum fusus labor, iterū ad huius seculi iudicia reuertendum, iterum ad rescripta, iterum vexabuntur sacerdotes senes, transfretabunt maria, iterum inualidi corpore patriam peregrino mutabunt solo, iterum sacrosancta altaria deserentur, ut in longinqua proficiscamur, iterum pauperum turbę episcoporum, quibus ante onerosa paupertas non erat, externę opis egentes compellentur inopiam gerere, aut certē victum in opū itineris vsurpare. Interea solus exlex Flavianus (ut illi videtur) non venit quando omnes conuenimus. Fœnator & debitor inuicem sibi occurrunt, isti sibi non possunt occurrere, solus

B B b

exors Flavianus (vt ipse vult) sacerdotalis consortij, qui nec imperialibus decretis nec sacerdotum conuentui præsentiam faciat sui. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Euagrio donamus speciem bonæ causæ, qui eò defensibilior sibi videtur, quod eum refugit Flavianus, aut quòd habere se alterum arbitretur æqualem, vt etque alienæ magis ordinationis vitiis quàm suis fretus. Quos tamen nos in meliorem vocamus viam, vt malimus eos suis potius bonis quàm alieno vitio defendi. Qua de re quoniam propriis texuisti literis posse typū reperiri aliquem quo possit auferri fratrum discordia, cum sancta synodus cognitionis ius vnanimi tui ceterisque ex Ægypto confacerdotibus nostris commiserit, iterum oportet fratrem nostrum Flavianum conuenias, vt si in eo perseuerauerit quo veniendum non putet, saluis concilij Niceni, sed etiam synodi Capuensis statutis, illibata pace vniuersorum ita consulas, vt non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quæ ædificauimus destruo, præuaricatore me ipse constituo: ac si quæ destruxi, iterum ædificem. Seruetur ergo impartitæ pacis gratia inter vniuersos, & nihilominus declinatio partis alterius frustrandi effectum habere non possit. Sane referendū arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ sacerdotem ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio quod communioni nostræ dissensionem non afferat, vt nos quoque accepta nostrorum serie statutorum, cū id gestū esse cognouerimus quod ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur.

Diui Ambrosij ad Theophilum & Anysium, excusantis se de iudicio ferendo inter Bonosum episcopum & accusatores eius, illisque causam committentis: eosdem præterea approbantis merito abhorruisse blasphemiam quorundam qui inuolatam virginem Mariam plures peperisse filios mentiuntur.
Epistola LXXIX.

Ambrosius Theophilo & Anysio. Accepi literas vestras quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum huiusmodi fuerit concilij Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, & præcipue Macedones qui cum episcopo Theffalonicensi de eius factis vel cognoscerent, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie synodus, recte de iis quæ comprehendit vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur qui hoc recepistis iudicium, sententiã ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accusatori-
bus vel accusato copiam dare. Vicem enim synodi recepistis, quos ad examinandū synodus elegit. Denique cum Bonosus episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium qui eius sententiam consulere, interdicitam sibi ecclesiam irrumpere atque ingredi, respõsum est ei quod nihil temeradum foret, sed omnia modeste patienter ordine gerenda. Neque contra sententiam ve-

Gstram tentandum aliquid, vt quod videretur vobis iustitiæ conuenire, statueretis, quibus hanc synodus dederat autoritatem. Ideo primum est vt ij iudicet quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius (vt scripsimus) synodi vice decernitis. Nos quasi ex synodi autoritate iudicare non conuenit. Sane non possumus negare de Mariæ filiis iure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem vtero virginali ex quo secundum carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore, vt illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis æterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudæorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant à sacerdotibus autoritatem, & videatur Maria partus fuisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare cõtendent. Et vbi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Ioanne euangelista: Mulier ecce filius tuus, & rursus ad Ioannem de Maria: Ecce mater tua? Quid sibi istud vult quod cum in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronũciauit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur nisi vt claudat sua ora perfidia, obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor quod desponsata fuerit viro tantummodo Ioseph, nulla tamen conjugalis coitus consuetudine thori iura cognouerit. Neque enim eam suscepturam ex Ioseph filios, à viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium euangelista dicens, quod suscepit eam discipulus in suam. Nūquid ergo diuortium fecit? numquid à viro abduxit atque abstulit? Ergo qui hoc legit in euangelio, quomodo quasi naufragus titubabat & fluctuat? Hoc ergo testamentum filij est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum, consummans omne mysterium bono fine pietatis. Legimus etiam & omnia percurrimus vel de eo quod fratri nostro, & coepiscopo Basilo in consortium regendæ ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, vnde vestræ normam expectamus sententiæ.

Syricij papæ ad Mediolanensem ecclesiam, narrantis quid actum sit contra hæreticos qui sub velamento pij nominis serpentino sermone catholicam veritatem corrumpere, ac fideles Christianos faucibus moliti sunt, admonentisque, vt ab illis se custodiant.

Epistola LXXX.

Syricius Mediolanensi ecclesiæ. Optarem semper Sfratres charissimi dilectionis & pacis vestræ synoceritatis gaudia nunciari, ita vt vicissim discurrentibus literis sospitatis indicio iuuaremur vestro, quia non patitur nos quietos ab incurfione sua vacare hostis antiquus ab initio mendax, inimicus veritatis, æmulus hominis, quem vt deciperet, se ante deceptit. Pudicitia aduersarius, luxuria magister, crudeli-

crudelitatibus pascitur, abstinencia puniendus odit ieiunia, ministris suis prædicantibus dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententia percussus dicentis, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. O infœlix audacia, ô desperata mentis astutia. Tam incognitus sermo hæreticorum intra ecclesias cæcri more serpebat, vt occupans pectus, totum hominẽ præcipitaret in mortem. Et nisi Dominus Sabaoth laqueum quem parauerat dirupisset, scena tanti mali & hypocrisis publicata multorum simplicium corda traxerat in ruinam: quia facile ad deteriorem partem mens humana traducitur, malens per spatiosa volare, quàm arctæ viæ iter per laborem transire. Qua de re necessarium fatis fuit mihi quæ hîc gesta sunt, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare, ne ignorantia sacerdotis quispiam pessimorum ecclesiam irruptentium sub religioso nomine cõtagio violaret: sicut scriptum est domino dicente, Multi venient ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Ij videlicet qui quasi vtilitate Christi nosse se iactent, vt sub vehemeto pij nominis gradientes domum orationis ingressi, sermonem serpentinae disputationis effundant, vt sagittent in obscuro rectos corde, atque veritatem catholicam vertendo ad suæ doctrine rabiem diabolico more trahant, atque ouium simplicitatem defraudent. Et quidem multarum hæresium malignitatem ab apostolis nunc vsque didicimus, & experti abrogauimus: sed numquam tales canes ecclesiæ mysterium latratibus fatigauerunt, quales nunc subito hostes fidei erumpentes doctrina perfidia polluta, cuius sint discipuli, verborum fructibus prodiderunt. Nam cum alij hæretici singula sibi genera quæstionum male intelligendo proposuerint cõuellere atque concerpere de diuinis institutionibus: isti non habentes vestem nuptialem, fauciantes catholicos, noui & veteris testamenti (vt dixi) continentiam peruertentes, illecebrosos atque ficto sermone aliquot Christianos cœperunt iam vastare, atque suæ dementiae sociare, intra se continentes nequitia suæ virus. Verū ille cti blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt, & desperatae mentis furore conciti passim in furorem gentilium publice à fidelibus Christianis viris genere optimis, religione præclaris, ad meam humilitatem subito scriptura honorifica videntur esse delati, vt sacerdotali iudicio detecta diuinæ legi contraria spirituali sententiã deleatur. Nos sane nuptias non aspernantur accipimus quibus velamine intersumus, sed virginum nuptias Deo deuotas maiore honorificentia veneratione. Facto igitur presbytero constitit doctrina nostræ, id est, Christianæ legi esse cõtaria. Vnde apostoli secuti præceptū, quia aliter quàm quod accepimus annũciabant, omnium nostrum tam presbyterorum & diaconorum quàm totius etiam cleri vna suscitata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxetius, Genialis, Germinator, Felix, Protinus, Martianus, Ianuarius & Ingeniosus, qui auctores nouæ hæresis & blasphemiae inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuum damnati extra ecclesiam remaneret. Quod custodituram sanctitatem vestram non ambigens, hæc scripta di-

Arex per fratres & presbyteros meos Crescentem, Leopardum, & Alexandrum, qui religiosi officium fidei possint spiritu adimplere feruentes.

Diui Ambrosij Bassiani, & cæterorum ad Syricium papam, pastorem illius sollicitudinem circa ouile Christi custodiendum, & lupos arcendos commendantium, virginitatemque contra istorum dementia coniuigio preferentium. Immaculatam præterea Christi genitricem Mariam, ratione, testimoniis, figuris & exemplis astruentium in partu virginem permansisse: Præconia denique viduitatis attestentium, ac tandem Iouinianum & reliquos hæreticos esse damnatos insinuantium.

Epistola LXXXI.

Domino dilectissimo fratri Syricio Papæ Ambrosius Episcopus, Bassianus Episcopus, & ceteri. Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui fideliter cõmissam tibi ianuam serues, & pia solitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues Domini audiant & sequantur: & ideo quia nosti ouiculas Christi, lupos facile deprehendes, & occures quasi prouidus pastor, ne isti moribus perfidie suæ feralique vlulatu dominicum ouile dispergant. Laudamus hoc Domine frater, nobis dilectissime, & toto concelebramus affectu. Nec miramur si luporum rabie grex Domini perhorruit, in quibus Christi vocem non recognouit. Agrestis enim vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscue omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritiorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christiana sit palma quam tribuit. (Hinc enim plurimi abundant tituli præmiorum) simul se isti condemnare cõiugio. Sed quæ potest laus esse coniugij, si nulla virginitatis est gloria? Neque vero nos negamus sanctificatum à Christo esse coniugium, diuina voce dicente: Erunt ambo in carne vna, & in vno spiritu. Sed prius est quod nati sumus, quàm quod effecti, multoque præstantius diuini operis mysterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona vxor, sed melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo, Qui iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi. Illa coniugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas successione humana: sed melior virginitas, per quæ regni cœlestis hæreditas acquisita, & cœlestium meritiorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit. Denique speciale donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipse representauit quod elegit in matre. Quanta dementia funestorum latratuum, vt iidem dicerent Christum ex virgine non potuisse generari. Quidam ferunt ex muliere, sed ex his humanorum pignorum patribus virgines permanere. Aliis ergo præstat Christus quod sibi (vt dicunt) præstare non potuit? Ille vero qui carnem suam suscepit, etsi homo factus est, vt hominem redimeret, atque à morte reuocaret, inuitatus tamen quasi Deus munere venit in terras, vt quæ admodum

Esa. 49.

Apoc. 21.

Luc. 1.

Luc. 1.

Esa. 7.

Exech. 4.4.

Matth. 3.

Psal. 113.

Num. 20.

4. Reg. 6.

Ioan. 21.

Esa. 19.

Luc. 2.

Ion. 3.

Matth. 17.

dixerat: Ecce facio omnia noua: partu etiam immaculatæ virginis nasceretur, & sicut scriptum est, vt crederetur nobiscū de^o. Sed de via peruersitatis produntur dicere: Virgo cōcepit, sed nō virgo generauit. Quæ potuit ergo virgo concipere, potuit virgo generare: cū sēper cōceptus præcedat, partus sequatur. Sed si doctrinis nō creditur sacerdotū, credatur oraculis Christi, credatur monitis angelorū dicentium, Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur symbolo Apostolorum quod ecclesia Romana iteratum semper custodit & seruat. Audiuit Maria vocem angeli, & quæ ante dixerat, Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Hæc est virgo quæ in vtero concepit, virgo quæ peperit filium. Sic enim scriptum est, Ecce virgo in vtero accipiet & pariet filium. Non enim concepturam tantummodo virginem, sed & parituram virginem dixit. Quæ autem est illa porta sanctorum, illa exterior ad orientem, quæ manet clausa, & nemo, inquit, pertransibit per eam nisi solus Deus Israel? Nonne est hæc porta Maria, per quam in hunc mundum redemptor intrauit? Hæc porta iustitiæ, sicut ipse dixit, Sine nos implere omnem iustitiā. Hæc porta est beata Maria: de qua scriptum est, quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partum, quia virgo concepit & genuit. Quid autem incredibile si contra vsum originis naturalis peperit Maria & virgo permanet, quādo contra vsum naturæ mare vidit & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluentia remearunt? Non ergo excedit fidem quod virgo peperit, quando legimus quod petra vomuit aquas, & in mōtis speciem maris vnda solidata est. Nō ergo excedit fidē quod homo exiuit de virgine, quādo petra profluxit, scaturiuu ferrum super aquas, ambulauit homo super aquas. Ergo si hominem vnda portauit, non potuit hominem virgo generare: atque hominem de quo legimus: Et mittet illis Dominus hominem qui saluos faciet eos, & notus erit Dominus Ægyptiis? In veteri itaque testamento virgo Hæbræorum per mare duxit exercitum: in nouo testamento virgo generis aula cœlestis electa est ad salutē. Quid autem etiam viduitatis attexamus præconia, cū in euāgelio post virginis celeberrimum partum Anna vidua subrogetur, quæ vixerat cum viro suo annis septē à virginitate sua, & hæc vidua annorū octogintaquatuor, quæ nō discedebat de tēplo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte? Et merito habilis viduitas. Denique si Adam sic exegisset ieiunium, nō fuisset nudus effectus. Niniuem amor ieiunij liberauit. Et ipse dominus ait: Nō ciicietur nisi per orationem & ieiuniū. Sed quid plura apud magistrū atque doctorem? cum iam dignum præmiū retulerunt illi perfidiæ suæ, qui ideōque huc venerunt, ne super esset locus in quo non dominarentur, qui vere se Manichæos probauerunt, non credentes quia ex virgine vti que venisset. Quæ nā hæc est suppar nouorum Iudæorum amētia? Si venisse non creditur, nec carnem creditur suscepisse. Ergo in phantasmate visus est, in phantasmate crucifixus est. Sed nobis in veritate crucifixus est, in veritate redēptor noster. Manichæus est qui abnegat veritatem, qui carnē Christi

negat, & ideo non est illis remissio peccatorum. Sed est impietas Manichæorum, quam & clementissimus execratus est Imperator, & omnes qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt, sicut testes sunt fratres & compresbyteri mei Crescens, Leopardus, Alexander, sancto feruentis spiritus, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex vrbe quasi profugos repulerunt. Ita Iouianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ianuariam, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos. Incoluim te & florentissimum Deus noster tueatur omnipotens, Domine dilectissime frater. Item subscriptio. Ego Euentius episcopus saluto sanctitatem tuam in Domino, & huic epistolæ subscripsi: Maximus episcopus, Felix episcopus, Bassianus episcopus, Theodulus episcopus, ex iussu Domini episcopi Geminiani, ipso presente Aper presbyter subscripsi, Eustasius episcopus, Constantius episcopus, Eustasius episcopus, & omnes ordines subscripserunt.

Diui Ambrosii ad Vercellensem ecclesiam, & eos qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, dolenter conuenientis quod ipsa sola adhuc sacerdotem nō habeat, illōsque admonentis vt parentum exempla sequatur ad postulandum sacerdotem. Eorūque præterea errorem qui nullum dicunt esse abstinentiæ meritum, vel virginitatis fructum, rationibus, scripturis & exemplis confutantibus, voluptatem quoque condemnantis, & ieiunium, abstinentiam, temperantiam ac virginitatem excellenter commendantis: Vercellenses deinceps ad constantiam & alias virtutes exhortantis: quōdque maxime in episcopi petitione abesse debeat malignitas: ac tandem qualis in episcopum eligendus, qualē sūe & ipsi esse debeant, exponentis.
Epistola LXXXII.

Ambrosius feruus Christi vocatus episcopus, Vercellensi ecclesiæ, & iis qui inuocant nomē Domini nostri Iesu Christi: Gratia vobis à Deo patre & vnigenito filio eius adimpleatur in spiritu sancto. Confligor dolore, quia ecclesia Domini quæ est in vobis, sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ atque Æmiliæ Venetiæ rūrūque vel cæteris finitimis Italiæ partibus huiusmodi eget officio quod ex ea aliæ sibi ecclesiæ petere solebant, & (quod verecundius est) mihi adscribitur vestra intentio, quæ affert impedimētum. Nā cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quicquam acquiescere, vt inter dissidētes suscipiat hoc munus, quod inter conuenientes vix sustineatur? Hæc est illa confessoris institutio, hæc iustorum soboles patrum, qui sanctum Eusebium quem numquam ante cognouerant, posthabitis ciuibus simul vt viderunt, & probauerunt: tantūque interfuit vt probaretur, quantum vt videretur? Merito vir tantus euasit quem omnis elegit ecclesia, merito creditum quod diuino esset electus iudicio, quem omnes postulauissent. Conuenit igitur vt sequamini exemplum parentum, præsertim cum à sancto confessore institutos meliores patribus esse oporteat, quādo vos melior doctor instituit atque erudit,

Matth. 18.

Ioan. 1.

Psal. 18.

Act. 7.

Daniel. 7.

1. Cor. 8.

1. Cor. 9.

1. Ioan. 2.

uit, modestiæque vestræ & concordia infigne edere, vt congruatis assensu ad postulandum sacerdotem. Etenim si iuxta dominicam sententiam, quod duobus conuenerit super terram, de omni re quamcūque petierint, fiet, inquit, à patre meo, qui in cœlis est: vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum: quāto magis vbi plena est in nomine Domini congregatio? Vbi vniuersorum postulatio congruit, dubitare vos nequaquam oportet ibi Dominum Iesum & voluntatis authorem, & petitionis arbitrum fore, & ordinationis præfulem, vel largitorem gratiæ. Facite ergo vos dignos videri quorum in medio Christus sit. Vbi enim pax, ibi Christus: quia pax Christus. Vbi iustitia, ibi Christus: quia Christus est iustitia. Sit in medio vestrum, vt videatis eum, ne dicatur & vobis: Medius autem vestrum stat, quem vos non videtis. Non illum viderunt Iudæi, in quem non crediderunt: nos illum deuotione conspiciamus, fide cernimus. Stet igitur in medio vestrum, vt aperiantur vobis cœli qui enarrant gloriam Dei, vt voluntatem eius faciatis, & operemini opus eius. Qui videt Iesum, cœli ei aperiuntur, sicut aperti sunt Stephano dicenti: Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem ad dexteram Dei. Stabat Iesus quasi aduocatus: stabat quasi sollicitus, vt Stephanū athletam suum certantem iuaret: stabat quasi paratus vt coronaret suum martyrem. Stet igitur & vobis, vt eum non timeatis sedentem. Sedens enim iudicat, sicut Daniel dicit: Throni positi sunt, & libri aperti sunt: & antiquus dierum sedit. In octogesimo autem primo Psalmo scriptum est: Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem Deos diiudicat. Stet vobis: Sedens igitur iudicat, stans iudicat, & iudicat imperfectis, inter Deos autem diiudicat. Stet vobis vt defensor, vt bonus pastor, ne vos lupi incurserent graues. Quo non ociose nostra admonitio desceat. Audio enim homines qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes estimari precio, delirare eos qui ieiuniis castigant carnem suam, vt menti subditā faciant. Quod nūquam fecisset, numquam scripisset ad instruendum alios Paulus Apostolus, si deliramentū putasset. Gloriatum itaque dicens: Sed castigo corpus meū, & seruituti redigo, ne aliis prædicans ipse reprobis inueniar. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. An quicquam tam reprobū, quā quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciuia pro-uocat, quā incitamentum libidinis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ istos Epicureos noua schola misit, non philosophorum, vt ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nullius esse dicant vtilitatis? Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis. Neque enim pudet dicere quod dicit Euangelista Ioannes. Sed hic positi primo ieiunabant, intra monasterium continebantur: nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludibriosæ disputationis licētia. Hoc delicatis non potuerunt ferre. Abierunt, deinde volētes redire non sunt recepti. Pleraque enim audieram quæ deberent cauere. Monueram, nihil profeceram. Efferuescentes itaque disseminare talia cœ-

perunt, quibus incētores essent vitiorum omnium: Miserabiles, perdidērunt vti que quod ieiunauerūt: Perdiderunt quod se aliquo continuerūt tempore. Nunc itaque diabolico studio inuidēt aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt. Quæ virgo audiat nullum præmium esse integritatis, & non ingemiscat. (Absit enim vt facile credat) certe vt non studia deponat, & intentionem suæ mentis inflectat? Quæ vidua quom conceperit nullum esse fructum viduitatis, malit seruare fidem coniugij, & in tristibus degere, quā latoribus se credere? Quæ coniugij districta vinculo? si audiat quod nullus honos castitatis sit, non possit incuriosa tentari corporis aut mentis facilitate? Et ideo ecclesia quotidie in lectionibus sacris, in sacerdotum tractatibus laudem pudicitia, gloriā integritatis personat. Frustra ergo dicit Apostolus, Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis. Et ne forte dicant, Non de omnibus mundi nos dicimus fornicariis, sed dicimus quod qui fuerit in Christo baptizatus, haberi iam non debeat fornicarius, sed qualiscumque vita eius accepta sit Deo: ideo addidit Apostolus: Non vti que fornicariis huius mundi. Et infra: Si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiēs, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibū quidem sumere. Quo enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Et ad Ephesios: Fornicatio & omnis immunditia & auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. Et infra: Hoc enim scitote quod omnis impudicus, aut immundus, aut auarus, quod est idololatra, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. De baptizatis vti que dictum liquet. Ipsi enim accipiunt hereditatē, qui baptizantur in morte Christi, & consepeliuntur cum Christo, vt cum ipso resurgant. Ideo hæredes Dei, cohæredes Christi. Sunt hæredes Dei, quia transcribitur in eos Dei gratia: cohæredes Christi, quia renouantur in vitam ipsius. Hæredes quoque Christi, quia datur illis per mortem ipsius tanquam testatoris hereditas. Isti igitur magis sibi debent attendere qui habent quod possint amittere, quā qui non habent. Isti maiore agere custodia, isti cauere vitiorum illecebras, erroris incitamenta, quæ maxime cibo potūque oriuntur. Denique sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Ipse quoque Epicurus, quem isti sibi magis sequendum quā Apostolos putant, assertor voluptatis, etsi neget inuectricem mali esse voluptatem, non negat tamen ex ea fieri quædam ex quibus generentur mala. Denique nec luxuriosorum vitam reprehensibilem videri, quæ repletur delectationibus, nisi vel doloris vel mortis quatiatur metu. Atque hic quā alienus à vero sit, etiam hinc deprehēditur, quod voluptatem in homine Deo auctore creatā asserit principaliter: sicut Philuminaris eius sectator in Epitomis suis disputat, & huius allegat historicos esse auctores sententiæ. Sed hoc diuina scriptura redarguit, quæ serpentis insidiis atque illecebris infusam Adæ atque Euæ voluptatem docet. Siquidem ipse serpens voluptas sit, & ideo variæ ac lubricæ, & velut veneno quodam corruptelarum infectæ passiones voluptatis sint. Appetentia igitur voluptatis constat acceptū Adæ excidisse mandato Dei, & fructu gratiæ.

1. Cor. 5.

Ephes. 5.

Rom. 8.

Ibidem.

Exod. 32.

Gen. 3.

Quomodo igitur voluptas ad paradysum reuocare nos potest, quæ sola nos paradiso exiit? Vnde & dominus Iesus volens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Denique ipse diabolus primum tentamentorum suorum spiculum de voluptate intorsit dicens, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Vnde ait Dominus: Non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei, & noluit facere, cum posset, vt magis lectionis studio quam voluptatis intendere nos saluari præcepto doceret. Et quia isti ieiunadum negant, qua causa Christus ieiunauerit astruant, nisi vt nobis exemplo esset eius ieiunium. Denique in posterioribus docuit non facile malum posse nisi nostro vinci ieiunio, dicēs, Hoc genus non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. Quid etiam sibi vult scriptura quæ docet ieiunasse Petrum, & ieiunanti atq; oranti de baptizandis gentibus reuelatum mysterium, nisi vt ostenderet etiam ipsos sanctos cum ieiunant, tūc fieri præstatiores? Denique Moyses cum ieiunaret, legem accepit. Et ideo Petrus cum ieiunaret, edoctus est noui testamenti gratiam. Daniel quoque ieiunij merito ora clausit leonum, futurorumque temporum vidit negocia. Aut quæ nobis salus esse potest nisi ieiunio eluerimus peccata nostra: cum scriptura dicat: Ieiunium & elemosyna à peccato liberat? Qui sunt ergo hi præceptores noui qui meritum excludant ieiunij? Nonne gentilium vox ista est dicentium: Manducemus & bibamus? Quos bene irridet Apostolus dicens: Si secundum hominem pugnaui Ephesi ad bestias, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Hoc est: Quid mihi profuit vsque ad mortem contentio, nisi vt hominē redimerem meum? Qui frustra redimitur si nulla est spes resurrectionis. Ac per hoc spe omni redēptionis amissa manducemus & bibamus: ne amittamus fructum præsentium, qui futurorum nullum teneamus. Illorum ergo est cibus & potibus indulgere, qui nihil post mortem suam sperant. Denique Epicurei dicunt assertores voluptatis, quia mors nihil ad nos. Quo demōstrant corpore se tantum non mente viuere: nec animæ fungi, sed carnis folius munere, qui successione animæ corporisque dissolui munus suæ vitæ omne existiment, perire merita virtutum, atq; animæ omnem vigorem, totos se deficere cum corporis sensu, nihil reliquiarum superesse animæ, cum ipsum corpus non statim resoluatur. Prius ergo dissoluitur anima quam corpus: cum secundum suam opinionem vel carnem & ossa considerare debeant, quæ post mortem supersunt, secundum veram autē assertionem negare non debeant resurrectionis gratiam. Merito ergo hos redarguens Apostolus monet nos ne talibus labamur opinionibus, dicēs, Nolite seduci, corrumpūt mores bonos colloquia mala. Sobrii estote iuste, & nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidem habent. Bonum ergo sobrietas, quia peccatum ebrietas est. Quid quod ille Epicurus defensor voluptatis, cuius ideo frequentem facimus mentionem, vt hos aut gentilium discipulos, & Epicuream probemus sectam sequi, aut illum ipsum quem ipsi philosophi à suo excludunt confor-

tio tanquam patronum luxuriæ, tolerabiliorem his esse doceamus? Clamat ergo ille (vt Demarchus asserit) quia non potationes, neque comestationes, nec filiorum soboles, nec sceminarum copulæ, nec piscium copia, aliorumque huiusmodi, quæ splendido vsui parantur conuiuij, suauem vitam faciant, sed sobria disputatio. Deniq; addidit quod copiis conuiuij moderatè vtantur, qui non immoderatè eas quærunt. Succo solo & pane vel aqua qui libenter vitur, despuit deliciarum epulas, quia multæ ex his generantur molestiæ. Etiam alibi dicunt: Non immoderatæ epulæ, non potationes, voluptatis suauitatem generant, sed continēs vita. Cum igitur illos abdicauerit philosophia, hos non excludit ecclesia? Siquidem & illi, quod malam causam habens, se assertionibus suis impugnant frequenter. Nam etsi principalis eorum sententia sit quod nullam suauitatem voluptatis putent nisi quæ cibo potuque percipiatur: tamen intelligentes in tam reprehensibili definitione versari se sine summo dedecore nõ posse, ac deserui ab omnibus, fucio quodã probabilium disputationum ea colorare voluerunt, adeo vt diceret quidam ex iis: Dum studemus delectationi per epulas & cantans, amissimus eam quæ per verbi, quo solo salui esse possumus, infunditur perceptio-nem. Nonne isti dispares, discolors in hac multiformi disputatione nobis videntur, quos adeo scriptura condemnat, vt non præterierit eos quos Apostolus redarguebat, dicente Luca in actibus apostolorum, qui cum librum historico stylo scripsit: Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi disputabant cum eo, & quidam dicebant, Quid vult hic feminiuerbius? Alij autem, Nouorum dæmoniorum videtur pronunciator esse. Ex hoc tamen numero non immunis gratiæ abiit Apostolus. Siquidem etiam Dionysius Ariopagites cum Damari vxore sua aliusque multis credidit. Itaque illi doctissimorum & eloquentium cœtus simplici disputatione victos se esse credentium exemplo manifestarunt. Quid igitur sibi isti volunt qui tentant eos peruertere quos acquisiuit Apostolus, quos redemit Christus sanguine suo? Quid est quod asserunt baptizatos intendere nõ debere virtutum disciplinis, nihil illis obesse comestationes, nihil voluptatum affluentiam, insipientes esse eos qui iis careant: virgines oportere nubere, filios facere, similiter & viduas iterare quod semel male virili admixtione expertæ sint, etiam si se continere possint, errare eas quæ nolūt iterare copulã? Quid ergo? Placet vt hominē exuentes, induamus pecudē: & expoliantes Christū, vestiamur aut superuestiamur amictu diaboli? Sed quū ipsi doctores gentiū ne honestatem quidē cum voluptate copulandam putauerint, eò quod pecudem viderentur cum homine induere: nos vt beluinos vsus humano infundamus peccatori, & rationabili menti inscribamus irrationabiles ritus ferarum? Quanquam multa genera sint animantium quæ amisso pari concubitu indulgere nesciant, & tanquam solitaria vitæ æuum exigant: plurima quoque herbis vescantur simplicibus, nec alio nisi fõte puro sitim restinguerouerint: canēsque videamus frequenter interdico cibo temperare solitas, vt ieiunia fame ora suspendant si imperetur abstinentia. Ab hoc igitur reuocantur

Matth. 4.

Ibidem 17.

Acto. 10.

Exod. 34.

Dani. 14.

Tobia 4. 12.

1. Cor. 15.

Ibidem.

H

I

K

L

M

uocantur homines, quod didicerunt per hominem etiam mutæ non præuaricari bestia? Quid autem pulchrius abstinentia, quæ facit etiam iuuentutis annos senescere, vt fiat morum senectus? Namque vt redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas calescit, ita mitigatur iuuentutis ferocitas epularum parsimonia, irriguòque fontis: & exterior ignis aque infusione extinguitur: non mirum si etiam interiora æstus corporis fluiali potu refrigerantur. Cibo enim flamma alitur ac deficit. Siquidem scœnum, stipulam, lignum, oleum, aliq; huiusmodi alimenta ignis sunt, quibus pascitur: ea si detrahas, vel non suggeras, etiam ignis sopitur. Similiter ergo vapor corporis cibo alitur aut minuitur: cibo excitatur, cibo soluitur. Luxuria igitur mater libidinis est. Quid quod naturæ conueniens temperantia est, atque illi diuinæ legi quæ in ipso rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborum esui dedit? Vinum post diluuium iustus ad tentationem sui reperit. Vtatur ergo temperantiæ naturali cibo, vtinamque possimus. Sed quia non omnes fortes, ideo Apostolus ait: Vino modico vttere propter frequentes tuas infirmitates. Non ergo propter voluptatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, pro deliciis redundantius. Denique Helias quem Dominus ad virtutis erudiebat profectioem, ad caput suum collyridam & vas aquæ reperit, & ideo in virtute esca illius quadraginta diebus ieiunauit. Patres nostri quū mare transirent pedib usaquam non vinum bibebant. Daniel & Hebræi pueri patrio cibo, & aquæ potu, ille furorem leonum repressit, isti ardentem ignem innoxio videre tactu circa membra sua pasci: Et quid de viris loquar? Iudith luxurioso Holopherni haud quam inflexit cõuiuio, solo titulo sobrietatis desperatum lacertis virilibus reportauit triumphum, patriam obsidione exiit, ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum euident quod & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria sua emolliuit, & hanc scœminam temperantia cibi fortiolem viris fecit. Non hic in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo victa est, & regem superbum suis inclinauit ieiuniis. Anna octoginta quatuor annos in viduitate sua ieiuniis & obsecrationibus in templo die ac nocte seruiens, Christum agnouit. Quem Ioannes E abstinentiæ magister quidam nouus terrarum angelus annunciauit. O stultum Helisæum qui syluestribus ramis & amaris pascebat prophetas, Immemor scripturarum Esdram qui memoria scripturas reddidit, Inspiciet Paulum, qui gloriatur ieiuniis, si nihil profunt ieiunia. Sed quomodo non profunt, quibus vitia purgantur? Quæ si deferat cum humilitate, cum misericordia, vt Esaias spiritu diuino locutus est, ossa tua pinguescēt, & eris sicut ortus ebrius. Pinguescit igitur anima tua, virtutesque eius spiritali adipe ieiunij, & fructus tui multiplicatur vbertate mētis tuæ, vt sit in te sobria ebrietas, sicut illud est poculum de quo ait propheta, Et poculum tuum inebrians quam præclarum est. Sed non illa solum laudabilis quæ parca est ciborum temperantia, sed etiam illa quæ concupiscentiæ. Denique scriptum est, Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluptate tua vetare. Si dederis animæ tuæ concupiscentiam,

A gaudio eris inimicis tuis. Et infra, Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes. Vnde Paulus etiam in ipsis coniugijs temperantiam docet. Est enim velut quidam adulter incontinentens in matrimonio, qui legem apostolicam præuaricatur. Quid autem loquar quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi vt esset etiam corporale dei templū, in qua corporaliter (vt legimus) habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mūdi salutem, virgo peperit vitam vniuersorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit? Virgo portauit quem mundus iste capere aut sustinere non potest. Qui cum ex Mariæ nasceretur vtero, genitale tamen septum pudoris, & intemerata virginitatis conseruauit signacula. Itaque in virgine Christus reperit quod suū esse velle, quod sibi omnium Dominus assumeret. Per virum autem & mulierem caro eiecta de paradiso, per virginem iūcta est Deo. Quid de altera Moyfi Maria loquar, quæ scœminæ dux agminis pede transmisit pelagi freta? Quo munere autem venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, vt ad pedes prædæ suæ strata impasta bestiæ sacrum deferrēt ieiunium, nec procaci oculo virginem nec vngue violaret aspero, quoniam & ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas? Denique qua reuerentia virginitatis locutus est sanctus Apostolus, De virginitibus præceptum Domini non habeo, consiliū autē do tanquam misericordiam consecutus à Domino? Præceptum non habet, consilium habet. Non enim præcipitur quod supra legē est, sed magis dato suadetur consilio. Nec autoritas præsumitur, sed demonstratur gratia: nec à quocumque demōstratur, sed ab eo qui misericordiam Dei meruit. Horum ergo meliora quam apostolorum consilia? Apostolus dicit, Consilium do, isti dissuadendum putāt, ne qua studeat virginitati. Cuius quandam laudem breui versiculo propheta expresserit, vel potius Christus in propheta, debemus cognoscere. Ortus, inquit, clausus soror mea, ortus clausus, fõs signatus. Christus hoc dicit ad ecclesiam, quæ vult esse virginem sine macula, sine ruga. Bonus ortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Ortus clausus, quia vndique vallata est muro castitatis. Fõs signatus, eò quod virginitatis sit fons & origo pudicitia, quæ inuolata custodiat integritatis signacula, in quo fonte imago Dei luceat: quia cum munditia corporis congruit etiam puritas simplicitatis. Non potest dubitare quisquam quod ecclesia virgo sit, quæ etiam in Corinthiis despondit Apostolus Paulus virginem castam assignare Christo. In superiore igitur epistola dat consilium, & existimat bonū esse munus virginitatis, vt nullis instantis seculi turbetur necessitatibus, nulla illuue coinquinetur, nullis exagitetur procellis. In posteriore sponfor est Christo quod virginitatem ecclesiæ in illius plebis consignare possit integritate. Responde mihi nunc Paule qua ratione propter instantem necessitatem des consilium: quoniam qui sine vxore est, sollicitus, inquit, est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Et addidit: Et mulier innupta & virgo cogitat quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu. Habet igitur murum suum aduersus mūdi huius turbines, & ideo septo diuinæ munita protectionis nullis seculi fla-

Eccles. 19.

Colof. 2.

Exod. 13.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

Cantic. 4.

1. Cor. 7.

31.

1. Tim. 5.

1. Reg. 19.

Daniel. 1.

Act. 17.

1. Iudith. 12.

1. Iudith. 2.

Matth. 3.

1. Reg. 4.

1. Iudith. 8.

1. Cor. 11.

1. Esai. 58.

1. Psalm. 22.

1. Eccles. 18.

bris inquietatur. Bonum ergo consilium, quia in consilio utilitas est, & in præcepto laqueus. Consilium inuitat voluntarios, præceptum astringit inuitos. Si qua ergo secuta fuerit consilium, & eam non pœnituerit, acquisiuit utilitatem. Si quam vero pœnituerit, non habet quod accuset Apostolum. Ipsa enim de infirmitate sua iudicare debuit, & ideo sibi voluntatis suæ rea est, cuius grauiore quã ferre posset laqueo se ac nodo ligauit. Itaque tãquã bonus medicus qui & fortiorib⁹ stabilitatē virtutis cōseruare cupiat, & infirmis salubritatem dare, aliis dat cōsiliū, aliis demonstrat remedium. Qui infirmus est, olera manducet, accipiat uxorem: qui validior est, fortioris virtutis cibum expectet. Meritōque adiunxit: Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo seruare virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier vincita est legi quãto tēpore vir eius viuuit. Quod si dormierit vir eius, libera est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto enim quod & ego spiritum Dei habeo. Hoc est consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt suadere, & quæ tutiora demonstrare. Prouidus doctor multas ostēdit vias, vt qua vult vnusquisque quam sibi accommodam arbitratur incedat, dummodo occurrat quo possit incaptus prætere. Bona virginitatis via, sed sublimis & ardua validiores requirit. Bona etiam viduitatis, non tam difficilis vt superior, sed cōfragosa & aspera cautiore exigit. Bona etiam matrimonij, plana & directa longiore circuitu ad castra sanctorum peruenit: ea plurimos recipit. Sunt ergo virginitatis præmia, sunt merita viduitatis, est etiam coniugali pudicitia locus. Gradus singularum sunt & incrementa virtutū. State igitur in corde vestro, ne quis vos subruat, ne quis possit subuere. Docuit nos Apostolus quid sit stare, hoc est quod Moyse dictum est: Locus enim in quo stas, terra sancta est. Nemo enim stat nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat sui cordis sententia. Alibi quoque legimus, Tu autem hinc sta mecum. Vtrumque ad Moysen à Domino dictum est, Vbi tu stas, terra sancta est: & hic sta mecum: hoc est, mecum stas, si stes in ecclesia. Ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fecunda sanctitatis, & opima virtutum messibus. Sta ergo in ecclesia, sta vbi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Vbi est ecclesia, ibi firmissima statio tuæ mentis est: ibi fundamentum animi tui, vbi tibi de rubo apparui. Tu rubus, ego ignis in rubo, ego in carne propterea ignis, vt tibi luceam, vt tuas spinas & tua peccata consumam, & meam tibi demonstram gratiam. Stantes ergo in corde vestro lupos fugate ab ecclesia quærentes prædam tollere. Non sit in vobis desidia, non sit præuū os, lingua amarior. Nolite in cōsilio vanitatis sedere. Scriptū est enim: Nō sedi in concilio vanitatis. Nolite audire detrahentes proximis, ne dum auditis alios, prouocemini vt & ipsi derogetis proximis, & dicatur vnicique vestrum, Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas. Sedentes detrahunt, stantes autem Dominum benedicunt, quibus dicitur: Ecce nunc benedicite Dominū omnes serui Domini, qui statis in domo Do-

1. Cor. 7.

Rem. 14.

Exod. 3.

Deut. 5.

Psal. 25.

Psal. 49.

Psal. 133.

mini. Qui sedet (vt de corporeo vsu loquar) quasi ocio, & resoluitur corpore, atque intētionem mentis relaxat. Stat autem speculator prouidus, & explorator impiger, peruigil custos, qui præterdit in castris. Bellator quoque strenuus ante expectatum stat in agmine, qui vult aduersarij consilia præuenire. Qui stat, videat ne cadat. Qui stat obtrectare nescit. Ociosorum etenim fabulæ sunt, quibus obtrectatio seritur, malignitas proditur. Vnde ait propheta: Odio habui congregationem malignorum, & cum impiis nō sedebo. Et in trigesimo sexto psalmo, quem præceptis referit moralibus, in principio statim posuit: Noli æmulari inter malignantes, neq; æmulatus fueris facientes iniquitatem. Malignitas plus nocet quã malitia, quia malignitas nec purā simplicitatem habet, nec apertam malitiam, sed absconditam maleuolētiā. Difficilius autem cauentur occulta, quã quæ sunt cognita. Vnde & Saluator noster à spiritibus malignis cauēdum admonet, quod nos blandarum specie voluptatum capiant, cæterarūque rerum simulatione, cum ambitionē, honorem, auaritiā, diuitias, ad superbiam potentia lenocinia præterdunt. Itaque cum in omni actu, tum maximē in episcopi petitione abesse debet malignitas, in quo vita formatur omnium, vt placido & pacifico iudicio præferatur vir omnibus, qui eligatur ex omnib⁹, & qui medeatur omnibus. Etenim mansuetus homo, cordis medicus est. Huius se medicum etiam Dominus in euangelio locutus est dicens: Non opus est sanis medicus, sed iis qui male habent. Bonus medicus, qui infirmitates nostras accepit, sanauit ægritudines: & tamē iste (sicut est scriptum) non se honorificauit fieri summum sacerdotem, sed qui locutus est ad eum, pater dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui quoniam typus futurus erat sacerdotum omnium, ideo carnem suscepit, vt in diebus carnis suæ preces & supplicationes Deo patri cum magna voce & lachrymis offerret, & ex iis quæ passus est, quamuis esset filius Dei, discere videretur obedientiam, quam nos doceret, vt nobis fieret author salutis. Denique consummatis passionibus tantum consummatus ipse sanitatem dedit omnibus, peccatum tulit omnium. Ideo & Aaron sacerdotem ipse elegit, vt non humana cupiditas in eligendo sacerdote præponderaret, sed gratia Dei, non voluntaria oblatio, nec propria assumptio, sed cœlestis vocatio: vt is offerat munera pro peccatis, qui possit affici pro peccantibus: quia & ipse, inquit, gestat infirmitatem. Non sibi quis honorem debet sumere, sed vocari à Deo: sicut & Aaron, ita & Christus non ex se sibi accepit sacerdotium. Denique cum ab Aaron per genus ducta successio, generis magis teneret hæredes, quã iustitiæ consortes, propterea ad typum illius Melchisedech quem in veteri testamento legimus, verus Melchisedech, verus rex pacis venit, verus iustitiæ rex venit. Hoc enim habet nominis interpretatio, sine patre, sine matre, sine generationis enumeratione, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, quod & ad filium Dei refertur, qui matrem in illa diuina generatione nesciuit, patrem in hoc virginis Mariæ partu ignorauit, ex patre solo

1. Cor. 10.

Psal. 25.

Matth. 9.

Heb. 5.

Exod. 7.

Hebr. 7.

solo natus ante secula, ex virgine sola ortus in hoc seculo. Initium dierum habere vtique non potuit, qui erat in principio. Quomodo vitæ finem haberet, qui vitæ author omnibus est? Ipse principium & finis omnium. Sed refertur ad exemplum, vt tantumquam sine patre & sine matre sacerdos esse debeat, in quo non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia & virtutum prærogatiua. Sit in eo fides, & morum maturitas, non alterum sine altero, sed vtrūque in vno cum bonis operibus conueniat & factis. Vnde nos apostolus Paulus eorum vult esse imitatores, qui per fidem, inquit, & patientiam possident repromissiones Abraham, qui per patientiam promissæ sibi benedictionis meruit accipere & possidere gratiam. Imitatores nos sancti Aarō David propheta debere esse admonet, qui cum inter sanctos Domini ad imitandū nobis constituit dicens, Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter inuocantes nomē eius. Dignus plane vir qui sequendus proponatur omnibus. Nam cum dira mors propter contumaces in plebem serperet, medium se inter viuentes morientēsq; obiecit, vt mortem sisteret, ne plures perirent. Vere vir mentis & animi sacerdotalis, qui se pro domini grege quasi pastor bonus pio obiiceret affectu. Itaque infregit aculeum mortis, impetum tenuit, transitum negauit. Pietas meritum adiuit, quia pro ipsis se obtulit qui resistebant. Discant igitur dissidentes timere Domini commotionem, sacerdotes placare. Quid? Dathan & Abiron & Chore nonne propter dissensionem hiatus terræ absorbit? Nam cum instigassent Chore & Dathan & Abiron ducentos quinquaginta viros aduersus Moysen & Aaron, vt separarent se ab iis, insurrexerunt illi dicētes, Satis sit vobis quod tota synagoga sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Vnde iratus Dominus locutus est ad omnem synagogam, Considerauit & nouit Dominus qui sunt eius, & sanctos adduxit ad se: & quos non elegit, non adduxit ad se. Et iussit Dominus, vt eligerent sibi arulas, & incensum ponerent Chore & omnes qui cum eo insurrexerant aduersus Moysen & Aarō sacerdotes Domini, vt qui electus esset à Domino, ipse sanctus confirmaretur inter Leuitas Domini. Et dixit Moyses ad Chore, Audite me filij Leui, Numquid hoc pusillum est vobis quod separauit vos Deus à synagogis Israel? Et infra, Quæritis sacerdotio fungi? Sic tu & omnis synagoga tua congregare ad Deum? Et Aaron quis est, quia murmuratis de eo? Cōsideratis igitur quæ offensionis causæ extiterint, quod sacerdotio fungi indigni vellēt, & propterea dissiderent, quod immurmurarent improbaates in sacerdotis sui electione iudicium Dei. propterea totum populū metus ingens corripuit, pœnæ terror inuoluit vniuersos. Obsecrantibus tamen omnibus ne paucorum insolentia omnes perirent, designantur sceleris rei, & à totius populi corpore ducenti quinquaginta cum authoribus suis separantur, immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur elementis, vt nec aerem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro. Cessauit pœna, non cessauit malitia, ex hoc

Heb. 6.

Psal. 89. Num. 16.

Num. 16.

2. Tim. 2. Ibidem.

A ipso immurmuratio exorta populi, quod per sacerdotes perisset populus. Quia indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi Moyse & Aaron primò precibus inflexus, post etiam obiecti sacerdotis sui Aaron maluisset ingratos maiore veniæ pudore donare iis quorum abnuebant gratiam. Ipsa prophetissa Maria, quæ cum fratribus pede transferat freta maris, quia Æthiopiis mysterium adhuc nesciens immurmurauerat aduersus fratrem Moysen, lepræ maculis inhorruit, vt vix tanto absoluta esset contagio, nisi Moysen rogasset. Quamuis ad typum synagogæ illa refertur admurmuratio, quæ Æthiopiis, id est ecclesiæ ex gentibus sacramentum ignorans quotidiano immurmurat conuicio, & inuidet ei plebi cuius fide etiam ipsa exuetur à perfidiæ suæ lepra, secundum quod legimus quia cæcitas ex parte Israel contigit donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Et vt aduertamus, quia in sacerdotibus diuina magis quã humana operatur gratia, vna ex multis quam Moyses per tribus acceperat & reconderat, virga Aaron floruit, atque ita diuini iudicij munus spectandum in sacerdote populus aduertit, ac destitit parem sibi humano iudicio vindicare gratiam, qui ante patrem sibi prærogatiuam competere arbitrabatur. Virga autem illa quid aliud ostēdit, nisi quod nunquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere commissæ sibi florem potestatis, vel quia id quoque ad mysterium referatur? Nec ociosè propè exitum vitæ Aaron sacerdotis hoc factum putamus. Declarari videtur populus senior, sacerdotalis longæuæ infidelitatis vetustate cariosus, quod vltimis temporibus imitatione ecclesiæ reformatus in studia fidei & deuotionis, emortuum iam tot seculis rediuiua gratia florem emittat. Quid autem illud significat quod post defunctum Aaron non vniuerso populo, sed soli Moyse qui est in sacerdotibus Domini, imperauit Deus vt exuuiis Aaron sacerdotis filium eius indueret Eleazarum, nisi vt cognosceremus quod sacerdos consecrare sacerdotem debeat, & ipse cum induere vestimētis, hoc est virtutibus sacerdotalibus, ac tunc si nihil ei deesse indumentorum aduerterit sacerdotalium, & aptè quadrare omnia, sacris eum adhibeat altaribus? Supplicaturus enim pro populo, eligi à Domino, probari debet à sacerdotibus, ne quid sit quod in ipso grauius offendat, cuius officium est pro aliorum offensa interuenire. Neque enim mediocris virtus sacerdotalis est, cui cauēdum non solum ne grauioribus flagitiis sit affinis, sed ne minimis quidem: vt sit prōptus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum reuocet, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat, iram repellat vel decoquat, sit quidem lituus plebis excitandæ ad deuotionem, mitificandæ ad tranquillitatem. Vetus dictum est, affuesce vnus esse: vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem seruans semper imaginem quã acceperit. Quomodo potest vnus esse, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione graui exæstuat, nunc vultu excandescit, nunc pallore immutatur, per momenta varius & discolor? Sed esto sit naturæ irasci, aut plerumque causæ, hominis est tamē tempe-

Num. 12.

Rom. 11.

Num. 17.

Num. 29.

Prouer. 15.

Psal. 4.

1 Tim. 3.

Titum. 1.

1 Tim. 3.

Titum. 1.

rare iracundiam, non leonino raptari furore: non norit assuefcere clamori, non ferere nec acerbare familiare iurgium, Scriptum est enim: Vir iracundus effodit peccatum. Non est vnus duplici corde, non est vnus qui se cohibere nescit in iracundia: de quo pulchre David ait: Irascimini, & nolite peccare. Non ira imperat, sed indulget natura, quam homo praeuenire non potest, mitigare potest. Ergo etsi irascimur, affectus noster motum recipiat secundum naturam. Quis enim ferat si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? Ideoque Apostolus formam dedit, quia & episcopum esse oportet irreprehensibilem. Et alibi ait: Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum. Nam quomodo conueniunt sibi dispensantis misericordia, & cupientis auaritia? Hæc posui quæ cauenda acceperim. Virtutum autem magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui vnus vxoris virum præcipiat esse: non quo exortem excludat coniugij, nam hoc supra legem præcepti est: sed vt coniugali castimonia feruet ablutionis suæ gratiam. Neque iterum vt filios in sacerdotio creare Apostolica inuitetur auctoritate. Habentem enim dixit filios, non facientem, neque coniugium iterare. Quod ideo non prætermisi, quia plerique ita argumētantur, vnus vxoris virum dici post baptismum habitæ, eò quod baptismo vitium sit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia, vt si quis contaminauerit suum corpus cum plurimis quas nulla coniugij lege sociauerit, remittantur ei omnia: sed coniugia non resoluuntur si quis iterauerit. Culpa enim lauacro non lex soluitur. Nulla enim culpa coniugij, sed lex est. Quod legis est igitur, non remittitur quasi culpa, sed tenetur quasi lex. Ideo Apostolus legem posuit dicens: Si quis sine crimine est vnus vxoris vir, tenetur ad legem sacerdotij suscipiendi. Qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogatiua exiit sacerdotis. Diximus quid legis est, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus non solum hoc Apostolum de episcopo & presbytero statuisse, sed etiam patres in concilio Niceni tractatus addidisse, neque clericum quemquam debere esse qui secunda coniugia fortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem, seruandam marito fidem, quam ipse priori coniugio non reseruauerit? Aut quid interesset inter populum & sacerdotem si iidem astringerentur legibus? Debet præponderare vita sacerdotis, sicut præponderat gratia. Nam qui alios præceptis suis ligat, debet ipse legitima præcepta in se custodire. Quam resistebam ne ordinarer: postremo cum cogerer, saltem ordinationem protelaretur. Sed non valuit præscriptio, præualuit impressio. Tamen ordinationem meam occidentales episcopi iudicio, orientales etiam exemplo probarunt. Et tamen neophytus prohibetur ordinari ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est. Si non deest humilitas compe-

tens sacerdotio: vbi caussa non hæret, vitium non imputatur. Quod si in aliis ecclesiis tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expeditur in Vercellensi ecclesia, vbi duo pariter exiguntur ab episcopo, monasterij continentia, & disciplina ecclesiæ? Hæc enim primus in occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus instituta monachorum teneret, & ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam integritatis iuuentutem astringat, & versantes intra urbem abdicet vsu urbis & conuersatione. Hinc illi processerunt viri, Helias, Helisæus, Ioannes, Elizabeth, qui pelliceis tunicis & caprinis exuuiis induti, inopes atque egentes, angustiis & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant, inter alta & condensa montium, in uia rupium, speluncarum horrida, fouearum vadosa, quorum conuersatione dignus orbis terrarum non erat. Hinc illi Daniel, Ananias, Azarias, Misael, qui in aula regia pascebantur, ieiunio alebantur tanquam in desertis cibo aspero, potuque obuio. Meritoque regij seruuli regi præualuerunt, & captiuitatem decusso iugo contempserunt, potestates subegerunt, elementa vicerunt, naturam ignis extinxerunt, euitauerunt flammam, obtulerunt aciem gladij, strinxerunt leonum ora: & vbi infirmiores fieri existimabantur, ibi fortiores reperiebantur: non refugiebant ludibria humana, qui cælestia sperabant præmia: non horrebant tenebras carceris, quibus æterni luminis gratia refulgebat. Hos secutus Eusebius sanctus exiit de terra sua, & de cognatione sua, & domestico ocio peregrinationem prætulit. Pro fide quoque exilij dura præoptauit atque elegit, coniuncto sibi sanctæ memoriæ Dionysio, qui posthabuit imperatoris amicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri circumdati armis, vallati exercitu cum raperentur de ecclesia, maiore triumphabant de imperio, quia contumelia terrestri mercabatur mentis fortitudinem, regni potentiam: quibus militaris armorum strepitus extorquere non potuit fidem: subegerunt bestialis animi feritatem, quæ nocere sanctis nequiuit. Ira enim regis, ira leonis vt in prouerbis habes. Confessus est victum se esse, qui rogabat vt muraret sententiam. Sed illi validiorem calamum suum ferreis gladijs arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia vt occideret, non est vulnerata sanctorum fides, non desiderarunt patrium sepulcrum quibus reseruabatur cæleste domicilium. Errauerunt toto orbe, vt nihil habentes, & possidentes omnia. Quocumque missi essent locus deliciarum putabatur. Neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Denique locupletabant alios ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam: tentabantur, sed non mortificabantur, in ieiuniis, in laboribus, in custodiis, in vigiliis. Euaserunt de infirmitate fortes, non expectabant deliciarum illecebras quos saginabat fames, non adurebat eos torrida æstas, quos refrigerabat æternæ spes gratiæ. Non frangebant glacialis plagæ frigida, quibus feruenti spiritu vernabat deuotio. Non verebantur vincula hominum, quos Iesus soluerat. Non desiderabant redimi

redimi à morte, qui præsumebant à Christo resuscitari. Denique sanctus Dionysius exegit votis vt in exilio vitam poneret, ne regressus confusa institutis & vsu infidelium studia plebis aut cleri inueniret. Meruitque hanc gratiam vt pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Itaque vt Eusebius sanctus prior leuauit vexillum confessionis, ita beatus Dionysius in exilij locis propiore martyribus titulo vitam exhaluit. Hæc igitur patientia in sancto Eusebio monasterij coaluit vsu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attentiore Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat, clericorum officia, & monachorum instituta? Ista ad comitatem & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto. Spectatur ista, illa absconditur. Ideo bonus atheleta ait: Spectaculum facti sumus huic mundo. Dignus sane qui spectaretur ab angelis cum luctaretur: vt ad Christi brauium perueniret, cum certaret vt in terris vitam angelorum institueret, in cælo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitias spiritualibus. Merito mundus cum spectabat, vt mundus imitaretur. Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca. Hæc aduersum confusionem seculi, illa aduersus carnis appetentiam. Hæc subiiciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior: illa tutior. Hæc se ipsam regens, illa semetipsam coercens. Vtraque tamen se abnegans, vt fiat Christi, quia perfectus dictus est: Qui vult post me venire, abneget seipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Sequitur ergo Christum qui potest dicere: Viuo autem iam non ego, viuunt vero in me Christus. Negabat se Paulus, cum sciens, quia vincula & tribulationes cum manerent, in Hierusalem voluntarius se offerret periculis dicens: Nec facio animam cariorum mihi, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino Iesu. Denique circumstantibus plurimis plorantibus & obsecrantibus, non reflexit animum: ita fides prompta dura sui censor est. Hæc ergo dimicat, illa se remouet. Hæc illecebras vincit, illa refugit. Huic mundus triumphatur, illi exultat. Huic mundus crucifigitur, vel ipsa mundo, illi ignoratur. Huic plura tentamenta, & ideo maior victoria: illi infrequentior lapsus, facilius custodia. Denique ipse Helias, vt confirmaretur verbum oris eius, missus est à Domino, vt se ad torrentem absconderet Charith. Minabatur Achab, minabatur Iezabel, timuit Helias, & exurrexit, & iterum in virtute escæ intelligibilis quadraginta diebus ambulauit, & quadraginta noctibus vsque ad montem Oreb, & introiuit in speluncam, & requieuit ibi, & sic postea missus est vt vngeret reges. Duratus igitur ad patientiam est solitudinum incolatu, & tanquam passus ad virtutis adipalem agresti alimento processit fortior. Ioannes quoque in deserto adoleuit, & Dominum baptizauit, & constantiam illic prius exercuit, vt postea regem increparet. Et quia de sancti Hæliæ habitatione deserti, nomina locorum non ociosa quasi feriat præteriuimus, quid significet repetendum videtur. Missus est Helias ad torrentem Charith, ibi eum corui ale-

abant, mane panem afferebant, ad vesperam carnes. Non immerito mane panis afferebatur, qui confirmat cor hominis. Quo enim cibo nisi mystico aleretur propheta? Ad vesperam caro ministrabatur. Intellige quæ legis, quia Charith intellectus est. Oreb omne cor quasi cor dicitur. Bersabe quoque puteus septimi, aut iuramenti Latina interpretatio est. Primum Helias in Bersabe est, concessit ad sanctæ legis mysteria, diuinique iuris sacramenta. Postea ad torrentem mittitur, ad illum fluminis impetum qui lætificat ciuitatem Dei. Vtrumque aduertis vnus authoris testamētum: vetus scriptura quasi puteus profunda atque obscurior: vnde cum labore haurias, non plenam, quia adhuc qui implet eam, non venerat. Denique postea ait: Non veni legem soluere, sed implere. Ideo ad fluuium transire sanctus à Christo iubetur, quoniam qui de nouo testamento biberit, non solum flumen est, sed flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, flumina intellectus, flumina cognitionis, flumina spiritualia, quæ tamen perfidiæ aruerunt tempore ne sacrilegi biberent, potarent perfidi. Ibi prophetam Domini agnoscebant corui, quem non agnoscebant Iudæi. Pascebant corui, quæ genus regale illud & nobile persequebatur. Quæ est Iezabel quæ persequebatur, nisi synagoga vanè fluens, vanè abundans scripturis, quas neq; custodit, neq; intelligit? Qui corui pascebant, nisi quorum pulli cum inuocant, qui iumentis dat escam, vt legimus, pullis coruorum inuocantibus eum? Sciebant illi corui quem pascerent, qui iuxta intellectum erant, & ad illum cognitionis sacre fluuium escam vehabant. Pascebat prophetam, qui intelligit, qui custodit quæ scripta sunt. Dat ei succum fides nostra, dat ei alimentum noster profectus, mentis ille nostræ sensu pascebat, in nostro sermo eius intellectu epulatur. Damus ei panem qui in lumine Euangelij positi conferimus ei nostri firmamenta cordis. His alitur, his viget, his ieiuna diu replet ora, quibus Iudæorum perfidia nullum fidei cibum subministrat. Ieiunus est illis omnis sermo propheticus, cuius adipem interiorum non vident, exesus & tenuis qui impinguare eorum fauces non potest. Fortasse ideo deferebant ad vesperam carnes, quasi fortiores cibos, quos infirmi ingenio Corinthij non poterant sumere, & ideo lacte porabantur Apostolico. Esca ergo fortior ad vesperam mundi huius deferebatur, mane panis. Et ideo quia Dominus hanc ministrari mandauit alimoniam, bene illud propheticum dici ei hoc loco conuenit, Exitu matutino & vespere delectabis. Et infra: Parasti cibum illorum, quia ita est præparatio eius. Sed satis de magistro dictum puto, nunc discipulorum vitam prosequamur: quia in illam se laudem induerunt, hymnis dies ac noctes personant. Hæc nempe angelorum militia est, semper esse in Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum studet, lectione vel operibus cõtinuis mentem occupant, separati à cœtu mulierum, sibi ipsi inuicem vitam præbent, custodiam. Qualis hæc vita, in qua nihil sit quod timeas, & quod imiteris plurimum adest: ieiunij labor compensatur mentis placiditate, leuatur vsu, sustentatur ocio, aut fallitur negotio, non oneratur mundi sollicitudine, non occu-

Hebr. 11.

1 Cor. 4.

Matth. 16.

Galat. 2.

Matth. 20.

Prouer. 19.

1 Cor. 17.

19.

1 Cor. 6.

1 Cor. 6.

Matth. 5.

1 Ioan. 7.

Psal. 146.

1 Cor. 3.

Psal. 64.

patur alienis molestiis, non vrgetur vrbani discursibus. Huic vel seruando vel edocendo muneri aduertitis qualis adhibendus magister sit, quem reperire possumus si vestra humanitas aspiret, si vos donetis inuicem vobis, si quis ab altero se laesum non putat. Non enim hac sola est forma iustitiae, vt non laedas eum qui te non laeserit, sed etiam illa, vt etiam ei remittas qui te laeserit. Laedimur plerumque fraude alterius, dolo proximi. Numquid hoc virtutis putamus, vt dolum vlciscamur dolo, fraudem referamus fraudibus? Etenim si iustitia virtus est, crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate refellere. Quae enim virtus, hoc a te fieri, quod in altero ipse punias? Contagio ista improbitatis, non vltio est. Nihil autem interest cui malefacias, vtrum iusto, an iniusto, cum te malefacere non oporteat. Neque distat quomodo malignus sis, vtrum vindicandi studio, an voto nocendi, cum malignitas in vtroque genere non careat reprehensione. Nam malignum esse, ab iniusto nihil distat: Ideoque dictum est: Noli malignus esse inter malignantes, neque aemulatus fueris facientes iniquitatem. Et supra iidem: Odio habui congregationem malignantium. Omnes vtrique complexus est, nullum exceptit: malignitatem tenuit, non causam interrogauit. Quae autem melior forma quam iustitiae diuinae? Dicit enim Dei filius: Diligite inimicos vestros. Et iterum dicit: Orate pro calumniantibus & persequentibus vos. Eousque perfectis studium adimit vltionis, vt laudentium charitatem imperet. Et quoniam in veteri scriptura dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et in euangelio ait orandum pro iis qui laeserint, ne in eos vindicet qui vindicandum promissit. vult enim ex tua dimittere voluntate, in quo ex sua conuenitur promissione. Quod si vindictam requiris, habes quia iniustus amplius suis punitur opinionibus quam iudicialis seueritatibus. Et quoniam nemo potest esse sine aliquibus aduersis, id agamus, ne nobis nostro iudicio aduersa accidant. Nemo enim grauius alieno condemnari potest iudicio, quam insipiens suo, qui sibi est auctor malorum. Vnde molesta & plena contentionis declinemus negotia, quae neque fructum habent, & impedimentum afferunt. Quanquam id agere debemus, ne nos arbitrii nostri poeniteat, aut facti. Prudentis est enim prospicere ne frequenter cum poeniteat sui. Numquam autem poenitere, solius est Dei. Quis vero iustitiae fructus, nisi mentis tranquillitas? Aut quid est iuste viuere, nisi cum tranquillitate viuere? Qualis forma fuerit Domini, talis totius domus est status. Quod si domi quaeruntur ista, quanto magis in ecclesia, vbi & diues & pauper, seruus & liber, Graecus & Scythia, honoratus & plebeius omnes in Christo vnum sumus? Nemo praesumat, quia diues est, plus sibi deferendum. Ille est diues in ecclesia, qui pauperi, non sibi, diues est. In ecclesia quidem fidelis diues est. Fideli enim totus mundus diuitiarum est. Quid mirum si mundum fidelis possidet, qui Christi haereditatem possidet, quae preciosior est mundo. Sanguine precioso redempti estis: omnibus vtrique non solis pecuniosis dictum est. Sed vultis diuites esse? Sequimini dicentem: Sancti in omni

psal. 36. psalm. 25.

Matth. 5.

Deut. 32. Hebr. 10. Matth. 5.

Colos. 3.

Leuiti. 19. 20.

conuersatione estote. Non diuitibus dicit, sed omnibus, quia sine discrimine personarum iudicat, vt bonus testis eius Apostolus dicit: Et ideo non in remissione, non in fastidio, non in exaltatione cordis, sed in timore, inquit, hoc incolatus vestri tempus conuersamini. Tempus accepistis hac in terra, non perpetuitate, quasi tempore vtamini, qui sciatis vos migraturos. Nolite in diuitiis confidere, quia omnia illa hic relinquuntur. Sola vos comitabitur fides. Erit sane etiam iustitia comes, si fides praeuia sit. Quid vos palpant diuitiae? Non auro vel argento, non possessionibus, non sericis vestibus de vana vestra conuersatione redempti estis, sed precioso sanguine Christi Iesu. Ille ergo diues est qui fuerit haeres Dei, Christi cohaeres. Noli pauperem contemnere, ille te diuitem facit. Noli egentem fastidire. Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Noli inopem refutare, & Christus pauper factus est, cum esset diues, sed propter te pauper factus est, vt te inopia sua diuitem faceret. Noli quasi diues te attollere: Sine pecunia misit apostolos suos. Denique primus eorum dixit: Argentum & aurum non habeo. Gloriat in paupertate, quasi refugiat contaminationem. Argentum, inquit, & aurum non habeo, Aurum & argentum nescit ordine, qui nescit vsu. Argentum & aurum non habeo, sed fidem habeo. Satis diues sum in nomine Iesu, quod super omne nomen est. Argentum non habeo, sed nec requiro. Aurum non habeo, sed nec desidero, sed habeo quod vos diuites non habetis. Habeo quod pluris esse etiam vos arbitremini. Dono pauperibus, vt in nomine Iesu dicam: Conualescite manus remissae, & genua dissoluta. Sed vultis diuites esse? estote pauperes. Tunc eritis per omnia diuites, si fueritis pauperes spiritu. Non census diuitem, sed animus facit. Sunt qui se humiliant in multis diuitiis & recte ac prudenter. Satis enim diues omnibus naturae lex est, cui cito inuenias quod abundet. Cupiditatibus autem omnis diuitiarum abundantia, inopia est. Denique nemo pauper nascitur, sed fit. Non ergo naturae paupertas, sed opinionis est: ideoque cito inuenitur diues naturae, difficile cupiditatis. Etenim quod plus vnusquisque acquiserit, plus sitit, & quasi quadam inardescit ebrietate cupiditatum suarum. Quid quasi necessarium quaeritis cumulum diuitiarum? Nihil tam necessarium, quam cognoscere quid non sit necessarium. Quid in carnem retorquetis excusationem? Non corporis venter insatiabilem, sed mentis auaritia facit. Numquid caro spem futuri abstulit? Numquid caro spiritualis gratiae suauitatem ademit? Numquid caro fidem impediuit? Numquid caro aliquid furiosis Dominis vanis opinionibus adiudicauit? Plus amat caro moderatam frugalitatem, qua exiuit onere, induitur salubritate, qua sollicitudinem deponit, assumit tranquillitatem. Sed nec ipsae diuitiae vituperabiles. Denique redemptio animae viri, diuitiae eius: quonia qui pauperi donat, redimit animam suam. Est ergo & his materialibus diuitiis virtuti locus. Quasi gubernatores estis in magno mari. Si bene quis gubernat suum nauigiū, cito transit fretum, vt perueniat ad portum. Qui autem nescit regere suum censum, onere suo mergitur. Ideo scriptum est: Possessio diuitum, ciuitas firmissima.

1. Petri.

1. Petri.

psal. 31. 2. Cor. 8.

Matth. 10. Act. 3.

Heb. 11.

Hum. 13.

Prouer. 13.

Prouer. 10.

missima. Quae est ista nisi Hierusalem quae in caelo est, in qua regnum Dei? Bona haec possessio, quae fructus perpetuos facit. Bona possessio, quae non hic relinquatur, sed illic possidetur. In hac possessione qui fuerit dicit: Portio mea dominus. Non dicit, portio mea ab illis vsque ad illos porrecta & diffusa terminos. Non dicit, portio mea inter illos vicinos, nisi forte inter apostolos, inter prophetas, inter sanctos dei. haec est enim iusti portio. Non dicit, portio mea in pratis, non in syluis, non in campis, nisi forte in campis syluae, in quibus inuenitur ecclesia, de qua scriptum est: Inuenimus eam in campis syluae. Non dicit, portio mea greges equorum. Mendax enim equus ad salutem. Non dicit, portio mea armenta bouum, asini, oues, nisi forte inter illa enumerat arma quae agnoscunt possessorem suum, & in illa asina vult consortium habere quae non refugit praesepe Christi. Et illa ouis sibi portio est, quae ad immolandum ducta est, & ille agnus coram tondente se sine voce qui non aperuit os suum, cuius in humilitate iudicium exaltatum est. Bene ait, Coram tondente, qui superflua non propria in illa deposuit cruce, qui corpus exiit, non diuinitatem amisit. Non quicumque ergo dicit, Portio mea Dominus: Non avarus dicit, quia venit auaritia, & dicit: Mea portio es, ego te subditum habui, mihi seruisti, mihi te in illo auro vendidisti, mihi te in illa possessione adiudicasti. Non dicit luxuriosus portio mea Christus: quia venit luxuria, & dicit: Mea portio es, ego te in illo mihi mancipauit conuiuio, illis cepi epularum retibus, ego te additum teneo gulae tuae chirographo. An ignoras quia carius tibi fuit mensura tua quam vitae precium? Tuo te iudicio reuincio, nega si potes, sed negare non potes. Denique nihil ad vitam referuasti, totum ad mesam expendisti. Non potest dicere adulter, portio mea Dominus: quia venit libido: & dicit: Ego sum tibi portio, mihi te in illius adolescentulae addixisti amore, in illius nocte meretricis in meas leges, in mea iura migrasti. Non dicit proditor, portio mea Christus: quia statim irruit in eum nequitia mali, & dicit: Fallit te Domine Iesu, meus est iste. Habemus exemplum quia cum Iudas panem a Christo accepisset, immisit se in cor eius diabolus quasi possessionem suam vindicans, quasi portionis suae ius retinens, quasi dicens: Non est tuus iste, sed meus, meus certe minister, tuus proditor, meus plane iste est: denique tecum recumbit, & mihi seruit: tecum epulatur, & mecum pascitur. A te panem accepit, a me pecuniam. Tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit. Quam vera diceret, probauit. Denique Christus recessit ab eo, ipse quoque Iudas reliquit Iesum sequutus diabolum. Quamultos dominos habet qui vnum refugerit. Sed nos non refugiamus. Quis refugiat eum quem sequuntur alligati vinculis, sed vinculis voluntariis quem soluunt non alligat, quibus vinculi vinculis gloriantur dicentes: Paulus vincus Iesu Christi, & Timotheus? Gloriosus ab hoc stringimur, quam ab aliis absolui mur & relaxamur. Quis igitur fugiat pacem? quis fugiat salutem? quis fugiat misericordiam? quis fugiat redemptionem? Videtis filij quales euaserint qui haec secuti sunt, quomodo operentur defuncti. Quarum virtutum laudem miramur, earum studeamus ad-

psalm. 118.

psalm. 131. psalm. 32.

psalm. 1.

psalm. 53.

ad Philem.

apisci industriam: & quas praedicamus in aliis, eas in nobis taciti recognoscamus. Nihil molliculum, nihil infractum ad laudem peruenit. Regnum caelorum cogitur, & cogentes diripiunt illud. Festinantes patres agnum manducabant. Festina est fides, alacris deuotio, spes impigra, contradictiones animi non amat, sed traductionem ab infructuoso ocio ad fructum laborum. Quid in craftinum differes? Potes & hodiernum diem lucrari. Cauendum est enim ne & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel horae vnius, & vna hora totius vitae portio est. Sunt iuuenes qui cito volunt ad senectutem peruenire, ne subiaceant diuitius seniorum arbitrio. Sunt etiam senes qui velint si possint ad iuuentutem redire. Quorum studium neutrum probo, quia iuuenes fastidiosi praesentium quasi ingrati mutationem viuendi requirunt, senes dilationem, cum possit & iuuenta senescere moribus, & senectus virere operibus. Neque enim emendationem morum magis aetas affert quam disciplina. Quanto ergo magis nos oportet spem attollere ad regnum Dei, vitae vbi nouitas, vbi gratiae erit non aetatis commutatio. Non ocio, non somno merces paratur. Nullum opus dormientis est, nullus fructus ocij ino magis dispendium. Ociosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere quam quaerere. Laboriosus Iacob apud vtrumque parentem inuenit gratiam. Et tamen cum superior esset Iacob virtute & gratia, celsit fratris indignationi, qui sibi praetatum fratrem iuniorem dolebat. Ideo scriptum est: Date locum irae, ne alterius indignatio te quoque in peccatum trahat, dum vis resistere, dum vis vindicari. Potes & ab illo & a te remouere culpam, si cedendum putes. Imitare patriarcham, qui de consilio matris longinqua petiit. Et cuius matris? Rebecca vtrique, hoc est patientiae. Cuius enim nisi patientiae hoc consilium esse poterat? Amabat mater contra affectum pij amoris dimitti filium. Maluit enim sibi cum exulare quam Deo. Et ideo quia bona mater, vtrique detulit, iuniori filio benedictionem quam conseruare poterat. Non enim filium filio, sed impigrum ocioso praetulit, fidelem infido. Sed etiam filio ipsi seniori non parum contulit amando minorem filium, ne parricidium faceret. Itaque quoniam ob pietatem non propter improbitatem exulabat a parentibus, loquebatur cum Deo, augebatur censu, liberis, gratia. Neque his tamen elatus est cum fratri occurreret, sed humiliatus adorauit non vtrique illum imitem, illum furibundum, illum degenerem, sed eum quem in fratre considerabat, ideoque adorauit septies, numero scilicet remissionis, quia non hominem adorabat, sed eum, quem in carne hominis esse venturum praeuidebat spiritu, vt tolleret peccata mundi. Quod tibi ex Petri responsione aperitur mysterium, dicente eo: Si peccauerit in me frater meus, quoties remittat ei? vsque septies? Vides quoniam peccatorum remissio, typus erat illius magni sabbati, illius quietis perpetuae gratiae, & ideo contemplatione donatur. Sed quid sibi vult quod & uxores, & filios, & omnes disposuit suos, & praecipit vt & ipsi adorarent super terram? Non vtrique vt elementum

Matth. 11.

Gene. 52.

Rom. 12.

Matth. 18.

quod plerunque repletur sanguine, in quo officina G
est scelerum, aut vastis plerunque horret cautibus,
aut præruptis rupibus, aut sterili & ieiunio solo, sed
vt carnem præsidio nobis futuram. Et fortasse hoc
illud est mysterium quod edocuit Dominus dicens:
Non solum septies, sed septuagies septies. Et vos
igitur donate iniurias vestras, vt sitis filij Iacob. No-
lite exasperari sicut Elau. Imitamini sanctum Dauid,
qui tanquam bonus magister reliquit nobis quod
imitaremur, dicens: Pro eo vt diligenter me, detra-
hebant mihi, ego autem orabam: & cum maledi-
cetur, orabat. Bonum scutum oratio, qua contu-
melia excluditur, maledictum repellitur, & in ipsos
qui maledixerunt, frequenter retorquetur, vt suo
telo vulnerentur. Maledicens, inquit, & tu benedi-
ces. Ambienda hominum maledictio, quæ acqui-
rit dominicam benedictionem. Quod superest cha-
rissimi, considerate quia Iesus extra portam passus
est, & vos egredimini de hac terrena ciuitate, quia
ciuitas vestra superior est Hierusalem: ibi conuerfa-
mini, vt dicatis: Nostra autem conuersatio in cœ-
lis est. Ideo Iesus exiit de ciuitate, vt vos exeun-
tes de hoc mundo supra mundum sitis. Moyses solus
qui Deum videbat, extra castra habebat taberna-
culum quando loquebatur cum Deo: & hostiarum
quæ pro peccato fiebant, sanguis quidem altaribus
inferebatur, corpora autem extra castra combure-
bantur, quia nemo intra mundi huius vitia positus
peccatum deponit, nec sanguis eius acceptus est
Deo, nisi de corporis huius exeat inquinamento.
Hospitalitatem diligite, per quam sanctus Abra-
ham inuenit gratiam. Hospitio suscipere filium Sa-
ra meruit effœta iam senectute. Loth quoque So-
domitani excidij euasit ignem, & tu potes suscipere
angelos, si aduenientibus * officium tuum offeras.
Quid de Raab dicam quæ hoc munere inuenit salu-
tem? Compatimini iis qui alligati tenentur vinculis,
tanquam simul alligati. Consolamini in luctu positos,
melius est enim ire in domum luctus, quam in do-
mum gaudij. Illinc officij meritum boni, hinc vitiũ
lapsus refertur. Postremò illinc mercedem speras,
hic recepisti. Sentite laborantibus tanquam simul
laborantes. Mulier viro deferat, non seruiat: regen-
dam se præbeat, non coercendam. Indigna est con-
iugio, quæ digna est iurgio. Vir quoque vxorẽ tan-
quam gubernator dirigat, tanquam consortem vitæ
honoret, participet vt cohæredi gratiæ. Matres a-
blactate filios, diligite eos, & orate pro iis vt longè
ui super terram sint: non in terra, sed super terram.
Nihil enim longævum in hac terra, & quod est diu,
breue est, & magis lubricum. Monete eos vt magis
crucem Domini tollant, quam hanc vitam diligant.
Maria mater Domini ante crucem filij stabat. Nul-
lus me hoc docuit, nisi sanctus Ioannes euangelista.
Mundum alij concussum in passione Domini con-
scripserunt, cœlum tenebris obductum, refugisse
solem, in paradysum Latronem, sed post piam con-
fessionem, receptum Ioannes docuit, quod alij nõ
docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrẽ
appellauerit. Pluris putatur quod victor suppliciorũ
pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnũ
cœleste donabat vitæ æternæ. Nã si religiosum est
quod Latroni donatur venia, multò vberioris pie-

tatis est quod à filio mater tanto affectu honoratur.
Ecce, inquit, filius tuus: Ecce mater tua. Testabatur
de Cruce Christus, & inter matrem atque discipu-
lum diuidebat pietatis officia. Condebat Dominus
non solum publicum, sed etiam domesticum testa-
mentum: & hoc eius testamentum signabat Ioan-
nes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamen-
tum non pecuniæ, sed vitæ æternæ, quod non atra-
mento scriptũ est, sed spiritu Dei viui, qui ait: Lin-
gua mea calamus scribẽ velociter scribẽtis. Sed Ma-
ria nec minor quam matrem Christi decebat, fu-
gientibus apostolis ante crucem stabat, & piis spe-
ctabat oculis filij vulnera: quia expectabat non pi-
gnoris mortem, sed mundi salutẽ. Aut fortasse quia
cognouerat per filij mortem mundi redẽptionem,
aula regalis etiã sua morte putabat se aliquid publi-
co addituram muneri. Sed Iesus nõ egebat adiuto-
re ad redemptionem omnium qui omnes sine adiu-
tore seruauit. Vnde & dicit: Factus sum sicut homo
sine adiutorio, inter mortuos liber. Suscepit quidẽ
affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxiliũ.
I Hãc imitamini matres sanctæ, quæ in vnico filio di-
lectissimo tantum maternę virtutis exemplum edi-
dit. Neque enim vos dulciores liberos habetis, ne-
que illud virgo quærebat solatium, quod alium pos-
set generare filiũ. Domini seruis imperate quasi cõ-
ditione subditis, sed ita vt naturæ eiusdẽ cuius vos
estis, consortes esse eos memineritis. Serui quoque
Dominis seruite cum voluntate. Etenim vnusquis-
que quod natus est, patienter debet suscipere. Nec
solum bonis sed etiam asperioribus obedite Domi-
nis. Nam quæ est vestræ seruitutis gratia si bonis
seruiatis sedulo? Sed si etiam asperos promercami-
ni. Nam liberi quoque nullam habent mercedem
si peccantes pñiãtur à iudicibus, sed illa merces est
si etiam non peccantes. Et vos ergo contemplatio-
ne Domini Iesu etiam si difficilibus seruiatis domi-
nis cum patientia, mercedem habebitis. Siquidem
ipse Dominus iustus ab iniustis passus est, & patien-
tia mirabili peccata nostra suę atfixit cruci, vt qui il-
lum imitatus fuerit, peccata sua sanguine suo diluat.
Ad summam, conuertimini omnes ad Dominum
Iesum. Sit in vobis vitæ huius delectatio in bona
conscientia, patientia mortis cum spe immortalita-
tis, confirmatio resurrectionis cum Christi gratia,
veritas cum simplicitate, fides cum cõfidentia, ab-
stinencia cum sanctitate, industria cum sobrietate,
conuersatio cum modestia, eruditio sine vanita-
te, sobrietas doctrinæ fidelis sine hæresis temu-
lencia.

*Diui Ambrosij ad episcopos per Æmiliam constitutos, eos
de celebritate paschali instruentis.*

EPISTOLA LXXXIII.

Dominis fratribus dilectissimis episcopis per
Æmiliam constitutis Ambrosius episcopus.
Nno mediocris esse sapientiæ diem celebritatis
definire paschalis, & scriptura diuina nos in-
struit, & traditio maiorum: qui conuenientes ad
synodum Nicenam, inter illa fidẽi vt vera ita ad-
miranda decreta, etiam super celebritate memo-
rata

rata, congregatis peritissimis calculandi, decem &
nouem annorum collegere rationem, & quasi quẽ-
dam constituere circulum ex quo exemplum in an-
nos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneade-
caterida nuncupauerunt, sequentes illud, quod nõ
debeamus vana quadam opinione super celebra-
te huiusmodi fluctuare, sed vera ratione comperta
ita omnium concurrat affectio, vt vna nocte vbiq;
sacrificium pro resurrectione Domini deferatur.
Domini fratres dilectissimi eò vsque à vero nos de-
uiare non conuenit, nec vago ingenio discrepare, vt
quædam necessitas celebritatis huius omnibus sit
imposita Christianis: quando quidem ipse Domi-
nus eum elegit diem quo pascha celebraret, qui cũ
obseruantia veræ ratione concurrat. Scriptum est
enim: Venit autem dies in qua necesse erat pascha
immolari, & misit Petrum & Ioannẽ dicens: Eun-
tes ite parate nobis pascha, vt manducemus. At illi
dixerunt: Vbi vis paremus? Et dixit ad illos: Ecce
introeuntibus vobis in ciuitatem occurret homo
amphoram aquæ portans: sequimini eum in domũ
in quam intrat, & dicetis patrifamilias: Dicit tibi
magister, Vbi est diuerforium vbi pascha cum disci-
pulis manducem? Ipse vobis ostendet in superiori-
bus locum magnum. Ibi parate. Aduertimus igitur
quod nõ ad terrena descendere, sed in superioribus
locum magnum stratũ quærere debeamus, vt Do-
mini pascha celebremus. Abluere etiam sensus no-
stros quadam spiritali aqua fontis æterni, & deu-
tæ celebritatis tenere mensuram, nec opinione vul-
gari dies quosdam explorare lunares, cũ Apostolus
dicat: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & an-
nos: timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Nã
incipit esse contrarium. Sed aliud est obseruare gẽ-
tilitio more, vt qua luna quid adoriendum sit iudi-
ces, vt puta quintam esse fugiendam, nihilque ea in-
choandum. Varios quoque cursus lunæ obeundis
negociis cõmendare, vel cauere quosdã dies, quẽ-
admodum plerique pastores dies vel Ægyptiacos
declinare consueverunt. Aliud est enim obseruantiam
religiøsæ mentis intẽdere in eum diem de quo scri-
ptum est: Hic est dies quem fecit Dominus. Nam
etsi scriptum sit quod pascha Domini quartodeci-
mo die mensis primi celebrari debeat, & verẽ quart-
adecimam lunam ad celebrandum dominicę feri-
em passionis inquirere debeamus: tamen ex hoc
possumus intelligere quod ad huiusmodi solẽnita-
tem vel ecclesiæ perfectio, vel claræ fidei plenitudo
quærat, sicut dixit propheta cum loqueretur de
filio Dei: Quia sedes eius sicut sol in conspectu meo,
& sicut luna perfecta in æternum manebit. Inde est
quod ipse Dominus cũ opera in terris mirãda fe-
cisset, quasi iam fundata humanarum mētium fide,
tempus passionis esse memorauit dicens: Pater, ve-
nit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clari-
ficet te. Hanc enim celebrandæ passionis claritudi-
nem quæsitam alibi docet dicens. Ite, dicite illi vul-
pi: Ecce eiicio dæmonia hodie, & cras sanitates per-
ficio, & sequenti consummor die. His vtique con-
summatur Iesus qui incipiunt esse perfecti, vt pleni-
tudinẽ diuinitatis & redẽptionis eius fide sua cre-
dant. Ergo & diem & horam exquirimus, vt scri-

Apertura nos instruit. Propheta etiam Dauid dicit: Tẽ-
pus faciendi Domine, petẽs accipere sensum ad co-
gnoscenda Domini testimonia. Ecclesiastes ait: O-
mi rei tempus. Hieremias clamat: Turtur & hiron-
do, agri passeret agnouerunt tempora introitus sui.
Quid autem euidentius quam de passione Domini
dictum videri, Agnouit bos possessorem suum & a-
sinus præsepe Domini sui? Agnoscamus ergo hoc
præsepe Domini, in quo alimur, pascimur & refici-
mur. Hoc igitur tẽpus præcipue scire debemus, quo
per vniuersum orbem consona sacrę noctis funda-
tur oratio, quia & tempore commendantur preces,
sicut scriptum est. Tempore accepto exaudiui te, &
in die salutis adiuui te. Hoc est tempus de quo Apo-
stolus dixit: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce
nunc dies salutis. Vnde necesse fuit, quia etiam post
Ægyptiorũ supputationes, & Alexandrinæ eccle-
siæ definitionem, Episcopi quoque Romanæ eccle-
siæ per literas plerique meam adhuc expectant sen-
tentiam, quid existimem scribere de die paschæ.
C Nam licet futuri diei paschæ inciderit quæstio, ta-
mẽ etiã in reliquum quid tenendum videatur ape-
rimus, si qua quæstio talis incurrerit. Duo autẽ sunt
obseruanda in solennitate paschæ, quartadecima
luna, & primus mensis, qui dicitur nouorum. Ita-
que ne à veteri testamento videamur discedere, i-
psum de paschæ celebrandæ die capitulum recen-
seamus. Monet Moyses populum dicens custodien-
dum mensem nouorum, cum primum esse mensem
prædicans. Ait enim: Hic mensis vobis principium
mensium, primus in mensibus anni, & facies pascha
Domino Deo tuo quartadecima die mensis primi.
Lex nempe per Moysen data est, gratia autẽ & veri-
tas per Iesum christũ facta est. Ipse ergo qui legẽ lo-
cutus est, postea veniens per virginem nouissimis
temporibus plenitudinem legis consummauit, quia
venit non legem soluere sed implere, & celebrauit
pascha hebdomadæ in qua fuit quartadecima luna,
quinta feria. Denique ipsa die (sicut superiora do-
cent) pascha cum discipulis manducauit. Sequenti
autẽ die, hoc est sexta feria, crucifixus est, luna quin-
ta decima. Sabbato quoque magno illo sextadeci-
ma fuit. Ac per hoc septimadecima luna resurrexit à
mortuis. Vnde hæc lex paschæ nobis seruanda est,
vt non quartamdecimam obseruemus in die resur-
rectionis, sed in die magis passionis, aut certẽ aliis
proximis superioribus diebus. Quia resurrectionis
celebritas die dominica celebratur, dominica au-
tem ieiunare non possumus, quia Manichæos etiã
ob istius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est e-
nim in resurrectionem Christi non credere, si legẽ
quis ieiunij die resurrectionis indicat, cum lex di-
cat pascha edendum cum amaritudine, hoc est cũ
dolore, quod tanto sacrilegio hominum author
salutis sit interemptus. Die autem dominica exul-
tandum propheta docet dicens: Hic est dies quem
fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. Ergo
non solum passionis diem, sed etiam resurrectionis
obseruari oportet à nobis, vt habeamus & amari-
tudinis & lætitiæ diẽ. illa ieiunem, ista reficiamur,
Vnde si inciderit, sicut futurũ est proximẽ, quartade-
cima luna mensis primi die dominica, quia neque

dominica ieiunare debemus, neque tertiadecima G luna die sabati incidente ieiunium soluere, quod maximè die passionis est exhibendū, in altera hebdomada celebratas pasche est differenda. Siquidem sequitur quinta decima luna qua passus est Christus, & erit secunda feria: tertia quoque feria erit sexta decima luna, qua Domini caro in sepulchro quicuit, cum quarta etiam feria septimadecima luna futura sit, qua dominus resurrexit. Cum igitur triduū illud sacrum in hebdomadam proximè concurrat vltimam, intra quod triduum & passus est, & quicuit, & resurrexit, de quo triduo ait: Soluite hoc tēplū, & in triduo resuscitabo illud: quid nobis potest molestiam dubitationis afferre? Nam si ea res scrupulum mouet, quia quartadecima luna nō celebramus ipsum diem vel passionis, vel resurrectionis, ipse Dominus nō quartadecima luna passus est, sed quintadecima, & septimadecima resurrexit. Quod si mouet quia quartadecimam lunam trāseunt, quæ die dominica incidit hoc est quarto decimo kalendas Maij, sequenti dominica instaurandam celebratam suademus, authoritas extat huiusmodi. Nam temporibus paulo superioribus cū incidisset quartadecima luna mēsis primi in dominicā diem, sequenti altera dominica celebrata solēnitatis est. Octogesimo autem anno & nonagesimo tertio, ex die imperij Diocletiani, cum quartadecima luna esset nono kalendas Aprilis, nos celebrauimus pascha pridie kalendas aprilis. Alexandrini quoque & Ægyptij, vt ipsi scripserunt, cum incidisset quartadecima luna & vigesimo & octauo die Pharmutij mensis celebrauerunt pascha quinta die Pharmutij mēsis, quæ est pridie kalendas Aprilis, ac sic conuenere nobiscum. Rursus nonagesimo & tertio anno à die imperij Diocletiani, cum incidisset quartadecima luna in quartumdecimum diem Pharmutij mensis, quæ est quinto Idus Aprilis, quæ erat dominica die, celebratum est pascha dominica Pharmutij vigesimo & primo die, qui fuit secundum nos quintodecimo kalendas Maij. Vnde cum & ratio sit & exemplum, nihil super hoc mouere nos debet. Nūc illud est, quod enodandum videtur, quia plerique putāt secundo mense nos celebraturos pascha, cum scriptum sit: Custodi primum mensem nouorum: quod non potest incidere vt præter mensem nouorum pascha celebrent, nisi qui quartadecimam ita obseruant secundum literam, vt non alio nisi ipso celebrent die. Denique in futurum Iudæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt pascha, hoc est tertio kalendas Aprilis secundum nos: secundū Ægyptios autem vigesimo quarto die Phamenoth mensis, qui est nō primus mensis, sed duodecimus, & incipit sexto kalendas Aprilis, & finitur septimo kalendas Maij. Ergo secundū Ægyptios primo mēse celebraturi sumus dominicam paschæ, hoc est septimo kalendas Maij, qui est dies trigessimus Pharmutij mensis. Nec absurdum arbitror vt inde obseruandi mensis trahamus exemplum, vbi primum pascha celebratū est. Vnde & maiores nostri in tractatu cōcilij Nicēni eum diem endecateride, si quis diligenter intendat, statuendum putarunt, & ipsum mensem nouorum rectè custodierunt, quia in Æ-

gypto hoc primo mense noua secantur frumenta. Hic autem mensis & primus est secundum Ægyptiorum prouentus, & primus secundum legem, & octauus est secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit. Octauo igitur mense kalendæ Aprilis sunt. Incipit autem mensis non secundum vulgarem vsū, sed secundum consuetudinem peritorum ab æquinoctio, qui dies est duodecimo kalendas Aprilis, & finitur vndecimo kalendas Maij. Inde maximè intra hos triginta & vnum dies sæpe celebrati paschæ dies. Sed cum ante biennium celebrauerimus paschæ dominicā vndecimo kalendas Maij, hoc est trigesimo die mēsis, secundum nostram scilicet calculationem, moueri nō debemus si & proximè trigesimo die Pharmutij mēsis celebraturi sumus paschæ dominicam. Verum si quis mensem secundum inde existimat, quia post triduum completi mensis qui compleri videtur vndecimo kalendas Maij, paschæ dominica erit: illud consideret, quia quartadecima luna quæ quæritur, quartodecimo kalendas Maij erit, hoc est intra præscriptum mensis numerum. Lex autem diē passionis exigit intra primum nouorum debere celebrari. Satisfactum est igitur secundum plenitudinem lunæ, cui ad complendum mensem supersunt tres alij dies. Non ergo in alterum mensem recidit, quando intra eundem mensem qui primus est, pascha celebrabitur. Ad literam autem nos teneri non oportere (licet consuetudo celebrandi pascha ipsa nos instruat) tamen & Apostolus docet, qui ait: Pascha nostrum immolatus est Christus. Sed & proposita lectio docet literam nō consequendam. Sic enim habes, Et facies pascha Domino Deo tuo quartodecimo die mēsis primi. Diē pro luna dicit. Vnde peritissimi quoque secundum legem lunari cursu computant mensem, & ideo cū à pluribus nonis lunæ eursus incipiat, hoc est, dies primus, vides nonas Maij adhuc ad mensem primū nouorum computari posse. Ergo & iuxta legis sententiam primus hic mensis est. Denique μῆνας lunam vocant Græci, vnde μῆνας Græci dicunt menses, & naturalis vsus nationum exterarum lunam pro diebus appellat. Alium autem diem passionis, alium resurrectionis celebrandum, veteris quoque testamenti series ostendit. Sic enim habes: Agnus sine macula mundus consummatus anniculus masculus erit vobis, ab ouibus & hœdis sumetis, & erit vobis in obseruatione vsque in quartadecimam mensis huius, & occidetis illum tota multitudo synagogæ filiorum Israel ad vesperum, & sument de sanguine eius, & ponent super duos postes, & super limen ostij domus, in quibus manducabunt eum inter semetipsos: manducabunt carnem hanc noctu igni assam. Et infra: Et edetis illum cum sollicitudine paschæ. Pascha est enim Domini, & pertransibo in terram Ægyptiorū in nocte illa, & percutiam omne primitiuū in Ægypto ab homine vsque ad pecus, & in omni terra Ægypti faciam vindictam ego Dominus. Et erit vobis sanguis in signo in domibus, in quibus eritis ibi, & videbo sanguinē, & protegam vos, & nō erit in vobis plaga exterminij, & cōterā terrā ægypti, & erit dies hic vobis memoria-

1. Ion. 8.

Exod. 12.

1. Cor. 4. Exod. 11.

ibidem.

1. Ion. 2.

Exod. 12.

1. Cor. 11.

1. Ion. 140.

1. Cor. 5.

morabilis & solemnus, & diem festum ageris eum A Domino in progenies vestras, legitimum sempiternum, diem festum ageris illum. Aduertimus & passionis diem descriptum in ieiunio, quia ad vesperū occidendus est agnus, licet vltimum tempus pro vespere possimus accipere, secundum Ioannem qui ait: Pueri, nouissima hora est. Sed & iuxta mysteriū vespere dici constat occisum, quando tenebræ statim factæ sunt: & ieiunium deferendum eo die verum est, quia ita edetis illum cum sollicitudine. Ieiunantibus enim sollicitudo adhæret. Resurrectionis autē die exultatio refectio est atque lætitiæ, quo die videtur exisse populus ex Ægypto, primitiuus Ægyptiorū necatis, quod posteriora euidentius docent, quibus ait scriptura: Quia postquam fecerunt Iudæi pascha, sicut præcepit Moyses, factum est circa mediam noctem, & Dominus percussit omnem primitiuum in terra Ægypti à primitiuo Pharaonis. Et vocauit Pharaon Moysen & Aaron nocte, & dixit illis: Surge & exite de populo meo, & vos & filij Israël ite & seruite Domino Deo vestro. Et vrgebat Ægyptij populum festinantes quàm celerrimè expellere. Denique sic profecti sunt Israhelitæ, vt non occurreret sibi azyma fermentare. Eiecerunt enim eos Ægyptij, & non potuerunt sustinere, apparatus sibi fecerāt in viam. Reseratum est igitur diem resurrectionis obseruandum post dies passionis. Qui dies resurrectionis non quartadecima luna debet esse, sed postea, vt vetus loquitur testamentum, quia dies resurrectionis is, cum egrediens populus de Ægypto in mari & in nube baptizatus, vt Apostolus dicit, mortem vicit, panem spiritualem accipiens, & potum de petra hauriens spiritualem. Nec passionem Domini die Dominica posse celebrari, etiam si quartadecima luna in Dominicam incidit, adiungendam hebdomadam alteram, sicut & septuagesimo sexto anno die imperij Diocletiani factum est. Nam tunc vigesimo octauo die Pharmutij mensis, qui est septimo kalendas Maij, Dominicam Paschæ celebrauimus sine vlla dubitatione maiorum. Simul etiam lunæ cursus & ratio suffragatur, quoniā vigesima prima luna proximum Pascha celebrandum est. Nam vsque ad vigesimam primam lunam consuevit extendi. Ergo cum tot veritatis indicia concurrant, iuxta maiorum exempla festum publicæ salutis læti exultantēque celebremus, postes nostros vbi est ostium verbi quod sibi Apostolus optat aperiri, fide passionis Dominicæ colorantes. De hoc ostio dicit etiam Dauid: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circuitus labijs meis, vt nihil aliud nisi sanguinē Christi loquamur, quo mortem vicimus, quo redempti sumus. Fragret in nobis odor Christi. Ipsum audiamus, in illum & mentis & corporis oculos dirigamus, opera eius mirantes, beneficia prædicantes, super limen ostij nostri sacre redemptionis confessio resplendat. Summus feruenti spiritu sacramentum in azymis sinceritatis & veritatis, pia doctrina gloriam Patris, & Filij, & Spiritus maiestatem indiuiduam concinentes.

Diui Ambrosij ad sacram virginem Demetriadem, magnis præconijs veram humilitatem exaltantis, aduer-

sanctemque illi superbiam digna vituperatione confundentis, ac per hoc ipsam ad elationem cauendam, & præsidio sinceræ humilitatis armandam, persuadentis.

Epistola LXXXIII.

Ambrosius episcopus sacre virgini Demetriadem. Cum splendidissimæ sanctimonie tuæ sublimi proposito super humilitatis fundamenta consistere piè & sapienter intelligis, in hoc vsque, o sacra virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclinas, vt prouectiones tuas etiam meo stylo exigas adiuuari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ respiciens, omnibus modis recusarem, neque tam maturo & erudito animo cohortatiunculas meas adhibere præsumerem, nisi fiduciam efficiendi id quod iubetur, à iubente conciperem, & tuis meritis atque orationibus considerem esse præstandum vt oriatur in deserto aqua, & sient in sicca terra flumina. Vnde collaborandum tibi mecum est, vt qui sapientiam præstat paruulis, & linguas mutorum facit disertas, iubeat de cordis mei ariditate profluere quod sitis tua dignè possit haurire. Quæ ergo materia stylo dabitur, & vnde loquendi tecum causa sumetur? Si laudes tuas scribere aggrediar, & maiorum seriem quæ per te multum illustratur, euoluam, onerosum me fortè & impudentem videri posse arbitror, qui vel humanæ tibi gloriæ tentationem adulando ingeram, vel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par esse præsumam. Si verò de commendando virginitatis bono disseram, superflua erit eius nunc propositi insinuatio, quod tu à primo atatis tuæ flore sine humanis cohortationibus elegisti, & de quo inter ipsa principia multi qui tunc in ecclesia præeminebant, meritò non siluerunt. Valdè enim mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum, quòd virgo Anicia super omnes fastigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fecunditate auis atque atavis responsura posteritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ, conuerso repente animo, desiderio cœlestium nuptiarum declinasti mortale coniugium. Et vt omnem profapiam tuam etiam huius virtutis titulo consecrasses, primam stirpis tuæ perpetuam & virginem filio virginis spondidisti. Illam ergo ætatem tuam, & illa principia rationabiliter doctissimi viri suis adhortationibus incitarunt. Et licet plantationi suæ summus agricola valida ad profectum tuum incrementa præberet, cooperatores tamen gratiæ Dei opportuna piam adhibuere culturam, vt germen tenerum fortitudinis robur acciperet, & dignos generositate sua fructus propositi tui arbor afferret. Nostri autem paginis quid erit loci, & post ornatissima scripta excellentium magistrorum quid vtilitatis in eo quem indicere dignata es sermone reperies, nisi fortè quia & illorum in doctrinis, & tuis studiis ad sublimiores gradus virtutum consuetudo proficit, cauendam te elationis admoneam, & humilitatis tibi sinceritatem fida suggestione commendem, vt in omnibus actionibus in quibus tibi es bene conscia, nunquam audeas esse secura? De hoc igitur con-

Psal. 104. Ibidem 18. Sap. 104.

gruentissimo tibi & saluberrimo bono quod Dominus donauerit, differamus, vt inspectioni nostrae non tantum visibilia eius, sed etiam occulta referatur. Est enim multiplex virtutis istius qualitas, & licet in exterioribus quoque pulchra sit, in intimis tamen suis multo est speciosior, multoque luculentior, vbi nihil obscurum, nihil turbidum, nihil est inquietum: quia pax multa diligentibus legem Dei, & non est illis scandalum. Accessuri autem ad beatam humilitatis intuitum, omnem illam obiectionem quae ignauos & inconstantes animos deprimit, repellamus. Nec generale nomen ita nos a iudicio discretionis excludat, vt omnes quoquomodo humiles putemus esse laudabiles. Imitatur quidem plerumque necessitas voluntatem, & ab imagine modestiae parum differt forma segnitiae: sed aliud est quod grauat, aliud quod exercet, nec in eundem finem venit labor indeclinabilis miseriae, & expetita fortitudo patientiae. Vnum est paupertatis vocabulum, sed non vna mens pauperum: quia non idem est gaudere bene expensis diuitiis, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam de quo Deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio. Sed aliud est timere quia peccaueris, aliud timere ne pecces. Et ibi est formido de superlicio, hic sollicitudo de praemio. Ob hoc enim de illo seruuli metu dicitur quia perfecta charitas foras mittit timorem. De hoc vero liberali: Timor Domini sanctus manens in seculum seculi. Remota itaque illa specie humilitatis, quae tota sine fructu est, voluntarios tantum pendamus affectus. Qui etiam si in gradibus meritorum inueniuntur impares, non sunt tamen ab ipsa virtute discordes. Prima ergo humilitatis ratio in communis vitae versatur officiis, quibus & diuina clementia conciliatur, & societas humana connectitur. Multum enim ad roborandum dilectionem valet, cum secundum doctrinam Apostolicam inuicem se homines honore praue- niunt, & alter alterum superiorem existimantes, amant seruire subiecti, & nesciunt timere praelati: cum & pauper diuitem non sibi dubitat anteferre, & diues pauperem sibi gaudeat aequare, cum & sublimes non superbiunt de claritate profapiae, & pauperes non extolluntur de communione naturae. Cum denique non plus tribuitur magnis opibus, quam bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia, quam rectorum inhonora iustitia. Ab hoc aequo & modesto iure concordiae, in quo nullum est de gradu superiore certamen, nec foelicitas aut inflat propria, aut vrit aliena. Pulchre & mirabiliter a plerisque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quae & se extra omnem constituit dignitatem, & mauult apta esse iniuriis accipiendis, quam idonea repellendis: vt impleatur quod ait Dominus: Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Illud quod Apostolus docet dicens: Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Tales enim multum ad imitationem ipsius Domini nostri & Saluatoris accedunt, qui cum diues esset, pauper factus est: & cum malediceretur, non maledicebat, & percutienti se non commi-

nabatur. Et quoniam dixerat, Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt: vt huiusmodi beneuolentiam confirmaret exemplo, ipse pro iis a quibus crucifigebatur, orabat. Qui ergo fideliter & scienter intelligunt quo opere saluati, & quo precio sint redempti, nolunt de mundi huius sapientibus, nolunt esse de fortibus, quoniam sicut ait Apostolus: Quae stulta sunt mundi, elegit Deus vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus: & quae non sunt, vt ea quae sunt, destrueret: vt non gloriatur omnis caro in conspectu eius, id est, vt nemo se placere Deo per mundi sapientiam putet, quae tota carnalis est, & a vera sapientia cum omni sua vanitate destruitur. Dominus enim nouit cogitationes sapientium, quoniam vanae sunt. Cum itaque discipuli veritatis humanam gloriam fugiunt, & a temporalium amore deciscunt, vt quae Dei sunt sapiant, non quae hominum: proficiunt sensibus, non deficiunt, neque vigorem cordis amittunt, sed excellentissimam intelligentiam lumen accipiunt, viuentes quidem in hoc mundo, sed omnes mundi strepitus relinquentes, vt redimant tempus, quia dies mali sunt. Quo autem precio quies huius temporis aptus comparatur, quam vt ipsi mundo omnes diuitiae, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materiae refundantur, & sancto beatoque commercio ematur christiana libertas, fiantque filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, vt dilectores huius seculi putant parui cordis aut segnis est animi terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quaerere, vbi laudatur peccator in desiderijs animae suae, & qui iniqua gerit, benedicitur. Vnde si verè intelligatur, contemptus iste rerum praesentium ad quae tendat, & qualia concupiscat, nihil huiusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quae sacratissimis desiderijs vniuersa transcendunt, neque ad vllam creaturam quamuis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilibium & inuisibilibium ambiunt creatorem, cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui seruire regnare est. Sed haec virtus quae temporalis copiae & patientiae negligens ad vitam aeternam angusta & ardua mittitur, non debet voluntarios pauperes in consortium christianae humilitatis admittere, eos autem a societate boni huius excludere qui ampla praedia, magnifica patrimonialia, & multas in hoc seculo possident facultates, cum in populo Dei multi semper qui diuitiis bene vterentur extiterint, nec vlllo modo vel dici, vel cogitari liceat quod Abraham & Isaac & Iacob, quorum se esse Deum Dominus protestatus est, ideo vera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod vir sacratissimus Melchisedech, Domini & Saluatoris nostri praeferebat formam, non fuerit perfecte humilis, quia & sacerdotio eminebat & regno. Vel quod beato Iob, de quo Deus pronunciat dicens: Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & reclusus, & timens Deum, & recedens a malo: ideo virtus ista defuerit, quia erant (sicut scriptum est) in possessione eius septem milia ouium, & tria milia camelorum,

melorum, quingenta quoque iuga bouum, & quingentae afinae, ac familia multa nimis. Eratque vir ille magnus inter omnes orientales. Quasi tunc istius gratiae particeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis, vniuersa quoque familia filiisque priuatus, & percussus vulnere pessimo a planta pedis vsque ad verticem capitis, testa faniem radebat, sedens in stercore, ad imaginem elationis postmodum reuocatus est, quando corporis incolumitate renouata, septem rursus filiorum triumque filiarum factus est pater, & duplo in vniuersam substantiam est ditatus augmento. Absit autem ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, vt cuiquam sanctorum quibus Deus & diuitias est largitus & honores, ad capiendum verae humilitatis meritum credatur vel opulencia obfuisse vel dignitas, cum eis ad huius virtutis prouectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota vita hominis tentatio sit super terram, & tam abundantiam quam inopia materia soleant esse peccati, cum vel diues extollitur ad superbiam, vel pauper profilit ad querelam, extiterunt tamen in omni tempore, & in nostra quoque aetate non defunt sicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Nec frustra beatus Apostolus Paulus Timotheum admonet dicens: Diuitibus huius seculi praecipere non superbe sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facite tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Quod vtique fieri in vniuersa Ecclesia quae per totum mundum est diffusa, non dubium est, & pauperes Christi non eorum tantum facultatibus sustineri, qui vt expeditiores Dominum sequerentur, simul se omnibus suis opibus exuerunt, sed eidem operi etiam illorum substantias deseruire, qui possessionibus suis non aliter quam rebus pauperum praesint, vt Ecclesiasticae utilitati sub quadam procuracione famulentur, elaborantes singuli pro suarum virium portione vt ad victum atque vestitum familiae Dei necessaria conferantur, & simul prospicientes vt in domibus ipsorum sub iusto sanctoque moderamine omnes & benignitas foueat, & disciplina contineat, dicente Apostolo: Si quis autem suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Cum itaque Ecclesia Dei, quae est corpus Christi, ita sit multimoda varietate contexta, vt in vnum decorem etiam quae non sunt paria, concurrant, & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius aedificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati quod non defuerit portioni, tantaque ibi sit pax, tantaque concordia, vt non possit esse nisi omnium quod est etiam singulorum, indubitanter apparet copulatricem quandam esse virtutem, qua sibi confederatur & concinit multiplex sanctorum vnitas & speciosa diuersitas. Haec autem virtus vera humilitas est, quae inter quoslibet meritorum gradus nunquam sui potest esse dissimilis. Nam & in officiorum vicissitudine, & in mansuetudinis lenitate, & in voluntariae paupertatis electione, inuenitur multa distantia, & alter altero in proposito sui deuotione aut

maior aut minor est. In vera autem humilitate nihil diuisum, nihilque non solidum est, & ideo omnes participes suos vnum facit, quia inaequalitatem ipsa non recipit. Huius igitur boni proprietates in confessione est gratiae Dei, quae tota repellitur nisi tota suscipitur. Sicut enim alienus est a numero fidelium & a sorte sanctorum, qui in aliquo a catholica veritate dissentit: ita extra gratiam efficitur qui aliquid de eius plenitudine distinetur, quasi homo auxilio Dei in quadam actionum suarum parte egeat, in quadam autem parte non egeat, sitque vllum tempus, vllumve momentum quo perniciosum illi esse non possit, si ab eo Spiritus sanctus defuerit. Qui vtique secundum vere deitatis essentiam vbi que totus est, & omnia comprehendit, sed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos destiterit gubernare. Cessatio quippe auxilij eius pro absentia accipitur, quam sibi insanissimè vilem putat, qui in iis quae recte gesserit se magis quam Deum gaudet operatum. Plenè ergo & veraciter confitenda est gratia Dei, de cuius hoc primum munere est, vt auxilium ipsius sentiat. Propter quod dicit Apostolus: Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quae a Deo donata sunt nobis. Vnde si quis est qui aliqua se habere, existimat bona quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi author existat, manifestum est hunc non Dei spiritum habere sed mundi, & de illa secularis sapientiae timere doctrina, de qua dicit Dominus: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquistor huius seculi? nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, secundum quam (sicut ait Apostolus) quidam cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor inspiciens eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Videlicet qualis superbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui si quo modo ad cognitionem veritatis accesserint, suae hoc sapientiae tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur, tanquam Deum non Dei munere, sed proprii intellectus facultate cognouerint? Omnia quidem elementa mundi, & vniuersae creaturarum naturae, hoc ipsa sui exigunt specie, vt inuisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciantur: & in pulchritudine caeli & terrae quaedam sunt paginae ad omnium oculos semper patentes, & authorem suum nunquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum, & eloquia scripturarum. Sed quid illud est quo corporeorum sensuum exteriora pulsantur in agro cordis cui impenditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille summus & verus agricola potentiam sui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea quae sunt plantata perduxerit? Siue enim contemplatio creaturarum, siue sacrorum series voluminum, siue scientia differentium sincero & assiduo testimonio praedicet veritatem, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia commissa peccatum, nulla est grauior quam superbiorum ruina, maxime cum ipsa elatio in Dei tendit iniuriam. Nam aliter inflantur qui cupiditate

extollentia singularis omnibus appetunt anteferri, aliter vero intumescunt qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & spem suam à Domino auferunt, atque ad se transferunt, vt adimpleatur in eis quod scriptum est: Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius. Hæc superbia à diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua (quam à creatore acceperat) potentia & dignitate sibi placuit, seque authoris sui gloriæ comparauit, cum iis angelis quos in consensum impietatis suæ traxerat, à cœlesti sublimitate deiectus est. Et ideo primis hominibus nocere potuit, quia illis male credulis per mendacia vengnata persuasit vt meliores se futuros putarent si in libertatem sui arbitrij profilirent, quam si in legis datæ custodia permanerent. Siue itaque in lapsu diaboli, siue in præuacatione hominis, initium peccati superbia est: quæ congruenter & auaritia nominatur, quia vtraque appellatio eum significat appetitum qui & suam mensuram cõcupiscat excedere, & non dignetur diues esse nisi propriis, tãquam habeat hoc simile Deo, vt bonorum suorum ipse sibi fons, ipse sibi sit copia. Hæc autem elatio de peruerso vsu donorum Dei nascitur. Nam si conditor naturarum nulla pulchra, nulla sublimia naturis rationabilibus contulisset, vnde se extolleret non haberent. Nemo enim de iis quæ nõ accepit superbit, nec inflari quiscquam de eo potest quod à participatione eius alienum est. Nunquam gloriatur de sobrietate temulētus, neque de beneuolentia inuidus, aut de lenitate sæuus, vel de castitate extollitur impudicus. Ipsæ se à virtutibus vitia secernunt, & cum in peccatis agitur, non insita per naturam, sed ex mala voluntate concepta & propria diliguntur, quia sicut scriptum est: Mendax de proprio loquitur. Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilis vita ducitur, Dei est quod geritur, Dei est quod amatur. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Vnde quia inter vitia aut nulla est aut rara iactantia, & facile spernitur qui de opprobrio gloriatur: malum superbiæ maximè virtutibus est cauedum, quia nullis opportunius insidiatur quàm quibus laus iusta debetur. Cùm ergo per ineffabilem misericordiam Dei captiuus libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur, cùm in sacramento crucis & resurrectionis Christi ad nouitatem redit vetustas, & ad innocentiam regeneratur impietas, antiquus hostis malignus fremit, & acris inardescit: & cum innumeris nocedi artibus humanum genus nitatur euertere, serens discordias, incitans iras, acuens cupiditates, suadens turpia, falsa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus vitur de virtute stantium, quàm lætatur de fragilitate labentium. Multi enim seruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditan-

tes, crucifixerunt carnem suam cum desideriis & concupiscentiis, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt: non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam sublime propositum qua impugnatione diabolus posset a-

doriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio? Non itaque desidiolis & tepidis, neque inertibus & incultis, sed magis quibusdam animis sedulis & bonorum actuum probitate luculētis, per gloriam irrepit humanam: & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erant meritis, tantò eos aptiores suis inuenit insidiis. In paradiso namque Ecclesiæ constitutos, & virtutum deliciis abundantes ad confidentiam liberi incitauit arbitrij, vt profectus suos in se constituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præsumptionis extenderent. Restiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia corda sanctorum, & non solum docti quique pontifices, verumetiam vniuersales Ecclesiæ plebes Apostolicæ sedis exemplo infaniam noui dogmatis horruerunt: sed inuenerunt quosdam viperina consilia quibus doctrinæ suæ virus infunderent, & quorum linguam per dolos falsæ rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, & illæsa per omnes homines originalis defensio dignitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo posteris asserbatur nocuisse, non transitu: & quàm illi possibile fuerat non violare mandatum, tam liberum esse vnicuique declinare delictū. Hinc euacuatio baptismatis paruulorū, qui sola adoptione donari, nullo autem reatu dicerentur absolui. Hinc postremò diuinæ gratiæ simulata & insincera confessio, quæ secūdem merita daretur, non ex qua merita nascerentur: quam partem superbiæ prædicationis quidam sibi cū cætera abnuerent, seruauerunt. Sed hoc eos aut nimis imperitè aut valde nequiret fecisse non dubium est, vt omnium hominum generalem ruinam meritorum priuilegio subleuarent, & cū inter nostros originalis peccati vulnera faterentur, inter suos tamen hoc tenere ostenderent, quod primorum hominum præuacatio solis imitatoribus obfisset. Naturalem autem facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui possibile esset & liberum per voluntariam deuotionem promereri gratiæ largitatem. Verum istam damnati dogmatis portionē catholicæ mentes faciliè intelligunt, & merito detestantur: dicente enim Domino Iesu: Non est opus sanis medicus, sed malè habētibus. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores: conuincuntur isti in superbia etiam sine voce clamare: Sani sumus, opus medico non habemus. Quæ nobis expectanda sunt præsidia de ope gratiæ, quibus suppetunt vires de incolumitate naturæ? Non autem frustra Ioānes protestatur, & dicit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Nec frustra scriptum est: Nemo mundus à forde, nec infans cuius vnus dici vita est super terram. & Quis poterit facere mūdum de immundo conceptum semine? nõnne tu qui solus es? Propter quod sicut nunc in Ecclesia manet constitutio Saluatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: ita sacratissimè erat in lege præcautū vt natus puer nisi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo suo, nullum in hereditate Israël habitura consortiū. Quæ omnia & multò plura documenta non tanta cura sacris paginis

Hier. 17.

Ecles. 10.

Iean. 8.

Iacob. 1.

Gal. 5.

Matth. 9.

Ibidem.

Iean. 1.

Iob. 16.

Ibidem 14.

Iean. 3.

Spiritus sanctus inseruisset, si talis esset natura in filiis Adam, qualis in ipso est principaliter instituta. Sed quia filius Dei venit vt solueret opera diaboli, & vt quæreret ac saluaret quod perierat: manifestū est omnes in Adam damnationi obnoxios esse nascendo, nisi in Christo liberati fuerint renascendo. Vnde vigilanter nobis considerandum est, in ipso regenerationis munere quid geratur. Quāuis enim ad vnum concurrant omnes eiusdem mysterij portiones, aliud tamen est quod visibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebratur. Nec idem est in sacramento forma quod virtus, cum forma cum humani ministerij adhibeatur obsequio, virtus autem per diuini operis præstetur effectum. Ad cuius vtique potentiam referendum est quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura de veteri, vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati. De impiis iusti, de captiuus liberi, de filiis hominum fiunt filij Dei: qui nõ ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Quod quia indubitanter accipimus verissimum est quod Apostolus docet, dicens: Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij filij sunt Dei. Vnde videant cuius se haberi filios velint qui definerint omnes homines voluntate propria regi, cū idem Apostolus protestetur & dicat: Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Refutata igitur superbiorum impia vanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ in eis videntur laudanda vertuntur: nos illam humilitatem cui virtus & gloria Dei est eligamus, scientes prophetam David cecinisse de sanctis: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in tua iustitia exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Qui & alibi piissimè confitetur Dominum in sanctis suis esse laudandum dicens: Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ. Huic etiam Hieremias cõcordat, & dicit: Hæc dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur diues in diuitiis suis: sed in hoc gloriatur qui gloriatur, intelligere & scire quia ego sum Dominus. Ipse verò intellectus & scientia vnde habeantur, pãdunt Prouerbia Salomonis, & dicunt: Quoniã Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus. Vnde in Ecclesiastæ libro ipsius legim⁹ quod & corda & opera iustorum in manu Dei sint, & tãtum in studiis suis proficiant, quãtum eos ille prouerit. Quantumcūque, inquit, laborauerit homo vt quærat, non inueniet. Et quodcunque dilexerit sapiens vt sciat, non potest inuenire, quia vniuersum hoc vidit cor meum, quia iusti & sapientes & operationes eorum in manu Dei. Tale est quod Apostolus prædicat, dicens: Omne verbum bonum, & omne opus sanctum, doctum est Spiritus sancti, sine quo nihil rectè agatur. Ideo, inquit, notum vobis facio quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu. Et nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò sunt gratiarum, idem autem spiritus: & diuisiones ministratiõnũ sunt, idem autè Dominus: & diuisiones ope-

rationum sunt, idè verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secūdem eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alteri operatio virtutū, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Sunt & alia innumerabilia testimonia quæ ex paginis & noui & veteris testamenti quadam conclamatione confirmant hanc esse veræ humilitatis excellētissimam dignitatem, vt omnia quæ hominem faciunt Christianum, ad diuinæ gratiæ donum referantur. Sed tantam multitudinem sententiarum in vnum congerere immodicum fuit. præsertim cū mihi sermo esset ad sanctimoniã tuã, cui ex formula eorū quæ cõmemorauimus, omnia se aut recordanti offerent, aut legēti, licet quædã etiam breuissimam tantæ sint plenitudinis, tantæque virtutis, vt nullo aduerfantis ingenio possint in sensum aliũ detorqueri. Nam quæ contradictio admitti potest in eo quod ipsa veritas discipulis suis per euangelium Ioannis dixisse narratur? Sicut palmes, inquit, nõ potest facere fructum nisi mãserit in vite, sic nec vos nisi in me mãseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum, quia sine me nihil potestis facere. Nõnne cõuincitur palme elatus, quod omni fertilitate vacuatur si vitis vbertate non alitur? Quis enim sine auxilio gratiæ fructū potest afferre iustitiæ? Aut quis audeat dicere se à Christo non diuidi, qui Christum in se diffusetur operari? An fortè verendum est ne liberū tollere videamur arbitrium, cū omnia per quæ propiciatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda? Quod nequam esse consequens veritatis ostenditur. Operante enim spiritu Dei iuuatur arbitrium, non auferitur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus suis, sed per opem miserantis medici curata reualescat, & gaudeat se non interrogantem edoctam, & non quæretem esse quæsitam: quia impletur quotidie quod Esaias propheta prædixit: Quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui nõ audierunt, intelligent. Quomodo autem hoc fiat, Ioannes apostolus docet dicens: Scimus quia ex Deo sumus, & mundus totus in maligno positus est. Et scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deū, & simus in vero filio eius. Quod vtique nunc eadem potentia Dominus indefinenter operatur, qui ait: Ecce ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad cõsummationem seculi. Vt ergo misericordiam Dei quæramus, Dei misericordia est qui ait: Miserebor cui misereris, & misericordiã præstabo cui misereris. Vnde mirè per Hieremiã idè Dominus manifestat quod Dei gratiam nemo præueniat merito suo, sed propter dilectionem qua Deus diligit, etiam auersos ad misericordiam trahi. Dilectione, inquit, æterna dilexi te, propterea traxi te ad miserationem, quia edificabo te, & ædificaberis virgo Israel. Cui sententiæ Ioannes quoque Apосто-

Iuan. 19.

Iuan. 1.

Rom. 8.

Ibidem.

Psal. 88.

Psal. 67.

Hier. 9.

Prouer. 2.

I. Cor. 12.

Iuan. 15.

Esai. 52.

I. Iuan. 5.

Matth. 28.

Rom. 9.

Exod. 33.

Hier. 31.

1. *Joan.* 4. lus cōgruit dicens: Nō quasi nos dilexerimus Deū, sed quoniam ipse dilexit nos. Et infra, Nos ergo diligamus, quoniam Deus prior dilexit nos. Paulus quoque apostolus in eadem est sententia, dicens in epistola ad Timotheum secunda: Collabora euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, nō secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam que data est nobis ante tempora æterna. Ad Titum etiā scribēs docet nullo bono hominis merito Dei gratiā praueniri. Erasmus, inquit, & nos insipientes aliquid, increduli, errātes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cū autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri: non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit abunde in nos per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non potest à propria hominis voluntate: siquidem nihil recte faciet, nisi quod volens egerit: sed vt ad id quod æquum & vtile est animi tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur. Et sicut arte medici fit in oculis caligantibus, vt possint videre quod non vident, nec tamen non ipsorum est visio quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per Spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebræ iam & deficientes lucernæ lumē accipiunt, nec tamen nisi ipsarum erit, quicquid fulgoris acceperint. Vnde dicit Dominus: Ignē veni mittere in terram, & quid volo nisi ardeat? Et idē iubet, lucernæ nostrę sint semper ardentes, vt scilicet superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere: ac si vigorem eius aliqua turbaret aduersitas, vnde cœpit inflādari, inde poscat igniri. Proinde quia manifestissimè & prophetica & euangelica & apostolica doctrina nec superbos nos vult esse, nec desides: cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei, vt illam excitātem, iuuantem, locupletantem, & quotidie prouehentem vigilanter & sobriè subsequamur, nunquam cessantes ab actione gratiarum: quia inter secūda vitæ istius & aduersa, quibus gemina semper tentatione pulsamur, si proficimus, inde alimur: si stamus, inde subsistimus: si recidimus, inde reparamur. Dicit enim spiritus per prophetam Dauid: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cūm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Non itaque frustra præcipitur vt boni simus, cūm dicitur: Declina à malo, & fac bonum. Sed nec frustra per Hieremiam dicit Dominus: Timorem meum dabo in cor eorum, & visitabo eos, vt bonos eos faciam. Nec superflua erat præceptio Pauli apostoli ad Romanos dicētis: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Cūm Corinthiis dicat: Oramus autem ad Deum vt nihil mali faciatis. In omnibus enim monitis Dei atque mandatis vna eademque ratio est & diuinæ gratiæ, & humanæ obedientiæ. Nec ob aliud vnquam datur præceptum, nisi vt que

ratur præcipientis auxilium. Voces enim docentiū, & literæ paginarum quæ ad eruditionem audentiū vel legentium Deo seruiunt, non carent eius virtute cui seruiunt, & quando id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur. Vigilant autem tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio, subrepat elatio, & vt homo de bono opere in se potius quàm in Domino gloriatur. Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet dicentis: Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona volūtate. Quāto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tantò maiores habent causas formidinis & tremoris, ne de ipsis probitatis augmentis mēs sibi bene conscia & laudis auida, in superbię rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in prima epistola prædicet, audiamus: Si quis, inquit, loquitur, tanquam sermones Dei: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in secula. Item idem in epistola secunda: Gratia, inquit, vobis adimpleatur in recognitionem Domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis diuina virtute sua quæ ad vitam & pietatē pertinent, donauit per agnitionem suam, qui vocauit nos propria gloriæ virtute, per quam maxima nobis & preciosa promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinę cōsortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Si ergo omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, Deus nobis diuina sua virtute donauit, nihil magis fugiendum est quàm appetitus huius concupiscentiæ, quæ virtutem negat diuini operis, amore propriæ dignitatis. Et cū alię cupiditates ea tātum bona quibus aduersantur imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit. Cū itaque totius superbię generale nomen odiosum sit, siue illa de honore suo, seu de nobilitate, vel de immodicis opibus intumescat, hæc pars ipsius omnibus tentationibus nocentior inuenitur, quæ videtur iis quas perditas cupit, amica esse virtutibus. Sed quia sublimiora quæque grauius corruunt, gaudet princeps superbiæ eos quos potuerit sua impulsione prosternere, ad celsiora creuisse. Huic autem malo firmissimū bonū humilitatis occurrit. Quam ideo diximus veram, quia omnium virtutū inexpugnabilis fortitudo, & quædam suorū est vita membrorū. Discernimus enim illam ab iis officiis quæ potest etiam cum mundi sapientibus habere communia, & in eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia Deo subditur. Nec potest quicquam de meritis suis perdere, quorum causas atque prouectus non in se, sed in suo auctore constituit. Dignum quippe est vt imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra, inde sit compta, dicens: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Alioquin adultera est, & à diuino aliena coniugio, si alterius cuiusquam decorem in speculo sui cordis ostentat, aut vllis aliis monilibus acquiescit ornari, nisi illis quæ de thesauris sponsi per Sancti spiritus pignus accepit. Si autem quælibet anima

anima Christiana huius debet continentia soliditate muniri, quia omnes nuptiale sacramentum in quocunq; vocationis suæ ordine susceperūt, quāto magis personæ tuæ dignitas præsidio huius virtutis aranda est, cui de opulentissimis gratiæ Dei donis tam multiplex se ingerit materia gloriandi? Quamuis enim communis tibi sit cum multarum virginum puritate virginitas, non tamen facile reperitur quæ possit tibi magnificētia domus & splendore antiquissimæ familiæ comparari. De quibus vt non superbias, nec tibi hoc ipsum quod eis Christum præposueris, adscribas: ipsa est vera humilitas, vera charitas, vera virginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera est, quæ siue in se, siue in proximo nihil diligit, nisi quod ex Deo esse nouit. Nam amare aliquid quod non ex opere & spiritu Dei sit, non est casta dilectio, & sufficit tentatori sublimes, & claras animas hac illusione violasse, vt quas ad illicita non impulit, placendi sibi ad elationem deiecerit. De hac charitate sine dubio Apostolus loquebatur, & istius proprietatem subtilissimis discretionibus eliquabat dicens: Si linquis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonās, & nouerim mysteria omnia, & omnē scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. In quarum definitionum formula multo laboraremus obscurio, nisi sequentia demonstrarent quæ esset species istius charitatis, cui soli tot operum labores, tot virtutum merita non perirent. Esto enim vt multiplex loquendi peritia, quæ non solum ad omnem humanæ faciendæ artem, sed etiam ad angelici eloquij perueniret facultatem, si charitate careat, inutilis æris sono, & tinnitui sit comparabilis cymbalorum. Esto vt habens prophetiam, scientiam, habens fidem dæmonibus imperantem nihil sit, quia charitate sit vacuus, vt etiam ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperū suas distribuere facultates, vel qui corpus suū igne torredum pro Christi confessione tradiderit, incredibile videretur, nisi beatus Paulus hoc diceret, qui tamen cū eiusdem charitatis membra describeret, docerētque qualis esset hæc virtus sine qua nullæ possint prodesse virtutes: Charitas, inquit, patiens est, benigna est, charitas nō æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, & reliqua. Inflatio ergo, & ambitio, & priorum bonorū superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria: si & magnas opes amore quis humanæ laudis effūdat, & seua supplicia non ea fortitudine quam Deus tribuit, sed ea quam de se præsumpsit excipiat. Hoc est enim propria fiducia inflari, hoc vanam gloriam quibuslibet ambire dispēdiis, hoc postremò est nolle habere quæ Dei sunt, & ibi suum constituere meritum, vbi diuinum cessarit auxilium: hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis infanior. A quibuslibet enim lapsibus delictorū fa-

cile surgitur, quando opem à reparatote suo poscit elifus. Huic autē ruina nihil subuenit, quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remedium pollicetur, nec vnquam ibi proficit cura, vbi morbus est ipsa medicina. Hunc autē corruptissimum pestilentia istius statum spiritus verę humilitatis & veræ charitatis excludit. In nullo enim hæc virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earū cōstruitur, simul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus quæ sine bono charitatis infructuosa esse Apostolus definiuit, inueniemus eadem similem habere charitatem si eis humilitas vera defuerit. Quæ enim fructum habebit aut cū inflatione sciētia, aut cū humana gloria fides, aut cū iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vnde quia in distictione superbiæ & humilitas tendit & charitas, de vtraque habeatur dictū quicquid de vna est disputatum. Superest nunc sacratissima Dei virgo, vt sobrio castoque iudicio sancti cordis tui arcam discutias, & aculeo totius elationis obruto inuestiges in te atque dinumeres quæ & qualia tibi sponus tuus dona contulerit, quæ à me non oportuit recenseri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem. Verecundiæ enim tuæ onerosa foret etiā vera laudatio, & ipse contra disputationem meā facerem, si cui ab humana gloria cōtinentiam suassissem, ad eandem te tuis præconiis incitarem. Ipsa ergo aulam tuæ mentis ingredi, & in secretario purissimæ conscientia tuæ qualia tibi reposita sint ornamenta circumspecte, & quicquid ibi splendidum, quidquid pulchrum preciosumque repereris, diuini operis & muneris esse ne dubites, ita vt in omnibus bonis opulentia tuæ & gratiam donatoris, & ius proprietatis agnoscas. Accepisti enim quæ habes, & quicquid tibi diligentia tui laboris accreuit, per ipsum tibi est auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaque vtendum tibi est iis quæ largitus est Deus, & ab eodem semper est petendum vt donis eius fideliter & scienter vtaris. Quid enim nobis boni potest esse sine ipso, quando quidem etiā vt recte oremus, ex ipso est, dicente Apostolo: Nam quid oremus sicut oportet, nescimus sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quis autē scrutatur corda, scit quid desideret spiritus quoniam secundum Deum postulat pro sanctis. Et ne dubium esset de quo spiritu loqueretur, iam supra dixerat: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem sed accepistis spiritū adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Itaque ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen cōpatimur, vt conglorificemur. Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum. Qui ideo cū die peccostes in Apostolos plebemque credentium, sicut à Domino fuerat promissus, insueret, in specie linguarum apparuit ignearum, & loquellis omnium nationum eos super quos insederat, fecit affari, vt dubium non esset per ipsius inspirationem vtilem

Luc. 12.

Ibidem.

Psal. 36.

Psal. 35.

Hierem. 32.

Rom. 12.

2. Corin. 13.

Philipp. 2.

1. Petr. 4.

1. Cor. 13.

2. Petr. 1.

Ibidem.

Psal. 4.

Rem. 8.

Ibidem.

Mat. 10.

2. Cor. 3.

1. Cor. 15.

Galat. 5.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 1.

1. Pet. 4.

Sapient. 9.

Iacob. 1.

Psalm. 33.

affectum, rationabilem sermonem animis fidelium ministrari: sicut ipse Dominus discipulis suis in sinuavit, & dixit: Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis. Quod non in solo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, sed etiam in pace præstari. Audiamus Apostolum definientem quod ipsæ quoque cogitationes nostræ nisi à Deo nobis insitæ fuerint, rectæ esse non possint. Fiduciam, inquit, talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Vnde cum sanctorum animis ex Deo sit ut illis meditatio, iusta petitio, efficax actio ex Deo sit, in fide firmitas, in tribulatione patientia, in persecutione victoria, magna est in vera humilitate sceleritas, cui Deus dilectio, Deus sapientia, Deus consilium, Deus fortitudo est. Nec dubiè ista subiectio iam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, ubi Deus erit omnia in omnibus. Quod ideo in hac vita ad plenum non potest obtineri, quia nondum mortale nostrum induit immortalitatem, nec corruptio transit in incorruptionem, caro adhuc contra spiritum, & contra carnem spiritus concupiscit. Nec inuenitur in vlllo hominum tanta concordia, ut legi, mentis lex quæ membris est insita, non repugnet. Propter quod ex omnium sanctorum persona accipitur quod Ioannes Apostolus ait: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Cum tamen idem ipse dicat: Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Vtrunque ergo verum est: quia & nemo sine peccato est, in eo quod nemo est sine lege peccati: & qui natus ex Deo, peccatum non facit, quia per legem mentis, id est per charitatem quæ Dei semen est, peccatum non facit. Caritas enim operit multitudinem peccatorum: & sine qua nullum prodest bonum, per quam deletur omne peccatum. Dum igitur corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: non quidem obtinetur ut iam anima in omnibus Deus sit, quia nullus est sine tentationis stimulo, & sine mutabilitatis incerto. Sed quia omne datum optimum, & omne donum perfectum defurtum est descendens à patre luminum, sine dubio inde habetur virtutum omnium portio, vnde habebitur plenitudo: & tantò plus in eo fuerit gratiæ diuinæ quàm actionis humanæ. Benedic itaque Domino in omni tempore, & laus eius in tuo ore sit semper. Anima autem tua nõ acquiescat nisi in Domino laudari. Superbi quidem refragabuntur, sed mansueti hæc audient, & lætabuntur.

De inuentione corporum sanctorum Geruasii & prothasii, dñi Ambrosii episcopi ad sororem suam.

EPISTOLA LXXXV.

Dominæ sorori vitæ atque oculis præferendæ, frater. Quia nihil sanctitatem tuam soleo eorum præterire quæ hic te gerantur absente, scias etiam sanctos martyres à nobis repertos. Nam cum basilicam dedicassem, multi tanquam vno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana basilica dedices. Respondi, faciam, si martyrum reliquias inuenero. Statimque subiit veluti cuiusdam ardor præfagij. Quid multa? Dominus gratiam dedit, formidantibus etiam clericis iussi eruderari terram eo loci qui est ante cancellos sanctorum Felicis atque Naboris. Inueni signa conuenientia, adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret, sic sancti martyres eminere cœperunt, ut adhuc nobis silentibus arriperetur vna, & sterneretur prona ad locum sancti sepulchri. Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, ut prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condiuimus integra, ad ordinem transtulimus, vespere iam incumbente ad basilicam Faustæ, ibi vigilia tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam quam appellant Ambrosianâ. Dum transferimus, cæcus sanatus est, Talis mihi ad populum fuit sermo. Cum tam effusam, tamque inauditam considerarem conuentum vestri celebritatem, & diuinæ gratiæ munera quæ in sanctis martyribus refulserunt, imparem me, fateor, huic muneri iudicabam, nec fieri posse ut sermone absoluerem, quod vix possim animo intèdere oculis cõprehendere. Sed ubi sanctarum legi cœpit series scripturarum, largit' est Spiritus sanctus, qui locut' est in prophetis, quo dignum aliquid tanto cœtu & expectatione vestra martyrumque sanctorum meritis proferamus. Cœli enarrant, inquit, gloriam dei. Cum legitur hic psalmus, occurrit quod non tam elementa materialia quàm cœlestia merita dignum Deo præconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit qui cœli enarrant gloriã dei. Aspice ad dexteram meam, aspice ad sinistram reliquias sacrosanctas, videtis cœlestis conuersationis viros spectantes animi sublimis trophæa. Ista sunt cœli qui enarrant gloriam dei. Hæc opera manuum eius quæ annunciat firmamentum Non enim eos secularis illecebra, sed diuini operis gratia ad firmamentum sacratissimæ passionis euexit. Multoque ante mortem virtutumque documentis annunciauit in his martyrium, quod aduersus lubricum seculi huius stabiles permanferunt. Cœlum erat Paulus, qui ait: Nostra conuersatio in cœlis est. Cœli erant Iacobus & Ioannes, denique filij tonitruum nuncupantur, & ideo quasi cœlum Ioannes verbum apud Deum vidit. Ipse dominus Iesus perpetui luminis erat cœlû, cum enarraret Dei gloriam, sed eã quam nemo ante conspexerat. Et ideo dixit: Deum nemo vidit vnquam nisi vnigenitus filius, qui est in sinu patris, enarrauit. Opera quoque manuum dei si quæris, audi Iob dicentem: Spiritus diuinus qui fecit. Et ideo aduersus diaboli tentamenta firmatus, inoffensæ vesti-

Psalm. 112.

videtur.

Psalm. 18.

1. Cor. 15.

Psalm. 18.

Philip. 3.

Marc. 3.

Ioan. 1.

Iob. 26.

vestigium constantiæ referuauit. Sed veniamus ad reliqua. Dies, inquit, diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies pleni luminis & fulgoris æterni, qui non perfunctorio sermone verbum Dei, sed intimo corde eructarunt in confessione constantes, in martyrio persecrantes. Alius Psalmus lectus dicit: Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Respexit sanè humilia Dominus, qui latentes sub ignobili cespite reliquias sanctorum suæ ecclesiæ reuelauit, quorum anima in cœlo, corpus in terra. Suscitans à terra inopem & de stercore erigens pauperem: quos videtis ut eos cum principibus populi sui collocarit. Principes populi quos alios nisi sanctos martyres æstimare debemus, quorum iam in numerum, diu antè ignorati Prothasius Geruasiusque proferuntur, qui sterilem martyribus ecclesiam Mediolanensem, iam plurimorum matrem filiorum, lætari passionis propriæ fecerint & titulis, & exemplis? Nec hoc abhorreat à vera fide: Dies diei eructat verbum, anima animæ, vita vitæ, resurrectio resurrectioni. Et nox nocti indicat scientiam, hoc est caro carni, quorum passio veram fidei scientiam omnibus indicauit. Bonæ noctes, noctes lucidæ quæ habent stellas. Sicut enim stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorum. Non immeritò autem plerique hanc martyrum resurrectionem appellant. Videro tamen vtrum sibi an nobis certi martyres resurrexerunt. Cognouistis, imò vidistis ipsi multos à dæmoniis purgatos. Plurimos etiam ubi vestem sanctorum manibus contigerunt, iis quibus laborabant debilitatibus absolutos. Reparata vetusti corporis miracula, quo se per aduentum Domini Iesu gratia teris maior infuderat, vmbra quadam sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria iactantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas ut tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit saluus erit. Gratias tibi Domine Iesu quod hoc tempore tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitasti, quo ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscant omnes quales ego propugnatores requiram, qui propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego acquisiui tibi plebs sancta, qui profint omnibus, nemini nocant. Tales ego ambio defensores, tales milites habeo. Quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ip-

sis qui mihi inuident, opto præsidia. Veniant ergo & videant stipatores meos, talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Helisæum scripturæ diuinæ series refert, cum ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti seruulo, ne timeret, quia plures, inquit, pro nobis sunt, quàm contra nos. Et ut hoc probaret, petisse ut oculi Giezi aperirentur, quibus innumeros adesse vidit Prophetæ exercitus angelorum. Nos etsi eos videre non possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi quandiu obruta sanctorum corpora delitecebant. Aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia quibus fumus sæpè defensi, non videbamus hæc, sed habebamus tamen. Itaque trepidantibus nobis quasi dixerit Dominus: Aspice quantos vobis martyres dederim: ita referatis oculis gloriam Domini speculamur: quæ est martyrum passione præterita, & operatione præsens. Euasimus fratres, non mediocre pudoris sarcinam, patronos habebamus, & nesciebamus. Inuenimus vnum hoc quo videamur præstare maioribus. Sanctorum martyrum cognitionem quam illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cœlo trophæa. Sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales, notæ inuiolata, reliquiæ loco suo & ordinatæ repertæ, auulsum humeris caput. Nunc fenæ repetunt audisse se aliquando horum martyrum nomina, titulûmque legisse: perdiderat ciuitas suos martyres, quæ rapuit alienos. Etsi hoc Dei munus est, tamen gratiam quam temporibus sacerdotij mei Dominus Iesus tribuit, negare non possum: quia ipse martyr esse nequeo, hos vobis martyres acquisiui. Succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, & dignis ædibus inuehamus, totumque diem fida deuotione celebremus. Acclamauit populus ut in Dominicum differretur diem martyrum depositio, sed tandem obtentum, ut sequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit.

Hunc habes in ordine Sermonum 91.

S. Ambr. tom. 5.

DDd

F I N I S.

* *
AMBROSIVS THEODOSIO
IMPERATORI.

Epistola LXXXVI.

Laudat Theodosium, quod pro habita victoria iusserit Deo gratias agere.

ARBITRATUS es beatissime Imperator, quantum ex augustis literis tuis comperi me longè abesse ab vrbe Mediolanensium: sed non ego ita imprudens aut virtutis aut meritorum tuorum, vt non præsumerem cœleste auxilium pietati tuæ affore, quo Romanum imperium à barbari latronis immanitate, & ab vsurpatoris indigni solio vindicaret. Festinaui reuerti posteaquam illum quem iure declinandum putaueram Mediolano abiisse cognoueram. Non enim ego Mediolanensium ecclesiam dereliqueram, Domini mihi iudicio commissam, sed eius vitabam præsentiam qui se sacrilegio miscuisset. Reuerti itaque circiter kalendas Augustas ex illo refedi: ac me clementiæ tuæ augusti apices reperere gratias Domino Deo nostro, qui fidei tuæ pietati que respondit, & formam veteris restituit sanctitatis, vt videremus nostro tempore quod in scripturarum lectione miramur, tantam in præliis diuini auxilij fuisse præsentiam, vt nulli vertices montium aduersus tui cursum retardarent, non hostilia arma impedimentum aliquod afferrent: pro his gratias me censes agere oportere Domino Deo nostro. Faciam libenter conscius meriti tui. Certum est placitam Deo esse hostiam quæ vestro offertur nomine: & hoc quantæ deuotionis & fidei est. Alij Imperatores in exordio victoriæ arcus triumphales parari iubent, aut alia insignia triumphorum, clementia tua hostiam Domino parat, oblationem & gratiarum actionem per sacerdotes Domino celebrari desiderat. Et si ego indignus atque impar tanto muneri, & tantorum votorum celebritati, tantum quid fecerim scribo, epistolam pietatis tuæ mecum ad altare detuli, ipsam altari imposui, ipsam gestauit manu cum offerrem sacrificium, vt fides tua in mea voce loqueretur, & apices augusti sacerdotalis oblationis munere fungerentur. Verè Dominus propicius est imperio Romano, quando quidem talem principem & parentem principum legit, cuius virtus & potestas in tanto imperij triumphalis constituta culmine, tanta sit humilitate subnixta, vt virtute Imperatores, humilitate sacerdotes vicerit. Quid exoptem? quid vel desiderem? omnia habes ex tuis; itaque summam votorum capebam, pius es Imperator: clementiam habes maximam, opto tamen tibi etiam atque etiam incrementa pietatis, qua nihil Dominus præstantius dedit, vt per tuam clementiam ecclesia Domini sicut innocentium pace & tranquillitate gaudeat, ita etiã reorum absolutione letetur. Ignosce maximè his qui etiam in te peccauerunt. **Explicit.**

Item eiusdem ad eundem.

Epistola LXXXVII.

Ambrosius Theodosio Imperatori.

Orat Theodosium pro clementia & pietate.

Quamuis proximè scripserim augustæ clementiæ tuæ, secundo tamen satis fuit velut pari vice fer-

Gmonis officium reddidisse, cum beneficiis clementiæ tuæ frequentibus oppigneratus sim, vt nullis officiis possim compensare quæ debeo beatissime atque augustissime Imperator. Itaque vt prima occasio non præmittenda fuit, quæ per cubicularium clementiæ tuæ gratias agerem, & alloqui mihi officium repræsentarem, maximè ne desidiæ fuisse putaretur, potius quàm necessitatis, quod tempore nõ scripserim superiore, ita requirenda mihi causa fuit, qua pietati tuæ defferrem debitum salutationis obsequium, meritoque ad deferendam epistolam meam filium meum Felicem diaconum misi, simul vt mihi vicem officij repræsentaret, memoratum quoque pro his qui ad matrem pietatis tuæ ecclesiam petentes misericordiam confugerent, quorum lachrymas sustinere non potui, qui aduentum clementiæ tuæ meis obsecrationibus præueniret. Grande est quod petimus, sed ab eo, cui Dominus inaudita & admiranda concessit, ab eo, cuius clementiam nouimus, & ob fidem pietatem tenemus, plus expectare nos confitemur, imò vt te virtute vicisti ita etiam tua te debes pietate vincere. Victoria enim tua antiquo more vetustis miraculis, qualis sancto Moyse, & sancto Iesu Naue, atque Dauidi, non humana æstimatione, sed cœlestis gratiæ effusione censetur, huic pietatem æqualem poscimus, cuius merito tanta victoria ipsi quæsitæ est. **Explicit.**

Epistola beati Ambrosij episcopi, ad Eugenium Augustum.

Epistola LXXXVIII.

Clementissimo Imperatori Eugenio, Ambrosius episcopus. Secessionis mihi causa timor Domini, ad quem omnes sensus meos quantum quo dirigere conueui, nec vnquam ab eo mentem deflectere, nec plures facere cuiusuis hominis quam Christi gratiam. Nemini enim facio iniuriam, si omnibus Dominum præfero, & confidens in ipso non vereor vobis Imperat. dicere, quæ pro meo captu sentio. Itaque quod apud alios Imperatores non taceo, nec apud te clementissime Imp. tacebo, atque vt ordinem rerum custodiam strictim recensebo quæ ad hoc spectant negotium. Retulerat vir amplissimus Simachus, cum esset præfectus vrbi, ad Valentianum augustæ memoriæ iuniorem, vt templis quæ sublata fuerant reddi iuberet, functus est ille partibus suis pro studio & cultu suo. Vtrique & ego episcopus partes meas debui recognoscere, dedi libellos Imp. duos, quibus significarem sumptus sacrificiorum christianorum virum non posse reddere: non fuisse me auctorem cum tolleretur, auctorem tamè fieri quominus decerneretur: deinde quia dare ipse simulachris eos videretur non reddere, quod enim ipse non abstulerat, non quasi ipse reddebat, sed arbitrato proprio largiebatur ad superstitionis impensas: postremò si fecisset, aut non veniret ad ecclesiam, aut si veniret, futurum vt aut sacerdotem non inueniret, aut inueniret sibi in ecclesia resistentem, nec ad excusationem obtendi posse, quod esset cathecumenus, cum etiam cathecumenis nõ liceat sumptus idolis subministrare, lecti sunt libelli mei in cõistorio. Aderat amplissimus honore magisterij militario

Reprehendit Eugenium imperatorem, quod præliis quædam plus denauerit.

rio Bauto Comes, & Rumorieus, & ipse eiusdem dignitatis gentilium nationum cultui inseruies in primis pueritiæ suæ annis, Valentinianum tunc tempus audiuit suggestionem meam, nec fecit aliud, nisi quod fidei nostræ ratio poscebat, acquiescere etiam comites sui. Postea etiam clementis Imp. Theodosio coram intimauit, atque in os dicere non dubitauit. Qui intimata senatus legatione huiusmodi, licet non totus senatus poposcerit, insinuationi meæ detulit. Et sic aliquibus ad ipsum nõ accessi diebus, nec molestè tulit, quia non pro meis commodis faciebam. Sed quid & ipsi & animæ meæ proderat in conspectu regis loqui non confundebar. Iterum Valentiniano augustæ memoriæ principi legatio à senatu missa, intra Gallias nihil extorquere potuit: & certè aberam, nec aliquid tunc ad eum scripseram. Sed ubi clementia tua imperij suscepit gubernacula, cõperum est postea donata illa præcellentibus in republ. scilicet gentilis obseruantia viris, & fortasse dicatur Imperator Auguste, quia ipse non templis reddideris, sed bene meritis de te donaueris. Verum nõ si pro Dei timore agendum esse constanter, quod etiã pro libertate libenter fit, non solum à sacerdotibus, sed etiã ab his qui vobis militant, aut in numero habentur prouincialium. Te imperante petiere legati, vt templis redderes, non fecisti. Iterum alteri postularunt, renisus es, & postea ipsis qui petiere donandum putasti: & si imperatoria potestas magna sit, tamen considera Imp. quantus sit Dominus, corda omnium videt, conscientiam interiorem interrogat, nouit omnia antequam fiant, nouit interna pectoris tui: ipsi falli vos non patimini, & Dominum vultis celare: Non cecidit in animum tuum quicquam, si illi agebant tam perseueranter? nõne tuum fuit Imp. pro Dei summi & veri & viui veneratione perseuerantius obistere, & negare quod erat iniuria sacre legis? quis inuidet: quoniam quæ voluisti aliis donauisti? Non sumus scrutatores vestræ liberalitatis nec aliorum commodorum inuidi, sed sumus interpretes fidei: quomodo offeres dona tua Christo pauci æstimabunt quid feceris, omnes quid volueris. Quicquid illi fecerint, tuum erit, quicquid non fecerint, tuum: & si es Imperator, Deo magis subditus esse debes. Quomodo Christi sacerdotes munera tua dispensabunt? Fuit huiusmodi quæstio temporibus superioribus, & tamen fidei patrum ipsa cessit persequitur, & gentilitas detulit. Nam cum ageretur agon quinquennialis in ciuitate Tyro, & ad spectandum venisset Antiochia rex scelestis. Iason ordinauit spectatores Antiochenos qui ab Hierosolymis ferrent dragmas argenti trecentas, & ille quidem misit ad sacrificium Hercules, patres non gentilibus dedere pecunias: sed viris fidelibus missis expostulauere nõ erogari ad sacrificium, quia non congruebat. Sed in alios sumptus dari & pronunciatum est: licet ille ad sacrificium Hercules missum dixerit argentum suscipi quidè debere quod erat missum: sed quia illi qui detulerat resistebat pro studio & cultu suo vt nõ sacrificio proficeretur, sed aliis necessitatibus, tradite sunt pecuniæ ad constructionem nauium: & sic coacti misere, sed ad alios sumptus reip. deniq; & obtinere, vt quæ potuerant tacere, sed lædebant fidem qui sciebant quò deferrentur. Ideò misere viros timentes

Dominum, qui agerent vt non templo, sed ad impensas nauium quæ missa fuerant deputarentur, ipsis credidere pecunias, qui causam agerent sanctæ legis. Index rerum effectus fuit, qui absoluit conscientiam, si positi in aliena potestate sic præcauebant quod te oportuerit facere Imp. dubitari non potest. Te utique quæ nemo cogebat, nemo habebat in potestate, debuisti à sacerdote consulere. Ego certè tunc quando restiti, etsi solus restiti, tamen non solus volui, nec solus id suasi. Igitur maximis vocibus & apud Dominum, & apud omnes homines teneor, aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, quare non potui tibi sic cedere, modestè certè depressi diu texique dolorem, nulli quicquam intimandum putauit: dissimulare nec mihi non licet, tacere liberum non fuit. Ideò etiam in primordiis imperij tui scribenti non rescripsi, quia præuidebam futurum denique reposcenti literas cum ipse non rescriberet, dixi hæc causa est, quod extorquendum mei arbitrator, tamen ubi causæ meritis officium mei, pro his qui sollicitudinem sui gerebant, & scripsi, & rogauit, vt ostenderem in causis Dei timorem mihi iustum inesse, nec plures adulationem quàm animam meam facere. In his verò in quibus vos rogari decet, etiam & me exhibere sedulitatem potestati debitam, sicut & scriptum est, Cui honorem honorem, cui tributum tributum: nam cum priuato detulerim corde intimo, quomodo ei non deferrem Imperatori: sed qui vobis deferri vultis, patimini vt deferamus ei, quem imperij vestri vultis auctorem probari.

Epistola beati Ambrosij episcopi ad Sororem suam.

Epistola LXXXIX.

Frater, Sorori.

Sollicitam sanctitatem tuam esse adhuc scribere dignata es mihi, eò quod sollicitum me esse scripserim, vnde miror quod literas nõ acceperis meas, quibus refutam mihi scripserim securitatem, nam cum relatum esset synagogam Iudæorum incensam esse à Christianis auctore episcopo, & Valentinianorum conuenticulum, iussum erat me Aquileiæ posito, vt synagoga ab episcopo reedificaretur, vindicaretur in monachos, qui incendissent ædificium Valentinianorum. Tunc ego cum sapius agendo parum proficerem, & epistolam dedi Imperatori, quam simul misi, & ubi processit ad ecclesiam, hunc sermonem habui. In libro prophetico scriptum est: Sume tibi baculum nucinum, & qua voce hoc dixerit Deus Prophetæ, debemus considerare. Nõ ociosè etenim scriptum est, quadoquidem & in Pentateuco legerimus, quod virga nucina Aaron sacerdotis cum diu reposita fuisset, floruit: nam videtur significare quod directa esse debeat prophetica, vel sacerdotalis auctoritas, vt non tam delectabilia quàm vtilia persuadeat: ideòque nucinum baculum sumere iubetur Prophetæ, quia memoratæ pomum arboris amarum in cortice durum, in testa intus est fructuosum, vt ad eius similitudinem Prophetæ quoque amara & dura prætendat, & denunciare tristitia non reformidet. Similiter & sacerdos quia præceptio eius etsi ad tempus aliquibus amara videatur, & tãquam virga Aaron reposita diu in auribus dissimulantium, tamen

aliquando cum æstimatur aruisse florescit. Vnde & Apostolus ait, Quid vultis in virga veniã ad vos, an in charitate spiritusque mansuetudinis: prius virgã dixit, & tanquã virga nucina percussit errãtes, vt postea consolaretur eos spiritu mansuetudinis. Itaque quem virga sacramentis abdicauit cœlestibus, eundẽ mansuetudo restituit, discipulõq; talia præcepta dedit, dicens: Argue, obsecra, increpa, duo dura, vnum mite. Sed ideo dura, vt etiam ipsa moliret, quia sicut ægris redundanti felle corporibus ciborum, aut potus amaritudo dulcescit, & contra epularum suauitas amaritudini est. Hęc de prophetica lectiõne libata sint. Et angelij quoque lectiõ quid habeat cõsideremus. Rogauit quidam Phariseus Dominũ Iesum, vt manducaret cũ illo, & ingressus domũ Pharisei discubuit: & ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod recubuit in domo Pharisei, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrõ secus pedes eius, lachrymis rigabat pedes eius, & vnguebat vnguento. Videns autem Phariseus qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus dixit ad illum: Simon habeo aliquid tibi dicere: At ille ait, Magister dic: cui dixit Dominus. Duo debitores erant cuidam sceneratori, vnus debebat denarios ducentos, alius quinquaginta, nõ habentibus illis vnde redderent, donauit vtriusque. Quis ergo eũ plus diligit. Respondens Simon dixit: Æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit, Rectẽ iudicasti: Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hęc mulierem? Intraui in domum tuam, aquã pedibus meis non dedisti, hęc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terfit. Osculũ mihi non dedisti, hęc autem ex quõ intrauit, non cessauit osculari pedes meos: oleo non vnixisti caput meum, hęc autem vngueo vnixit, propter quod dico tibi, remissa sunt peccata eius multa, quia dilexit multũ: cui autem minus diligit, minus dimittitur. Et ait illi Iesus, Remissa sunt tibi peccata. Et cœpẽre qui simul recumbebant dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autẽ ad mulierẽ fides tua te saluam fecit, vade in pace. Quã simplex in verbis, quã profunda in consilijs Euangelij lectiõ. Itaque quia magni consiliarij sermo est altitudine cõsideremus. Dominus noster Iesus Christus iudicauit magis homines beneficijs alligari posse, & pro veritate sunt recta faciẽdi quã metu plũsque charitate proficere, quã formidine ad correctiõnem. Itaque promisit gratiam veniens per virginis partũ, vt in baptisimo peccata donaret, quõ sibi faceret gratiores. Deinde si competẽtia gratiarũ in nos officia expẽderemus, ipsius gratiæ remunerationem futurã omnium in hac muliere declarauit: nam si tantũmodo prima debita nobis remisisset, videretur cautior, quã indulgẽtior, correctiõisque prouidentia quã remunerationis magnificentia: angustia animi sola astutia est, vt illiceat: Deo autem euenit vt quos inuitauit per gratiam, eos de gratiæ ipsius incrementis prouehat. Ideõque nobis & ante donat per baptismum, & bene feruentibus vberiora largitur. Ita igitur Christi beneficia & incentiua virtutis & præmia

gunt. Sed nemo vocabulum sceneratoris horrescat, fuimus ante sub scenatore duro, qui nisi morte debitoris expleri ac satiari nequiret, venit Dominus Iesus, vidit obligatos arre funereo. Nemo scenus suũ patrimonio innocẽtiæ suę poterat exoluere, de modo vnde me liberarem habere nõ poteram: nouum scenus absolutionis meæ detulit, vt creditorem mutarem, quia scenus vnde soluerem non habebã. Debitorum autem nos nõ natura sed culpa fecerat: peccatis enim nostris grauiã ara contraximus, vt essemus obnoxij qui eramus liberi. Debitor enim est, qui aliquid accepit, de scenatore pecunia: peccatũ autem a diabolo est, tanquã in eius patrimonio habet ipsius opes: sicut enim Christi diuitiẽ virtutes sunt, ita diaboli opes crimina sunt. Redegerat humanum genus in perpetuã captiuitatem, obnoxia hereditatis graui scenore, quõ operatus auctor ad posteros de scenata successiõne transmiserat. Venit Dominus Iesus morte pro morte omnium obtulit, sanguinẽ suum pro sanguine fudit vniuersõ: mutauimus ergo creditorem, non euasimus, imò euasimus: manet enim debitum, scenus intercidit, dicente Domino Iesu his qui in vinculis sunt, exite: & his qui in carcere, procedite, dimissa sunt peccata vestra. Omnibus igitur dimisit, nec quisquã est cui non relaxarit: sic enim scriptũ est, Qui adonauit omnia delicta delẽs quõ aduersum nos erat chirographum decreti, cur nos aliorum tenemus chirographa, & volumus exigere aliena qui nostrorũ vtimur indulgentia: qui donauit omnibus ab omnibus exigat, vt quõ vnusquisque sibi dimissum meminit, alij ipse dimittat: vide ne grauiorẽ causam incipias habere scenator quã debitor: sicut ille in Euangelio, cui dominus suus donauit omne debitum, & ille postea a conferuo suo cœpit exigere quõ ipsi non soluerat, vnde iratus dominus eius, de ipso summis exegit iniurijs quõ ei ante donauerat. Caueamus ergo ne nobis hoc accidat, vt non remittendo quæ nobis debẽtur, incipiamus & illa soluere quæ nobis remissa sunt. Ita enim scriptum est dicente Domino Iesu, Sic & vobis faciet pater meus qui in cœlis est, si non remisistis vnusquisque fratri suo in cordibus vestris. Dimittamus ergo pauca quibus donata sunt plura, & intelligamus hoc nos acceptiores Deo fore, quõ etiam plura damus, quia hoc gratiores Deo sumus, quõ nobis plura dimissa sunt. Denique interrogatus Phariseus, Quis, inquit, eum plus diligit? Respondit, Æstimo quia is cui plus donauit: Cui Dominus dixit, Rectẽ iudicasti. Laudatur Pharisei iudicium, sed arguitur affectus, de alijs bene iudicat: sed quõ de alijs opinatur, ipse nõ credit. Audis laudantẽ Iudæũ ecclesiæ disciplinã, eãque veram esse gratiam prædicantem, honorantem sacerdotes ecclesiæ. Hortaris vt credat, & quõ in nobis laudat ipse non sequitur. Non ergo plena eius laudatio est, quia audiuit a Domino, Rectẽ iudicasti. Nã & Cain rectẽ obtulit, sed non rectẽ diuisit. Ideõque dixit illi Dominus, Si rectẽ offeras, non rectẽ autem diuidas, peccasti. Quiesce ergo, & hic rectẽ obtulit quia iudicauit Christũ a Christianis amplius diligendũ, quia multa nobis peccata donauit: sed non rectẽ diuisit, qui putauit quõ posset ignorare, qui hominibus peccata dimitteret. Ideõque ait Simoni, Vides hanc

hęc mulierẽ? intraui in domũ tuã, aquã pedib; meis non dedisti, hęc autẽ lachrymis rigauit pedes meos, omnes vnum corpus Christi sumus: alij fortasse oculi, vt Prophetæ, dentes, vt Apostoli qui euangelicæ prædicationis cibum nostris infudere pectoribus. Meritõque scriptum est: Hilares oculi eius a vino, & dentes candidiores lacte. Sunt & manus eius quæ vidẽtur bonorum executores operum, sunt & venter eius qui vires alimonie pauperibus largiuntur: sunt ergo & pedes eius aliqui, atque vtinam merear eius esse calcaneum: aquam ergo mittit in pedes Christi, quasi etiam vltimis quibusque peccata dimittit, & dum plebeios liberat, Christi tamen lauat vestigium. Mittit & ille aquam in pedes Christi, qui a peccatorum colluione mundat conscientiam suam: ambulat enim Christus in pectoribus singulorum. Caue igitur ne pollutam habeas cõscientiam, & pedes Christi incipias inquinare. Caue ne spinam in te improbitatis offendat, qua eius deambulantis in te calcaneũ faucietur. Ideõ aquam pedibus Christi nõ dedit Phariseus, quia mundum a colluione perfidiæ animũ non habebat: vnde enim suam mundalet conscientiam, qui aquã non susceperat Christi? Ecclesia autem & aquam habet, & lachrymas habet: aquam baptismatis, lachrymas pœnitentiæ: nãque fides quæ superiora peccata deplorat, noua cauere consueuit. Ergo Simon Phariseus qui aquam non habebat, quomodo enim haberet lachrymas qui pœnitentiam non gerebat, quonia nõ crederet in Christum non habebat lachrymas, nam si habuisset, lauisset oculos suos, vt Christum videret quem adhuc cum simul accumberet, non videbat: nam si vidisset, non vtique de eius potestate dubitasset. Nõ habebat capillos Phariseus, qui Nazareum scire nõ poterat, habebat ecclesia quæ Nazareum querebat. Capilli velut in superfluis corporis æstimantur: idẽ tamen si vngantur bonum reddunt odorem, & ornamenta sunt capitis, si non vnguntur oleo, ingratiã: ita sunt & diuitiæ, oneri sunt, si his vti nescias, si non aspergas his Christi odorem: si verõ alas pauperes, laues eorum vulnera, illuuiẽque detegas, terfisti vtique pedes Christi. Osculum mihi non dedisti, hęc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Osculum vtique insigne est charitatis: vnde ergo Iudæo osculum qui pacem non cognouit, qui pacem non accepit a Christo dicente: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Non habet synagoga osculum, habet ecclesia quæ expectauit, quæ dilexit, quæ dixit, Osculetur me ab osculo oris sui. Diuturnæ enim cupiditatis ardorem quem aduentus Dominici expectatiõne adoleuerat, osculo eius volebat stillanter extinguere, hoc explere sitim suam munere. Ideõque sanctus ait: Os meum aperui, & annũciaui laudem tuã: ergo laudat Dominum Iesum. Osculatur eum qui laudat, credit vtique. Denique ipse ait Dauid: Credidi propter quõ locutus sum. Et supra: Repletur os meum laude tua, & cãtem gloriam tuam. De spiritualis quoque gratiæ effusione, eadem scriptura te docet, quõ osculetur Christum, qui accipit Spiritum: dicente sancto, Os meum aperui, & attraxi spiritum. Osculatur ergo spiritum qui confitetur: Corde enim creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad sa-

lutem. Osculatur autem pedes Christi, qui euangelium legens, Domini gesta cognoscit, & pio miratur affectu. Itaque religioso osculo velut quædam deambulantis Domini lambit vestigia. Osculemus Christum communionis osculo: qui legit, intelligat vnde hoc Iudæo osculum. Qui enim non credit in aduentum eius, nec in passionem eius credit. Quomodo enim credit passum, quem venisse non credit? Non ergo osculum habebat Phariseus, nisi fortẽ Iudæo proditoris, sed nec Iudas habebat. Ideõque cum Iudæis promissum osculum tanquam signum proditiõnis vellet ostendere, dicit ei Dominus, Iuda osculo filium hominis tradis, hoc est, osculum offers qui non habes osculi charitatem, osculũ offers qui nescis osculi sacramentum, osculum non labiorum queritur, sed cordis & mentis: sed dicis osculatus est Dominum, osculatus es labijs: hoc habet osculum populus Iudæorum: ideõque dictũ est, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorũ longẽ est a me. Ergo non habet osculum qui fidem, qui charitatem non habet: osculo enim vis amoris imprimitur, vbi non est amor, non est fides, non est dilectiõ quæ potest esse suauitas osculorum. Ecclesia autem non cessat osculari pedes Christi, & ideõ nõ vnum, sed multa oscula in Canticis Canticorũ exigit, quæ velut sancta Maria ad omnes eius est intẽta sermones, omnia eius verba excipit cum legitur euangelium, vel prophetia, & omnia eius dicta cõseruat in corde suo: sola ergo ecclesia habet oscula quasi sponsa, osculum enim pignus est nuptiarum, & prerogatiua coniugij, vnde Iudæo oscula qui nõ credit in sponfam? vnde Iudæo oscula qui adhuc nõ nouit sponsum venisse, nec solũ oscula nõ habet, sed nec oleum habet quo vngat pedes Christi: nam si haberet oleũ ceruicem suam ante molliret. Denique Moyses dicit: Populus hic dura ceruice est. Et Dominus ait, Quia Leuita & sacerdos præteriẽre, nec quisquam eorũ oleum aut vinum illius a latronibus percussit vulneribus infudit. Non enim habebant quõ infunderent, nam si habuissent oleum, suis quoque vulneribus infudissent. Sed clamat Esaias, Non est malagma imponere, neque oleũ, neque alligaturam. Ecclesia autem habet oleum quo eorũ vulnera fouet, ne duritia vulneris altẽ serpat. Habet oleum quõ accepit absconsum. Hoc oleo Aser pedem suum lauit, sicut scriptum est: Benedictus filius Aser, & erit acceptus fratribus suis, & intinguet in oleo pedem suum. Hoc oleo ergo ecclesia vngit filiorum ceruices suorum, vt suscipiant regnum Christi. Hoc oleo vnxit martyres, vt secularem ab his puluerem detegeret. Hoc oleo confessores vnxit, ne labore cederent, nec succumberent fatigati, ne æstu mundi istius vincerentur. Ideõ vnxit eos, vt his spirituale oleum refrigeraret. Synagoga hoc oleum non habet, quæ oliuam non habet, quæ non intellexit illam columbam quæ ramum oleæ detulit post diluuium. Illa enim columba postea descendit, cum Christus baptizaretur, & mansit super eum, sicut in euangelio testatur Ioannes dicens: Quia vidi spiritũ descendentem de cœlo quasi columbam, & mansit super eum. Quomodo ergo vidit columbam, qui nõ vidit eum super quẽ spiritus quasi columba descendit. Ecclesia igitur & lauat pedes Christi, & capillis

suis tergit, & oleo vngit, & perfundit vngueto, quia non solum saucios curat, & lassos fouet: verum etiam suauis gratiae odore respargit, nec diuitibus tantum & potentioribus, sed etiam plebei familiae viris eadem transfundit gratiam, aqua omnes lae examinat, omnes eodem sinu suscipit, eodem gremio fouet. Semel mortuus est Christus, semel sepultus est, & quotidie vult in pedes suos mitti vnguentum. In quos ergo pedes mittimus? Pedes Christi illi sunt, de quibus dicit: Quod vni eorum minimorum fecistis, mihi fecistis: hos pedes illa mulier euangelica refrigerat, hos lachrymis suis rigat, cum infimis peccatum remittitur, culpauatur, donatur indulgentia. Hos pedes osculatur qui etiam infirmos plebis sacrae diligit: hos pedes vngueto vngit, qui etiam tenuioribus mansuetudinis suae impertit gratiam. In his semper martyres, in his Apostoli, in his ipse Dominus Iesus honorari iudicat, vides quam moralis Dominus sit, vt exemplo sui ad pietatem te prouocet. Moraliter est etiam cum arguit: denique accusans Iudeos, ait: Populus meus quid feci tibi, aut quid contristavi te, aut quid molestus fui tibi, responde mihi, quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis liberaui te. Et addidit, Et misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam: in mente habeto quid cogitauerit de te Balac, hoc est, ille magicarum artis opem quaerens: sed tamen eum tibi non permisi nocere. Deprimebaris utique in peregrinis exulans terris, grauibus vrgebaris fraudibus. Misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam, & primum ille qui spoliauerat exulem, spoliatus est ipse: tu qui amiseras tua, acquisisti aliena: liberatus ab hostibus circumvallantibus, atque inter aquas medias tutus stragem vidisti inimicorum tuorum, cum eadem vnda qua te circumfusa prouexerat, hostes refusa demergeret. Nonne cum tibi venienti per desertum alimenta decissent, alticem tibi pluuiam, & comecatus quocumque pergeres circumfluos monstrauit? Non te debellatis inimicis omnibus, in regionem botronis induxi? Non regem ipsum Sehon Amorrhaeorum, hoc est, superbium exasperantium ducem, viuentem tibi obtuli, quem suffixum in ligno, ac sublatum in crucem maledicto vetere damnasti? Quid dicam caesa quinque regum agmina, quae debitas tibi terras cupiebant negasse, & nunc pro his omnibus quid aliud a te quaeritur homo, nisi vt facias iudicium, & iustitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum Domino Deo tuo? Ad ipsum regem Dauidem illum pium atque mansuetum, qualis per Nathan Prophetam expostulatio? Ego, inquit, te minorem elegi, ex fratribus tuis, ego te mansuetudinis spiritu repleui, ego te per Samuelem in quo ego eram & nomen meum vixi in regem. Ego & sublato illo tuarum partium rege superiore, quem malus spiritus exagitabat, vt persequeretur sacerdotes Domini, de exule feci triumphatorem: ego de semine tuo in throno tuo non prius haeredem quam confortem locaui. Ego tibi feci etiam alienigenas subditos, vt tibi seruiant qui tibi impugnabant, & tu seruiens mihi in potestate deducis inimicorum meorum, & tu auferes quod erat seruili mei, in quo & tibi peccatum inuritur, & habebunt de quo aduersarii mei gloriantur. Ergo Imperator vt iam non solum de te, sed ad te etiam verba

conuertam, quoniam aduertis quam grauius Dominus conuenire solet, quo gloriosior factus es, eo amplius auctori tuo deferendum noueris. Scriptum est enim: Cum te induxerit Dominus in terram alienam, & manducaueris fructus alienos, non dicas virtus mea & iustitia mea hoc mihi dedit, sed Dominus donauit, sed Christus misericordia sua contulit, & ideo corpus eius, hoc est ecclesiam diligendo, aqua de pedibus eius: osculare pedes vt non solum abluas eos qui in peccatis deprehensi sunt: verum etiam pace tua dones concordiae & quieti relaxes. Mitte vnguentum in pedes eius, vt tota domus in qua Christus recumbit, tuo repleatur vngueto: omnes recubentes eo gaudeant tuis odoribus, hic est qui honorat ultimos, quorum absolute gaudeant angeli sicut super vno peccatore poenitentiam habente, latentur Apostoli, delectentur Prophetae: non enim possunt dicere oculi manui, operam tuam non desideramus: aut caput pedibus, non estis mihi necessarij. Ergo quia omnes necessarij sunt, tuere omne corpus Domini Iesu, vt ipse quoque regnum tuum caelesti sua dignatione custodiat. Vbi descendi, ait, mihi de nobis proposuisti: Responde, Hoc tractaui quod ad utilitatem tuam pertineret. Tunc ait: Reuera de synagoga reparanda ab episcopo durius statueram, sed emendatum est. Monachi multa scelera faciunt, tunc Timasius magister equitum & peditum, cepit aduersum monachos esse vehementior. Responde ei, Ego cum Imperatore ago vt oportet, quia noui quod habeat Domini timorem: tecum autem mihi aliter agendum, qui tam dura loqueris. Deinde cum aliquandiu starem dico Imperatori, Fac me securum pro te offerre, absolute animam meam cum affideret, non tamen aperte polliceretur, atque ego stare, dixit se emendaturum: stare cepi vt omnem cognitionem tollerem, ne occasione cognitionis Comes aliqua Christianos attereret iniuria, promisit futurum. Aio illi, ago fide tua: & repetiui, Ago fide tua. Age, inquit. Ita accessi ad altare, non aliter accessurus, nisi plenè promississet mihi, & verè tanta oblationis fuit gratia, vt sentirem etiam ipse eam Deo nostro commendatorem fuisse, & diuinam praesentiam non defuisse. Omnia itaque gesta sunt ex sententia. Explicit.

Beatissimo Imp. & clementissimo principi Theodosio, Ambrosius & caeteri episcopi Italiae, secundum animam tuam Deo omnipotenti pura & sincera fide deditum sciebamus: sed recentibus cumulasti beneficiis, quod Catholicos ecclesiis reddidisti, Imp. Auguste, atque vti nunc Catholicos ipsos reuerentiae veteri reddidisses, vt nihil nouerent contra praescripta maiorum, neque temere vel seruanda rescinderent, vel rescindenda seruarent. Itaque dolentius forte quam inconsultius ingemiscimus Imp. facilius expelli potuisse haereticos, quam inter Catholicos conuenire. Quanta enim confusio nuper facta sit, explicari non potest. Scripsimus dudum, vt quoniam Antiochena ciuitas duos habet episcopos, Paulinum atque Melecium, quos fidei concinere putarem, aut inter ipsos pax & concordia saluo ordine ecclesiastico conueniret, aut certe si quis eorum altero superstitite decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum superstitite altero gigneretur. At nunc Melecio defuncto, Paulino superstitite quem in communi one no-

stra

stra mansisse consortia, quae a maioribus inoffense ducta testantur, contra fas atque ecclesiasticum ordinem in locum Melecij, non tam subrogatus, quam suppositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione & consilio Nectarij, cuius ordinatio, quae ordinem habuerit non videmus: namque in concilio nuper cum Maximus episcopus Alexandriae ecclesiae, communionem manere secum, lectis Petri sanctae memoriae viri litteris prodidisset, eiusque inter priuatas ardes quia Arriani Ecclesiae basilicas adhuc tenebant, secretum esse mandato tribus episcopis ordinantibus dilucida testificatione docuisset. Nihil habuimus beatissime principum in quo de episcopatu eius dubitare possemus cum vim sibi repugnanti a plerisque etiam de populo & Clero testatus esset illatam, tamen absentibus partibus praesumptè aliquid definisse videremus, clementiam tuam datis literis putauimus instruendam vt ei consuleretur ex usu publicae pacis & concordiae, quia re vera aduertebamus Gregorium nequaquam secundum traditionem patrum Constantinopolitanae Ecclesiae sibi sacerdotium vindicare. Nos igitur in Synodo ea quae totius orbis episcopis videbatur esse praescripta; nihil tamen statuendum esse celsimus. Adeo ipso tempore qui generale concilium declinauere, Constantinopolique gessisse dicuntur, nam cum cognouissent ad hanc partem venisse Maximum, vt causam in synodo ageret suam, quod etiam si indictum concilium non fuisset, iure & more maiorum, sicut & sanctae memoriae Athanasius & dudum Petrus Alexandriae Ecclesiae Romanae Italiae, & totius occidentis confugisse iudicium videretur: cum eum sicut diximus experiri velle aduersum eos qui episcopatum eius abnuerant, comperissent. Postulari utique etiam nostram super eo sententiam debere: nec praerogatiuam vindica-

mus examinis. Sed consortium tamen debuit esse communis arbitrij, postremo prius constare oportuit, vtrum huic abrogandum quam alij conferendum sacerdotium videretur. Ab his praesertim a quibus se Maximus, vel destitutum, vel appetitum iniuria querebatur. Itaque cum Maximus episcopum receperant in communionem nostram consortia quoniam eum a catholicis episcopis constitit ordinatum, nec ab episcopatu Constantinopolitani putauimus petitione remouendum, cuius allegationem praesentibus partibus aestimauimus esse pendendam. Nectarium autem cum nuper nostra mediocritas Constantinopoli cognouerit ordinatum, coherere communionem nostram cum orientalibus partibus non videmus, praesertim cum ab iisdem Nectarius dicitur illico, sine communionis consortio destitutus a quibus fuerat ordinatus. Nec mediocris igitur hic scrupulus est, nec quaedam nos angit de domestico studio & ambitione contentio, sed communio soluta & dissociata perturbat, nec videmus eam posse aliter conuenire, nisi aut his reddatur Constantinopoli qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinatione sit in vrbe Roma nostrum orientaliūque concilium, neque enim indignum videtur, Auguste, vt Romanae Ecclesiae antistitis finitimorumque & Italorum episcoporum non debeant subire tractatum, qui vni accoli episcopi ita expectandum putare esse iudicium, vt de occidentalibus partibus Constantinopolim euocandum putaret, si quid vni hoc reseruatum est, quanto magis pluribus reseruandum est. Nos autem & a beatissimo principe fratre tuae pietatis admoniti vt tuae clementiae scriberemus imperio, postulamus vt vbi vna communio est, commune velis esse iudicium concordantemque consensum. Explicit.

FINIS.

LECTORIS.

In exemplari S. Germani ad pratum Scholasticorum, post tres libros de officiis, haec duae Epistolae sequebantur. Priorem esse Ambrosij persuadebat materia ad illud tempus accommodata de Antonio, Hilarione, Machario, Gervasio, Prothasio, de Mediolanensi ciuitate in qua scriptam fuisse constat. Illud tantum vt dubitarem fecit, quod vocet Germanicos & Anglicos & Italicos. Posterior minus habet Ambrosij: sed tamen appressimus utramque, quia utraque antiquam esse & vtilem iudicauimus.

Epistola prima.

Vir quidam religiosus atque in monachico habitu constitutus tunc, nostro tempore, nunc antiqui hostis est inaudita tentatione pulsatus, ita vt idem malignus spiritus vestimentorum eius particulas & extra illum etiam in-compositas, immunda colluione crebrius foedaret. Quae intantum erat horrenda, foetida & noxia, vt pars vestium quam tetigisset, nullius deinceps esset vsui apta, quanquam fuisset abluta. De qua cum interrogatus fuisset, cur omnipotens Deus talem versuto serpenti potestatem in eum dedisset, vt cordis eius immunditiam foris ostenderet, quod nunquam in exteriori habitu fecisset, nisi interiorem omnino corripisset, scilicet aut infidelitate & blasphemia, aut certe inani & vana gloria, respondi: Sanies quippe intus in corde foras per vestimenta manauit. Quem quia longè positus erat, ego quidem non vidi, sed tamen, vt arbitror, haec in illo verè prauidi. Quod si ita non est, nunquid tamen factum putatur sine causa & propterea gestum, vt in eo munditiam cordis foedi-

tas illa seruaret, nec hanc callidus hostis inani gloria foedaret: sicuti Paulus ne de reuelationis magnitudine tumeret, stimulum carnis accepit. Si itaque horum quodlibet, aut certè si non fuerit, nunquid tamen quod ad extremum positurus sum verum non erit? Verum est omnino. Verum est quod dico, non esse colluionem illam extrinsecus animae noxiam, si ipsa seruare studuerit intus cordis munditiam. Interea sicut tu ipse iudicare curasti, audio quosdam apud vos dicere: Non posse aliquem in patria suae natiuitatis perfectum esse, illud in argumentum assumptum, quod Dominus dixit: Nemo propheta acceptus est in patria sua. Quos primum oportet ratione veritatis refelli, & sic demum qualiter intelligenda sit prolata sententia demonstrari. Audiant igitur patienter qui haec dicunt, quia dum sensum sacrae scripturae prudenter non considerant, penè omnes sanctos contemnant. Si enim ita est, vt asserunt, ergo quotquot ex Romanis conuersi, apud Romanos degunt: quotquot ex Graecis, apud Graecos: quotquot ex Italis, apud Italos: quotquot

DDd iij

ex Hiberis, apud Hiberos: quotquot ex Germanicis, apud Germanicos: quotquot ex Aquitanicis, apud Aquitanicos: quotquot ex Anglis, apud Anglos religioſe viuūt, imperfecti erūt. Ecce Paulus & Antonius ex Thebæis, apud Thebæos perfecti ſunt. Ecce Hilariō ex Palæſtina, apud Palæſtinos perfectus eſt. Ecce Macharius ex Ægyptiis, apud Ægyptios perfectus eſt. Ecce Oxyrynus ciuitas ex propriis ciuibus tota perfecta eſt. Ecce, vt ad proximōs & vicinōs noſtros veniamus, Prothaſius & Geruaſius in propria hac Mediolanenſi ciuitate, propriæque domo manentes, ac per decem annos monachorum vitam exercentes, ita perfecti fuerunt, vt martyres fierent. An fortè ſola noſtra prouincia extra hanc regulam erit excepta, vt non de propriis, ſed tantum de * extremis habeat monachos. Satagendum igitur magis eſt, vt vbi quis fuerit, iuxta regulam perfectorum viuat, & non parentum, non propinquorum, non affinium illecebris à via perfectionis declinet. Sic certè iuxta Saluatoris ſententiã patri, matrique, fratribus, ſororibusque, vxoribus, filiis, domibus, agris, & cunctis quæ poſſidet renuntiare valebit. Hoc autem dico non quo ſecefſores qui de regno ad regnũ, de publico ad eremum tranſeunt, ſumma laude non ducam: ſed quo etiam illos qui magis † effectibus patriam fugiunt, quàm grefſibus, ſœlices atque perfectos oſtendam. Obſecro itaque illos qui hæc apud vos fieri poſſe denegant, vt vigilantia ſtudio conſiderent, cur non dixerit Dominus: Nemo Propheta perfectus eſt in patria ſua, ſed: Nemo acceptus eſt in patria ſua. Sed ibi quid aliud intelligendum eſt, niſi quia nõ acceptum dixit, nequaquam receptum. Quod de antiquis Prophetis & ſeipſo dictum intelligi voluit, qui apud incredulos Iudæos non fuerūt accepti, ſed magis ſpreti, Stephano ad eos dicente: Quem Prophetarum non ſunt perſequuti?

Fortè, externis.

Matth. 19.

† Fortè, affectibus.

Luc. 4.

Acto. 7.

P Rædicator omnipotentis Domini Paulus Apoſtolus dicit: Seniores ne increpaueris. Sed hæc ſententia in ea re ſeruanda eſt, cum culpa ſenioris exemplo ſuo non † tradat ad interitum corda iuniorum. Vbi autem ſenior iuuenibus exemplum ad interitum præbe, ibi diſtrieta increpatione feriendus eſt, quia ſcriptum eſt: Laqueus iuuenum omnes vos, & rurfum Propheta dicit: Et peccator centum annorum maledictus. Tanta autem nequitia ad aures meas de tua ſenectute peruenit, vt eam niſi adhuc humanius penſaremus, fixa iam maledictione feriremus. Dictum quippe eſt, quod dominicorum die prius quàm Miſſarum ſolènia celebrares, ad exarandam Meſſem Latonis præſentium perrexiſti: & poſt exarationem eius Miſſarum ſolènia celebrares. Poſt Miſſarum ſolènia etiam terminoſpoſſeſſionum illius eradicare minimè timuiſti. Dubij autem de tanta hac peruerſitate fueramus, ſed filius noſter Quiriacus abbas à nobis requiſitus dum eſſet Caralis, ita ſe cognouiſſe perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur aliquãdo reſipiſce ſenex, atque tantam leuitatem morum & operum peruerſitatem compeſce: qui quantò morti vicinioreſ efficeris, tanto fieri ſollicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ ſententia in te fuerat iaculanda: ſed quia ſimplicitatem tuam cum ſenectute nouimus, interim taceamus. Eos verò quorum conſiliis hæc egidiſti, in duobus menſibus excommunicatos decernimus: ita vt ſi quid eis infra duorum menſium ſpatium humanitus euenerit, benedictione viatici non priuentur. Deinceps autem ab eorum conſiliis cautus exiſte, tẽque ſollicitus cuſtodi: ne ſi eis in malo diſcipulus fueris, quibus magiſter in bono eſſe debuisti, nec ſimplicitati tuæ, nec ſenectuti tuæ vlterius parcamus.

Tit. 2.

† forte, tradat

ſaiæ 41. Ibidem 6.

F I N I S.

PHILOSOPHORVM ALIQVOT EPISTOLÆ, DIVO

Ambrosio interprete, Gilberti Cognati Nozereni opera in studioſorum vſum iam olim cum aliis Laconicis multorum Epistolis, collectæ.

Thales Pherecydi.

Vidio te primũ Ionum, de Diuinis rebus, apud Græcos palam diſſerere parare. Verũ iuſtiore fortæſſe ſententia, inter amicos ea quæ ſcripſeris, leges, quàm paſſim quibuſcumque permittes, nullo illis emolumento futura. Equidem ſi tibi gratum cognouero, volo conſcius eorum quæ ſcribis, eſſe. Ac ſiquidem iubes, ad te maturè proficiſcar. Neque enim aded amentes ac ſtolidi ſumus, ego & Solon Athenienſis, vt cum nauigio Cretam petierimus viſendi gratia, Ægyptũque itidem penetrauerimus, vt iſti Sacerdotibus & Aſtronomis congregemur, ad te non pari ſtudio nauigaturi ſimus. Veniet enim & Solon ipſe, ſi annuas. Neque tu loci illius amore detentus, rarò in Ioniam tranſis, neque peregrinorum hominum deſiderio tangeris. Verũ vni tantum, vt ſpero, ſcribendi negotio incumbis. At nos, qui nihil ſcribimus, Græciam, Aſiamque peragramus. Vale.

Thales Soloni.

Athenis ſi excedas, Mileti, vt equidem reor, commodiſſimè habitare poteris. Eſt enim veſtra colonia patierisque graue nihil. Quod ſi & apud Mileſios execraris tyrannidem, æquè enim vbi que tyrannos infeſtos habes, at cum amicis nobiſcum viuere erit iucundiſſimum. Scripſit ad te Bias, vt Prienam proficiſcaris: eam tu urbem ſi libentius inhabitaueris, & ipſi eò ad te aduolabimus.

Piſiſtratus Soloni.

Neque ſolus Græcorum tyrannidem arripui, neque mihi rem alienam uſurpauĩ, quippe genus à Cecrope duco. Id enim mihi meo iure vendico, quod Athenienſes olim cum in iureiurando firmaveſſent Codro, illiũque genti præbituros, poſtmodum abſtulerant. Cæterum in Deos, vel in homines nihil aliàs pecco. Leges, quas ipſe Athenienſibus dediſti, ſeruari, atque ſecundum eas viuere iubeo: & quidem melius ſeruantur, quàm poſſent, ſi mul-

multitudinis imperio res ageretur. Permitto enim nemini iniuriam fieri: ac tyrannus ego præter dignitatem & honorem nihil à plebe differo, ſolis eis ſtipendiis contentus, quæ iis quoque, qui ante me regnarunt, debebantur. Denique Athenienſium ſinguli de cimas frugum ſuarum ſeparant, non in uſus noſtros conſumendas, verũ ſacrificiis publicis commodiſque communibus: & ſi quando bellum contra nos ingruerit, in ſumptus deputandas. Tibi equidem nihil ſuccenſeo, quod mentem meam conſiliũque detexeris: quippe qui id potius rei publicæ ſtudio ciuitatis, quàm mei odio detexeris: ac præterea quod ignorares, cuiuſmodi ego rex futurus eſſem. Id enim ſi didiciſſes, æquo animo & conatus meos fortè toleraſſes, & te fugæ haudquaquam commiſiſſes. Domum igitur bona fide redi, mihi & iniurato credens, nihil eſſe periculi à Piſiſtrato Soloni. Noſti enim neminem, etiam ex inimicorum numero, mali quippiam à me perpeſſum. Denique ſi placuerit noſtra amicitia frui, inter primos eris: nihil enim in te fraudis, perſidiæve conſpicio. Quod ſi alioqui habitare Athenis nolueris, pro arbitrio tuo id facies: tantum ne noſtri cauſa, patria excederis. Vale.

Solon Periandro.

Scribis tibi plurimos inſidiari: at tu, ſiquidem omnes è medio tuleris, ne ſic quidem proficies. Inſidiabitur enim tibi quiſpiam ex his, quos minimè ſuſpectos habes, partim ſibi quidem metuens, partim te reprehendens, quod omnia formides, nihilque non metuas: partim item ciuitati gratificari cupiẽs. Eſſet ergo optimum, abſtinere tyrannide, vt cauſas omnis metus euaderes. Quod ſi tyrannidi omnino inſiſtendum cenſes, compares tibi, neceſſe eſt, externas vires & peregrina auxilia, vrbaniſ viribus maiora, vt iam tibi nullus infeſtus ſit, & tu neminem extorrem agas. Vale.

Solon Epimenidi.

Neque leges meæ profectò Athenienſibus profuturæ multum erant: neque tu eis antiquatis, ciuitati fuiſti emolumento. Deus enim, ac latores legum non ſoli iuuare ciuitates poſſunt, ſed qui multitudinem agunt, in quamcunque ſententiam volunt. His enim, ſi rectè rem adminiſtrent, Deus ac leges vtilis ſunt: ſi autem malè, nihil profunt. Neque ſanè meę leges ac iura, quæ ſcripſi, quicquam profuerunt: ſed qui illas tranſgreſſi ſunt, magna reipublicæ inuexere detrimenta, qui Piſiſtrato, ne tyrannidem inuaderet, non obſtiterunt. Neque verò futura prædicenti mihi fides habebatur. Ille fidelior exiſtimabatur Athenienſibus blandiẽs, quàm ego vera proloquẽs. Poſitis igitur armis pro curia, his quidem qui Piſiſtratum geſtire tyrannidem non animaduertunt, ſapientiorẽ: eis verò qui libertatem reipublicæ aſſerere metuerent, fortiorem me eſſe dixi, at illi Solonis interpretabantur inſaniam. Tandem ita patriam cõreſtatus, exceſſi: ò Patria, hic quidem Solon ille tibi opem ferre, & factò & dictò, promptus & paratus eſt, cæterum hiſce & inſanire videor. Itaque te deſerta, proficiſcor, ſolus ex omnibus Piſiſtrati inimicus: iſti verò & fauere & obſequi parati ſunt. Noſti enim hominem amice, quãto ille aſtũ, quo ingenio, qua arte tyrannidem inuaſerit. Nam cœpit blandè plebem illecere, deinde ſibi etiam vulnera inſiſxit:

ac progreſſus in publicum, eaque ſe ab hoſtibus accepiffe vociferans, orabat quadringentos robuſtiſſimos iuuenes ſibi cuſtodes darent. At illi, me quidem reſiſtente & reclamante, acquieuerunt. Erãt autem hi armati validis ſuſtibus, his itaque ſtipatus, ſtatum reipublicæ euertit: Dũmque illi ſpe inani paupères ſuos, ne mercede ſeruirent liberare ſtudent, omnes vnà ſub iugum miſſi ſunt, vni que ſeruiunt Piſiſtrato.

Solon piſiſtrato.

Credo equidem, nihil me abs te paſſurum mali. Nam ante tyrannidem tibi amicus eram, ne nunc quidem magis inſenſus, quàm alius quiuis Athenienſium, qui tyrannidem non ament. Siue autem vnus imperio regi, ſiue publicè rem adminiſtrari illis vtilius ſit, ex ſua quiſque ſententia ſtatuat. Certè tyrannorum te omnium eſſe præſtantiſſimum fateor. Athenas autem redire, mihi vtile non eſſe cognosco, ne quis me iuſtè reprehendat, qui Athenienſibus dudum rempublicam ex æquo adminiſtrandam tradideram, præſensque oblatam mihi tyrannidem ſpontè declinaueram, modo rediens factum tuum ſubita pœnitentia probare videar.

Solon Cræſo.

Amplector mirificè tuam in nos beneuolentiam: & per Deos immortales, niſi apud me iam pridem ſtatuiffem ibi ſedem habere, vbi reſpublica ſit libera, mallem apud te, in tuo regno vitam, quàm Athenis agere, violenter tyrannidem exercente Piſiſtrato. Verum ibi ſuauius ex inſtituto noſtro viuimus, vbi ſunt omnibus æqua & communia iura. Veniam tamen ad te, vt tuo vel hoſpitio tantisper fruam.

Chilo periandro.

Iubes, vt militia vacem, extorriſque agam: quaſi tu in tuto futurus ſis. Atqui ego monarchæ nec ſua tuta eſſe puto: ſœlicemque eum tyrannum cenſeo, cui in ſua domo abſque ſanguine contigerit mori.

Pittacus Cræſo.

Iubes me in Lydiam venire. ſpectatum opes tuas. Ego etſi illas minimè aſpexi, nihil ambigo, Alyattis filium, regum omnium eſſe opulentiſſimum, aurõque reſertiſſimum. Neque verò amplius quicquam habituri ſumus, ſi Sardeis ad te acceſſerimus. Auro enim ipſi non indigemus, contenti modico vitæ ſtipendio, quantum ſatis ſit mihi, & amicis. Veniam tamen, vt tibi perhumano & hoſpitali viro familiaris efficiar. Vale.

Cleobulus Soloni.

Amici quidem tibi ſunt permulti, ſinguliſque domus eſt: verum ego Soloni commodiſſimam fore ad inhabitandum, Lindum cenſeo, ciuitatem liberam. Eſtque inſula maritima, vbi ſi morari volueris, nihil à Piſiſtrato mali formidabis, atque ad te amici vndique confluent. Vale.

periander Sapientibus.

Gratias immortales ago Pythio Apollini, quod in vnum coactos Epistolæ meæ repererunt, ipſæque Corinthum, vt conſido, perducent. Expecto itaque vos. Certè ipſi videbitis, quàm ciuilitate vos excipiã. Sicut igitur anno præterito Sardeis, in Lydiam veniſtiſ: ita nunc oro, ne pigeat ad me quoque proficiſci, Corinthi tyrannum, videbunt enim vos non

sine gratulatione Corinthij, Periandri domum ad-
euntes.

Periander Procleo.

Nobisquidem non ex sententia fuit vxoris scelus:
tu autem sponte filio ingrato si quid egeris, peccas.
Aut igitur immanitatem in filium compesce, aut e-
go illi opem ferā: nam & ipse satis diu pœnas dedit.

Thrasylbulus Periandro.

Præconi quidem tuo nihil dissimulaui, sed ipsum
in segetem inducens, eminentiores spicas bacillo fe-
riens, decutiebam, subsequente illo: tibi que, si in-
terrogares, referret, quicquid vel viderit, vel audierit
à me. Tu ergo sic facito, si quidem tyrannidem tutò
tenere cupis, atque in ea constabiliri. Ciuitatis prin-
cipes tolle, siue illi amici, siue inimici videatur: quip-
pe tyranno amici quoque sæpe suspecti sunt.

Anacharsis Cræso.

Ego Lydorum rex in Græciam adueni, Græcorū
mores & studia & instituta percepturus. Auro au-
tem nihil egeo, satisque mihi est, vt ad Scythas re-
deā melior atque doctior. Veniam tamen ad te Sar-
deis, plurimi faciēs tibi familiarem & amicum fieri.

Epimenides Soloni.

Confide ô amice. Si enim vel seruire assuetis, vel
non bene institutis, Atheniensibus Pisistratus immi-
neret, imperium profectò diuturnum habuisset. Cæ-
terum viros haud sanè malos, aut ignauos seruire
compulit: sed qui monitorum Solonis memores,
præ pudore ingemiscant, seruire tyrannidi diutius
haud quaquam ferent. Verum etsi Pisistratus ciuita-
tem occuparit, non tamē ad illius liberos imperium
spero deducendum. Est enim perdifficile hominibus
liberis, præclarisque institutis legibus, sub seruitute
durare. Tu autem, noli, quæso, vagus agi, sed in Cre-
tam venire ad nos matura, vbi tyrannus nullus cui-
quam molestus est. Si verò illius amici fortè, vt fit, in
itinere inciderint, metuo, ne quid sinistra tibi cœ-
niat.

Pherecydes Thaleti.

Bene moriaris, cum tibi fatalis dies superuenerit.
Morbus me inuaserat, cum tuas accepi literas, pedi-
culis opperiebar, & febri quatiebar totus. Mandauit
itaque quibusdam ex familiaribus, vt cum me sepe-
lierint, ad te perferant, quæ scripsi. Tu autem, si qui-
dem ea probaueris cum sapientibus reliquis, ita le-
genda demum trades: sin autem improbaueris, no-
lito edere. Mihi certè nec dum satis placebant, est
ibi quidem non certa rerum fides. Neque enim id
recepti, neque quid sit verum me scire profectus sum.
Fortè quædam de Theologia reseruauit, cætera intel-
ligere oportet. Omnia quippe iudico potius, quàm
aperio. Morbo autem singulis diebus inualecente,
neque medicorum quempiam, neque amicorum
penitus admitto. Cæterum assistentibus pro foribus
& interrogantibus, quò in statu sim, digito per ostij
claustra dimisso, quàm pestilenti malo teneor, ostendi:
admonuique vt postridie conueniant ad solen-
nes Pherecydis inferias. Vale.

Anaximenes Pythagoræ.

Thales, ab ætatis flore, ad senectutem, per studia
virtutis humanitatisque peruectus, inclita morte de-
fungitur. Is cum, vt consueuerat, vnà cum ancillula,
sydera inspecturus, atrio domus matutinus exisset,

immemor vt sese loci situs haberet, dum æthera se-
curus explorat, in subiectam foueam cecidit. Milesij
syderum obseruatoris hunc finem tradit. Cæterum
nos, qui literarum amore tenemur, tanti viri iugiter
meminimus, atque in illius maximè doctrina ac-
quiescimus, initiūque sermonis nostri Thaletem
semper instituiimus.

Anaximenes Pythagoræ.

Consultius nobis egisti, vt quietus viueres, qui ex
Samo Crotonem commigraisti. Nam Æacidæ cum
aliis infesti sunt, tum Milesijs tyranni dominantur.

H Medorum item Rex nobis acriter imminet, nisi ve-
limus esse tributarij. Quanquam videntur Iones pro
libertate omnium cum Medis dimicare. Ita enim illi
nos vndique vrgent, vt nulla nobis spes salutis sit.

Quonam igitur animo possit Anaximenes cœli se-
creta rimari, cui iugis aut mortis, aut seruitutis incū-
bit metus? Atqui tu Crotoniatis atque Italis cæte-
ris gratus atque in precio es, quem accedunt & ex
Sicilia studiosi quique.

Archytas Dionysio.

Misimus omnes Platonis necessarij Lamiscum, &
I Photidam, virum illum abs te recepturi iure anti-
quæ nostræ amicitia. Rectè igitur feceris, si memi-
neris, quanto à nobis studio efflagitasti Platonis ad
te aduentum, vt nos illum venire hortaremur, factu-
rum te spondens omnia illumque liberè accedere &
abire permissurum. Memor esto igitur, quanti illius
aduentum feceris, quòdque eo tempore plus cæte-
ris amaueris. Quòd si qua orta similtas est, huma-
nius te agere conuenit, illumque nobis restituere il-
læsum. Hæc enim si facis, iustitiam coles, ac nobis
gratificaberis.

Arcefilas Thaumasia.

Testamenta mea Diogeni tradidi ad te perferēda.
Quia enim sapius ægroto, & corpore non rectè va-
leo, testamentum conficere placuit: vt si quid con-
tingat inopinatum, sine tua iniuria proficiscar ex vi-
ta, qui vnus ex omnibus maximo me affectu profe-
cutus es. Fidelissimus autem omnium, qui hîc sunt,
cum mihi semper fueris, diligenter & seruire stude,
tum propter atatem, tum propter necessitudinem.
Cura igitur memor, quantum tuæ fidei committam,
vt quod apud te totum deponetur, quātum in te est,
& negotia mea honestè disposita sint.

Rex Antigonus Zenoni philosopho.

Ego fortuna me quidem & gloria vitam tuā an-
teire existimo: cæterum disciplinis studiisque libe-
ralibus, & perfectæ fœlicitate, quam tu possides, lon-
gè abs te præcelli sentio. Quocirca te orare statui, v-
ti ad me proficiscaris, id mihi persuadens, te preces
meas minimè irritas fieri passurum. Tu igitur modis
omnibus enitere, vt tuo contubernio fruamur: certò
sciens non mei tantum, sed omnium simul Macedo-
num eruditorem fore. Nam qui Macedonia regem
erudit, atque in virtutem imbuit, eum & subditos
quosque instruere ad fortitudinem & probitatem
certum est. Nam cuiusmodi fuerit dux, tales vt plu-
rimum subditos fieri necesse est. Vale.

Zeno Antigono regi.

Amplector tuum tam vehemens discendi studiū,
quod veram, vtilem atque necessariam: nō popula-
rem,

rem, & quæ ad peruertendos mores tendit, eruditio-
nem apprehendere instituis. Qui enim philosophiæ
amore ac studio tenetur, declinatque celebrem il-
lam & vulgarem voluptatem, quæ quorundam ado-
lescentulorum animos effœminat: eum non natura
modò nobilitatem tueri, sed verum quidem virtutis
quoque institutum, manifestum est. Porrò liberali
ac nobili ingenio si adiiciatur modica exercitatio,
neque desit præceptoris copia, maturè ad perfectam
virtutis euadit frugem. Equidem nisi senectus mihi
obfisteret, sum enim octogenarius, corpùque præ-
terea inualidum, ipse ad te venire vt iubes. Quia
verò id datur, quosdam ex contubernalibus meis ad
te mitto, qui animi bonis me minimè inferiores sunt
& corporis etiam commodis exuperat. His si tu stu-
diosè congregiare, nihil quod ad perfectam pertinet
beatitudinem, desiderabis. Vale.

Pythagoras Anaximeni.

At tu virorum optime, si nihil Pythagora, & ge-
nere & gloria præstantior esses, profectò ad nos iam
ex Mileto migrasses: nunc verò te continuit paterna
& auita gloria, quæ & me continuisset, si essem Ana-
ximeni similis. Cæterum vos si augurio vrbes dese-
retis, eis quidem ornatus adiuuetur, Medique illis
infestius instabunt. Neque verò semper conuenit a-
strorum ac cœli vestigare rationes. Præstat inter-
dum, ad patriam curas cogitationesque conuertere.
Quanquam ego non semper meis vaco fabulis, ve-
rum & bellis interdum quibus inter se inuicem Itali
desident.

Archytas Platoni.

Facis tu quidem rectè, quod nobis te cõualuisse
ex ægritudine significaris: de Damisco item certio-
res feceris. De Commentariis autem curauimus ve-
nimusque ad Lucanos, ibique conuenimus Ocelli
nepotes. Quæ igitur de regno, legibus, iustitia, om-
niūque generatione, & ipsi habemus, & ex his quæ-
dam misimus. Reliqua modo reperiri non possunt:
cum inuenta fuerint, ad te deferentur.

Plato Archyta.

Quæ abs te nobis allata sunt Commentaria, dici

non potest, quàm libenter accepimus: quique illa
scripsit, in primis admirati sumus. Ostendit enim
profectò vir ille, dignum se maioribus illis suis, anti-
quissimis atque optimis viris. Feruntur autem isti vi-
ri, Myræi fuisse: hi autem ex illis fuere Troianis, qui
cum Laomedonte migrarunt, viri boni, vt de illis
tradita significant. Quæ apud me sunt Commenta-
ria, de quibus scripsisti, nò dum satis elucubrata sunt,
neque vnquam satis erunt, ea tamen misi. De custo-
dia verò ambo consentimus, nihil itaque adhorta-
tione opus est. Vale.

*Rex Darius Hystaspis Filius, Heraclitum Ephesum,
sapientem virum, salutat.*

Librum de natura scripsisti obscurū, difficilē-
que in plerisque, qui si ad verbum exponatur, vim
quandam speculationis continere videtur mūdi to-
tius, & quæ in eo fiunt omnium, quæ quidem sunt
in diuino motu constituta. In quibus plurimi hæse-
runt adeò, vt & qui complura legerunt, ambigant,
cum recta abs te narratio conscripta videatur, Rex
igitur Darius, Hystaspis filius, auditor esse tuus cupit
participare Græcæ eruditionis fieri. Venias itaque
quàmprimū ad conspectum meum, ac regiam do-
mum. Græci enim, vt plurimum sapientibus viris ob-
seruandis minus dediti, asperrantur ea quæ ab his
rectè fuerint elucubrata: tamen si eiusmodi sint, vt
eruditione & grauitate non careat. Apud me autem
aderit tibi omnis honor, primatūque omnis, quoti-
dièque sollicita obseruatio, & grata collocutio, vitæ-
que tuis moribus probabilis. Vale.

Heraclitus Ephesus regi Dario, Hystaspis filio.

Quotquot mortales in terris viuunt, à veritate
ac iustitia abstinent, auaritiæ autem & inani gloriæ
inexplebiliter intendunt, perditæ dementiæ causa.
Ego autem omnis immemor nequitia, fastidium-
que deuitans omnis inuidiæ domesticæ, quæ splen-
dorem comitari solet, nunquam in Persarum solum
aduenirem, paucis contentus, quæ sunt secundum
meam sententiam.

F I N I S.

VTRIVSQUE TESTAMENTI

LOCORVM IN HISCE DIVI AMBROSII

OPERIBVS EXPLICATORVM INDEX,

non minus accuratus, quam copiosus.

EX GENESI.

- Cap. j **E**RMINET terra herbam sceni, tom. 1. 6. A
Faciamus hominem ad imaginem & similitu-
dinem nostram, to. 2. 1211. K. & to. 4. 68. K
ij **C**rescite & multiplicamini, to. 4. 291. I
ijj **S**pinas & tribulos tibi germinabit terra, tom. 5. 828. A
Maledictus tu ab omnibus pecoribus terræ, to. 1. 463. H
Super pectus tuum & ventrem ambulabis, ibid. I
Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum,
tom. 3. 667. H
Adam vbi es? tom. 4. 383. H
Erit tibi terra cibus, tom. 4. 361. A
Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis, tom. 1. 673. B
iiij **P**eccasti, quiesce, tom. 4. 383. H. & tom. 1. 715. M
Sanguis fratris tui ad me clamat, tom. 1. 287. K
vj **N**on permanebit spiritus meus in hominibus istis quonia
carnes sunt, tom. 1. 349. C
Ostium facies ex transuerso, inferiora autem arcæ, &c.
tom. 1. 130. D
ix **N**oe plantauit vitem, & bibit de vino eius, & obdormiuit,
tom. 1. 56. G
xj **V**enite descendamus & confundamus linguas eorum,
tom. 4. 149. A
Et descendit Dominus videre ciuitatem & turrim, quam
ædificauerant filij hominum, to. 4. 164. D
xv **Q**uia sicut cælum fulget & stellæ, sic & semen eius, to.
3. 257. D
xvii **R**espiciens Abraham oculis suis vidit, & ecce tres viri sta-
bant super eum, to. 1. 184. K
Descendam vt videam secundum clamorem eorum ve-
nientem ad me, si consummabuntur, tom. 4. 165. C
xxij **M**ultiplicabo semen tuum, tom. 2. 1002. D
Venit ad locum quem ei Dominus dixerat die tercia, to.
1. 184. I
Nunc scio quia amas Dominum Deum tuum, to. 5. 555. D
Quia in femine tuo benedicentur omnes gentes, tom. 3.
369. D
Ecce ignis, & ligna, vbi hostia? tom. 5. 1086. I
xxiiij **H**ic locus vocatur castra Angelorum, tom. 2. 892. H
xxiiiij **E**sto in millia millium, & semen tuum possideat aduerfa-
riorum ciuitates, tom. 1. 350. D
xxviij **O**dor filij mei sicut odor agri, tom. 1. 43. H
xxviiij **O**mnium quæ mihi dederis decimam decimabo tibi,
tom. 1. 592. K
Ne accipias vxorem de filiabus Chananæorum, &c. to.
5. 1101. H
xxix **O**dor Iacob, odor agri pleni, tom. 1. 56. H
xxxj **N**umquid est nobis portio aut hæreditas in domo patris
nostri? Numquid sicut alienæ æstimamur ei? to. 1.
550. E
Omnes diuitiæ & gloria quam abstulit Deus patri nostro,
nobis erit & filiis nostris, ibid.
Si annuntiales mihi, emillêm te cum lætitia & tympanis,
tom. 1. 551. L
xxxij **H**ic est homo qui luctatus est cum Iacob, &c. tom. 2.
994. D
xxxv **I**saac appositus est ad genus suum, tom. 1. 173. D
xlvi **O**mnes animæ quæ descenderunt in Ægyptum, tom. 1.
349. C
xlvij **O**mnes dies vitæ meæ quos ago, breues, &c. tom. 1.
66. C
Dan iudicabit populum suum, tanquam vna tribus in Is-
rael, to. 2. 964. H

- Fiat Dan sicut serpens in via, sedens in semita, &c.
Ibid.
Hilares à vino oculi eius, & dentes super lac, tom. 2.
1293. B
Ex germine filii mi ascendisti recumbens, &c. tom. 2.
1379. L
Defuncto Iacob præcepit Ioseph, &c. tom. 5. 755. C
Ex Exodo.
TRansiens videbo hoc visum magnum, to. 2. 887. M. Cap. iij
Solue cal camentum pedum tuorum, to. 3. 160. G.
& 62. E. & to. 1. 353. D
Qui est, milit me, to. 4. 139. G
Viam trium dierum ibimus & immolabimus domino no-
stro, tom. 1. 184. K
Precor domine non sum eloquens, neque ex quo cœpisti
loqui seruo tuo, &c. tom. 1. 339. I
Viam trium dierum ibimus & immolabimus Deo nostro,
tom. 1. 299. K
Hic mensis primus erit vobis in mensibus anni, tom. 1. xij
246. A
Agnus sine macula mundus, consummatus anniculus,
masculus erit vobis ab ouibus & hædis, tom. 1. 286. C
Quia media nocte primogeniti Ægyptiorum ab exter-
minatore sunt interempti, tom. 7. 1197. B
Recordamini diei huius, in qua egressi estis ex Ægypto,
&c. Exod. 13. tom. 1. 595. L
Sex dies comedetis azyma, at die septima festum domi-
no, &c. Ibid.
Et non defecit columna nubis in die, & columna ignis in
nocte coram omni populo, tom. 1. 596. M
Et erit cum inducet te Deus in terram Chananæorum si-
cut iurauit patribus tuis, & dabit tibi, tolles omne
quod aperit vuluam masculinum domino, tom. 1.
188. M
Quid clamas ad me? tom. 2. 1323. G. H. xiiij
Marath fons amarissimus immissa ei virga Moysis dul-
cis est factus, to. 4. 307. H. xv
Venerunt autem in Marah & non potuerunt bibere aqua
de Marah, &c. tom. 1. 597. F
Inducens plantato eos in montem hæreditatis tuæ, &c.
tom. 2. 991. I
Et profecta est omnis congregatio filiorum Israël ex de-
serto Sin per castra sua, &c. tom. 1. 600. L
Et castrametati sunt in Raphidim: nõ erat autem aqua
populo ad bibendum, tom. 1. 601. C
Audiuit autem Moyses vocem foceris sui, & fecit quæcun-
que dixit ei, to. 1. 602. A. xviiij
Fugauit Amalech & omnem populum eius in confusio-
ne gladii, tom. 1. 601. F
Confidite, causa enim tentandi vos, venit deus ad vos vt
sit timor eius in vobis, tom. 1. 611. H. xx
Ego sum dominus Deus tuus, Deus Zelotes, tomo 1.
610. F
Honora patrem & matrem vt longæuus sis super terram;
tom. 2. 989. B
Quia populus videbat vocem Domini, tom. 3. 6. D
Quod si pecuniam sceneraueris pupillo, orphano, paupe-
ri, &c. tom. 2. 752. K. xxij
Quod si acceperis computationem filiorum Israël, &c. xxx
tom. 5. 922. G
Si quis peccauerit ante me, delebo eum de libro meo, xxxij
tom. 3. 371. H
Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, xxxiiij
&c. tom. 2. 1220. G

INDEX VETERIS

Ex Levitico.
 Cap. ij **O**Mnis victima sale salietur, tom. 3. 91. G
 ix Quia exiuit ignis à Domino, &c. tom. 5. 520. C
 xvj Vnam Domino facies & alteram transmissori, tom. 2. 761. B
 xvij Anima totius carnis sanguis est, tom. 1. 253. C
 xix Estote sancti, quoniam & ego sanctus sum, to. 4. 292. L
 xx Anima quæ sequuta fuerit ventriloquos, & incantatores vt fornicetur post eos, obfirmabo faciem meam contra animam illam, tom. 1. 615. H
 xxv Et viuet frater tuus tecum, pecuniam tuam non dabis illi in vsuram, tom. 2. 753. B
 Et erunt sabbata terræ vobis esca, tom. 1. 465. A
 xxvij Omnis decima terræ, & à fructu ligneo, Domino est: & omnis decima boum & ouium, tom. 1. 592. I
Ex Numeris.
 Cap. j Numeratio filiorum Israel cum exercitu eorum à viginti annis & supra, omnis egrediens ad præliandum Israel, tom. 1. 591. L
 Ecce ego Leuitas de medio filiorum Israel pro omni primogenito, qui aperit vuluam à filiis Israel, to. 1. 194. F. & tom. 5. 466. I
 In ea die qua interfeci omne primogenitum Ægypti, sanctificauit mihi omne primogenitum Israel, to. 1. 199. H
 x Fac tibi duas tubas ductiles, tom. 5. 749. K
 x) A sepulchris concupiscentiæ profectus est populus in Aferoth, tom. 1. 604. K
 xij Et post hæc profectus est populus de Aferoth, & castrametatus est in deserto Pharan, tom. 1. 605. A
 xv Cùm intraueritis in terram in quam induco vos, & cùm manducare cœperitis de panibus terræ illius, & offeritis oblationem separatam Domino, primitias conspersionis vestræ, tom. 1. 194. A
 Morte moriatur homo, lapidabitur eum lapidibus, omnis congregatio extra castra, tom. 1. 610. C
 xix Si quis mortuum tetigerit, immundus erit, to. 1. 395. H
 xx Et nunc sumus in Cades ciuitate, ex parte finium tuorū, tom. 1. 613. A
 xxj Et discedentes ex Oboth, castrametati sunt in Ieabarim, tom. 1. 615. I
 Et discesserunt inde in vallem Zared, ibid. M
 Castrametati sunt in valle Zared, inde discedentes castrametati sunt trans Arnon in deserto, &c. tom. 1. 617. A
 Fac tibi serpentem çneum, & pone illum pro signo, tom. 1. 613. F
 Et profecti filij Israel castrametati sunt in Oboth, tom. 1. 614. E
 xxij Omne quod aperit vuluam asinæ mutabis oue, tom. 1. 195. k. & 196. M
 Et discedentes filij Israel, castrametati sunt ad occidentem Moab, apud Iordanem iuxta Hiericho, tom. 1. 617. D
 Moriatur anima mea in animis iustorum, & fiat semen meum vt semen eorum, tom. 3. 156. M
 Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel, to. 3. 34. A
 Initium omniau nationum Amalech, & semen eius peribit, tom. 1. 6. E
 xxv Phinees filius Eleazar filij Aaron sacerdotis sedauit furorem meum à filiis Israel, tom. 2. 1310. E
 xxvj Accipe summam vniuersæ congregationis filiorum Israel à viginti annis & supra, tom. 1. 591. K
 xxvij Dona mea & data mea, tom. 1. 716. H
Ex Deuteronom.
 Cap. iij **E**Go sum ignis consumens, tom. 1. 61. A
 Attende tibi ô homo, tom. 1. 118. B. & 123. X
 v Tu autem sta hic mecum, tom. 2. 837. E. & 1073. B
 vj Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est, tom. 1. 565. D
 x Renunciatum est tibi bonum ô homo, aut quid Dominus requirat à te, tom. 1. 460. L
 xij In quo comprehendam Dominum? ibid.
 Attende tibi ne derelinquas Leuitem per omne tempus quod vixeris super terram, tom. 2. 1296. H
 Date hostiam par turrurum aut duos pullos columbarū, tom. 1. 97. A
 Post dominum tuum ambulabis, tom. 1. 314. A xij
 Si audieris legem, & custodieris, fœnerabis gentibus, xv tom. 2. 757. F
 Princeps eris multarum gentium, tibi autem princeps ex ipsis non erit, to. 1. 418. E
 Fratri tuo nõ fœnerabis ad vsuras, sed ab alienigena exiges, tom. 2. 754. A
 Attende tibi ne obliuiscaris domini Dei tui vt non custodias mandata, & 8. tom. 1. 183. H
 Si fuerint vni homini vxores duæ, vna earum dilecta, altera odibilis: & pepererint ei ambæ duos filios, dilecta & odibilis, & primitiuus fuerit filius odibilis, &c. Deut. 23. tom. 1. 176. K. L
 Si fuerit tibi debitum à proximo tuo quodcumque, non introibis in domum ipsius pignerare pignus, &c. tom. 2. 756. G
 Non pignerabis molam, neque lapidem superiorem molæ, Ibid.
 Non accipies pignus vestimentum viduæ, Ibid.
 Moyfes mandauit dare libellū repudij, & dimittere vxores, tom. 3. 214. B
 Semen fratris defuncti superstes suscitabit, tom. 3. 56. I
 Ponam cælum æreum, & terram ferream, tom. 5. 1073. K xxvj
 Aduena qui est in te, ascendet super te, tu autem descendes in imum, tom. 2. 758. F
 Hic tibi fœnerabit, tu autem non fœnerabis ei, hic tibi erit caput, tu autem eris cauda, Ibid.
 Ponam vobis cælum sicut çneum & terram vestram sicut ferream, tom. 1. 583. H
 Tunc videbitis vitam vestram pendentem antè oculos vestros, & non credetis, tom. 3. 492. L
 Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, tom. 1. 565. xxx
 Si fuerit disperso tua à summo cæli, vsque ad summum cæli, &c. tom. 2. 1003. G
 Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem bonum & malum, tom. 1. 375. I
 Posui ante te bonum & malum, vitam & mortem, tom. 1. 462. B
 Ipsi excitauerunt me in æmulationem in non Deo, &c. xxxj tom. 2. 870. B
 Ego in æmulationem eos excitabo in non gente, Ibid. xxxij
 Ego occidam & viuificabo: percutiam & sanabo, tom. 5. 812. F
 Interroga patrem tuum & ipse tibi dicet, tom. 2. 987. L
 Lactauit eos melle ex petra, &c. tom. 2. 1373. C
 Sicut Aquila protegit nidum suum, & super pullos suos concupiuit, & expandit alas suas, &c. tom. 1. 96. k
 Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis, tom. 1. 682. k
 Qui visus est in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem eius, &c. tom. 2. 993. E
 Benedictus qui ampliavit Gad: sicut leo requieuit, confingens brachia & principes, &c. tom. 1. 524. k
 Dan catulus leonis, & effugiet ex Bafan, to. 1. 523. M
 Myriades Ephraim, & Chiliades Manasses, to. 1. 528. M
 Nephthalim fatietas accipietium replebitur benedictione à Domino, & mare Africum possidebit, to. 1. 525. D
 Benedictus à filiis Afer, & erit acceptus fratribus suis, & intingeret in oleo pedem suum, ferrum & æs calciamētum eius erit, tom. 1. 525. B
 Primogenitus tauri decus eius, habens cornua vnicornij, in quibus gentes ventilabit, tom. 1. 528. k
 Quia planxerunt filij Israel Moysen, &c. tom. 5. 755. D
Ex libro Iosue.
 Historiæ velleris in arca explicati, interpretatio, to. 4. Cap. v 171. in prolog.
Ex libro Iudicum.
 Gedeon superaturus Madianitas, cur trecentos viros iusserit sumere hydrias, tom. 4. 195. G Et

NOVIQVE TESTAMENTI

xv Et sedit in spelunca petræ Ethan, tom. 1. 596. M
 xyj Samson septem habebat crines, tom. 3. 809. I
Ex lib. Ruth.
 Cap. ij **H**istoria Ruth colligentis manipulos, quid significet, tom. 4. 102. A
 Quia mulier virtutis es tu, & quia bene fecisti misericordiam tuam nouissimam plusquam primam, tom. 3. 62. B
 iij Det tibi Dominus facere virtutem in Ephrata, & sit nomen in Bethlehem, ibid. F
Ex lib. 1. Regum.
 Cap. ij **S**i peccauerit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum: si autem in Dominum peccauerit homo, quis orabit pro eo? tom. 4. 355. K
 Dominus iudicabit fines terræ, & dabit virtutem regi, & exaltabit cornu in loco vberi, tom. 1. 528. L
 Honorificantes me honorificabo, tom. 1. 168. L. M
 iij Ecce mitto lapidem in fundamentum Sion, &c. tom. 5. 446. H
 Pascebat seruus tuus gregem patris sui, & veniebat leo vel vsus, &c. tom. 3. 858. B
 xvij Inuocauit Helias, & descendit ignis de cælo, tom. 4. 323. G
Ex 2. libro Regum.
 Cap. vj **C**oram Domino nudabor adhuc, & ero mendax ante oculos tuos, &c. tom. 1. 635. I
 Saltauit David ante arcam Domini, tom. 4. 374. D
 Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, tom. 3. 821. B
 Filius meus es tu, ego hodie genui te, tom. 3. 747. M
 Quid mihi & tibi est fili Saruie? Ideo maledicit mihi quoniam Dominus dixit illi vt maledicat, tom. 1. 635. M. & seqq.
 xxij Quis mihi dabit potum de lacu qui est in Bethlehem ad portam? tom. 1. 398. B
Ex 3. libro Regum.
 Cap. ij **E**T appositus est ad patres suos, tom. 1. 173. D
 Iterate tertio: & iterauerunt tertio, & cùm manaret aqua precatus est Elias, & ignis descendit de cælo, to. 1. 692. G
Ex 4. libro Regum.
 Cap. ij **P**ater, pater, agitator Israel, tom. 1. 370. A
 iij Quid dabo hoc in conspectu centum virorum, to. 1. 108. G
 Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: & si inuenieris aliquem non benedicas ei, tom. 1. 609. E
 Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitas caro tua, atque mundaberis, tom. 3. 861. F
 Inuocauit Helisæus nomen Domini, & de aqua ferrū securis ascendit, quod demersum fuerat, tom. 4. 323. H
Ex lib. 1. Paralipomen.
 Cap. xvij **E**Go ero ei in patrem, & ille mihi in filium, to. 3. 54. D
 Suscitabo semen tuum post te, qui erit de ventre tuo, & parabo regnum eius. tom. 3. 53. F
Ex lib. 2. Paralipomen.
 Cap. xj **A**edificauit ciuitates munitas Ethan & Thecue, to. 1. 597. A
 xx Destruxit Dominus opus tuum, & contrita sunt naues, & non potuerunt ire in Tharsis, tom. 2. 1039. k
Ex libro Esdrae.
 Cap. vij **E**T promptuaria reddent animas quæ his commendatae sunt, tom. 1. 390. F
 Quia cùm venerit iudicij dies, reddet terra defunctorum corpora, ibid.
Ex libro Job.
 Cap. ij **S**i bona accepimus de manu Domini, quare non & mala tolerabimus? tom. 2. 826. B
 Mitte manum tuam in eum, &c. tom. 2. 881. C
 Vt quid tanquam vna stultarum mulierum locuta es, tom. 1. 545. E
 Dic verbum contra Dominum, & morere, ibid.

Pereat dies illa in qua natus sum, t. 3. 79. H. & t. 1. 376. H
 Apprehendam sapientes in astutia eorum, to. 3. 433. C
 Beatus homo quem corripuit Dominus, tom. 1. 616. H
 Nunquid non tentatio est vita hominis in terra? tom. 1. 380. H
 Sicut mercenarij merces vita eius, in labore scilicet & tempore, leuitor fabulis & fluitans & natans verbis, &c. Ibid.
 In die nox desideratur, in nocte dies quæritur: antè escam gemitus, inter cibos fletus, &c. Ibid.
 Piraterium est vita hominis super terram, tom. 2. 825. B
 Piraterium est vita, &c. tom. 2. 836. C
 Quid insuper nisi hic tentationes? tom. 1. 459. G vij
 Qui facit montes inueterascere, &c. to. 2. 785. D ix
 Memento quia lutum me finxisti, tom. 1. 379. M x
 Corium & carnem me induxisti, ossibus & neruis me intexuisti, tom. 1. 379. M
 Ab iniquitate innocentem me nõ fecisti. Si enim impius fucto vā mihi: si autem sim iustus, non potero caput reclinare. Induxisti super me tentationes, tom. 1. 380. G
 Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius, & anima eius, quodcumque voluerit, hoc fiet, tom. 4. 12. K
 Quare obsecrasti aduersum me mala, & apposuisti mihi adolescentiæ peccata, tom. 2. 789. A
 Nemo mundus à torde, nec si vnus diei vita eius sit in xiiij terra, &c. to. F. 3.
 Ecce peccato obnoxios dies meos nosti, tom. 2. 938. C
 Moralis filius mulieris breuis vitæ est, &c. tom. 2. 789. C
 Vtinam in inferno me conseruares, absconderes autem me donec desinat ira tua, &c. tom. 2. 790. D
 Cum autem dormierit homo non resurget vsque dum cælum assuatur, tom. 2. 789. D. E
 Manus domini tetigit me, tom. 2. 881. B xix
 Firmamentum quoque tonitruui sui quis scit quando fiet, xxvj tom. 4. 208. H
 Viuit dominus qui sic me iudicat, & omnipotens qui ad xxvij amaritudinem perduxit animam meam: Ipiritus autem diuinus qui est in naribus meis, tom. 4. 210. A
 Iustitiam induebam, & vestiebam iudicium, tom. 1. 429. A
 Abyssus non est in me, tom. 2. 791. I xxvij
 Numerata sunt illi & stillicidia pluuiarum, &c. 38. tom. 1. 25. B
 Benedictio morituri in me veniat, tom. 1. 388. H xxix
 Liberaui pauperem de manu potentis: & orphanum, cui non erat adiutor, adiuiui, &c. tom. 1. 712. L
 Conspirationem quam habui aduersus aliquem iuramento conceptam, imponens coronam legebam, & si non scindens eam reddidi, &c. tom. 2. 756. I
 Posui ei fines apponens claustra & portas, tom. 1. 55. G xxxvij
 Et volet tibi vnicornuus seruire, tom. 1. 913. F xxxix
 Ecce fortitudo eius in lumbis, & virtus eius in vtero, xl tom. 2. 917. E
Ex lib. Psalorum.
Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, &c. Psalm. j tom. 1. 415. k
 Filius meus es tu, ego hodie genui te, tom. 3. 747. M ij
 Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. tom. 4. 7. H
 Astiterunt reges terræ, & principes cõuenerunt in vnum, tom. 3. 277. D
 Reges eos in virga ferrea, tom. 1. 660. I
 Ego dormiui, & requieui, & resurrexi, tom. 1. 387. M iij & 714. F
 Signatum in nobis lumen vultus tui Domine, to. 4. 195. I iij
 Irascimini & nolite peccare, tom. 2. 875. M
 Quæ dicitis in cordibus vestris, &c. tom. 1. 379. L
 Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, tom. 2. 1013. B

INDEX VETERIS

Omnia subiecisti sub pedibus eius, gloria & honore coronasti eum, tom. 3.493.A
Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, tom. 4.344.k
Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, nisi quia visitas eum, minorasti eum paulò minus ab angelis, tom. 4.81.k
ix Qui exaltas me de portis mortis, Constitue Domine legislatorem super eos, &c. to. 2. 1255.L
x Firmans tonitruum, & creans spiritum, to. 4.207.H
xj Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. tom. 1.372.L. & tom. 2.1234.F
xiiij Et Jordanis conuersus est retrorsum, Corrupti sunt & abominabiles facti, non est qui faciat bonitatem, &c. tom. 2.839.M
Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, tom. 4.7.L
Dominus respexit super filios hominum, si est intelligens aut requirens Deum, tom. 3.254.D
Sepulchrum patens guttur eorum, tom. 1.259.G
xiiij Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, to. 3. 146.D
Dominus dat escam esurientibus, Dominus erigit elifos, &c. tom. 3.114.E
xv Notas mihi fecisti vias vitæ, tom. 5. 881.G
xvj Satiabor Domine cum apparebit gloria tua, De vultu tuo iudicium meum prodeat, Sub vmbra alarum tuarum protege me, Custodi nos Domine vt pupillam oculi, tom. 1.127.L
xvij Posuit tenebras latibulum suum, & nox nocti indicat scientiam, Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, to. 1. 389.F
Dedit vocem suam Altissimus, & mota est terra, tom. 4. 93.B
Cum sancto sanctus eris, cum peruerso peruerteris, to. 1. 307.I. & 389.F
Et inclinavit cælos, & descendit, Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, & vt lutum platearum delebo eos, In omnem terram exiuit sonus eorum, A summo cælo egressio eius, & occurfus eius vsque ad summum eius, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, Dies diei eructat verbum, Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, &c. tom. 2. 873.A
xxj Ego sum vermis & non homo, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te, Tauri pingues obsederunt me, In te proiectus sum ex vtero de ventre matris meæ, &c. tom. 2. 979.G
Tauri pingues obsederunt me, & diuiserunt sibi vestimenta mea, Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? ibid. A
Longe à salute mea verba delictorum meorum, tom. 2. 950.B
xxij Et calix inebrians quàm præclarus est? Animam meam conuertit, deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum, Diuiserunt sibi vestimenta mea, &c. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me, Impinguasti in oleo caput meum, Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, to. 1.491.I

Tollite principes portas vestras, Domini enim est terra, Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hæreditabit terram, Delicta iuuentutis & ignorantia meæ ne nemineris domine, Proba me domine & tenta me, Vultum tuum domine requiram, Et mentita est iniquitas sibi, Vnam partem à Domino, hanc requiram vt inhabitem in domo patris mei omnes dies vitæ meæ, Et dilectus quemadmodum filius vnicorniorum, Et commouebit dominus desertum cades, Et confringet dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani, Quæ utilitas in sanguine meo dum descendo, &c. Exaltabo te domine, quoniam suscepisti me, Illustra faciem tuam super seruum tuum, Nolite fieri sicut mulus & equus quibus non est intellectus, Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, Auerte oculos meos ne videant vanitatem, Mors peccatorum pessima, Declina à malo, & fac bonum, Immittere angelum dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos, Diuites eguerunt & esurierunt, Inquire pacem & sequere eam, Magnificate dominum mecum, Ego cum in aliquo mihi molesti essent, in duebam me cilio, &c. Confiteor tibi domine in ecclesia magna, Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes, iustitia tua sicut montes Dei, &c. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, Eo quod apud te Deus omnipotens filius tuus fons vitæ sit, Homines & iumenta saluos facies Domine, Mutuabitur peccator & non soluet: iustus autem miseretur & tribuet, Iuuenis fui, & senex, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem, &c. Educet sicut lumen iustitiæ tuam, &c. Vidi impium superexaltatum, &c. Sicut onus graue, grauata sunt super me, Et confirmasti super me manum tuam, Obmutui & humiliatus sum, & silui, &c. Quamquam in imagine Dei ambulet homo, tamen vanè conturbatur, Dixi custodiam vias meas, & non, &c. Thesauros recondet, & ignorat cui congregat eos, Veruntamen vanitas omnis homo viuens, Aduena ego sum in terra apud te & peregrinus, &c. Remitte mihi vt refrigerer priusquàm eam, & amplius non ero, Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, Holocausta & pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio, Vniuersum stratù eius versasti in infirmitate eius, to. 1. 815.D
In

NOVIQVE TESTAMENTI.

In die mala liberabit eum Dominus, Sana animam meam quia peccaui tibi, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, tom. 1. 708.H
xlj Sitiuit anima mea ad Deum viuam, Hæc recordatus sum, & effudi animam meam in me, quoniam transibo in locum tabernaculi, &c. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei, tom. 2. 783.G
